
43
1 H
18

Ad simpliciter usum S. Fr. Nicolai | Livini a Valentano M.O. 1830

RVBRICAE MISSALIS ROMANI

COMMENTARIIS ILLVSTRATAE

Quibus (seruato Rubricarum ordine) distinctè explicantur.

I. RITVS MISSAE IN SENSV LITERALI.
II. SACRATIORA MYSTERIA SINGVLORVM RITVVM.
III. DOCTRINA MORALIS ET DVBIA CONSCIENTIAE CIRCA RITVS EOSDEM.

Et resoluuntur innumeræ difficultates de celebratione Missarum, deque alijs Sacerdotum obligationibus.

Cum Appendice Quæstionum de Sacrificio Missę.

AVCTORE

PAVLO MARIA QVARTI

ANDRIENSI CLERICO REGVLARI.



ROMAE, M. DC. LV.

Sumptibus Ioannis Casonij. Sub signo S. Pauli.

SVPERIORVM PERMISSV.



BEATO CAIETANO THIENAEO

Clericorum Regularium Fundatori.

Paulus Maria Quarti Cler. Reg. DD.



ELIBERANDVM diù mihi non fuit, cui potissimùm de Ecclesiasticis Ritibus hosce à meo calamo Commentarios nuncuparem. Ades ipse, Parens Beatissimæ. ac tu tibi illos statim vèndicas; tuis nempè auspicijs, atque afflatu conceptos, tua deindè ope, tutelaque, vt natos, ita expositos, atque ad summam manum perductos. Quòd si argumentum ipsum operis, ac scriptionis spectas, cur alijs dicatum iuerim quod iure omni videtur tuum? Religionem, hoc est, principem illam, atque amplissimam virtutem, quæ legitimis cæremonijs, approbationibus, thure, donarijs, ornatu, ac pompa syrmatum æternum Cœli Numen veneratur in terris, non modò excoluisti ipse impensius, dum viueres, verùm etiam instituto à te Regularium Clericorum Ordini ita indidisti, vt traditus subindè per manus, ac successionis quodam iure propagatus sacrorum cultus, floreat hodieque apud illos ad stuporem: ac minimè degenerasse se à magna

† 2 tua

tua mente, ac indole ostendat nunc posteritas tua. Quid si à te atque egregijs tuorum curis latè manauerint in Christianum Orbem Romani Ritus, atque inde excreuerit maiestas, ac dignitas sacris, nitor templis, decus aris, Religioni splendor, reuerentia, & cultus Numini? Non hanc tibi laudem affingimus, qui nitere ab ascititia styli lacinia planè non indiges. Testes Maximi Pontifices, qui eximium hoc diuinorum in te studium disertè commendarunt. Testis summus ille sacrorum Rex, Paulus Quartus, inclytus & ipse nostræ Familiæ Antesignanus, & Conditor, qui in publico cæremoniarum, ac precum ritu, quà instaurando, quà expoliendo, ornandoque egregiè desudauit. Testis mortalium consensus, ac fama, atque ipsa denique nostratium delubra; aræ, solemnia, quæ, te auctore, mundicijs omnibus, ac Religionibus culta, in tanto rerum splendore tuum in procuratione sacrorum ardorem animi magnificè repræsentant. Igitur, bonum factum. Dicatum magno tuo nomini opus hoc esto. Eximio cultori Numinis, sacrarum elegantiarum assertori, Ecclesiasticorum Rituum Consultissimo, seruantissimoque debentur quidem id genus vigiliæ, qua quicquid vspiam est diuini cultus, sacrique moris pro modo explicant, concinnantque. Donarium, quod est ex se atque argumenti merito te dignum, facies ipse gratum ab ea etiam parte, quà illius dignitati scriptoris mediocritas non minimum detrahit. Opus pro ope ingenij lucubraui; addes ipse tui splendore nominis, quod deest. Et quando rebus admirabilibus, quas passim tanto cum mortalium compendio fructuque patras, Orbem pene vniuersum iam comples, inerit hoc etiam inter quotidiana Thienæi mira, vt, quod est à meæ facultatis tenuitate elaboratum, Orbis probet. Interim, quod deceat ritu aliquo lucubrationem dedicari, quod de ipsa Rituum obseruatione agit, non equidem alio vtar ipse cultu, quàm qui Numini ipsi Carior; is est ingenuus mentis candor, simplex animi pietas, puritas, studium: quo quidem tuum, Caietane, Operi patrocinium, tuam auctori tutelam, ac fidem de genu posco.



EMINENTISS. ET REVERENDISS. PRINCIPI

FRANCISCO MARIAE CARDINALI BRANCACIO.

PRIDEM accidit, vt in meas deuenerint manus Actoris non pænitendi in Generales Romani Missalis Rubricas commentaria, quæ vbi viris doctis nimio quidem opere commendari à materiæ dignitate, à doctrinæ præstantia, à facilitate, ab ordine cognoui; forè mihi persuasi, vt cum eruditorum hominum, tùm maximè Ecclesiasticorum studia non sanè mediocriter demereret si darem ipse operam, vt implerent typos, ac publici iuris fierent. Igitur, vt communi vtilitati vsura præclari operis consului, ita & priuatum aliquem fructum eiusdem operis dedicatione mihi inde decerpere opportunum duxi. Occurrisq;

tu

ù mihi ſtatim Card. Ampliſſ. cui vt hæc ritè nuncupem, non inuitat modò inclytum nomen ac dignitas. Sed trahit impellitque offici ratio, ac tuæ vis humanitatis. Nam quòd aliquod exiguum licet obſeruantiæ in te meæ ſpecimen non dedignari, aliquando viſus es; ingratus profectò ſim, niſi hoc tibi donarium conſecrem; ſi ſcriptionis, ac ſcriptoris laudem, ſi clientis tui minimi obſequium, cultumque animi ſpectes, haud ſanè aſpernandum. Præterquam quod, quæ rationem ſacrorum omnem, leges, ritus, religionem eruditè expediunt ingenij monumenta, cui potius, quam eruditiſſimè, religioſiſsimèque Purpuræ nuncupauerim? Tibi nempè, quem inter præclara adiumenta virtutum hoc potiſsimùm Diuini cultus ſtudium, atque omnis Eccleſiaſticæ rei eruditio, ac vſus apprimè condecorat? Planè cum nullus dubitem, quin hæc æqua fronte, ac per benignè excipias, reliquum eſt, vt quæ tibi ſingularis tua virtus pollicetur incrementa dignitatis, ac ſumma honoris faſtigia; hæc eadem intimis ipſe votis vrgeam ad Chriſtianæ rei bonum, communemque orbis felicitatem. Romæ Kalendis Decembris 1654.


EMINENTIAE TVAE REVERENDISS.

Obſequentiſſimus Clientum

Ioannes Caſonius.



AD LECTOREM.





INIS à nobis in hoc opere intentus, nedum est explicare sacros ritus, & nudas Missę cæremonias, (quod plerique fecerunt); sed pręcipuè Sacerdotes instruere de obligatione, qua tenentur in conscientia ipsos ritus exequi. Item Rubricas preceptiuas à directiuis apertè distinguere, vniuersamque doctrinam moralem de Celebratione Missarum exactè tradere, quod nemo quem viderim adhuc perfecit, appositè in hunc finem instruendi communemClerum ductu rubricarum. Circa primum de ritibus, & cęremonijs, non erunt superflua hęc nostra commentaria: plura enim addimus ab aliis prętermissa: multa etiam obscurius tradita elucidamus: & tandem nonnulla corrigimus, in quibus alii offenderunt. Circa secundum de Morali doctrina, nedum inutile hoc opus; sed necessarium apparebit considerantí minùs esse idonea Scholasticorum volumina, in quibus ea continetur, captui communis cleri: in cuius gratiam indè excerpere conati sumus ea, quę solum sunt necessaria ad instruendos ministros Altaris, breui, & facili methodo hic digesta. An autem hoc assequuti fuerimus, tuum esto Lector iudicium. In hoc ergo priori tomo digessimus ea, quæ pertinent ad rubricas generales initio Missalis appositas, in triplicem ordinem distributas; postmodum si Deus vitam, & vires concesserit, alterum tomum in lucem daturi, in quo simili methodo, & ordine disponemus commentaria in rubricas proprias de tempore, & de Sanctis, quę sparsim in eodem Missali habentur. Interim Benigne Lector ad maiorem Dei gloriam, & Sacrificii cultum hoc vtere, & fruere. Vale.

Commentaria in rubricas Missalis Romani Auctore P. D. Paulo Maria Quarti à duobus ad id deputatis patribus nostræ congregationis Theologis approbata, vt typis mandentur, quoad nos spectat, facultatem concedimus. Datum Romæ apud S. Siluestrum in Monte Quirinali die 6. Nouembris Anni MDC.LIII

D. Bonifacius Alliardus Præpositus Generalis Clericorum Regularium.

D. Franciscus Maria Capycius Secund. Secretarius.

Nos infrascripti iussu Adm. Reu. Patris D. Bonifacij Alliardi Præpositi Generalis, commentaria P. D. Pauli Mariæ Quarti Sacræ Theologiæ Professoris, in Missalis Romani Rubricas cum recognouerimus, nihil in eis aut catholicæ fidei aut rectis moribus dissonum inuenimus. Quin imo cum Methodo, breuitate, facilitate, rationum perspicuitate, & diligentia qua minutiora etiam attingit, cæteros qui de illis scripserunt nostro iudicio superet, dignam ducimus quæ lucem aspiciant plurimum vtilitatis ac iucunditatis sacrorum rituum, ac Theologiæ Moralis studiosis, allatura non dubitantes. Romæ Kal. Nouembris MDCLIII.

D. Andreas Scottani Cler. Reg. S. T. P.

D Vrbanus Puluerinus Cler. Reg. S T.P.

D. Franciscus Maria Carafa Cler. Reg. S.T.P.

Imprimatur si videbitur Reuerendissimo Patri Mag. Sac. Pal. Apost.

M. Anania Viceg.

Imprimatur

Fra. Raimundus Capisuccus Ordinis Præd. Sac. Pal. Apost. Magister.



QVAEST. PROOEMIALIS
DE RVBRICIS MISSALIS
IN GENERE,

Et præcipuè de obligatione, quam inducunt.



SECTIO I.

De Natura, & Caufis Rubricarum.

PVNCTVM I.

Quid, & quotuplex fit Rubrica.



RESPONDEO, & dico primo. Rubrica eft regula communis continens ritus in Miffarum celebratione feruandos. Colligitur ex communi fenfu Doctorum. Dicitur primo: regula communis loco generis, in quo conuenit cum legibus, & alijs ordinationibus, quæ communitati, feu omnibus feruntur, & folent effe permanentes, & firmæ quoufque reuocentur. Reliquæ particulæ funt loco differentiæ; nam aliæ leges feruntur ad informandos, vel reformandos mores hominum, vel in finem politicum Reipublicæ, vel in bonum virtutis, & falutem fpiritualem animarum; Rubricæ vero propriè ordinantur ad ornatum, & decentiam facrificij. Dicuntur autem Rubricæ, quò ad vim nominis, quia rubro colore fæpius fcribi folent.

Ex his patet quænam fit Materia, & forma rubricarum nam materia circa quam funt ritus & cærimoniæ, quas præfcribunt. Materia ex qua conftant funt verba quibus ritus explicantur. Forma vero eft ipfa fignificatio feu verborum fenfus.

Dico fecundo. Rubrica eft duplex; alia eft præceptiua; alia directiua; præceptiua eft, quæ obligat in confcientia, & fub peccato ad feruandos ritus in ea præfcriptos. Directiua eft quæ non imponit obligationem, fed proponit quid fit agendum per modum Confilij, & inftructionis vt latiùs Sec. 2.

PVNCTVM II.

De Materia circa quam verfantur Rubricæ nempe de Ritibus, & Cæremonijs. Miffæ.

NOmine Rituum intelligimus circumftantias omnes quæ requiruntur ad Miffæ celebrationem, & folemnitatem, fiue fint verba, fiue actiones, fiue veftes, & vafa facra, vt patet ex diuo Thom. 1.2. q 101, art. 4 hoc pofito.

Refpondeo, & dico primo: Materia circa quam verfantur Rubricæ Miffalis funt Ritus, & Cæremoniæ feruandæ in celebratione Miffæ. Patet quia in his præfcribendis, & explicandis omnes Rubricæ Miffalis verfantur.

Dico fecundo Ritus Miffæ diuiduntur communiter in effentiales, qui funt de Neceffitate facrificij, & Sacramenti: & accidentales qui pertinent ad ornatum eiufdem facrificij, & poffunt effe de Neceffitate præcepti, non

vero Sacramenti. Ritus eſſentialis Miſsæ conſiſtit in conſecratione vel etiam Communione, vt ſuſiùs explicabimus in appendice huius operis, dum de ſacrificio Miſsæ, & oritur ex inſtitutione Chriſti Domini. Ritus verò accidentalis conſiſtit in actionibus, & præcibus, alijsque circumſtantijs ab Eccleſia adiunctis, quæ dicuntur Sacramentalia, & Cæremoniæ Sacræ: vt videri poteſt apud Bellarminum lib.2. de Sacram cap 29.& ſequenr. Suarez tom. 3. in 3. part. diſput. 15. ſec 1. & diſput. 16. ſec. 5. Henriquez lib. 1. cap. 11. Coninhc. de Sacram quæſt 71. n.1. & ſequent. Auerſam de ſactiſ. quæſt. 11. ſec. 12. init. Molfeſium ſum. tract. 3. cap. 12. num. 26.

Dico tertio. Cæremonia communiter ſumitur pro ritu accidentali, & poteſt ita deſcribi. Eſt actio Religioſa externa ad cultum, & decentiam ſacrificij ab Eccleſia inſtituta, ita Suarez diſput. 15. ſec. 1. §. exhis, cum alijs ſupra citatis. Sacræ ergo Cæremoniæ, ſeu ſacramentalia conueniunt cum Sacramentis, & ſacrificio in hoc, quod ſunt actus externi virtutis Religionis: differunt verò quod ſacrificium continet ſupremum Dei cultum, in ſignum ſupremæ Dei excellentiæ: Sacramenta etiam ordinantur ad ſanctificationem fidelium per infuſionem gratiæ habitualis; At vero ſacramentalia, & Cæremoniæ ordinantur ad decentem modum offerendi ſacrificium, cuius ſunt circumſtantiæ accidentales, nec habent virtutem infundendi gratiam; ita Suarez, & alij Auctores ſupra citati.

Dico quarto: diuidi poſsunt Cæremoniæ primo in eas quæ ſunt intrinſecæ ipſi Miſsæ, & partes eiuſdem: & conſiſtunt tum in verbis, tum in geſtibus celebrantis, de quibus latè Suarez diſput. 83. & 84 & compendioſè Auerſa loco ſupracitato. Et in eas quæ ſunt circunſtantiæ extrinſecæ eiuſdem ſacrificij, vt locus, tempus, vaſa, & veſtimenta ſacra, de quibus ſuo loco ex profeſso dicemus.

Secundo. Cæremoniæ quæ conſiſtunt in geſtibus quædam inductæ ſunt propter decentiam operandi, nec habent aliam ſignificationem: E.g. Quod Sacerdos dum ſignat ſe ipſum ponit ſiniſtram ſub pectore. Aliæ inductæ ſunt propter ſignificationem Moralem, vel Myſticam. E.g. Mixtio aquæ cum vino, digitorum ablutio, crucis ſigna &c. de quibus diuus Thom. 3 par. q. 83. art. 4. & 5. & nos de ſingulis ſuo loco dicemus. Hanc autem diuiſionem latè explicat Suarez diſput. 84. ſec. 1.

PVNCTVM III.

De cauſa formali Rubricarum in quo conſiſtat.

Reſpondeo & dico primo. Cauſa formalis Rubricarum conſiſtit in ſignificatione verborum, ex quibus ipſæ Rubricæ conſtant. Probatur, quia cum verba non proferantur vel ſcribantur propter ſonum, ſed propter ſignificationem (ſiquidem verba ſunt ſigna mentis, ſeu conceptus interni, vt notum eſt), ſequitur ſignificationem eſse formam, & veluti animam verborum; ſonum autem vel ſcripturam eſse loco materiæ, vt docet. D. Thom. 3.p. q.60. art. 8. & ibi expoſitores communiter: ergo etiam in re noſtra verba Rubricarum quoad ſonum, vel ſcripturam ſunt earum materia; ſignificatio vero eſt forma eorundem verborum, & conſequenter Rubricarum.

Dico ſecundo. Significatio prædicta quæ eſt cauſa formalis Rubricarum diuiditur in literalem, & Myſticam, ſignificatio ſeu ſenſus literalis eſt is quem voces ipſæ immediatæ ſignificant E. G. cum Rubrica dicit, celebrans oſculatur altare, in ſenſu literali exprimitur actus naturalis oſculi, qui fieri debet à celebrante tangente ſuis labijs altare. Senſus vero Myſticus eſt ille, qui ſub rebus ſignificatis per voces quaſi ſub velamine, & figura concluſus eſt, dicitur Myſticus ideſt arcanus, & reconditus: vocatur etiam ſpiritualis eo quod lateat ſub rebus quaſi ſpiritus ſub corpore. Vt in exemplo allato, verba Rubricæ ſignificant actum oſculandi altare, ipſum vero oſculum vlterius figuratè ſignificat Myſterium incarnationis, & ſponſalitij Chriſti cum Eccleſia; vel vnionem, & conſenſum animorum inter fideles per caritatem: vel tandem delectationem, & gaudium vitæ æternæ in Eccleſia triumphanti; Ita Doctores communiter loquentes de ſenſibus ſacræ ſcripturæ D. Thom. p.1. q.1. art. 10. Vaſquez Valentia, & alij ibidem; & proportionaliter locum habent in ſenſu Rubricarum, vt patebit in diſcurſu huius operis.

Dico tertio: ſenſus Myſticus, ſeu ſpiritualis eſt triplex. Primus dicitur tropologicus ſeu moralis, qui refertur ad informationem ſeu reformationem vitæ, & morum. Secundus dicitur allegoricus quo exprimitur aliquod Sacrum Myſterium ſub figura, & quaſi methafora rei ſignificatæ per voces (allegoria namque figura eſt, quæ inuerſio dicitur) Tertius tandem dicitur Anagogicus, & refertur ad ea

quæ

quæ sunt æternæ felicitatis: solent autem explicari his versibus.

Litera gesta docet, quid credas allegoria:
Moralis quid agas, quo tendas anagogia.

Sic in exemplo allato, vox illa osculum in sensu literali significat actum deosculandi altare, in quo fit sacrificium: per ipsum vero osculum designatur in sensu Mystico, primo consensus animorum inter fideles, & hic est sensus tropologicus Secundo denotatur sponsalitium Christi cum Ecclesia in sensu Allegorico. Tertio tandem exprimitur delectatio, & gaudium futuræ gloriæ in sensu anagogico sicut de sensibus sacræ scripturæ docet D. Thom. loco supracitato, quem sequuntur communiter, & circa singulas Rubricas ex professo in commentarijs nos explicabimus.

Ad ornatum vero huius puncti placet hic adnotare significationes sacrorum rituum vsu frequentiorum in Missa, quas breuiter, & eruditè simul collectas perstringit celebris doctor, Ioannes à lapide ordinis Cartusiensis in peculiari libello de Dubijs Missæ cap. 10. quod in gratiam lectorum fere integrum hic transcribo. Sic ergo ait.

Lotio Manuum ante Missam fit ad tractandum reuerenter ipsum Sacramentum. Pretiosa enim tractare non cõsueuerunt homines *nisi manibus* prius lotis. Vnde indecens esset quod ad tam pretiosum Sacramentum tractandum quis accederet manibus illotis. Fit etiam ad incitandum celebrantem ad internam purificationem, quam intendere debet. Tertio ad insinuandum quod oblaturus est hostiam lacrymis compunctionis. Quarto ad significandam interiorem mundificationem, vnde Dionisius dicit, quod extremitatum ablutio significat ablutionem etiam à minimis peccatis.

Ante Oblationem, vel Consecrationem lotio digitorum in Missa fit ad reuerentiam sacris exhibendam. Ad deuotionem, & puritatem incitandam, & ad significandam emundationem a peccatis. Post sacramenti vero sumptionem fit propter Sacramenti reuerentiam, vt post ipsius contactũ, digitis non ablutis statim alia non sacra tangantur. Item ad cautelam, vt si aliquid de speciebus Sacramentalibus adhæserit digitis, per ablutionem tollatur. Item ad significandam retinentiam munditiæ, vt sacerdos qui per Sacramenti perceptionem præsumitur esse mundatus; post celebrationem munditiem retineat, & à recidiua inquinatione sibi caueat.

Thurificatio ante Missã, & in ea fit propter Sacramenti reuerentiam. Primo vt per thuris bonum odorem expellatur si quid mali odoris ibi fuerit. Secundo ad repulsam diabolicæ malignitatis, ne videlicet ille malignus aliquid contra sacrificium vel celebrantem machinari præsumat, huiusmodi enim fumo omne genus Dæmoniorum extruditur. Tertio ad significandam deuotionem, & orationem celebrantis ac assistentium. Quarto ad representandum effectum gratiæ, qua sicut bono odore Christus repletus fuit.

Altaris osculatio fit ad reuerentiam Sacramenti. Secundo, ad excitandum amorem celebrantis erga Christum. Tertio ad representandum dilectionem inter Christum sponsum, & Ecclesiam sponsam.

Salutatione Sacerdotis ad popolum, in qua quinquies vertit se ad populum, significatur quintuplex manifestatio Christi in die Resurrectionis.

Brachiorum extensio, significat extensionem brachiorum Christi in Cruce. Eorundem eleuatio, directionem orationis ad Deum. Coniunctio, coniunctionem fidei cum operibus charitatis.

Corporis inclinatio fit ad representandam humilitatem, & obedientiam Christi, ex quibus passionem suscepit. Secundo ad incitandum celebrantem, & adstantes ad humilitatem, & deuotionem.

Multiplex signatio Crucis fit ad representandum multiplicem Christi dolorem, & cruciatum in sua passione. Præsertim autem triplici Cruce sub illis verbis, per ipsum, & cum ipso, & in ipso, representantur tres horæ quibus Christus pependit in Cruce, videlicet ab hora sexta vsque ad nonam. Duplici signo sub illis verbis Deo Patri omnipotenti in vnitate Spiritus sancti representatur separatio animæ a corpore. Triplici signo sub illis verbis Pax Domini sit semper vobiscum representatur resurrectio Christi tertia die facta.

Hostiæ fractio fit ad representandam passionem Christi in qua Corpus eius vulnerationibus fractum sine diuisum fuit. Secundo ad representandam distinctionem Corporis Christi mystici secundum diuersos status eius: vnde Hostia frangitur, primo in duas mediatates, ad designandum duplicem statum prædestinatorum scilicet eorum qui sunt in æterna gloria, & in temporali miseria. Ista namque mediatas, quæ ex manu dextra super patenam indiuisa collocatur, significat prædestinatos qui iam adepti sunt beatitudinem, quæ per dextram intelligitur. Alia vero mediatas quæ est in sinistra diuiditur in duas partes, quarum vna mediatati super patenam collocatę coniungitur, & significat illos qui sunt in Purgatorio: Qui quidem licet beatitudinem nondum

habeant; sunt tamen certi de ea. Altera pars, quæ post hanc diuisionem in dextera tenetur, mittitur in calicem, significat prædestinatos adhuc in hoc seculo viuentes: qui quamuis de beatitudine habenda certi non sint; illam tamen virtute passionis, & sanguinis Christi consequentur, licet per multas tribulationes, quæ per calicem significantur.

Postquam Sacerdos dixit, Agnus Dei &c. osculatur Altare, & deinde ministrum vel tabulam per eundem sibi porrectam, quæ vlterius exhibetur adstantibus osculanda. Primò vt celebrans non solum cum Deo pacem sed etiam cum proximo se habere protestetur. Secundò vt alij osculantes profiteantur se esse coniunctos in vnitate fidei per Christum in hora Crucis immolatum.

Tandem post Communionem, & Calicis ac digitorum ablutionem sumitur illud vinum seu ablutio, primo vt Reliquiæ specierum sacramentalium si quæ in ore remanserit cũ illa traijciantur. Secundo vt significetur quòd sacerdos deinceps manere debet mundus, & seruare saporem ac odorem vini compunctionis, & tristitiæ in corde, gratiarum actionis, & letitiæ in ore, rectæ conuersationis, & iustitiæ in opere. Hactenus Ioannes à lapide. De ijsdem vero misterijs ritum Missæ tractant Alcuinus, Amalarius, Innocentius, Guglielmus Durandus in suo rationali Stephanus Durantus de ritibus Ecclesiæ, Diuus Bonauentura, & alij, & tandem egreglè diuus Thom. 3. quæst. 83. art. 4. 5. & in opuscolis opusc. 66. quos in nostris commentarijs afferemus iuxta ordinem Rubricarum.

PVNCTVM IV.

De causa efficiente Rubricarum Missalis, seu de earum auctore.

SVpponendum, esse in Ecclesia potestatem instituendi ritus, & cæremonias in sacramentorum administratione, & oblatione sacrificij seruandas, vt constat ex Conc. Trid. sess. 7. Can. 13. & sess. 21. c. 2. & ex Apost. 1. Corint. 11. Cætera autem cum venero disponam; vbi loquitur de Ritu in dispensatione Eucharistiæ seruando.

Probatur etiam quia Christus Dominus contulit Ecclesiæ vniuersalem potestatem regendi conuenienti modo fideles in ordine ad cultum diuinum, & salutem animarum Ioan. 21. Pasce oues meas. Spectat autem ad diuinum cultum, & salutem animarum, vt sacrificium decenti apparatu, & cum debita reuerentia offeratur, & pariter Sacramenta administrentur sacris adhibitis cæremonijs, ne apud rudes, & imperitos sacra Mysteria vilescerent; Ergo sub illa vniuersali potestate comprehenditur, etiam potestas instituendi cæremonias, & Ritus. Vide Suar. in 3. par. disp. 15. sect. 2. & 3. his positis.

Respondeo causam efficientem, & auctorem Rubricarum Missalis esse summum Pontificem, vniuersalis Ecclesiæ Pastorem. Probatur quia in rubricis ordinantur, & præscribuntur cæremoniæ, & sacri ritus per vniuersam Ecclesiam obseruandi in celebratione Missarum. Tunc sic argumentor: Nemo potest ferre leges vniuersales pro tota Ecclesia, Nisi qui iurisdictionem habet vniuersalem in totam Ecclesiam; sed hanc non habet nisi summus Pontifex; ergo &c. ita Henrriquez, Nugnus, Coninh, apud Bonacinam de Sacramentis disp. 1. quest. vlt. punct. vnico, Suar. loco supra citato, Megala Prompt. Verbo cæremonia, Mellesius sum. tract. 3. cap. 12. num. 26. sub auctoritate etiam summi Pontificis comprehendimus concilium generale, cuius leges vim etiam habent à Summo Pontifice.

Hinc primus auctor huius ritus, & formæ; qua in Missarum celebratione vtitur Ecclesia Romana, fuisse creditur D. Petrus primus Christi Vicarius (Nonnullis exceptis, quæ in progressu fuerunt addita, vel mutata), vt ex antiqua traditione probat Baronius in Annalibus anno 102. Deinde S. Clemens, quem acceperat ab ipso D. Petro ritum offerendi sacrificium Romanæ Ecclesiæ scriptis consignasse dicitur; Ex eodem Baronio supra. Porro successores Pontifices sedulo inuigilarunt, vt eadem forma inuiolata conseruaretur, & vbi mutilatam vel deprauatam aduerterunt, summo studio curarunt, eam ad pristinam normam restituere; quod tandem egregiè perfecit, solidauitque sanctissimus Pontifex Pius V. ædito Missali Romano, quo in præsenti vtimur; & quod postea recognitum fuit auctoritate Clementis VIII. & Vrbani itidem. VIII.

Colligitur primo Ritus accidentales, seu cæremonias Missæ, quæ sunt extra substantiam sacrificij, non esse iuris diuini, sed solius Ecclesiastici: quia non fuerunt institutæ à Christo sed ab Ecclesia: ac proinde variari posse, & in alias mutari à summo Pontifice, vel Concilio generali, non autem ab inferioribus Prælatis. Probatur quia summus Pontifex habet æqualem potestatem cum aliis prædecessoribus, ergo potest similes cæremonias instituere, & antiquas mutare prout magis expedire iudicauerit: Siquidem res omnis per quas

causas

causas nascitur per easdem & dissoluitur, Reg. omnis. de Reg. Iuris. Quod autem Episcopi non possint easdem mutare probatur quia inferior praeualere non potest contra superiorem. Vt Colligitur etiam ex Trid. sess. 7. can. 13. & docent Suarez citata disp. 15. sec. 3. §. Vnde. Cardinalis de Lugo de Eucharistia disput. 19. sec. 8. num. 112. Dicastiglio de Sacramentis tom. 1. tract. 5. disp. 1. dub. 4. num. 69. & alij passim.

Colligitur secundo praedictam mutationem non fieri à summo Pontifice nisi ex causa necessitatis, vel vtilitatis, nec aliter id esset expediens praesertim in illis ritibus qui sunt antiquissimi in Ecclesia, & creduntur traditi ab Apostolis: vnde habenda est ratio diuini cultus, & fructus animarum, ita cum alijs Suarez loco supra citato.

Dubium hic emergit, vtrum Episcopi possint instituere caeremonias, & ritus peculiares pro Ecclesijs suae Diaecesis in celebratione Missarum, & Sacramentorum administratione seruandos.

Respondeo potestatem Episcoporum secundum se, extendi ad hunc effectum, quia Episcopi sunt ordinarij pastores suarum Ecclesiarum: Vnde sicut possunt praecipere dies festos, ieiunia, & alia huiusmodi, ita possent instituere caeremonias praedictas. De facto tamen quo ad ritus Missae, limitata fuit eorum facultas à summo Pontifice in Bulla Pij V. Initio Missalis apposita, vbi praecipitur, vt nihil prorsus addatur ritibus in Missali praescriptis, ita Henriquez, Nugnus, Coninh, & alij quos citat, & sequitur Bonacina de Sacramentis disp. 1. q. vlt. punc. vnico num. 3. & Molsesius loco supra citato, Ratio autem fuit quia ex vna parte potestas Episcoporum est subordinata moderationi summi Pontificis, & ideo potest limitari ex causa rationabili: Ex alia parte adest hic causa valdè rationabilis: nempe ad vitandam confusionem, & dissonantiam, quae ex varietate consurgeret, vt patet, tum ex Bulla Pij V., tum ex Bulla Clement. VIII. In qua ita habetur. Vt qui omnes vnum sumus in vno corpore, quod est Ecclesia, & de vno Corpore Christi participamus, vna, & eadem celebrandi ratione, & ritus obseruatione in hoc tremendo sacrificio vtamur.

PVNCTVM V.

De causa finali Rubricarum, & Rituum Missalis.

Respondeo finem esse Dei, cultum & vtilitatem spiritualem fidelium, vt patet ex Tridente: Sess. 7. can. 13. & sess. 22. cap. 5. & ex Bullis Pontificum initio Missalia praesertim Vrbani VIII. vbi declaratur ritus, & caeremonias ordinari ad splendorem, & reuerentiam diuini sacrificij: Probatur etiam ratione: quia oblatio sacrificij pertinet ad religionem, & cultum Dei: ergo etiam obseruatio caeremoniarum, quibus sacrificium debita reuerentia tractatur, ad eundem cultum pertinet, quatenus caeremoniae sunt religiosae circunstantiae & ornatus eiusdem sacrificij.

Deinde probatur eosdem ritus conferre ad bonum spirituale fidelium: quia sunt media, quibus fidelium animi eleuantur ad deuotionem, & reuerentiam erga sacrificium, & Sacramenta, & similiter instruuntur ad intelligentiam Mysteriorum, quae continentur in sacrificio: praecipuè totius vitae, cursus ipsius Christi, qui compendio repraesentatur in Missa. & vniuersaliter opus fuit per has caeremonias instrui Christianum populum, sub sensibilibus Sacramentis Magna Mysteria contineri D. Thom. 3. p. q. 83. art. 4. Suar. disp. 15. citata sec. 2. & 3. & disp. 83. per totam. Auersa de sacrificio q. 11. sect. 12. §. in Primis Molsesius sum. tract. 3. cap. 12. num. 27.

Dicetis, Non potest Meliori modo offerri sacrificium eo, quo institutum & oblatum fuit ab ipso Christo, qui tamen non vsus est tot Ceremoniis, quibus nunc vtitur Ecclesia.

Respondetur Christum instituisse sacrificium & Sacramenta quo ad essentialia, committendo Ecclesiae, vt iuxta temporum varietatem ornatus, & caeremonias adderet, vt patet ex loco citato Apostoli 1. Corint. 11. & docet D. Thom. 3. p. q. 83. ar. 4. ad p.

Cum ergo dicitur debemus imitari modum, quem seruauit Christus, distinguendum est, Debemus seruare modum quem Christus seruauit, & ordinauit seruandum esse, in progressu, concedo: Ordinauit autem seruandum esse id quod Ecclesia in progressu addidit: Debemus seruare ritum, quem ipse Christus tantum seruauit, non verò illum, quem addendum praecepit ad maiorem ornatum, iuxta congruentiam temporum, Nego. Sic enim fieret contra voluntatem Christi, & quidem in prima institutione satisfuit ipsa Christi maiestas pro omni apparatu, & ritu, Caeterum, nè postea apud Rudes Sacramenta vilescerent opus fuit addere nouos ritus.

An autem ritus Missae habeant aliquem effectum ex opere operato, cùm sint quaedam Sacramentalia, Respondendum est breuiter negatiuè, sic vniuersaliter loquendo, vt late probat Suarez disput. 15. sect. 4. & nos etiam dice-

dicemus parte 2. huius operis, dum de Confeſsione generali, & pectoris tunſtione.

SECTIO II.

De obligatione Rubricarum Miſſalis in genere.

PVNCTVM I.

Quanam vis obligandi ſit in Rubricis Miſſalis.

IN hoc puncto examinabimus aliorum ſententias, & in ſequenti reſoluemus quid ſit dicendum. Prima ſententia eſt Fagundez in præcepta Eccleſiæ præcept 1. l. 3 c. 21. n. 7. qui ſuſtinet rubricas Miſſalis communiter non obligare ſub peccato mortali, conſequenter non peccare mortaliter Sacerdotes ſcienter omittentes ritus Miſsę, modò non videantur nouum ritum introducere. Addit num. 9. rubricas Miſſalis non præcipere, ſed conſulere, & inſtruere, quibus verbis iam excludit etiam peccatum veniale: quia conſilia nullam obligationem inducunt.

Fundamentum huius ſententiæ videtur eſſe, quia rubricæ communiter, non vtuntur verbis præceptiuis; ſed puræ inſtructionis: ergo non præcipiunt, ſed conſulunt. Dicit autem communiter, quia aliquæ rubricæ in particulari continent præceptum, eo quia vel proponunt id, quod pertinet ad ſubſtantiam ſacrificij, vel id, quod alias Iure Canonico ſub peccato mortali præcipitur, in quo caſu non eſt dubium obligare ſub peccato mortali. Ceterum communiter ſecundum hanc ſententiam rubricæ præceptum non continent. Citat Fagundez pro ſe Silueſtrum verbo Miſſa 1. num. 2. qui reuera id non exprimit. Citatur etiam pro hac ſententia Poſſeuinus de officio Curati c. 2. num. 16. Bauni tract. 10. n. 2. fauet Tamburinus opuſcul. de ſacrific. Miſſæ l. 2. c. 5. initio, & indicat eam eſſe probabilem Azor. 1. p. lib. 10. cap. 29. quæſt. 6.

Hæc ſententia quatenùs tollit obligationem ſeruandi rubricas, & aſſerit eas eſſe meras inſtructiones, ſeu pura conſilia, eſt procul dubio falſa, & pluſquam falſa, & contra communem ſenſum DD. quos infra citabimus.

Probatur primo, & bulla Pij V. initio Miſſalis appoſita, in qua ſummus Pontifex abſolutè, & omni rigore præcipit ſeruari rubricas Miſſalis his verbis. Mandantes, & ſtrictè omnibus, & ſingulis præcipientes in virtute ſanctæ obedientiæ, vt miſſam iuxta ritum, modum, & normam in Miſſali præſcriptam decantent, aut legant, neque in miſſæ celebratione alias cæremonias, aut preces addere, vel recitare præſumant. Hoc poſito ſic argumentor. Præceptum Summi Pontifices cadit ſuper cæremonias, & ritus, qui communiter continentur, & deſcribuntur in rubricis Miſſalis, ergo ipſæ rubricæ continent materiam præcepti, & non conſilij: Conſequenter ſunt leges, & præcepta: ergo non ſeruans rubricas committit peccatum mortale ex genere ſuo contra graue præceptum Eccleſiæ. Dico ex genere ſuo, quia ratione paruitatis materiæ certum eſt poſse hic contingere peccatum veniale, vt communiter in alijs præceptis. Reſpondet Fagundez, ſummum Pontificem velle ſolum excludere nouum ritum diuerſum ab eo, qui in Miſsali deſcribitur, & ideo generaliter obligare Sacerdotes ad vtendum eo ritu, non vero ad ſingulas rubricas in particulari. Vndè non peccat mortaliter, niſi qui intendit nouum ritum introducere, ſeu qui habet intentionem oppoſitam fini ipſius præcepti.

Contra vel intentio illa oppoſita fini à legiſlatore intento requiritur generaliter ad violationem cuiuſcumque præcepti, vel ſpecialiter ad violationem huius præcepti ſeruandi rubricas, quia fortè non introducitur nouus ritus ſine illa intentione, & ſic ea ſecluſa ceſſat finis præcepti. Neutrum dici poteſt: ergo &c. Non primum, qua ſic facile poſſent eludi omnia præcepta. Diceret enim fornicator ego non intendo damnum prolis, ſed meam voluptatem, & Ideò non pecco. Similiter fur excuſaretur, dicendo nolo damnum, & iniuriam Domini, ſed meam vtilitatem, quæ omnia falſa ſunt; ſicut ergò violantur cætera præcepta, ſecluſa prædicta intentione contra finem præcepti, ita pariter in caſu noſtro.

Neque ſecundum, quia nouus ritus ipſo facto paulatim introducitur, dum non ſeruatur ritus præſcriptus, præſcindendo ab eo animo introducendi nouum ritum: & ad hoc vitandum Summus Pontifex præcipit, vt ad vnguem ſeruetur ritus, & norma in Miſſali præſcripta. Item ad violationem præcepti non requiritur intentio oppoſita fini præcepti; ſed factum circa rem præceptam. Confirmatur quia etſi in tranſgreſſione huius præcepti poſſit habere locum animus inducendi, vel non inducendi nouum ritum, reſpectu additionis, ita vt excuſetur à mortali addens aliquid, abſque eo animo inducendi nouum ritum, vt infra

ra suo loco dicemus: quia potest aliquid addi, non tamquam pars Missæ, sed ex priuata deuotione; Nihilominus respectu omissionis voluntariæ locum non habet: quia verè omittitur pars aliqua Missæ: ergò si voluntariè omittitur, verè in omittente, saltem indirectè. est animus omittendi veram partem Missæ, quæ cognoscitur esse talis, & consequenter mutilandi Missam contra præceptum. Tandem contra id, quod addebat hic Anthor, Pium V. præcipere obseruantiam rituum in generali, non in particulari. Argumentor contra. Quia si Summus Pontifex præcipit generaliter seruari rubricas, & ritus Missalis; Ergò præcipit seruari omnes, & singulas in particulari, quippè propositio indefinita, & vniuersalis compræhendit omnia specifica, & nihil excludit. Et à propositione vniuersali valet descendere ad singularia.

Exempli gratia si omnis homo est risibilis; ergò Petrus est risibilis, & Paulus, & sic de singulis: ergò pariter in casu nostro, qui tenetur seruare omnes ritus Missæ, tenetur seruare singulos in particulari. Saltem deberet Fagundez assignare ritus, quos præceptum includit, quos verò excludit. Vel explicare qua ratione *seruari* possit ritus Missæ in genere, ad quod tenemur sub peccato mortali, non seruatis ritibus in particulari, ad quod secundum Fagundez non tenemur.

Probatur secundo falsitas prædictæ sententiæ. Nam ex ea sequeretur non peccare mortaliter Sacerdotem, qui absque animo inducendi nouum ritum, omitteret in Missa Epistolam, & Euangelium, & notabilem partem Canonis cum alijs, quæ non sunt de substantia Sacrificij: sed hoc est manifestè falsum, & contra communem sensum Ecclesiæ Ergo &c.

Tandem probatur, eandem sententiam esse falsam ex Trident. sess. 7. Canon. 13. si quis dixerit approbatos Ecclesiæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut sine peccato à ministris omitti pro libito, aut in nouos alios mutari posse anathema sit, & Idem confirmat sess. 22. de sacrificio: sed si rubricæ solum consulerent; possent sacerdotes sine peccato, et pro libito ritus omittere, ergò prædicta sententia opponitur Decreto Concilij Trident. vt rectè notauit Victorianus Premoli in Memor. Cler. 3. p. c. 9. vbi *sic ait*, hanc opinionem Fagundez supra refutauimus, vt damnatam à Pio V. & Concil. Trid.

Ad *fundamentum* huius sententiæ respondetur, *rubricas* non vti verbis præceptiuis: sed habere vim obligandi ex præcepto explicato Pij V. et Concil. Trid. sufficit enim si quomodocumque constet de intentione legislatoris.

Secunda sententia communis docet rubricas habere vim obligandi sub peccato mortali ex genere suo, ratione tamen paruitatis materiæ posse transgressionē esse peccatum veniale, vt contingit in alijs legibus.

Probatur manifestè ex præcepto lato in bulla explicata Pij V. et ex decreto Tridentini sess. 7. citata Canon 13. Nam Pius V loquitur de ritibus Missalis præscriptis in rubricis, ergò posito eius præcepto; rubricæ sunt leges præceptiuæ, non pura consilia.

Confirmatur. Illud Præceptum Pij V. est de re grauissima, nempe de forma adhibenda in oblatione sacrificij tremendi nouæ legis, ergò obligat sub peccato mortali ex genere suo. Ita Suar. tom. 3. in 3. p. disput. 83. sect. 3. et disp. 84. sect. 3. Coninc. de Sacrament. q. 83. art. 5. Lezana in summa verbo missa num. 58. Filliuccius tract. 5. cap. 5. num. 142. Petrus de Ledes tom. 1. tract. de euchar. cap. 24. conci. 8 Pitigianus in 4. distinct. 13. quæst. 2. artic. 4. Molfesius tract. 1. c. 7. num. 22. Bonaccina de Sacram. disput. 4. q. vlt. punct. 7. §. 3. num. 3. et alij, quos citat, et sequitur Garzia de Sacerdot. tract. 3. difficult. 8. punct. 1., Auersa de sacrific. quæst. 11. sect. 12; et tenent à fortiori idem asserentes de ritibus Sacram. in genere Henriq. lib. 1. cap. 11., Valentia tom. 4. disput. 7. num. 1. punct. 4. Suarez disput. 16. sect. 2. Reginaldus lib. 26. num. 59. Trullench. de Sacram. lib. 1. cap. 3. dub. 4. Filliucc. tract. 1. num 89 et communiter. Hæc 2. sententia si rectè intelligatur de ritibus adhibendis in ipsa missæ recitatione est absolutè vera, vt infra videbimus.

Tertia sententia media distinguit, Rubricas in præceptiuas, et directiuas, atque docet. Rubricas præceptiuas obligare sub peccato mortali ad seruandos ritus in eis præscriptos; rubricas vero directiuas nullam imponere obligationem, sed esse consilia, et instructiones Ità Gauant. in rubricas Missal. p. 3. tit. 11. Marchinus de Sacram. Ordinis tract. 3. part. 3. c. 6. Tamburin. in opuscul. de sacrif. missæ l. 2. c. 5. § 1. Premol. loco supra citato p. 3. cap. 1. Nec dissentiunt Authores secundæ sententiæ, si rectè hæc explicetur.

Hanc autem distinctionem potius supponnnt eius Authores, quam probent Probari autem potest, quia rubrica secundum se nihil aliud esse videtur, quam instructio, vel manuductio circa ea, quæ dicenda vel facienda sunt in celebratione Missæ: quarè nisi constet de præcepto, de se sunt tantum consilia: probabile est autem, præceptum Pij V. non extendi

tendi indifferenter ad omnia, quæ in rubricis continentur, præcipuè cum plura sint minutissima, nec apta materia præcepti. Hinc Cardinalis de Lugo disp. 20. de euchar sec. 2. num. 7 ait certum est non omnia, quæ in rubricis Missalis exiguntur afferre obligationem grauem, et sec 4. num. 105. docet cum alijs nonnullis, esse materiam instructionis, et directionis, non verò præcepti; ergò communiter rubricæ sunt præceptiuæ, sed multæ etiam sunt directiuæ.

Contra hanc sententiam duplex occurrit difficultas. prima oritur ex præcepto Pij V. supra relato, quod indefinitè, et vniuersaliter extendi videtur ad omnes rubricas, et ritus in eis contentos sine vlla exceptione; ergò omnes rubricæ sunt præceptiuæ, seu materia præcepti, et non consilij, consequenter omnes habent vim legis, et non meræ instructionis; quia ex præcepto oritur obligatio.

Secunda difficultas est in tradenda regula, qua dignoscatur, quænam rubricæ in particulari sint præceptiuæ, quæ verò solum directiuæ. Variant enim DD.

Prima regula est, quam tradit Gauant. supra cum alijs, nempè illas rubricas esse præceptiuas, in quibus exprimitur contra facientes grauiter peccare, vel in quibus agitur de integritate sacrificij, vel Sacramenti; Aliæ communiter sunt directiuæ. Cæterum hęc regula est valdè diminuta, & corruit ex supradictis; Nam rubricæ, quibus præscribuntur ea, quæ legenda sunt in missa, E.G. Epistola, Euangelium, aliæ orationes, et partes notabiles Canonis non exprimunt omittentem peccare mortaliter, nec spectant ad integritatem sacrificij, & similiter de ritibus, qui in actione consistunt, vt oblatio hostię, & calicis post offertorium; et tamen constat eas esse pręceptiuas, et trangressores peccare mortaliter, ergò prędicta regula est insufficiens, quam ipsemet Gauant. destruit. eodem Tit 11. fine, vbi docet indefinite rubricas esse pręceptiuas nec oppositum esse probabile. secunda regula est Marchini, Tamburin; et aliorum, quos citauimus in tertia sententia, nempè rubricas secundū se communiter esse directiuas, & illas tantum esse, præceptiuas, quę continent aliquid, aliàs iure pręceptum, vel consuetudine legitimè præscripta, quæ regula coincidit cum prima sententia supra reiecta, & insuper impugnatur.

Vel nomine Iuris, quo aliquid Contentum in rubricis præcipitur, Compræhenditur etiam Bulla Pij V. qua præcipitur indefinitè, & vniuersaliter seruari cæremonias, & ritus in missali præscriptos, idest in rubricis missalis; & sic est falsa prima pars huius regulæ, nempè communiter, & absolutè rubricas esse directiuas: Nam posito eo præcepto, communiter sunt præceptiuæ, si quidem rubricę eo præcepto veluti informatę eleuantur ad statum legis, & constituuntur verę leges pręceptiuę, seu omnes sunt, materia, super qua cadit illud præceptum Pij V. vel non compręhendit prędictam Bullam; & sic nihil explicat, quia constat in prędicta bulla latum esse pręceptum seruandi rubricas sub peccato mortali nec est minoris efficaciæ Bulla prędicta, quam sint canones Iuris communis.

Impugnatur 2. Ex eo solum, quod rubricę continent aliquid, alias præceptum, Iure communi, & sacris canonibus, valdè impropriè, & per accidens dicerentur pręceptiuæ, quia vis obligandi non oriretur ex rubrica, sed aliundè; ergo nulla rubrica secundū se, & formaliter esset præceptiua, quod tamē est aperte falsum posito præcepto Pij V. Probatur sequela a simili. Si amicus tibi consulat, ne murmures, ne mentiaris, ad quæ aliunde teneris, non ideò consilium amici dicitur præceptum, quia admonitio quatenùs procedit ab amico, non habet vim obligandi: ergo pariter in casu nostro, si rubrica secundum se non habet vim obligandi, nulla rubrica est pręceptiua, quod tamen est falsum ex dictis. Nam posita constitutione Pij V. quæ loquitur expresse de ritibus, & regulis missalis, ipsæ regule, seu rubricę eleuantur ad statum legis, & pręcepti.

PVNCTVM II.

Explicatur vera sententia, & resoluitur Quæstio.

Reiectis aliorum sententijs; breuiter explicabimus, quid sentiendum sit de vi obligandi, quę est in rubricis vnde.

Respondeo, et dico primo omnes rubricę, seu regulæ missalis præscribentes ritus seruandos à Sacerdote in ipso actu celebrationis missæ, omnes inquam sunt pręceptiuę. Quare in materia graui obligant sub peccato mortali, et solum ratione paruitatis materię, vel inaduertentię earum transgressio est venialis, vt contigit communiter in alijs pręceptis; et de peccatis contra rubricas in particulari dicemus puncto sequenti. Ita DD. secundę sententiæ quam supra diximus rectè intellectam esse absolute veram, quibus adde Henric. lib. 9. cap. 26. num, 3. Nagnum 3. p. quest. 83. art. 4 dub. 2. Reginald. lib. 33. num. 210. Peyrinum infor-

in formulario littera M. cap. 1. num. 1.

Probatur quia præceptum sæpius relatum Pij V. loquitur expressè de ritibus seruandis in ipso actu legendi, vel decantandi Missam absque vlla exceptione; ergò extenditur ad omnia verba, & actiones, ex quibus missa componitur à principio idest à confessione vsque ad finem, quæ est communis sententia DD.

Colligitur Primo teneri Sacerdotes sub peccato mortali ex genere suo nihil omittere eorum, quæ recitanda præscribuntur in Missali, ita vt cuiuslibet partis omissio sit peccatum, vel mortale, si materia grauis sit, & notabilis, vel veniale, si materia lenis sit, & modica. Ita Coninch de Sacram. quest. 83. num. 226. Suarez disp 83. sec. 2. & omnes citati in secunda sententia supra relata, & alij, quos citat, & sequitur Diana p 5. trac 5. res. 63 Et a fortiori nihil addi potest precibus, quæ in missali præscribuntur. Tum quia id expresse cauetur præceptoP ij V. in Bulla sæpius Citata. Tum quia peccatum commissionis natura sua maius est peccato omissionis, & in re nostra magis expositum errori, & superstitioni. Suar. loco supra citato cum alijs communiter.

Colligitur secundo idem omnino dicendum esse de ritibus, & cæremonijs, quæ in actione consistunt: nempe teneri Sacerdotes sub peccato mortale ex genere suo nihil eorum omittere, & nihil eis addere, ob eandem rationem, vt docent citati DD. Quando autem omissio in indiuiduo sit peccatum mortale, vel veniale, & similiter additio inferius explicabimus sect. sequent. Interim monemus hanc obbligationem non esse accipiendam in tigore metaphisico; cum simus in morallbus, sed morali & humano modo, ita vt satis sit eam diligentiam adhibere, quam communiter timorati sacerdotes, & sui muneris studiosi adhibere solent: sicut in simili de ministris sacramentorum in genere docet Suarez disputatione 16. sec. 2.

Colligitur tertio ex eodem præcepto supra explicato teneri Sacerdotes penitus ommittere ritus aliorum missalium, illosque reijcere, sub peccato mortali, vt patet legenti Bullam: duo enim præcepta ibi feruntur vnum negatiuum non vtendi ritibus aliorum missalium, alterum affirmatiuum seruandi ritus missalis Romani tantum.

Dico secundo Rubricæ continentes ea, quæ recitari, vel fieri debent à sacerdote ante missæ Celebrationem, vel immediate post missam, sunt directiuæ secundum se, & sub consilio: quare nisi aliunde constet de præcepto non imponunt obbligationem. In quo sensu adheremus tertiæ sententiæ relatæ puncto Primo.

Probatur Primo quia præceptum Pij V. loquitur de ipso actu celebrationis nempe, vt legatur vel decantetur missa iuxta Ritus in missali præscriptos: ergo solum cadit super rubricas, quæ continent ritus seruandos in ipso actu celebrationis, consequenter non extenditur ad illos, quibus præscribitur quid sit agendum vel dicendum ante & post celebrationem: quæ ideo sunt directiuæ.

Probatur secundo ex communi DD. interpretatione. Nam primo Castro Palao tom. 3. tract. 7. disp. 2. punct. 4. num. 7. asserit in generali præcepto Pij V. non comprehendi naturini recitationem: quia non est ritus aliquis ipsius Missæ, sed ad Missam præsupponitur: & quæ sic præscribuntur in Rubricis non sunt præcepta sed consilia: quibus verbis manifestè confirmat nostram conclusionem. Eodem modo loquuntur Bonacina de Sacram. disp. 4. quæst. vlt. punct. 5. §. 3 num. 3. Coninch de Sacram. quæst. 83. art. 2 dub, 4. num. 22. Victorianus Premoli in Memor. Cler. p 3. cap. 7. Lezana in sum Verbo Missa num. 59. Henriquez lib. 9. cap. 26. num. 3. Vbi sic ait seruandus est ritus expositus in Missali; præcipuè circa illa quæ præcipit seruari in ipsa Missæ celebratione. Et clarius Suarez tom. 3. de Sacram. disp. 82. in proœmio vbi ait, quæ circa præparationem in Missali designantur solum pertinent ad directionem, & consilium; idem docet Card. de Lug. loquens de orationibus dicendis dum Sacerdos sacris se induit disp. 20. de Eucar. sec. 4. n. 106.

Confirmatur quia non videtur verisimile ea, quæ præscribuntur in Rubricis de disponendis signaculis in Missali, & alijs huiusmodi cadere sub præcepto, vnde non continent nisi meram instructionem.

Ex dictis colligitur Primo regulam principalem discernendi rubricas præceptiuas à directiuis esse huiusmodi; videlicet præceptiuas esse omnes illas, quæ præscribunt ritus seruandos intra Missam, seu in ipso actu celebrationis; è contra directiuas esse illas, quæ disponunt quid sit dicendum, vel faciendum ante Missam, vel post Missæ celebrationem, nisi aliunde constet de præcepto, ita Castro Palao Bonacina Henriq. & alij supra cit. in secunda conclus.

Colligitur secundo Ritus, qui ex vi regulatum Missalis debent ex præcepto seruari sufficienter diuidi in eos, qui in verbis celebrantis, & in eos, qui in eiusdem actione consistunt, vt præsertim videre est apud. Suar. de Sacram. tom. 3. disput. 83. & 84. & Auersam sacrificio quest 12. sec 12. quia de his proprie loquitur Pius V. in suo præcepto: vnde illæ tantum rubricæ sunt in rigore, & formaliter præceptiuæ, quæ loquuntur de his ritibus à sacerdote seruandis in ipso actu celebrationis

dum eſt in Altari.

Colligitur tertio Rubricas Miſſalis præſcribentes alia requiſita ad ſacrificium, ad quæ non extenditur præceptum Pij V. ſed ex alijs ſacris canonibus iuris communis etiam ex præcepto, & ſub peccato mortali ſeruari debent, quamuis ratione materiæ dici etiam poſſent rubricæ præceptiuæ; non tamen ſic dicuntur formaliter, & reduplicatiue, vt regulæ Miſſalis ſunt; quia vis obligandi non ex rubricis, ſed aliundè Procedit. Huiuſmodi ſunt rubricæ de veſtibus, ſeu paramentis ſacerdotalibus, de Altari conſecrato, de corporali de vaſis ſacris; quamuis videri hæc poſſit quæſtio de nomine.

Colligitur quarto Rubricas diſponentes de illis requiſitis ad Miſſam, quæ neque iure communi præcepiuntur aut conſuetudine, nec ad ea extenditur præceptum Pij V; eſſe propriè, & ſimpliciter directiuas; quia non eſt vndè habeant vim obligandi. Huiuſmodi ſunt rubricæ de coloribus paramentorum, de pallio Altaris, de cruce ſuper eo collocanda, item de tabella ſecretarum, & de alijs quæ non conſiſtunt neque in actionibus neque in verbis celebrantis; de quibus omnibus diſtinctè à nobis ſuis locis agendum erit.

Colligitur quinto Regulas Miſſalis de ritibus ſeruandis non ab ipſo ſacerdote, ſed à Miniſtris, & ab alijs circumſtantibus, & choro aſſiſtentibus communiter eſſe directiuas, quia præceptum ſæpius replicatum Pij V. ad illas minimè extenditur: vndè non obligant ad culpam, niſi aliundè vel ex conſuetudine, vel ex vi iuris naturalis vitandi ſcandali ea obligatio naſcatur, vt in proprio loco dicemus.

Colligitur ſexto Rubricas de defectibus ſecundum ſe directiuas eſſe, vt in fine huius quæſtionis proœmialis explicabimus: ſunt enim regulæ Doctrinales, quas Eccleſia non definit, ſed ſolum proponit & ſuæ naturæ relinquit.

Colligitur ſeptimo. Diſcrimen inter Miſſam, & Officium quòad obligationem ſeruandi ritus, qui vt diximus in verbis, & in Actione conſiſtunt, quia in recitatione diuini officij ſolùm verba præcipiuntur in rigore, non autẽ ritus qui in actione conſiſtunt, quia circa officium non ita ſublimem habent ſignificationem vel grande myſterium ſicuti in Miſſa: & idcirco in Miſſa præcepiuntur, in qua maior apparatus exigitur, non ita in Officio, in quo ſimplices laudes Deo offeruntur: ritus autem adiuncti ſolùm proponuntur ad inſtructionem vt dicemus in commentarijs p. 1. tit. 17. dub. 5. & videri poteſt apud Bonacinam de Horis Canon. diſp. 1. quæſt. 3. punct. 6. n. 1.

PVNCTVM III.

Ex quibus capitibus tranſgreſſio regularum Miſſalis excuſetur à peccato.

LOquimur hic de rubricis, & regulis præceptiuis ex quibus oritur obligatio grauis, & ſub peccato mortali ex genere ſuo ſeruandi ritus in ipſo actu celebrationis Miſſæ. Sicut autem in alijs præceptis peccatum mortale ex genere ſæpè tranſit in veniale; vel omnino excuſatur ratione inaduertentiæ; ita paritèr contingit in caſu noſtro quoad regulas Miſſalis. Explicandum ergo breuiter eſt, ex quibus capitibus, & in quibus circumſtantijs id contingat: applicando in gratiam ſacerdotum huic noſtræ materiæ ea quæ fuſius tradunt DD. in tract. de peccatis, vel de præceptis in genere.

Aduertendum eſt autem ex duplici capite præcipuè contingere, vt peccatum mortale ex genere ſuo tranſeat in veniale. Primo ratione paruitatis materiæ; ſecundo ratione indeliberationis, ſeu inaduertentiæ ſicuti in tract. de peccatis, vel de præceptis tradunt communiter DD. Sanchez lib. 1. ſum. cap. 1. & 4. Caſtro Palao de peccatis tract. 2. diſput. 2. punct. 6. Bonacina de peccatis tom. 2. diſp. 2. punct. 5. num. 1. Layman lib. 1. tract. 3. cap. 5 qui alios citant. Quarè duplex eſt examinanda hic difficultas circa vtrumque caput.

Prima difficultas an ratione paruitatis materiæ tranſgreſſio rubricarum Miſſalis ſit culpa ſolùm venialis.

Reſpondeo affirmatiuè. Ratio breuiter eſt quia vbi eſt paruitas materiæ, modica reperitur offenſio ſeu violatio præcepti: Ergo non excedit culpam venialem. Ita DD. ſupra citati agentes de peccatis in genere. Et ſpeciatim de violatione rubricarum Miſſalis docent Suarez. Coninch. Bonacina. Lezana. & alij citati puncto 1. pro ſecunda ſententia cum alijs quos affert & ſequitur Diana p. 5. tract. 5. de paruitate materiæ reſolut. 45. 62 63. quem Doctorem frequenter, & libentiſsimè allego. Tum quia valdè celebris eſt hac noſtra ætate: tum quia eo citato plures, & graues habeo patronos mearum aſſertionum: nunquam enim Diana ſolus loquitur; ſed ei ſemper concinunt probatiſsimi DD. quos fideliſsimè ipſe affert melos addentes gratiſsimum harmonicis reſolutionibus eiuſdem Dianæ. Hoc obiter adnotato punctus noſtræ difficultatis conſiſtit in tradenda regula, qua diſcerni poſsit materia leuis à graui, & conſequenter quando ratione paruitatis materiæ leue tantum peccatum committatur.

Re-

Respondeo. Non posse tradi certam omninò, & adequatam regulam pro quolibet casu, sed prudentis arbitrio hoc decernendum relinquitur. Ad iudicandum verò vt plurimum materiæ præceptæ leuitatem vel grauitatem hæc regula præcipuè traditur communiter a DD. Videlicet Considerandum esse finem a Legislatore intentum: eoque inspecto illa materia censeri debeat grauis, quæ multum conducit ad finem legis: quia tunc transgressio præcepti notabiliter opponitur fini a legislatore intento, & consequenter est peccatum mortale: si vero parum conducat ad eundem finem, materia censenda est leuis & insufficiens ad peccatum mortale, ob oppositam rationem Hinc esus vnius pomi fuit grauissimum peccatum nostri primi parentis ob notabilem oppositionem cum fine à Deo intento in eo præcepto lato insignum subiectionis creaturæ suo Creatori: Contra esus multarum carnium contra regulas temperantiæ etiam a Deo iure naturali præscriptas non pertingit ad peccatum mortale, si inde non timeatur notabile damnum propriè salutis, quæ est finis huius præcepti. Itaque fieri potest vt materia præcepti leuis appareat in se spectata; & nihilominus grauis reuera sit attento fine legislatoris. Ita Vasquez in p. 2 diui Thomæ *tom.* 2. *disp.* 158. Suarez de leg. lib. 3. cap. 25 Sanchez sum. lib. 1. cap 4. num. 2. Palao de peccatis tract. 2 disp. 2. punct. 7. & communiter.

Colligitur Primo ad rem nostram, vnam vel alteram Orationem ex ijs quæ dicuntur ante Epistolam, vel ex Secretis ante Præfationem censeri materiam leuem, atque adeo omissionem fore peccatum veniale: Contra in Canone etiam mediatas vel quarta pars integræ orationis censetur materia grauis eiusque omissio peccatum mortale iuxta communem sententiam de qua infra. Quia cùm finis illarum precum ex quibus Missa componitur sit ornatus sacrificij, & cultus diuinus, magis conducunt ad hunc finem preces, & verba canonis quam sacratiora, & proximiora sacrificio, & sublimioribus plena mysterijs, quam aliæ preces extra Canonem. Cæterùm de singulis Missæ partibus, & quæ nam earum sit grauis vel leuis materia præcepti dicemus in sectionibus sequentibus.

Colligitur secundo. Materiam grauem, & leuem non esse hic metiendam eisdem regulis, *quibus* pensatur in præcepto audiendi Missam, *vel recitandi* horas Canonicas: nam audientes *Missam* ex eo quod omittant aliquam eius partem non mutilant Missam, quæ componitur ex *verbis*, & actionibus celebrantis non vero audientium. Item Missa est compositum multò sacratius, & sublimius Officio diuino, & ideò facilius deuenitur ad materiam grauem in Missa quàm in Officio. Ita Auersa de sacrificio quæst. 11. sect. 12. §. quare.

Secunda difficultas. Vtrum ratione inaduertentiæ, vel ex defectu deliberationis excusetur a peccato omissio rituum in Missa, & transgressio regularum Missalis.

Respondeo. Et dico primo: Omittens ritus, & ceremonias Missæ, vel aliàs delinquens contra rubricas Missalis ex inuincibili & omnimoda inaduertentia nullomodo peccat neque mortaliter, neque venialiter. Probatur deficiente aduertentia, violatio legum, & rubricarum non est voluntaria neque libera; ergo non potest esse peccaminosa & culpabilis; consequentia est manifesta, quia nullum est peccatum nisi voluntarium: & ad culpam (vt notum est) requiritur omnino libertas. Antecedens vero probatur, quia voluntas non fertur in obiectum nisi propositum per intellectum seu præcedente intellectus consideratione, & aduertentia, ergo non potest voluntas ferri in obiectum malum, & malitiam amplecti nisi prius cognoscatur, & proponatur ab intellectu obiectum vt malum: sed non cognoscitur vt malum in casu nostro quando non præcedit aduertentia malitiæ; ergo non potest actus esse malus, nec malitia imputari voluntati. Hæc conclusio est certa apud omnes & sumitur ex diuo Augustino lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. quem sequitur diuus Thomas 1. 2. quæst. 76. art. 3. & subscribunt alij communiter.

Dico secundo. Omittens ritus vel aliàs delinquens contra rubricas in celebratione Missæ, ex semiplena deliberatione, seu cum aliqua aduertentia malitiæ, sed imperfecta, & confusa, qualis esse solet in semidormientibus aut operantibus ex animo valdè turbato, sic violans rubricas vel aliàs leges solùm venialiter peccat; & actus sic a voluntate procedens dicitur secundo primus, ad differentiam actus omnino indeliberati qui dicitur primo primus de quo diximus in præcedenti conclusione.

Probatur modo hæc secunda conclusio. Actus circa obiectum prauum eatenus est peccaminosus quatenus est voluntarius, seu liber sed non est simpliciter, & omnino liber in casu nostro imo potius secundum quid, & dimidiatè: ergo non contrahit malitiam simpliciter, & plenam, qualis est malitia mortalis, sed malitiam secundum quid, qualis est culpa venialis. Maior est certa ex supradictis. Probatur minor, quia hoc quod est esse voluntarium & liberum pendet ex aduertentia intellectus: quippe voluntas non fertur nisi in obiectum cognitum vt supradicebamus: vnde etiam voluntarium definitur quod est a principio intrinseco cum additione scientiæ: sed in casu nostro est

imperfecta, & semiplena aduertentia: ergo semiplena ratio voluntarij, & consensus imperfectus: ratione cuius non præsumitur Deus velle quempiam eternis cruciatibus mancipare; ergo solum hic reperitur malitia, & culpa venialis. Ita DD. communiter Nauarrus in sum. prælud.9. Vasquez in 1.2. disp.127. Sanchez sum. lib.1. cap.1. num.6 Caietanus sum. Verbo delectatio. Castro Palao loco supracitato, & alij passim.

Dico tertio. Tunc solùm contingit peccatum mortale contra rubricas, & regulas Missalis, sicuti etiam contra alias leges, quando trasgressio procedit ex plena intellectus deliberatione ac perfecta aduertentia malitiæ obiecti. Vt patet ex ratione adducta in præcedenti conclusione, & docent auctores ibidem citati.

Colligitur primo. Sacerdotem omittentem aliquid in Missa E g. oblationem Hostiæ, & Calicis, vel partem notabilem Canonis, sine celebrantem in Altari non consecrato; vel consecrantem aquam loco vini, si prædicta committat ex omnimoda, & inuincibili inaduertentia eum nullo modo peccare; quia nec sine aduertentia potest esse libertas, nec sine libertate peccatum. Quod si prædicta, & similia committat cum aliqua aduertentia, sed imperfecta, & obscura, hoc est ex semiplena deliberatione solum venialiter peccat. Qualiter autem teneatur postea supplere defectus alibi suo loco dicemus.

Colligitur secundo Quid sit dicendum de sacerdote imperito, qui ex ignorantia vel omittit partem notabilem rituum, & cæremoniarum in Missa, vel eas peruertit, & confundit, Distinguendum est enim, siquidem vel Sacerdos prædictus laborat ignorantia vincibili, vel ignorantia inuincibili: si primum non excusatur a peccato mortali; quia licet stante ignorantia non consentiat expresse in violationem legum, & regularum Missalis; nihilominus interpretatiuè verè consentit, dum potens vincere, & superare illam ignorantiam, & ritus apprehendere sicut tenetur, negligit: (suppono autem eum habere sufficiens motiuum dubitandi de sua imperitia, & de erroribus quos in Missa committit) si secundum, idest si ignorantia sit inuincibilis quia numquam illi affulsit lumen, quo suum errorem potuerit aduertere, aut de eo dubitare: quia fortè didicit cæremonias ab alio imperito, quem certò existimabat versatum, & peritissimum: in hoc casu dicendum est Sacerdotem illum excusari a peccato quandiù durat inuincibilis ignorantia, sicuti dicebamus de in aduertentia; Eò quia eodem modo ignorantia ac inaduertentia auferunt voluntarium: & in idem recidit aliquid facere ex ignorantia inuincibili, ac per inaduertentiam pariter inuincibilem, ita DD. communiter cum diuo Thoma 1. 2. quæst.76. art 3. & videri potest Sanchez lib.1. sum. cap.16 num.9. & cap.17. num.1. & seq.

Dicetis Sacerdos tenetur ex officio scire Cæremonias, & ritus Missæ; Ergo si illos non seruet non escusatur ratione ignorātię, sed æque peccat ac si eos sciret, & voluntariè omitteret; probatur consequentia quia paria sunt scire, & debere scire L. quod te mihi ff. de rebus creditis.

Respondetur. Scire, & debere scire sunt paria quando potest acquiri scientia eorum, quæ pertinent ad proprium munus, & officium, & superari potest humano modo ignorantia opposita: Secus autem si superari non possit: quia impossibilium nulla potest esse obligatio L. impossibilium ff de regulis iuris, & ex regula Nemo potest, de regulis iuris in sexto. Quandiù autem nulla suboritur cogitatio vel motiuum dubitandi quo possit ignorantia superari tunc suspenditur per accidens legis obligatio: siquidem nemo potest moueri ad operandum nisi præcedente cogitatione seu motiuo quo excitetur ad operandum, vt fusius explicat Sanchez supracitatus cap.16. num.34.

Colligitur tertio. Eum qui non ex ignorantia, sed ex praua consuetudine omittit vel confundit ritus Missæ, quamuis actu non aduertat suos defectus & errores, idest in ipso actu transgressionis; Si tamen aduertat, vel aliquando aduerterit suam prauam consuetudinem, & hoc non obstante negligat eam corrigere, & extirpare, eum inquam non excusari à peccato vel mortali si ex ea consuetudine omittat vel mutet ritus graues, & in materia notabili: vel saltem non excusari a veniali fierret circa paucos, & leues ritus: quamuis enim peccata illa seu transgressiones ratione actualis inaduertentiæ non sint in se voluntariæ, sunt tamen voluntariæ in causa, nempe in illa praua consuetudine quę voluntariè retinetur, & non corrigitur, sicut in simili ex communi DD. docet Sanchez eodem cap.16. num. 41. & lib. 3. sum. cap.5. vbi de consuetudine iurandi. Videant ergo Sacerdotes negligentes, vel celeritatis amantes, nè huiusmodi prauas Consuetudines contrahant vel foueant.

PVNCTVM IV.

Vtrum leues transgessiones Rubricarum fiant quandoque peccata mortalia & quibus modis.

REspondeoPeccata venialia contra regulas Missalis posse transire in mortalia iisdem modis, quibus transeunt cætera peccata venialia contra alia præcepta ex DD. citatis pun-

puncto praecedenti initio: videlicet primò ratione praui finis adiuncti; secundò ratione contemptus, tertiò ratione scandali, quartò ratione periculi, quintò (addunt aliqui) ratione frequentiæ, seu consuetudinis. De singulis ergo breuiter dicendum est.

Prima difficultas est. Qualiter ratione finis adiuncti peccatum veniale transeat in mortale in rè nostra.

Respondeo ex communi DD. sententia id contigere quoties finis est mortalis E g si Sacerdos nimis festinanter Missam recitet, vel partes leues omittat, vt placeat concubinæ, quæ petijt Missam breuem. Item si quid faciat contra rubricas animo introducendi nouum ritum de quo infra dicemus. Probatur quia actus peccaminosus cōtrahit malitiam nedum ex obiecto sed etiam ex alijs circumstantijs, & præsertim ex fine: ergo si finis est mortaliter malus, etiam actus erit mortaliter peccaminosus, ita Sanchez lib. 1. sum. cap. 5. num. 7. Azor. Bonacina, & alij passim quos citat, & sequitur Castro Palao de peccatis disp. 2. punct. 9. § 1.

Secunda difficultas. An ratione contemptus peccatum veniale contra rubricas Missalis transeat in mortale.

Pro resolutione aduertendum peccare ex contemptu importare duo, nempe actum peccandi, & causam eius, quæ est contemptus: Consistit autem contemptus in eo quod quis renuit subijci regulæ seu præcepto, & auctoritati superioris, nolens illum vt superiorem agnoscere. Reperitur autem esse tum in intellectu, tum in voluntate: in intellectu vt si quis iudicet non debere æstimari præcepta superiorum eorumque auctoritatem; & in re nostra si quis iudicaret ritum aliquem ab Ecclesia præscriptum esse irrationabilem vel otiosum, vel auctoritatem Ecclesiæ parui momenti: quod iudicium, vt patet, facile potest esse coniunctum cum hæresi. Potest esse etiam in voluntate si hæc consentiat in prædicta ab intellectu proposita, E. g. si quis nolit obedire, non ex fragilitate, vel negligentia, vt communiter contingit sed ex quadam animi rebellione contra auctoritatem superiorum: quia non vult alicui subesse, nec aliquem illi præesse: & hanc volitatem subsequitur actio externa transgressionis præcepti ob eam causam, ita ex diuo Thoma 2.2. quæst. 186. art. 9. & Caietano ibidem docent communiter DD. his positis.

Respondeo ad dubium propositum affirmatiuè. Probatur: Contemptus simpliciter cuiuscumque præcepti etiam in materia leui continet grauem, & enormem deformitatem: Ergo semper addit malitiam mortalem tragressioni cuiuslibet præcepti, & sic peccatum veniale ratione contemptus transit in Mortale: consequentia est manifesta, Antecedens probatur, tum quia contemptus de se destruit auctoritatem superiorum, & subiectionem subditorum erga illos, quod est ingens malum. Tum quia cùm omnis potestas à Domino Deo sit; qui potestati resistit Dei, ordinationi resistit, & veluti Deum contemnit, ita diuus Thomas, & Caietanus supracitati, Angelus; Syluester, Tabiena, & reliqui summistæ verbo contemptus, Vasquez, & Sairo, & alij quos citat, & sequitur Sanchez libro 1. sum. cap. 1. num. 8.

Dubitant hic DD. an possit dari contemptus qui sit peccatum veniale.

Prima sententia communis negat, quia contemptus ex proprio conceptu est destructiuum magni boni, videlicet potestatis legislatiuæ, quæ a Deo manat: ergo semper continet malitiam mortalem, ita alijs citatis Castro Palaò de peccatis tract. 2. disp. 2. punct. 9. § 2.

Secunda sententia probabilior ita distinguit: vel contemptus est simpliciter, & absolutè talis, vel est contemptus secundum quid: primo modo contemnit superiorem vel præceptum, qui nunquam vult obedire quia nullo modo se vult subijcere superiori: secundo modo, nempe secundum quid, dicitur contemnere aliquod præceptum, qui alijs vult obedire in re graui, & magni momenti: sed solùm renuit in aliqua rè leui se subijcere regulæ, & in ea solum parui pendit auctoritatem superioris, non, verò absolutè Hoc posito docet hæc sententia in contemptu absoluto, & Simpliciter semper reperiri malitiam mortalem: secus autem in contemptu secundum quid, in quo dari potest malitia venialis: quia hic contemptus imperfectus, & secundum quid non tendit in destructionem potestatis legislatiuæ, sed in leuem eius diminutionem; consequenter leuem continet malitiam, ita Caietanus sum. Verbo contemptus, Armilla eodem verbo num. 3. Sotus, Corduba, Valentia, & alij quos citat, & sequitur Sanchez cap. 1. num. 11. item Lessius lib 2. de iust. cap. 46. circa finem.

Colligitur contemptum posse versari nedum circa præcepta, sed etiam circa consilia; consequenter in re nostra non solum circa rubricas præceptiuas, sed etiam directiuas. Nam si quis respuat sequi consilia Euangelica tanquam vana, & inutilia; certè grauem iniuriam Christo irrogat; Et in casu nostro, si ob eandem causam quis nolit seruare rubricas etiam directiuas grauem iniuriam infert Ecclesiæ, quæ illas proponit. Vnde etiam fit latius patere contemptum, quàm in obedientiam formalem; hæc enim solum reperitur in contemptu alicuius præcepti: contemptus vero consilij non est inobedientia, sed vel speciei sacrilegij vel blasfemiæ contra honorem Dei,

Dei, vel Ecclesię. Ita Suarez de leg. lib. 3. cap. 28. Castro Palao, Sanchez supracitati cum alijs.

Tertia difficultas. An ratione scandali defectus leues contra rubricas in sacrificio commissi transeant in peccata mortalia.

Respondeo affirmatiuè si scandalum graue fit. Definitur autem scandalum à diuo Thoma 2. 2. quęst 43. art 1. Est dictum, vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ, id est quo datur proximo occasio peccandi; quod si detur occasio committendi peccatum mortale, scandalum pariter est peccatum mortale, & contra veniale si detur alteri occasio venialiter peccandi. Modo probatur conclusio, nam qui suo proximo est causa grauis, & notabilis damni procuidubio peccat mortaliter contra charitatem, ita est in casu nostro; quia peccatum mortale ad quod quis inducit proximum est graue damnum spirituale; ergo &c.

Confirmatur, quia tenemur lege charitatis impedire damnum notabile nostri proximi quoties possumus absque proprio detrimento, & præsertim peccatum mortale, vt constat ex præcepto correctionis fraternæ; sed potest ille in casu nostro impedire peccatum sui proximi abstinendo ab eo opere, ex quo præuidet suum proximum arrepturum occasionem peccandi mortaliter; ergo si non abstinet grauiter delinquit contra charitatem, licet opus illud esset alias indifferens vel peccatum veniale. Ita DD. communiter cum diuo Thoma supra, & 1. 2. quæst. 88. art. 5. Caietanus sum. verbo scandalum Nauarrus sum. cap. 14. Suarez, Valentia, & alij quos citat Sanchez lib. 1. sum. cap. 6. à n. 11.

Colligitur primo in re nostra de ritibus, peccare mortaliter sacerdotem, qui dum sacrum facit frequenter se vertit, & curiosè aspicit mulieres adstantes; Vnde oritur in alijs licentia peccandi. Vel si in vsu cæremoniarum ita irreuerenter, & incomposité se gerat, vt apud populum notabiliter vilescant sacra mysteria; quia licet aspectus curiosi secundum se, vel irreuerentia in sacris functionibus non excedat culpam venialem; Nihilominus ratione damni spiritualis, quod inde sequitur alijs transeunt in peccata mortalia. Et idem dicunt aliqui si quis Sacerdos in die Paschatis publicè diceret Missam de requiem.

Colligitur secundo. Si Sacerdos valdè morosus in sacro faciendo præuideat aliquem ex adstantibus inde arrepturum occasionem blasfemandi præ impatientia, vel omittendi sacrum in die festo, vel proferendi contumelias in ipsum Sacerdotem; dubitari potest an idem Sacerdos sit reus scandali, & quid dicendum in hoc casu. Distinguendum est enim nam si mora est voluntaria, & valde indiscreta contra ipsas regulas Missalis (de qua re infra in commentarijs p. 1. tit. 16.), & potest Sacerdos absque incommodo ab ea abstinere; in hoc inquam casu dicendum est eum peccare mortaliter, & esse reum scandali, quia nulla iusta causa excusatur cur non abstineat ab ea mora indiscreta. Si autem mora non sit indiscreta, sed rationabilis, secundum regulas prudentiæ, & reuerentiæ debitæ sacrificio Missę; dicendum est nullo modo peccare Sacerdotem prędictum: quia non est scandalum datum, sed acceptum ex mera alterius malitia, quod dicitur scandalum passiuum, & farisaicum, & de quo nihil curandum est vt docent communiter citati DD.

Quarta difficultas. An peccata venialia contra rubricas transeant in mortalia ratione grauis periculi incidendi in peccatum mortale.

E. g. Si quis velit celebrare absque Missali cum periculo errandi in re graui, & magni momenti. Vel celebrare velit in mari, aut in loco ventis exposito cum periculo subuersionis Sacramenti. Vel recitet Missam nimis festinanter cum periculo mutilandi & absorbendi verba in quantitate notabili, vel confundendi graues ritus.

Respondeo affirmatiuè. Probatur quia temere se exponens proximo periculo peccandi mortaliter conuincitur se esse paratum tale peccatum committere, seu non curare de sua spirituali salute, & vita animæ; Ergo peccat mortaliter ob consensum interpretatiuum in peccatum mortale; vnde est illud Eccles. 3. qui amat periculum peribit in illo. Ita Caietanus sum. Verbo periculum, & alij Sumistæ Nauarrus sum. cap. 3. Suarez de pænitentia disp. 32. sec. 2. Castro Palao de peccatis tract. 2. disp. 2. punct. 9. §. 3.

Colligitur quid sit dicendum de Sacerdote lusco, vel semicæco, qui propter visus debilitatem legere non potest; Nihilominus tenet firmiter memoria totam Missam de requiem E. g. vel de Beata Virgine; vnde ex hac parte nullum timet periculum. Quoad reliquas vero actiones videt quantum satis est vt competenter exequatur ritus. In quo casu multi negant talem sacerdotem posse licitè celebrare; quia in re tam ardua non est fidendum memoriæ. Atque ita tenent Fagundez, Reginaldus, & Filiucius, apud Dianam part 2. tract. 14. resolut. 46. Nihilominus alij probabiliter affirmant quia cessante periculo errandi cessat finis præcepti adhibendi Missale, & consequenter cessat illius obligatio; ita est in casu nostro; Ergo &. Ita Villalobus, Ledesma Ioannes Propositus, Vasquez, & alij quos affert, & sequitur Diana supra, & parte 9. trac. 9 reso-

resolut. 30. Sequitur etiam Cardinalis de Lugo de Eucharistia disp. 20. sect. 2. num. 78. cum alijs quos citat. Quia tamen is qui non videt legere non est verisimile posse videre fragmenta, bene aduertit idem Diana supra hunc non esse permittendum sacrum facere absque assistentia alterius Sacerdotis, qui illum adiuuet ad colligenda sacra fragmenta, & ad alia huiusmodi.

Quinta difficultas. An ratione frequentiæ seu consuetudinis leues transgressiones rubricarum transeant in peccata mortalia.

E. g. Si quis Sacerdos aduertat se in ritibus Missæ sæpe deficere quamuis leuiter E. g. præueniendo, vel postponendo non nullas cæremonias omittendo manuum, vel oculorum eleuationes, & similia, & Nihilominus non se corrigat. In qua difficultate variant DD. agentes de peccatis in genere.

Prima sententia sustinet consuetudinem committendi peccata venialia esse mortale peccatum. Probatur quia videtur quidam legis contemptus sic frequenter legem violare nec illum prauum vsum corrigere. Ita Angelus. Verbo inobedientia, & diuus Antoninus 2. par. tit. 9. cap 3. §. 3. Qui vniuersaliter id affirmant. Alij DD. idem docent in aliqua peculiari materia, vt Suarez de Sacramentis disp. 16. sect. 3. quærens an Diaconus, & Subdiaconus peccent grauiter cantando Euangelium, & Epistolam in statu peccati mortalis. Respondet si semel aut iterum in eo statu ministrent, eos solùm venialiter peccare. Si frequenter, & ex consuetudine, peccare mortaliter ob virtualem contemptum idem docet Filiucius tom. 1. tract. 1. cap. 6. num. 87. Similiter quoad præceptum diuini officij idem Suarez de horis canonicis lib. 4. cap. 23. Reginaldus, & alij docent recitantem vnum officium pro alio sæpe, & frequenter peccare mortaliter, non autem si raro hoc faciat.

Opposita tamen sententia longè probabilior docet nullum peccatum veniale ratione frequentiæ vel consuetudinis transire in mortale ex hoc præciso capite, seu ex frequentatis venialibus non consurgere peccatum mortale, et quamuis inde possit creari periculum incidendi tandem in mortale ob debilitatas vires spirituales de quo aliàs.

Probatur hæc sententia quia actus replicati sunt eiusdem speciei, & conditionis cum primo, consequenter eandem habent malitiam, & deformitatem: Ergo si primus actus non excedit culpam venialem, nec etiam excedent alij subsequentes. Probatur secundo ex absurdo nam sequeretur frequentet dicentes verba otiosa, vel mendacia iocosa: aut negligentes in repellendis distractionibus in officio vel Missa peccare mortaliter; quod esset inijcere laqueum animabus, & torquere conscientias: atque ita docent Scotus, Almaynus, Gabriel. Azorius & alij quos citat & sequitur Sanchez lib. 1. sum. cap. 5. num. 2. Et loquentes de casu Diaconi, & sub Diaconi contra Suarez docent plures DD. apud Dianam p. 3. tract. 4. resolut 195.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ negamus frequentiam peccatorum includere contemptum legis sicuti expresse negat, diuus Thomas 2. 2 quæst. 186. art. 9. ad 3. quem sequuntur communiter.

Neque obstat cap. tres sunt de pænitentia dist. 1. vbi dicitur ex venialibus multiplicatis mortale consurgere; hoc enim tunc solùm verificatur, quando materiæ venialium continuantur ad inuicem, & coalescunt in vnam, saltem ratione effectus relicti E. g. in furtis minutis, vel actibus intemperantiæ vt si quis plures, quid modicum comedat in die ieiunij; vel in re nostra si Sacerdos in eadem Missa sæpius quid leue omitteret, si tandem omnes partes simul sumpte compleant, materiam grauem; quia in vltima omissione tunc committeretur peccatum mortale. Vel secundo explicandus est ille textus ratione periculi, vt supra. Cæterum vniuersaliter falsum est, ex venialibus multiplicatis consurgere peccatum mortale quia ex rebus finitis quantumuis multiplicatis nunquam deuenitur ad infinitum, cum ergo peccatum mortale infinitè distet à veniali ex diuo Thoma 1. 2. quæst. 72. art. 5. ad primum & quæst. 87. art. 5. ideo &c.

PVNCTVM V.

Vtrum grauis necessitas, vel moralis impotentia excuset a culpa transgressiones rubricarum.

RAtio dubitandi est quia ex communi sententia præcepta positiua præsertim humana non ita strictè obligant, quin admittant causam excusantem in casu necessitatis ad vitandum proprium notabile damnum, vel proximi vt fusè tradunt DD. in tract. de leg. Suarez lib. 3. de leg. cap. 30. Sanchez sum. lib. 1. cap. 18. num 5 & alij passim: cum ergo præceptum seruandi ritus, & cæremonias Missæ sit ecclesiasticum: consequenter videtur posse excusationem admittere in casibus vrgentis necessitatis: quærimus ergo an quandoque possit licitè celebrari Missa contra rubricas seu non seruatis ritibus.

Prima sententia est maioris in 4. dist. 49. quæst. 3. ad 5. asserentis in graui necessitate E. g. ad communicandum moribundum Sacerdotem posse conficere Sacramentum Eucharistiæ

ftiæ fine veftibus facris, in pane non azimo, & tandem fine integritate facrificij: fecretè inquit accipiendo fruftum panis confecrando, & dando ægroto. Probatur quia minus inconueniens eft fic conficere Sacramentum, quam finere fidelem aliquem mori fine Sacramento tam neceffario ad vitam fpiritualem, & falutem æternam.

Hæc tamen fententia concedens tam amplam licentiam ab omnibus reijcitur, vt manifeftè falfa, ratio eft nam quoties tranfgreffio legis vergit in contemptum religionis, & iniuriam Sacramenti excufari non poteft à peccaro mortali, etiam fi id fiat ad vitandam mortem vt probant DD. citati in tract. de leg: fed modus conficiendi Sacramentum, quem concedit Maior eft contra reuerentiam Sacrementi, & cedit in contemptum religionis; Ergo &c.

Secunda, & vera fententia duo præfertim docet. Primum eft nunquam effe licitum conficere hoc Sacramentum abfque requifitis effentialibus; & abfque integritate fubftantiali facrificij: hoc eft abfque confecratione vtriufque fpeciei, ob rationem fupra explicatam: & quia conficere facrificium mutilum & non integrum videtur intrinfecè malum vnde nec Summo Pontifici ineft facultas in hoc difpenfandi, vt dicemus in appendice quæftionum de facrificio. Secundo docet hæc fententia in cafu vrgentis neceffitatis ad vitandum notabile damnum proprium, aut proximi licitum effe omittere nonnullas cæremonias Miffæ, præfertim quæ funt iuris Ecclefiaftici, vt conuincit ratio explicata in ratione dubitandi, & docent Suarez fupracitatus Cardinalis de Lugo de Euchariftia difp. 15. fect. 3. Bonacina de Euchariftia difp. 4. quæft. 6. punct. 2. Auerfa de Euchariftia quæft. 8. fect. 9. & alij paffim.

Qualis vero neceffitas ad hoc requiratur: quiue ritus in particulari omitti poffint, definiri non poteft vnica regula: neque enim eadem eft ratio de omnibus ritibus: & ideo DD. non agitant hanc quæftionem circa omnes ritus fimul, fed circa fingulos in particulari E. g. verum vrgente neceffitate licitè poffit facerdos celebrare non ieiunius. Verum celebrare poffit abfque veftibus facris, vel abfque Altari, vel lumine & cet: de quibus fingulis nos etiam fuo loco difputabimus. Modo fatis erit breuiter nonnullos ex præcipuis ritibus attingere remiffiuè ad fua propria loca. Oportet autem diftinguere varios gradus neceffitatis, videlicet extremæ, grauis, & leuis, & fimiliter ritus, quorum aliqui funt effentiales alij accidentales. Item inter accidentales quidam funt grauiores, & fublimioris mifterij, alij inferioris gradus. Quibus pofitis &.

Colligitur primo nunquam effe licitum nec etiam ad vitandam mortem omittere in Miffa aliquem ritum etiam leuem, quando omiffio cederet in contemptum fidei, vel religionis: vt fi quis in odium fidei minaretur mortem Sacerdoti nifi celebret, vel abfque veftibus, vel abfque lumine &. Probatur quia cum puritas fidei, & bonum Religionis fit malus bonum, & fuperioris ordinis, quam temporalis hæc vita cuiufcumque; tenetur quilibet potius mortem pati, quam damno fidei, vel religionis cooperari, exequendo mandatum tyranni, vt communiter affetunt DD. infra citandi.

Colligitur fecundo. Neque effe licitum etiam ad vitandam mortem, feu in extrema neceffitate confecrare vnam fpeciem fine alia per fe, & directa intentione (faltem propria & priuata auctoritate) & multo minus ad communicandum infirmum, vel in fimili cafu. Probatur quia offerre facrificium imperfectum, & mutilum eft intrinfecè malum, & vergit in contemptum Dei, & Sacramenti. Dixi faltem priuata auctoritate nam quicquid fit, verum fummus Pont. poffit in hoc difpenfare; certum eft non effe conceffam priuatis hominibus facultatem immutandi modum confecrandi, & offerendi facrificium. Dixi etiam per fe, & directa intentione; quia per accidens euenire poteft, vt cæpto bona fide facrificio, & confecrata hoftia E. g in incurfione hoftium vel fimili cafu, non poffit poftea Sacerdos vlterius profequi abfque mortis periculo: tunc enim poterit confumpta hoftia fugere, vt alibi dicemus; hoc enim non eft intrinfecè malum, & cooperari mutilationi facrificij: fed permittere ex iufta caufa, vt facrificium remaneat imperfectum ita; Suarez difp 43. fect. 4. Vafquez difp. 223. cap. 3. Cardinalis de Lugo difp. 3. fect 8 Bonacina difp. 4. quæft. 2. punc. 3. num. 8. & alij quos citant.

Colligitur tertio. Quando non vrget neceffitas extrema feu periculum mortis: fed folum grauis E. g. communicandi moribundum non effe licitum celebrare abfque requifitis grauioribus, & maiori rigore ab Ecclefia præceptis; quia maieftas facrificij, & reuerentia debita Sacramento per cæremonias prædictas præferri debet bono priuato fidelium; quando Sacramentum non eft neceffarium neceffitate medij ad falutem. Huiufmodi funt Altare confecratum, veftes, & vafa facra, panis azimus, vnicum faltem lumen, & fimiles ritus de quibus diftinctè & feparatim fuis locis dicemus. Ad vitandam tamen mortem feu in extrema neceffite licitum erit abfque prædictis ritibus celebrare ab rationes afferendas in fuis proprijs locis. Ita Azorius Valentia Vafquez, et alij apud Dianam p. 3. tract. 6. refol. 48. per totam. Coninh de Sacramentis q. 60. num. 91,

Colli-

Colligitur quarto. A seruandis ritibus leuioribus, & non adeo stricti iuris excusat non dum grauis necessitas E g. comunicandi moribundum sed etiam mediocris E g. præceptum audiendi sactum vel similis necessitas; tunc enim licitum erit celebrare, vel extra Ecclesiam, vel sine ministro, vel absque hostia grandiori, de quibus sigillatim dicendum est suis locis, & videri possunt apud citatos DD. præsertim apud Dianam p. 2. tract. 14. resolut. 41. & multis alijs sequentibus.

PVNCTVM VI.

Vtrum per dispensationem cessare possit obligatio seruandi rubricas.

Et quis possit in hoc dispensare.

CErtum est posse cadere dispensationem in rubricas, & regulas Missalis: siquidem omnes leges humanæ etiam Ecclesiasticæ sunt dispensationi subiectæ: eo quia sicut lex humana pendet in fieri à voluntate, & potestate similiter humana; sic etiam pendet in conseruari, & potest vel mutari vel relaxari in totum vel in partem ab eius conditore vel successore: rubricæ autem seu regulæ Missalis quatenus habent vim obligandi sunt quædam leges Ecclesiasticæ, & ad ius humanum pertinent, vt supra dicebamus sect. 1. pun. 3 item certum est legitimè dispensatum eximi à legis obligatione, & respectu illius cessare eandem obligationem: ad hunc enim effectum impetratur, & conceditur dispensatio, vt ex communi DD. sententia explicat Diana p. 8. tract. 3. resolut. 1. & seq his positis est.

PRIMA DIFFICVLTAS.

Quis nam possit dispensare in rubricis Missalis, & ritibus Missæ.

REspondeo, & dico primo in ritu essentiali seu substantiali Missæ non potest Ecclesia aut summus Pont. dispensare E.g. vt offeratur sacrificium in vna tantum specie: vel vt celebrans non sumat vtramque speciem vt supra etiam innuimus, & fusius dicemus in tract. de sacreficio in fine huius operis. Probatur modo breuiter, nam ea quæ pertinent ad essentiam, vel integritatem substantialem sacrificij sunt iuris diuini, & instituta immediatè ab ipso Christo: ergo non possunt mutari ab Ecclesia vel à summo Pont. quia summus Pont. non est supra ius diuinum, neque talem facultatem habet a Christo presertim in casu nostro: vt manifestè colligitur ex Tridentino sect. 21. cap. 2. Docente, salua substantia sacramentorum, reliqua fuisse Ecclesiæ commissa. Ita Bellarminus lib. 2. de sacramentis cap. 29. & seq. Suarez tom. 3. in part 3. disp. 15. & 26. Henriquez lib. 1. cap. 11. Coninh. de Sacramentis quest 71. n. 1 & seq Amicus. Cardinalis de Lugo, & alij apud Diana par. 8. tract. 1. resolut. 1. initio.

Colligitur non posse summum Pont. dispensare cum muto vt Missam celebret: quia cum is non possit proferre verba, quæ ad consecrationem sunt necessaria; deficit in essentialibus. Ita diuus Thomas p. 3. quest. 82. art. 10. ad 3. Sotus Tabiena, & alij apud Dianam p. 5. tract. 6. resolut. 22.

Colligitur secundo. Neque posse summum Pont. dispensare cum abstemio qui nullo modo potest vinum gustare, vel non nisi cum periculo vomitus: quia non potest perficere sacreficium quo ad integritatem substantialem Ita allijs citatis Bonac. de censuris disp. 7, quæst. 2. opun. n. 25. & 36.

Dico secundo. In ritibus accidentalibus seu cæremonijs Missæ potest vtique summus Pont. dispensare: Probatur quia est supremus conditor totius iuris Ecclesiastici: ergo plenam habet potestatem illud mutandi, relaxandi, siue sit idem conditor, siue successor, in quo est æqualis potestas. Cum ergo ritus accidentales sint iuris Ecclesiastici ex dictis sect. 1. pun. 3 sequitur & c. Ita DD. loquetes de dispensatione in communi supra totum ius canonicum quos affert Diana p 8 tract. 3. resolut. 3. Et in particulari de ritibus Missæ seu cæremonis docent Bellarminus suarez, & alij citati in prima conclusione: quibus adde, Dicastiglio de sacramentis tom. 1. tract. 5. disput. 1 dub. 4. n. 69. Petrum de Ledesma sum. tom. 1. tract. de Eucharistia cap 24. conclusione 10. & alij communiter. An autem vt licitè fiat dispensatio requiratur causa, inferius explicabimus: certum est autem hanc potestatem non competere Episcopis, vt constat ex dictis sect. 1. punc. 3.

Colligitur excepta consecratione vtriusque speciei, & sumptione sacramenti, quæ fit a celebrante, posse Papam dispensare super omnes alios ritus, & cæremonias Missæ etiam supra canonem: quia omnes alij ritus non pertinent ad substantiam sacreficij vel sacramenti, sed ad sacramentalia, & cæremonias accidentales, quæ sunt iuris Ecclesiastici. Ita Ledesma Dicastillus, suarez supracitati cum alijs. Nec obstat fractionem hostiæ, & mixtionem cum sanguine ab aliquibus cõnumerari inter ritus substantiales; quia communiter hæc opinio reijcitur vt videbimus in tract. de sacreficio in fine huius operis.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

Vtrum ad licitam dispensationem in casu nostro requiratur aliqua iusta causa.

RE sponde o, & dico primo, ad licitam dispensationem tum in communi tum præsertim in casu nostro requiritur necessario iusta causa. Probatur nam alioquin dispensatio esse potius dissipatio, & abusus potestatis. Tum quia esset contra bonum regimen, quo teuentur superiores etiam supremi suas leges inuiolatas seruare, Item esset contra leges iustitiæ distributiuæ vel legalis. Tandem in casu nostro id vergeret in iniuriam sacreficij, & sacramenti, si confici permitteretur absque ritibus præsertim granibus ad ornatum eiusdem sacreficij iam introductis. Ita dinns Thomas 1. 2. quæst 97, art.3. Caietanus ibidem, sotus, Nauarrus, & alij communiter apud Diana p.8. tract.3. resolur.6. de dispensat. in communi. Et quoad ritus Missæ ducent DD. supra citati in prima difficultate. An autem peccet mortaliter vel solùm venialiter dispensans absque juxta causa, controuersia est inter DD. de qua videri potest Diana loco citato.

Dico secundo. Causæ iustæ dispensandi ad tria capita reducuntur. Prima est necessitas, vel vtilitas publica; si videlicet obseruantia legis, & negatio dispensationis vergeret in damnum alicuius communitatis: vel impediret aliquod maius bonum: tunc enim est magis expediens vt fiat dispensatio, Secundum caput est necessitas vel vtilitas priuata, quo circa debent considerari circunstatiæ Personarum cum quibus dispensatur videlicet virtus, & nobilitas, & aliæ huiusmodi. Vnde Tridentinum sess.25.cap.28 de reformat. mouet habendum esse delectum Personarum, Tertium caput est pietas quando videlicet dispensatio cedit in maius Dei obsequium, & virtutis augumentum. Ita diuus Thomas 22. quæst.63. art.3. & quæst.6. art.4. Sanchez Rodriguez, Salas, & alij quos afferunt Bonacina de leg. disp.1. quæst. 2. punct.3. num.20. & Diana p.8. tract.3. resolut.7. In casu autem nostro de ritibus Missæ hsbenda est ratio diuini cultus, & fructus animarum, & conditionis illius ritus super quo fit dispensatio; maior enim causa exigitur ad dispensandum super aliquo ritu grauiori, & antiquiori, quam in alio inferioris gradus vt notat suarez supra citatus disput.15. sect 3.§. vnde.

Colligitur primo. Posita iusta causa posse licitè a summo Pont. dispensari cum cæco qui scit memoriter E.g. totum canonem, & ea quæ dicuntur communiter in qualibet Missa; posse inquam dispensari vt Missam celebret cum assistentia alterius sacerdotis supplentis ea quæ cæcus per se ipsum exequi non potest E.g legentis vice celebrantis epistolam, & Euangelium (cum hæc etiam in Missa solemni per ministros dicantur) Item colligentis fragmenta &c. Iusta autem causa esse poterit vel necessitas publica vt si cæcus sit Episcopus in partibus remotioribus vbi non sit alius qui possit conferre ordines sacros; vel insignis virtus & sanctitas alicuius sacerdotis cæcitate laborantis, ex cuius celebratione speretur notabilis animarum fructus: vel similes causæ. Ratio est quia cæcus potest validè consecrare materiam quam scit esse præsentem quamuis illam non videat: item potest perficere alia quæ pertinent ad integritatem sacreficij per sumptionem sacramenti. Ita Ioannes propositus Coninh. & alij quos affert, & sequitur Diana p. 5. tract. 6. resolut. 17. Imo sotus in 4. distinc. 9. quæst. 1. art 2. refert de facto dispensatum fuisse, & se vidisse Tridenti quendam episcopum cæcum ex dispensatione summi Pont, celebrantem sacrum; & notat Diana supra.

Colligitur Secundo. Quid sit dicendum de omnino Surdo & vtraque aure: de quo controuersia est inter DD; an sit irregularis. Negat enim Henrriquez lib.14. cap. 8. n. 3. Ioannes præpositus in 4. p. diui Thomæ de irregularitate quæst. 5. dub. 14. num. 113. Capsensis tom. 2. tract. 25. disp. 5. sect. 16 num. 107. & iudicat etiam Suarez de Censuris disput. 52. sect. 2. num. 13. Communis tamen DD. sententia longè probabilior affirmat; iuxta quam sententiam quamuis surdus non possit promoueri ad ordines sacros absque dispensatione Summi Pont quæ ex iuxta causa concedi potest; si tamen surditas adueniat alicui post susceptum Sacerdotium; dicendum est hunc posse celebrare saltem Missam priuatam, aut in priuato sacello absque alia dispensatione vt tradit Nauarrus in consilijs lib. 1. cons. 7. & 8. de corpore vitiatis ædit 2. & alijs allegatis docet, Bonacina de irregularitate disp. 7. quæst. 2 pun. 2. num. 7. Layman infra citaadus cum alijs Et esto indigeret dispensatione vt videntur tenere Maiolus, Viualdus, & alij apud Dianam p. 5. tract. 6. resol. 22. facilè potest ei concedi: quia audire Ministrum respondentem non est adeo necessarium vt facilè in hoc dispensari non possit. Tandem certum est illum qui vna tantum aure surdus est, & dicitur surdaster non esse irregularem; & sic posse absque dispensatione promoueri ad sacerdotium & celebrare vt communiter asserunt supracitati.

Colligitur tertio. Sacerdotem claudum non indigere dispensatione ad sacrum faciendum: quia simpliciter loquendo hic defectus non inducit irregularitatem: Nisi magna esset

in

in eo gressus deformitas vel vti deberet bacnlo vel pede ligneo in Altari: Tunc enim esset irregularis ob indecentiam; & indigeret dispensatione vt tradunt Nauarrus Molina, Vgolinus, & alij apud Bonacinam supra num. 14. & docet etiam Layman lib. 1. tract. 5 p 5. cap 7 num. 4. Hæc autem dispensatio concedi potest proculdubio a Summo Pontifice ex iusta aliqua causa, iuxta supradicta. Potest etiam summus Pont. dispensare cum eo qui non potest stare seu se sustentare, vt celebret vel sedendo, vel absque genuflexionibus. Et de facto (vt habetur in Diarijs Romanis Magistri cæremoniarum) Pius II. secum dispensando solitus erat celebrare sedendo.

Colligitur quarto. Posse summum Pont. dispensare cum eo qui laborat Chiragra vel debilitate digitorum, aut tremore manuum: & ideo est impotens ad eleuationem, & fractionem hostiæ: posse inquam Papam cum eo dispensare vt Missam secreto celebret omissa eleuatione vel fractione; quia sunt ritus accidentales: requiritur tamen grauis causa: quia sunt ritus graues. Ita Petrus de Ledesma sum. tom. 1. de Euch. cap. 24. conclus. 10. Vbi ponit exemplum de fractione, & Franciscus Lugus de Sacramentis lib. 5 cap. 9. q 3. Loquens tam de eleuatione quam de fractione. Melius tamen, & facilius dispensari posset non vt omittatur eleuatio & fractio prædicta, sed vt vt fiat ministerio & adiutorio alterius sacerdotis assistentis celebranti.

Colligitur quinto. Posse dispensari à summo Pont vt quis celebret absque ministro E.g. cum eo qui vitam Eremiticam ducere vellet; nec opus est causa vel de grani, quia hic ritus non est tanti momenti vt fusius dicemus p. 2, com. tit. 2. dub. 1.

Colligitur sexto. Posse dispensari à summo Pont vt celebretur Missa & fiat consecratio in pane fermentato, vel in vino absque aquæ admixtione, item sine altari, vel vestibus sacris & extra locum & tempus in rubricis præscriptum: quia hi ritus neque pertinent ad substantiam sacrificij, neque sunt iuris diuini sed solius Ecclesiastici vt de singulis in suis proprijs locis dicendum est. Nunquam tamen dispensat summus Pont. in Altari, & vestibus sacris quia vix dari potest causa proportionata, sed potius concedit vt vbi non sunt Episcopi consecretur Altare à simplici sacerdote, & benedicantur vestes ab eodem.

Colligitur septimo. Posse dispensare summum Pont. vt quis non ieiunus celebret vel communicet, quia præceptum ieiunij naturalis ante communionem est iuris Ecclesiastici, & de facto dispensatur cum infirmis, raro autem cum alijs: refert nihilhominus Fantianus strada libro 1. de bello Belgico Iulium tertium dispensasse cum Carolo V. propter debilitatem stomachi Item refert Martinon tom. 3. disput. 35. Paulum V. dispensasse cum quadam Matrona Lemouicensi vt post cibum communicaret in remedium maleficij quo affligebatur.

TERTIA DIFFICVLTAS.

An posita iusta causa teneatur S. Pont. dispensare in supradictis casibus.

Respondeo, & dico primo. Communiter non tenetur. Probatur, quia communiter dispensatio est concessio gratiosa, manans ex liberalitate Pont vt patet ex cap. didici 1. q 7. & ex cap. postulasti de cler. excom. ministr. nemo autem tenetur communicare dona gratuita quæ pendent ex liberalitate concedentis. Ita Panormitanus felinus, Decius, & alij quos citat, & sequitur Sanchez de matrimonio lib. 3. disput. 20. n. 3. suarez layman, Coninh. & alij quos citat, & sequitur Bonacina de leg. disput. 1. q. 2. pun. 3. n 22 de dispensationibus in communi. Dixi dispensatio manans a summo Pont. qui superiorem non habet: nam alij inferiores quibus delegatur facultas dispensandi a summo Pont. communiter tenentur exequi, pro vt illis præcipitur ab ipso summo Pont. Ita DD. citati.

Dico secundo. Quandoque tenetur summus Pon. dispensare si recta ratio dictet dispensationem esse necessariam in bonum publicum vel etiam priuatum: & potest nasci obligatio, vel ex lege iustitiæ, vel charitatis. Probatur, quia duplex distinguitur dispensatio in iure, altera gratiosa, de qua supra ex cap. citato, Didici: altera debita ex cap. Quanto a nobis 2. q. 4. Ratio est quia potestas dispensandi commissa est Prælatis in bonum Ecclesiæ tum commune, tum priuatum subditorum: ergo quando illius exercitium est necessarium communi bono; tenentur ex iustitia, & ex vi sui muneris despensare: vel saltem ex charitate quando dispensatio est necessaria ad obuiandum damno notabili postulantis. Ita DD. supracitati; & alij quos affert, & sequitur Diana p. 8 tract. 5 resolut. 7.

Colligitur primo. Teneri summum Pont dispensare quando dispensatio est necessaria ad præcauendum publicum scandalum, vel graue periculum animarum: vel si sit medium necessarium ad propagandam fidem, vel ob similem causam. Diana citata resol. 27.

Colligitur secundo. Non teneri Sacerdotes inhabiles vel impeditos procurare dispensationem vt possint implere præceptum celebrandi aliquoties in anno: quia prædicta non obligant ad media extraordinaria. Sic Sacerdos cæcus

E. g. non tenetur adhibere socium vt possit recitare horas vt docent communiter DD. de horis Canon. Nec ad seruandam integritatem materialem confessionis tenetur quis scribere peccata, vel confiteri per interpretem ad implendum præceptum annuæ confessionis, vt tradunt DD. de Sacram. pœnit.

PVNCTVM VII.

An qualitas Missæ cadat sub præcepto.

QVod est etiam quærere an Rubricæ præscribentes Missæ qualitatem sint præceptiuæ necne. Præmittendum est ritus Missæ esse in duplici differetia. Quidam spectant ad Missæ integritatem; quidam vero ad eiusdem qualitatem. Priores consistunt in verbis & actionibus celebrantis, ex quibus missa componitur E. g. in introitu, orationibus, in Epistola & Euangelio in Canone &c. Item in benedictionibus & signis crucis in mixtione aquæ cum vino eleuatione hostiæ fractione &c. quæ õnes partes sunt materia præcepti vt supra explicauimus. Posteriores consistunt in conformitate vel diuersitate missæ cum officio E. g. vt dicatur Missa de feria, vel de Sancto, votiua, vel de requiem; de quibus ritibus modo inquirimus an cadunt sub præcepto.

Prima sententia negat esse præceptiuas & sustinet rubricas disponentes de illis, solum consulere & esse directiuas; atque adeo nullum esse peccatum variare huiusmodi ritus præscriptos circa Missarum qualitates seclusо scandalo. Ita Suarez de Sacram. tom. 3. disp. 83. sect. 3. citans Syluestrum Sotum victoriam & alios, sequitur etiam Portel. in dub. regul. verbo Missa num. 1. Filiucius tract. 5. cap. 5. num. 140 al alij apud Dianam de celebrat. Missæ p. 2. resol. 30. Scortia, Peyrinis & alij quos citat & sequitur Niger in addit. ad Ruiz. par. 1. præsupposito 1. q. 17. & nouissime Brunosius Priuileg. par. 2. tract. 8. cap. 1. propos. 3.

Probatur primo. Quia præceptum Pij V. de seruandis ritibus intelligendum videtur de illis tantum, qui pertinent ad Missæ integritatem; vt nihil eorum omittatur & nihil eis addatur; Ergo ritus pertinentes ad qualitates Missarum non cadunt sub præcepto, & rubricæ de illis disponentes sunt directiuæ.

Probatur secundo. Quia sacerdotes non tenentur quotidie celebrare, & possunt absque peccato omittere Missam; Ergo posito quod velint liberè celebrare; possunt etiam dicere Missam quam voluerint. Probatur consequentia quia si non tenentur Missam recitare: Ergo neque tenentur talem dicere in particulari.

Secunda sententia probabilior docet prædictas rubricas in ordine suo esse præceptiuas & obligare saltem sub culpa veniali. Probatur summus Pont. præcipit simpliciter & absolutè seruari ritus in Missali præscriptos circa Missæ recitationem: ergo siue ritus pertineant ad Missæ integritatem siue ad qualitatem omnes cadunt sub præcepto.

Probatur secundo. Eodem modo præcipitur in Breuiario vt recitetur officium iuxta ritum ibidem ordinatum, ac præcipitur in Missali vt dicatur Missa iuxta ritum ibidem expositum; sed præceptum Breuiarij cadit non solùm super integritatem officij sed etiam supra qualitatem eiusdem; vt communiter fatentur DD. in tract. de hor. Canon Ergo pariter dicendum de præcepto Missalis respectu Missæ.

Respondent aduersarij discrimen esse, quia sacerdotes tenentur quotidie recitare officium; vnde nil mirum si hac die ad tale officium determinatè obligentur: non tenentur autem quotidie celebrare: & ideo possunt liberè dicere Missam quam voluerint. Contra posito quod velint celebrare obligantur seruare ritus in Missali præscriptos: alioquin possent aliquid omittere pertinens ad Missæ integritatem quod est apertè falsum: ergo tenentur etiam seruare ritus circa Missæ qualitatem; nam præceptum non distinguit, & extenditur consequenter ad omnes ritus.

Confirmatur præceptum ieiunij naturalis ante communionem obligat omnes fideles, siue ex præcepto siue ex deuotione communicent: Ergo ex eo quod sacerdos celebrare velit ex sola deuotione non sequitur eum non teneri seruare ritus pertinentes ad qualitatem Missæ. Ex quibus patet ad argumenta primæ sententiæ.

Diximus autem initio has rubricas circa qualitatem esse præceptiuas in ordine suo; quia satis probabile est non inducere obligationem grauem & sub peccato mortali; sed solum sub veniali. Quia nõ magni refert vtrum hæc potius Missa dicatur, quam alia ex approbatis in Missali; maximè autem refert vt integrè & perfectè Missa recitetur absque mutilatione partium ex quibus componitur. Et sicut minus malum est causare in aliquo mutationem coloris vel similis accidentis, quam illum mutilare, abscindendo aliquod membrum; ita in casu nostro multo minus peccatum est variare cæremonias & ritus pertinentes ad solam Missæ qualitatem, quam alios pertinentes ad eius integritatem: vnde sequitur satis probabile esse variationem huiusmodi non excedere culpam venialem. Imò posita causa rationabili nulla erit culpa. Ita Henriquez lib. 9. cap. 25. num. 5. Miranda Dicastillo de Sacram. tom. 1. tr.

1. tr. 5 dub. 14. Miranda tom. 1. quæst. 41. art. 21 Villalobos tom. 1. tract. 8. diffin. 31. Garzia de Sacerdotio tract. 3. diffic. 8. dub. 6. pun. 2. num. 23. Tamburrinus Opusc. de Sacrif. lib. 2. cap. 6. § 1. num. 6. & alij quos citat sequitur Diana p. 2. tract. 14. resolut. 30. vbi solum excusat prædictos à mortali. Hæc autem intelligi debent de Missis priuatis: nam celebrare Missam solemnem directè contra Rubricas videtur peccatum mortale vt notat Suarez de Sacrament. disput. 83. sect. 3.

Colligitur primo, Valetudinarium vel aliàs debilem qui nimium defatigaretur in Missa longiori, E. g. Dominicæ Palmarum, posse licitè in priuato oratorio dicere Missam votiuam de Passione; ne se & Ecclesiam priuet fructu sacrificij. Ratio est quia cum obligatio dicendi Missam currentem leuis sit & subuenialis; non requiritur causa valdè grauis vt quis ab ea excusetur. Ita Tamburrinus supra num. 22. Dixi in priuato oratorio ad remouendum scandalum. Et eadem ratione Sacerdos, qui ob debilitatem oculorem legere non potest ex Missali, poterit quotidie recitare eam Missam quam tenet memoriter etiam in festis duplicibus secluso scandalo, vt supra notauimus pun. 4. diffic. 4.

Colligitur Secundo. Posse contingere vt in prædicta mutatione committatur peccatum mortale ratione scandali si E. g. in Ecclesia publica in die Paschatis quis diceret Missam de requiem vel similem vt cum alijs notat Auersa de sacref. q. 11. sect. 12.

Colligitur tertio. Si quis teneretur ex voto celebrare Missam votiuam E. g. B. V. tali die, eum non posse licitè eam dicere si in eundem diem incidat festum duplex: nec votum esse causam excusantem ab obligatione legis Ecclesiasticæ id prohibentis: quia votum non debet impedire melius bonum, quale est seruare ritum ab Ecclesia præscriptum, & conformitatem Missæ cum officio. Nec etiam excusat promissio homini facta: quia hæc intelligi debet saluo ritu ab Ecclesia præscripto: quod amplandum etiam si promissio fuerit iurata: quia iuramentum non obligat contra legem vt videri potest apud Sanchez sum. Lib. 3. cap. 9. n. 19. & etiam quia satisfieri potest illi promissioni per æquiualens applicando Missam currentem vt docet Tamburrinus Opusc. de sacrif. lib. 2. cap. 6. § 2. & 3.

Colligitur quarto. Si superior præcipiat Sacerdoti vt tot Missas dicat votiuas vel de requiem primis diebus sequentibus: e. sicuti presbyteris nouiter ordinati solet iniungere Episcopus vt post primam Missam celebrent vnam de Spiritu Sancto alteram de B. V. & c. vel si confessarius quid simile in pœnitentiam iniungat; sacerdotem prædictum non posse eas Missas votiuas dicere in die Dominica vel festi duplicis: quia præceptum intelligitur de primis diebus non impeditis, & saluo ritu Ecclesiæ: nec enim possunt inferiores Prælati, & multò minus confessarij in legibus Ecclesiasticis dispensare: nec in prædictis casibus adest iusta causa dispensandi ita Tamburrinus supra § 5. n. 2. & 3.

SECTIO III.

De obligatione nihil omittendi in recitatione Missæ.

HActenus disputauimus de obligatione rubricarum magis in communi; nunc descendimus ad ea quæ in particulari in eisdem regulis Missalis continentur, & seruari præcipit Pius V. in Bulla initio Missalis apposita: reducuntur vero ad tria capita. Primum est vt nihil prorsus omittatur ex titibus in Rubricis præscriptis. Secundum vt nihil eis addatur. Tertium vt nulla fiat in eis mutatio. Verba autem Bullæ sunt hæc: Nihil vnquam addendum, detrahendum, aut immutandum esse decernimus quo ad titus &c. de quibus breuiuer dicendum est, & primo in hac sectione circa omissionem tum verborum tum actionum opere pretium videtur discurrere per singulas partes Missæ.

PVNCTVM I.

De partibus Missæ extraordinarijs seu Mobilibus.

Quale peccatum sit illas omittere.

SVnt aliquæ partes in Missa quæ non semper ingrediuntur eius compositionem; sed adduntur quandoque ad maiorem solemnitatem vel ornatum. Huismodi sunt Gloria in Excelsis, Credo. Sequentiæ post Epistolam; & quandoque dicuntur plures Epistolæ: item in Canone ad orationem Communicantes, & Hanc igitur oblationem in præcipuis festis nonnulla verba adduntur. Quærimus ergo quale peccatum sit has partes omittere. Prima sententia sustinet prædictarum partium omissionem esse peccatum mortale posita materia notabili. Probatur quia prædictæ partes comprehenduntur æque ac aliæ sub præcepto Pij V. Ergo &c. Probatur antecedens tum quia recitari debent ex præscripto rubricarum in proprijs Missis. Tum quia sunt partes vel æque dignæ, vel digniores alijs extra Canonem, præsertim Gloria, Credo: Ergo sunt materia grauis præ-

ce-

cepti. Ita Nugnus, Ledesma, Huertas, & alij apud Garziam de sacerdotio tract. 3. diffic. 8. pun. 2. num. 17.

Secunda sententia Probabilior excusat a peccato mortali prædictarū partium omissionem. Probatur tunc omissio alicuius partis Missæ est peccatum mortale, quando propriè, & in rigore est quedam mutilatio eiusdem Missæ circa partes necessarias ad vsitatam eius integritatem; sed omissione prædictarum partium non mutilatur verè, & propriè ipsa Missa; quippe remanet cum partibus consuetis, & consequenter simpliciter integra; ergo omissio prædicta non est peccatum mortale. Quamuis excusari non possit à culpa veniali; quia priuatur Missa illo maiori ornatu superaddito, & debito. Ita Suarez tom. 3. de Sacram. disp. 83. sect. 3. Filiucius tract. 5. cap. 5. n. Quintanaduennas in Theologia morali tract. 7. singul. 39. Cardinalis de Lugo, Marchinus Granado, & alij quos affert, & sequitur Garzia loco supracitato, & Diana p. 2. tract. 14. resolut. 59.

Ad argumentum oppositæ sent. Respondetur præceptum Pij V. cadere super omnes partes Missæ respectiuè, & data proportione; videlicet super partes absolutè necessarias ad Missæ ingritatem cadere simpliciter, & in omni rigore; super partes vero extraordinarias, & magis accidentales quæ quandoque superadduntur, tanquam super materia leui, & ideo earum omissio non excedit culpam venialem.

Colligitur primo. Sacerdotem omittentem in principio Missæ Psalmum Iudica me Deus non peccare mortaliter quia idem psalmus non semper ingreditur compositionem missæ, & secundum rubricas omittitur non solùm in Missis defunctorum, sed etiam tempore passionis

Colligitur secundo. Omittentem Gloriam vel Credo, vel sequentiam vel similem partem ex supra enumeratis non peccare mortaliter sed solum venialiter etiam si voluntariè omittat ob rationem supra explicatam, & docent DD. allegati pro secunda sententia.

Colligitur tertio Quando in Missa sunt plures Epistolæ non fore peccatum mortale si celebrans vnam tantum recitaret omissis alijs, & seclusso scandalo; quia sunt partes extraordinariæ, ita cum alijs Quintanaduennas loco supracitato, & idem dicendum si quando plures orationes assignantur dicendæ in Missa celebrans vnam tantum dicat alijs omissis; quia aliæ non pertinent ad necessariam Missæ integritatem DD. supracitati,

Colligitur quarto. Quid sit dicendum de omittente plures simul ex prædictis partibus vel omnes in eadem Missa: nam DD. citati id non explicant, sed loqui videntur de prædictis partibus singillatim sumptis non collectiuè; dicendum enim videtur neque prædictam omissionem fore peccatum mortale: Eò quia adhuc Missa remanet simpliciter integra cum suis partibus consuetis.

PVNCTVM II.

De partibus ordinarijs Missæ à principio vsque ad Canonem.

Quale peccatum sit earum omissio.

Loquimur hic de partibus Missæ quæ cōstituntur in verbis nō de ritibus qui consistunt in actione dicemus in vltimo puncto; appellamus autem partes ordinarias illas quæ semper ingrediuntur Missæ compositionem saltē quando non est Missa de requiem, in qua nonnulla omitti debent quæ in alijs Missis pertinent ad vsitatam integritatem.

Respondeo, & dico primo. Omissio harum partium est peccatum mortale ex genere suo. Probatur talis omissio directè, & per se opponitur præcepto Pij V. supra explicato sect. 2. Ergo posito quod sit omissio alicuius partis notabilis est peccatum mortale in indiuiduo, & solum ratione paruitatis materiæ transit in veniale, vt docent communiter DD. supra allati ca sect. 2. pun. 2 Difficultas hic consistit in ferendo iudicio de singulis partibus in particulari quæ nam ex illis censenda sit materia grauis seu notabilis, quæ autem leuis & modica.

Dico secundo. Partes notabiles seu principales Missæ (extra Canonem) videri sequentes. Prima est initium Missæ videlicet confessio, quæ comprehendit non solum Confiteor, sed omnes illas preces quæ dicuntur a sacerdote ante gradus Altaris cum ministro; quamuis enim hæc pars non videatur ex dignoribus; hoc ipso tamen quod est vsitatum principium Missæ, non videtur omitti posse absque notabili deformitate, & consequenter absque peccato mortali.

Secundo inter partes principales, & necessarias ad Missæ integritatem numeratur Epistola. Tertio à fortiori Euangelium; Quarto oblatio tum hostiæ cum forma verborum qua perficitur videlicet Suscipe sancte pater &c. Tum Calicis cum sua forma verborum offerimus tibi Domine &c Quinto numeratur etiā præfatio inter partes notabiles Missæ. Ita Suarez tom. 3. in p. 3 disp. 83 sect. 3. vbi ponit exemplum de Epistola, & Euangelio. Quintanaduenna. Theol. mor. tr. 7. sing. 39. Garzia de sacerd. tract. 3. difficult 8 pū. 1 & sequentib. Filliuc. tom. 1. tract 5. cap 5. quæst. 7. Premoli in memoriali clericorum p. 3. cap. 9. Auersa de sacrif quæst. 11. sect. 12. vers. Quare. Ex quibus

quibus colligitur omissionem totalem cuiuslibet ex prædictis partibus E. g. totius Epistolæ &c. esse peccatum mortale; E contra vero omissionem alicuius ex reliquis partibus quæ non sunt notabiles solum esse peccatum veniale, vt si quis E. g. omittat graduale vel tractum aut similem partem. Vnde nimis rigidè Bonacina de sacram. disp. 4. quæst vlt. pun. 10. n. 15. damnat peccati mortalis omittentem offertorium, si hoc nomen in propria significatione vsurpet, videlicet pro versiculo qui dicitur post Oremus ante oblationem hostiæ; sed fortè ipse nomine offertorij intelligere voluit etiam oblationem hostiæ, & Calicis cum suis orationibus, de quibus non est dubium ex supradictis earum omissionem esse peccatum mortale, posito quod sit voluntaria.

Dico tertio. Si celebrans omittat plures ex partibus modicis, & non præcipuis; vel plures versiculos partium præcipuarum seu notabilium in vna, & eadem Missa, ita vt omnes simul sumptæ conflent materiam notabilem, eum peccare mortaliter est communi DD. sententia. Ratio est quia ex omnibus omissionibus simul sumptis resultat grauis mutilatio Missæ, & consequenter grauis deformitas contra præceptum integre recitandi Missam; sicut in simili de recitatione diuini officij asserunt DD. in tractatu de horis Canonicis.

Quæ autem quantitas sit censenda notabilis (loquimur modo extra Canonem.) Dicendum videtur si tot verba aut versiculi omittantur quæ adæquent quantitatem integræ Epistolæ, aut Euangelij; omissionem censeri notabilem, & materiam peccati mortalis vt colligitur ex citatis DD. quod intelligi debet de Epistola mediocris quantitatis non nimis prolixæ, nec nimis breuis.

PVNCTVM III.

De Canone vsque ad orationem Dominicam excepta consecratione.

Quale peccatum sit aliquid illius omittere.

CAnon inter partes Missæ est omnium sacratissima, & sublimioribus referta mysterijs, vt suis suo loco explicabimus. de quo est.

Prima difficultas. Vnde incipiat Canon Missæ, & quousque extendatur.

Respondeo quoad ad principium concordant ferè communiter DD. Canonem incipere ab illis verbis. Te igitur &c. quamuis aliqui velint illum incipere ab oratione Communicantes, vel ab alia qui pridie, qui videri possunt apud Dianam p. 10. tract. 11. resolut. 6.

Quoad secundum quousque extendatur Canon magis variant DD. Aliqui enim sustinent Canonem compleri totum id quod legitur in Missali ab illis verbis Te igitur vsque ad sumptionem Sacramenti. Ita Suarez. to. 3. de Sacram. disp. 83. sect. 2. initio. Ratio videtur esse quia totum id continetur sub titulo Canonis Missæ vt patet ex Missali.

Communis tamen, & probabilior sententia defendit Canonem extendi solum vsque ad orationem Dominicam exclusiuè, & compleri illis verbis per ipsum, & cum ipso, omnis honor, & gloria &c. Probatur ex diuo Gregorio Epistola 63. vbi ait orationem Dominicam recitari post Canonem. Probatur etiam quia oratio Dominica dicitur in Parasceue quando omittitur Canon. Hanc sententiam sequuntur Alcuynus Amalarius, & alij quos affert Gauantus in rubricas Missalis p. 2. tit. 10. littera p. docet etiam Durantus de ritibus Ecclesiæ lib. 2. cap 44. fine Bellarminus de sacref. Missæ lib. 2. cap 26. Herrera de sacrif. p. 3. cap. 6. Garcias de sacerdot. tract. 3. difficul: 8. puu 2. n. 10. qui alios citant, imo ipse Suarez tandem approbat eadem sect. 2. § octaua pars circa finem.

Secunda difficultas. Quæ pars sit censenda notabilis in Canone ita vt eius omissio sit peccatum mortale.

Prima sententia docet singula verba Canonis censeri materiam grauem; consequenter vel vnius verbi omissionem voluntariam esse peccatum mortale. Ita Nugnus in p 3. quæst. 83. art. 1, dub. 2. & alij quos tacito nomine citat Suarez supra dispon. 83. sect. 3. Fauet huic sententiæ quædam declaratio sacræ rituum congregationis 12. Nouembris 1615. qua decretum fuit regulares peccare mortaliter si in Canone Missæ loco Episcopi proferant nomen sui Generalis, vt referunt plures DD. apud Dianam 2. p. tract. 14. resolut. 14 Hæc tamen sententia reijcitur communiter tanquam nimis rigida & indiscreta & re vera caret fundamento vt videri potest apud Dianam p. 5 tr. 5. resolut. 45.

Secunda sententia communis & vera sustinet dari materiã leuem seu modicam in partibus Canonis atque adeo omissionem leuem quæ non excedit peccatum veniale. Ita Suarez Garzia locis citatis Quintana duennas in Theol. mor. tract. 7. sing. 39. Fillilucius tract. 5. cap. 5. num. 155. & alij quos citat & sequitur Diana loco citato: Probatur quia non est maior ratio de præcepto Canonis ac de alijs multis in materia religionis & cultus diuini. E. g. voti & rituum in administrandis alijs sacramentis Pro resolutione.

Respondeo & dico primo ea quæ continentur in Canone cadunt sub strictiori obligatione &

ne & magis rigorosa, consequenter pronunciari debent maiori cura & deligentia. Probatur quia sunt propinquiora sacrificio & sacratiori lege sancita a tempore Apostolorum; vnde sequitur facilius deuiniri ad materiam grauem & peccatum mortale in omissione verborum Canonis quam in alijs partibus Missæ, ita omnes DD. citati pro prima & secunda sententia.

Dico secundo in omissione verborum Canonis datur culpa venialis ratione paruitatis materiæ, vt docent auctores secundæ sententiæ. Quod si plura verba omittantur quæ constituant materiam notabilem, omissio erit peccatum mortale. Punctus ergo difficultatis consistit in assignanda quantitate verborum seu numero in quo consistat quantitas notabilis & sufficiens ad peccatum mortale, & quot verba è contra sint materia leuis, & eorum omissio veniale peccatum.

Conuenit autem inter omnes DD. esse peccatum mortale omittere integram orationem ex illis quæ continentur in Canone E. g. totam orationem communicantes vel Hanc igitur & sic de alijs, non explicant autē an omittere mediatatem vel quartam partem aut similem sit peccatum mortale, sed communiter prudentis arbitrio decidendum relinquunt.

Dico tertio. Certum est si tot verba omittantur vt destruatur vel minuatur notabiliter significatio vel representatio misterij cuiuslibet ex orationibus prædictis, omissionem fore peccatum mortale; quia perinde est ac omittere eandem orationem.

Dico quarto. Si non destruatur sensus; secundum aliquos duo solùm verba sunt materia leuis vt loquitur Suarez supracitatus cum alijs: consequenter omissio trium verborum secundum hanc sententiam esset graue peccatum. Alij etiam octo vel decem nomina sanctorum asserunt esse materiam leuem excusantem omissionem a peccato mortali, plura autem verba supra decem esse materiam grauem, & peccati mortalis. Ita Bernal. de sacram. disp. 6. sect. 5. n. 93. Alij tandem media via incedunt, & dicunt, quatuor vel quinque verba esse materia leuem quorum omissio non excedir culpam venialem: quod si plura omittantur, committitur peccatum mortale. Ita Garzias de sacerdot. tract. 3. difficul. 8. dub. 6. pun. 2. Cui sententiæ tanquam probabiliori adhæreo; quæ intelligi debet posita sufficienti deliberatione: nam ex inaduertentia inuincibili seu ex defectu deliberationis certum est quamcumque omissionem excusari a culpa.

Ad declarationem sacræ Congregationis supra allatam respondetur illam mutationem Episcopi loci in Generalem religionis damnari peccati mortalis posito contemptu vel animo inducendi nouum ritum: consequenter si religiosus aliquis bona fide pronunciaret nomen sui Generalis, & omitteret nomen Episcopi absque contemptu vel animo predicto non peccaret nisi venialiter vt docet Grazias loco citato, & Tamburrinus Opusc. de sacrefi. lib. 2. cap. 9. §. 3.

Dico quinto omittere ea quæ superaddi solent ad orationem communicantes Canonis Missæ in præcipuis festis non excedere culpam venialem; quia sunt partes extraordinariæ, de quibus fusè diximus in primo puncto. Atque de his partibus superpositis non autem de alijs intelligendus est Verricelli in suis quæstionibus moralibus tract. 8. quæst. 58. n. 10. vbi ait omissionem quinque versuum in Canone, fieri posse vt non sit nisi peccatum veniale attenta qualitate &c. nam idem Verricelli citat ibi pro se Dianam, qui loco allegato id non asserit nisi de partibus quæ tempore Paschali super adduntur in ea oratione communicantes. Vnde si idem asseratur de partibus ordinaris ipsius Canonis falsa erit opinio, & contra communem sensum DD.

PVNCTVM IV.

De peccato omissionis circa formam consecrationis.

Respodeo, & dico primo de consecratione corporis. Forma consecrationis corporis consistit in illis verbis. Hoc est enim Corpus meum, quæ omnia sunt assentialia præter particulam enim; consequenter singulorum verborum omissio (excepta particula enim) est grauissimum sacrilegium: quia, & destruitur sensus eiusdem formæ, & non conficitur sacramentum vt patet ex communi doctrina de sacramentis in genere, & docet diuus Thomas 3. p. quæst. 78. art. 2. quem sequuntur omnes DD. infracitandi.

PRIMA DIFFICVLTAS.

Circa verbum est. Vtrum Ly est exigatur ad essentiam consecrationis vt expresse positum, & voce prolatum; vel sufficiat subintellectum seu positum implicitè.

Prima sententia sustinent ly est requiri quidem ad essentiam consecrationis, vt obsolutè necessarium (quod nemo catholicorum negat) non esse tamen absolute necessarium sic exterius, & voce prolatum seu ex processè positum; sed sufficere implicitum; consequenter validè consecraret sacerdos proferens illa sola verba Hoc corpus Meum; quia posita intentione consecrandi subintelligitur Verbum est.

Pro-

Probatur primo. Quia verba cuiuslibet formæ Sacramentalis eo modo concurrunt ad essentiam formæ, & ad conficiendum Sacramentum, quo concurrunt, & sufficiunt ad significationem à Christo intentam: sed ly est in casu nostro licet voce non exprimatur nihilominus iuxta receptum loquendi morem & stilum tacitè inest, & omnino subintelligitur consequenter verè concurrit ad eandem significationem a Christo intentam, ac si voce exprimeretur: idemque sensus habetur; ergo sic tacitum, & subintellectum sufficit ad essentiam consecrationis, & ad conficiendum Sacramentum. Maior est certa probatur Minor tum ex latinis scriptoribus, tum ex alijs sacris, & profanis E. g. in Psalmo 45, vers. 1, Deus Noster refugium, & virtus, adiutor &. Et vers. 8 Dominus virtutum nobiscum, Susceptor noster Deus Iacob. Et Psalmo 115 vers. 1. Ego seruus tuus, & filius Ancillæ tuæ, & alijs similibus, in quibus subintelligitur Verbum est, quamuis non exprimatur: & idem sensus est ac si exprimeretur: cum autem Psalmi primo lingua Hæbrea conscripti fuerint, deinde in Græcam a septuaginta interpretibus conuersi & tandem in latinam translati fuerint, prædicta exempla probant hunc loquendi morem in triplici lingua prædicta: ergo in casu nostro verba consecrationis: Hoc corpus meum eundem reddunt sensum, quem redderent si cum verbo expresse addito Hoc est corpus meum pronuntiarentur.

Probatur secundo. Quia in Græcis codicibus non habetur in Euangelio verbum est in forma calicis apud Lucam: Ergo verisimile est non fuisse expressum à Christo: vel saltem non esse necessarium omnino vt exprimatur: alioquin Euangelista illud non omisisset. Ita sentiunt aliqui quos tacito nomine allegat Coninh. de Sacramentis quæst. 78. art. 3. dub. 2. num. 34. & inter recentiores hanc sententiam mordicus defendit Bernal de Euchar. disp 39. sect. 2. § 1. Non negant tamen huius sententiæ auctores grauissimè peccare eum, qui voluntariè omitteret expressam prolationem illius verbi, est, in consecratione; quia in re tam graui, & sacra impium est recedere a ritu Ecclesiæ summa deligentia obseruatum in omnibus lyturgijs, & in Canone Missæ. Addit tamen Bernal loco citato non peccaturum sacerdotem qui illud verbum reticeret ad vitandam mortem sibi ab aliquo comminatam non in odium fidei, sed in alium finem indifferentem. Cæterum hæc sententia merito ab omnibus reijcitur vt apertè falsa, & non nihil fauens Hæreticis nouatoribus asserentibus posse fieri consecrationem absque illo verbo est, quamuis hæretici simpliciter negent illud verbum esse necessarium, & alios errores adiungant.

Vera ergo, & certa sententia est ad valorem consecrationis esse omnino, & simpliciter necessarium ore, & voce exprimere illud verbum est: nec eo omisso consecrationem fore validam. Probatur quia hic est communis sensus Patrum & DD. & videtur etiam traditio totius Ecclesiæ Catholicæ vt fusè explicat Suarez tom. 3. de Sacrament. disp. 58. & 59. sect. 1. & 2. vbi dixit esse erroneum asserere Christum consecrasse absque illo verbo est, & Auersa de Euchar. quæst. 6. sect. 2. initio dicit esse indubitatum sine illo verbo, est, consecrationem fore inualidam, sequitur Coninh loco supracitato cum alijs communiter.

Ratio a priori est quia sine expressione illius verbi, est, non habetur significatio viua, & expressa, sub qua essentialiter instituta fuit forma consecrationis.

Ad opposita, respondetur ad primum retorquendo argumentum. verba scripta verè concurrunt ad eandem significationem quam reddunt eadem verba voce prolata, & nihilominus non sufficiunt ad essentiam formæ neque ad conficiendum Sacramentum (quod nemo negat;) ergo ad essentiam formæ sacramentalis non sufficiunt verba quomodolibet posita: sed opus est vt voce proferantur: nec sufficit quilibet modus significandi, sed requiritur viuus, & expressus. vnde ad argumentum in forma respondetur concessa maiori negatur minor, propositio: quia dato, & non concesso subintelligi illud verbum, est, nihilominus sic tacitè positum non sufficit ad essentiam consecrationis: ad quam requiritur significatio viua, & expressa, & consequenter prolatio verbi ore, & voce: qua ratione DD. communiter asserunt mutationem vocum informis sacramentorum (matrimonio excepto) in signa, & nutus esse substantialem, & contra valorem sacramentorum: cum tamen in signis, & nutibus tacitè insit verbũ quod illis suppletur, vt videre est apud Suarez de Sacramentis tom. 3. disp. 2. sect. 4 in fine.

Tandem nego in casu nostro subintelligi illud verbum est: licet enim quandoque in alijs materijs, & locutionum formulis tacitè subintelligatur, vt in exemplis allatis in argumento: non tamen ita semper contingit; & & in lingua latina illa sola verba Hoc Corpus Meum nullum sensum exprimunt: quia nec ita solemus loqui, vt bene notat Coninh loco citato.

Ad secundum argumentum negandum est antecedens; falso enim Erasmus in primam ad Corint. dixit in Græcis codicibus deesse particulam est, vt probant Suarez, & Auersa locis citatis. sed quidquid sit de hoc, tenendum est vt certum Christum Dominum in consecratione voce expressisse illud verbum:

vnde ex communi sensu Ecclesiæ expressio eiusdem ore, & voce facta, est de essentia consecrationis, & non solum de præcepto.

Colligitur non posse ly est omitti a Sacerdote in celebratione Missæ etiam ad vitandam mortem; quia omissio illa est intrinsecè mala, & graue sacrilegium contra veritatem Sacramenti.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

Quale peccatum sit omittere in verbis consecrationis aliquam literam.

Valdè anxiantur nonnulli sacerdotes, vt nimis distinctè proferant literam S. finalem, vel literam M. in particula meum, & in verbo Corpus, & literam, t, in verbo est.

Respondeo, & dico primo. Quoad valorem consecrationis etiam si omitteretur litera M. in ly Meum, consecrationem fore validam; quia non variatur sensus, vt per se patet. Maior dubitandi ratio est si in verbo est omitteretur litera s; quia mutari videtur significatio personæ tertiæ in secundam eiusdem modi indicatiui. Nihilominus dicendum est si non omittatur eâ intentione variandi sensum, sed ex ignorantia legum gramaticæ, vel ex negligentia: consecrationem fore validam. Ratio est quia, ex contextu sermonis idem habetur sensus. Ita Sotus in quarto distinc. 1. quæst. 1. ar. 8. §. si autem. Granado apud Dianam p. 5. trac. 5. resolut. 39.

Diceris idcirco non variatur sensus in hoc casu; quia subintelligitur litera omissa; ergo etiam in casu præcedentis dfficultatis sufficit ly est subintellectum, quamuis non expressum.

Respondetur negando antecedens, quia in hoc casu literæ omissa non est absolutè necessaria ad significationem nec consequenter ad essentiam formæ; sed solum ad integritatem materialem eiusdem formæ; vnde siue subintelligatur siue minimè manet essentia formæ licet materialiter imperfecta. Cæterum in casu præcedentis difficultatis prolatio verbi est simpliciter est necessaria ad significationem, & essentiam formæ, consequenter omissio destruit ipsam formam. Explicatur exemplo, aliud est enim in generatione hominis E.g non poni corpus, vel non poni quoad partes necessarias; aliud est poni quidem, sed male organizatum: in priori casu non infunditur anima neque habetur essentia hominis, in secundo casu habetur essentia hominis, quamuis ille homo sit materialiter imperfectus; ita pariter in casu nostro.

Dico secundo. Loquendo de culpa, & peccato si omissio alicuius literæ in exemplis allatis procedat ex inaduertentia; omnino excusatur á culpa: si procedat ex negligentia non excedit culpam veniaiem ratione paruitatis materiæ, vt fatentur DD. citati. In gratiam autem scrupulosorum affero huc verba Soti loco citato sic asserentis. Imo inquit quamuis non adhibeatur diligentia proferendi M. finalem in verbo Meum; vel si forte non proferatur T. in verbo est; nullam profecto reor culpam incurri; Deus enim non est tam istarum minutiarum obseruator, hactenus Sotus qui tamen supra docet ex negligentia voluntaria culpam fore veniaiem.

TERTIA DIFFICVLTAS.

Quale peccatum sit omittere particulam enim in consecratione.

Plures DD. affirmant esse peccatum mortale nihilominus. Respondeo cum probabiliori sententia seclusò contemptu omissionem illius particulæ, enim, non excedere culpam venialem, ratione paruitatis materiæ. Ratio est quia ex vna parte non pertinet ad essentiam formæ; ex alia parte valdè breuis est & Modica. Ita Suarez Filliuccius, Tamburrinus locis supracitatis, Hurtado cum alijs quos citat, & sequitur Diana p. 2. tract. 17. resolut. 14.

DE VERBIS CONSECRATIONIS SANGVINIS.

Quale peccatum sit aliquod eorum omittere.

Respondeo. Verba essentialia formæ sanguinis sunt Hic est enim Calix Sanguinis Mei &. Vnde certum est omissionem cuiuslibet ex prædictis esse graue sacrilegium ob rationem supra explicatam in simili de consecratione Corporis, excepta particula enim, de qua idem dicendum est, ac de eadem particula in consecratione corporis ex DD. ibi citatis.

Prima difficultas esse potest an Verbum est sit essentiale vt expressum, & voce prolatum, vel sufficiat implicitum.

Respondetur idem omnino dicendum hic esse ac supradictum est de eodem verbo in forma corporis.

Secunda difficultas de omissione vnius literæ E. g. si non proferatur S. in voce Sanguinis.

Respondetur eodem modo hanc difficultatem

rem esse resoluendam, vt supradictum est de omissione alicuius literæ in forma corporis.

Tertia, & principalis difficultas est de illis verbis quæ adduntur formæ sanguinis videlicet, noui & æterni testamenti &. Quale peccatum sit aliquod eorum omittere.

Respondeo ex communi sententia omissionem singulorum ex dictis verbis esse peccatum mortale, primo quia nonnulli docent cum diuo Thoma supracitato quodlibet illorum pertinere ad substantiam huius formæ; sed quidquid sit de hoc puncto de quo dicemus infra, communiter DD. asserunt singula verba esse saltem de necessitate rigorosi præcepti; quia singula sunt necessaria ad significationem expressam mysteriorum valdè sublimium, quæ in singulis continentur, de quibus infra à nobis dicendum est, videri potest Suarez de Sacramentis tom. 3. disput. 59. sect. 1 Coninh. de sacramentis quæst. 60. art. 8.

PVNCTVM V.

De Oratione Dominica, & alijs vsque ad finem Missæ.

Quale peccatum sit omissio in prædictis partibus.

RESpondeo, & dico primo ea quæ dicuntur in Missa ab oratione Dominica vsque ad communionem; quamuis iuxta probabiliorem sententiam non sint partes Canonis; Nihilominus quoad dignitatem æquiparari videntur partibus Canonis; & ideo similem ferè obligationem habent vt colligitur ex communi sensu DD. Dixi ferè similem; quia cum in rigore non sint partes Canonis, non cadunt omnino sub ea rigurosa obligatione, sed minori.

Vnde infertur esse peccatum mortale omittere integram aliquam partem ex illis E. g. ipsam orationem Dominicam; vel orationem sequentem Libera Nos &c Similiter esset graue peccatum omittere verba, quæ dicuntur in fractione hostiæ, & mixtione cum sanguine; quæ verba cum ipsa mixtione componunt cæremoniam adeo grauem, & sublimem, vt aliqui dixerint eam pertinere ad essentiam sacrificij, quamuis excesserint. Similiter trina repititio Agnus Dei; videtur ritus grauis, & notabilis; quamuis non facilè damnarem peccati mortalis nisi omittentem simpliciter, ita vt nec semel proferre vellet eum versũ, quod si vna vice prolata ea oratione, iterum non repereret, crederem solùm venialiter peccaturum.

Quoad orationes ante communionem certum videtur omnes simul censeri materiam grauem; vnde qui nullam diceret peccaret mortaliter. Quod si quis omitteret primam tantum quæ in Missis defunctorum non dicitur probabile est solùm venialiter peccaturum. Ante sumptionem etiam sanctissimi Sacramenti debet repeti Domine non sum dignus, de qua oratione idem dicendum videtur ac diximus de versiculo Agnus Dei, nempe si semel dicatur vitari peccatum mortale: Tandem oratio quæ dicitur ante sumptionem sanguinis quid retribuam Domino &. Videtur materia grauis, ita vt voluntaria eius omissio non excusetur à peccato mortali.

Dico secundo, alia quæ dicuntur post sumptionem sanguinis vsque ad finem Missæ, certum est non pertinere ad Canonem; vnde quoad earum omissionem eodem modo philosofandum est ac de partibus Missæ ante Canonem; videlicet omissionem tot partium, aut verborum in tota Missa quæ pertingant ad quantitatem integrè Epistolæ esse peccatum mortale.

Dubitatur hic ab aliquibus vtrum Euangelium sancti Ioannis, quod vltimo loco dicitur sit pars integralis Missæ, & consequenter an peccaret mortaliter celebrans qui illud omitteret.

Prima sententia sustinet non pertinere ad integritatem Missæ; sed esse partem superadditam ex supererogatione, non ex præcepto. Probatur, quia sic manifestè colligitur ex verbis quæ prius dicuntur: Ite Missa est, quibus denotatur Missam esse completam. Confirmatur ex cap. cum ad celebrandas dist. 1. quo prohibetur ne populus discedat ante completam Missæ solemnitatem, & sacerdotis benedictionem; vnde ante Euangelium censetur Missa completa. Ita alijs citatis docet Tamburinus opusc. de sacrem. lib. 2. cap. 5. n. 5.

Secunda sententia probabilior docet hoc tempore verè pertinere ad integritatem Missæ quia licet olim non fuerit in vsu; facta tamen ea introductione est vera pars Missæ æque ac aliæ. Ita Suarez de Sacrament. tom. 3. disp. 88 sect. 2.

PVNCTVM VI.

De omissione rituum qui in actione consistunt.

RESpondeo, & dico primo. Hæc omissio est peccatum mortale ex genere suo; loquendo de ritibus exercendis intra Missam seu in ipso actu celebrationis. Probatur quia hi ritus eodem modo cadunt sub præcepto Pij V. sæpius replicato, ac ritus qui consistunt in ver-

in verbis vt supra explicauimus. Vnde si omittatur aliqua cæremonia ex grauioribus, & maioris momenti, omissio erit peccatum mortale in indiuiduo; si vero leuis aliqua cæremonia intermittatur peccatum erit veniale ratione paruitatis materiæ. Ita Suarez tom. 3. de Sacram. disp. 84. sect. 2. cum alijs supracitatis in simili de omissione verborum, quibus adde Azorium tom. 1. lib. 10. cap. 39, quæst. 6. Lezanam sum. verbo Missa num. 58. Gesualdum p. 1. Theol. mor. tract. 15. cap. 4. n. 5.

Dico secundo ritus, & cæremoniæ maioris momenti sunt sequentes. Primo Mixtio aquæ cum vino. Secundo Eleuatio hostiæ, & Calicis post consecrationem. Tertio fractio hostiæ & mixtio particulæ eiusdem cum sanguine. Quinto purificatio patenæ, & Calicis; quia singuli ex prædictis ritibus, vel continent grande mysterium, & ideo graues censentur, vt cum Suar. supra, & alijs probat. Dicalillo de Sacram. trac. 5. disp. 4. dub. 13. num. 259. vel sunt necessarij, vt purificatio, nè quid remaneat cum iniuria Sacramenti. Vnde omissio cuiuslibet ex ritibus prædictis excusari non potest a peccato mortali vt colligitur ex DD. citatis. De sumptione autem Sacramenti quoad vtramque speciem quæ est ritus substantialis dicemus p. 3. de defect.

Quoad reliquas cæremonias E.g. signa Crucis genuflexiones, inclinationes, manuum, & oculorum eleuationes, &c; dicendum est o. missionem paucorum ex dictis ritibus fore peccatum veniale ratione paruitatis materiæ. Si vero plures omitterentur ita vt omnes ritus omissi pertingerent ad quantitatem notabilem arbitrio prudentis, ipsa omissio esset peccatum mortale, vt docent DD. supracitati.

Difficultas esse potest, an peccaret mortaliter sacerdos non quidem simpliciter omittens purificationem Calicis, sed purificationem cum vino, vt si loco vini adhiberet solam aquam.

Respondeo distinguendo si loquamur de prima Calicis purificatione, quæ solo Vino fieri præscribitur; certum est peccare sacerdotem vtentem sola aqua, contra præceptum Bullæ Pij V. & capituli ex parte de celebratione Missarum, vt docent Sanchez Azorius Barbosa, & alij quos citat, & sequitur Tamburrinus opusc. de sacrif. lib. 4. cap. 9. Vtrum autem hoc præceptum obliget sub mortali non constat inter DD. Mihi videtur probabile solum obligare sub veniali, quia non videtur materia tam grauis sicut si omitteretur simpliciter, & absolutè purificatio, vt docet Tamburrinus supracitatus n. 4.

Colligitur eum qui est ferè abstemius non bibens aliud vinum nisi illud modicum consecratum, nullo modo peccare si sola aqua purificet calicem præsertim si non sit facilis recursus ad summum Pont. pro dispensatione: quia hic casus videtur per epicheiam exceptus. Et docet Tamburrinus supra citatur n. 6.

Si vero loquamur de secunda purificatione; & digitorum ablutione, probabile est omittentem vinum, & sola aqua vtentem nec venialiter peccare. Ratio est quia licet hic ritus sit materia præcepti ex supradictis; Nihilominus consuetudo passim recepta etiam apud pios, et doctos interpretata est rubricam illum præscribentem non præcipere sed consulere ita Tamburrinus loco supra citato.

PVNCTVM VII.

De Missa solemni quale peccatum sit aliquid in ea omittere.

Præmittendum est rubricas Missalis maiori rigore obligare ad seruandos ritus præscriptos pro Missa solemni quam pro alijs priuatis; quia sicut solemnis ordinatur ad perfectiorem Dei cultum, & magis publicum; ita ritus, & cæremoniæ debent perfectius, & accuratius seruari in Missa solemni quam in priuatis.

Confirmatur à pari quia rubricæ Breuiarij maiorem vim habent obligandi quoad officium publicum in choro ob rationem supra explicatam; ergo etiam rubricæ Missalis strictius obligant quoad ritus Missæ solemnis. Ita Suarez de Sacrament. tom. 3. disp. 83. sect. 3. Bonacina de Sacram. disp. 4. quæst. vlt. pun. Gauantus in rubricas Missalis p. 3. tit. 9. num. 4. Garzias de sacerdot. tract. 3. difficul. 8. dub. 6. pun. 2. His positis.

Prima difficultas est de illis partibus Missæ, quæ communes sunt priuatis, & solemnibus quale peccatum sit eas omittere in Missa solemni.

Respondeo esse peccatum mortale ex genere suo, & solum ratione paruitatis materiæ transire in veniale: iuxta superius dicta quoad Missas priuatas; cum hoc tamen discrimine quod in Missa solemni augetur culpa intra genus suum ratione maioris deformitatis, & publicitatis. Probatur quia si id quod omittitur est materia notabilis, & grauis secundum se; tunc omissio est culpa mortalis in vtraque Missa; si autem id quod omittitur est quid leue; tunc omissio est culpa venialis in vtraque Missa. Cæterum quia in Missa solemni requiritur cultus perfectior, ideo defectus in suo genere est deterior vt colligitur ex citatis DD. nisi ratione scandali quod facilius potest contingere in Missa solemni peccatum ex suo genere veniale transeat in mortale.

Se-

Secunda difficultas est de ritibus, & caeremonijs proprijs Missae solemnis; quale peccatum sit illas omittere.

Respondeo videri probabile secluso scandalo eam omissionem non excedere culpam venialem E. g. si omittatur thurificatio cum orationibus illi adnexis, vel alia similis caeremonia. Probatur quia ritus praedicti non sunt partes necessariae Missae, nec spectant simpliciter ad eius integritatem; sed adduntur ad maiorem ornatum accidentalem; ergo non videntur materia grauis praecepti, vt supra dicebamus de partibus extraordinarijs puncto primo.

Tertia difficultas. An celebrans Missam solemnem teneatur ex praecepto legere submissa voce ea, quae cantantur a ministris, vel à choro.

Prima sententia eximit simpliciter celebrantem a tali obligatione, & sustinet id esse meri consilij, & rubricas in hoc esse directiuas. Probatur quia satis completur, & integratur Missa per partes, quae cantantur a ministris alta voce; ergo non superest obligatio easdem legendi submissa voce. Confirmatur id quod cantatur ab vna parte chori, non debet legi ab alia, sed solum audiri; ergo pariter in casu nostro. Ita Nauarrus Villalobus, Trimarchi, & alij apud Dianam p. 5. tract. 13. resolut 96.

Secunda sententia probabilior docet teneri quidem celebrantem ea legere submissa voce non tamen ex graui obligatione, sed solum subvenial. Probatur quia in rubricis id expresse ordinatur; quod autem sint praeceptiua patet ex dictis sect. 2. punct. 2. quia sunt de ritibus seruandis in ipso actu celebrationis. Ita Cardinalis de Lugo, Fernandez, Emanuel Sà, & alij apud eundem Dianam loco supracitato, & p. 2 tract. 14. resolut. 42. Nec est simile exemplum adductum de Psalmodia in choro vbi Choristae aequaliter concurrunt alternis versibus, & debent sibi inuicem communicare suas partes; nam in Missa solus celebrans est principalis offerens, vnde semper debet ipse concurrere ad partes Missae non solùm audiendo, sed eas recitando super Altari.

Colligitur primo. Si celebrans in casu nostro non legat Epistolam, aut Euangelium, sed solùm audiat a ministris: item si non legat submissa voce Gloria, vel Credo, sed audiat a choro; vel nullum peccatum committere iuxta primam sententiam; vel quod probabilius est committere tantum peccatum veniale. Atque idem dicendum de prophetijs sabbati sancti, de passione Domini, & similibus ob similem rationem, et docet Tamburrinus Opusc. de sacrif. lib. 2. cap. 5. § 2. n. 6.

Colligitur secundo esse reijciendum tanquam apertè falsum id quod asseritur ab aliquibus videlicet ne dum non peccare sacerdotem, sed melius facere si praedicta non legat, & solum audiat; hoc enim, vt dicebam est manifestè falsum; quia esto rubrica esset directiua; certum est melius, & perfectius esse sequi directionem Ecclesiae, & regulas ab ea propositas, quam ab illis recedere: excusari tamen possunt Nauarrus supra, & Sanchez lib. 7. consil. cap 2. dub. 13, qui hoc dixerunt; quia fortè non aduerterunt rubricas praedictas.

PVNCTVM VIII.

De causis excusantibus a culpa omissionem rituum in Missa.

EXplicauimus supra sectione 2. puncto 5. qualiter impotentia excuset a culpa transgressiones rubricarum in genere; declarandum est modo magis distinctè qualiter omissio rituum quae facilius contingit excusetur a peccato ne dum ratione impotentiae, sed etiam ex alijs causis.

Respondeo, & dico primo inaduertentia inuincibilis excusat a culpa quamlibet omissionem. Probatur quia cum tunc omissio non sit voluntaria, non potest esse peccaminosa, sicuti explicauimus sect. 2. punct. 3. difficul. 2. videri etiam potest Diana parte 2. tract. 14. resolut. 70. fine.

Difficultas praecipua est de impotentia, vel graui necessitate. An in casu necessitatis celebrare possit sacerdos; vel prosequi sacrum, quando praeuidet fore, vt non possit habere aliquid necessario requisitum ad sacrificium; vel vt non possit exequi aliquem ex ritibus etiam grauioribus.

Dico secundo. Nulla necessitas, vel impotentia excusat ab omissione ritus essentialis, vel substantialis sacrificij si necessitas, vel impotentia praeuideatur ante consecrationem E. g. si ante Missam, vel etiam ea inchoata ante consecrationem aduertat sacerdos de futuram alteram ex speciebus nec posse haberi: non potest in altera tantum specie consecrare; sed debet sacrum omittere, & recedere ab Altari; similiter si praeuideat fore, vt non possit sumere Sacramentum ob periculum vomitus, vel simile impedimentum. Probatur quia offerre sacrificium mutilum, & substantialiter imperfectum est intrinsece malum: ergo in nullo casu est licitum ita Suarez 3. tom in 3. p. disp. 43. sect. 4. & disp. 85. sect. 1. & Nos infra dum de defectibus. Dixi ante consecrationem quia si post consecrationem vnius speciei aduertat defectum alterius, & impotentiam habendi veram materiam prosequi debet sacrum, vt fusius suo loco dicemus.

Quoad

Quo ad ritus autem accidentales, qui sunt tantum iuris Ecclesiastici est diuersa ratio vnde.

Dico tertio. Impotentia vel grauis necessitas excusat à culpa omissionem ritus accidentalis etiam grauis: quando nec præuideri potuit ante Missam, nec potest decenter omitti sacrum si eo iam cœpto superueniat impotentia. e. g. si non possit haberi aqua miscenda cū vino & ideo omittatur admixtio: vel si panis non sit azimus nec alius haberi possit: vel si non possit celebrans eleuare hostiam, aut non possit prosequi sacrum stando: sed eum sedere oporteat, & sic de similibus. Probatur quia nemo potest ad impossibile obligari. Punctus difficultatis consistit in eo an debeat sacerdos in prædictis casibus potius sacrum omittere quam illud inchoare vel inchoatum prosequi cū omissione ritus præsertim grauis.

Dico quarto. Quando præuidetur impotentia ante Missam inchoatam (regulariter loquendo) potius omittendum est sacrum quam faciendum cum tali defectu. Probatur nam actio quæ non potest debito modo fieri potius omittenda est, quam indebitè exercenda. Dixi regulariter loquendo quia si ex omissione sacri sequuturum sit graue scandalum, vel infamia sacerdotis; nec simile incomodum timeatur ex eo quod celebretur Missa cū aliquo ex prædictis defectibus; potius celebranda erit Missa ad præcauendum scandalum: quia ex duobus malis minus est eligendum: & insuper præcepta positiua non obligant cum notabili incommodo. Vbi breuiter aduertendum minorem necessitatem sufficere ad excusandam omissionem ritus leuioris quam grauioris, vt supra etiam dicebamus sect. 2. pun. 5. & colligitur ex doctrina diui Thomæ 3. p. quæst 83. ar. 6. ad 2. & docent communiter doctores Suarez to. 3. in 3. p. disp. 84. sect. 2. Filiucius tract. 5. n. 170. Petrus de Ledesma to. 1. Sum. tract. de Euchar. cap. 24. conclus 10.

Dico quinto. Si bona fide Missa iam cæpta postea cognoscatur impotentia ante consecrationem e.g. eo tempore quo facienda est mixtio aquæ cum vino, nec possit haberi aqua; debet sacerdos regulariter loquendo potius sacrum omittere quam celebrare absque illo ritu nisi grauis necessitas vitandi scandali oppositū suadeat iuxta dicta in præcedenti conclusione. Probatur quia cum sacrum non sit substantialiter inchoatum; præstat illud omittere quam indebito modo conficere, ita DD. supra citati.

Quod si defectus leuior esset e. g. si hostia non sit omnino integra, vel habeat aliquam leuem maculam: vel si vinum sit aliquantulum acidum modo sit verum vinum: nec possit haberi alia materia. Vel si extinguatur alterum ex luminibus nec suppleri possit; in prędictis inquam casibus, melius videtur, vt sacerdos prosequatur sacrum: vel prudenter pensandum erit quod nam videatur maius incomodum, vel sacrum inchoatum relinquere, vel perficere cum illo defectu: & semper id exequendum erit quod videbitur magis expediens ex doctrina diui Thomæ loco supracitato, & docet Suarez citata disput. 84. & sequenti; & nos fusius dicemus in rubricas de defectibus.

Dico sexto. Si impotentia superueniat, vel aduertatur post consecrationem; tunc absoluendum est omnino sacrificium: quia cum sit substantialiter inchoatum non debet propter accidentalem ritum dimitti imperfectum. ita cum diuo Thoma loco citato docent communiter DD. Locis item citatis, Et patet à fortiori ex rubricis de defectibus tit. 4. n. 8. Vbi habetur si consecrata vna specie non possit alia haberi absoluendam esse Missam, vt suo loco dicemus.

Dico septimo. Excusantur à culpa nedum ratione inaduertentiæ, & impotentiæ; sed etiam ratione grauis difficultatis omittentes nonnullos ritus minutiores, præsertim quoad circunstantias in rubricis præscriptos e.g. excusantur illi qui aliquantulum anticipant, vel postponunt actiones, & verba: vel ea non simul coniungunt eo præciso tempore, quo in Missali determinatur, si in hoc defficiant non ex voluntaria negligentia, sed quia difficillime possunt tam multa, & subtilia attendere, & punctualiter exequi eo quia vel sunt minus agiles, vel tardioris apprehensionis, & oporteret longius Missam protrahere cum tedio adstantium. Probatur quia à transgressione præcepti positiui excusat tum impotentia moralis qualis hic contingit, tum causa rationabilis vitandi tædium adstantium. Ita Azorius to. 1. lib. 10. cap. 29. quæst 6. vbi sic habet liber a culpa foret qui ob iustam causam rubricas non seruat e. g. si quid omittat ob necessariam aliquam festinationem. hæc Azorius.

SECTIO IV.

De obligatione nihil addendi Cæremoniis, & ritibus Missæ.

PVNCTVM I.

De Additione alicuius verbi ad formam consecrationis deque eiusdem formæ repetitione.

Qvoad primum de additione, Respondeo, & dico primo: Si quid additur

datur quo mutetur sensus formę consecrationis; committitur graue sacrilegium, & non conficitur Sacramentum, e.g. si quis diceret. Hoc est corpus meum fantasticum, seu aereum: quæ additio falsum continet, & sensum destruit. Probatur quia cum essentia formæ consistat in significatione; certum est variata significatione, destrui eius essentiam, & consequenter non conficitur Sacramentum. Ita diuus Thomas 3. p. quęst. 70. art. 8. Caietanus ibidem Suarez de Sacram in genere disput. 2. sect. 4. §. Quinta mutatio Layman lib. 5. tract. 1. cap. 4. & communiter DD. de Sacram. in genere.

Dico secundo. Si addatur aliquid non destruens significationem formæ, quod tamen sit contra ritum Ecclesię, conficitur Sacram. sed Minister grauiter peccat. e. g. si Sacerdos diceret. Hoc est Corpus meum formatum de Virgine, vel si adderet ea verba, quæ habentur in Euangelio. Hoc est corpus meum, quod pro vobis traderur. Quod conficiatur Sacramentum per se patet quia mutatio est solum accidentalis, & perseuerat essentia formę; Quod vero peccet mortaliter sacerdos, probatur, quia in rem tam graui, & Sacrosancta addere, vel verbum, vel ritum præter Ecclesiæ consuetudinem est ingens temeritas, & abusus intolerabilis. Imo si prædicta, vel similia quis adderet ex errore pertinaci, quo putarer esse necessaria, incideret in hęresim, vt cum diuo Thoma supra docent citati DD. quibus adde Auersam de Euchar. quæst. 6. sect. 2. §. præterea.

Difficultas præcipua hic est de repetitione verborum formæ, quæ est quędam species additionis: quale peccatum sit.

Respondeo, & dico primo. Si semel, & valide prolata integra forma, iterum & de nouo proferatur absolutè super eandem materiam committitur graue sacrilegium. Probatur quia semel pronuntiata integra forma e.g. consecrationis panis non est amplius sub illis accidentibus in Altari panis, qui est Materia consecrationis: eo quia ex vi verborum formæ desiit esse panis, & transubstantiatur in Corpus Christi: ergo falso iterum pronuntiatur forma quæ transubstantiationem significat, & vlterius fieri non potest: ergo committitur graue sacrilegium contra veritatem, & reuerentiam debitam ipsi formæ Sacramentali.

Confirmatur velle conficere Sacramentum absque debita Materia est graue sacrilegium contra institutionem Christi Domini, & contra veritatem eorumdem Sacramentorum: sed ita est in casu nostro: quia quando repetitur forma consecrationis non est in Altari materia eiusdem consecrationis ergo &c. Ita diuus Th. p. 3. quæst. 60. ar. 5. & 6. & ibi expositores de Sacram. in genere. Et magis patebit ex infra dicendis de repititione formæ in casu dubij nõ nisi subconditione facienda; Dixi autem non posse repeti consecrationem semel validè prolatam, nam si constaret prolatam fuisse inualidè: potest & debet absolutè repeti ad perficiendum sacrificium, vt dicemus in rubricas de defectibus.

Dico secundo. Repetens, vel sæpius proferens non integram formam consecrationis, sed vnum, vel alterum verbum e g. qui bis diceret. Hoc, hoc est enim, vel nullo modo peccaret, vel ad summum venialiter. Probatur quia in hoc casu non committitur irreuerentia contra formam Sacramenti, nec eius effectus frustatur: ergo nulla apparet culpa ex hoc præciso capite. Probatur antecedens quia non habetur significatio formæ Sacramentalis nisi completis omnibus verbis, ex quibus essentialiter constat: & interim manet suspensa eius significatio, & consequenter non habetur eius effectus: ergo in repititione vnius, vel alterius verbi nullum est periculum irritationis Sacramenti, vel falsæ significationis formæ. Confirmatur quia ea partialis repititio fieri solet ad Maiorem cautelam, & securitatem rectæ prolationis eiusdem formæ: ergo solùm hic potest contingere peccatum veniale ob nimiam anxietatem, qua fouentur scrupuli, ita DD. communiter.

Dico tertio. Si post consecrationem Sacerdos probabiliter dubitet an rite formam pronunciauerit, vel an omiserit aliquod verbum substantiale, tenetur eam omnino repetere, non absolutè, sed sub conditione saltem mente concepta, id est cum intentione verè consecrandi, si prius non consecrauerit, secus si prius validè consecrauerit. Probatur quia ex vna parte tenetur iure diuino supplere defectus substantiales, ne sacrificium remaneat imperfectum: ex alia parte non potest consecrationem absolutè repetere; quia stante eo dubio fieri potest, vt verè consecrauerit (in quo casu non potest repeti forma ex supradictis:) ergo tenetur eam repetere sub conditione. Ratio est quia sic tollitur dubium, & suppletur defectus ex vna parte: ex alia vero vitatur periculum iterandi consecrationem super materiam consecratam. Ita Suarez to. 3. in 3. p. disp. 85. sect. 1. Auersa de Sacrific. quęst. 11. sect. 16. Bonacina de Euchar. disp 4 quæst. vlt. pun. 10. & alij passim, & nos infra dicemus in rubricas de defectibus.

Dico quarto. Peracta semel consecratione non potest licitè in vna, & eadem Missa fieri noua consecratio circa nouam materiam e. g. si offerátur de nouo minores hostiæ cõsecrandæ etiamsi offerantur ad communicandum moribundum. Probatur quia vel secunda consecra-

ratio pertineret ad idem numero ſacreficium: vel ad nouum, & diſtinctum; Neutrum dici poteſt ergo &c. Probatur Minor non enim primum quia vnum numero ſacrificium non poteſt habere niſi vnicam formam eſſentialem, & vnicam conſecrationem, alioquin cum duplici forma eſſet monſtruoſum, & contra Chriſti inſtitutionem. Neque poteſt dici ſecundum quia ad nouum, & diſtinctum ſacrificium oporteret conſecrare etiam nouum calicem. Rurſus nec poteſt licitè ſacerdos in eadem Miſſa, ideſt ſub ijſdem ritibus bis conſecrare vtramque ſpeciem, & duplex perficere ſacreficium; quia ex præcepto Eccleſiæ ad ſingula ſacrificia requiruntur diſtincti ritus præſcripti in Miſſali à principio Miſſæ vſque ad finem; ſicut fit in die Natalis quando ter celebratur eodem die. Ita colligitur ex communi doctrina Theologorum apud citatos auctores.

Quid autem facere debeat Sacerdos in caſu poſito pro communione moribundi, quando non ſunt aliæ particulæ conſecratæ. Reſpondeo breuiter eum debere ſeruare partem ſuæ hoſtiæ in eum finem. Quod ſi hoc non fecerit, eum poſſe celebrare aliam Miſſam præſertim ſi ſit ieiunius, & non ſumpſerit purificationem de quo puncto infra agendum erit in rubricas de defectibus.

PVNCTVM II.

De Additione rituum ad alias partes Miſſæ quale peccatum ſit.

Reſpondeo, & dico primo ſi additio fiat animo inducendi nouum ritum contra rubricas Miſſalis, eſt peccatum mortale ex genere ſuo; ſiue fiat additio precum, ſiue rituum qui in actione conſiſtunt. Dicitur autem quid addere animo inducendi nouum ritum, qui ſuo arbitrio addit aliquid tanquam partem ipſius Miſſæ æque, ac ſi eſſet ritus præſcriptus in Miſſali. Probatur primo quia hoc eſt peccatum vſurpatæ iuriſdictionis; nam ordinare cæremonias & ritus Miſſæ ſpectat ad publicam Eccleſiæ auctoritatem, & ad ſolum Summum Pont. Secundo quia hoc eſt expoſitum periculo ſuperſtitionis, & transeundi a cultu ſuperfluo ad falſum. Tertio quia videtur quædam ſpecies contemptus; cum non procedat ex negligentia, vel fragilitate, ſed potius ex temeritate. Vnde grauiter prohibetur additio prædicta tum in Bulla Pij V. ſæpius citata, tum in Concilio Tridentino ſeſſ. 22. in decreto de euitandis in celebratione Miſſarum, ita Suarez tom. 3. in 3. p. diſput. 64 ſect. 2. Lezana in ſum. Verbo Miſſa n. 58. Filiucius tract. 5. cap. 5 quæſt. 7. Garzias de ſacerdotio tract. 3. difficul. 8. pun. 1. n. 7. Tamburrinus opuſc. de ſacreficio lib 2. cap. 5. §. 3 nu. 2. & indicat Sanchez ſum. lib. 2. cap. 37. n. 4.

Colligitur ſi aliquid Miſſæ addatur quo ad verba & preces, & alta voce proferatur, ſic committi graue peccatum poſita materia notabili; quia hoc ipſo cenſetur addi tanquam pars ipſius Miſsæ; & ſaltem indirectè adeſt animus inducendi nouum ritum. Ita Hurtado de Sacref diſpur. 4. difficul. 12. Bonacina de Sacram. diſput. 4. quæſt. vlt. pun. 10. n. 19. vbi alios citat.

Dubium emergit an ſi aliquid addatur animo inducendi nouum ritum, ſed in re modica & leui an inquam committatur peccatum mortale, vel veniale.

Reſpondeo. Committi peccatum veniale ratione paruitatis Materiæ. Probatur quia ex triplici capite vt dicebamus oritur malitia in caſu noſtro. Primo ratione vſurpatæ iuriſdictionis, in qua certum eſt dari paruitatem materiæ; & leuem culpam vt patet in vſurpatione dominij rei leuis, & in furto modico. Secundo ob periculum ſuperſtitionis, in qua datur etiam leuis, & imperfecta malitia ſuperſtitionis vt cum alijs docet Sanchez lib. 2. ſum. cap. 37. n. 4 & 10. adducens exemplum ſi ſacerdos faciat ſignum crucis vbi non mandatur fieri per rubricas. Tandem ratione contemptus in quo etiam datur paruitas materiæ, vt cum Caietano, & alijs ſupradiximus ſect. 2. pun. 4.

Dico ſecundo, ſi Sacerdos aliquid Miſsæ addat & ſecreto dicat vel faciat, non eo animo inducendi nouum ritum, ſed ex priuata deuotione; peccat quidem ſed ſolum venialiter. Probatur quia hoc non videtur contra præceptum explicatum, ſed præter illud; neque propriè fit additio ipſis ritibus Miſsæ, ſed miſcetur & interponitur priuata oratio cum publica; quia tamen eſt indiſcreta deuotio, & reprehenſione digna, ideo committitur peccatum veniale, ita Suarez citata diſput 84. ſect. 2, Bonacina ſupra pun. 10. n. 19. Diana p. 5 tract. 5. reſolut. 68. & Tamburrinus de ſacrificio lib. 2. cap. 5. §. 3. n. 6.

Colligitur primo. Non eſſe licitum in Canone Miſſæ pronuntiare nomen alicuius ſancti ibidem non deſcripti, etiam Patroni loci; quamuis oppoſitum non excederet culpam venialem: Similiter non aſſe licitum addere nomen Regis, vt aliqui faciunt poſt nomen Epiſcopi: quia prohibetur quælibet additio ſine ſpeciali indulto Summi Pont.: qua ratione in regnis Hiſpaniarum licitè celebrantes addunt nomen ſui Regis, vt refert Lezana tom. 1 quæſt. regularium cap. 21.

Colligitur ſecundo quamuis in rigore videatur peccatum veniale addere in confeſſione generali Sanctum ciuitaris Patronum, vel ſun-

fundatorem propriæ religionis; quia tamen consuetudo oppositum introduxit bona fide, modo censetur licitum ita Tamburrinus Opusc. de sacref. lib. 2. cap 5. §. 2.

Colligitur tertio: Si in Missa defunctorum dicantur ea quæ secundum rubricas omitti debent secluso contemptu, & animo inducendi nouum ritum venialis tantum culpa committitur: quia non videtur notabilis deformitas: nisi data opera diceretur Gloria, vel Credo; quia præter deformitatem præsumitur animus introducendi nouum ritum.

Colligitur quarto. Nullum esse peccatum quandoque addere breuem aliquam orationem Iaculatoriam omnino secrete: præsertim quando nihil præscribitur dicendum in Missali E.g. in eleuatione hostiæ Adoramus te Christe &. vel in eleuatione Calicis Te ergo quæsumus tuis famulis subueni &. quia fouent deuotionem, & non sunt contra finem præcepti: ita declarasse fertur sacra Congregatio Concil. Trident. His verbis permitti possunt secretæ orationes Iaculatoriæ: dummodo præscriptæ in Missali non omittantur, vt notat Gauantus in rubricas Missalis p. 1. tit. 16. num. 2 & ante docuerat Nauarrus de orat. cap. 19. n. 105 & Victorianus Premoli in Memoriali cleric. p. 3. cap 9.

PVNCTVM III.

Vtrum liciè addi possit oratio mentalis inter partes Missæ vltra præscriptas in rubricis.

ADuertendum pluries in Missali præscribi breuem orationem mentalem in celebratione Missæ. Primo in Memento ante consecrationem. Secundo in Memento pro defunctis. Tertio post sumptionem hostiæ, quando secundum rubricas aliquantulum immorari debet sacerdos in meditatione sanctissimi Sacramenti. Quærimus ergo an possit addi similis oratio mentalis E. g. ante sumptionem sanctissimi Sacramenti; quod faciunt nonnulli Sacerdotes.

Prima sententia. Negat, ita Di Castillus de Sacram. tom. 1. tract. 5. disput. 4. dub. 13. n. 269 Probat ex præcepto Pij V. quo prohibetur *quælibet* additio ad ritus Missæ non præscripta *in rubricis*: Sed oratio mentalis ante sumptionem Sacram. non est præscripta in rubricis ergo &.

Secunda sententia probabilior affirmat si oratio breuis fit, & absque tædio adstantium, probatur, quia ex vna parte oratio prædicta excitat celebrantem ad feruorem, & deuotionem quando maximè est opportuna: ex alia parte non est contra rubricas, quia Ecclesia nec præcipit nec prohibet actus merè internos; ergo oratio purè mentalis non censetur prohibita; imo videtur magis conformis reuerentiæ, quæ per rubricam adhiberi præscribitur in sumptione Sacramenti. Ita Nauarrus de orat cap. 19. n. 105. Victorianus Premuli in memor. cleric. p. 3. cap. 9. & manifestè fauet diuus Bonauentura tom. 2. opusc. tract. de preparat ad Missam cap. 13

Confirmatur exemplo Sancti Filippi Nerij qui vt referunt scriptores vitæ eiusdem solitus erat insumere plures horas in celebratione Missæ præsertim in oratione mentali ante sumptionem sacramenti; quamuis in priuato sacello (nam in Ecclesia publica, vt aliàs diximus non expedit prolixa oratio) & certè nemo dicet virum sanctum, & Ecclesiasticorum rituum peritissimum in eo peccasse contra rubricas.

Ad argumentum oppositæ sententiæ. Respondetur præcepta Ecclesiæ non cadere super actus merè internos: & quamuis aliqualis mora sit etiam externa: non tamen est prohibita, nisi ea quæ potest tædio afficere adstantes.

PVNCTVM IV.

De Missis non appositis in Missali romano, vtrum licitè dici possint, vbi de 30. Missis S. Gregorij.

IN hoc casu apparet etiam quædam species additionis ad Missas quæ disponuntur in Missali.

Respondeo non esse licitum nisi à sacra rituum Congregatione sint approbatæ: aliàs censentur omnino prohibitæ. Nominatim verò prohibentur Missæ sancti Gregorij pro viuis, & defunctis. Quindecim auxiliatorum, & de Patre æterno: quare peccant mortaliter prædictas Missas recitantes siue publicè siue priuatim. Probatur ex decreto eiusdem sacr. Congreg. sub die 8. Aprilis 1628. vt refert Gauantes in rubricas Missalis p. 1. tit. 5. litera D. & docent etiam Barbosa, Bonacina, & alij quos affert, & sequitur Lezana tomo 1. quæst. regul cap. 21. n. 21.

Aduertendum tamen nos prohiberi eo decreto triginta Missas à Sancto Gregorio institutas pro defunctis tantum; vt declarauit postea eadem sacra congregatio apud Gauantum supra, & recitantur ex Missali Romano per triginta dies; sed solum prohiberi Missas quæ circumferebantur sub nomine Sancti Gregorij pro viuis, e defunctis extra Missale romanum vide Lezanam loco citato.

Dubitari hic potest circa triginta Missas Sancti Gregorij quæ licitè dici possunt, vtrum ad satisfa-

satisfaciendum obligationi, & promissioni decis factæ teneatur sacerdos illas recitare per triginta dies continuos, vel satisfiat celebratione interpolata triginta Missarum.

Prima sententia sustinet satisfieri etiam per 30. dies discretos, & cum interruptione. Probatur tum quia interruptio non impedit valorem, & effectum sacrificij. Tum quia ea obligatio debet intelligi moraliter: vnde cum possit sacerdos semel saltem in hebdomanda vacare, potest etiam vacare quando tenetur satisfacere prædictæ obligationi 30. Missarum. Ita Bonacina de sacram. disputat 4. quæst. vltima punct. 7. §. 3. fine Fraxinellus, Homobonus, & alij quos citat, & sequitur Diana par. 1. tract. 14. resolut. 32. quæ sententia probabilis est.

Opposita tamen opinio est probabilior dicendas esse eas Missas per 30. dies continuos: nisi obstet prohibitio Ecclesiæ E.g. in triduo maioris hebdomadæ. Probatur nam aliàs non dicerentur Missæ secundum institutionem diui Gregorij; & consequenter non satisfieret obligationi in omni rigore. Probatur antecedens quia diuus Gregorius manifestè loquitur de trigita Missis per triginta dies continuos celebrandis ita Lezana loco citato, Gauantus in rubricas Missalis par. 1. tit. 5. litera D. referens prædictam institutionem Tamburrinus Opus. de sacrif. lib. 2. cap. 6. §. 7.

Colligitur posita interruptione illum pro quo Missæ applicantur lucrari quidem fructum triginta Missarum secundum se, non autem fructum illi institutioni annexum. De qua re iterum redibit sermo cum in prima parte comment. agemus de Missis defunctorum.

Dubitari etiam potest vtrum omnes Missæ diui Gregorij debeant esse de requiem. Respondetur breuiter negatiuè; sed satisfieri Missis de die iuxta rubricas Missalis; quia præualere debet ordinatio Ecclesiæ; & diuus Gregorius loquitur de applicatione sacreficij ita DD. citati pro vtraque sententia. De his Missis aliqua etiam dicemus p. 1. tit. 5. de Missis defunct.

PVNCTVM V.

De Missis concessis regularibus vel Vni speciali religioni an possint dici ab alijs.

E.G. Missæ Rosarij concessæ solis Dominicanis; vel de Carmelo solis Carmelitis, & similes vtrum dici possint ab alijs regularibus vel a sacerdotibus secularibus.

Respondeo non posse dici nisi a religiosis illius tantum ordinis, quibus fuerunt concessæ. Probatur quia alijs expressè prohibentur sub grauibus pænis per decretum sacr. congreg. rituum supra relatum sub die 8. Aprilis 1628. ita Barbosa, Gauantus, Lezana, citati in præcedenti puncto, & Diana 2. p. tract. 14. resolut. 74.

Dubium emergit de Cappellanis monialium, quæ militant sub institut. s, & ordinibus quibus facta est concessio. Respondeo cappellanos prædictos posse dicere Missam de sancto de quo fit officium a monialibus non vtentibus Breuiario romano. Cæterùm ipsi Cappellani qui vtuntur Missali romano debent Missam de eo sancto recitare ex Missali romano, & secundū rubricas eiusdē, iuxta decretū sacræ Cōgregationis de quo meminit Lezana t. 1. quæst regul. cap. 25. n. 43. vbi citat Gauantum, & alios

SECTIO V.

Qualis sit obligatio non mutandi ritus Missæ in rubricis præscriptos.

PRohibetur hæc mutatio non solùm in Bulla Pij V. sæpius citata, sed etiam in Tridentino sess. 22. in Decreto de euitandis in celebratione Missæ. Imo quoad verba consecrationis prohibetur mutatio iure diuino, quo forma consecrationis fuit a Christo instituta determinatis verbis. Vnde breuiter dicendum est de singulorum rituum mutatione tum in verbis tum in actionibus, & in primis de verbis consecrationis.

PVNCTVM I.

De mutatione verborum vtriusque formæ Consecrationis qualiter in ea peccetur.

PRæmittendum est primo verba consecrationis posse dupliciter mutari primo in alia verba diuersæ significationis; quibus proinde mutatur sensus formæ, & hæc mutatio dicitur substantialis. Secundo mutari potest in alia verba synonima, & eiusdem significationis, & hæc dicitur mutatio accidentalis; vnde oportet nosse verum sensum formæ consecrationis ad discernendum quando mutatio est substantialis, quando vero accidentalis; vnde.

Præmittendum secundo Formam consecrationis panis constare essentialiter ex his verbis Hoc est corpus meum: eiusque verum sensum esse huiusmodi prout explicat diuus Thomas p. 3. quæst. 78. art. 5. idest contentum sub his speciebus est corpus meum; seu hæc res quæ continetur sub his speciebus est corpus meum (loquitur enim sacerdos in persona Christi)

Potba-

Probatur breuiter quia pronomen hoc ex parte subiecti non potest sumi pro pane ita vt sit sensus, panis est Corpus Christi; esset enim sensus falsus. Neque sumi potest pro ipso corpore Christi quia esset sensus Corpus Christi est Corpus Christi: & sic propositio esset identica, nugatoria, & vana: ergo ly hoc demonstrat, & denotat substantiam contentam sub accidentibus vagè: atque significatio illius pronominis hoc remanet suspensa quousque determinetur per prædicatum in fine propositionis; eiusque verus sensus habetur in vltimo instanti prolationis totius formæ.

Similiter forma consecrationis sanguinis consistit essentialiter in his verbis hic est calix sanguinis mei, seu hic est sanguis meus, & similem sensum reddunt in vltimo instanti prolationis formæ: quod præcipuè contingit quando propositio est practica, & causatiua eius quod significat. In hac autem forma saguinis pronomen hic sumi potest primo substãtiuè vt dicebamus de pronomine hoc in forma Corporis, videlicet hæc res seu hæc substantia cõtẽta in calice est sanguis meus, seu calix saguinis mei: sumitur enim continens pro contento vt docet diuus Thomas supra art. 3 ad primum sæpe enim ly hic substantiuè ponitur etiam in sacra scriptura loco subiecti E. g. hic est filius meus dilectus Hic est panis de cælo descendens vt fusius explicat Suarez tom. 3. in 3. p. disp 58. sect. 7. §. Quinta tamen sententia. Secundo ly hic in casu nostro sumi potest adiectiuè, & subintelligitur hic potus hic liquor est sanguis meus. His positis.

Respondeo, & dico primo. Mutatio quæ variat sensum verborum in forma consecrationis est mutatio substantialis, & consequenter irritat sacramentum, & est grauissimum sacrilegium. Probatur nam sensus, & significatio est veluti anima verborum: non enim proferuntur verba propter sonum sed propter significationem: ergo facta mutatione significationis destruitur forma sacramenti quoad essentiam, & consequenter fit irritum sacramentum; ita diuus Thomas p. 3 quæst. 60. art 8. & ibi interpretes communiter de sacramentis in genere [illegible] nota, & communis doctrina.

Colligitur primo, Cum forma consecrationis panis consistat essentialiter in verbis prædictis hoc est corpus meum sicuti cum diuo Thoma pun. 3. quæst. 78. art. 2. docent omnes Theologi; ne dum singulorum omissionem esse contra substantiam sacramenti sed etiam mutationem substantialem in alia verba diuersæ significationis ob rationem explicatam. Qualiter autem contingat substantialis mutatio circa singula verba distinctè explicandum est in sequentibus.

Colligitur secundo. Si sacerdos loco pronominis hoc diceret, illud est corpus meum non consecraret seu non conficeret sacramentum: quia pronomen illud non demonstrat materiam præsentem sicuti est necessarium ad significationem practicam eiusdem formæ prout institutæ a Christo. Rursus si pro ly hoc diceret hic aduerbialiter idest in hoc loco est corpus meum, nihil conficeret: quia non explicatur conuersio substantialis panis in corpus Christi ex vi verborum. Tertio si mutaret dicendo ecce Corpus meum; verius est non fore validam consecrationem ob eandem rationem. Ita Soto lect. 2. de Euchar. Suarez supra disput. 59. sect. 2. Layman lib. 5. tract. 4. cap. 3. Auersa de Euchar. quæst. 6. sect. 2. Bonacina de sacram. disput. 4. quæst. 3. punct. 1. & 2, alij passim.

Colligitur tertio. Si berbum substantiuum est mutetur in aliud, & dicat sacerdos E. g. Hoc fit corpus meum, vel transit in corpus meum, non conficeretur sacramentum quia esset falsa significatio; siquidem in actione substantiali quæ non fit ex præsupposito subiecto nunquam propriè dicitur vnum fieri aliud. Insuper de ratione consecrationis est vt tanquam in facto esse, & permanenter exprimatur presentia Christi vt docet diuus Thomas citata quæstione 78. art. 1. Ergo illud verbum fit vel transit non congruit huic formæ sacramentali. Rursus si fiat mutatio in ipso verbo est quoad tempus, vel modum, & dicat sacerdos hoc fuit vel erit corpus meum. Similiter hoc fit hoc esto corpus meum non conficeretur sacramentum vt presertim de mutatione temporis præsentis in futurum docet diuus Thomas p. 3. quæst 78, art. 6. in corpore. Probatur quia forma consecrationis fuit a Christo instituta per modum enuntiationis, & affirmationis de præsenti; Ergo prædictæ mutationes variant debitum sensum; & consequenter irritant sacramentum ita DD, supracitati, & presertim Auersa sect. 2.

Colligitur quarto. Quid sit dicendum si ly Corpus mutetur, & dicat sacerdos hæc est caro mea. aliqui enim sustinent fore validam consecrationem: probant quia ipse Christus loquens de hoc mysterio vsus est nomine carnis Ioann. 7. Caro mea vere est cibus, & qui manducat meam carnem &c. & Ioann. 1. Verbum caro factum est vbi caro ne dum sumitur pro toto corpore, sed etiam pro tota natura, ita Estius, Henrriquez, Granado & alij quos citat, & sequitur Diana p. 5. tract. 14. resolut. 76. Nihilhominus Alij negant tunc confici sacramentum vt Palatius, Coninh., Prepositus Pitigianus, & alij apud Dianam supra. Sed conciliari possunt atque dicendum valorem sacramenti in hoc casu pendere ex intentione sacerdotis: si enim sacerdos intendat proferre nomen carnis, quatenus figuratè significat totum

corpus; probabile eſt valere conſecrationem; ſi autem proferatur ly caro in ſuo proprio ſignificatu pro parte diſtincta ab oſſibus, & alijs partibus corporis; certum eſt conſecrationem fore inualidam, quia mutatur ſignificatio formæ. Vnde a fortiori non valeret conſecratio ſi ſacerdos diceret hæc eſt ſubſtantia mea vel quid ſimile. An autem peccet ſacerdos qui loco corporis vtitur nomine carnis; dicendum eſt peccare mortaliter etiam ſtando in prima ſententia; quia in re grauiſſima facit contra vſum Eccleſiæ, & exponitur alieni periculo irritandi ſacramentum iuxta DD. ſecundæ ſententiæ.

Colligitur quinto. Si mutetur ly meum, & dicat Sacerdos hoc eſt Corpus Chriſti non conficeretur ſacramentum; quia de ratione conſecrationis eſt vt ſacerdos expreſſe loquatur in perſona Chriſti, DD. ſupra citati.

Colligitur ſexto. Si mutatio fieret per tranſpoſitionem verborum, & inuerſionem ordinis eorum, quandoque eſſet ſubſtantialis, & contra veritatem ſacramenti: vt ſi diceret ſacerdos hoc corpus eſt meum vel meum eſt hoc corpus; quia pars prædicati transfertur in ſubieſtum, & non explicatur conuerſio panis in Corpus Chriſti. Si vero diceret hoc eſt meum corpus, non eſſet mutatio ſubſtantialis ſed merè accidentalis; ſimiliter ſi diceret meum corpus eſt hoc, ſemper intelligendo vt ly hoc ſit ſubiectum, & ly meum corpus ſit prædicatum. Ita Granado in 3.p. tract.8. de Euchar. diſp.5. n.5. Prepoſitus in 3.p. quæſt. 78. art.2. dub 2. n. 19. Pitigianus de Euchar. quæſt.2. art. 3. Diana p.5. tract. 14. reſolut.78. Quale autem peccatum committatur in huiuſmodi mutationibus accidentalibus dicemus concluſione ſequenti.

Colligitur ſeptimo. Si fieret mutatio per interpolationem ſeu diſiunctionem verborum, ita diſtinguendum eſt. Si interruptio ſit notabilis deſtruens compoſitionem moralem propoſitionis; dicendum eſt mutationem fore ſubſtantialem, & contra veritatem ſacramenti: ſi vero interpolatio non ſit notabilis (quod prudenti iudicio diſcernendum eſt) tunc mutatio foret accidentalis non deſtruens ſenſum nec contra veritatem ſacramenti, ita Suarez de ſacramentis in genere deſput. 2. ſect. 4. & alij DD. paſſim in tract. de ſacramentis in genere.

Colligitur octauo; Mutationes circa formam ſanguinis eodem prorſus modo diſcerni debere, an ſint ſubſtantiales necne ſicut hactenus diximus de forma corporis E. g. vt ſi loco pronominis hic dicatur ille, vel ecce calix; item ſi mutetur verbum eſt in verbum fit vel tranſit; vel ſi dicatur fuit vel erit; vel ſi loco ſanguinis dicatur humoris; vel loco mei dicatur Chriſti; nam in his mutationibus variatur ſenſus contra veritatem ſacramenti. Idemque dicendum de tranſpoſitione verborum vt docet Suarez diſput. 60. ſect. 2. initio, & tradunt alij DD. ſupra citati.

Dico ſecundo. Mutatio qua non variatur ſenſus conſecrationis E. g mutatio in verba ſynonima, & eiuſdem ſignificationis eſt mutatio accidentalis quæ non vitiat ſacramentum. Probatur quia ſola accidentalis mutatio non variat ſubſtantiam in alijs rebus, ergo nec etiam in ſacramentis ita diuus Thomas, Scotus Gabriel locis citatis in prima concluſione Suarez de ſacramentis in genere diſput. 2. ſect. 4. valentia tom.4. diſp.3. quæſt.1. punct.2. Layman lib. 5. tract.1. cap.4. n 4. Bonacina de ſacramentis diſput.1. quæſt. vnica pun. vnico n 4. Coninh de ſacramentis queſt.60. art.8 dub.2. Auerſa de Euchar. quæſt.6 ſect.2. loquentes de forma ſacramentorum in genere.

Difficultas eſt, quale peccatum committatur in hac accidentali mutatione.

Reſpondeo committi peccatum mortale ex genere ſuo. Primo quia in re tam graui, & ſacra eſt grauis deordinatio, & intolerabilis abuſus recedere a conſueto ritu, & more Eccleſiæ. Item eſt contra reuerentiam debitam ſacramentis; Secundo, & præcipuè in caſu noſtro de ſacramẽto Euchar. quia eo magis creſcit irreuerentia quo ſacramentum eſt excellentius, vnde ſtrictius prohibetur mutatio circa ritus Miſſæ in qua conficitur Euchariſtia omnium ſacramentorum excellentiſſima; ſicuti conſtat ex Tridentino ſect.22 in decreto de Euitandis in celebratione Miſſæ. Poteſt nihilhominus hic contingere peccatum veniale ratione paruitatis materiæ vt docent DD. citati in hac concluſione quibus adde Sylbium in 3. par. quæſt. 60. art.8. dub.1. concluſ.3. Granado in 3.p. contro. 3. tract. 2. diſput. 5. n 13. & alios quos in ſimili affert, & ſequitur Diana p.5. tract.5 reſolut.39. & p.2. tract 17. reſolut.14.

Maior difficultas eſt in aſſiguãda materia leui, & modica in formis ſacramentorum quæ communiter conſtant pauciſſimis verbis. Aliqui enim ſolum agnoſcunt leuem materiam ſi fieret mutatio in vnica litera. Alij concedunt materiam leuem in mutatione vnius integri verbi vel nominis in aliud omnino æquiualens vt patebit in exemplis inferius adducendis; quod ſi fieret mutatio plurium verborum quamuis accidentalis, communiter eam damnant peccati mortalis. Mihi videtur dicendum ſi fiat mutatio accidentalis ex negligentia; poſſe aſſignari pro materia leui ne dum literam vel ſyllabam, ſed etiam integrum verbum. Si vero fiat ex malitia, & data opera non excuſari a peccato mortali etiam vnici verbi mutationem; quia videtur quædam ſpecies contemptus ex mero arbitrio aliquid de ſuo mi-

ſcere

scere in re tam graui, & sacra, omisso verbo ab Ecclesia præscripto, quamuis non mutetur sensus. Ita cum alijs Auersa de Eucharist. stiss quæst. 6. sect. 2. §. aliqua tamen vbi sic ait. Hæc accidentalis mutatio cum veniali culpa contingeret ex negligentia: vel cum mortali ex malitia. Et tenent a fortiori Suarez disput. 59. sect. 15. sed quæres. Vasquez in 3. p. disput. 199. cap. 4. Fernandez in examine p. 3. cap 4. §. 6, Nugnus in p 3. tom. 1. quæst. 77. art. 2. docentes esse peccatum mortale omittere in consecratione particulam enim: Dico a fortiori quia mutatio quamuis accidentalis in verbo consecrationis pertinenti ad eius essentiam peior est omissione illius particulæ enim, quæ non pertinet ad essentiam formæ. Quod si fieret mutatio in aliud verbũ de quo probabiliter dubitatur an sit synonimum, & eiusdem omnino significationis; omnes dicunt committi peccatum mortale: quia sine causa exponitur sacramentum periculo irritationis, & suscipiens exponitur periculo non suscipiendi verum sacramentum.

Colligitur primo. Si in consecratione panis loco pronominis hoc diceret sacerdos, istud est corpus meum, esset valida consecratio: quia sunt synonima ita cum Soto docet Suarez supra disp. 59. sect. 2. Similiter si diceret hæc res hic cibus est corpus meum, esset valida consecratio. quia non mutatur sensus. Item si diceret hic est corpus meum, sumendo ly hic non aduerbialiter, sed vt pronomen; similiter si diceret hæc est caro mea sumendo figuratè carnem pro corpore vt supra explicauimus; peccaret tamen sacerdos sic verba immutans, nisi excusaretur propter inaduertentiam, vt docent supracitati DD. & præsertim Auersa de Euchar. quæst. 6. sect. 2. §. in suoer & §. Aliqu tamen. Diana p 5. tract 14 resolut. 77.

Colligitur secundo. Si fieret mutatio per errorem contra leges gramaticæ E.g. si diceret sacerdos, hunc est corpus meum, vel corpum meum vel corpus meus esset valida consecratio quia mutatio est accidentalis, & posset ex ignorantia inuincibili excusari ab omni culpa. quod si voluntariè id fieret secluso scandalo vel contemptu, solum committeretur peccatum veniale ratione paruitatis materiæ, quando fieret mutatio in vnica litera ex supradictis. Similiter si aliquis sacerdos ex balbutie non valens pronuntiare literam S. diceret corput meum, vel ly meum pronuntiaret cum N. ex conditione propriæ linguæ, vt dicunt pronunciari ab Hispanis, potest excusari ab omni peccato ita Auersa loco citato Bonacina dis. 4. de sacram. quæst. 3. pun. 1. n. 7.

Colligitur tertio. Si in consecratione Calicis sacerdos omissa dictione calicis diceret hic est sanguis meus: consecratio esset valida secundum omnes, & ita dicunt seruari a Grecis; sed in Ecclesia latina hæc mutatio fieri non potest sine peccato mortali vt cum Soto docent Suarez disput. 60. sect. 2. §. sed quæres. Auersa de Euchar. quæst 6. sect. 3. quia sic expressius denotatur ratio potus, & vsus Ecclesiæ latinæ conuenientior est.

Colligitur quarto. Si fiat accidentalis mutatio ex defectu pronuntiationis vt si pro Calix diceretur calis mutata x. in S. certum est non vitiari formam, & si id fieret ex negligentia tantum veniale peccatum committeretur; si vero ex impotentia vel naturali balbutie nullum esset peccatum ita Layman, & Auersa supracitati, Pitigianus cum alijs quos citat, & sequitur Diana p. 2. tract. 17. resolut. 14.

Colligitur quinto. Si in forma consecrationis fieret mutatio idiomatis, & proferretur lingua vulgari vel alia diuersa ab ea, qua vtitur Ecclesia (posito quod non varietur sensus) certum est mutationem fore accidentalem, & verè conficeretur sacramentum vt expressè docet diuus Thomas 3. p. quæst. 60. art. 7. quem sequuntur communiter; alioquin oporteret conficere sacramenta in ea solum lingua seu idiomate, quo Christus locutus est; quod est apertè hereticum; vnde etiam sequitur mixtionem plurium idiomatum in eadem numero forma non esse contra substantiam sacramenti modo singulæ voces in vnam orationem coniunctæ eundem sensum referant cum forma ab Ecclesia consueta. Sicuti ex Caietano in p. 3. quæst. 60. art. 7. notant communiter DD Suarez de Sacramen. ignen. disput. 2. sect. 4. Valentia, & alij supracitati. Peccaret tamen mortaliter sacerdos in casu nostro vtens alio idiomate. Dixi in casu nostro quoad formam consecrationis; quia in forma baptismi quando hoc sacramentum in casu necessitatis confertur a fæmina, rectè docent nonnulli DD. eam meliùs facturam si pronuntiet formam lingua vulgari, & materna: ne ob ignorantiam linguæ latinæ errèt in substantia, & exponat puerum periculo non suscipiendi verum babtismum vt ex Soto notat Layman lib. 5. tract. 2. cap. 4. n 6.

Colligitur sexto. Ex hactenus dictis mutationem formæ sacramentalis siue substantialem siue accidentalem sex præcipuè modis fieri. Primus est per detractionem alicuius verbi; Secundus per additionem. Tertius per mutationem. Quartus per transmutationem verborum. Quintus per corruptionem vitiose prolationis. Sextus per interpolationem, & explicari solent his versibus.

Nil de forma demas, nil ponas nil variabis;
transmutare caue corrumpere verba morari

PVN-

PVNCTVM II.

De mutatione verborum in alijs Missæ partibus & qualiter in ea peccetur.

Præmittendum mutationem tum verborum tum aliorum rituum, qui in actione consistunt posse fieri dupliciter, primo absolute, & simpliciter, vt si quis vtatur alio Missali diuerso à Romano, de qua mutatione dicemus in commentarijs p. 1. rit. 14. dub. 3. Secundo si fiat mutatio secundum quid E. g. si ex proprio arbitrio vel negligentia quis muter verba & ritus ipsius Missalis Romani, de qua mutatione agendum est in præsenti, hoc posito.

Respondeo. Si mutatio in partibus Missæ quæ consistunt in verbis videlicet precibus & orationibus fiat cum notabili deformitate, committitur peccatum mortale, secus autem committeretur peccatum veniale. Adcrit autem notabilis deformitas, quando mutatio opponitur notabiliter fini præcepti seruandi ritus Missalis, videlicet si opponatur maiestati, & ornatui sacrificij vel significationi misteriorum quæ repræsentatur in Missa. Quod si leuiter eidem fini opponatur, peccatum erit veniale ratione paruitatis materię. Probatur quia grauitas vel leuitas transgressionis mensuratur ab oppositione cum fine præcepti vt alias probauimus, & docent communiter DD quos in simili citauimus cum de omissione rituum & de additione sect. 3. & 4. vide Suarez tom. 3. in 3. p. disput. 83. sect. 3. Auersam de sacreficio quæst. 11. sect. 12.

Colligitur primo. Si mutatio fiat in alia verba quibus mutatur sensus orationum, & precum prædictarum, committi peccatum mortale ex genere suo. Probatur quia perinde hoc est ac omittere preces ab Ecclesia institutas, & alias recitare ex proprio arbitrio, quod grauiter prohibetur tum in Bulla Pij V. tum in Tridentino sect. 22 in decreto de euitandis in celebratione Missarum; ergo posita materia graui, & notabili peccatum erit mortale.

Colligitur secundo. Si fiat mutatio in verba synonima intra idem idioma linguæ latinæ communiter nō excedet culpam venialem seclusō scandalo vel contemptu; quia seruatur præceptum quoad substantiam, & solùm fit variatio in accidenti.

Colligitur tertio. Si mutetur idioma quamuis idem sensus retineatur E. g. si recitetur Missa lingua vulgari committitur peccatum mortale ex genere suo ita vt si sic recitetur pars notabilis Missæ peccatum erit mortale in indiuiduo contra grauem Ecclesiæ consuetudinem, & contra prohibitionem Tridentini sect. 22. cap. 8. & Canon. 9. Vbi damnatur hæresis illorum, qui asserebant Missam celebrari debere lingua tantum vulgari, & communi.

Colligitur quarto. Mutationem alicuius partis Missæ in aliam similem, & correspondentem alterius Missæ esse quidem peccatum, sed vt plurimum vèniale E. g. si quis loco epistolæ assignatæ pro hac Missa de die recitaret aliam ex Missa differenti; vel commutaret vnum Euangelium cum alio, & sic de orationibus &c. Quod peccet probatur quia id est contra præceptum Pij V Sæpius replicatum, quo mandat, vt Missa omnino recitetur iuxta formam in missali præscriptam. Quod autem communiter hoc non excedat peccatum veniale probatur quia non apparet notabilis deformitas; nisi fortè in aliquo raro casu vt si quis vellet cōiungere in eadem Missa epistolam mortuorum cum Euangelio Paschatis in quo apparet notabilis deformitas: & consequenter graue peccatum ita Auersa de sacrificio quæst. 11. sect. 12.

PVNCTVM III.

De mutatione rituum qui in actione consistunt, qualiter sit illicita.

Respondeo eodem modo hic esse filosofandum ac supra de mutatione verborum; quia vtrobique militat eadem ratio; maioris autem claritatis gratia.

Dico primo. Mutatio rituum in alios diuersos ab illis, qui præscripti sunt in Missali est peccatum mortale ex genere suo. Probatur ex dictis in simili de mutatione verborum, & docent ijdem DD citati in puncto præcedenti præsertim Suarez disput. 84. sect. 2.

Dico secundo. Si fiat mutatio quoad modum tantum non excedit culpam venialem, communiter. E. g. si sacerdos cum se ipsum signat non ponat sinistram infra pectus, vel non producat manum a fronte ad pectus, & ab humero sinistro ad dexterum, sed breuioribus lineis contrahat contra regulas rubricarum, & sic de alijs similibus ritibus. Probatur quia seruatur præceptum quoad substantiam, & verè formatur signum crucis vt suppono; & transgressio solùm est in accidentalibus. Dixi communiter quia si sacerdos huiusmodi ritus ita confundat, vt defectus redundet in substantiam, & non possit dici moraliter formare signum crucis sed circulationem manus vel digitorum; grauiter peccaret si in tot signis, & ritibus deficeret, vt simul conflent notabilem quantitatem; quia perinde est ac eosdem ritus omittere. Et similiter si fieret mutatio in re magni momenti &c.

PVN-

PVNCTVM IV.

De mutatione rituum circa materiam consecrationis.

DE hac materia fisè dicendum a nobis est in rubricas de defectibus; hic pauca explicamus circa nonnullas conditiones accidentales sub quibus consecrati debet iuxta consuetum Ecclesiæ morem, quale pecccatum sit variare easdem conditiones.

Primo dubitatur vtrum sit licitum loco maioris hostiæ consecrare vnam ex minoribus saltem si maior haberi non posit. Certum est aute m ex vsu Ecclesiæ hostiam propriam celebrantis debere esse maiorem alijs, quæ consecrantur pro communicaturis; quia sic aprior est ad ceremonias præsertim elenationis,& fractionis, & similes. Dubium est an hoc cadat sub præcepto.

Respondeo affirmatiuè quamuis preceptum non sit adeo rigorosum vt obliget sub mortali sed solum sub veniali. Probatur quod cadat sub præcepto ex communi cousuetudine Ecclesiæ, quæ iuxta communem sensum fidelium vim legis haber, quod vero non obliget sub mortali probatur quia non videtur materia grauis vt docent communiter DD. infra citãdi.

Colligitur secluso scandalo, & posita iusta, & rationabili causa nullum fore peccatum E.g. in die festo vt fideles possint implere præceptum audiendi sacrum (facta prius monitione ad vitandum scandalum) si sacerdos loco maioris hostiæ consecraret minorem imo, & teneretur. Quod si sacerdos ex deuotióne celebrare velit in secreto seu priuato Sacello nõ videtur requiri alia causa præter impotentiam habendi maiorem hostiam. Ita Marcantius in candel. tract. 4. cap. 5. Quintanaduennas in instructione ordinandorum p 5. § 8. Auersa de sac. quæst. 11. sect. 12. §. rectè, & alijs citatis Diana p 6. tract. 7. resolut. 17.

Dubitatur secundo vtrum è contra possit celebrans pro communicaturis consecrare hostias maiores, vel illis præbere plures minores hostias.

Respondeo hoc non esse licitum sed potius grauem abusum; contra quem meriro procedant Inquisitores fidei, ob suspitionem erroris, quasi quid amplius detur in maiori hostia quam in minori cum totus, & integer Christus sit sub vnaquaque specie, & sub singulis particulis cuiusque speciei vt definit Trident. sess. 13. Canon. 3. vnde excusari non potest a peccato mortali. Ita Coninc. de sacram. quæst. 79. art. 1. dub. 2. n. 4. Auersa de Euchar. quæst 7 sect. 4 fine, & alijs citatis Diana p. 3. tract. 9. resolut. 96 Et quamuis per accidens id possit esse occasio acquirendi maiorem gratiam, quando interim durantibus sacris speciebus in stomacho melius quis se disponit (de qua re alibi dicemus;) Nihilominus non est licitum in eum finem recedere ab vsu Ecclesiæ: alioquin possent consecrari hostiæ, quarum singulæ pertingant ad pondus libræ, vt diutiùs durent in stomcho & alia similia absurdissima fieri contingeret.

Dubitatur tertiò Quale peccatum sit consecrare hostiam diuersæ figuræ. vel non integram vel absque imagine crucifixi, vel cum aliqua macula, & similes conditiones variare, contra consuetum morem Ecclesiæ.

Præmittendum est vsum Ecclesiæ circa prædictas conditiones hostiæ consecrandæ vt videlicet ea sit figuræ orbicularis, integra & non fracta, candida & absque macula, & cum imagine Crucifixi, vsum inquam huiusmodi esse valdè rationabilem: tum propter reuerentiam Sacramenti: tum ob mysteria, quæ illis conditionibus designantur. Primo enim hostia debet esse rotunda quia hæc figura caret principio, & fine,& sit ad repræsentandum ipsum Deum qui principio caret, & fine: item ad denotandam perpetuitatem sacreficij nouæ legis vsque ad finem mundi, ad differentiam sacrificiorum veteris legis: vnde sanguis Christi dicitur noni & æterni testamenti ita Durandus in Rationali lib. 4. cap. 30. Similiter particulæ seu minores hostiæ formantur in modum denarij: quia hoc Sacramentum datur tanquam denarius & vt merces laborantibus in vinea Domini, ita Gemma lib. 1. cap. 35. Secundo debet hostia esse candida & mundissima ex decreto Aniceti apud Burcardum lib. 5. cap. 29: quia Christus candor est lucis æternæ. Tertio debet esse integra & non fracta ad designandam Completam Christi Domini perfectionem ex concil. Coyacensi cap. 3. Quarto debet esse cum imagine crucifixi: quia in hoc sacrificio incruento repræsentatur sacrificium crucis & cruentum. His positis dubium est quale peccatum sit variare prædictas conditiones.

Respondeo & dico primo. Non videtur peccatum mortale sed solùm veniale ex genere suo. Probatur quia non constat de præcepto rigoroso seruandi prædictas conditiones: & vbi non constat de præcepto non est asserenda obligatio grauis & sub peccato mortali. & quamuis consuetudo Ecclesiæ illas præscribat: non videtur tamen introducta cum tanto rigore, vnde ad summum obliget sub veniali secluso scandalo vel contemptu.

Confirmatur quia communiter consecrari solent minores hostiæ, in quibus vt plurimum non est imago crucifixi & aliquæ non sunt omnino

nino integræ quando Magna illarum multitudo consecratur ergo signum est prædictos ritus non obligare cum tanto rigore.

Limita nisi carentia alicuius ex prædictis conditionibus induceret grauem irreuerentiam contra sacramentum E g.si hostiæ inesset notabilis macula. vel si maior hostia esset enormiter fracta; tunc enim committeretur graue peccatum contra ius naturale ob grauem irreuerentiam,de qua re dicemus in rubricas de defectibus tit. 10.n.9. Ita Suarez in 3 p.tom.3.disp.85.sect.2.S. Primo igitur, Bonacina de sacram. disp.4.quæst.vlt. pun.10.n. 9. Tamburinus opusc. de sacref. lib.2. cap.8.S. 8.n.6.

Dico secundo. Defectus prædicti si fint voluntarij & extra casum necessitatis non excusantur à peccato veniali propter recessum à regulis Ecclesiæ & nonnullam indecentiam, Vnde si præuideantur ante Missam, vel in ipsa missa, ante factam oblationem, vic ri omnino debent si absque scandalo fieri possit vt dicemus in rubricas de defectibus & docent citati DD.

PVNCTVM V.

De mutatione rituum quo ad circunstantias loci et temporis determinatas in rubricis, quale peccatum sit.

E g. si sacerdos recitet in Cornu Altaris, quod esset dicendum in medio, vel anticipet, vel postponat cæremonias Missæ.

Respondeo mutationem huiusmodi esse peccatum veniale ex genere suo: videlicet si ex negligentia non seruentur ritus eo præciso tempore & loco quo in rubricis præscribitur. Probatur quia ex vna parte hæc variatio est contra rubricas præceptiuas: ex alia parte est leuis transgressio, quia non est contra substantiam præcepti sed contra circunstantias accidentales: ergo peccat sacerdos sed solum venialiter. Breuiter autem in gratiam sacerdotum hic adnotabimus nonnullos casus, in quibus freqnentius plerique labuntur: ex quibus alij similes dignosci & vitari poterunt.

Primo. Aliqui dum ascendunt ad Altare completa oratione. Aufer à nobis &c. statim per gradus incipiunt sequentem, Oramus te &c. antequam manus iunctas ponant super Altare quod est contra rubricam ita Castaldus in Praxi lib.2. sect 8.cap.3. n.2.

Secundo alij non dum finito introitu accedunt ad medium Altaris; vel eundo incipiunt *Kyrie*: vtrunque contra rubricas, quæ præcipiunt accedendum esse ad medium Altaris finito introitu: & Kyrie esse dicenda cum sacerdos peruenerit ad medium Altaris & non antea. Castaldus supra. Similiter Munda cor meum & Dominus sit in corde meo ante Euangelium, dici debent in medio Altaris a sacerdote. profundè inclinato, non autem dum ipse sacerdos accedit ad librum Euangelij

Tertio nonnulli deponunt hostiam super corporale ante completam orationem Suscipe sancte pater contra expressa verba rubricæ: & similis defectus committi solet in oblatione, & depositione Calicis.

Quarto in benedictione aquæ plures incipiunt orationem Deus qui humanæ substan. &c. quando infundunt vinum in calicem, contra rubricam quæ ordinat incipiendam esse cum benedicitur ipsa aqua immediate ante quam infundatur in Calicem.

Quinto in principio Canonis. aliqui incipiunt verba te igitur dum eleuant manus, contra rubricam quæ præcipit incipiendum esse positis manibus iunctis super Altare ita Castaldus lib.2 sect 8 cap.6.n.1

Sexto aliqui non coniungunt orationes & verba cum actionibus adnexis. sed vel præueniunt vel postponunt E.g.ante consecrationem, verba illa Accipiens panem pronuntiari debent eo præciso tempore quo accipitur hostia non antea nec postea. Similiter illa verba eleuatis oculis in Cælum, pronuntiari tunc debent quando fit eleuatio oculorum & sic de alijs similibus.

Septimo ante communionem plures genuflectunt non dum completa vltima oratione Perceptio &c. & e contra illa verba Panem cælestem accipiam, proferunt post erectionem, vtrumque contra rubricas præcipientes vt genuflexio fiat completis orationibus & illa verba Panem cælestem,dicantur dum sacerdos se eregit.

Tandem dicto Ite Missa est aliqui statim incipiunt orationem Placeat tibi sancta Trinitas &c. antequam se conuerterint ad Altare contra rubricam præcipientem oppositum, vt sacerdos stans iunctis manibus super Altari dicat placeat &c. Nec putet aliquis hæc negligi posse vt leuiora & minuta, nam si nugæ in ore sacerdotum reputantur blasphemiæ: quid dicendum de negligentijs, e defectibus voluntarijs commissis in ipso actu celebrationis tremendi sacrificij.

PVN

PVNCTVM VI.

De mutatione per transpositionem partium Missæ.

E G. si quis vellet incipere Missam ab Euangelio, vel dicere introitum post Epistolam &c. quæritur quale peccatum cōmitteret. Ratio dubitandi est quia similis transpositio vel inuersio ordinis inter partes officij diuini non excedit culpam venialem, etiam si fiat absque causa vt tradunt DD. in tract. de horis. & videri potest apud *Diana* par. 2. tract. de hor. resolut. 16. ergo videtur idem affirmari posse de simili mutatione inter partes Missæ. Nihilominus.

Respondeo, & dico ptimo inuersio, & transpotio prædicta est peccatum mortale ex genere suo posita sufficienti aduertentia, & solùm transit in veniale ratione paruitatis materiæ vt præsertim notat Auersa de sacrificio, q. 12. sect. 12. Probatur hæc mutatio seu inuersio æquiualet mutilationi, & omissioni ejusdem partis, quæ transponitur; ergo sicut omissio, & *mutilatio est* peccatum mortale ex genere suo vt supra dicebamus, ita pariter *inuersio*, & *transpositio*. Probatur antecedens illa pars Missæ quæ remouetur a suo proprio loco, & transfertur in alium locum fit prorsus inutilis ad compositionem Missæ: quia extra proprium locum nō coheret alijs partibus, nec confert ad Missæ decorem, neque ad significationem propter quam fuit instituta: Ergo perinde est ac si omnino omitteretur. Imo velle postea illam resumere, & alibi affigere ordine præpostero, nouum malum est, & noua deformitas vt recte probat Suarez in 3. p. disp. 85. sect. 2 E. g Epistola seu prophetia dicitur ante Euangeliū, quia lex gratiam præcurrit item quia predicatio sancti Ioannis Baptistæ præcessit prædicationem Christi, vnde inuersio ordinis destruit mysterium, & significationem partium.

Confirmatur primo quia secundum regulas Missalis pars omissa in proprio loco non debet postea [illegible]mi, & recitari alibi, vt constat ex rubricis de defectibus tit. 5. eo quia repititio illa magis perturbat atque confundit ordinem aliarum partium, quam aliquid decoris conferat: ergo *transpositio* prædicta nedum æquiualet *omissioni* sed peior est illa, ita Suarez loco citato, *disput.* 53. & sect. 3. loquimur autem hic de partibus accidentalibus nam de partibus substantialibus est alia ratio vt infra.

Confirmatur secundo Exemplo. qui manum alicui obscinderet, & postea eiusdem collo appenderet, magis peccaret quam simplex mutilator: quia illa noua afflictio nedum est inutilis sed causatiua maioris deformitatis; ita pariter in casu nostro.

Ex quibus patet ad rationem dubitandi, quia inter partes officij non est ea connexio tam necessaria nec transpositio sic destruit mysteria.

Dico, secundo. Ad discernendum in particulari quando hæc transpositio fit peccatum mortale in indiuiduo vel potius sit veniale ratione paruitatis materiæ; distinguendum est primo inter partes essentiales missæ quales sunt Consecratio, & Communio, & alias partes accidentales quæ ab Ecclesia sunt institute ad Missæ ornatum, hoc posito.

Dicendum est primo inuersionem ordinis inter partes essentiales semper esse peccatum mortale: quia versatur circa materiam grauissimam.

Quoad partes vero accidentales cum aliæ sint maioris, aliæ minoris dignitatis, dicendum est secundo, quod sicuti in omissione earumdem partium aliquando committitur peccatum mortale si pars omissa notabilis sit; aliquando solùm veniale si pars omissa leuis sit, & modica; ita pariter dicendum est de transpositione. Maior etiam apparet deformitas in transpositione quæ fit inter partes, & eterogeneas, & dissimiles, quam inter partes similes.

Colligitur primo. Quoad pattes veluti homogeneas seu similes vt sunt plures orationes plures Epistolæ, transpositionem communiter non excedere culpam venialem E. g. si dicatur secūdo loco illa oratio quæ tertiò loco recitari deberet; & sic de Epistolis quando plures dicuntur. Ratio est quia non destruitur significatio, neque remouentur omnino, & simpliciter a suo loco. Contra vero tranpositio inter partes, eterogeneas ex genere suo est. peccatum mortale: quia omnino dissoluitur cohetentia inter partes, & compositio missæ.

Colligitur secundo, esse graue sacrilegium perturbare, & inuertere ordinem consecrationis specierum E.g. si quis vellet prius consecrare calicem deinde panem. Primo quia fieret contra vniuersalem consuetudinem Ecclesiæ in re grauissima, imò contra factum ipsius Christi Secundo quia nonnihil obscuratur, & confunditur significatio effusionis sanguinis Christi quæ præsupponit corpus praexistens ita Suarez de sacram. disp. 75. sect. 6. vers. sed quæret aliquis Sotus in quartò distinc. 11. quæst. 2. art. 6. Bonacina de sacram, disp. 4. quæst. 2. punct. 3. num. 3. & 7.

Verum autem prædicta inuersio sit contra substantiam sacrificij. Dicendum est probabilius esse eam non opponi essentiæ & valori sacrificij: quia re vera ponuntur ambæ partes essentiales vtriusque consecrationis: nec destruitur mystica significatio effusionis sanguinis: quia hæc repræsentatur per consecrationem distin-

ctam vtriusque speciei, quatenus ex vi verborũ ponitur sanguis separatus a corpore,& e contra. Et quauis aptius, & connaturalius hæc repræsentatio fiat præmissa consecratione corporis ante consecrationem sanguinis; nihilominus non destruitur absolutè prædicta inuersione. Ita Suarez loco citaro Auersa de sacrificio quæst:11. sect.26. §. est que planè.

Colligitur tertio. Committi etiam graue peccatum per inuersionem ordinis in sumptione sacramenti,vt si quis prius vellet sumere sanguinem quam corpus ob similem rationem supra explicaram.

Colligitur quarto. Quandó ex inanduertentia naturali aliquid omirtitur in Missa E.g.introitus vel Gloria vel Epistola &c. non resumi debere, nec repeti extra proprium locum id quod fuit omissum, regulariter loquendo; sed prosequendam esse suo ordine ipsam Missam. quia vt supra dicebamus repititio potius perturbat quam aliquid boni conferat loquendo de partibus accidentalibus. Ita Suarez tom. 3. in p.3.disput.83. sect.3. Syluester verbo Missa 1. quæst.5.§.4 & alij summistæ communiter. Dixi regulariter,nam ea quæ pertinent ad substantiam sacrificij necessario suppleri debent vt dicemus in rubricas de defectibus imo suppleri quandoque debet aliquis ritus grauis quamuis accidentalis E.g myxtio aquæ cum vino, quæ semper debet suppleri ante consecrationem non autem post consecrationem. In super si sacerdos paulo post aduertat se prætermisisse aliquam partem notabilem E.g. Euangelium. & inchoasset symbolum vel offertorum; deberet statim resumere: quia quod parum distat nihil distare videtur. Ita Suarez supra disp.85.sect.2. Auersa de sacrif. quæst.11. sect.16.§.9.

SECTIO VI.

De rubricis directiuis.

An sit in illis aliqua vis obligandi.

Rubricæ directiuæ appellantur quæ non continent præceptum sed instructionem, & consilium. Quales sunt communiter illę quibus monetur sacerdos de agendis vel dicendis ante Missam, & ea finita vt supra dicebamus sect.2. pun.2. de quibus sigillatim dicemus in progressu huius operis; hic solùm breuiter adnotabimus id quod pertinet ad earum obligationem.

PVNCTVM I.

De omissione rituum de quibus disponitur in rubricis directiuis an culpam contineat.

Respondeo per se loquendo nullum esse peccatum. Probatur hoc est discrimen inter consilium, & præceptum, quia videlicet consilium non obligat ad culpam, præceptum vero obligat; sed rubricæ directiuæ non continent præceptum sed consilium ergo &c.

Dixi per se loquendo. Primo quia in prædictis rubricis plura continentur quæ iure communi omni rigore præcipiuntur sub peccaro mortali E. g. confessio præmittenda ante Missam ab eo qui sibi conscius est peccati mortalis. ieiunium naturale, sacræ vestes quas induere debet ex præcepto celebraturus, & alia huiusmodi; cæterum in prædictis non oritur obligatio ex ipsis rubricis sed aliunde ex iure canonico. Secundo quia ratione contemptus vel scandali certum est transgressionem prædictarum rubricarum posse transire in peccatum mortale vt alias diximus. Tandem aduertendum in transgressione huiusmodi regularum Missalis communiter non deesse culpam venialem ratione praui finis vel motiui quod inducit ad earum trasgressionem, & vt plurimum solet esse vel rorpor animi. vel negligentia vel nimia propensio ad alias occupariones præsertim vanas, & contra rectam rationem. Raro enim finis rectus, & rationi conformis abducit a seruandis regulis ecclesiasticis præsertim quoad sacrificium. Ita docet diuus Thomas 22. quæst 186. art. 9. ad 1. Sanchez in simili tom. 2. sum. lib. 6. cap. 4. n. 14. valentia. Baudinus, & alijs quos citat, & sequitur Peregrinus in comment. ad nostras constitutiones in proæmio litera A.

PVNCTVM II.

De additione. An sit illicitum aliquid addere ritibus præscriptis in rubricis directiuis.

E.G. addere aliquam orationem ex priuata deuotione dum sacerdos se induit sacris vestibus dũ procedit ad Altare &c. aliqui nimis rigidè hoc reprehendunt; quia putant esse prohibitum quidquid in rubricis non ordinatur expresse, quod sibi colligere videntur ex præcepto Pij V. in Bulla Missalis quo simpliciter prohibetur additio ad ritus Misse. Nihilhominus,

Respon-

Respondeo non esse illicitum sed potius laudabile pias aliquas preces recitare vltra eas quæ sunt præscriptæ in Missali dicendas ante vel post Missam. Probatur quia secundum se hoc non est malum sed potius. opus pium, & honestum: & ex alia parte nulla obstat prohibitio: quia vt dicebamus rubricæ directiuæ solam instructionem continent, & consilium, non vero præceptum ergo &c.

Nec obstat præceptum Pij V. supra relatum: quia loquitur de ritibus exercendis intra Missam, & in ipso actu celebrationis vt alias probauimus; Ita Nauarrus de orat. c. 19. n. 105. Oratorianus Premuli in memor. Cleric. p. 3. c. 9. Bonamicus in obseruat. ecclesiast. par. 2. n. 4. qui laudant sacerdotem recitantem psalmum miserere dum procedit ad Altare.

Confirmatur quia peritissimi sacrorum rituum consulunt vt sacerdos sacris indutus in egressu a sacristia se ipsum & ministrum aspergat aqua benedicta dicendo Asperges me Domine &c. vt monent Castaldus in praxi cærem. lib. 1. sect. 4. cap. 1. n. 7. Bonamicus supracitatus cum alijs: & tamen rubricæ nihil dicunt de hac cæremonia; ergo falsum est loquendo de rubricis directiuis censeri prohibitum quod in illis expresse non ordinatur.

Confirmatur secundo. Quia etiam intra ipsam Missam permittuntur breues orationes iaculatoriæ vt alibi diximus ex declaratione sacræ congregationis apud Gauantum in rubric. Missalis p. 1. tit. 16. n. 2. ergo a fortiori extra Missam præsertim si non omittantur illæ quæ præscribuntur.

Colligitur si sacerdos dum procedit ad Altare nondum recitauerit illam orationem directiuam intentionis quæ communiter dicenda consulitur; videlicet ego volo celebrare Missam, & conficere corpus, & sanguinem &c. optimum esse consilium vt eam recitet in via dum e sacristia ad Altare progreditur, & eam recitantibus Gregorio XIII. concessit indulgentiam 50. annorum.

PVNCTVM III.

De mutatione circa ritus prædictos An contineat peccatum.

Respondeo per se loquendo nullum esse peccatum loco orationum, & precum, quæ dicendæ præscribuntur in Missali ante, & post Missam alias pias, & deuotas ad libitum celebrantis recitare; quia rubricæ eas præscribentes non continent præceptum sed consilium vt patet ex supradictis, & docet Garzias de sacerdot. tract. 3. difficul 8. pun. Dixi per se loquendo: quia ex motiuo vano vel contra rationẽ potest hic interuenire peccatum veniale vt supra dicebamus puncto primo.

Dubitari potest hic primo vtrum in opinione illorum qui sustinent rubricas circa missarum qualitatem esse directiuas, an inquam possint excusari ab omni culpa variantes huiusmodi ritus, & recitantes Missas votiuas vel de requiem in festis duplicibus.

Respondeo excusari posse, quia operantur iuxta opinionem probabilem, secundum quam nullum præceptum violant, de qua re diximus supra sect. 2. pun. 3. vbi firmauimus oppositam opinionem esse longe probabiliorem. Excipiunt communiter DD. festa duplicia de præcepto vel saltem solemniora in quibus ob periculum scandali damnant peccati mortalis recitantem Missam de requiem in publica Ecclesia; nam in priuato sacello cessat illud periculum vt docet Tamburrinus opusc. de sacrif. lib. 2 cap. 6 §. 1. n 7.

Dubitatur secundo, vtrum secundum opinionem probabiliorem quę docet rubricas prędictas circa missæ qualitatem esse præceptiuas an inquam excusari possit etiam a culpa veniali sacerdos, qui ex causa rationabili in festis duplicibus etiam solemnioribus dicit Missam votiuam vel de requiem. E.g. luscus qui non bene discernit literas Missalis nec potest legere ex Missali Missam currentem, sed dicit illam quam scit memoriter, sine periculo errandi in alijs cæremonijs, & ritibus exercendis.

Respondeo si vrgeat necessitas vel cõmunicandi infirmum vel satisfaciendi populo qui alias in die festo non posset audire Missam; excusaretur sacerdos ab omni peccato: quia præcepta Ecclesiæ non obligant cum tanto rigore quoad ritus non valde graues. Si vero non adsit alia causa nisi deuotio celebrantis; dicendum est non excusari absque dispensatione sum. Pont præsertim si vellet quotidie celebrare contra predictas rubricas. Oppositum tamen non videtur omnino improbabile: quia rubricæ prædictæ non obligant nisi sub veniali (secluso scandalo vel contemptu) quæ obligatio cessare videtur stante causa rationabili; videtur autem causa rationabilis feruens deuotio sacerdotis, ne se, & Ecclesiam priuet fructu sacrificij modo celebret in priuato sacello ad vitandum scandalum; Ita Tamburrinus opusc. de sacref. lib. 1. cap. 5. §. 1. n. 12. Vide etiam Dianam p. 9. tract. 9. resolut. 30.

PVNCTVM IV.


De rubricis contentis sub titulo de defectibus,

Vtrum sint directiuæ.

Respondeo ex communi DD. sententia, has rubricas esse directiuas propriè, & secundum se: seu esse instructiones doctrinales ab Ecclesia propositas. Probatur non esse preceptiuas; nam vel eam vim obligandi haberent ratione præcepti Pij V. in Bulla Missalis: vel quia in se continent verba preceptiua: Neutrū dici potest ergo &c. Non primum quia præceptum Pij V. vt alias explicauimus cadit solum super cæremonias, & ritus exercendos intra Missam in ipso actu celebrationis, & inter partes ex quibus Missa componitur; sed defectus de quibus agitur in predictis rubricis non sunt partes Missæ, sed casu vel ex negligentia contingunt; modus autem supplendi solùm proponitur, & suæ nauuræ relinquitur videlicet iuxta gradum doctrinæ quæ affertur; Non secundum vt patet iegentibus; quia solùm declarant quid sit agendum positis his vel illis defectibus.

Nec obstat quod aliquando in eisdem rubricis declaratur grauissime peccare facientes oppositum eius quod ibi præscribitur; quia ea declaratio non fundatur in præcepto ibidem lato, sed declaratur obligatio sacrorum Canonum iuris communis, vel etiam obligatio iuris diuini quando aliquid omittitur vel committitur contra substantiam sacrificij aut veritatem sacramenti. Ita suarez dispnt. 8. sect. 1. vers. ad secundam confirmationem. Lezana in suma verbo Missa n. 59. Gauantus in rubricas Missalis par. 3. tit. 9. Pellizzarius tract. de monial cap. 10. sect. 3. n. 241.

Colligitur rubricas de defectibus non esse speciales constitutiones inducentes nouam obligationem; sed esse meras instructiones doctrinales de supplendis defectibus Missæ vel ex præscripto sacrorum Canonum, vel ex doctrina Theologorum quam suæ naturæ relinqunt, & probabilitati quam habent ex suis principijs. Si vero id quod continent sit aliunde preceptum consideranda erit vis, & natura illius precepti ex suo fonte; nam ex vi precisa rubricarum nulla additutr. obligatio DD. citati.



PARS



PARS PRIMA COMMENTARIORVM.

In primum ordinem Rubricarum MISSALIS ROMANI.

RVBRICÆ GENERALES.



Vbricæ initio Missalis apposi- tæ quas explicandas aggredi- mur in tres ordines seu clas- ses distribuuntur. Primi or- dinis dicuntur rubricæ gene- rales ob varias quas conti- nent regulas spectantes ad plures species Missarum, idest de festis, de fe- rijs, Votiuis, & pro defunctis; genus autem est quod sub se continet plures species, & id circo generales appellantur. Vel etiam vt di- stinguantur à rubricis proprijs, & particulari- bus, quæ sparsim habentur in Missali in pro- prio Missarum de Tempore, vel de Sanctis; qua ratione omnes etiam rubricæ hic initio Missalis appositæ sub hoc primo titulo compre- henduntur; sed hæ rubricæ primi ordinis sim- pliciter, & absque addito Generales dicuntur.

Secundus ordo inscribitur Ritus seruandus in celebratione Missæ, continens rubricas, qui- bus exactissimè explicantur cæremoniæ tum in ipso actu celebrationis seruandæ; tum an- te, & post Missam.

Tertius deniq; ordo inscribitur de defectibus occurrentibus in celebratione Missarum, vbi ipsi defectus declarantur, & modi quibus sup- pleri debent.

Vnde in tres etiam partes diuidimus hæc cômentaria iuxta triplicem ordinê rubricarû.

PROOEMIVM.

MISSA quotidie dicitur secundum ordinem Officij: de festo Duplici, vel Se- miduplici, vel Simplici; de Dominica, vel Feria, vel Vigilia, vel Octaua, & extra ordinem Officij, Votiua, vel pro Defunctis.

EXPOSITIO LITERALIS.

IN hoc veluti proœmio tria potissimum con- tinentur. Primò insinuatur obligatio quo- tidie celebrandi (ibi) Missa quotidie dicitur. Secundò proponitur conformitas quæ debet esse inter Missam, & Officium (ibi) secun- dum ordinem Officij. Tertio explicatur di- uersitas Missarum (ibi) de festo Duplici, vel Semiduplici &c.

Quoad primùm Missa quotidie dicitur ex antiquissimo vsu Ecclesiæ. Vnde S. Andreas Apostolus dicebat; Ego quotidie immolo Deo agnum immaculatum. Et diuus Augustinus Epist. 23. semel inquit immolatus est Christus in se ipso, & tamen in sacramento omni die populis immolatur. Idem testantur Cipria- nus, Gregorius, Ioannes Chrysostomus quo- rum auctoritates ad vitandam prolixitatem o- mittimus. An autem hoc cadat sub obligatio-

ne inferius dicemus in dubijs conscientiæ.

Quo ad Secundùm Missa regulariter debet esse conformis Officio, seu horis canonicis præsertim Missa principalis seu conuentualis. Dixi regulariter ob nonnullas exceptiones infra explicandas; E.g. in Sabbatis Aduentus, & in Vigilijs quæ veniunt infra octauas. Ratio huius conformitatis videtur esse, Quia ab Ecclesia destinantur singuli dies, vel in cultum, & honorem alicuius sancti; vel in memoriam alicuius mysterij, & operis diuini; & consequenter ipsa Ecclesia ordinat in eundem finem omnes sacras functiones cuiuslibet diei; quarum præcipuæ sunt officium canonicum, & Missa; sic enim integrum cultum, & non dimidiatum exhibet illis quos intendit colere. Hinc Missa, & officium conuenire debent non solùm in ordine ad Deum vltimum finem; sed etiam in ordine ad finem proximum, videlicet ad cultum talis sancti, vel talis misterij venerationem. Vbi breuiter aduertendum quamuis sacrificium offerri non possit nisi soli Deo ob supremum latriæ cultum quem continet; nihilominus offertur etiam ipsi Deo in honorem sanctorum, & in gratiarum actionem de illorum victorijs, vt patet ex Tridentino sess. 22. cap. 3. Itaque semper Deus ipse principaliter adoratur, & colitur vel vt mirabilis in sanctis suis, vel vt sanctus in operibus suis.

Secunda ratio assignari potest quia Officium est præparatio, & dispositio ad Missam; quare in rubricis præscribitur vt saltem matutinum cum laudibus præmitti debeat celebrationi Missæ; dispositio autem debet esse proportionata vltimæ, & sublimiori formæ ad quam disponit; ergo officium, & Missa in casu nostro debent habere conformitatem.

Quoad tertium: Missa dicitur vel de Duplici &c. vel de Dominica, vel de feria, ritu, magis vel minus solemni, ob diuersa, & inæqualia merita sanctorum, qui secundum Apostolum differunt sicut stellæ in claritate, vt notat Durandus in rationali lib. 7. cap. 1. vel propter diuersa beneficia per ipsos in Ecclesiam collata, vnde Apostolus 1. ad Thimot. 5. Qui laborant in verbo, & doctrina duplici honore digni habeantur. Potest etiam non incongruè afferri illud ex hymno in laudem S. Ioannis Baptistæ.

Serta ter denis alios coronant
aucta crementis duplicata quosdam
Trina te fructu cumulata centum
Nexibus ornant.

Quod alludit ad parabolam seminis Euangelici Matt. 13. producentis fructum vel trigesimum, vel sexagesimum, vel centesimum. In aliquibus enim sanctis est fructus trigesimus, & simplex, cui correspondet officium simplex. In alijs est sexagesimus, & duplicatus, cui respondet Officium Duplex. In alijs est semiduplex qui medio modo se habet pro Officio semiduplici. Centesimus deulque spectat ad meritum excelsum sanctorum insignium, pro quibus fit Officium primæ classis. Dicitur etiam nèdum de sanctis duplicibus, vel semiduplicibus de quibus diximus, sed etiam de Dominica, vel de feria &c de quibus dicemus infra sub proprijs titulis.

SENSVS MYSTICVS.

Circa primum; Missa dicitur quotidie in sensu tropologico, vt sicut Christus pro nobis Deo quotidie immolatur in Altari in memoriam, & renouationem sacrificij Crucis; ita pariter quotidie fideles se ipsos Deo sacrificent per crucis mortificationem; vnde Apostolus secunda Corint. 4. semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes.

Circa secundum; in conformitate Missæ cum officio etiam tropologicè commendatur animorum concordia inter fideles, vt vnanimes vno ore honorificetis Deum, & patrem Domini nostri Iesu Christi. ad Rom. 15.

Circa tertium; est sensus Anogogicus; nam ex Dionysio Areopagita de Hierarc. Ecclesiast. hæc Hierarchia in terris repræsentat cælestem, eamque æmulatur; vnde sicut in Hierarchia cælesti in varios ordines disponuntur, & coronantur sancti secundùm diuersitatem meritorum; ita in Ecclesia varijs ordinum ritibus in Missa, & officio honorantur, Durandus in Rationali lib. 7. cap. 5.

DVBIA CONSCIENTIAE

DVBIVM PRIMVM.

Vtrum in qualibet Ecclesia sit obligatio celebrandi quotidie.

Respondeo; in singulis Ecclesijs Cathedralibus, Collegiatis, & Conuentualibus debet ex graui præcepto quotidie offerri sacrificium Missæ si sit competens sacerdotum numerus. Probatur primo ex cap. Cum Creatura de celebr. Missarum vbi id expressè præcipitur.

Probatur secundò ex vniuersali totius Ecclesiæ consuetudine, quæ vim legis obtinet iuxta communem sensum DD. quare prædicta obligatio grauis est, & sub peccato mortali: ita Sotus in 4. distinct. 3 quæst. 2 art. 1. Suarez in par. 3. tom. 3. disput 80. sect. 2 Layman de sacrif. cap. 3. n. 5. Coninh. de sacramentis quæst. 83. art. 2. dub. 1. & alij passim.

Ratio

Ratio seu motiuum talis præcepti fuit, quia sacrificium Missæ est in primis necessarium tum ad reddendum Deo cultum debitum, tum in bonum, & subsidium fidelium tam viuorum quam defunctorum; vnde merito ordinatum fuit ne vlla dies prætereat, in qua tam sublime, & tam necessarium sacrificium non offeratur in præcipuis Ecclesijs.

Colligitur primo; hanc obligationem per se ptimo afficere Prælatos, & Rectores Ecclesiarum, ad quos pertinet cura vt Deo debitus exhibeatur cultus, & leges Ecclesiasticæ seruentur præsertim in re tam necessaria; DD. citati.

Colligitur secundò: sub prædicta obligatione comprehendi Ecclesias regularium sub nomine Ecclesiarum Conuentualium, ita Alcozer in rubricas Missalis test. 13. glos. 3. Rodriquez tom. 1. quæst. regular. quæst. 43. art. 14. Castaldus in praxi cærem. lib. 2. sect. 6. cap. 13. & alij communiter. Imo comprehendi etiam Ecclesias monialium, & teneri Superiores earum curare vt in ipsarum Ecclesijs per cappellanos quotidiè celebretur Missa, vt rectè ex Sylnestro Gorduba, & alijs probat Tamburrinus de iure Abbatissarum disput. 16.

Colligitur 3. Quot Missæ in singulis Ecclesijs prædictis celebrari debeant? Dicendum est enim ex vi iuris communis cap. citati Cùm Creatura, satisfieri prędictæ obligationi vnico sacro vt contra Abbatem, & alios probant Suarez, Layman, Coninch & alij supra citati; quia ibi solùm præcipitur Missa conuentualis. Quid autem sit dicendum quando per rubricas Missalis plures Missæ conuentuales celebrari debent, infra explicabimus. Dixi vi iuris communis. quia insuper attendi debent cuiusque Ecclesiæ consuetudines, & obligationes ex literis fundationis, & ratione legati vel stipendij, quibus etiam necessario satisfacendum erit, ita Layman cum alijs supra citatis.

Colligitur quarto illud vnicum sacrum ex vi iuris communis celebrandum, debere esse de die secundùm ordinem Officij; quia hoc exprimitur in cap. citato cùm creatura.

Colligitur quinto Quot sacerdotes requirantur in quaibet Ecclesia, vt dici possit Conuentualis. ad contrahendam hanc obligationem quotidianæ celebrationis? Nam DD cōmuniter solum dicunt debere esse numerum competentem seu mediocrem. Quod si numerus sacerdotum sit valdè exiguus; tunc asserunt vel nullum vel saltem non fore mortale peccatum semel aut iterum in hebdomada sacrum intermittere, vt videri potest apud Layman de sacrificio cap. 3. n. 5. Addit Peyrinis de priuileg. tom. 3. cap. 1. n° 20 Tres sacerdotes sufficere vt contrahatur obligatio celebrandi quotidiè Sed videtur sententia nimis rigida, quam alij reijciunt apud Nigrum in additionibus ad Ruiz. p. 1 præsup. 1. quæst. 14. Dicendum est ergo numerum denarium vide ti exiguum: Eo quia numerus est multitudo ex vnitatibus composita: vnde vnitas non est numerus sed principium numeri: binarius ergo est numerus infimus; Ternarius exiguus, vt pote parum distans ab infimo: quare numerus supraternarium videtur competens & mediocris, qui etiam sufficit ad constituendum chorum, sicuti ex communi sententia docet Pater Diana 2. p. in tract. de hor canon. resolut. 31. Vnde concludimus in illis Ecclesijs in quibus non sunt nisi tres sacerdotes, non fore peccatum mortale omittere sacrum semel vel iterum in hebdomada. Imo victoria de Euchar. nu. 94. absolute negat peccari mortaliter si aliqua die Sacrum intermittatur in aliqua Ecclesia conuentuali; quod tamen alij DD. non admittunt nisi ex causa rationabili, vt mox dicemus.

Colligitur sexto hanc obligationem celebrandi quotidie intelligendam esse moraliter, quatenus impleri potest absq; notabili incommodo; & consequenter si ex aliqua graui vel rationabili causa quandoque omitteretur sacrum, talis omissio vacaret culpa ita Suarez tom. 3. in 3. p. disput. 80. sect. 2. cum alijs DD. citatis initiò huius dubij.

Colligitur septimo. Minores Ecclesias quæ neque sunt colligiales neque conuentuales, esse exemptas ab hoc onere: quia iura loquuntur de solis Ecclesiis Collegiatis, & Conuentualibus. Quid vero sit dicendum de Ecclesijs Parrochialibus mox examinabimus.

DVBIVM II.

Vtrum in Ecclesijs Parochialibus quæ non sunt Collegiatæ sit obligatio celebrandi quotidie.

Prima sententia obsolutè affirmat. Probatur quia Parochus tenetur prouidere suis onibus de Pascuis spiritualibus; ergo cum fideles communiter optent quotidie audire sacrum; tenetur Parochus celebrare vel per se, vel per alium quotidie in sua Ecclesia parocchiali. Ita Sotus libro 6. de iustit. quæst. 3. art 1. & in 4. distinct. 13. quæst. 2 art 2. fauet etiam Suarez supra citatus disput. 80. sect. 2. quatenus numerat Ecclesias Parochiales inter eas quibus incumbit obligatio celebrandi quotidie quamuis disp. 86. sect. 1. eximat Parochos a tali obligatione.

Secunda sententia communis, & vera negat posito quod Ecclesia Parochialis non sit Collegiata vel Conuentualis. Probatur primò quia Canones citati loquuntur solùm de Ecclesijs Colle-

Collegiatis vel Conuentualibus, Probatur secundò quia in Ecclesijs Parochialibus, quæ non sunt Collegitæ communiter non adest nisi vnus vel alter sacerdos, cui videtur intollerabile hoc onus imponere quotidianæ celebrationis, ita Layman de sacref. cap. 3. n 5. Conih. de sacram. quæst. 83. art. 2. dub. 1. Maior, Corduba, Nauarrus, & alij quos citat, & sequitur suarez disput. 86. sect. 1.

Superest explicandum qualem obligationem habeant Ecclesiæ Parochiales seu Rectores earum circa Missæ celebrationem. Quo circa.

Respondeo, & dico primo. Parochus seu Curatus tenetur sub peccato mortali celebrare in sua Ecclesia per se, vel per alium saltem illis diebus, quibus plebs sibi subdita tenetur ex præcepto audire sacrum. Probatur quia tenetur prouidere suis ouibus de ijs que sunt necessaria ad salutem, & ad seruanda præcepta. Ita Toletus lib. 2. cap. 3. Layman de sacref. cap. 3. vbi citat Azorium Coninh. tenet etiam suarez disput. 86. citata sect. 1. cum alijs communiter.

Dico secundò. Si ratione fundationis vel consuetudinis in Ecclesia Parochiali sit obligatio celebrandi quotidie vel sæpius in hebdomada debet omnino impleri vt per se patet: modo suppetant redditus necessarij, & moralis posibilitas ita Layman supra cum alijs citatis.

Dio Tertiò. Si diebus festis ob copiam, & frequentiam populi non sufficiat vnum sacrum vel necessariæ sint plures Missæ ad satisfaciendum deuotioni fidelium, etiã intra hebdomadam; ad munus Episcopi pertinebit huic necessitati prouidere, & præcipere parocho vt sæpius intra hebdomadam celebret vel alios sacerdotes conuocet in diebus festis, habita ratione decimarum, & aliorum redditnum ne plus æquo grauetur. Quod etiam probatur ex Tridentino sess. 23 cap 14 de reformat. Vbi sic habet, curet Episcopus vt presbyteri saltem diebus Dominicis celebrent: si autem curam habuerint animarum tam frequenter vt suo muneri satisfaciant, & docent suarez Layman locis supracitatis.

An teneatur Parochus applicare fructum sacrificij pro suis onibus. Aliqui affirmanr vt Sotus, Nugnes, Bonacina, quamuis diuersimodè vt videri poterit apud Auersam de sacrif. quæst. 11. sect. 17. §. specialiter verò, Alij tamen communiter negantvt Suarez in 3. p tom 3. disput. 86. sect. 1. Diana p. 2. tract. 14. resolut. 26. Auersa loco citato cum alijs quos referunt. Nec obstat Tridentinum sess. 23 cap 1. de reformat. vbi videtur præcipere prædictam applicationem. Nam concilium solùm loquitur de generali oblatione sacrificij, & de applicatione quo ad fructum impetrationis, non verò de fructu satisfactionis, seu speciali eiusdem sacrificij. Vbi etiam obiter adnotamus non teneri parochos subministrare necessaria volentibus celebrare in eorum Ecclesiis, nec posse ad hoc cogi ab Episcopo sed solum hortari sicuti declarauit sacra rituum Congregatio. 10. Iunij 1602. apud Barbosam de officio Parochi p. 1. cap. 11. n. 51.

DVBIVM III.

Vtrum singuli sacerdotes teneantur quotidie celebrare.

Respondeo licitum esse imo, & consultius per se loquendo, vt singuli sacerdotes quotidie celebrent; ad hoc tamen minimè obligantur; sed solùm vt celebrent aliquoties in anno in festis solemnioribus, de qua re dicemus in appendice in tract. de sacrif. sect. 3. pun. 3.

DVBIVM IV.

Vtrum posit quandoque sacerdos plures Missas eodem die celebrare.

Respondeo negatiue comuniter, & absolutè loqnendo vt patet ex cap. sufficit distinc. 1. de consecrat. excipitur tamen dies natiuitatis, & vrgens casus necessitatis de qua re infra a nobis agendum erit in tract. de sacref in Appendice huius operis.

DVBIVM V.

De diebus in quibus prohibitum est Missam celebrare.

Quæstio est de triduo Maioris hebdomadæ, &c.

Dubitatur primo de feria 5. in Cæna Domini

Prima sententia docet hac die non esse licitum singulis sacerdotibus sacrum facere: sed solum celebrandam esse Missam solemnem a superiore de cuius manu alij sacerdotes hac die communicant. Probatur ex vniuersali consuetunine Ecclesiæ, quæ vim legis habet, & consequenter obligat sub peccato mortali. de qua consuetudine constat primo ex ordine Romano antiquo cap. de Cæna Domini, & ex Alcuino lib de de diuin. offic. cap. de Cæna Domini. Secundo ex praxi, quæ communiter seruatur. Tertio referuntur in eius confirmationẽ nonnul la decreta sacræ rituum Congregationis. Nam vt refert Perficus de offic. sacerdotis libro 1. dub 6, n. 40. decreuit sacra Congregatio vnam tantum Missam hac die esse celebrandam. Item Gauantus in rubricas Missalis p. 4. tit. 8. n. 7. refert

fert factam Congregationem in Decreto sub die 27. Septembris 1608. præcipere communionem Cleri in Missa solemni huius diei; Ratio huius consuetudinis est representatio mysterij victimæ Cænæ in qua Christus Dominus primam Missam celebrauit, & communicauit Apostolos; Vnde solus superior celebrat & alij de eius manibus communicant. Hanc sententiam defendunt Franeolinus de hor. Canon. capit. 30. Azorius lib. 10. cap. 24. quæst. 5. & inclinat Gauantus loco citato.

Opposita tamen sententia est ferè communis, quæ docet absolutè loquendo non esse illicitum, nec prohibitum singulis Sacerdotibus, hac die Missam celebrare. Probatur quia nullibi constant de hac prohibitione, neque ex iure scripto neque ex consuetudine. Quamuis enim Sacerdotes communiter ea die non celebrent, quia communicaturi sunt in Missa solemni, nihilominus hoc faciunt ex decentia non ex obligatione. Vnde nonnulli Sacerdotes docti, & pij absque vllo scrupulo ea die sacrum faciunt. Ita Soto Nauarrus Angelus, quos citat & sequitur Suarez in 3. p. disput. 80. sect. 1. docet etiam Vasquez in 3. p. disput. 232. cap. 2. cum alijs quos citat, & sequitur Diana p. 6. tract. 6. resolut. 19.

Pro resolutione distinguenda hic est duplex *quæstio*, prima est de prælatis, & rectoribus Ecclesiarum, an peccent permittendo vt priuati Sacerdotes hac die celebrent in suis Ecclesijs. Secunda est de ipsis priuatis Sacerdotibus an sit illis prohibitum Missam celebrare. Hoc posito.

Respondeo & dico primo. Prælati & Ecclesiarum præpositi peccant si hac die permittant tot Sacerdotes sacrum facere, vt omittenda sit communio cleri in Missa solemni, vel fieri non possit cum debita solemnitate iuxta consuetum Ecclesiæ ritum: Probatur quia Prælati ex vi sui muneris & officij tenentur habere curam boni communis, & in casu nostro, vt sequentur Ecclesiæ ritus præcipuè quo ad functiones graues, & publicas, quas populus expectare solet. Alias minueretur Ecclesiarum decor, & cultus diuinus. Item scandalizaretur populus, quæ incommoda tenentur Prælati omnino vitare sub peccato mortali ex genere suo. Sed generalis communio cleri in hac die est functio *valdè* grauis & publica, quæ omitti non potest *absque nota*, ergò tenentur Prælati prouidere *ne omittatur* præsertim in Ecclesijs Cathedralibus & collegiatis in quibus est obligatio cantandi *Missas*.

Confirmatur à pari ex communi doctrina: quam asserunt DD. de Prælatis regularibus eos grauiter peccare si non corrigant vel non impediant trasgressiones regularum in suis subditis, etiam si regulæ non obligarent subditos ad culpam. Et ratio est quia ex ea negligentia vel conniuentia sequitur graue damnum communitati & relaxatio disciplinæ regularis, vt docent Sotus de ratione tegendi secretum Memb. 2. quæst. 2. conclus. 3. Bannes in 2. 2. quæst. 33. art. 2. dub. 2. Suarez tract. de charit disp. 8. sect. 2 n. 6. Sancto Faustus in Thesauro Relig. lib. 6. quæst. 152. n. 3. Peregrinus ad constitutiones cler. reg. in proæmio §. 1. Miranda, Tannerus, Villalobos, Coninh. & alij quos affert & sequitur Diana 3. p. tract. 2. resolut. 28. Sed eadem est ratio in casu nostro quo ad ritus solemnes Ecclesiasticos etiam si alias præscribantur in regulis directiuis. ergo non solùm Prælati regulares, sed etiam sæculares & Rectores Ecclesiarum grauiter peccant ex genere suo permittendo eorum trangressiones.

Vtrum autem in casu particulari de quo loquimur peccet mortaliter vel venialiter Prælatus qui est causa vt omittatur communio cleri in die cænæ Domini ob negligentiam, diiudicandum erit ex circumstantijs: nam in præcipuis Ecclesijs collegiatis, ad quas frequens est populi concursus & ex tali omissione grauis perturbatio vel populi offensio timetur, videtur graue peccatum, sin minus erit peccatum veniale. Ex quibus colligitur nullo modo peccare superiores & Prælatos si permittant paucos aliquos Sacerdotes celebrare, vnde non sit impedienda solemnis communio cleri.

Dico secundo Sacerdotes priuati nullo modo peccant hac die celebrando seclusa speciali prohibitione suorum Prælatorum. Probatur ex fundamentis secundę sententiæ, cui tanquam probabiliori adhærenius.

Ad argumentum primæ sententiæ respondeo cum Suarez, & Vasquez vbi supra, negando consuetudinem allegatam habere vim legis, vel obligare ad culpam, sed solùm introductam esse ob decentiam & representationem mysterij vt supra. Imo cum passim nonnulli celebrēt quamuis secreto, vel quando non est frequentia populi in Ecclesia, non videtur simpliciter introducta consuetudo prædicta. Consulendum tamen est vt priuatij Sacerdotes vel abstineant ea die a celebratione Missæ, vel vt secreto celebrent vt notat Gastaldus in præceremoniarum lib. 6. sect. 6. cap. 2.

Circa decreta sacræ congregationis considerandum esset primo an de illis constet autenticè. Deinde etiam si constaret dicendum est illis non præcipi nisi vt fiat communio cleri in Missa solemni, & præceptum afficere Prælatos & superiores, non autem priuatos sacerdotes.

DVBITATVR II.

De Feria Sexta Parasceue.

RESpondeo certum omnino esse iure ecclesiastico prohiberi Missarum celebrationem; quod ius declarauit Innocentius I. Epist. 1. ad Decent. cap. 4 & habetur in cap. Sabbato de consecrat. distinct. 3. & hodie omni rigore seruatur. Vnde certum est esse graue peccatum hac die celebrare Missam Imo neq; Missa solenis huius diei est verũ sacrificium nec Missa propriè dicta. Rationem huius prohibitionis explicat D. Thomas 3. p. quæst. 73. art. 2. ad 2. quem sequuntur communiter; quia ab Ecclesia recolitur memoria passionis Christi pro vt realiter gesta est, & ideo non repræsentatur mysticè per consecrationem sacramenti. Vide etiam Durandum in rationali lib 6. cap. 77. An autem hac die possit ministrari fidelibus Euchar. sunt probabiles opiniones pro vtraque parte apud Dianam p. 2. tract. 7. resolut. 24.

DVBITATVR III.

De Sabbato Sancto.

PRima sententia absolutè docet esse peccatum mortale hac die sacrum facere excepto vno solemni in singulis Ecclesijs. Probatur ex cap. Sabbato de consecr. distinc. 3; Vbi æqualiter sermo est de Sabbato Sancto, ac de feria sexta: ergo prohibitio dicendi Missam eiusdem rigoris est pro vtraque die. Hoc autem ius neque abrogatum est alio iure, neque consuetudine, ergo &. Ita Nauarrus in summa cap. 25. num. 88. Francolinus vbi supra, Vasquez in 3. partem disp. 233. cap. 2. & alij plures.

Secunda sententia extremè opposita docet licitum esse, seclusõ scandalo celebrari Missas, etiam priuatas à summo mane, & ante Missam solemnem, horis videlicet alias consuetis: Eo quia ius illud antiquum abrogatum fuit per contrariam Ecclesiæ consuetudinem, ne dum quoad Missam solemnem, sed etiam quoad priuatas. Probatur etiam quia cessante fine legis cessat eius obligatio, sed per consuetudinem Ecclesiæ antiquo iuri contrariam cessauit finis seu ratio legis prohibentis celebrationem Missarum: ergo &. Ideo enim olim in Ecclesia ea prohibitio vigebat, quia in die Sabbati erat in mærore ob Christi mortem, & sepulturam: quæ ratio cessauit facta anticipatione mysterij resurrectionis, & translato in sabbatum officio Paschali ita Cardinalis de Lugo de Euchar. disp. 20. sect. 1. Garzias, Hurtado, & alij apud Dianam p. 9. tract. 7. resol. 24.

Tertia sententia media cui tanquam probabiliori adhæreo docet esse licitum priuatim celebrare seclusõ scandalo non tamen simpliciter sed solum post Missam solemnem, vel cæptam iam Missa solemni. Probatur quia eatenus licitum est celebrare quatenus fit anticipatio mysterij resurrectionis, & lætitiæ Paschalis: sed hæc non incipit nisi in ipsa Missa solemni quando cantatur Allelvia & pulsantur campanæ: ergo tunc & non ante licitum est celebrare; Ita Suarez tom. 3 in 3. p, disput. 80. sect. 2. Fagundez, Perssicus. Amicus cum alijs quo affert, & sequitur Diana loco citato.

Vtrum autem Missæ priuatæ celebrari debeant sine introitu. Aliqui DD. apud Dianam 2. p. tract. 14. resolut. 21 asserunt dicendas esse cum introitu sequentis Missæ Dominicæ Resurrectionis, sed tenendum est dici debere sine introitu prout dicitur Missa solemnis: quia non est licitum aliquid addere ritibus in Missali præscriptis & ita seruatur Romæ in Ecclesia S. Marthæ prope Basilicam diui Petri, vbi ex priuilegio celebrantur Missæ à summo mane vsque ad meridiem. An vero dicendæ sint vesperæ; dicemus in 2. tom. dum de Sabbato Sácto

TITVLVS I.

DE DVPLICI.

MISSA dicitur de duplici illis diebus, quibus in Kalendario ponitur hæc nota, Duplex, & in Festis mobilibus, quandocumque Officium est duplex. In duplicibus dicitur vna tantùm Oratio, nisi aliqua commemoratio fieri debeat. Alia omnia dicuntur vt in proprijs Missis assignatum est. Quando dici debeat, Gloria in excelsis, & Credo, inferiùs ponitur in proprijs Rubricis.

EX-

EXPLICATIO LITERALIS.

Rationem diuersitatis inter festa duplicia, & alia inferioris ordinis supra assignauimus in proæmio. Cur autem in duplicibus vna tantum oratio dici debeat auctores communiter referunt ad sensum mysticum de quo infra. Quoad sensum literalem duplex ratio assignari potest. Prima est singulare meritum sanctorum quos Ecclesia veneratur sub ritu duplici, quorum singularem virtutem, & sanctitatem *vnica*, & singulari designat oratione tum in Missa, tum in officio. Quod confirmari potest ex verbis Ecclesiastici 4. quibus vti solet Ecclesia: non est inuentus similis illi qui conseruaret legem excelsi: quo loquendi modo singularem illorum virtutem exaltat.

Nec obstat hoc idem encomium pluribus aptari, & ideo non videri proprium nec singulare. Non inquam obstat: quia vel in peculiari virtute, vel in gradu, & modo virtutis quilibet extitit singularis nec alterum omnino similem habuit. Sicut enim Dei sapientiam admiramur in operibus creationis, in quibus effigies E. g. & vultus hominum in singulis est varia, & cuique singularis; imo inter angelos quorum multitudo est innumerabilis quilibet ab alio non solùm indiuidualiter, sed etiam specie differt iuxta celebrem doctrinam diui Thomæ, & Thomistarum: sic maiori ratione Deum admirabilem prædicamus in sanctis suis, quorum virtus, & sanctitas mira varietate refulget, & quilibet in aliqua virtute, vel dono est singularis. Hoc vero mysterium non in omnibus, sed in præcipuis sanctis veneratur Ecclesia quos duplici honore dignos habet.

Altera ratio est, vt prædictos sanctos maiori attentione, & feruore deuotionis piè colant fideles vnica tantum oratione; ne distrahantur ad plura: quia pluribus intentus minor est &.

SENSVS MYSTICVS.

Vnica dicitur oratio in Missa ob sacramētum vnitatis, quia vna fides vnum Baptisma vnus Deus &c. Ita Amalarius. Radulfus, Innocentius, quos affert Ganantus p. 1. tit 9.

Potest etiam in sensu Anagogico id referri ad statum beatitudinis: Nam festa sanctorum inter alias rationes, de quibus suse Durandus in rationali lib. 7. cap. 1 celebrantur ad erigendam spem nostram, & mentem ad statum beatitudinis: & præsertim festa solemniora, & maioris gaudij repræsentant gloriam sanctorum & statum vitæ beatæ, in quo cum nulla sit indigentia, vel miseria, non opus habent beati multiplicare orationes, & petitiones, vt liberentur à malis, vel vt consequantur alia bona. Vnde Augustinus tract. 101. in Ioannem. Nihil ibi rogamus, quia nihil desiderandum remanet. Vnde Vna est sanctorum oratio in laudem diuinitatis, quia incessabili voce proclamant sanctus &c. & hac ratione insestis duplicibus dicitur vna tantum Oratio. Contra in profestis & diebus ferialibus, quibus denotatur status vitæ præsentis plenus erumnis, plures dicuntur orationes quia à multis malis perimus liberari.

DVBIA CONSCIENTIAE.

DVBIVM I.

De uarijs classibus duplicium & de obligatione celebrandi Missas sub ritu dubplici.

Festa duplicia in quatuor ordines distinguuntur. Quædam enim dicuntur Primæ classis seu primi ordinis. Quædam dicuntur secundæ classis, & secundum locum obtinent, In tertio ordine collocantur duplicia maiora per annum. Tandem in quarto duplicia minora per annum: vt patet ex tabellis in breuiario romano appositis post rubricas generales, & explicat latè Castaldus in praxi cærem. lib. 2 sect. 5. cap. 1. & seq., Est autem discrimen inter ea (quod modo ad nos spectat) quia in duplicibus inferioris ordinis admittuntur in Missa aliquæ Commemorationes: quæ non admittuntur in alis superioris ordinis his positis.

Prima difficultas hic examinanda occurrit. An quando in Kalendario ponitur hæc nota duplex, sit obligatio in conscientia celebrandi Missam de tali festo duplici (posito quod sit dicenda Missa) vel possit dici alia.

Respondeo, esse quidem obligationem in conscientia dicendi Missam currentem, non tamen grauem, & sub culpa mortali, sed leuem & sub peccato veniali. Ratio est quia rubrica circa Missarum qualitatem est præceptiua; sed non continet graue & rigorosum præceptum, vt probauimus in quæstione procemiali sect. 1. punc. 7.

Secunda difficultas, An varians ritum festi duplicis peccet, E g. si quis in festo duplicis minoris per annum diceret Missam sub ritu duplici primæ Clasis, vel contra, & sic de similibus casibus.

Respondeo secluso scandalo vel contemptu hoc non excedere culpam venialem, E. g. si ex indiscreta deuotione id fieret: vel ex negli-

gentia ommitteretur symbolum. Probatur quia varietas cōsistit in omissione vel additione alicuius commemorationis, in quibus non apparet grauis materia. Similiter in additione vel ommissione symboli, quæ non est pars necessaria ad consuetam Missæ integritatem vt probauimus in quæstione proæmiali sect. 3. punc. 1.

Tertia difficultas vtrum illis diebus quibus non ponitur in Kalendario hæc nota duplex possit quandoque vel debeat dici Missa de aliquo festo sub ritu duplici.

Respondeo dicendam esse missam sub ritu duplici in festis mobilibus & quandocumque officium est duplex vt constat ex verbis huius rubricæ quam explicamus. De festis autem mobilibus dicemus in 2. tom. in rubricas proprias de tempore. Quo ad reliqua examinabimus hic breuiter casus præcipuos in sequentibus dubijs.

DVBIVM II.

Vtrum de Sancto alicuius loci patrono possit & debeat dici Missa sub ritu duplici.

DVbium procedit quando ille sanctus non est descriptus in Kalendario, vel non sub nota prædicta, Duplex. Pro resolutione autem aduertendum sanctum aliquem posse dupliciter eligi in Patronum alicuius loci, primo in Patronum principalem. Secundo in Patronum minus principalem: possunt enim plures eligi vt constat ex rubricis generalibus Breuiarij tit. 1. de duplici n. 1. vbi habentur hæc verba in festo Patroni vnius vel plurium alicuius loci. vbi notandum in Patronum principalem vnum tantum esse eligendum vt colligitur ex eisdem rubricis Breuiarij tit. 7. de Octauis n. 1. Patroni autem Minus principales possunt esse plures, hoc posito:

Respondeo & dico I. de Patrono principali in Ecclesijs illius loci cuius est patronus potest & debet dici Missa sub ritu duplici primæ classis & cum Octaua. Probatur quia dici debet de eo officium primæ classis cum Octaua, vt constat ex citatis rubricis Breuiarij, etiam si sanctus non sit descriptus in Kalendario: ergo idem affirmandum est de missa quę debet esse conformis officio. Vide Castaldum in praxi lib. 2. sect. 5. cap. 2. n. 5. Non potest autem celebrari sub hoc ritu primę classis nisi de vno Patrono ex decreto sacræ rituum Congregationis de quo testantur fide digni. Tenentur autem ad celebrandum hoc festum principalis Patroni quo ad officium & Missam omnes etiam regulares ex decreto sacræ rituum congregationis sub die 27. Martij 1628. non tamen ad Octauam vt refert Gauantus in manuali verbo Reg. intra sub Episcopo n. 28.

Colligitur primo posse insuper celebrari Missam cum officio sub ritu duplici primæ classis de altero solùm Patrono totius Prouinciæ vel Regni, qui vnus etiam esse debet Patronus principalis. Et de vtroque potest ab ordinarijs locorum indici festum de præcepto, non autem de alijs patronis minus principalibus ex bulla Vrbani VIII. quę incipit vniuersa per orbem sub die 13. septembris 1642.

Colligitur secundo idem quoque dicendum esse quo ad Missam, & officium de fundatore & patrono ordinis in toto ordine seu religione post Canonizationem, vel post beatificationem si hoc expresse concedatur, vt concedi solet.

Dico secundo de Patronis minus principalibus dici debet Missa cum officio sub ritu duplici, vt constat ex rubricis generalibus Breuiarij tit. de duplici n. 1. Non tamen primę classis, neque cum octaua ex rubricis Breuiarij titulo de Octauis n. 1. & titulo de commemorat. n. 3. & 4. Dicenda est ergo Missa cum officio sub ritu duplicis maioris per annum vt placet Gauanto in rubricas Breuiarij sect. 3. cap. 12. n. 7. vel etiam secundæ classis vt docet Castaldus in praxi lib. 2. sect. 5. cap. 2. n. 6. quia rubricæ non prohibent ritum nisi primæ classis.

Tenentur autem ad celebrandum de Patrono minus principali respectiuè omnes subditi Episcopi eiusdem loci non autem tenentur regulares: quamuis laudabilius sit vt etiam ipsi se alijs conforment vt notat Castaldus supra. Dixi autem respectiuè quia non est eadem ratio de officio quod absolutè cadit sub obligatione, ac de Missa ad quam non singuli sacerdotes tenentur, quia non tenentur quotidiè celebrare.

Colligitur primo si plures sint alicuius Ecclesiæ sancti titulares; solùm de principali celebrandum esse officium cum Missa sub ritu primæ classis cum Octaua; de alijs autem sub ritu secundæ classis, vt patet à simili ex supra dictis: eadem enim est ratio titularis, & patroni, vt notat Gauantius in rubricas Breuiarij sect. 3. cap. 12. num. 7.

Colligitur secundo Variare prædictum ritum in Missa, videlicet inferiorem in altiorem, vel è contra non excedere culpam venialem ob rationes explicatas in præcedenti dubio: Dixi in Missa tantum; quia in officio specialius prohibetur mutatio ritus in altiorem ex decreto sacræ rituum Congregationis apposito in Breuiario, de quo dicendum a nobis erit titulo sequenti dub. 2. & 3.

Dico tertio, Vt possit, & debeat celebrari Missa cum officio de Patrono vno, vel pluribus, præcedere debet electio illius sancti in pa-

Patronum legitimè facta: alias nec debet, nec potest de eo celebrari festum. Vt autem electio fit legitima, debent seruari conditiones Decreti sacræ rit. Cong post emanationem eiusdem decreti tenoris sequentis.

Decretum super electione sanctorum in Patronos, A sacra Rituum Congregatione de ordine S. D. N. Vrbani Papę VIII. emanatum die 23. Martij 1630.

SAcra rituum Congregatio, annuente sanctissimo D. N. in electione Patronorum man dauit infrascripta in posterum seruari debere, declarans quod aliter facta electio nulla sit ipso iure.

Primò quod eligi possint in Patronos ij solùm qui ab Ecclesia vniuersali titulo sanctorum coluntur, non autem beatificati dumtaxat.

Secundò, quod de Patrono ciuitatis electio fieri debeat per secreta suffragia a populo mediante consilio generali illius ciuitatis, vel loci, non autem ab officialibus solùm, & quod accedere debeat consensus Episcopi, & cleri illius loci.

Idemque seruari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi debeat per secreta suffragia à populo singularum ciuitatum Prouinciæ.

Et quod repręsentantibus regnum, ciuitatem Prouinciam nulla competat facultas eligendi Patronos, nisi adhoc habeant speciale mandatum, & vlterius interueniat consensus Episcopi, & cleri dictarum ciuitatum.

Tertio quod causæ electionis nouorum patronorum debeant in S. C. deduci, & ab ea examinari, ac demum causa cognita ab eadem approbari, & confirmari &. Ioannes Baptista Card. Detus, loco † sigilli &.

DVBIVM III.

Vtrum de sanctis locorum Episcopis aut Ciuibus non descriptis in Kalendario possit celebrari Missa cum officio sub ritu duplici.

REspondeo negatiuè ex hoc preciso titulo absque licentia sedis Apostolicæ. Probatur ex decreto sacr. Rit. Cong. sub die 8. Aprilis 1628. approbato ab Vrbano VIII. & initio Breuiarij inserto, vbi sic habetur: De sanctis Episcopis locorum, martyribus, ciuibus, & alijs festis de quibus in Kalendario Romano, seu rubricis Breuiarij nihil habetur: vel etiam de Beatis nondum canonizatis, nihil propria auctoritate statuatur; sed omnino conformetur sacra rituum Cong.

Limitatur primo. Nisi prædicti sancti electi fuerint in Patronos iuxta superius dicta; vel nisi sint titulares alicuius Ecclesiæ: tunc enim fit de illis iuxta rubricas Breuiarij. Limitatur secundo. quoad Missas votiuas quæ dici possunt de quolibet sancto canonizato, vt infra dicemus titul. 4. de Missis votiuis.

DVBIVM IV.

Vtrum in Ecclesijs in quibus habetur reliquia alicuius Sancti non descripti in Kalendario, possit de eo celebrari Missa cum officio sub ritu duplici.

REspondeo, & dico primo. Si reliquia fit insignis potest vtique celebrari de eo sancto Missa cum officio sub ritu duplici minori per annum ex decreto S. R. E. sub die 23. Nouembris 1602. apud Gauantum in rubricas Breuiarij sect. 1. cap. 5. tit. 2. num. 8. Et iterum sub die Octauo Aprilis 1628. dumodo sit reliquia approbata, & in illis tantum Ecclesijs celebretur Missa cum officio: in quibus requiescit & conseruatur ea reliquia, non autem in alijs. non est tamen necesse, vt exponatur in Altari; sed satis est si verè in Ecclesia, vel Monasterio conseruetur. Quæ autem dicatur reliquia insignis dicemus infra tit. 11. dub. 3.

Prima difficultas hic emergit vtrum si habeantur plura frusta seu fragmenta reliquiarum eiusdem sancti, quarum nulla secundum se possit dici insignis, an inquam simul vniri possint ad componendam reliquiam insignem ad hunc effectum, vt possit de eo sancto celebrari Missa cum officio sub ritu duplici.

Aliqui affirmant vt Quintannaduennas in Theol. mor. tract 7. singul. 27. n. 4. quia per vnionem quamuis artificialem, illud compositum quod resultat est vna reliquia: Ergo si insuper habeat alias conditiones quæ requiruntur vt dicatur insignis; poterit de eo sancto celebrari sub ritu duplici vt supra. Alij simpliciter negant: quia non dicitur absolutè integra quæ ex pluribus frustris antea separatis est cōposita, sicuti E g non dicitur columna integra quæ est composita ex pluribus lapidibus sed quæ constat ex vnico lapide indiuiso.

Respondeo distinguendum hic esse, vel enim plura frusta spectant ad eandem partem seu ad idem membrorum corporis illius sancti E. g. ad caput vel brachium, vel minime: Si primum dicendum est si aptè simul aglutinentur ita vt appareat integrum caput, & adsint omnia frusta seu fragmenta, quæ requiruntur ad integritatem eiusdem membri; asserendum est in-

inquam posse de eo sancto celebrari Missam vt supra : quia moraliter est reliquia integra : nam ex vnione partium (si vere adsunt omnes partes) resulat integritas compositi. Nec obstat quod vnio sit artificialis, dummodo partes sint naturales : quia idem sequitur effectus in ordine ad finem intentum, & sæpe ars conducit ad agglutinandas compartes corporis viui. Dixi, modo aptè agglutinari possint : nam ex fragmentis redactis in pulverem vel minutioribus, non videtur posse consurgere caput vel brachium vere integrum, & in hoc sensu admittimus opinionem Quintanaduennas supra relatam.

Si vero plura illa frusta non pertinent ad idem membrum corporis illius sancti; dicendum est nihil prodesse eam vnionem ad effectum de quo loquimur. Ratio est quia vera integritas requirit partes proprias, quæ sunt de ratione talis compositi: nec prosunt partes alienæ nisi ad Monstruosam compositionem.

Tandem si dubium sit an fragmenta vel frusta pertineant omnia ad idem Membrum corporis alicuius sancti; dicendum est si dubium sit negatiuum, ita vt non possit ferri iudicium determinatum pro aliqua parte; dicendum est inquam nihil prodesse ea simul vniri ad componendam reliquiam insignem ad effectum nostrum; quia non verificatur conditio requisita à sacra Cong vt reliquia sit certa & approbata. Si vero supperant argumenta satis probabilia, quibus suaderur frusta separata verè spectare ad idem membrum illius sancti (posito quod adsint omnes partes necessariæ ad integritatem) hoc sufficit ad verificandam prædictam conditionem, ac poterit celebrari Missa cum officio. quia certitudo moralis deducta ex probabilibus argumentis sufficit ad approbandas easdem reliquias, sicuti docent multi DD. quos affert & sequitur idem Quintannaduennas supra singul. 27. n. 10.

Nec prædictis obstat exemplum columnæ supra adductum, quæ non solet appellari integra quando ex pluribus lapidibus est composita; quia ibi integritas sumitur diuersimode, videlicet pro simplicitate, cui contradicit pluralitas partium : in casu vero nostro sumitur pro totalitate, quæ non opponitur pluralitati partium simul vnitarum : alias nullum corpus humanum posset dici integrum quod est falsum.

Colligitur. Si reliquia insignis casu aliquo frangatur & in plures partes separetur; bene posse iterum componi vnione earundem partium. ne perdatur licentia seu concessio celebrandi Missam cum officio. Quod si in casu prædicto deperdatur aliqua pars necessaria ad integritatem illius partis seu membri ad quod pertinet, tunc perderetur licentia celebrandi &c. nec enim perseueraret reliquia integra; eo quia priuilegium cessat, cessante causa concessionis vt latè probat Sanchez lib. 8. de matrimonio disput. 30. n. 16.

Dico secundo. Si reliquia non est insignis nihil prodest ad hunc effectum celebrandi Missam cum officio de illo Sancto, cuius est reliquia vt constat ex citato decreto Sac. Cong. initio Breuiarij apposito : quare opus erit speciali concessione Sedis Apostolicæ vt videri potest apud Quintanam vbi supra singul. 27. & sequent.

DVBIVM V.

Vtrum de Sancto titulari alicuius cappellæ vel Altaris possit in eadem Cappella celebrari Missa sub ritu duplici.

NOn est quæstio de Sancto titulari Ecclesiæ de quo constat ex rubricis Breuiarij celebrandum omnino esse officium & Missam sub ritu primæ classis, etiam si non sit descriptus in Kalendario. Sed quæstio est de titulari alicuius Altaris tantum. Item non est quæstio de Missa votiua sed de Missa propria & de die officio conformi E.g in die Natalitio eiusdem Sancti non descripti in Kalendario. His positis.

Respondeo negatiuè. Probatur quia in Rubricis Missalis & Breuiarij nihil omnino habetur circa Missam & officium Sancti titularis solius capellæ, seu Altaris. Ergo si idem Sanctus non sit descriptus in Kalendario non potest propria auctoritate, neque ordinarij loci celebrari Missa de die, quæ est conformis officio cum neque officium de eo celebrari possit, sed opus erit auctoritate & facultate Sedis Apostolicæ, probatur consequentia quia id expresse cauetur decreto S.R.C. nouo Breuiario inserto. Vbi decernitur non potuisse nec posse locorum ordinarios addere Kalendarijs etiam proprijs Sanctorum officia, & consequenter nec Missas officio conformes, & docet Gauantus in Rubricas Breuiarij sect. 3. cap. 12. n. 15. quod si idem Sanctus sit descriptus in Kalendario E.g. sub ritu semiduplici vel simplici, sub eodem ritu celebrandum de eo erit, non tamen mutari poterit in altiorem ritum, quia hoc ipsum prohibetur in decreto prædicto. Quo ad Missas votiuas prædicti titularis alicuius cappellæ dicendum est posse celebrari velo. ti semifestinas cum Gloria in Excelsis in die Natalitio eiusdem, vt infra dicemus titulo 13. dub. 4.

DV-

DVBIVM VI.

An ratione consuetudinis possit celebrari Missa cum officio sub ritu duplici de Sancto non descripto in Kalendario.

PRima sententia simpliciter negat & solùm concedit posse celebrari de aliquo Sancto ratione consuetudinis, quando ipsa consuetudo solemnis est E.g. celebrandi cum pompa, & apparatu, cum processione & concursu populi, vnde excludit omnem aliam consuetudinem. Ita Gauantus in Rubricas Breuiarij sect.2 cap.2 n.5. & inferius n.23. & sequentibus. Fundamentum ipsius est, quia in Bullis Pij V. tam Missalis, quàm Breuiarij reuocantur & irritantur omnes consuetudines contrariæ Missali & Breuiario. Sed celebrare officium & Missam conformem de Sancto non descripto in Kalendario, videtur contra Missale & Breuiarium, ergo id fieri non potest non obstante quauis consuetudine.

Addit Gauantus ne summus Pont sibi videatur contradicere, dum in rubricis Breuiarij expressè concedit celebrari posse officium, & consequenter Missam conformem de illis sanctis de quibus consuetum est celebrari; docet ipse, in rubricis concedi, vt possint retineri consuetudines solemnes, & cum pompa, seu cum processione, non autem aliàs, & sic tolli contradictionem inter Bullas, & rubricas. In quo discursu videtur Gauantus manifestè deceptus: Vir alioquin valdè eruditus, & in hac materia sacrorum rituum versatissimus. Sed humanum est errare, & quandoque bonus dormitat Homerus.

Hæc ergo sententia est aperte falsa, nec eius auctor assecutus est sensum prædictarum Bullarum Pij V Nam in Bullis non reuocantur consuetudines celebrandi officium cum Missa de sanctis non descriptis in Kalendario, quæ expresse retineri permittuntur in rubricis Breuiarij; sed reuocantur consuetudines celebrandi de sanctis alio ritu diuerso, & contra formam eiusdem Breuiarij, & Missalis: quod est longè diuersum ab eo quod Gauantus apprehendit Vnde illa distinctio inter consuetudines solemnes, & minus solemnes est impertinens ad rem nostram. Nam si consuetudo sit celebrandi de sancto contra formam seu ritum Breuiarij & Missalis eiusdem Pij V. quantumuis solemnis & publica omnino reuocatur & à fortiori reuocatur quia magis opponitur fini intento a sum. Pont. si vero consuetudo non sit contra formam & ritum prædictum, nullo modo reuocatur etiam si non sit solemnis vt magis ex dicendis patebit.

Secunda & vera sententia docet posse vtique celebrari officium & consequenter Missam conformem de sancto non descripto in Kalendario etiam sub ritu duplici & primæ classis in illis Ecclesijs quæ de aliquo sancto consueuerunt solemniter celebrare; vel sub alio ritu inferiori iuxta consuetudinem introductam: seruata tamen omnino forma seu norma tam Missalis quam Breuiarij. Probatur potest celebrari officium & consequenter Missa secundum regulas Breuiarij Pij V. & Missalis eiusdem: imo & debet celebrari si rubricæ sint præceptiuæ: sed in casu nostro, posita consuetudine, celebratur Missa cum officio secundum regulas Missalis & Breuiarij prædicti ergo &c. Maior patet tum ex Bullis citatis. Tum ex decreto S.R.C. quod in nouo Breuiario habetur: in quo prohibetur celebrari officium de sancto non descripto in Kalendario, non simpliciter, sed si per rubricas non concedatur, & è contra expressè conceditur, si per rubricas id concedatur. Probatur minor ex rubricis generalibus eiusdem Breuiarij Romani Pij V.

Primo ex titulo I. de officio duplici num, 1. vbi sic habetur, & in festis sanctorum (idest fit officium duplex) qui apud quasdam Ecclesias Congregationes &c. consueuerunt solemniter celebrari, seruata tamen forma eiusdem Breuiarij.

Secundo ex Tit.2. de Officio semiduplici vbi sic habetur item in festis sanctorum quæ solemnius quam simplicia consueuerunt celebrari. Ex quibus verbis liquido constat ly solemniter; vel solemnius non poni limitatiuè, vt solum approbentur consuetudines solemnes, vel primæ classis, & cum pompa, vt dicebat prima sententia; sed ampliatiuè idest approbantur omnes consuetudines etiam si sint solemnes, & sub ritu supra simplicia. Hic autem conceduntur consuetudines celebrandi sub ritu semiduplici consequenter absque pompa & apparatu & absque processionibus: vel concursu populi. Ergo prima sententia falsum assomit.

Tertio ex titulo 5. de ferijs vbi dicitur faciendum, esse officium de feria nisi occurrat aliquod festum solemne, aut consuetum in aliqua Ecclesia celebrari, quamuis in Kalendario non sit descriptum. Vbi fit aperta distinctio inter festum solemne, vel consuetum celebrari etiam si non solemniter & vtrumque conceditur. Ergo non solum consuetudines, solemnes sed etiam minus solemnes permittuntur & conceduntur.

Ad argumentum oppositæ sententiæ, patet ex dictis nullum esse vestigium contradictionis inter Bullas Pij V. & Rubricas Breuiarij eiusdé Pij V. quia Breuiarium concedit consuetudines

nes celebrandi secundum formam, & ritum e iisdem Breuiarij, quæ nullo modo reuocantur per Bullas, sed solum reuocantur consuetudines recitandi officium & Missam contra formam Breuiarij, vel Missalis Romani.

Colligitur, introducentes nouas consnetudines circa officium & Missam alicuius Sancti non descripti in Kalendario, peccare quidem si mala fide hoc faciant, quia propria auctoritate & contra decretum supra relatum S.R.C. addunt Kalendario Sanctum de quo nihil habetur in Rubricis, quæ loquuntur de consuetudine iam introducta. Cæterum semel introducta & legitimè præscripta consuetudine E.g. per 10. annos, licitè imposterum de eodem Sancto celebrabitur Missa cum officio iuxta formā Missalis & Breuiarij, quia iam suffragatur cōsuetudo& verificatur cōditio in Rubricis exigita ad hūc effectum. Sufficere autē 10. annos ad cōsuetudin em legitimè præscriptam docent Suarez de leg. lib. 7. cap. 15. Layman de leg. cap. 24. Lessius lib. 2. de iust. cap. 6. dub. 14. n. 46. Qui restantur de communi.

DVBIVM VII.

Vtrum peccet, qui in Missa de duplici plures dicit orationes contra hanc Rubricam quam explicamus.

NOn loquimur in casu, quo secundum Rubricas fieri debet aliqua commemoratio sed quādo sacerdos ex proprio arbitrio id facit

Respondeo peccare quidem sed solùm venialiter secluso contemptu, vel animo introducendi nouum ritum. Probatur quia transgressio præcepti in Materia leui est leue peccatum, quamuis autem Rubrica in casu nostro sit præceptiua, materia tamen leuis est, ergo, &c. Item quia in casu nostro non tam inducitur nouus ritus quàm variatur & mutatur ritus duplex in inferiorē, quia in festo semiduplici et in alijs plures dicuntur orationes. quæ mutatio facilius excusatur à peccato mortali, quàm, additio vt suo loco explicauimus.

DVBIVM VIII.

An possit Episcopus ordinare vt in Missa de duplici dicantur plures orationes.

RAtio dubitandi est quia in Bulla Pij V. districtè prohibetur omnibus aliquid addere precibus in Missali prescriptis.

Respondeo posse Episcopum ex causa rationabili ordinare vt in Missa dicantur aliæ orationes vltra præscriptas in Rubricis etiam in festis duplicibus, exceptis festis primæ classis, E.g. tempore belli, vel famis, & in simili occasione grauis necessitatis, dummodo dicantur orationes quæ in ipso Missali Romano habentur. Probatur quia ad munus Episcoporum & similium Prælatorum pertinet prouidere populis in necessitatibus, & illis succurrere, præsertim implorando diuinum auxilium, indicendo publicas processiones, & orationes quæ in Missa maiorem vim habent. Nec id est contra Rubricas vel præceptum Pij V. Primò quia in hac nostra Rubrica additur, nisi facienda sit aliqua commemoratio, oratio autem de qua loquimur reducitur ad commemorationem vt docet Gauantus in Rubricas Missalis p. 1 tit. 9. litera I. Secundò quia in ipso Missali præscribuntur orationes dicendæ in Missa tempore belli, vel famis &c. quæ dici possunt ad libitum illis diebus quibus conceduntur orationes ad libitum: quando autem dici non possunt ad libitum spectat ad superiorem, &c. Tertiò quia in his Rubricis generalibus tit 6. sic habetur in festis quæ transferuntur vbi est tit. ob concursum populi potest dici Missa de Sancto, vel saltem fiat de eo commemoratio. Ergo à pari fieri potest aliqua commemoratio vel addi oratio occurrente graui necessitate, in quo casu potest etiam dici Missa solemnis vt docet Castaldus in praxi cærem. lib. 2. sect. 6. c. 3.

Confirmatur à pari de recitatione diuini officij in choro, in quo potest ordinare Episcopus vt addatur vna, vel altera oratio ex iusta causa vt docent Suarez de Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 11. n. 6. Filliucius tract. 23. cap 6. quæst. 2. Ergo idem concedendum in casu nostro de Missa festi duplicis, & docet Castaldus supra citatus & lib. 2. sect. 8. cap. 3. n. 6. Citans Ruiz Alcozer, & alios. Atque idem dicendum de alijs prælatis, & superioribus iurisdictionem quasi Episcopalem habentibus. Secus de priuatis Sacerdotibus, qui potius supplere debent in Memento vt notat Castaldus loco citato.

Pro praxi autem aduertendum, orationem ab Episcopo indictam diebus ferialibus dicendam esse loco orationis ad libitum, diebus vero festiuis suprà definitum numerum, & tunc etiam in duplicibus non solùm in Missis priuatis, sed etiam in solemnibus dicendam esse exceptis festis primæ classis à quibus excluditur qualibet commemoratio, ita Castaldus loco citato, & Gauantus supra etiam citatus, qui addit neque esse dicendam in festis secundæ classis saltem in Missa solemni, in qua non fit commemoratio festi simplicis, & subdit nōn esse improbandam consuetudinem illarum Ecclesiarum in quibus omittitur etiam in Missis priuatis.

TI-

TITVLVS II.

DE SEMIDVPLICI, ET SIMPLICI.

MISSA de Semiduplici dicitur quando in Kalendario ponitur hæc vox, Semiduplex. Præterea in Dominicis, & diebus infrà Octauas. In Semiduplicibus tam festis, quàm Dominicis, & infrà Octauas, dicuntur plures Orationes, vt infrà dicetur in Rubrica de Orationibus. Infrà Octauam dicitur Missa sicut in die Festi, nisi propriam Missam habuerit: in Dominicis verò, sicut in proprijs locis assignatur. De simplici dicitur Missa sicut de Semiduplici, vt suis locis ponitur.

EXPLICATIO LITERALIS.

SEmiduplex ex vi vocabuli sonat quid medium inter festum duplex & simplex: quia est infra duplex & supra simplex, vt dicebamus in proœmio cum Durando in suo Ration. lib 7. c. 1.

Præterea in Dominicis, &c. Inter Fæstiuitates, quas Ecclesia celebrat, primum locum obtinent illæ quæ pertinent magis immediatè ad Christum Dominum, & ad eius vitæ mysteria. Vnde ab exordio Ecclesię specialiter dicata fuit in eius cultum prima dies hebdomadæ, quæ per Anthonomasiam dicitur dies Domini seu Dominica, rationes adducuntur in sexta synodo generali cap. 8. Prima, & potissima est quia hanc diem ipse Christus sua Resurrectione consecrauit. Secunda quia hac eadem die descendit Spiritus Sanctus in Apostolos. Tertia ob initium creationis & mundi exordium: vnde canit Ecclesia:

Primo die quo Trinitas, beata mundum cõdidit.
Vel quo resurgens conditor, &c.

De quibus Mysterijs diei Dominicæ tractant diuus Augustinus serm. 154. & 251. de tempore Et diuus Leo Epistola 8. ad Dioscorum cap 2. Vnde etiam dedicata est hæc dies in honorem Sanctissimæ Trinitatis, vt patet ex cap. Quoniam de Ferijs, & ex ritibus, Hymnis, & Responsorijs quibus vtitur Ecclesia diebus Dominicis. Lege Durandum in ration. lib. 6. cap. 114. Recolitur autem singulis Dominicis per annum memoria prædictorum mysteriorum sub ritu semiduplici; in proprijs verò festiuitatibus Paschæ, & Pentecostes &c sub ritu duplici primæ classis, vt dignum est.

Octauarum quoque vsus est in Ecclesia antiquissimus, de quibus agit Durandus supra lib. 6. caP. 1 n. 45. Et introducta fuerunt ad maiorem Solemnitatem Præcipuarum fæstiuitatum. Hinc Radulfus propos. 19. ait Magnitudo festi à nobis exigit, vt Prius illud incipiamus, & tardius terminemus; præuenimus vigilia, prorogamus cùm ad octauam diem festum protendimus; præueniamus ergo & prorogemus, vt ardentius quos debemus recolamus; quæ næ vno die minus possumus, reliquis diebus compensemus Cur autem octo dies: assignentur ad hunc effectum; spectat ad mysterium numeri octonarij de quo mox dicemus.

SENSVS MYSTICVS OCTAVAE.

PRimum Octauæ mysterium consistit in expressione perfectionis omnimodæ, & completæ illius Sancti cuius festum celebratur cum Octaua; vel sublimitatis mysterij quod recolitur; eo quia Octonario numero designatur iustitia & perfectio etiam apud Gentiles Pitagoricos; quippe iustitia æqualitatem respicit, & seruat, numerus autem octonarius primus omnium ita soluitur, & diuiditur in numeros pariter pares, hoc est In bis quaterna: vt nihilominus in numeros æquè pariter pares diuisio ipsa soluatur, hoc est in bis bina, & idcirco auctores hunc numerum appellarunt plenum. Hic enim numerus efficit cubum corporeæ soliditatis inditium. Insuper in Euangelio manifestum habemus eiusdem significationis exemplum in octo Beatitudinibus, quibus Christianæ vitæ perfectio continetur & exprimitur, de quibus loquens diuus Augustinus lib. 1. de serm. Dom. in Monte cap 3. Octaua inquit tanquam ad caput redit, quia consumatum perfectumque ostendit ac probat. Hinc perfectam iustitiam Sanctorum, vel consumatam sublimioris cuiusque mysterij perfectionem Octo dierum numero Sancta Mater Ecclesia veneratur:

Secundò in sensu Anagogico, Octaua significat æternitatem gloriæ, qua fruuntur Sancti & Beati. Vbi adnotandum septem dies hebdomadæ significare spatium huius vitæ præsentis, qui in Sanctis fuerunt pleni virtutibus & donis Spiritus Sancti, iuxta illud psalmistæ, dies pleni inuenientur in eis. Additur Insuper dies Octauæ in præmium virtutum & laborum, idest dies æternitatis, quæ vna est, & illi nec succedit nox vlla nec caligo, & consequitur vitam præsentem septem dierum. Ita Fortunatus lib. 4. cap. 47. Celebretur inquit per septem dies opus septiformis Spiritus, & Octaua die con-

ſumatio & glorificatio eiuſdem operis,

Tandem in ſenſu Tropologico concludimus eum Heſychio lib 6. in Leuit. vbi ſic ait; vt doceamur debere nos exempla Sanctorum ſequi, & toto tempore vitæ quod ſeptenario ſignificatur Deo placere: quouſque ipſo Deo octaua, demum die fruamur, hæc Heſychius.

DVBIA CONSCIENTIAE.

DVBIVM I.

Vtrum auctoritate Epiſcopi poſſint celebrari Octaua Feſtorum vltra præſcriptas in Breuiario, & Miſsali.

Reſpondeo negatiuè. Probatur ex Bullis Pij V. ſæpius citatis, quibus diſtrictè prohibetur quælibet additio vel mutatio ad ritus Miſſalis, & Breuiarij per quoſcumque, etiam Cardinales, Epiſcopos, &c. Ita cum alijs Gauantus in rubr. Breuiarij ſect. 3. cap. 8 n. 1. Vnde ad introducendas alias Octauas non conceſſas in Rubricis Breuiarij, vel Miſſalis, opus eſt auctoritate Sedis Apoſtolicæ, alias grauiter peccarent inducentes nouas Octauas.

DVBIVM II.

An feſtum ſemiduplex poſſit eleuari, ad altiorem ritum in Miſsa vel in Officio,

E G. Si quis ex deuotione erga aliquem Sanctum deſcriptum in Kalendario ſub ritu ſemiduplici recitare vellet de eo officium duplex; Et eadem quæſtio eſt ſi vellet recitare officium & Miſſam de Sancto ſimplici ſub ritu ſemideplici. Procedit verò dubium extra caſus in Rubricis expreſſos de patrono vel titulari, &c.

Reſpondeo negatiuè abſque facultate ſedis Apoſtolicæ. Probatur primo ex Bullis Miſſalis, & Breuiarij, quibus abſolutè prohibetur quælibet mutatio ritus eiuſdem miſſalis, & Breuiarij Romani. Probatur ſecundo ex decreto Sacræ R. Cong. nouo Breuiario appoſito, quo ſpecialiter prohibetur mutatio ritus ad altiorem: vnde nulla poteſt eſſe de hac rè controuerſia

Difficultas eſſe poteſt quale peccatum ſit hęc mutatio ritus ad altiorem ſi fiat priuata auctoritate. Et quidem quod ſpectat ad Miſſam de die, patet ex dictis tit. 1. dub. 1. hanc mutationem non excedere culpam venialem ratione paruitatis Materiæ: nam de ſimplici dicitur Miſſa ſub ſimili ritu cum ſemiduplici vt conſtat ex verbis huius noſtræ rubricæ: Miſſa vero de ſemiduplici parum differt à Miſſa de duplici ideſt in pluralitate orationum. Punctus ergo difficultatis conſiſtit in mutatione ritus circa officium, præſertim ſi fiat mutatio officij ſimplicis in officium ſemiduplex, vel duplex. De qua re hic obiter agimus ratione connexionis officij cum Miſſa.

Prima ſententia damnat hanc mutationem peccati mortalis ex genere ſuo. Probatur quia eſt contra graue præceptum Pij V. in Bulla initio Breuiarij inſerta, quo non ſolum præcipitur ſubſtantia officij, & feſtorũ, ſed etiam modus & forma, ſeu qualitas ritus ſub quo celebrari debent.

Confirmatur ex decreto citato S. R. C. quo grauiter prohibetur mutatio ritus officij diuini ad altiorem quocunque prætextu. Et in eo renouantur penæ contentæ in predicta Bull a Pij V. contra illos qui recitant officium alio ritu diuerſo, vel contra formam in Breuiario præſcriptam: quarum præcipua eſt vt ſuo muneri non ſatisfaciant: ergo mutantes ritum officij non poſſunt excuſari à peccato mortali. Ita Lezana to. 1. q. regul. cap. 12. n. 20. vbi citat Barboſam, Gauantum, & alios.

Secunda Sententia extremæ oppoſita neg t ſimpliciter in predicta mutatione contingere peccatum mortale, ſed ad ſummum veniale Probatur: qui ſeruat præceptum quò ad ſubſtantiam, & ſolum deficit in modo accidentali, peccat ſolum venialiter; quia non eſt tranſgreſſor præcepti ſimpliciter, ſed ſecundum quid, & in re leui, & ſecundariò præcepta. Ita eſt in caſu noſtro; quia ſubſtantia præcepti conſiſtit in recitatione ſeptem horarum Canonicarum talis Breuiarij E g. Romani: ergo recitans ſeptem horas ex Breuiario Romano ſatisfacit ſimpliciter præcepto: ritus autem ſiue ſimplex ſiue ſemiduplex vel duplex ad modum accidentarium pertinet.

Confirmatur: quia multi DD. probabiliter ſuſtinent recitantem vnum officium pro alio ex eodem Breuiario Romano, non peccare mortaliter ſed ſolum venialiter, ob rationem explicatam vt videre eſt apud Dianam p. 2. tract. de horis canonicis, reſolur. 3. Ergo idem dicendum de mutatione ritus inferioris in altiorem: quia militat eadem ratio. Ita Tancredus de virtute relig. tract 3 lib. 4. diſput. 12. quæſito 1. Pellizzarius in manuali regul. tract. 5. cap. 8. n 76. Vidal de horis canon. Inquis. 2. addit primo Tancredus loco citato, hanc doctrinam habere locum etiam in recitatione diuini officij quæ fit publicè in choro: in quo tamen excedit, & falli videtur. Addit ſecundò idem Tancredus etiam ſi vera eſſet ſententia, quæ damnat peccati mortalis recitantem vnum officium pro alio, ſeu mutantem ordinem dierum Kalendarij; adhuc

defen.

defendi posse hanc mutationem ritus in altiorem non pertingere ad peccatum mortale ratione paruitatis materiæ: quia minor est hæc mutatio quàm sit mutatio qualitatis totius officij vnius diei in officium alterius diei. Et quidem quoad mutationem officij semiduplicis in duplex, verum est eam esse modicam in genere mutationis accidentalis: non vero quoad mutationem officij simplicis in semiduplex: siquidem in officio simplici tres lectiones tantùm recitari debent; in semiduplici vero nouem; item in officio simplici est vnicum nocturnum, in semiduplici tres nocturni; est etiam varietas quoad vesperas quia officium simplex caret secundis vesperis, & primas non habet integras; Officium autem semiduplex vtrasque integras. *Ex* quibus apparet mutationem licet accidentalem, esse tamen notabilem; & consequenter in sententia illorum qui sustinent esse peccatum mortale variare officium circa qualitatem, posita materia notabili; in casu nostro fore mutationem mortaliter peccaminosam. Pro resolutione,

Respondeo, & dico primo Mutatio ritus inferioris in altiorem, & è contra in choro seu in officio publico est peccatum mortale ex genere suo. *Probatur* omissio circunstantiæ alicuius *præcepti* vel eius mutatio est peccatum mortale, quando notabiliter opponitur fini eiusdem præcepti; ita est in casu nostro ergo &c. Maior patet ex dictis in quæstione proæmiali sect. 1. pun. 3. Probatur minor quia finis præcepti in casu nostro est distinctio festorum in varias classes ad imitationem Hierarchiæ cælestis ex alibi dictis; quæ representatio maximè elucet in publica recitatione, seu in officio chori; parum autem in priuata; ergo mutatio vel confusio illius ordinis in choro opponitur notabiliter fini huius præcepti de quo loquimur, & inducit notabilem deformitatem; secus autem in recitatione priuata.

Confirmatur quia DD. asserentes non esse peccatum mortale recitare vnum officium pro alio, loquuntur solùm de recitatione priuata, non vero de publica, vt docet suarez tom. 2. de relig. cap. 11. num 6. & ex communi sententia notat vidal loco supracitato cap. 24. num. 6. ergo pariter dicendum in casu nostro de mutatione ritus inferioris in altiorem.

Dico secundo. Probabile est in recitatione priuata prædictam ritus mutationem festi simplicis *in* semiduplex vel duplex, non excedere culpam venialem extra chorum, & secluso contemptu. *Probatur* rationibus, & auctoribus adductis pro *secunda* sententia cui in hac parte adhæreo: neque enim hic apperet notabilis deformitas vel oppositio cùm fine præcepti.

Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur, Pium V. in sua Bulla Breuiarij præcipere quidem vt officium recitetur iuxta ritum, & formam Breuiarij Romani, sed aduertendum hanc formam diuidi in substantialem, & accidentalem. Forma substantialis consistit in differentia veluti specifica Breuiarij Romani a cæteris Breuiarijs E.g. monasticis vel Ambrosiano &c. & appellari potest ritus romanus. Forma vero accidentalis consistit in ritibus singularibus quibus officia eiusdem Breuiarij Romani inter se differunt. Vnde omnia officia Breuiarij romani conueniunt in substantia seu differentia specifica ritus romani, & solum inter se differunt accidentaliter; e contra ab alijs officis extra idem Breuiarium differunt substantialiter morali modo loquendo, vt optimè notat valēria to 3. in 2. 2. disp. 6. quæst 2. pun. 10. & Filippus Fabèr de sacrament. ord. lib. 5. disput. 24. quæst. 1. n. 145. & indicat suarez de horis canonicis lib. 4. c. 29. initio. His positis respondeo informa ad argumentum. Pius V. præcipit seruari formam Breuiarij Romani distinguo, præcipit sub peccato mortali seruari formam substantialem concedo: quoad formam vero accidentalem, nego eam præcipi sub peccato mortali, sed solum sub veniali tanquam circustantiam præcepti. Qui ergo recitat officium ex alio Breuiario non satisfacit suæ obligationi; qui autem recitat ex Breuiario Romano satisfacit, quamuis peccet venialiter mutando ritum accidentalem, vel recitando vnum officium pro alio.

Ad confirmationem respondeo præceptum sacræ Cong. dirigi ad Prelatos, & ordinarios locorum ne permittant mutationem rituum Breuiarij, neque ipsi auctoritatiuè hoc faciant, quia verè hoc non pertinet ad eorum iurisdictionem: non autem dirigi ad personas priuatas vt patebit ex dicendis in sequenti dubio 1 ex dictis.

Colligitur quid sit dicendum ad eam quæstionem. An ex vi decreti prædicti S.R.C. censenda sit reprobata opinio DD. asserentiũm non peccare nisi venialiter recitantes vnum officium pro alio. Aliqui enim existimarunt fuisse prohibitam, & reprobatam: quia prohibetur mutatio ritus in officio diuino sub pænis constitutionis *Pij* V. quarum præcipua est vt non satisfiat propriæ obligationi. Ceterum dicendum est ex supradictis in eo decreto nihil definiri contra opinionem prædictam. Primo quia præceptum non mutandi ritum, &c. dirigitur ad Episcopos vt supra dicebamus, non vero ad personas priuatas. Secundo quia in hoc casu non mutatur ritus eiusdem officij in altiorem quod prohibetur eo decreto; sed mutatur circa ordinem dierum in Kalendario præscriptum, & dicitur officium immutatum alterius diei. Tandem non fit mutatio informa substantiali sed solum in accidentali, in quo casu non habet locum pæna prædicta non satisfaciendi propriæ

 obli-

obligationi. Ita sentiunt plures, & docti recentiores, qui post illud decretum scripserunt defendentes eandem opinionem vt Diana p. 2. tract. de hor. Canon, resolut. 3. Baldellus to. 1. lib. 5. disp. 24. Tancredi loco supracitato, & alij plures quos allegant.

DVBIVM III.

An saltem in aliquo casu particulari possit Episcopus concedere, vt fiat mutatio ritus in altiorem in Missa, & officio alicuius Sancti.

EG. An possit concedere Episcopus, vt de sancto simplici dicatur Missa cum officio sub ritu semiduplici vel duplici ratione specialis gratiæ vel miraculi eiusdem sancti.

Prima sententia affirmat. Ad cuius intelligentiam aduertendum duobus modis considerari posse hanc mutationem fieri vel cōcedi ab epi scopo, primo simpliciter, & lege permanenti; secundo in aliquo casu particulari, & secundum quid pro vna vice tantum. Afferit ergo hec sententia non posse ab episcopo fieri mutationem priori modo; quia episcopus non potest quidquam statuere contra leges sum. Pont. cęterum in casu particulari hoc non excedere facultatem episcoporum. Probatur quia possunt episcopi iure ordinario dispensare in casu particulari in alijs legibus Ecclesiasticis, & Pontificijs E. g. ieiuniorum, & festorum; ergo idem possunt in casu nostro, ita diuus Antoninus, Tabiena, Armilla, Nauarrus, & alij quos citat, & sequitur Suarez de hor. Canon. lib. 4. cap. 11. num. 6. Quæ sententia ante promulgationem decreti S.C. supra relati erat probabilis; modò tamen non videtur admittenda.

Secunda, & vera sententia negat nisi in casibus expressis in rubricis E.g. si ille sanctus sit patronus vel titularis, &c. quare etiam in casu particulari ea mutatio esse peccatum mortale. Probatur ex decreto prędicto initio Breuiarij apposito, quo districtè prohibetur quibuscumque locorum ordinarijs ex quolibet pretextu mutatio predicta. Ratio verò prohibitionis fuit, quia ordinarij existimantes hoc pertinere ad suam iurisdictionem, passim concedebant officia nouem lectionum, nec solum de sanctis simplicibus in Kalendario descriptis sed etiam de alijs ibidem non appositis; vnde passim in Ecclesijs intermittebatur officium feriale cum officio B.V. & defunctorum, contra mentem sum. Pont. Quare ad tollendos huiusmodi abusus editum fuit illud decretum à S.C. quia vero abusus prædicti in officio publico, & in choro proueniebant ex mutatione auctoritatiuè facta ab ordinarijs locorum, non autem ab ea quæ per ignorantiam vel negligentiam fit a priuatis personis in priuata recitatione officij; idcirco præceptum illud directum fuit ad ordinarios, & Prælatos locorum, non vero ad personas priuatas, vide Gauantum in rubr. Breuiarij sect. 3. cap. 3. num. 5.

Colligitur si Episcopi tanquam priuatæ personę eam mutationem facerent in priuata recitatione officij diuini, solùm venialiter peccarent; neque enim in hoc sunt deterioris conditionis alijs suis subditis.

Dubitari in super potest, quid si de facto Episcopus concedat mutationem circa ritum, & qualitatem officij An recitantes in choro vel extra satisfaciant suæ obligationi.

Respondeo distinguendo si mutatio fiat in solo ritu accidentali E.g vt fiat officium de sancto descripto in Kalendario sed sub altiori ritu; dicendum est satisfieri propriæ obligationi ex suptadictis, Si vero adderetur Kalendario sanctus ibi non descriptus, & fieret de eo officium; puto non satisfieri neque obligationi chori, neque priuatæ recitationi: quia videtur mutatio substantialis, & perinde ac si diceretur officium extra Breuiarium Romanum, vt colligitur ex decreto supra relato S.R.C.

DVBIVM IV.

In quibus Casibus possit celebrari Missa cum officio sub ritu semiduplici de sanctis nondescriptis in Kalendario.

RESpondeo & dico primo ratione consuetudinis legitimè præscriptæ potest. Probatur quia id expresse conceditur in rubricis generalibus Breuiarij tit. 2. de semiduplici n. 1. vt legenti patebit: quando autem licitè fit officium semiduplex de aliquo sancto, dicenda est Missa conformis sub eodem ritu, vt sæpius dictum est.

Dico Secundo extra prædictum casum non fit officium neque dicitur Missa sub ritu semiduplici de aliquo sancto non descripto in Kalendario. sed solum dici potest Missa votiua Probatur quia de Sancto prædicto celebrari non potest nisi iuxta rubricas Breuiarij & Missalis; sed in prædictis rubricis extra casum precedentis conclusionis nihil habetur ex quo colligi possit Missa cum officio sub ritu semiduplici, ergo &c.



DV-

DVBIVM V.

Vtrum in Ecclesijs possidentibus reliquiam Sancti non descripti in Kalendario possit celebrari Missa cum officio sub ritu semiduplici, vel simplici.

NOn est dubium de reliquia insigni, ratione cuius conceditur Missa cum officio sub ritu duplici vt supra explicauimus; sed de reliquia non insigni.

Prima sententia videtur concedere ita Barbosa de officio Parochi cap. 10. nu. 20. Nouarius in lucerna Verbo officium n. 8. & Castaldus in prax. cærem. lib. 2. sect. 5. n. 6. vbi ait, quod si reliquia non sit adeo Insignis decet saltem vt simplex celebretur. Sed forsan loquuntur in casu quo sit obtenta licentia à sede Apostolica vt notat Quintanna duennas in Theolog. mor. tract. 6. singul. 17. n. 6.

Secunda & vera sententia negat absque licentia sedis Apostolicæ; quare solum dici poterit Missa votiua. Probatur manifestè ex decreto sepius relato S R.C. rubricis Breuiarij addito, quo solum conceditur officium cum Missa conformi ratione insignis reliquie; in alijs vero casibus recurrendum esse definit ad sedem Apostolicam seu ad S. Cong. ita Quintana duennas loco citato, & Gauantus in rubricas Breuiarij sect. 3. cap. 3. n. 3. Solet autem sedes Apostolica in hoc & similibus casibus concedere officium semiduplex. & consequenter Missam conformem, ne impediatur officium & Missa Dominicæ vt notat Gauantus supra.

Colligitur, de Sancto cuius habetur in aliqua Ciuitate Ecclasia *Parochialis*, vel regularium, aut monialum, non posse in alijs Ecclesijs celebrari officium nec etiam sub ritu simplici eo præciso titulo, vt expresse habetur in eodem decreto S. R. C.

TITVLVS III.

DE FERIA, ET VIGILIA.

1. MISSA de Feria dicitur, quando non occurrit Festum, vel Octaua, vel Sabbatum in quo fiat Officium Beatæ Mariæ. In Ferijs tamen Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum, etiam si Duplex, vel Semiduplex festum, vel Octaua occurrat, in Ecclesijs Cathedralibus, & Colleggiatis cantantur duæ Missæ, vna de Festo post Tertiam, alia de Feria post Nonam.

EXPLICATIO LITERALIS.

MIssa de Feria, &c. Dies hebdomadæ, feriarum nomine distinguuntur ex antiquissimo vsu Ecclesiæ, quem Sanctus Syluester Papa suo decreto firmauit, vt notatur in Lectionibus Breuiarij in festo eiusdem Sancti his verbis Sabbati & Dominici diei nomine retento, reliquos hebdomadæ dies feriarum nomine distinctos, vt iam ante in Ecclesia vocari cæperant appellari voluit: quo significaretur *quotidie* clericos abiecta cæterarum rerum cura *vni Deo* prorsus vacare debere. Vnde patet feriam propriè dici à feriando, lege Durandum in ration. lib. 7. cap. 1. n. 12. Qua ratione etiam Dominica, *prima* feria dici potest, quia dies immediatè sequens feria secunda vocatur: estque nomen sacrum non ex ritu gentium sed ex sacra scriptura desumptum, Durandus supra. Distribuitur autem per singulas ferias recitatio totius psalterij cum peculiari ordine ad opera sex dierum, sicuti paret ex hymnis propriis cuiuslibet feriæ in laudem Creatoris. Vnde feriale officium ex Radulpho propos. 17. officium Domini est. Dicitur autem Missa de feria quando non occurrit festum speciale Christi Domini, & Sanctorum.

Dubitari hic potest cum officium feriæ sit officium Domini, & Creatoris; cur ergo cedit festis sanctorum qui serui sunt ipsius Christi. Respondetur quodlibet officium esse etiam officium Dei, Siquidem laudamus Deum in Sanctis suis, & quamuis feriale officium solitariè dicatur officium Dei ob relationem ad opera Creationis, in quibus nulla fuit cooperatio creaturarum, nihilominus officia Sanctorum spectant etiam ad ipsum Deum, & ad opera redemptionis quia merita Sanctorum sunt effectus gratiæ supernaturalis, & Dei Redemptoris. Cùm ergo opus redemptionis, præferatur operi Creationis, ideò dies feriales cedunt festis

festis Sanctorum.

In ferijs tamen quadragesimæ, &c. Distinguuntur feriæ in maiores, & minores: de his nulla fit commemoratio occurrente festo, de primis fit semper commemoratio saltem in Missis priuatis, vt suo loco dicemus. Quoad Missas solemnes in hac Rubrica, disponitur vt in ferijs Quadragesimæ, Vigiliarum, &c. cantentur duæ Missæ occurrente in eis aliquo festo, videlicet vna de festo altera de feria, ad excitandam deuotionem fidelium nedum erga Sanctum cuius festum occurrit, sed etiam erga mysterij quod recolitur in dictis ferijs, item ad excitãdos fideles ad obseruantiã ieiunij quod vigilijs annectitur & ad præparationem animorum ad celebritatem festi sequentis, cui præmititur ieiuniũ. Qualis autẽ sit ea obligatio cantãdi duas Missas, infra in dubijs conscientiæ examinabimus.

2. In Vigilijs autem, & Ferijs Quatuor Temporum, vel Feria secunda Rogationum, quæ veniunt infra Octauam, Missa dicitur de vigilia vel ferijs supradictis cum commemoratione Octauæ: præterquam infra Octauam Corporis Christi, in qua in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis cantantur duæ Missæ, vna de Octaua post Tertiam, alia de Vigilia post Nonam: in Missis autem priuatis dicitur Missa de Octaua cum commemoratione Vigiliæ. Si autem in die Vigiliæ, vel prædictis Ferijs fiat officium de aliquo Festo, tunc dicitur Missa de Festo, cum commemoratione Octauæ, & Vigiliæ, vel Feriarum prædictarum. Quòd si Vigilia occurrat in die alicuius Festi ex maioribus primæ classis, in Missa non fit commemoratio de ea, sicut nec in Officio.

Vigilia est solemnioris festi præuentio, instituta ab Ecclesia in præparationem eiusdem festi præsertim obseruatione ieiunij, antiquitus autem præter ieiunium soliti erant fideles totam noctem vigilare in Dei laudibus apud Ecclesias Sanctorum, quorum festa præueniebant, qui mos postea sublatus fuit propter abusus qui irrepserant, vt notat Durandus in ration. lib. 6. cap. 7. n. 8. nomen tamen Vigiliæ inde ortum etiam nunc retinetur, his prænotatis.

Primo ordinatur in hac Rubrica vt in vigilijs quæ veniunt infra octauam Missa dicatur de Vigilia, & licet tunc non sit conformis officio, quia tamen per Rubricam est tali diei assignata dicitur etiam Missa de die. Cur autem discordet in hoc casu Missa ab officio, ratio est, quia infra octauas sæpius repetitur eadem Missa illius festi de quo fit octaua, & id circo dispositum fuit vt cedat Missæ propriæ de vigilia, quæ semel tantum dicitur. Deinde vt populus qui frequentius ad Missam conuenire solet quam ad officium moneatur ieiunij per Missam de Vigilia. Et eadem ratio est de ferijs Quatuor temporum & de Feria secunda Rogationum infra Octauam occurrentibus, vt notat Castaldus in praxi cærem. lib. 2. sect. 6. n. 9.

Secundo in Missali recognito auctoritate Vrbani VIII. addita fuit exceptio octauæ corporis Christi. Olim enim non modica fuerat altercatio vtrum occurrente Vigilia E.g. Sancti Ioannis Baptistæ infra octauam Corporis Christi dici deberet Missa de Vigilia cum commemoratione octauæ, vel è contra Missa de octaua cum commemoratione Vigiliæ. Nam Gauantus in Rubricas Missalis p. 1. tit. 3. lit L. in primis æditionibus mordicus defendebat dicendam esse Missam de Vigilia cum commemoratione octauæ. Ex aduerso Castaldus in praxi cærem. lib 2, sect. 6. n. 9. semper sustinuit dicendas esse Missas priuatas de Octaua, cum commemoratione Vigiliæ, & in Collegiatis cantari debere duas Missas, &c. eò quia ab hac Octaua excluduntur festa Semiduplicia propter populi deuotionem erga Missam & officium Corporis Christi, quare inferebat etiam ante Missalis reformationem implicitè exclusam fuisse Missam Vigiliæ, ne minueretur deuotio populi Tandem sublata fuit hæc controuersia & lata sententia in fauorem huius secundæ sententiæ contra Gauantum, vt patet ex hac Rubrica noui Missalis in qua addita fuit exceptio Octauæ Corporis Christi.

3. Si

3. Si feſtum habens Vigiliam celebretur Feria ſecunda, Miſſa Vigiliæ dicitur in Sabbato, ſicut etiam de ea fit Officium; excepta Miſſa Vigiliæ Natiuitatis Domini, & Epiphaniæ.

VIgilia incidens in diem Dominicam transfertur in Sabbatum præcedens, propter myſterium reſurrectionis, cui Dominica eſt dedicata; nec illi congruit ieiunium, quod eſt afflictionis, & luctus, & idcirco transfertur ieiunium in ſabbatum præcedens cum officio, & Miſſa de vigilia. Imo prohibetur ieiunium in Dominica capitulo ſi quis tanquam, & aliis diſtinc.30. præcipue in deteſtationem Hæreſis Manichæorum, qui, aſſerebant eo die neceſſario ieiunandum in contemptum reſurrectionis, vt docet diuus Thomas 2.2. quæſt. 147. art. 5. ad 3. An autem hoc tempore cùm dicta cauſa ceſſauerit licitum ſit ieiunare die Dominico controuerſia, eſt inter DD. quæ ad nos non pertinet, videri poteſt Sanchez ſum. lib. 2. cap. 37. num 9.

4. Miſſa Vigiliæ in aduentu occurrentis, dicitur cum commemoratione Feriæ Aduentus, licet de ea non ſit factum Officium, Vigilia Natiuitatis excepta.

IN ferijs Aduentus repetitur Miſſa Dominicæ præcedentis, & ideo ſi in illis occurat Vigilia, Miſſa dicitur de vigilia, quæ Miſſam propriam habet ob eandem rationem ſupra explicatam de vigilia occurrente infra Octauam.

5 Si in Quadrageſima, & Quatuor temporibus occurrat Vigilia, dicatur Miſſa de feria cum commemoratione Vigiliæ.

VIgilia hic cedit ferijs Quadrageſimæ, & Quatuor Temporum, & ſolum de vigilia fit commemoratio. Ratio eſt quia prædictæ Feriæ habent propriam Miſſam Officio conformem, & præſtantioris ſunt ritus, & altioris myſterij, de qua re alibi dicendum erit to. 2. in rubricas proprias de tempore. Notandum autem in ferijs prædictis Quadrageſimæ, &c. faciendam eſſe commemorationem Vigiliæ in Miſſa, non tamen legi eius Euangelium in fine, vt notat Caſtaldus in praxi lib. 2, ſect. 6. num 9.

6. Tempore Paſchali non dicitur Miſſa de Vigilia, niſi in Vigilia Aſcenſionis quæ tamen non ieiunatur, ſicut nec Vigilia Epiphaniæ.

TEmpore Paſchali non ieiunatur vſque ad Pentecoſten, quia eſt tempus lætitiæ Chriſti reſurrectioni dicatum, vt notauit diuus Thomas 2.2. quæſt. 147. art. 5 ad 3. Et ideo non ſunt ab Eccleſia Vigiliæ inſtitutæ cum ieiunio, nec conſequenter Miſſæ de Vigilia, niſi in Vigilia Aſcenſionis quæ tamen non ieiunatur. De Vigilia Pentecoſtes nihil hic dicitur, & forte non vacat myſterio: quia hæc Vigilia ieiunatur non ex lege ſcripta, ſed ex conſuetudine, & lege non ſcripta de qua videri poteſt Azorius to. 1. lib. 7. cap. 24. quæſt 2.

SENSVS MISTICVS.

DIebus ferialibus labori deſtinatis, deſignatur Vita actiua, & ſimul ſtatus vitæ præſentis, in quo laboramus, & anxiamur cum Martha; ſicut è contra diebus feſtiuis denotatur Vita Contemplatiua, & ſtatus gloriæ, in quo lætantur Beati, & quieſcunt cum Maria, inrenti dulcedini viſionis Dei, de quibus latè Diuus Auguſt. Serm. 27. de verbis Dom.

Vigilia pariter eſt medium, & via qua peruenitur ad feſtum; quo diſignatur nos per ieiunia, & carnis macerationes, in præſenti vita, quæ eſt ad inſtar Vigiliæ, nos inquam peruenturos ad feſtiuitatem, & gaudium beatitudinis, quod ſæpius monet Eccleſia E. g. in hymnis ſanctorum.

Ieiuna membra deferens dapes ſupernas obtinet, &c.

Carnem domans ieiunijs cœli potitur gaudijs.

D.V-

DVBIA CONSCIENTIAE

SECTIO I.

De Obligatione cantandi Missam

DVBIVM I.

Vtrum in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis sit obligatio cantandi Missam.

AD Vertendum nos hic non loqui de obligatione ratione legati vel stipendij accepti, sed de obligatione ratione præcisa cultus diuini, & seruitij ipsius Ecclesię ex ordinatione Iuris Canonici, & præsertim capituli cum Creatura de celebratione Missarum.

Respondeo, & dico primo. In Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis communiter est obligatio grauis, & sub peccato mortali cantandi quotidię saltem vnam Missam, seu celebrandi Missam solemnem. Ita Garzias de sacerdotio tract. 3. difficul. 2. dub. 3 num. 1. vbi testatur de communi. Leander de sacramen. to. 2. tract. 8. disp. 5. quęst 8. Diana par. 10. tract. 12 resolut. 40. Verticelli in quæst. moral. tract. 8. quest 30. n 1. Probatur primò, quia in prædictis Ecclesijs ex vi fundationis est obligatio celebrandi quotidie diuina officia, videlicet publice, & in Choro; in quem finem instituta sunt beneficia, vt Canonicatus, Præbendæ, distributiones, & similes prouentus in sustentationem ministrorum; sed nomine diuinorum officiorum comprehenditur etiam Missa solemnis, & cum cantu, vt patet ex capitulo dolentes de celebratione Missarum, & capitulo cum creatura eodem titulo, in quibus est sermo de Missa solemni; ergo sicut in prædictis Ecclesijs est obligatio sub peccato mortali cantandi officium in choro, ita pariter cantandi Missam. Imo Missa solemnis nedum comprehenditur nomine diuinorum officiorum; sed est primo intenta, & finis ad quem diriguntur Horæ Canonicæ in Choro, quæ vt dispositiones ordinantur ad Missam, vt probat Francolinus de tempore horarum. p. 1. cap. 16. num. 18. cui subscribunt Verticelli supracitatus, Gauantus in rubricas Missalis p 3. tit. 11. num. 4. & alij supracitati. Hinc dicitur Missa principalis, & etiam Missa Conuentualis; quia ad eam omnes choro addicti conuenire debent. Quamuis etiam in Ecclesijs in quibus non consueuit cantari Missa, vel non quotidie, appellari soleat Missa Conuentualis, ea quæ dicitur loco solemnis, nomine totius Conuentus: seu ad satisfaciendum obligationi iuris communis, qua tenentur singulæ Ecclesiæ Collegiatæ, & Regulares, vt in eis quotidie celebretur Missa de die, de qua re videri potest Castaldus in praxi cæremon. libro 2. sect 6 cap. 2.

Confirmatur primo quia non potest satisfieri choro seu officio publico priuata officij recitatione; Ergo neque satisfieri potest obligationi Missæ solemnis, & cum cantu aliqua Missa priuata, & sine conuentu Cleri; quia eadem militat ratio.

Confirmatur secundo ex declarationibus S. R. C. quæ prædictam obligationem manifestè supponunt apud Garziam de beneficijs p. 3. c. 2. vbi n. 548. probat non posse per Canonicos celebrari capitulum tempore diuinorum officiorum, præsertim quando cantatur Missa: quia tenentur choro assistere. Item num. 494. ex alijs declarationibus probat teneri Canonicos per seipsos cantare Missas iuxta ordinem suarum hebdomadarum.

Dixi autem communiter loquendo esse talem obligationem in Ecclesijs Collegiatis; quia in aliquibus ratione fundationis, vel peculiaris consuetudinis minor quandoque est obligatio E. g. cantandi Missam solùm in diebus festis, vel aliquoties in hebdomada, vt in simili aduertit Layman de sacrifitio cap. 3. num. 5. loquendo de obligatione celebrandi Missas in genere. Castaldus in praxi lib. 2. sect. 9. cap. 1. Tamburinus Opusc. de sacres. lib. 1. cap. 6. §. 2.

Dubitari potest in quo præsertim differat Missa solemnis à Priuata. Respondeo requiri primo ad Missam Solemnem tot Clericos, seu personas Ecclesiasticas, quæ sufficiant ad constituendum chorum: qui Missa cantari debet Respondentes choro. Secundo requiruntur plures Ministri principalis celebrantis videlicet Diaconus, & Subdiaconus, vel si non suppetat eorum copia cantari potest cum vno Ministro, qui præter solitas functiones cantet Epistolam, & deinde ipse celebrans cantet Euangelium, ita Suarez tom. 3. in 3. part. disput. 87. sect. 1. Castaldus in praxi lib. 2. sect 5. cap 3.

Dico secundo prædicta obligatio cantandi Missam præcipuè incumbit Prælatis, & Rectoribus Ecclesiarum, vt in simili diximus supra in rubricam proæmialem dub. 1. nam quando imponitur obligatio communitati quæ est corpus mysticum; pertinet ad caput, cuius est corpus regere, curare vt ea obligatio impleatur. Deinde afficit singulos Canonicos & alios choro deputatos, qui mortaliter peccant se absentando, quando ex eorum absentia, vel omittenda est Missa solemnis, vel cantanda cum notabili defectu vel deformitate, vt in simili asserunt DD. de illis qui se subtrahunt ab officio diuino in choro, & videri potest Bonacina de ho-

horis canon. disput 2. quæst. 1. pun. 2 conclus. 1 Aliqui enim DD. simpliciter damnant peccati mortalis absentes a choro absque legitima causa. Alij probabilius cum Caietano verbo horæ, docent tunc solùm absentes peccare mortaliter, quando ex eorum absentia omittendum est officium, vel persolui non poterit cum necessaria decentia.

DVBIUM II.

Vtrum Missa solemnis de qua supra debeat esse de die & secundum ordinem Officij.

REspondeo affirmatiuè vt ex communi sententia docent Gauantus in rubricas Missalis p. 1. tit. 4. lit. p. Bonacina, Trimarchi, & alij quos citat, & sequitur Niger in additionibus ad Ruiz ad præfationem quæst. 6. Verricelli quæst. moral. tract. 8. quæst. 30. Probatur primo ex capitulo Cum creatura de celebrat. Mis. vbi præcipitur vt Missa solemnis conuentualiter celebretur secundum temporum congruentiam de Festo vel de Feria &.

Probatur secundo a pari, quia officium publicum debet necessario & sub peccato mortali recitari in choro secundum temporum congruentiam, vt ex communi sententia docet Suarez de Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 11. num. 6. Ergo idem dicendum de Missa solemni & cum cantu.

Confirmatur, quia ex communi doctrina Rubricæ Missalis strictius obligant circa Missas solemnes quàm priuatas, vt docet Suarez to. 3. in 3. p. disp. 83. sect. 3. Bonacina de Sacram disput. 4. quæst. vlt. pun. 7. §. 3. Gauantus in rubricas Missalis p. 3. tit. 11. num 4. Ergo Quamuis loquendo de Missis priuatis obligatio dicendi Missam de die non sit grauis, & sub peccato mortali, nihilominus loquendo de Missa solemni dicendum est eam obligationem esse grauem, & sub peccato mortali. Et quamuis hoc non videatur pertinere ad substantiam præcepti; nihilominus quia talis circumstantia per se primo & directè præcipitur tanquam notabiliter conducens ad finem præcepti, ideo cadit sub graui obligatione.

DVBIVM III.

De obligatione cantandi duas Missas occurrente festo cum feria preuilegiata.

OCcasionem præbet huic dubio Rubrica supra explicata n. 1. & 2. & quærimus vtrum sit præceptiua & inducat obligationem grauem & sub peccato mortali

Prima sententia affirmat de Ecclesijs Cathedralibus & Collegiatis. Probatur primò ex Bulla Pij V. initio Missalis, in qua præcipitur vt decantentur Missæ iuxta ritum in Missali præscriptum: ergo hic ritus in Missali præscriptus cantandi duas Missas cadit sub graui præcepto, quia est ritus notabilis, vt Missæ conuentuales omnino correspondeant officio. Probatur secundo quia non est maior ratio de vna Missa quam de alia, & vtraque est conuentualis & principalis: ergo vel vtraque cadit sub præcepto vel neutra: dici non potest hoc secundum ex supradictis: ergo vtraque ex præcepto cantari debet.

Probatur Tertiò ex Decreto S.R.C. quod affert Gauantus præcipuus auctor huius sententiæ loco supracitato, cuius tenor est S.C. tanquam de re grauissima statuit Missam de feria priuilegiata in Cathedralibus & Collegiatis omnino cantandam non obstante quacunque consuetudine contraria, Ita Gauantus in rubricas Missalis p. 3. tit. 12 n 7. citans pro se Fraxinellum, & Monetam. Tenet etiam Zipeus consult. 2. de celebr. Mis. Garzias, & alij apud Dianam p. 10. tract. 12. resolut. 40.

Secunda sententia probabilior docet consulendum omnino esse, vt quoad eius fieri poterit duæ Missæ cantentur in casu posito iuxta præscriptum huius rubricæ; hoc tamen non cadere sub graui præcepto & sub pecato mortali ita Castaldus in praxi lib. 2. sect. 6. cap. 3. n. 20. citans Ruiz & Alcozer, Peyrinis de priuil. to. 3. cap. 1 n. 17. Tamburinus Opusc. de sacref. lib. 1 cap. 6. §. 2. num. 6. Niger in additionibus ad Ruiz p. 1. præsup. 2. quæst. 8. & alij apud Dianam p. 2. tract. 14. resolut. 76. & p. 6. tract. 8. resolut. 11.

Probatur primo quia obligatio sub peccato mortali non est asserenda nisi de ea apertè constet, ex doctrina Diui Thomæ quod lib. 9. ar. 15. & aliorum apud Diana p. 10. tract 12. res 57. Sed non constat in casu nostrò, ergo &c. Probatur minor, non enim colligitur saltem apertè ex Bulla Pij V. quia ibi non imponitur obligatio celebrādi, sed posito quoad quis velit celebrare, præcipitur vt Missam legat vel decantet iuxta ritum in Missali præscriptum, vt optimè obseruat Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 87. sect. 1. post 2. conclus. loquens de Missa solemni. Opotteret ergo aliunde probare obligationem cantandi secundam Missam in casu nostro, quod non faciunt auctores primæ sententiæ; Neque enim in iure communi est textus aliquis vnde talis obligatio colligatur.

Confirmatur primo a pari, quia in Bulla initio Breuiarij apposita præcipit idem Pius V. vt officium recitetur iuxta formam Breuiarij

Romani, ex quibus verbis non poteſt colligi quinam teneantur recitare officium & in quibus Eccleſijs: ſed aliunde id colligunt DD. ex fundatione Eccleſiarum & beneficiorum; ex qua tamen non poteſt colligi obligatio cantandi niſi vnicam Miſſam ex ſupradictis.

Confirmatur ſecundo quia DD. loquentes de obligatione celebrandi ex vi capituli cum creatura de celebr. Miſ. dicunt eam obligationem non extendi ad plures Miſſas vt ſupra dicebamus in rubricam proœmialem dub. 1. ergo in caſu noſtro pariter dicendum eſt ſatisfieri obligationi cantandi Miſſam vnica Miſſa ſolemni.

Ad oppoſita reſpondetur: ad primum: præceptum Pij V. in Bulla Miſſalis non imponere obligationem neque legendi neque cantandi; ſed ex obligatione ſuppoſita, vel etiam ſi quis ex deuotione celebret, præcipit vt Miſſa legatur vel cantetur iuxta ritus in Miſſali præſcriptos. Vnde omittens Miſſam etiam ſolemnem non peccat contra præceptum in ea Bulla contentum, ſed contra præceptum capituli cum Creatura, vt ſupra dicebamus cum Suarez.

Ad ſecundum negatur primum antecedens: ſiquidem maior eſt ratio de Miſſa conuentuali quæ correſpondet integro officio diuino; ſecus eſt de alia Miſſa feriæ de qua ſolum in officio fit commemoratio.

Ad tertium reſpondetur: de ea declaratione non conſtare autenticè; Secundò ea non imponi nouum præceptum, ſed declarari Miſſam de feria omnino eſſe cantandam, vt ſatisfiat rubricæ, quod veriſſimum eſt; non tamen ſequitur omittentes peccare mortaliter; quia rubrica in hoc eſt directiua ex ſupradictis in quæſt. proœmiali ſect. 2. punc. 7. de qualit. Miſ.

Colligitur in illis Eccleſijs in quibus non cantantur duæ Miſſæ vt præſcribitur in hac rubrica, ſed vnica tantum de feſto; omnino expedire, vt ſaltem de feria dicatur Miſſa priuata: vt quo ad eius fieri poteſt ſeruetur rubrica. Conſequenter in illis Eccleſijs in quibus non ſolent cantari Miſſæ, dicenda erit duplex Miſſa Conuentualis, vtraque priuata abſque commemoratione alterius in altera, ita Peyrinis ſupra citatus, & Caſtaldus in praxi lib. 2. ſect. 6. cap. 9. num. 21; vbi etiam ait in illis Eccleſijs in quibus vna tantum celebratur Miſſa, in prædicto caſu Miſſa Conuentualis celebrari debet de Sancto cum commemoratione Feriæ: quia rubrica procedit vbi plures ſacerdotes quotidie celebrant.

Colligitur ſecundo quid ſit dicendum ad eam quæſtionem, an peccet Sacriſta vel alius cui incumbit onus dirigendi Miſſas, ſi non curet celebrari vtramque Miſſam de Feſto, & de Feria in caſu poſito. Dicendum eſt enim excuſari poſſe à peccato mortali, quia rubrica non eſt præceptiua, cæterùm negari non poteſt quin peccet venialiter contra diligentiam iure naturali debitam in ſuo munere implendo circa cultum Dei: Quid autem ſit dicendum ſi nulla diceretur Miſſa Conuentualis nec etiam de Feſto, infra explicabimus tit. 4 de Miſ. vot. dub. 9.

DVBIVM IV.

Vtrum in Eccleſijs Regularium ſit obligatio cantandi Miſſas.

Reſpondeo, & dico primò in caſu præcedentis dubij non eſt obligatio cantandi duas Miſſas in Eccleſijs Regularium. Probatur quia rubrica loquitur de Eccleſijs Cathedralibus, & Collegiatis; ſed Eccleſiæ Regularium non ſunt Collegiatæ ſed Conuentuales, vt probat Rodriguez to. 1 quæſt. Regul. quæſt. 43. art. 12. & Diana p. 2. tract. 14. reſolut. 76. & p. 10. tract. 12. reſolut. 40. citans Leandrum, Bordonum, & alios, docet etiam Peyrinis de priuil. to. 3. cap. 1. num. 19. Lezana verbo Miſſa num. 49. Vnde etiam ſi vera eſſet prima ſententia relata in præcedenti dubio, non ſequitur Eccleſias regularium habere hanc obligationem. Curandum eſt tamen vt dictæ Miſſæ Conuentuales priuatim dicantur, vt ſupra dicebamus cum Caſtaldo.

Dico ſecundo probabilius eſt in Eccleſijs Regularium nullam eſſe obligationem cantandi Miſſam neque diebus ferialibus neque Dominicis, & feſtiuis. Probatur; obligatio cantandi Miſſam preſente choro ſeu cum aſſiſtentia Canonicorum, &. oritur ex fundatione beneficiorum in eum finem: ergo vbi non ſunt beneficia videlicet Canonicatus, Præbendæ, Diſtributiones, &. non eſt ea obligatio; ſed in Eccleſijs regularium communiter non habentur Canonicatus, &. ergo, &.

Probatur ſecūdo Regulares non tenentur ad huiuſmodi onera niſi ex vi regulæ, quam profitentur; ergo ſolum tenentur cantare Miſſam ſub peccato mortali quando regula id præcipit; ſecus ſi non præcipiat; ſed communiter regulæ religionum id non præcipiunt; ergo &: ita Peyrinis de priuil. to 3. c 1. n. 19. Gauantus in rubr. Miſ. p. 3 tit. 11 n. 4 & latè Diana par. 3 tract. 2. reſolut. 8. contra Peregrinum in comment. ad conſtitut. cler. Reg. p. 1 c. 1. lit. E. Cui conſentit Lezana to. 1. quæſt. Reg. cap. 1 n. 9.

Neque obſtat conſuetudo nonnullarum religionum, in quibus ſolet infallibiliter cantari Miſsa ſaltem in Dominicis, & diebus feſtis; quia conſuetudines huiuſmodi non habent vim legis; neque introducuntur animo obligandi, ſed ſolum ad obſeruantiam regularum, vt probat Diana ſupracitatus.

SE

SECTIO II.

De pertinentibus ad Vigiliam.

DVBIVM PRIMVM.

Qualiter peccaret qui Vigiliam transferendam in Sabbatum praecedens, vellet seruare in Dominica.

RESpondeo, & dico primo, qui omitteret ieiunare in Sabbato in quem ab Ecclesia transfertur Vigilia peccaret mortaliter. Probatur, quia violaret graue praeceptum ieiunij alligatum tali diei; nec potest propria auctoritate commutari, ita Syluester verbo ieiunium num. 22. Angelus, Tabiena, & alij Summistae quos sequitur Azorius to. 1. lib. 7. cap. 31. quaest. 5. Quamuis idem non teneretur alio die ieiunare; sicut qui omittit sacrum in die festo peccat mortaliter, sed non tenetur alio die profesto satisfacere; quia expirauit praeceptum, ita DD. citati.

Dico secundo, si aliquis ieiunaret die Dominica ex affectu singularitaris committeret peccatum superstitionis ob cultum indebitum, & superfluum, peccaret tamen venialiter tantum, quia est imperfecta superstitio, ita Sanchez sum. lib. 1. c. 37. n. 13. & alij DD. communiter.

Dico tertio, quoad officium, & Missam, si officium Vigiliae in casu posito recitaretur in Dominica publice, & in choro, committeretur peccatum mortale: Probatur, quia in publica recitatione mutatio vnius officij in aliud contra rubricas continet grauem deformitatem vt alias probauimus. Imo hic interueniret duplex mutatio, videlicet officij Sabbati & officij Dominicae, & cõsequenter duplex committeretur peccatum. Et idem proportionaliter, dicendum est de Missa solemni, quae cantari debet ex obligatione secundum ordinem officij vt constat ex dictis sect. 1. dub. 2.

Dico quarto, quad officium priuatum, seclusso contemptu, praedicta mutatio esset peccatum veniale, sicut supra dicebamus de recitante vnum pro alio officio, & idem dicendum de Missa priuata ob eandem rationem.



DVBIVM II.

Vtrum vigilia occurrens in festo primae classis possit transferri in diem praecedentem auctoritate Episcopi.

EG. occurrit Vigilia sancti Iacobi Apostoli in die S. Christinae quae in aliquibus ciuitatibus est electa in Patronam, & in similibus casibus.

Respondeo, & dico primo, transferri potest ieiunium auctoritate Episcopi; quia adest iusta, & rationabilis causa, ne solemnitas minuatur, ita Caietanus verbo Ieiunium, Tabiena, & alij Summistae, quos citat, & sequitur Azorius to. 1. lib. 7. c. 29. quaest. 5. Nauarrus in Manuali cap. 21. num. 11.

Dico secundo quoad officium, & Missam correspondentem fieri quandoque potest mutatio auctoritate Episcopi, ex rationabili causa, non tamen lege permanenti vt alibi diximus cum Suarez de hor. Canon. lib. 4. cap. 21. nu. 6. Vnde ad faciendam praedictam mutationem simpliciter, & lege permanenti recurrendum erit ad Sedem Apostolicam, ita Gauantus in rubr. Breuiarij sect. 3. cap. 7. n. 3. vbi cum dixisset auctoritate Episcopi in praedicto casu posse transferri ieiunium: subdit officium autem Vigiliae non esse anticipandum. Vnde sequitur non impetrata licentia à Sede Apostolica omittendum esse officium cum Missa Vigiliae.

DVBIVM III.

Vtrum possit Episcopus ordinare nouas sanctorum Vigilias non appositas in Kalendario Romano.

RESpondeo, & dico primo, quoad solum ieiunium potest. Probatur: quia habet facultatem condendi statuta, & leges in sua Dioecesi, vt colligitur ex cap. 1. de consecr. distinct. 3. & ex cap. 2. de maior. & obed. & docent communiter DD. de legibus, vt videri potest apud Suarez de leg. lib. 4. cap. 4. ergo posita iusta causa potest ferre legem obligantem ad ieiunium.

Dico secundo, quoad officium, & Missam non potest Episcopus, sed opus est licentia Sedis Apostolicae. Probatur, tum ex Bullis Pij V. appositis initio Missalis, & breuiarij; tum ex Decreto S. R. C. addito rubricis Breuiarij de quo supra diximus rit. 1. dub. vlt.

TITVLVS IV.

DE MISSIS VOTIVIS S. MARIÆ ET ALIIS.

1 IN Sabbatis non impeditis festo duplici,& Semiduplici Octaua, Vigilia, Feria Quadragesimæ: vel quatuor temporum, vel Officio alicuius Dominicæ quæ superfit, in præcedens Sabbatum translato, dicitur Missa de S. Maria secundum varietatem temporum. vt in fine Missalis ponitur.

2 In Aduentu autem, licet officium non fiat de S Maria in Sabbato, dicitur tamen Missa principalis de ea, cum comm. de Aduentu, nisi fuerint Quatuor tempora, vel Vigilia, vt supra.

EXPLICATIO LITERALIS.

QVamuis in honorem aliorum sanctorum semel tantum in anno celebretur memoria in die natalitio eorum; Nihilominus Virgini Deiparæ tanquam Reginæ sanctorum omnium maiorem cultum & frequentiorem exiberi decet:& ideo vltra proprias festiuitates singulis sabbatis non impeditis, ex Decreto Ecclesiæ celebratur de S. Maria officium & Missa. Cur autem dies Sabbati specialiter dicata sit B.V. respondeti potest quia reliqui hebdomadæ dies in cultum creatoris & Domini secundum ordinem operis sex dierum sunt distributi: vnde officia feriarum vt alias diximus cum Radulpho propos. 15. solius Domini sunt officia: septima ergo dies à prædictis operibus vacans in honorem matris Dei destinata, fuit ab Ecclesia: quia super omnes sanctos immediate post Deum peculiari cultu venerari debet. Nec fuit fine speciali Dei monitu hæc Sabbati dedicatio in honorem B.V. nam originem duxit ex insigni miraculo, quod accidit Constantinopoli circa imaginem eiusdem virginis: quæ die sabbati toti populo se conspiciendam offerebat elato in altum fine manibus velo quo tegebatur, & post Vesperas Sabbati cadens velum operiebat imaginem, sicuti refert Durandus in ration. lib. 4. cap. 1. Qui etiam addit dicatam fuisse hanc diem B V; quia Sabbato post mortem Christi tota fides in sola Virgine mansit, Quod tamen cautè intelligendum non quasi in omnibus omnino Apostolis & discipulis fides defecerit: sed quia fides peculiari modo & singulari constantia mansit in Virgine velut in arce & propugnaculo. Aliæ rationes quas affert idem Durandus pertinent ad sensum mysticum de quo suo loco dicemus.

In aduentu autem &. In Sabbatis item aduentus dicitur Missa principalis de B. V. licet non fiat officium de ea. Cur autem non fiat officium, ratio est quia Feriæ Aduentus sunt priuilegiatæ in quibus repræsentantur desideria Sanctorum Patrum expectantium Messiæ aduentum, antequam B. V fieret Dei mater, Durandus in Ration lib. 6 cap. 6. & Castaldus in praxi lib 3. sect. 1. cap. 1. n. 2. & ideo fit officium de Aduentu, non de B. V. quia vero in Missa repræsentatur executio Incarnationis Verbi in vtero eiusdem Virginis: dicitur Missa principalis de B.V.

Dubitari hic potest cur Missæ de Sancta Maria in Sabbato ponantur hic sub titulo de Missis votiuis; cum sint Missæ de die & secundum ordinem officij saltem extra Aduentum & quadragesimam: Missæ autem Votiuæ sunt quæ non correspondent officio vt dicitur in his rubricis generalibus tit. 3. Respondeti potest primò dici Missas Votiuas: quia totum officium Sabbati cum Missa extra ordinem designarum in Kalendario ex voto Ecclesiæ dicitur, ita Castaldus in praxi lib 2. sect. 6. cap. 4 num. 1. Addo posse dici Votiuas ad differentiam Missarum, quæ dicuntur in proprijs festiuitatibus eiusdem B V. Tandem quamuis in Sabbatis non impeditis in quibus fit officium de M. V. Missæ sint officio conformes, & in rigore non sint votiuæ sicut aliæ quæ dicuntur vel extra Sabbatum vel in Sabbatis impeditis; Nihilominus ponuntur sub hoc titulo de Missis Votiuis; quia de vtrisque simul commodiùs agitur ne eadem alibi essent repetenda. Tandem notandum in Missis B. V. quæ dicuntur in Sabbatis semper dicendam esse Gloria in excelsis, etiam si non sint conformes officio vt infra dicemus tit. 4 num 4.

3 Alijs diebus infra Hebdomadam, quando Officium fit de feria, & non eſt reſumenda Miſſa Dominicæ præcedentis, quæ fuerit impedita (exceptis Ferijs Aduentus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum) dici poteſt aliqua ex Miſſis Votiuis, etiam in principali Miſſa quæ vocatur Conuentualis, ſecundum ordinem dierum in fine Miſſalis aſſignatum, cùm commem. Feriæ de qua factum eſt Officium. Quæ tamen Miſſæ, & omnes aliæ Votiuę, in Miſſis priuatis dici poſſunt pro arbitrio Sacerdotum, quocumque die Officium non eſt Duplex, aut Dominica, cum comm. eius, de quo factum eſt Officium, & commem. item feſti Simplicis, ſi de aliquo occurrat eo die fieri commem in Officio. Id verò paſſim non fiat, niſi rationabili de cauſa. Et quoad fieri poteſt Miſſa cum officio conueniat.

Votiuæ appellantur Miſsæ quę pro deuotione dicuntur quatenus votum ſignificat deſiderium vel pium affectum. Sunt autem in triplici differentia vt notat Caſtaldus in pra. xi lib. 2. ſect. 6. cap 4.

Primi generis ſunt Miſsæ de Sanctis de quibus iuxta rubricas Miſſalis per anni circulum celebratur. Vnde illæ Miſsæ quæ in feſtis ſanctorum aſſignantur in Miſsali, poſſunt dici pro deuotione extra dies feſtos facta conuenienti mutatione, E g. vbi habetur natiuitas vel feſtiuitas dicatur commemoratio. De Tempore autem, & de Feſtis Mobilibus non dicuntur Miſſæ votiuæ. Tandem de Sanctiſſima Trinitate, de Spiritu ſancto, de Sacramento; de Paſſione, ſi dicendæ ſint Miſsæ Votiuæ, non dicuntur illæ quæ in proprijs feſtiuitatibus habentur, ſed Votiuæ ſecundi generis in Miſsali aſſignatæ, de quibus mox dicemus, ita Caſtaldus ſupra.

Miſsæ Votiuæ ſecundi generis ſunt quæ in fine Miſsalis habentur diſtributæ per ſingulos dies hebdomadæ, & ſunt octo, videlicet. Feria Secunda de Sanctiſſima Trinitate, vt initium harum Miſsarum ad Deo ſumatur. Feria Tertia de Angelis, quia natura ſunt Deo proximiores Feria Quarta de Apoſtolis quia ſunt Principes Eccleſiæ, & alijs Sanctis præferuntur, Feria Quinta de Sanctiſſimo Sacramento, ratio eſt manifeſta quia eadem die fuit à Chriſto Domino inſtitutum. Inſuper eadem Feria Quinta aſſignatur pro Miſsa Votiua Spiritus ſancti ob miram ad inuicem connexionem cum Sacramento, quippe Spiritus ſanctus fuit artifex eiuſdem Sacramenti Euchareſtiæ quod eſt prodigium amoris diuini; ſicuti probat diuus Thomas opuſc. de Sacram. Altaris cap. 13. vbi quærens quomodo panis fiat corpus Chriſti? Reſpondet quia Spiritus ſanctus ſuper venit, & ipſe operatur, & facit, eo modo quo ſuperuenit in Virginem &. E contra per Euchariſtiam infunduntur dona Spiritus ſancti, & communicatur fidelibus ſpiritus charitatis, & Pacis, vt conſtat ex orationibus Eccleſiæ de eodem ſacram.

Feria ſexta dicuntur Miſsæ Votiuæ de Paſſione, & de Cruce, quia hac die Chriſtus fuit crucifixus, Denique in Sabbato de B.V. ex ſupradictis. Huiuſmodi autem octo Miſſę dici poſſunt loco Miſsæ principalis ſeu Conuentualis in ferijs non impeditis ſecundum ordinem dierum in Miſsali aſſignatum, vt exprimitur in hac rubrica cum Commemoratione tamen feriæ de qua factum eſt officium.

Extra prædictos dies aſſignatos poſsunt etiam dici eædem Miſſę votiuæ pro deuotionę ſacerdotis vt fuſius explicat Caſtaldus ſupra num 3.

Tertij generis Miſsæ Votiuæ ſunt tredecim, videlicet pro Eligendo ſummo Pont. Ad tollendum ſchiſma. Pro quacumque neceſſitate & vt videri poſsunt in fine Miſsalis quæ dicuntur iuxta occaſionem occurrentem ob quam ſunt ab Eccleſia inſtitutæ.

Nota primò. Omnes Miſsas Votiuas dici poſse priuatim pro arbitrio ſacerdotum quocunque die officium non eſt Duplex aut Dominica, vt expreſſe habetur in hac rubrica; ne videlicet minuatur ſolemnitas ſiue Dominicę, ſiue Feſtis Duplicis. In antiquis Miſsalibus deerat illa vox Dominica, & nihilominus cenſebatur excepta illis verbis, alijs diebus infra hebdomadam, ideſt a Dominica ad Dominicam, quando non occurrit Feſtum Duplex; ſed ad maiorem cautelam expreſſius in nouo Miſſali excepta fuit Dominica. Vnde apertè falluntur aſſerentes dici poſse Miſsas Votiuas in Dominica quos refert, & ſequitur Niger in additionibus ad Ruiz p. 1. præſupoſ. 1. quæſt 16. Alijs ergò diebus extra Dominicam, & Duplicia dici poſsunt Miſsæ Votiuæ, ſed ſemper in

cis

eis facienda est commemoratio eius de quo factum est officium, & insuper etiam Festi Simplicis de quo in officio facta est Commemoratio; vt saltem in hac parte Missa Votiua correspondeat officio.

Nota secundo Missam Votiuam solemnem pro re graui posse cantari quacunque die etiam Domicicâ, vel occurrente festo Duplici, exceptis solemnitatibus primæ classis, & cantata altera Missa de die, vt ex rituali romano notat Castaldus in praxi lib. 2. sect. 6. cap. 4. Dicitur autem in his Missis solemnibus pro re graui vnica tantum Oratio ex his rubricis tit. 9. n. 14. Nec vlla fit commemoratio in hac Missa de eo, de quo fit officium nec alia quam in officio fieri contingat; sed vbi est obligatio Missæ conuentualis; hæc prius cantari debet. suo ordine, cum commemorationibus in rubricis præscriptis. Atque ita Romæ seruatur quando cantatur Missa Santissimi Sacramenti occasione orationis continuæ 40. horarum; quæ censetur Votiua solemnis pro re graui. Et sic fieri mandatur in peculiari instructione pro directione eiusdem orationis.

Nota tertio Missas Votiuas etiam priuatas, & in diebus permissis non esse passim dicendas; sed solum ex iusta, & rationabili causa, vt quoad eius fieri potest Missa cum officio conueniat, quam conuenientiam sæpius vrget Ecclesia in hac rubrica, & alibi; & ideo non debet facile variari Missa de die in aliam votiuam: quia magis Deo gratum est se conformare directioni, et ritui ab Ecclesia præscripto, quam aliud opus pium ex priuatâ deuotione exercitum, vt rectè cum Ruiz, & alijs aduertit Castaldus in praxi lib. 2. sect. 6. cap. 4. n. 8. quæ autem dicatur causa rationabilis infra explicabimus in dubijs conscientiæ.

SENSVS MISTICVS.

IN sensu allegorico Sabbatum fuit figura B. V. quia sicut post opus creationis requieuit Deus Sabbato ab omni opere quod patrarat; ita in opere redemptionis suauius requieuit in vtero Virginis. Cum enim arte Dæmonis deturbato in homine opere Creationis, quasi non quiesceret Deus donec artem Dæmonis noua falleret arte, carnem carne liberans ne perderet quos condidit; hinc ingressus per incarnationem castę Parentis viscera; requieuit in ipsa, Eccles. 24. qui creauit me requieuit in Tabernaculo meo, vt notauit Durandus in ration lib. 4. c. 1.

In sensu Anagogico sicut dies Sabbati est quasi ianua ad diem Dominicum quo significatur æterna vita; sic Maria est ianua cæli, & porta lucis fulgida, Durandus supra.

Sensus Tropologicus colligitur ex dictis; sicut enim per Sabbatum peruenimus immediatè ad diem Dominicum; ita per deuotionem B. V. citius & securius quàm alia via ad Dei gratiam & gloriam peruenimus, qui me inuenerit inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino parabol, Salam. 8.

DVBIA CONSCIENTIAE.

DVBIVM I.

De obseruandis in Missis Votiuis solemnibus & priuatis,

VT ea quæ pertinent ad Missas Votiuas præ oculis habeant Sacerdotes; placuit hic simul colligere notatu digna, non solum ea quæ diximus in explicatione huius rubricæ sed etiam omnia quę sparsim dicturi sumus in explicatione aliarum rubricarum pertinentia ad Missas Votiuas excerpta ex praxi cæterm. Patris Castaldi, & alijs grauibus auctoribus. Primò autem explicabimus notatu digna quæ sunt communia Missis solemnibus, & priuatis. Secundò ea quæ sunt propria Missarum solemnium. Tertiò ea quæ pertinent ad Missas priuatas tantùm: remissis alijs quæ maiori explicatione indigent ad dubia sequentia.

Communia Missis solemnibus & priuatis.

QVoad primum caput respondeo & dico primò, circa ea quæ sunt communia Missis Votiuis solemnibus & priuatis, hæc præcipuè sunt obseruanda.

Primò; Psalmus Iudica me Deus, & Gloria Patri in introitu, & ad lauabo dicuntur in omnibus Missis Votiuis. quia non sunt Missæ de Tempore & discordant ab officio, vt colligitur ex rubricis Missalis de ritu seruando tit. 9. num 6. Possunt tamen probabiliter excipi ab hac regula Missæ Votiuæ de Passione & de Cruce quando dicuntur tempore Passionis; quia tunc censentur de Tempore, vt dicemus in commentarijs p. 2 tit. 3.

Secundo Gloria in Excelsis nunquam dicitur in Missis Votiuis nisi in Missa Angelorum, & in Missæ S. Mariæ in quocumque Sabbato, etiam Aduentus & Quadragesimæ: non vero extra Sabbatum, licet sit tempus Paschale, vel infra Octauam: Neque si Ecclesia vel Altare sit sub nomine S. Mariæ, nisi adsit speciale priuilegium, quod Lauretanæ Aedi fuit concessum.

Tertio Orationes plures dicuntur, & secunda semper de eo de quo fit officium.

Quarto, in Votiuis Spiritus Sancti, Tertia erit A cunctis, quando ea dici solet pro Tempore, non autem de B. V. loco illius.

Quinto, in Votiuis Beatæ Mariæ Tertia erit de Spiritu Sancto, nisi præter orationem de officio facienda sit commemoratio de festo simplici, quo casu non est necessaria Quarta de Spiritu Sancto.

Sexto in Votiuis de Sanctis Apostolis Petro & Paulo, quando dicitur A cunctis, eius loco dicitur Oratio de Beata Virgine Concede nos.

Septimo Credo non dicitur regulariter neq; infra Octauam.

Octauo Præfatio propria dicitur si adest; aliter vel de Tempore, vel de Octaua, vel Communis.

Nono, Communicantes dicitur si Votiua dicitur infra eas Octauas quæ illud habent.

Decimo, Vltimum Euangelium semper est Sancti Ioannis, In principio.

Decimo primo, Missa Votiua de Sancto sumitur de eiusdem festo si habet propriam; alioquin de communi, habita ratione temporis Paschalis, seu non Paschalis. Et facta conuenienti mutatione in Introitu & Oratione, E.g. pro natalitio & simili verbo dicatur commemoratio, & taceantur illa verba Hodie, huius diei, hodierna die.

Decimo secundo, Si exigatur Missa Votiua de Assumptione, vel de alio festo B.V. dicatur Missa vt in votiuis pro Tempore cum intentione cultus illius festiuitatis seu mysterij. Si petatur de Rosario, quæ est prohibita (Dominicanis exceptis) dicatur vt in votiuis B.V. Et idem dicendum de Missa Votiua de Monte Carmelo & similibus.

Decimo tertio, Tempore Paschali adduntur in fine Introitus duo Alleluia, & in fine Offertorij, & Communionis additur Alleluia vbi non habetur.

Decimo quarto, Color in Missis Votiuis est idem ac in festis. In Missa de Cruce, rubeus in Missa de Passione, violaceus. pro eligendo Summo Pontifice, rubeus, pro Creatione, & Coronatione Papæ albus, & similiter pro Creatione Consecratione Episcopi: pro Missis ad Tollendum schisma & alijs, vsque ad Missam pro Iter agentibus inclusiuè color violaceus.

Propria Votiuarum Solemnium.

Dico secundo circa Missas Votiuas solemnes obseruari debent quæ sequuntur.

Primo, quando fit de Feria & non est resumenda Missa Dominicæ præcedentis, quæ fuerit impedita: neque anticipanda Missa Dominicæ sequentis; cantari potest loco Missæ Conuentualis de officio, Missa Votiua, de Trinitate in Feria secunda, in Feria tertia de Angelis & sic de alijs modo explicato in litera. Excipiuntur Feriæ Aduentus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum, in quibus prædictæ Missæ non cantantur loco Conuentualis.

Secundo, in Sabbatis Aduentus (extra quatuor Tempora & Vigilias) dicitur Missa principalis de Beata Virgine cum commemoratione feriæ, & in ea dicitur Gloria in Excelsis.

Tertio Missa Votiua solemnis pro re graui, vel publica Ecclesiæ causa potest cantari etiā in Dominicis & festis non maioribus; cantata altera de die in Collegiatis. Numeratur autem inter publicas causas ea ob quam oratio fit solemnis 40. horarum per gyrum & quando fiunt Comitia generalia seu Prouincialia regularium. Et in his casibus dicuntur Gloria & Credo, vnica Oratio, & Præfatio in cantu solemni. Commemorationes verò, quæ omitti non possunt fiunt in altera Missa Conuentuali, seu de die, vt supra in litera.

Quarto, si adhibeantur paramenta violacea non dicitur Gloria, neque Credo, neque Præfatio in cantu solemni sed vnica Oratio.

Quinto in Missa solemni pro gratiarum actione dicuntur duæ Orationes assignatæ in proprio loco sub vnica conclusione.

Sextò, si infra Octauam Paschæ contingat cantari Missam Votiuam non dicitur Graduale, licet illud dicatur in Missa de die.

Septimo, Hora cantandi Missam Votiuam solemniter pro re graui & cum populi concursu erit post Nonam. Aliæ Missæ de quibus numero 1. cantantur vti de die post Sextam.

Propria Votiuarum priuatarum.

Dico tertio circa Missas Votiuas priuatas hæc præcipuè seruari debent.

Primo, Missæ quæcunque votiuæ dici possunt qualibet die, modò non sit festum duplex neque dies Dominica, consequenter dici non possunt in diebus quibus prohibetur seu transferri debet festum duplex ex Decreto S. R. C. 28. Augusti 1627. Hoc est infra Octauas Epiphaniæ, Paschæ, & Pentecostes, in Vigilijs Natiuitatis Domini, & Pentecostes, in Feria quarta Cinerum, & in Hebdomada maiori. Quare obligatus his diebus ad Missas Votiuas satisfacit obediendo Rubricis.

Secundo, Vt absque culpa veniali dicatur Missa Votiua etiam diebus permissis, requiritur causa rationabilis vt patet ex Rubricis; causa autem rationabilis non est vt Missa breuior celebretur, neque quodlibet arbitrium laicorum sed necessitas aut pietas postulantium Missas Votiuas aut voluntas Defunctorum.

Ter-

Tertio, in votiuis priuatis pro gratiarum actione secunda Oratio erit de officio, tertia pro gratiarum actione. Idem fiat in Missa ad postulandam gratiam Spiritus sancti.

Quarto, Graduale cum Alleluia dicitur etiam tempore Aduentus; licèt illud omittatur in Missa de feria.

DVBIVM II.

An peccet qui omissa currenti dicit Missam Votiuam absque causa rationabili.

Dubium est de illis diebus in quibus per rubricas conceduntur Missæ Votiuæ, quando officium non est duplex, nec dies Dominica.

Respondeo, & dico primo ex vi rubricæ non peccat; probatur quia est rubrica directiua non obligans ad culpam saltem ex probabili DD. opinione, de qua aliàs diximus, & quia rubrica id committit arbitrio sacerdotis. Quod autem addit vt non fiat absque rationabili causa spectare videtur ad consilium.

Dico secundo dicens Missam Votiuam absque rationabili causa non excusatur à culpa veniali, ex eo quia operatur contra rectam rationem. Probatur vt actus humanus sit bonus, & culpa vacet; debet esse conformis rectæ rationi secundùm omnes eius circunstantias: ita vt etiam defectus in vna circunstantia reddat illum malum præsertim in circunstantia finis, sicuti docet diuus Thomas 1.2. quæst. 18. art. 1. & seq iuxta illud Dionisij cap. 4. de diuinis nomin. Bonum ex integra causa, malum ex singulari defectu; sed in casu nostro deficiente causa rationabili deest finis bonus, & rectæ rationi conformis; ergo actus non potest esse bonus sed malus iuxta malitiam praui finis. Communiter autem solet esse peccatum veniale cuiusdam torporis, & tædij rerum spiritualium, vt celebretur Missa breuior ad vitandam molestiam, quam quis apprehendit in prolixiori Missa currenti, vt testatur Castaldus in praxi lib. 2. sect. 6. cap. 4. cæterum si quis non ex animi torpore dicat Missam breuiorem sed quia est valetudinarius vel occupatus in concionibus, confessionibus, &c. rationabiliter operabitur.

Dico tertio causa rationabilis excusans à culpa mutationem Missæ currentis in votiuam, est quodlibet motiuum virtutis E.g. peculiaris deuotio erga aliquem Sanctum, vel mysterium Passionis &. similiter motiuum obedientiæ, quia sacrista id exigit; vel fidelitatis ratione promissionis. Probatur quia omne bonum virtutis est rectæ rationi conforme. Quamuis autem non peccet qui diebus permissis dicit Missam votiuam ex rationabili causa, imo opus virtutis exerceat, nihilhominus non debet hoc passim fieri, vt quoad fieri potest Missa cum officio conueniat vt monent rubricæ loquentes etiam de Missis priuatis. Vnde regulariter loquendo melius, & perfectius est dicere Missam currentem, & officio conformem; quia Deo magis grata est pietas congrua Ecclesiastico ritui, ita Castaldus supra num. 8. & in simili docet Sanchez lib. 6. sum. cap. 4. num. 14. loquens de regulis directiuis religionum.

DVBIVM III.

Qualiter peccet qui in festo Duplici &c. recitat Missam Votiuam.

Respondeo secluso scandalo vel contemptu hoc non excedere culpam venialem. Probatur, quia rubrica id prohibens non continet preceptum graue vt probauimus in quæstione stione proæmiali sect. 2. p. 7.

DVBIVM IV.

Vtrum quoties prohibetur fieri de festo Duplici prohibeantur etiam Missa Votiua.

E.G. Feria quarta Cinerum, infra Octauas Epifaniæ, paschatis &c. & in Hebdomada sancta.

Prima sententia sustinet non prohiberi Missas votiuas priuatas. Probatur quia hæ non prohibentur nisi quando officium est duplex; sed in ferijs prædictis officium non est duplex ergo &c. Ita Quintanaduennas in Theolg. mor. to 1. tract. 7. sing. 40. citans Rodriguez, & Nauarrum, & refertur à Diana par. 9. tract. 8 resolut 53.

Opposita sententia est communis & vera prohiberi simpliciter Missas Votiuas. Probatur quia prohibetur Officium & Missa etiam Festi Duplicis quod propterea transferri debet ergo Feriæ prædictæ præferuntur Duplicibus, consequenter Missæ Votiuæ quæ non permittuntur in festo duplici à fortiori non permittuntur in ferijs priuilegiatis iam explicatis Confirmatur quia ad tollendam omnem ambiguitatem ita expresse declarauit S.R.C. die 28. Augusti 1627. vt refert Barbosa in collectaneis Bullarum verbo Missa & Lezana qq. RR. tom. 1 cad. 2 r. n. 25. & ita docent communiter DD. quos citat, & sequitur Diana resolutione citata 53. vide etiam Castaldum in praxi cærem. lib. 2 sect. 6. cap. 4.

Colli-

Colligitur probabile esse prohiberi etiam Missas Votiuas & de Requiem infra Octauam Corporis Christi, quæ excludit festum semiduplex, atque adeo videtur in hoc æquiparari diebus Dominicis. Secundò quia idcirco excluditur festum semiduplex ne infra hanc Octauam omittatur Missa Corporis Christi: ergo ob eandem rationem censentur exclusæ Missæ Votiuæ: quamuis Gauantus censeat oppositum p 1. tit.3. lit. L.

DVBIVM V.

Quid agendum quando petitur Missa Votiua de Pentecoste, de Assumptione B. V. &c.

PRima sententia est Castaldi in praxi cærem. lib.2. sect.6 cap.4. n.1. Qui loquens de Votiua Assumptionis docet posse recitari Missam propriam eiusdem festi facta conuenienti mutatione E.g. vt vbi dicitur diem festum celebrantes, dicatur memoriam celebrantes; quamuis circa Missas de Pentecoste, de Trinitate, sentiat cum sequenti sententia.

Secunda sententia communis & vera asserit dicendam esse Missam Votiuam B. V. iuxta ordinem assignatum in fine Missalis, non autem Missam propriam festi Assumptionis, vel Natiuitatis, &c. Idemque esse faciendum si petatur Missa de Pentecoste, vel de Passione, quamuis petens dicat se velle vt recitetur Missa Hebdomadæ Sanctæ. Probatur quia ideo in Missali assignantur prædictæ Missæ Votiuæ dicendæ infra annum quia Missæ propriæ prædictorum festorum non congruunt extra eadem festa. Neque ex indiscreta Laicorum deuotione violandæ sunt Rubricæ Missalis, ita DD. communiter quos sequitur Diana p 4. tract.4. resolut.39. & p.3. tract.6. resolut. 102. & Lezana qq. RR tom.1. cap.21. n 6.

Difficultas esse potest qualiter peccet qui in casibus explicatis dicit Missam ipsius diei festi E.g. Missam propriam Assumptionis, vel Pentecostes cum sequentia, &c. Aliqui hoc damnant peccati mortalis quia videtur grauis träsgressio Rubricarum contra præceptum Pij V, in Bulla Missalis Ita Megalius tom 2. var. resolut. 187. cum alijs quos citat. Communiter tamen docent hoc non excedere culpam venialem; quia non dicitur Missa extra illas quæ habentur in Missali, quod rigorosè prohibetur sub peccato mortali; sed commutatur vna Missa in aliam ex contentis in eodèm Missali; quod etiam in officio diuino non inducit peccatum mortalè ita DD. communiter apud Dianam locis citatis & apud Auersam de sacrif. quæst.11. sect.12.

DVBIVM VI.

Vtrum possint dici Missæ Votiuæ de Beatis nondum Canonizatis.

PRima sententia concedit dici posse Missas Votiuas intra annum Probatur quia omnes Missæ sunt eiusdem dignitatis & gradus, & idem cultus Deo, & Sanctis defertur siue Missæ dicantur ab his Sacerdotibus siue ab alijs; similiter qualibet die & in quacunque Ecclesia dicantur; ergo quando à Sede Apostolica conceditur vt in honorem talis Beati E.g. Beati Caietani dicatur Missa à Clericis Regularibus in die Natalitio eiusdem Beati, & in proprijs Ecclesijs; hoc ipso declaratur Beatum Caietanum dignum esse in cuius honorem & cultum possit simpliciter & absolutè celebrari Missa: Ergo facta beatificatione potest dici Missa de Beato à quocunque & quomodocunque & quauis die. Probatur consequentia quia non exhibetur illi cultus diuersus ab eo, quem concessit sedes Apostolica.

Nec obstat prohibitio relata in cap. 1. de reliquijs & veneratione Sanctorum, vbi cauetur neminem esse venerandum sine auctoritate Romanæ sedis: non inquam obstat, quia hoc ipso quod Romana sedes declarauit aliquem esse Beatum & dignum in cuius honorem semel celebretur Missa; quilibet recitans Missam quacunque die & in quacunque Ecclesia in honorem illius Beati id facit auctoritate Romanæ sedis, quæ abstulit impedimentum prædictum, ita Castro Palao trac. 4. de fide disput. 1. pun.5. §. 5 n 7 Quintanaduennas in Theolog. mor. tract 7. singn. 5. Megalius in prompt. verbo canonizatio: Tamburinus opusc. de sacrif. lib. 2. cap. 6. §. 8. cum alijs quos citant.

Hinc inferunt citati DD. facta beatificatione & declaratione prædicta à sede Apostolica, posse omnes fideles apud se habere & vbique adorare imaginem illius beati eandemque in Altari constituere adorandam. Item illam circumferre in publicis processionibus. Similiter licitum esse commemorationem facere de tali beato in Missa & in officio quando commemorationes per rubricas conceduntur. Probatur quia omnes cultus predicti sunt longe inferioris ordinis sacrificio Missæ; ergo sedes Apostolica concedens Missam à fortiori concedit cultus prædictos.

Secunda sententia communis & vera negat posse in honorem Beati nondum canonizati dici missam extra diem assignatam vel ab alijs personis vel in alijs Ecclesijs non expressis in Bulla Beatificationis.

Probatur primo ex capitulo citato de reli-

quijs & veneratione Sanctorum: quia nemini licet aliquem venerari cultu publico absque licentia sedis Apostolicæ; sed in casu nostro non est concessa licentia nisi determinatis personis, & pro diebus & locis determinatis. ergo non est licitum prædictos limites excedere. Confirmatur quia si liceret frustra & inutiliter apponerentur in Bulla prędicta limitationes explicatæ; quod dici non potest.

Probatur secundo, specialis concessio huic Religioni facta est priuilegium eidem religioni concessum: ergo non extenditur ad alias personas extra eam religionem, & similiter neque ad alios dies neque ad alia loca: probatur consequentia, quia vis priuilegij non pendet solum à causa, sed præcipue pendet à libera voluntate concedentis, qui non intendit concedere nisi id quod exprimit: ergo in casu nostro non potest dici Missa neque ab alijs personis neque in alijs locis, neque alijs diebus in Bulla non expressis: quia non licet excedere præsertim in Missa limites verbales indultorum sedis Apostolicæ.

Probatur tertio, nam alias nullum esset discrimen inter beatificationē & canonizationem sanctorum, sed consequens est aperte falsum ergo, & antecedens; sequela vero probatur; quia non videtur assignari posse aliud discrimen, nisi quia per beatificationem proponitur aliquis Beatus limitatè colendus quoad personas locum, & tempus; per canonizationem, verò vniuersaliter, & absque limitatione. Nec satisfaciunt dicentes per Canonizationem concedi positiuè eam licentiam omnibus, per beatificationem verò solum permissiuè: quia permissio in casu nostro idem operaretur ac licentia expresiâ, & positiua, & sic limitatio esset superflua, & inutilis quod est absurdum.

Tandem hæc nostra sententia videtur decisa à S. R. C. in sequenti Decreto.

Decretum Sacr. Rit. Cong.

SAcrorum rituū Congregatio die 5. Octobris 1652. censuit, & declarauit si Sanctissimo Domino nostro placuerit non potuisse nec posse tam seculares quàm regulares cuiuscunque Ordinis, & Instituti etiam societatis Iesu excedere limites verbales indultorum sedis Apostolicæ super beatificationibus præsertim in celebratione Missarum, & Officij cum Octauis, nisi hoc expresse sedes Apostolica eis indulserit; & facta relatione per me Cardinalem Cornelium Episcopum Albanensem die 16 Decembris 1652. Sanctitas sua approbauit, & sic vt præmittitur seruari mandauit.

F. *Episcopus albanen.* Card. Cornelius.
loco † sigilli.
Bernardinus Rocius S. R. C. secr.

AD argumentum primæ sententiæ respondetur concesso antecedenti negatur consequentia: nam aliud est aliquem beatum esse capacem, & dignum talis honoris, aliud est posse omnes de facto illum cultum, & honorem illi deferre; nam vt etiam aduersarij concedunt, posset sum. Pont declarare aliquem beatum, & interim saltem per aliquod tempus nulli concedere licentiam celebrandi Missam in eius honorem. Confirmatur à pari nam per canonizationem declaratur aliquis Sanctus dignus vt possit apponi cum alijs in Kalendario; quod tamen non licet absque noua licentia Sedis Apostolicæ. Et ideo nostram sententiam defendunt Ludouicus Torres, Molfesius, Granado, Gosa, & alij quos affert, & sequitur Diana 2 p. tract. 16. seu primo miscellaneo resolut. 55. & p. 4. tract. 4. resolut. 231. quibus accedit Hurtado tract. de fide disp. 9. difficul. 15.

Ex qua doctrina colligit primo, Granado peccare mortaliter recitantes Officium diuinum in honorem alicuius Beati etiam si priuatim recitarent: quia est cultus publicus ordinatus ab Ecclesia in honorem sanctorum. Ita Granado in 2. 2. controu. 1. tract. 7. disput. 4. sect. 2. Cæterum videtur opinio rigida quoad Officium priuatum, & non ad satisfaciendum obligationi sed ex deuotione: quia non dicitur cultus publicus Officium quod recitatur expriuata deuotione, non autem nomine Ecclesiæ vt bene docet Quintanaduennas loco supracitato singul. 7 quod secus esset de Missa.

Colligit secundo, idem Granado non excusari à peccato mortali eos qui vel in Missa vel in Officio publico extra dies deputatos commemorationem faciunt de prædictis Beatis absque expressa licentia Sedis Apostolicæ; quia est cultus publicus in qua parte adhærendum est ipsi Granado: quamuis non videatur improbabile excusari posse a mortali ratione paruitatis materiæ vt docet Quintanaduennas loco citato, sing. 7.

Quoad processiones verò, & adorationem imaginis, & alia huiusmodi standum est consuetudini; quia de his non fit prohibitio tam rigida sicut de Missa, & de diuino Officio ex Decreto sacr. cong supra relato.

DVBIVM VII.

Vtrum dici possit Missa Votiua de quocunque Sancto canonizato etiam non descripto in Kalendario Romano.

PRæmittendum est omnes sanctos in martirologio Romano descriptos censeri canonizatos (exceptis paucis declaratis à sede Apo-

sto-

ſtolica beatis qui ex gratia ſpeciali ibidem apponuntur) ſiquidem martyrologium romanum quod ex ordinatione Eccleſiæ legitur in choro ad primam , eſt ſanctorum Catalogus & manifeſtum teſtimonium canonizationis vt docet Bellarminus lib. 1. de Sanct. Beatit. c. 7. & conſtat ex verſiculo quod immediate cantatur poſt martyrologium, Pretioſa in conſpectu Domini &c. Quærimus ergo an de ſanctis qui leguntur in Martyrologio poſſint celebrari Miſſæ votiuæ æque ac de illis , qui ſunt deſcripti in Kalendario Miſſalis.

Præmittendum ſecundo de prædictis ſanctis non deſcriptis in Kalendario non poſſe celebrari officium diuinum ad ſatisfaciendum propriæ obligationi , qua tenentur Canonici , Beneficiarij & ſimiles ex Decreto S. R. C. rubricis Breuiarij addito ; conſequenter nec poſſunt dici Miſſæ propriæ eorundem Sanctorum ſecundum ordinem officij ; Quæſtio ergo ſolum eſt de Miſſis votiuis.

Reſpondeo affirmatiuè , nempe dici poſſe Miſſas Votiuas de quocumque ſancto de cuius canonizatione conſtat vel ex Martyrologio vel alias.

Probatur Primò ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine, qua conſtat ſolitum fuiſſe offerri Miſſam in honorem cuiuſlibet Martyris , vel alterius Sancti cuius memoria extaret in libris ſeu tabulis . in quibus eorum nomina ſcribebantur , vt videre eſt apud Baronium in annotationibus ad Martyrologium cap 4.

Probatur ſecundo , quia ſancti per Canonizationem acquirunt ius ad cultum qui defertur per Miſſam, vt patet ex Bullis Canonizationum & ex communi DD. ſententia apud Bellarminum to. 1. controu. lib. 1. cap. 7. Quamuis autem de facto non poſſit celebrari Miſſa propria cum Officio niſi de illis , qui deſcripti ſunt in Kalendario , ne ad libitum mutari poſſit ordo Breuiarij & Miſſalis ; nihilominus quo ad Miſſam Votiuam nulla extat prohibitio , nec illa mutatur ordo Kalendarij , ergo &c.

Confirmatur quia ſecundum rubricas huius tituli poſſunt dici Miſſæ votiuæ de ſanctis abſque vlla exceptione , ergo etiam de Sanctis non deſcriptis in Kalendario ; ita Caſtro Palao tract. 4. de fide diſput. 1. §. 5. pun. 5. n. 7. qui teſtatur de communi his verbis In honorem cuiuſlibet ſancti Canonizati omnes conueniunt poſſe vbilibet & quolibet die à quocunque ſacerdote celebrari Miſſam . non quidem propriam quia forte dies pro vno die eſt illi aſſignata , ſed votiuam : eo quia à ſede Apoſtolica indicatus eſt dignus cui hic honor exhibeatur. Docent etiam Ludouicus de Torres diſp. 17 dub 1 . & Quintanaduenas in Theolog mor. tract. 7. ſign. 3. & ſequentibus.

DVBIVM VIII.

An Miſſa Votiuæ & aliæ de ſanctis proſint aliqua ratione eiſdem Sanctis.

RESpondeo & dico primo ſacrificium Miſſæ propriè loquendo non prodeſt Beatis , quaſi inde aliquem fructum vel emolumentum intrinſecum percipiant diſtinctum a cultu & honore extrinſeco : Vnde non poteſt illis proprie loquendo applicari fructus ſacrificij . Probatur quia Miſſæ ſacrificium nequit prodeſſe Beatis quatenus eſt propitiatorum , quia Beati ſunt liberi ab omni culpa : Neque prout eſt ſatisfactorium quia nullum habent reatum pœnæ . Nec denique vt eſt impetratorium , quia Beati ſummo Bono fruuntur , & omnia illis ad uota ſuccedunt , vnde ſcriptum eſt iniuriam facit martyri qui orat pro martyre cap. cum Martha de celebr. Miſ. Ergo propriè loquendo Miſsa non prodeſt Beatis nec pro illis offerri poteſt in ſenſu explicato 1. Ita Syluester verbo Miſsa primo quæſt. 8. Suarez , Molfeſius , & alij communiter apud Bonacinam de Sacramentis diſput. 4. quæſt. vlt. pun. 5. n 7.

Dico ſecundo Miſsa prodeſt aliqua ratione Beatis quoad honorem & quoad gaudium accidentale . Probatur quia vere ſacrificium reſultat in honorem ſanctorum dum offertur in gratiarum actionem pro illorum victorijs. Vnde in oratione poſt oblationem ſic dicitur , vt illis proficiat ad honorem nobis autem ad ſalutem &c. DD. citati.

DVBIVM IX.

Vtrum quando officium non eſt duplex, poſſint licitè recitari omnes Miſſæ Votiuæ omiſſa Conuentuali , ſeu de die ,

QVæſtio ſolum eſt de Miſſis priuatis in illis Eccleſijs in quibus non eſt obligatio cantandi miſsas de quibus ſupra diximus.

Reſpondeo & dico primo Rectores prædictarum Eccleſiarum tenentur curare vt in ſuis Eccleſijs dicatur quotidie ſaltem vnica Miſsa de die & ſecundum ordinem Officij , quæ ab aliquibus dicitur etiam Conuentualis quamuis priuatim dicatur. Probatur ex cap. cum Creatura de celebr. Miſ in quo fit expreſsa mutatio de Miſsa Conuentuali , & de die ſecundum ordinem officij , ita DD. communiter quos ſupra citauimus , in rubricam præmialem dub. 1.

Dicò ſecundo quamuis obligatio dicendi

Missam quotidie in Ecclesijs Collegiatis & conuentualibus grauis fit & sub peccato mortali ex alibi dictis; Nihilominus quo ad hanc circunstantiam vt Missa fit de die & conformis Officio probabile videtur non esse obligationem nisi sub veniali in illis Ecclesijs in quibus non canatur Missa solemnis. Probatur nam qui obseruat praeceptum quo ad substantiam quamuis deficiat in modo, & in circunstantia accidentali communiter loquendo solum venialiter peccat vt in simili docent communiter DD apud Dianam part. 1. tract. de horis canonicis resolut. 3 sed in casu nostro quando in Ecclesia celebratur Missa votiua & non de die seruatur praeceptum quoad substantiam & defectus est in circunstantia accidentali ergo &c.

Probatur secundo à pari, qui priuatim recitat horas canonicas & dicit vnum officium pro alio non peccat mortaliter sed solum venialiter ex ratione supra assignata & DD. relatis à Diana supra; Ergo pariter in casu nostro.

DVBIVM X.

Quando Missæ non sunt votiuæ, sed Officio conformes, quæritur cui nam officio debeant esse conformes.

SEnsus quæstionis est an Missæ de die debeant esse conformes officio quod recitatur ab ipsomet celebrante seu in Ecclesia cuius est membrum: vel potius officio quod recitatur in ea Ecclesia vbi dicitur Missa. Sæpius enim contingit variari officia vel ratione Sancti titularis alicuius Ecclesiæ, vel insignis reliquiæ vel ob festum dedicationis &. Est autem quæstio de illis Ecclesijs quæ vtuntur eodem ritu Missalis & Breuiarij Romani: nam de vtentibus diuerso Missali est alia quæstio alibi examinanda.

Respondeo & dico primo potest licite quilibet Sacerdos celebrare Missam secundum ordinem officij illius Ecclesiæ in qua celebrat etiam si discordet ab officio quod ipse sacerdos recitat. Probatur possunt licite etiam exteri & peregrini se conformare consuetudinibus & moribus illius loci per quem transeunt etiam si discordent a moribus suæ patriæ, vt ex communi sententia probat Diana 1. p. tract. de leg. resol 13. 14. ergo à pari Sacerdotes accedentes ad alienas Ecclesias possunt celebrare Missas secundum ritum eiusdem Ecclesiæ in qua celebrant.

Confirmatur ex communi praxi sacerdotum: quando enim in aliqua speciali Ecclesia fit particulare festum, solent conuocari alij Sacerdotes siue seculares, siue Regulares aliarum Ecclesiarum ad dicendas Missas illius sancti de quo fit festum in illa Ecclesia, & non in alijs, nec celebrantes de eo sancto recitauerunt Officium, & Nihilominus absque vllo scrupulo dicunt Missam de Sancto prædicto, ergo &. lege Gauantum in rubricas Missalis p. 3. tit. 10. num. 2.

Dico secundo per se loquendo non tenentur Sacerdotes aliarum Ecclesiarum celebrare Missam secundum ordinem officij quod celebratur in illa speciali Ecclesia in qua celebrant; sed possunt dicere Missam conformem officio quod recitatur communiter in ciuitate vel in Ecclesia propria ipsius celebrantis. Probatur quia non tenentur exteri, & peregrini seruare consuetudines & mores illius loci per quem transeunt, quamuis licitè possint ex DD. relatis a Diana loco citato resol. 15. ergo data proportione non tenentur sacerdotes in casu posito dicere Missam conformem officio illius particularis Ecclesiæ in qua celebrant. Dixi per se loquendo quia ad vitandum forte scandalum & ob similem rationem obligari possent vt Notauit Gauantus loco supracitato.

Dico tertio absolutè loquendo melius & consultius est vt Sacerdotes celebrent Missam secundum ordinem officij illius particularis Ecclesiæ in qua sacrum faciunt præsertim si solemniter ibi celebretur de aliquo sancto. Probatur quia congruum, & decens est vt seruiant illi Ecclesiæ in qua reperiuntur ergo secundum ordinem & ritum eiusdem Ecclesiæ. Deinde quia cæteris paribus est magis laudabilis morum conformitas cum incolis eiusdem loci in quo quis reperitur iuxta illud commune proloquium cum fueris Romæ Romano viuito more &. Tandem quia conformitas cum alijs eiusdem Ecclesiæ magis Deo placet & magis accedit ad regulas charitatis, Deus enim habitare facit vnius moris in domo, ita Tamburinus opusc. de sacrif. lib. 2. cap 6. §. 1. n. 14.

DVBIVM XI.

Vtrum qui accepto stipendio promisit Missam peculiarem votiuam satisfaciat dicendo Missam currentem.

REspondeo, & dico primo. Quando officium est duplex vel dies Dominica satisfacit sacerdos dicendo Missam secundum ordinem officij, & applicando fructum sacrificij, illi pro quo tenetur celebrare. Probatur quia ex vna parte diebus prædictis non est licitum dicere Missas votiuas: quia id est contra rubricas, & reprehensibile est ad instantiam laicorum relinquere Missas ordinatas ab Ecclesia propter peculiares ex deuotione cap. Quidam

La-

Laicorum de celebr. Miſ. Ex alia parte non violatur promiſſio formaliter; quia ſatisfit rectæ intentioni petentis iuxta regulas rectæ rationis ergo &c. Probatur antecedens primo quia ſi ille intendit cultum Dei vel honorem ſancti cuius Miſſam poſtulat; certum eſt Deo, & Sanctis magis placere cultum rationabilem ſecundum Eccleſiæ inſtitutum, quàm iuxta priuatam deuotionem aliorum. Secundo fructus ſatisfactionis ſeu remiſſionis peccatorum æqualiter prouenit a qualibet Miſſa. Tandem fructus impetrationis principaliter à Deo conceditur ratione rei oblatæ, quæ eſt Chriſtus Dominus in omnibus Miſſis; fructus autem correſpondens orationibus proprijs illius Miſſæ quæ poſtulatur ſatis ſuperque compenſatur deuotione ſacerdotis obſequentis mandatis Eccleſiæ; imo Deus facilius poſtulata concedit poſito cultu ſibi magis grato ſecundum ritum, & ordinationem Eccleſiæ ita DD. communiter infra citandi.

Dico ſecundo, in alijs diebus quando licitum eſt per rubricas dicere Miſſas votiuas peccat ſacerdos ſi abſque rationabili cauſa non impleat promiſſum; quia violatio fidei eſt contra rectam rationem ita Angelus, Azorius, *Fraxinellus*, & alij quos citat, & ſequitur Diana 2.p. tract. 14. reſol. 31. Bonacina de Euchariſtia diſp.4. quæſt. vltima pun.7 §.3. Vtrum autem peccet mortaliter vel venialiter, reſpondendum eſt id non excedere culpam venialem; quia vel nullum vel leue detrimentum ſequitur; eo quia omnes Miſſæ ſunt æqualis valoris ita Petrus Nauarrus de reſtit. lib.2.cap.2.n.248. Diana p.3 tract. 6. reſolut.62.

Dico tertio ſi ſacerdos variet ex iuxta, & rationabili cauſa, & loco Miſſæ votiuæ aliam dicat nullo modo peccat. Probatur primo quia dat æquiualens ex dictis in prima concluſione Secundo quia promiſſio habet imbibitam eam conditionem nempe exequendi rem promiſſam niſi recta ratio aliud dictauerit, vel niſi aliud fuerit magis expediens ita DD. citati in ſecunda concluſione. Si petas quænam ſit cauſa iuſta, & rationabilis. Reſpondeo conformitatem Miſſæ cum officio videri cauſam ſufficientem præferendi Miſſam diei alijs quæ petuntur ex deuotione. Ratio eſt quia licet Eccleſia concedat Miſſas votiuas; magis tamen commendat Miſſam officio conformem; ergo præferens Miſſam diei alijs ex deuotione rectius operatur iuxta directionem Eccleſiæ, ita Syluester *verbo* Miſſa quæſt.8. Petrus Nauarrus ſupra, *Villalobos*, & alij plures quos citat, & ſequitur Diana p.2. tract. 14. reſolut.31.

Aduertunt tamen DD citati cauendum eſſe ſcandalum illorum quibus facta eſt promiſſio, & ne detur eis occaſio indignationis, & murmurationis ob violatam fidem præſertim ſi ſint præſentes: quare vel prius inſtruendi ſunt; vel dicenda potius Miſſa quæ promittitur quando dici poteſt ſecundum rubricas vide Dianam ſupra. An autem ſint aliæ cauſæ variandi arbitrio prudentis remittitur vt in ſimili dicemus de Miſſis defunctorum.

DVBIVM XII.

Vtrum quando officium duplex eſt ad libitum, poſſit libere ſacerdos dicere Miſſam votiuam: quamuis recitauerit officium de ſancto duplici.

Ratio dubitandi eſt, quia in tali caſu remittitur arbitrio cuiuſque recitare tum officium, tum Miſſam de tali ſancto, E.g. de Angelo Cuſtode; ergo poteſt quilibet vti ea licentia quoad officium, & non quoad Miſſam vel e contra.

Reſpondeo, & dico primo. Facta electione quoad recitationem offici duplicis; tenetur celebrans dicere Miſſam conformem officio. Probatur facta ſemel electione officij duplicis tenetur quilibet ſeruare ritus in Breuiario, & in Miſſali præſcriptos pro eodem officio, nec poteſt pro ſuo arbitrio eoſdem ritus mutare; Ergo non poteſt licite, & abſque peccato ſaltem veniali dicere Miſſam votiuam, vel de requiem. Probatur conſequentia, quia hæ Miſſæ non poſſunt dici pro arbitrio, quando officium eſt duplex ex rubricis generalibus tit.4. n.3. vbi id ſimpliciter cauetur, & abſque limitatione, quoties officium eſt duplex.

Colligitur, quando in Eccleſijs collegiatis vel conuentualibus recitatur à communitate, ſeu publice in choro prædictum officium duplex, teneri ſingulos ſacerdotes qui ſunt partes, & membra eiuſdem communitatis celebrare Miſſas officio conformes ſi velint publice in eiſdem Eccleſijs celebrare; quia præter rationem explicatam vrget obligatio ſe conformandi eùm alijs; turpis eſt enim pars, quæ diſcordat a ſuo toto. Ex quibus patet ad rationem dubitandi.

Dico ſecundo. Qui non recitauit officium de ſancto duplici quod eſt ad libitum, ſed de feria vel de ſimplici; nec eſt membrum alicuius Eccleſiæ in qua celebratur officium de ſancto duplici vt ſupra poteſt celebrare Miſſam, quam voluerit videlicet, vel conformem ſuo officio, vel votiuam, vel etiam de ſancto duplici; quia tunc illi non prohibentur Miſſæ ab officio diſcordes; & poterit etiam de prædicto ſancto duplici celebrare Miſſam ſub ritu duplici cum Gloria, & ſi illi congruat credo, etiam cum credo; quia reſpectu talis ſacerdotis Miſſa eſt ſemifeſtiua, vt ſupra dicebamus.

TITVLVS V.

DE MISSIS DEFVNCTORVM,

1. Prima die cuiusque mensis (extra Aduentum, Quadragesimam,& tempus Paschale) non impedita Officio Duplici vel Semiduplici, dicitur Missa principalis generaliter pro Defunctis sacerdotibus,benefactoribus,& alijs Si verò in ea fuerit festum Simplex,vel feria quæ propriam habeat Missam aut resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis , quæ fuit impedita ,& infra Hebdomadam non occurrat alius dies in quo resumi possit: in Ecclesijs Cathedralibus & Collegiatis dicantur duæ Missæ , vna pro Defunctis ; alia de festo Simplici,vel Feria prædicta.Sed in Ecclesijs non Cathedralibus nec Collegiatis dicatur Missa de die cum comm. generaliter pro defunct.

2. Præterea Feria secunda cuiusque Hebdomadæ , in qua Officium fit de Feria, Missa principalis dici potest pro defunctis.Si autem fuerit propria Missa de Feria,vel de festo simplici,vel resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis, vt supra ,in Missa de die fiat commem , (vt dictum est (pro Defunctis. Excipitur tamen Quadragesima, & totum tempus Paschale.& quando per annū Officium est Duplex.vel Semiduplex,quibus temporibus non dici tur Missa Conuentualis pro Defunctis, (nisi in die depositionis defuncti,& in Anniuersario pro Defunctis) neque pro eis fit comm. Missæ autem priuatæ pro defunctis quocunque die dici possunt,præterquam in Festis Duplicibus & Dominicis diebus .

EXPLICATIO LITERALIS.

Sacrificium Missæ cùm in se vno altiori modo contineat omnes prærogatiuas sacrificiorum veteris legis ex Tridentino sect. 22 cap. 1. ne dum est latreuthicum & honorarium quatenus Deo in cultum latriæ offertur ; sed etiam est vere propitiatorium pro peccatis & impetratorium ex eodem Tridentino loco citato cap. 2. Cum ergo Ecclesia primo loco ordinauerit Missas in cultum Dei & etiam in honorem Sanctorum ; volens quoque speciali modo prospicere vtilitati fidelium; Missas votiuas disposuit pro necessitatibus & deuotione viuorum. Tandem alias peculiares pro defunctis instituit in subsidium & suffragium animarum Purgatorij : quamuis enim omnes Missæ quoad fructum satisfactionis applicari possint pro viuis & defunctis; Nihilominus quoad fructum impetrationis magis prosunt orationes propriæ assignatæ pro defunctis : sic docens Ecclesia non superfluum & vanum sed saluberrimum esse consilium pro defunctis exorare , vt à peccatis soluantur ,

Ante omnia igitur statuit vt prima die cuiusque mensis non impedita dicatur Missa principalis pro defunctis generaliter. Et præterea vt feria secunda cuiusque hebdomadæ possit etiam dici Missa principalis pro defunctis, vel vt saltem in Missa propria de feria fiat commemoratio pro defunctis. Vbi ponderanda est piæ matris Ecclesiæ solicitudo in accelerandis suffragijs defunctorum videlicet initio cuiusque mensis & hebdomadæ : Nouit enim illorum cruciatus esse vehementes, & idcirco accelerat subsidium , & leuamen: qua diligentia monet fideles præsertim hæredes defunctorum ne differant adimplere legata in detrimentum animarum Purgatorij . Caueant ergo Ecclesiarum Rectores ne in suis Ecclesijs negligatur hæc rubrica, neue omittatur Missa principalis pro defunctis prima die mensis non impedita etiam si in collegiatis cantari debeant duæ Missæ,si prędicta die occurrat festum simplex vt ibidem dicitur . Missæ etiam priuatæ in qualibet Ecclesia eadem prima die mensis dici debent pro defunctis : & similiter qualibet secunda feria pariter non impe-

impedita per annum exceptis quibusdam de quibus infra; quia censentur quasi Missæ de die assignatæ ab Ecclesia. Quod si occurrat festum simplex vel feria habens propriam Missam; dicatur Missa de Sancto vel de feria cum secunda oratione seu penultima pro defunctis generaliter, videlicet Fidelium, vt recte notat Castaldus in praxi lib. 4. sect. 6. cap. 3. num. 7. & 9.

Excipitur tamen Quadragesima, cuius feriæ semper habent propriam Missam; ordinatur tamen ab Ecclesia vt tunc dicatur officium defunctorum qualibet feria secunda non impedita, & in Missa Oratio quæ communis est viuis, & defunctis; sic compensando omissionem Missæ principalis quæ non dicitur eo tempore pro defunctis. Excipitur etiam Aduentus cuius feriæ sunt suo modo priuilegiatæ, & in eis non dicitur Missa principalis sicuti in prima die aliorum mensium; nihilominus etiam in Aduentu potest dici Missa principalis pro defunctis feria secunda cuiuscumque hebdomadæ.

Excipitur etiam tempus Paschale dedicatum triumpho, & gaudio resurrectionis Domini, cui non congruit officium funebre pro defunctis, quod est mæroris & luctus.

Nisi in die depositionis, & Anniuersario &c. dies depositionis defuncti est dies sepulturæ vt inferius dicemus, estque priuilegiata pro defunctis; pertinet enim ad naturalem pietatem vt corpus defuncti conuenienti ritu, & pompa sepulturæ tradatur, & celebrentur solemniter eius exequiæ, quibus viuentes veluti dicunt vltimum vale defuncto, & eum cum debito honore iuxta patrios mores cuiusque nationis dimittunt. De qua re videri potest diuus Augustinus de cur. pro mor. cap. 18. & Durandus in Ration. lib. 7. cap. 25. vnde etiam pia mater Ecclesia ea die suos fideles speciali honore dignatur concedendo Missam solemnem etiam in festis duplicibus.

Diei depositionis recurrente anno succedit dies Anniuersaria pro defunctis ex antiquissimo vsu Ecclesiæ, vt sicut sanctis ea dies prodest ad specialem gloriam accidentalem, ita prosit defunctis ad veniam, Amalarius lib. 3. cap. 44. hinc dies Anniuersaria solemnis etiam habetur, & dici in ea potest Missa solemnis etiam quando per annum officium est duplex, nisi sit de præcepto vt inferius explicabimus.

Missæ autem priuatæ pro defunctis dici possunt quacunque die, præter quam in festis duplicibus, & diebus Dominicis vt in simili supra dicebamus de Missis votiuis.

3. In die Commemorationis omnium Defunctorum, & in die Depositionis & in Anniuersario defuncti, dicitur vna tantum Oratio. & similiter in die Tertia, Septima, Trigesima, & quandocunque pro defunctis solemniter celebratur: in alijs missis, plures, vt de Ferijs & simplicibus dicetur infra in Rubrica de Orationibus.

QVando pro defunctis solemniter celebratur dicitur vna tantum Oratio, quod est signum solemnitatis vt patet de festo duplici. Celebratur autem solemniter pro defunctis non solum in die depositionis, & Anniuersarij sed etiam in die tertia, septima, & trigesima; vnde non debent à celebrantibus nominari alij dies à prædictis, qui solum in Missali habentur. Prædicti autem assignantur ex antiqua traditione, & consuetudine vt videre est apud Durandum lib. 7. cap. 25. Rationes vero pertinent ad sensum misticum, de quo dicemus in fine literæ.

Dubitari hic potest quid significetur in hac rubrica, nomine depositionis, vtrum dies Obitus, vel potius dies Sepulturæ; consequenter cùm dies Tertia, Septima, & Trigesima, item Anniuersaria computari debeant à die depositionis; quæritur an computari debeant à die Obitus, vel potius à die Sepulturæ.

Aliqui arbitrantur depositionis vocabulum vsurpari tam pro Obitu, quàm pro sepultura, sicuti illud vsurpauit Sanctus Ambrosius serm. 70. Confirmatur quia in secunda Missa pro defunctis in die Obitus, seu Depositionis, in Collecta dicitur pro anima quam hodie de hoc sæculo migrare iussisti; quæ verba dicuntur in die Sepulturæ; ergo dies Obitus, & Sepulturæ pro eodem accipiuntur ab Ecclesia, & à fortiori dies Depositionis. Ex qua sententia colligitur diem Tertiam, Septimam, &c. numerari posse ad libitum siue à die obitus siue à die sepulturæ in quam sententiam inclinat Gauantus in rubricas Missalis p. 4 rit. 18. n. 11.

Respondeo tamen in rigore distingui diem Obitus à die Sepulturæ; & insuper diem Depositionis significare diem Sepulturæ non autem diem Obitus propriè loquendo. Prima pars probatur quia communiter defuncti sepeliri non solent imo nec debent eodem die quo moriuntur seu anima separatur à corpore, vnde ad cauenda pericula hoc fuit prohibitum in con-

in concilio Prouinciali Mediolanensi sexto. Secunda pars probatur quia de ponere est de orsum ponere, & sic depositio est actus sepeliendi. Item de ponere apud aliquem est aliquid seruandum tradere, & fidei illius committere; per sepulturam vero traditur terræ corpus defuncti seruandum vsque ad diem resurrectionis iuxta illud sancti Andreæ. Tempus est vt commendetur terre corpus meum, & me ad te venire iubeas; dies ergo Depositionis est dies sepulturæ, & communiter alius à die Obitus, non nego tamen quandoque confundi, & pro eodem accipi, quia vel moraliter censentur eadem dies, vel in die sepulturæ repræsentatur dies obitus.

Colligitur primo, diem Tertium, Septimum & Trigesimum numerari debere à die sepulturæ non vero à die Obitus: quia in collectis fit mentio Depositionis, idest sepulturæ, non verò Obitus.

Colligitur secundo in die 3.7., & 30 dicendam esse eādem Missam quæ dicitur in die Depositionis, easdem que Orationes pro Cardinali Episcopo, & Sacerdote: pro alijs verò Orationem Quæsumus Domine prout assignatur in Missali: extra dies verò prædictos qui occurrunt inter Tertium, & Septimum, vel septimum, & Trigesimum dicitur Missa quotidiana pro defunctis cum suis orationibus.

4. Sequentia pro defunctis dicitur in die Commem. omnium fidelium defunctorum, & depositionis defuncti, & quandocunque in Missa dicitur vna tantum Oratio: in alijs autem Missis pro Defunctis, dicatur ad arbitrium Sacerdotis.

Sequentia additur in aliquibus Missis ob solemnitatem quæ etiam dici solet Prosa: quia lege metri caret: appellatur vero Sequentia quia per cantus amænitatem ad sequentia preparat. Hugo Victorinus de Offic. Ecclesiast. lib. 2 cap. 19. Huius autem sequentiæ quæ dicitur in Missis defunctorum auctor dicitur S. Gregorius iu libro ligui vitæ cap 70. vel potius Humbertus olim Generalis Magister S. Ordinis Prædicatorum: vel alius vt varij auctores referunt apud Gauantum p. 4. tit 18. num 4. & fides sit penes illos. Dici autem debet quandocunque in Missa dicitur vna tantùm Oratio.

SENSVS MISTICVS.

Missa Conuentualis pro defunctis, non dicitur tempore Paschali nec pro eis fit commemoratio quia tempus Paschale, repræsentat statum gloriæ cælestis quando mors vltra non erit neque luctus Apocal. 21. lege Durandum lib 6. cap. 87.

Celebratur solemniter pro defunctis die Tertia primo vt in anima integra reparetur imago Sanctissimæ Trinitatis, ita Alcuinus de diuin. offic. cap. de exeq mort. secundo vt absoluatur à peccatis quæ quis commisit cogitatione, verbo, & opere. Tandem propter triduum sepulturę Christi Domini ex Clemente lib. 6. constitut. Apost. cap. 48.

Septima dies significat totius vitæ purgationem: vita enim septem dietum circulo ducitur repetitis hebdomadis: Durandus supra.

Trigesimæ diei obseruatio antiqua est etiam in veteri testamento, vnde in morte Moysis, & Aron fleuit populus triginta diebus. Num. cap. 20. In nouo etiam testamento non caret mysterio vel quia Christus baptizatus fuit annū agens 30. vnde trigesima die cupit Ecclesia veluti lauari, & mundari animas Purgatorij ab omni reatu: vel quia in hac mensura ætatis plenitudinis Christi omnes resurgemus, & ideo curat Ecclesia, vt animæ defunctorum 30. die a pænis resurgant, Amalarius lib 4. cap. 42. Hinc etiam ortus est ritus triginta Missarum à S. Gregorio approbatus de quibus infra dicendum est.

DVBIA CONSCIENTIAE

DVBIVM PRIMVM

De obseruandis in Missis de requiem tam solemnibus quam priuatis.

Eo modo, & ordine quo titulo præcedenti simul collegimus, & adnotauimus ritus pertinentes ad Missas votiuas: hic pariter adnotare libet ritus pertinentes ad Missas de requiem in gratiam, & maius commodum sacerdotum, Deinde ea quæ indigent maiori discussione examinabimus in sequentibus dubijs.

Communia Missæ Solemni, & Priuatæ.

Respondeo, & dico primo, quoad ea quæ sunt communia hæc præcipuè obseruari debent.

1. Pro-

1. Psalmi præparationis ad Missam omitti non debent, vt dicemus in fine secundæ partis tit. vlt. & dum sacerdos se induit osculatur more solito vestes in quibus est crux

2. Non dicitur psalmus Iudica me Deus. Et requiem æternam dona eis in tota Missa dicitur semper in numero plurali.

3 Non signat se sacerdos in introitu, sed facit signum crucis super librum.

4. Non dicitur gloria in Excelsis.

5. Vnica Oratio dicitur in commemoratione omnium fidelium defunctorum, in die depositionis, & Tertio Septimo, Trigesimo, & anniuersario defuncti.

6. Nunquam nominatur dies Quartus, *Quintus sextus*, Nonus nec alij intra trigesimum in Oratione.

7. Quando plures dicuntur Orationes E.g. *secundo loco pro patre*, & matre vltima est fidelium generalis pro omnibus.

8. Oratio pro patre & matre sacerdotis nō dicitur pro aliorum patre &c. & quando dicitur pro altero tantum siue patre siue Matre, semper dicitur in initio Collectæ Deus qui nos *patrem & matrem* honorare præcepisti.

9. *Nulla* dicitur Oratio pro viuis neque *etiam si sit* communis viuis, & defunctis.

10 In Tertio, Septimo, Trigesimo, & Anniuersario Papæ, Cardinalis, Episcopi, & Sacerdotis dicitur Oratio quæ in die depositionis.

11 Cum in Oratione notatur litera N. profertur nomen proprium defuncti si est persona nobilis vel insignis; vel si consuetudo obtinet vt omnes nominentur

12 Epistola, & Euangelium sunt ad libitum celebrantis; decet tamen ea dici prout in Missali distributa. In super ea quæ habentur in prima Missa dicuntur in Missis pro Papa, Cardinali, Episcopo, & Prælatis etiam regularibus; pro sacerdotibus vero inferioris ordinis congruentius dicuntur Epistola, & Euangelium secundæ Missæ.

13. Sequentia dicitur sēper quādo dicitur vnica Oratio. In alijs Missis vbi plures dicuntur; ad libitum ea recitatur.

14. Non petitur benedictio ante Euangelium. Nec celebrans osculatur librum, neque dicit Per Euangelica dicta.

15. Non dicitur Credo, nec benedicitur aqua in Calicem infundenda: dicitur autem orario *Deus qui*, &c.

16. Ad Lauabo omittitur Gloria Patri, neque vice *illius dicitur* Requiem, &c.

17. *Præfatio* semper communis dicitur.

18. Ad Agnus Dei dicitur Dona eis requiem, & tertiò additur sempiternam, neque pectus percutitur.

19. Omittitur prima oratio Domine Iesu Christe; neque datur pax.

20. In fine dicitur semper Requiescant in pace in plurali, licèt pro vno applicetur Missa.

21. Non datur benedictio, sed dicto placeat osculatoque Altari, dicitur semper Euangelium Sancti Ioannis.

22. Si fiat communio Populi intra Missam, adhuc nulla datur illi benedictio.

23. Canticum, & Psalmus post Missam pro gratiarum actione dicuntur cum gloria patri, vt aliàs.

24. In Missis de viuis commemoratio pro defunctis penultimam semper habet locum.

Propria Missarum solemnium.

Dico secundo circa propria Missarum Solemnium hæc præsertim notari debent.

1. Prima die Mensis non impedita festo nouem lectionum dicitur Missa principalis cum tribus orationibus, vt in quotidianis defunctorum. Si verò ea die occurrat festum simplex; vel Feria quæ propriam habet Missam. In Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis dicantur duæ Missæ, vna pro defunctis, alia de festo simplici, vel de Feria prædicta. In Ecclesijs autem Regularium seruantur eorum consuetudines.

2. Feria secunda cuiusque hebdomadæ in qua officium fit de feria; Missa principalis potest dici pro defunctis in quotidianis defunctorum; omissa ea quæ co ncordat cum officio. quod si in Feria prædicta occurrat Anniuersariū vel aliud officium pro defunctis & pro Missa conuentuali dicatur Missa generaliter pro defunctis; in hoc casu in Cathedralibus, & Collegiatis cantantur duæ Missæ: altera quæ dicitur quasi de die pro defunctis generaliter, altera pro Anniuersario, vel Officio. Item si eadem die occurrat festum Simplex, aut Feria propriam habens Missam in Missa de die fiat commemoratio pro defunctis.

3. In Aduentu, Quadragesima, & Tempore Paschali nulla habetur ratio diei primæ mensis defunctorum: & similiter in Quadragesima, & Tempore Paschali nulla habetur ratio feriæ secundæ cuiusque hebdomadæ: sed in Aduentu habetur.

4. Quando per annum est officium nouem lectionum non dicitur Missa conuentualis pro defunctis neque pro eis fit commemoratio: idem fit in Quadragesima, & Tempore Paschali.

5. In die Depositionis, & Anniuersario ita dici potest Missa solemnis, vt nihilominus non omittatur Missa de die ex Decreto S. R. C. 25. Iunij. 1611.

6. In die Paschæ non conuenit cantari

Missam de requiem sed differantur exequiæ potius in sequentem diem si Missa requiritur idemque asserendum videtur de ipso die Natali Domini, Pentecost. &c.

7. In Dominicis, & festis de præcepto præsente corpore potest dici Missa solemnis ex Rituali Romano tit. de exequijs. Non tamen in festis primæ classis.

8. Si contingat in festis de precepto dies Anniuersaria, Tertia, Septima, Trigesima transferatur Missa in diem sequentem: vel melius in præcedentem vt citius succurratur animæ purganti. Quod si agatur de mutatione perpetua recurrendum est ad illos qui possunt commutare vltimas voluntates.

9. Quandocumque pro defunctis solemniter eelebratur dicitur vna tantum Oratio exceptis illis Missis quæ cantantur prima die Mensis non impedita, vt supra, quæ minoris sunt solemnitatis.

10. Hora celebrandi Missam solemnem Defunctorum, est vel post Laudes Officij Defunctorum, vbi dicuntur mane post Matutinum diei: vel post primam, vel tandem post nonam quando maior est solemnitas cum concursu populi.

11. Non incensatur Altare nisi ad oblata, & in fine solus celebrans incensatur.

12. Subdiaconus non osculatur manum celebrantis, nec benedicitur, neque tenet patenam; incensat sacramentum cum eleuatur; sed non defert librum osculandum celebranti.

13. Diaconus non petit benedictionem, nec osculatur manum celebrantis; non incensat librum, nec in fine Euangelij celebrantem.

14. Acolyti non portant luminaria ad Euangelium neque Thuribulum; tenent tamen vt alias medium Subdiaconum sustinentem librum Euangeliorum.

15. Nullus è Ministris eum aliquid porrigunt celebranti eius manum aut rem osculatur.

16. In Choro genuflectunt omnes ad Confessionem, ad Orationes, & dicto Sanctus vsque ad Pax Domini, & ad Orationes post communionem, in reliquis sedent aut stant vt in alijs Missis.

17. Candelæ distribuuntur Clero post Epistolam, & accenduntur ad Euangelium, ad eleuationem Sacramenti vsque ad communionem inclusiuè, & ad absolutionem.

18. Pro Absolutione hæc notanda. Subdiaconus gestat Crucem ita vt Crucifixus sibi terga semper vertat. Sistat se inter lecticam, & portam Ecclesiæ. Acolytis assistentibus cum candelabris hinc indè. Celebrans se sistit inter Altare, & lecticam, & prope ipsum à Sinistris Diaconus, & Acolythi cum aqua benedicta, & incenso. Incensum benedicitur & imponitur in Thuribulum circa finem responsorij. Antequam celebrans aspergat vel incenset, faciat cum Diacono qui erit à dextris reuerentiam Altari, & item Cruci quæ tenetur à Subdiacono dum circuit lecticam. Celebrans quidem capite tantum inclinato Diaconus autem flexo genu. aspergit autem & incensat ter à dextris & ter à sinistris. Diaconus dum dicitur Oratio tenet librum, & celebrans stat manibus iunctis, & in fine facit manu dextra signum Crucis super lecticam, dicens Requiem, &c. Quod si contingat eleuari Sacramentum in aliqua capella quæ est in prospectu non genuflectit celebrans si actu dicat orationem, neque Diaconus tenens librū, reliqui omnes genuflectere debent &, extra tempus orationis etiam ipse celebrans, exceptis solum Subdiacono tenente Crucem, & Acolythis cum candelabris.

Ea quæ pertinent ad Missas priuatas defunctorum explicabimus in sequenti dubio & alijs. Reliqua patent ex dictis in expositione literæ.

DVBIVM II.

Vtrum in Dominicis & Festis Duplicibus possint dici Missa de Requiem.

Dubitatur præcipuè de die Obitus, vel Anniuersarij, vel tandem de die specialiter determinata à testatore, si incidat in diem Dominicam, vel festi Duplicis.

Prima difficultas est de die Obitus, seu Depositionis.

Respondeo, & dico primo in die Obitus potest dici Missa solemnis etiam si officium sit duplex per annum, vt constat ex verbis huius Rubricæ num. 2. Ampliatur etiam in Dominicis, & festis de præcepto: quia licet Rubrica id non exprimat; declarauit tamen S.R.C. 23. Maij 1603. & habetur in Rituali Romano tit. de exequijs. Limitatur in festis primæ classis: vnde si quis moriatur in die Paschæ, & oportetet eum sepeliri cum Missa, reseruari deberet in sequentem diem ex eodem Rituali: Et notauit Castaldus in praxi cæremoniarum lib. 2. sect. 5. cap. 4.

Dico secundo vt possit cantari Missa defunctorum quando festum est de præcepto, debet corpus defuncti esse præsens in Ecclesia, ex Decreto citato S.R.C. Ratio est quia conceditur ea solemnitas in honorem fidelis defuncti ipso depositionis die, quando iuxta leges Christianæ pietatis exhiberi debent non solùm subsidia in fauorem animæ, sed etiam signa honoris circa corpus, adhibita decenti pompa funebri:

nebris hæc autem ratio non habet locum quãdo corpus non est præsens in Ecclesia : & ideo non datur licentia cantandi Missam.

Dico tertio eodem die Obitus, seu Depositionis etiam præsente corpore non possunt in festis de præcepto dici Missæ priuatæ de Requiem. Probatur quia Rubrica num. citato, quando concedit Missam de Requiem in festo duplici, loquitur solùm de Missa solemni ob rationem supra explicatam; quando verò loquitur de Missis priuatis excipit simpliciter dies Dominicos, & festi duplicis. Quid autem dicendum sit si festum sit duplex, & non de præcepto; videtur asserendum ex vi precisa Rubricæ & in rigore dici non posse Missas priuatas, quæ simpliciter prohibentur in duplicibus nulla facta exceptione; Ex gratia tamen speciali conceduntur pro adimplenda voluntate testatorum ex infra dicendis in tertia difficultate. Insuper videtur etiam probabile posse dici Missas priuatas de Requiem etiam in festis de præcepto eo precisò tempore quo celebrantur exequiæ, non verò extra tempus prædictum. Ratio est quia tempore exequiarum per vnam vel duas horas veluti suspenditur officium de festo in ea Ecclesia, vbi præsens est corpus defuncti, & totum officium est funebre in subsidium & aliquem etiam honorem ipsius defuncti: ergo si præter Missam solemnem tunc dicende sunt Missæ priuatæ, censeri debent concessæ Missæ de Requiem tamquam accessoriæ ad Missam principalem quæ cantatur de Requiem, vel tanquam pertinentes ad integritatem exequiarum; vel certè nullæ Missæ priuatæ tunc recitari deberent, quia Missæ festiuæ non congruunt officio funebri, quod eodem tempore celebratur in Ecclesia; vt colligitur ex Durando in Ration. lib. 7. cap. 35. num. 3 r.

Secunda difficultas est de Anniuersario.

Respondeo, & dico primò in die Anniuersario potest dici Missa principalis, & solemnis de Requiem, etiam quando officium est duplex, annum; modò non sit festum de præcepto, patet ex his Rubricis iam explicatis num. 1.

Dico secundo si sit festum de præcepto non potest dici Missa solemnis de Requiem vt patet ex declaratione supra relata S.R.C. quæ loquitur solum de die depositionis, & requirit corpus præsens defuncti, vt possit cantari Missa de Requiem: quod non potest verificari de die Anniuersario. Debet ergò in hoc casu mutari dies Anniuersaria & transferri vel in diem præcedentem, quod consultius est vt citius succurratur animabus Purgatorij, vt notat Gauantus hic ex Durando loco supra citato. Vel si commodè transferri non possit in diem præcedentem, transferatur in primam sequentem non impeditam.

Dico tertiò Quando in die Anniuersario non potest dici Missa solemnis de Requiẽ, tunc nec dici possunt Missæ priuatæ quia vt supra dicebamus facilius conceditur Missa solemnis quàm priuata ob honorem adnexum qui aliàde suppleri non potest: In Missis verò priuatis potius attenditur fructus, qui est æqualis in omnibus Missis. consequenter absque detrimentò æque possunt applicari pro defunctis Missæ de festo, seu de die vt supra in simili dicebamus de Missis votiuis. Ea autem quæ diximus de die Anniuersaria applicari similiter debent diei Tertiæ, Septimæ, & Trigesimæ ob eandem rationem, vt rectè notat Gauantus.

Tertia difficultas est de die specialiter determinato à testatore vt celebretur Missa de Requiem. E.g. qualibet secunda feria in Altari priuilegiato. Quæritur vtrum possit dici Missa de Requiem si in prædictam feriam secundam incidat festum duplex.

Respondeo, & dico primò in festo duplici de præcepto non potest dici Missa de Requiem neque solemnis, neque priuata. Probatur à fortiori ex dictis de Anniuersario, & ex Decreto S.R.C. die 24. Aprilis 1627. apud Gauantum hic.

Dico secundò in festo Duplici quod non est de præcepto possunt dici Missæ Defunctorum tum solemnes, tum etiam aliquæ priuatæ, vt testatorum voluntas adimpleatur. Quamuis enim Rubrica simpliciter prohibeat Missas Defunctorum in festis Duplicibus; Nihilominus S. Cong. excepit hunc casum nonnihil indulgens vltimis piorum voluntatibus quibus omnia iura fauent. Verba autem Decreti sunt hæc tolerantur Missæ de Requiem in festo Duplici quod non est de præcepto pro voluntate testatorum implenda, primò Septembris 1607. videri possunt Gauantus hic, Lezana tom. 1. QQ. RR. cap. 21. num. 28 Garzias de Sacerdo. tract. 3. diff 8. dub 6. punct. 6. num. 22.

Colligitur primò. In festo Duplici non posse dici Missas Defunctorum, nec etiam priuatas ad instantiam viuorum, tum quia non militat eadem ratio de vltimis voluntatibus quæ firmiores esse debent; tum quia viuentes instrui possunt, melius esse vt Missæ sint Officio conformes: non autem Defuncti DD. citat & Diana p 9. tract. 2. resol. 29.

Colligitur secundò. Extra prædictos casus non posse dici Missas priuatas Defunctorum, quando, vel festum est duplex, vel dies Dominica, vt constat ex hac Rubrica num. 2 fine.



DVBIVM III.

An Missa Conuentualis Defunctorum possit applicari pro eo, qui stipendium dedit: & quid dicendum de alijs Missis Conuentualibus.

RAtio dubitandi est præsertim circa Missam Defunctorum prima die cuiusque Mensis dicendam, quia in hac Rubrica num. 1. ordinatur, vt dici debeat generaliter pro defunctis: ergo non potest applicari specialiter pro eo, qui dedit stipendium, cui totus fructus debetur, & sic nihil remaneret pro alijs. Hac etiam occasione quærimus de alijs Missis Conuentualibus an possint applicari pro arbitrio Sacerdotis celebrantis.

Prima sententia simpliciter negat. Probatur Missa Conuentualis cantatur in Cathedralibus, & Collegiatis ex obligatione iustitiæ nempe ex vi fundationis Canonicatuum, Portionum &c. quæ Beneficia habent illud onus adnexum, vt supra dictum est tit. 3. ergo debet applicari iuxta intentionem fundatorum, & obligationem totius Capituli, non verò pro speciali obligatione celebrantis ob stipendium acceptum. Probatur consequentia quia non potest vnico Sacro satisfieri duplici obligationi præsertim iustitiæ, Ita Fraxinellus de obligat. sect. 4. conclus. 4. §. 16. Bonae. disp. 4. de Sacram. quæst. vlt. punct. 6. §. 2. cum alijs.

Secunda sententia probabilior absolute concedit applicationem Missæ Conuentualis ad libitum Celebrantis.

Probatur: quia est valde diuersa obligatio cantandi Missam in seruitium Ecclesiæ propter cultum Dei, & commune bonum Ecclesiæ in genere, & propter edificationem fidelium, ab alia obligatione applicandi sacrificium. Quamuis ergo in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis sit obligatio cantandi Missam in primo sensu; non tamen inde sequitur in Capitulo esse obligationem applicandi fructum illius Missę Conuentualis; quia à diuersis non fit illatio; nec aliunde constat de tali obligatione. Hinc sequitur applicationem esse liberam pro arbitrio celebrantis. Ita Peyrinis, Corduba, Trimarchi, P. Leone, Niger, & alij, quos citat, & sequitur Diana p. 5. tract. 13. resol. 51. Auersa quæst. 11. sect. 17.

Ad argumentum primæ sententiæ patet ex dictis ex vi fundationis Canonicatuum, &c. Non teneri Canonicos, vel Capitulum ad applicationem fructus Missæ Conuentualis per se loquendo; quia sunt beneficia instituta in alium finem, nempe Officij publici, & seruitij Ecclesiæ.

Dixi per se loquendo; quia si constaret de tali obligatione, & fundatorum intentione, nullum dubium esse potest, tunc Missam illam applicari non posse pro arbitrio celebrantis; sed necessario applicandam esse iuxta obligationem fundationis, nec auctores secundæ sententiæ hoc negant: sed dicunt communiter, & simpliciter loquendo non constare de tali obligatione.

Ad rationem dubitandi initiò positam respondetur Missam illam dici debere generaliter pro Defunctis, quo ad fructum generalem, qui respondet Missæ, quatenus offertur nomine Ecclesiæ, & consistit solùm in fructu impetrationis; Secùs vero de fructu speciali satisfactionis, qui etiam dicitur fructus essentialis; quia correspondet oblationi essentiali sacrificij, quæ fit in persona Christi, de quo nihil præcipit Ecclesia in Rubricis. Hoc ergo potest applicari à celebrante ei, qui dedit stipendium cum fructu quoque impetrationis orationum Ecclesiæ, & ipsiusmet celebrantis: Fructus enim impetrationis non minuitur ex concursu, & consortio multorum; sed multiplicatur, vt dicemus in appendice qq. de sacrif. quæst. 2. pun. 19. Secùs est de fructu satisfactionis, qui non potest pluribus applicari, quin minuatur in singulis, vt ibidem probabimus.

Colligitur primo discrimen inter Canonicatus, & similia beneficia ex vna parte, & Cappellanias, & cætera huiusmodi ex alia; quia Canonicatus, Præbendæ, Portiones, &c. instituta sunt directè ob officium publicum psallendi, cantandique Missas precisè ob cultum Dei, & ædificationem fidelium: & ideo non habent onus applicationis adnexum per sè loquendo, nisi de hac obligatione manifestè constet. E contra Capellaniæ directè instituuntur in eum finem obtinendi fructum sacrificij, quem proinde tenentur Cappellani ex iustitia applicare iuxta fundatorum intentionem, nisi euidenter constet de opposita intentione eorundem fundatorum: & ideo Cappellani non possunt accipere nouum stipendium pro Missis ad quas tenentur ratione Cappellaniæ, vt optime explicat Suar. disp. 86. sect. 1. & docent Communiter DD.

Colligitur secundo in Ecclesijs Regularium posse applicari à superioribus Missas Conuentuales, siue Defunctorum siue alias pro eorum arbitrio, etiã illis, qui dederunt stipendium Pater à fortiori: quia non cantantur Missæ ex obligatione iustitiæ, vel beneficij: sed ex vi Regulæ cuiusque Religionis, & ad satisfaciendum rubricis Missalis, quæ non precipiunt applicationem fructus specialis. Ita DD. secundæ sen-

ten-

rentiæ, nec credo contradicant auctores primæ sententiæ.

Colligitur tertio, quid sit dicendum de Missis, quæ dicuntur in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum secunda die Nouembris. Vtrum sit obligatio applicandi illas pro omnibus Defunctis generaliter, vel possint à celebrantibus applicari pro illis qui stipendium obtulerunt. Dicendum est enim posse applicari pro illis, qui dederunt stipendium (quãuis optimum consilium esset applicare pro omnibus etiã quo ad fructum specialem.)

Probatur ex dictis quia Ecclesia non precipit applicationem fructus specialis, seu medij ex opere operato sed solum fructus generalis, et impetrationis per orationes ab ipsa Ecclesia perscripras; ergo applicatio fructus specialis est libera: vt cum Leone, et alijs docet Auersa de sacrificio Missæ quest. 11. sect. 18. §. Item posse.

Colligitur quarto posse in predictis casibus applicari à celebrante fructum specialem sacrificij, tum illi qui dedit stipendium ex obligatione iustitiæ, tum etiam ex charitate alijs fidelibus defunctis in sententia illorum qui probabiliter dicunt, valorem sacrificij esse infinitum extensiue, dummodò simpliciter, & absolutè applicet pro illo, cui obligatur ex iustitia ratione stipendij: alijs verò sub conditione valoris Missæ infiniti: & modo pro eodem sacro non accipiat nisi vnicum stipendium; quia sic nullis fit iniuria, & alias exercetur officium charitatis: fieri enim potest, vt vere sacrificium profit æqualiter omnibus vt fusius infra in quæstionibus de sacrificio, sect. 1. pun. 19.

DVBIVM IV.

An omittens sequentiam in Missis Defunctorum peccet mortaliter.

Quæstio est de omittente sequentiam Dies iræ &c. ex industria, ad vitandam prolixitatem, quando iuxta hanc rubricam n. 4. dici debet, vt in die Obitus, in Anniuersario, & die secunda Nouembris. &c.

Ratio dubitandi est quia videtur pars notabilis: ergo illam voluntarie omittens peccat mortaliter.

Respondeo probabile esse peccare solum venialiter; Ratio est quia omissio illarum partium, quæ non pertinent ad vsitatam Missæ integritatem, sed quandoque adduntur ad maiorem ornatum, & solemnitatem, non est peccatum mortale sed veniale; quia non proprie mutilatur tunc Missa, & sacra actio, quæ sine illis communiter integre perficitur, vt cum suar. disp. 83. sect. 3. & alijs diximus quæst. proemiali sect. 3. punct. 1. sed sequentia de qua loquimur est huiusmodi: &c. Ita Bordonus in Consil. Regularium tomo 2. ref. 64. num. 33. loquens speciatim de sequentia Defunctorum Quintanaduenas in Theolog moral to 1. tract. 7. singulari 39. qui cum alijs idem affirmat de sequentijs aliarum Missarum Cæterum in actione sacrificij tam tremendi omne peccatum, quamuis minimum cauere debemus præsertim cum in hoc casu plures dicant committi peccatum mortale Vide Diana par. 9. tract. 8. ref. 53.

DVBIVM V.

An Sacrificium Missæ prosit Defunctis infallibiliter.

Certum est de fide Missam recte pro Defunctis offerri, eisque prodesse ex Tridentinis. 22. cap. 2. canone tertio Quæstio solum est vtrum certo, & infallibiliter prosit.

Respondeo quãuis aliqui dicãt non prodesse infallibiliter, & ex certa lege, seu promissione Christi; sed quandoque non acceptari à Deo in subsidium illius animæ pro qua offertur; Nihilominus probabilius est semper, & infallibiliter acceptari æquæ ac pro viuis, vt cum suar. disp. 79. sect. 10. & alijs dicemus in quæst. de sacrif. quæst. 2. punct. 5.

DVBIVM VI.

An Missa prosit Defunctis per modum impetrationis.

Ratio dubitandi est; quia vel consideratur Sacrificium quatenus habet vim remittendi pœnas, & sic certum est prodesse animabus Purgatorij: sed ita nõ satisfit quæstioni, quia prodest, vt satisfactorium. Vel consideratur in ordine ad alios effectus a satisfactione diuersos prouenientes à sacrificio, quatenus est impetratorium, & sic nihil prodesse videtur Defunctis, qui non indigent nisi satisfactione, & pœnarum remissione.

Deinde fructus impetrationis correspondet orationi siue in sacrificio, siue extra; correspondet in quam ex diuina liberalitate non ex iustitia: hic autem modus non videtur habere locum circa animas Purgatorij quoad remissionem pœnarum. Probatur quia sunt in statu, in quo attenditur, & seruatur omnino rigor iustitiæ, vt soluant vsque ad minimum quadrantem: ergo non liberantur à pœnis, nisi vel ipsæ satispatiantur, vel offeratur, & soluatur aliunde condigna satisfactio, siue ex opere operato

perato per sacrificium; siue per satisfactiones fidelium ex opere operantis: non autem gratis & ex pura liberalitate: ergo effectus impetrationis, qui nititur diuina liberalitate etiam per sacrificium quatenus est impetratorium non prodest animabus Purgatorij,

Pro resolutione aduertendum, posse orationem dirigi ad impetrandam à Deo remissionem pœnarum dupliciter. Primò immediatè, idest absque vlla solutione, vel oblatione satisfactionis æquiualentis, neque ex opere operato per sacrificium, neque ex opere operantis: sed omnino gratis. Secundò mediatè seu remotè vt Deus excitet fideles ad offerendas satisfactiones pro Defunctis, quibus satisfiat diuinæ iustitiæ, & sic liberentur immediatè à Purgatorio, quod explicatur exemplo. Potest enim quis implorare auxilium Iudicis pro aliquo debitore, vel rogando solum, vt ex gratia liberetur, vel soluendo pro eo, aut suadendo Iudici, vt sua auctoritate inducat aliquem ad soluendum pro debitore, vt sic absq; læsione Iustitiæ liberetur. Hoc posito.

Constat inter omnes DD. Catholicos sacrificium Missæ vere prodesse Defunctis, ne dum quatenus satisfactorium: sed etiam vt est impetratorium vt colligitur ex Trident. sess. 22. cap. 2. & ex praxi Ecclesiæ, quæ orat in sacrificio pro Defunctis, etiam pro illis, quibus non applicatur fructus satisfactionis ex opere operato, & quia præscribit vt oretur pro illis in secundo Memento post consecrationem propter solum fructum impetrationis: quia tunc facta est iam applicatio, & distributio fructus satisfactionis ex opere operato. Tota igitur difficultas est circa modum quo sacrificium prodest Defunctis quatenus est impetratorium; & quid impetrent animabus Purgatorij orationes pro eis fusæ in sacrificio, vel extra.

Respondeo, & dico primò orationes, etiam sacrificio innixæ non liberant immediatè animas Defunctorum à pœnis ex vi precisa, quam habent impetrandi.

Probatur. Remissio pœnæ obtineri non potest siue pro viuentibus, siue pro Defunctis, nisi per media à Deo præordinata in eum finem; sed media à Deo præordinata in hunc finem, ex communi sensu Ecclesiæ sunt, vel satisfactiones ex opere operantis, quæ possunt ad inuicem communicari inter fideles, vel satisfactiones Christi, quæ conferuntur ex opere operato per sacrificium, & sacramenta & indulgentias, vt sic satisfiat diuinæ iustitiæ; ergo sine prædictis medijs non obtinetur vlla remissio pœnæ, neque pro viuentibus neque pro Defunctis; ergo non obtinetur gratis, & immediatè ex vi præcisa orationis quatènus est impetratoria. Dico quatenus est impetratoria quia opus viatorum quatenus est opus pœnale est etiam satisfactorium, & ideo quatenus tale si applicetur satisfactio alteri, liberat eum immediatè à pœna secundum gradum proportionarum.

Probatur secundo. Nam alias Beati orando pro animabus purgatorij, possent facile illas à pœnis liberare absque alio medio, & sic totum Purgatorium euacuarent: quod tamen videtur contra communem sensum Ecclesiæ.

Probatur consequentia. Quia sancti quamuis non sint in statu merendi, & satisfaciendi: sunt tamen in statu impetrandi, & facilius, & efficacius impetrant, quam viatores.

Hæc conclusio est fere communis inter DD. quos in sequenti Conclusione citabimus: quamuis aliqui contradicant, vt Nauarra Soto, Cano, Durandus apud Suar. to. 4. in 3. par. disp. 48. De suffragijs sect. 5. num. 4. quorum sententiam ipse Suar. existimat probabilem in disp. citata, & t. 3. disp. 79 sect. 6. quia fieri potest vt oratio sit vnum ex medijs præordinatis à Deo, quo applicentur satisfactiones Christi. Quod tamen incertum est.

Dico secundo. Sacrificium quatenus impetratorium prodest plurimum animabus Purgatorij in remissionem pœnarum, mediate tamen, & remote quia per orationes sacrificio innixas, impetramus à Deo, vt excitet fideles ad offerenda sacrificia, & suffragia pro Defunctis, vel indulgentias quibus immediate liberantur à pœnis.

Probatur primo. Ratione dubitandi initio posita, & quia sic exactius seruantur leges diuinæ iustitiæ, & misericordię simul, qua ratione elucet magis prouidentia Dei circa nostram salutem.

Probatur secundò quia certum est sacrificium, vt præcisè impetratorium multum prodesse Defunctis, vt soluantur à pœnis, non immediatè, vt probauimus in prima Conclusione ergo mediatè; quia per sacrificium impetramus vt pro Defunctis offerantur noua suffragia, & satisfactiones, quibus immediatè liberantur Ita D. Thom. in 4. dist. 45. q. 2. ar. 3. quest. 3. Soto. ibidem q. 2. ar. 3. D. Bonau. dist. 45. ar. 1. q. 1. Suar. locis citatis. Auersa de sacreficio quest. 11. sect. 11. circa finem.

Colligitur primo. Sacrificium per modum impetrationis prodesse etiam Defunctis alijs modis. Primò vt acceptentur à Deo satisfactiones pro eis oblatæ, siue ex opere operantis à fidelibus viuis, siue etiam ex opere operato eiusdē sacrificij: quod maxime locū habet si acceptatio non est infallibilis (vt aliqui volunt): Secundo vt acceleretur liberatio animarum, facta compensatione diuturnitatis cum intensione pœnarum: quia hoc non repugnat legibus iustitiæ. Tertio vt concedatur animabus Purgatorii aliqua consolatio, vel visitatio Angelica, quod etiam non videtur contradicere

legi-

legibus iustitiæ Suar. citata disp. 48. de suffragijs sect. 5. Auersa loc cit.

Colligitur secundò iuuari etiam animas Purgatorij orationibus Beatorum & SS. omnibus modis prædictis, tum in secunda Conclusione, tum in præcedenti Corollario. Quia certum est Beatos in Patria orare pro Defunctis, vt ex communi DD. Sententia probat Suar. sect. 5. citata num. 7. ergo aliquid impetrant, non liberationem immediatam à pœnis, ergo mediatam, & alia dona explicata in præcedenti Corollario. Suar. sup. num. 9. Auersa quæst. 11. citata sect. 11. Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro Defunctis exorare, &c.

DVBIVM VII.

Vtrum Defunctis magis prosit Missa de Requiem, quàm alia de Feria, &c.

Respondeo, & dico primò quoad fructum satisfactionis ex opere operato omnes Missæ æqualiter prosunt illis pro quibus applicantur, vt cum D. Thom. in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 3. quæstiuncula prima ad 5. & 3. par. quæst. 71. art. 9. ad 5. docent communiter DD. Ratio est quia fructus ex opere operato prouenit ex valore intrinseco Missæ mananti ab essentia sacrificij, quæ eadem est in omnibus Missis. Vnde hic fructus appellari solet fructus essentialis, ergo, &c.

Dico secundò; quò ad fructum impetrationis, per se loquendo, magis prodest Defunctis Missa de Requiem, quam alia de die, vel de Sancto si cetera sint paria. Probatur quia in Missa de Requiem recitantur Orationes propriæ pro Defunctis, quibus nomine Ecclesiæ magis expresse, & directè petitur liberatio animarum à pœnis Purgatorij; Orationes autem eò magis & efficacius impetrant quò sunt magis propriè, & expressè. Ita Sotus in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 3. & alij DD. communiter apud Dianam p. 9. tract. 2. resol. 8.

Dico tertiò. Maior ille fructus proueniens Defunctis ex Missa de Requiem facilè compensari potest in alia Missa, tum maiori Sacerdotis deuotione, & supplicatione pro Defunctis, tum intercessione illius Sancti de quo celebratur Missa si dicatur Missa de Sancto. Probatur quia effectus impetrationis etiam in Sacrificio maximè pendet ex oratione petentis, & consequenter ex maiori, vel minori deuotione, & feruore, quo fit peritio; Potest autem Sacerdos feruentiùs orare pro defunctis in alia Missa quam in Missa de requiem: ergo potest esse magis proficua Defunctis Missa de die, vel de Sancto, quam de Requiem.

Confirmatur primò quia Missa de Requiem communiter dici solet minori deuotione ab illis qui cupiunt citiùs expediri, quia breuior est, & è contra Missa de die recitari solet à Sacerdotibus maiori pietate, & zelo præditis, vt Missa fit conformis officio iuxta præscriptum Missalis, ergo, &c.

Confirmatur secundo, quia si dicatur Missa de Sancto cui animæ Purgatorij commendantur, intercessio eiusdem Sancti magis illis prodest, quam propriæ orationes Sacerdotis, ergo fit commutatio in melius. Ita Syluester, Garzias, & alij plures, quos citat, & sequitur Diana loco citato, & par. 2. tract. 14. resol. 31. Fraxinellus in particulari resolutione de hac quæstione apud Gauantum in Rubricas Missalis post 5. par. vbi innumeros citat.

Colligitur quid sit dicendum ad eam quæstionem, vtrum qui promisit Missam de Requiem accepto stipendio, satisfaciat suæ obligationi dicendo Missam de die vel de Sancto. Dicendum est enim si ex iusta, & rationabili causa aliam Missam dicat facta compensatione, vt supra, eum satisfacere, & nullo modo peccare: nulla verò existente causa, eum peccare ob violatam fidem, sed solùm venialiter seclusso scandalo; quia vel nullum, vel modicum damnum sequitur Defunctis, vt in simili diximus supra tit. 4. dub. 7. de Missis Votiuis, & videnda sunt ibidem dicta.

DVBIVM VIII.

Vtrum consultius sit vt fideles curent pro se Missas celebrari, potius dum viuunt, quam post mortem.

Respondeo melius esse, vt fideles curent Missas celebrari pro se in vita: quia plures, & maiores fructus, percipiunt ex sacrificio, quam post Mortem, vt patebit ex dicendis qq. de sacrific. quest. 2. pun. 5. videndus Diana p. 9. tract. 2 resol. 27.

DVBIVM IX.

An Missæ de Requiem, & Officium Defunctorum dici possint pro viuis, vti dicuntur pro defunctis.

Prima sententia affirmat, quam inter alios defendit mordicus Lezzana in summa qq. regularium verbo Missa n. 54. vbi sic ait. Potest quilibet etiam viuens sibi officium defunctorum, & Missa, pro Defunctis celebrari facere,

re, ne fortè postea hæredes, vt frequenter fit, & pigri fint, & negligenter se gerant in huiusmodi suffragijs faciendis cum tanto dispendio, & detrimento animarum suorum defunctorum. Primo credi enim par est ita institutum esse à Christo hoc sacrificium, & ab Ecclesia tale Officium mortuorum, vt prodesse possent ei cui applicantur pro quacunque necessitate, & occasione, in qua futurus sit capax effectus illorum, ita vt interim non maneat suspensus, sed veluti reseruatus in acceptatione diuina, ad mo dum, quo theologi dicũt merita mortificata per peccatum manere in Dei acceptatione retribuẽda dum homo capax illorum fuerit. Vnde hoc non est simpliciter loquendo applicare illa pro viuis, sed applicare pro mortuis, si quidem applicantur pro viuis tempore, quo mortui fuerint. Secundo, quia ita gessisse insignes viros pietate, & doctrina; constat ex historijs. Siquidem de Alberto Magno, id refert Ferdinandus del Castillo in historia gen. S. Dominici par.2.l.3.cap.46. & de Henrico Comite de Ratenec Episc. Ratisbonensi Vuiguleus Hundus in hist. Quod etiam imitati sunt plures alij ex DD. consilio nostris temporibus pietate et deuotione insignes. Tertiò, quia id fauet non solum pietati, & deuotioni; sed etiam humilitati, & memoriæ mortis, quæ tam vtilis sunt hominibus. Ac denique quartò, quia id videtur colligi ex celebri illo D Gregorij l. 4. Dialog. cap. 58. quod, & si aliqui solum accommodet Missis viuorum, rectè etiam accommodari potuit Missis, & Officijs Defunctorum. Tutior est via, vt bonum, quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat ipse, dum viuit per se. Beatius quippe est liberum exire; quam post vincula libertatem quærere. Zerola 2 p. Verbo Missa, referens Nauatrum, Lucas Pinellus de Missa pun.2. cap.7. quæst.3. Verbo Missa approbans hunc vsum, quem dicit vigere in Lotaringia, Bartholomæus à S. Fausto de Euch. l. 2. quæst. 148. Homobonus in Exam. Ecclesiast p. 1. tract. 3. cap. 14. quæst 127. Peyrinis supra loco relato ex 3. tom. Priuileg. Minim. cap.1. num. 2. Barbosa in Collec Doctor. ad Concil. Trid. sess.22. cap.3. num .8. Fagundez sup. cap.10, num.13. limitant tamen aliqui, dummodo non dicantur eæ orationes, quæ supponunt aliquem discessisse è vita V.G. Inclina Domine, &c. in qua dicitur, quem de hoc sæculo migrare iussisti, ne mendacium committatur. Sed hac limitatione non admittunt Faustus, & Fagundez; quia etiam in Missis de Defunctis, quando dicuntur pro ijs, qui multò ante tempore decesserunt, dicimus in oratione Offertorij, Domine Iesu Christe Rex gloriæ libera animas omnium fidelium Defunctorum de pœnis Inferni, & de profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus; ne cadant in obscurum, &c. In qua oratione à Deo postulat Ecclesia ne animæ illorum defunctorum ad pœnas Purgatorij detrudantur, dum dicit, ne cadant in obscurum, ne absorbeat eas tartarus, cum tamen illæ iam in eodem igne sint, vel fuerint; & tamen nullum mendacium committitur, quia, ne committatur, sufficit quod Ecclesia repræsentet illas animas Christo, ac si tunc è vita essent discessuræ, easque consideret quasi adhuc agonizantes, & pro ijs oret vt à Purgatorij pœnis liberentur, vt docet Henriquez l. 9. de Missa cap. 16. num. 3. fine. Sic etiam in casu præsenti, vt veritas salua, & illibata persistat, sufficit in Ecclesia & Sacerdos oret pro viuo, & repræsentet eum Christo Domino, ac si iam vitam cum morte commutauerit, & post ipsius mortem.

Secunda sententia communis, & longe probabilior sustinet hunc morem esse reprehensibilem, & extirpandum, vt docet præsertim Laiman l.5. tr. 5. c.2. n. 15. his verbis. Veruntamen, saluo aliorum iudicio, talem consuetudinem nullo modo introducendam arbitror, sed potius tollendam si introducta est: tum quia ritibus, & ordinationi Ecclesiæ Romanæ conformis non est: tum quia non video quam vtilitatem talis sacrificandi modus habere possit. Nam ex sacrificio duplex potissimum fructus prouenire solet, vnus est ex opere operato, & infallibilis, quatenus oblatio fit in Christi persona, & hic fructus statim prouenit ei pro quo offertur si capax est: nec potest in futurum suspendi, sicuti supra ex communi sententia dictum fuit: consequenter eiusmodi sacrificia non liberabunt hominem à purgatorio si contingant eum post mortem reum esse, sed solum conferunt ad remissionem pœnæ temporalis consequendam dum viuus est; eiusmodi fructum etiam per alia sacrificia similiter consequenti potest. Alter est fructus, qui per modum impetrationis prouenit, quatenus cum sacrificio iuncta sunt Ecclesiæ suffragia, siue preces, hę quidem secundum propriam tum institutionem, tum significationem referuntur ad solos mortuos; vt non nisi impropriè, & imperite, ne dicam superstitiose, vinis applicari possint. Accedit quod sacerdos in his suffragijs propria sua intentione non possit mutare intentionem Ecclesiæ: Intentio autem Ecclesiæ est, vt Missa, quę dicitur Requiem; & officium funebre dicatur pro mortuis; nam ad eum finem Collectæ, & preces factæ sunt; ergo inutiliter, & infructuosè, ne dicam superstitiosè dicuntur pro viuis, quippe præter, aut contra Ecclesiæ intentionem. Ex quibus patet ad fundamenta primæ sententiæ. Vide etiam Diana par. 9. tract. 2. res. 18.

DVBIVM X.

An obligatus celebrare pro defuncto in Altari Priuilegiato. Satisfaciat celebrando alibi cum calculo, vel imagine benedicta.

PRæmittendum est sacerdotem qui ratione cappellaniæ, vel stipendij manualis tenetur celebrare in Altari priuilegiato, peccare mortaliter, et non satisfacere suæ obligationi si celebret in alio Altari absque priuilegio, & absque indulgentia; quia violans pactum in re g aui, cum damno alterius partis, peccat mortaliter contra iustitiam; sed ita est in casu nostro, quia sequitur damnum defuncto, qui priuatur suffragio indulgentiæ plenariæ ergo, etc. Vnde etiam sequitur teneri hunc sacerdotem restituere, et compensare damnum illatum ad equalitatem, vt inferius dicemus. Vide Dianam p.9. tract.2. res.15.

Dixi si celebret in alio altari absque indulgentia: quia dubium est an satisfiat applicando defuncto aliam similem indulgentiam calculi benedicti, vt in titulo Dub.

Prima sententia, sustinet satisfieri per æquipollens, nec vllo modo peccare sacerdotem, nec consequenter teneri aliquid restituere. Probatur quia nullum damnum inde sequitur defuncto: non enim priuatur fructu sacrificij, cum verè sacerdos celebret pro eo, quamuis in alio Altari, & Missa in se est æqualis valoris in quocumque Altari; neque priuatur indulgentia adnexa Altari priuilegiato; quia hæc suppletur indulgentia calculi eiusdem prorsus vtilitatis cum illa. Neque refert quid ex æquipollentibus fiat. Lege finali ff. mandati. Ita Fraxinellus de obligatione saecrd. in vlt. edit. con. 4. Alphons. de leone de Iubileo p.3. n.39 Garzias, Ruceus, & alij quos citat, & sequitur Diana p.9. tract.2. resol.12.

Opposita sententia est communis, & probabilior non satisfieri cum calculo, vel Medalia benedicta Ratio est: quia Indulgentia calculi, siue Medaliæ communiter non est ita certa, sicut altaris priuilegiati, de qua constat ex diplomate Pontificis; & sæpe circumferuntur Medaliæ, quæ verè non habent indulgentiam adnexam. Ita Bonac. de sacramento disp.4. q. vlt. punc.7. §.4. Lezzana summum verbo Missa n.45. Cardin. de Lugo, Homobonus, & alij, quos citat, & sequitur Auersa de sacrificio q. 11. sect.18. versic. specialiter. Ex qua sententia sequitur sacerdotem qui non celebrauit in Altari priuilegiato teneri ad restitutionem, & compensationem damni, iterum celebrando in Altari priuilegiato; quia non potest satisfieri obligationi certæ solutione rei incertæ, & hoc sistendo in hac secunda opinione probabiliori. Nam prima opinio est etiam probabilis, & ei adherens excusari poterit.

DVBIVM XI.

An Sacerdos obligatus celebrare pro defuncto in Altari priuilegiato, teneatur dicere Missam de Requiem.

VAriant etiam DD. in hoc dubio, aliqui enim sustinent obtineri indulgentiam, & liberationem Animæ à Purgatorio qualibet Missa, etiam de feria, vel de sancto, quando indulto, seu breui summi Pontif. non declaratur exprese, vt Missa debet esse de requiem; quia priuilegia Principum ample sunt explicanda.

Alij contra docent necessario dicendam esse Missam de Requiem, alias eam non suffragari defuncto quoad indulgentiam; sed solum quo ad fructum sacrificij ex non nullis declarationibus S. Congreg. rituum apud Barbosam collec. verbo Missa, DD. vtriusque sententiæ refert Diana p.9. tract.2. res.8. Pro resolutione.

Aduertendum, si priuilegium Altaris est tantum pro Missis de Requiem, certum esse non satisfieri obligationi celebratione aliarum Missarum: quia non impletur conditio priuilegij. E contra; si priuilegium expresse concessum fit omnibus Missis, certum etiam videri satisfieri qualibet Missa, vt docet Auersa de sacrificio quæst.11. sect.18. Controuersia igitur solum est quando in priuilegio non exprimitur genus Missæ: sed conceditur indulgentia & liberatio animæ à Purgatorio, posito quod dicatur Missa in tali Altari priuilegiato. Hoc posito.

Respondeo quando in priuilegio expresè non fit extensio ad quamlibet Missam: necessariò dicendam esse Missam de Requiem, aliàs indultum non suffragatur Defunctis. Probatur quia & si priuilegia, & fauores summi Pontificis latè explicari debeant, hoc tamen habet locum quando ipse summus Pontifex suam mentem non declarat, sed in casu nostro declarauit suam mētem per Sacram Congregationem: ergo posita veritate prædictarum declararionum, non est recedendum ab hac sententia quam alijs citatis amplectitur Diana p. 9. tract. 2. resol.8. versic. sed his non obstantibus.



DVBIVM XII.

An celebrans in Altari priuilegiato Missam de Requiem, possit applicare vni defuncto fructum Sacrificij, & alteri indulgentiam.

CErtum est quando Sacerdos ob acceptum stipendium tenetur celebrare in Altari priuilegiato, eum teneri applicare illi animæ, pro qua petita fuit Missa vtrumque fructum, & sacrificij, & indulgentiæ; quia ea censetur mens dantis stipendium, nisi expressè oppositum declarauerit, vt cum alijs probat Diana p. 9. tract. 2. res. 24.

Difficultas est igitur quando Sacerdos celebrat absque vlla obligatione, vel absque obligatione celebrandi in Altari priuilegiato.

Aliqui absolutè affirmant. Cæterum respondendum est distinguendo. Nam si tenor priuilegij sit talis ex. gr. Sacerdos dicendo Missam pro Defuncto liberat eius animam à Purgatorio in hoc casu Indulgentia, non suffragatur nisi animæ illius pro qua sacerdos applicat fructum sacrificij. Ea est enim mens Summi Pontificis concedentis indulgentiam: si verò priuilegium dicat hoc modo; quoties Missam quis dixerit in tali Altari, toties liberat vnam animam à Purgatorio, poterit Sacerdos vni applicare fructum sacrificij, & alteri indulgentiam: quia ex vi talis priuilegij, satis est Missam celebrare tamquam opus pium iniunctum ad lucrandam indulgentiam, nec requiritur vt fructus eiusdem operis eidem applicetur cui applicatur indulgentia, vt patet ex similibus operibus similiter iniunctis in eundem finem. Ita Suar. to. 4. in 3. p. disp. 153. sect. 4. num. 2. Rnteus de sacrificio l. 3. disp. 2. q. 2. dub. 5 Quintannaduenas, & alij, quos citat, & sequitur Diana p. 9. tract. 2. res. 5. & res. 25.

DVBIVM XIII.

Vtrum defunctis magis prosit Missa solemnis quam priuata.

REspondeo magis prodesse Missam solemnem loquendo simpliciter, & cæteris paribus.

Probatur, quamuis enim omnes Missæ sint æqualis valoris quoad fructum satisfactionis ex opere operato, nihilominus quoad fructum impetrationis, magis prodest Missa solemnis. Primò quia celebratur cum maiori pausa, & maturitate, & consequenter maiori attentione, & deuotione, Vnde crescit fructus impetrationis. Secundo quia celebratur cum maiori decentia, & ornatu: vnde resultat maior cultus, et reuerentia erga Deum, quod etiam ipsum Deum inclinat ad largienda ampliora dona. Tertiò præcipuè quia ad oblationem sacrificij concurrunt plures ministri, et offerentes, tum in altari cum celebrante: tum in Ecclesia præsertim in Choro. Vnde multiplicantur orationes, et fructus ex eis prouenientes. Item multiplicatis intercessionibus sæpè Deus largitur quod alias non concederet.

Tandem quoad fructum satisfactionis fieri potest, vt communiter loquendo plus emolumenti percipiant defuncti ex Missa solemni, quam ex alijs priuatis, quia præter fructum satisfactionis principalem seu medium; prouenit ex sacrificio iuxta probabilem sententiam singulis adstantibus, et offerentibus cum Sacerdote fructus specialissimus ex opere operato, quem licet assistentes in Choro, vel in Ecclesia non teneantur offerre pro defunctis, facilè tamen contingit, vt plures ex ipsis eum applicent defunctis simul cum fructu impetrationis.

Ex quibus patet quam piè, et vtiliter fuerit ab Ecclesia instituta Missarum solemnitas, non solum ad maiorem ornatum sacrificij, et perfectiorem Dei cultum: sed etiam ad augendam deuotionem fidelium viuentium, et ad maiorem defunctorum vtilitatem.

Dixi autem cæteris paribus quia certum est magis prodesse siue defunctis, siue alijs plures Missas priuatas, quam vnicam solemnem. Tum quia fructus satisfactionis ex opere operato integrè multiplicatur in singulis Missis: tū quia fructus impetrationis in pluribus Missis priuatis adæquat, vel superat fructum vnius Missæ solemnis.

DVBIVM XIV.

Vtrum magis expediat instituere Missas perpetuas pro defunctis, quam ordinare, vt celebretur statim multitudo Missarum post mortem testatoris vel alterius.

PRocedit autem quæstio de eadem summa pecuniæ; quam testator intendit relinquere pro celebratione missarum an fit et consulendum, vt mandet totam summam statim expendi in stipendia manualia pro Missis; vel potius, vt ea inuestiatur in emptione censuum, & redditum pro cappellanijs, vel anniuersarijs perpetuis &c.

Respondeo hæc se habere tamquam excedens

dens, & excessum, et posse vtrouis modò consilium dari.

Probatur nam si consideremus fructum satisfactionis, et liberarionis animæ ipsius testatoris à pœnis Purgatorij, melius est totam pecuniam statim expendi pro missis statim celebrandis: nam quò plures Missæ celebrantur, et quò citius dicuntur, eò velocius obtinetur effectus remissionis pœnarum, & liberationis animæ à Purgatorio & ideo huic parti fauet D. Antoninus p. 1. tit. 10. cap. 3. §. 5. cum Paludano et Turrecrem. quos citat. Graffis tom. I. Consil. lib. 3. de Celeb. Missarum, Consil. 5. et alij. apud Dianam p. 9. tract. 2. resol. 37 fine

Si vero consideremus meritum gratiæ, & gloriæ, ex ipso actu dispositionis resultans; multo magis meritoria est dispositio legati pro missis perpetuis. Primo quia hic modus institutionis resultat in maius commodum & seruitium ecclesiarum ad quas perueniunt legata quia possunt ex redditibus alere plures sacerdotes & ministros: vnde consurgit decor, & ornatus ecclesiarum in obsequium Dei

Secundo quia sic in progressu vsque ad finem mundi plures Missæ dicuntur in maiorem cultum, & diuturnius obsequium Dei.

Tertio subuenitur meliori modo indigentiæ pauperum sacerdotum, qui Altari deseruiunt.

Tandem id est magis conforme regulis charitatis: quia non solum prouidetur liberationi animæ propriè à pœnis Purgatorij: sed etiam proximorum; quippe liberata institutoris anima à pœnis; reliquæ missæ applicantur in suffragium aliarum animarum iuxta rationabilem voluntatem prædicti institutoris, qui hoc etiam deberet exprimere in ipsa institutione.

Cum ergo meritum sit maius bonum quam satisfactio, & proemium gloriæ merito respondens duret per totam æternitatem, videtur preferendus, & magis consulendus. Ita Tamarchi cum alijs quos citat ex seq. Niger Addit. ad Ruiz p. 4. Reg. 3. q. 7.

DVBIVM. XV.

Quid sit de fructu Sacrificij si Anima pro qua offertur non' existit in Purgatorio.

Aliqui existimant qnando Anima pro qua offertur sacrificium vel non indiget quia est in Cœlo, vel est incapax quia est damnata; tunc fructum sacrificij applicari à Deo alijs indigentibus pro quibus non fiunt suffragia ex mera Dei benignitate & misericordia: Ita aliqui DD. apud Dianam p. 9. tract. 2. res. 7.

Ceterum hoc non videtur verum, nisi intentio celebrantis virtualiter extendatur ad eam applicationem pro alijs indigentibus; quia Deus non sibi reseruauit applicationem sacrificij, sed commisit celebranti. Nec Deus solet variare ordinem semel statutum, operando immediatè, quod esset agendum medijs causis secundis! Alioquin dicere deberemus quando minister sacramentorum vel ex malitia, vel ex inaduertentia non habet intentionem baptizandi, absoluendi &c. Deum ipsum supplere, & sacramenta fore valida, quod omnes Theologi negant.

Respondeo ergo si celebrans in casu posito non applicet alijs fructum sacrifici sub conditione si anima illa sit incapax, ita vt saltem interpretatiue hoc velit; fructum sacrificij remanere in thesauro Ecclesię, & nemini applicari vt infra dicemus q. 9 de sacrificio quæst. 2. pun. 12. in appendice; deberet autem semper eam secundam applicationem addere celebrans, vt nos ibidem dicemus, & notat P. Diana resol. 7. cit.

DVBIVM XVI.

De triginta Missis, quas vocant S. Gregorij: Quid peculiare sit in illis pro liberandis Defunctis.

Ex communi sensu fidelium triginta Missæ à D. Gregorio institutæ peculiarem vim habent liberandi animas à pœnis Purgatorij, in qno autem vis illa consistat; nemo quem viderim explicat.

Ratio dubitandi est: quia certum videtur non consistere efficaciam in solo numero, ne detur locus superstitioni: considerato autem valore Missæ secundum. se, citius liberarentur animæ si paucioribus diebus vel vna die omnes triginta dicerentur. Quærimus ergo in quo consistat virtus talis institutionis Cuius tenor habetur lib. 4 *Dialog* c. 55 mandans enim D. Gregorius Abbati Pretioso, vt pro Iusto Monaco suffragia offerret, sic ait. Vade ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo sacrificium, stude vt nullus omnino pretermittatur dies, quo pro absolutione illius hostia salutaris non offeratur. Mandatum implenit Pretiosus, & effectum liberationis obtinuit. His positis.

Respondeo credi posse, altero è duobus modis Missas D. Gregorij peculiarem vim habere liberandi animas à pœnis Purgatorij, etiam si fructus satisfactionis Missarum secundum se quandoque non sit æqualis debito illius animæ pro qua Missæ offeruntur.

Primus modus est, vt D. Gregorius hanc à

Deo gratiam impetrauerit, nempè liberationem animæ cuiuslibet fidelis pro qua offerretur sacrificium per triginta dies continuos. Hic tamen modus non caret difficultate ex dictis supra dub.5. Nam impetratio præcisè non prodest immediatè ad remissionem pœnarum, nisi offeratur Deo simul condigna satisfactio secundum leges iustitiæ: potest autem fieri, vt fructus satisfactionis triginta Missarum sæpè non sit æquiualens debito. Sed responderi potest D. Gregorium impetrasse, vt Deus interim excitaret fideles ad offerenda pro eadem anima alia suffragia ad æqualitatem, quibus satisfactum sit diuinæ iustitiæ pro termino illorum Dierum, & Missarum.

Secundus modus facilior est, vt ipse D. Gregorius concesserit indulgentiam plenariam, si tunc erat summus Pontifex, vel eam impetrauerit à prædecessore per modum suffragij sub eo opere iniunctæ oblationis sacrificij per 30. dies continuos. Non vacat autem mysterio numerus ille 30 dierum vt supra diximus in expositione Rubricæ huius tituli V. Et etiam fidelibus viuentibus anno Iubilei concedi solet indulgentia plenissima qui per triginta dies Ecclesias visitauerint. Est ergo hic numerus in honore apud Ecclesiam, & meritò obseruatur ad lucrandas indulgentias.

Vtrum autem ad hunc effectum obtinendum necessario celebrari debeant Missæ per triginta dies continuos, diximus quæst. proem. sect. 4. punct. 4.

DVBIVM XVII.

Vtrum Sacerdos obligatus ad celebrandum pro defunctis grauiter peccet si diu differat, vel absolute omittat aliquam missam.

IDem queri potest de heredibus, & executoribus testamentorum non soluentibus legata pia, præsertim relicta pro Missis.

Respondeo, & dico primo sacerdos si pro accepto stipendo, etiam vnius Missæ non satisfaciat, seu non celebret, præsertim quando Missa erat celebranda pro defuncto, peccat mortaliter etiam si alioqui stipendium non attingat materiam notabilem furti. Probatur, qui infert proximo notabile damnum præsertim contra iustitiam peccat mortaliter: sed ita est in casu nostro, quia licet dãnũ pecuniæ nõ sit graue: dãnũ tamen spirituale quod sequitur ex priuatione debiti fructus Missæ est satis graue: quia anima cui debebatur fructus ille diutius cruciatur in Purgatorio ergo &c. Ita Petr. Nauarra lib.2. de restit. cap.2. n.382. Aragon. 2.2. q.82. Bonac. de sacram. disp.4. q. vlt. p.7. §.2. n.6. Leone de offic. cappellani q.8. n.191. cum alij quos citant. Consequenter teneri sacerdotem restituere, & suæ obligationi satisfacere quam primum, supplendo Missas, quas omisit. Patet quia ex peccato contra iustitiam sequitur obligatio restituendi, DD. citati.

Dico secundo tenetur etiam sacerdos satisfacere obligationi Missarum celebrandarum quam primum, seu intra modicum tempus: Quare si nimium differat peccat mortaliter contra iustitiam ob damnum graue quod in casu nostro sequitur animabus Purgatorij, quæ diutius cruciantur.

Qualis autem dilatio sit nimia, dicendum hic breuiter, dilationem vltra duos menses nimiam censeri, & damnandam peccati mor. ex communi DD. sententia apud Dianam par.2. tract.14. resol.25. vt fusius dicemus in Append. 99 de sacrificio quæst.3. p.1 diff.2. hic enim solum loquimur de Missis Defunctorum.

Dico tertio, Executores testamentorum, & heredes tenentur in conscientia statim, & quam primum soluere, & ad implere legata pia præsertim pro Missis Defunctorum. Vnde si nimium differant peccant mortaliter contra iustitiam.

Probatur quia statim secuta morte testatoris, legata vere debentur ex iustitia legatarijs: ergo sicut alia debita statim, & absque mora, debentur absolute loquendo. Ita pariter legata; habet autem hoc potissimum locum in Missis, & suffragijs pro defunctis, & pro anima testatoris, nisi testator ipse tempus designauerit, & dilationem concesserit, alias statim debentur. Ita DD. communiter apud Dianam par.8. tract.5. resol. 52.

Quæ autem dilatio sit notabilis inducens pecc. mor. colligi potest ex ijs que diximus conclusione secunda quo ad sacerdotes differentes celebrationem Missarum.

Dicetis in authentica de Eccles. tit. 5. si autem legatum: datur semestre hæredi, vel executori ad implenda legata pia, & pro alijs non pijs assignatur annus in cap. 3. de testamentis, & in l. nulli C. de Episc. & Clericis, ergo qui intra semestre non soluit excusatur ex dispositione legum, & iuris communis.

Respondetur illud tempus non concedi ad tollendam obligationem in conscentia, & iuris naturalis statim soluendi: sed ne intra illud tempus puniantur grauibus pœnis, quibus cogi poterant ad soluendum. Quod si vltra prædictum tempus differant, præter pecc. mor. pœnas etiam incurrunt.

DV-

DVBIVM XVIII.

Vtrum Sacrificium Missæ possit licite applicari pro damnatis.

Ratio dubitandi est quia D. August. in Enchirid. cap. 1 10. ait sacrificia altaris pro non valde malis propitiationes sunt, quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, vt sit plena remissio, aut certe tolerabilior fiat ipsa damnatio; vbi loqui videtur de damnatis, qui decesserunt in peccato mortali: sed non fuerunt valde mali, vt plures alij, idest ingentibus criminibus implicati. Accedit historia, quam narrat Damascenus Orat. de fidelibus defunctis, precibus D. Greg. Papæ liberatam fuisse ab Inferno animam Traiani Imperatoris.

Respondeo nihilominus certum esse de fide sacrificium Missæ nihil omnino prodesse damnatis, nec posse licite pro illis offerri, vel preces ad Deum fundi, vt patet ex cap. Placuit 16. 9. 5.

Probatur quia in inferno nulla est redemptio: vnde poena damnatorum est irremissibilis DD. communiter apud Suar. disp. 73. sec 3.

Ad rationem dubitandi respondetur August. ibi non loqui de damnatis in Inferno; sed de animabus Purgatorij, quibus ait vel statim totam pœnam remitti, vel saltem mitiorem fieri damnationem, idest punitionem cui adiudicati sunt. Ad historiam Traiani dicimus eam non esse veram, sed fabulosam, & falsò tribui Damasceno.

TITVLVS VI.

DE TRANSLATIONE FESTORVM.

In dicendis Missis seruetur ordo Breuiarij, de Translatione festorum Duplicium & Semiduplicium, quando maiori aliquo Festo, seu Dominica impediuntur. In Ecclesiis autem, vbi titulus est Ecclesiæ, vel concursus populi ad celebrandum Festum quod transferri debet, possunt cantari duæ Missæ, vna de die, alia de Festo: excepta Dominica prima Aduentus, Feria quarta Cinerum, Dominica prima Quadragesimæ; Dominica Palmarum cum tota Hebdomada maiori, Dominica Resurrectionis, & Dominica Pentecostes cum duobus diebus sequentibus. Die Natiuitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, & Festo Corporis Christi.

EXPLICATIO LITERALIS.

Qvando plura eodem die occurrunt festa, trasfertur minus solemne secundum regulas positas in rubricis Breuiarij tit. 10. de translatione festorum, et fit officium de maiori festo, translato minori in primam diem non impeditam. Qui ordo seruari debet in celebratione Missarum, vt in hac nostra rubrica notatur, et ratio est manifesta: quia Missa debet esse conformis officio, precipue in festis duplicibus, et solemnibus. Si autem festum quod trasfertur sit titularis alicuius Ecclesię, vel ad eam sit concursus populi ad celebrandum festum, quod transferri debet: conceditur vt in eadem Ecclesia possint cantari due Missæ vna de die quæ sit conformis officio, altera de festo, quod transfertur. Cōceditur autem vna tantū Missa solemnis ad satisfaciendum deuotioni populi. Quare Missæ priuatæ omnes dici debēt de die, & secūdū ordinem officij. Limitatur tamē prædicta concessio in Missali recognito auctoritate Vrbani VIII. vt non possit dici Missa solemnis de festo quod transferri debet in sequentibus festis, nempe vt habetur in hac rubrica, excepta Dominica 1. Aduentus, Feria quarta Cinerum &c. In Missali vero antiquo simpliciter concedebatur, & absque limitatione, vt posset cantari altera Missa de Festo translato, vel saltem fieri de eo commemoratio, quod etiam videlicet de facienda commemoratione sublatum est in Missali nouo. Vbi notandum est 1. in fine prædictarum Missarum solemnium dicendum esse Euangelium S. Ioannis. Notandum secundo primam Missam de die cantari debere post horam congruentem,

e.g.

e. gr. post tertiam iuxtà rubricam inferius explicandam tit. 15. alteram vero de festo post Nonam, quia nullam habet connexionem cum officio. Quod si hoc accidat temporibus Pentecostes, ambæ cantari debent post Nonam, sed prius illa de die, quæ cum officio concordat deinde alia de festo.

SENSUS MYSTICUS.

Translatione festorum tropologice admonemur, non esse penitus omittenda ea, quæ semel à nobis Deo fuerunt dicata, & oblata e. g. sacrificia, ieiunia, eleemosinas orationes &c. neque diu differenda; sed superueniente aliquo impedimento, transferenda esse in primam diem non impeditam,

DVBIA CONSCIENTIAE

DVBIVM I.

Quale peccatum sit celebrare missam de festo translato diebus in hac rubrica exceptis.

Exempli gratia si occurrat festum S. Andreæ Apostoli in Dominica I. Aduentus, quæ est dies excepta; si nihilominus celebretur Missa in eius Ecclesia titulari ob concursum populi; quæritur quale peccatum committatur.

Respondeo & dico primò si celebretur Missa solemnis, comitti videtur graue peccatum. Probatur tum quia ipsa solemnitas auget deformitatem transgressionis; tum quia rubricæ Missalis maiori rigore obligant circa ritus Missæ solemnis quam priuatæ, vt supra probauimus quæst. procemiali sect. 2. punct. 6 ergò &c.

Dico secundò si celebretur Missa priuata de Sancto qui transfertur, solum committitur peccatum veniale, secluso scandalo vel contemptu. Probatur, quia ritus, quo ad qualitatem Missarum non obligat sub peccato mortali, sed tamen sub veniali in Missis priuatis, vt latè probauimus loco supra citato punct. 3.

Colligitur nullum videri peccatum si loco Missæ solemnis, quæ conceditur diebus non exceptis dicatur vna tantum Missa priuata de Sancto, cuius officium transfertur, ad satisfaciendum deuotioni populi; præsertim si ob aliquod impedimentum non possit dici Missa solemnis, quia sic satisfit fini eiusdem Rubricæ, & alias in Ecclesijs; vbi non possunt, vel non solent cantari Missæ, sæpè loco Missæ Conuentualis, & solemnis, dicitur Missa priuata, quæ solemni respondeat, vt supra adnotauimus tit. 3. dub. 3. & 4.

DVBIVM II.

Vtrum in Missa de die possit fieri commemoratio de Festo quod transfertur.

Qvæstio est de festo S. Titularis Ecclesiæ quod transferendum est vt supra, & in Missali antiquo habebatur, vt in hoc casu posset dici altera Missa solemnis de Festo translato, vel saltem fieri commemoratio de eo idest in Missis priuatis. Postea verò in Missali nouo sublata fuit particula de commemoratione facienda.

Respondeo, & dico primo diebus exceptis in Missali recognito authoritate Vrbani VIII. fieri non potest prædicta commemoratio. Probatur; quia concedebatur loco Missæ solemnis per propositionem disiunctiuam videlicet, vt celebrari posset Missa solemnis, vel saltem fieri commemoratio: sed modo in diebus exceptis non potest celebrari Missa: ergo nec fieri commemoratio, quæ loco Missæ concedebatur quamuis ratione paruitatis materiæ hoc non excederet culpam venialem.

Dico secundo neque diebus non exceptis potest modo fieri commemoratio prædicta: sed vel dicenda est altera Missa solemnis ad satisfaciendum deuotioni populi, vel Missa priuata integra de Sancto, cuius festum transfertur loco Missæ solemnis, vt supra diximus. Probatur nam id, quod dicebatur in Missali antiquo de commemoratione facienda omnino sublatum est in Missali recognito: ergo non habet amplius locum commemoratio, posita noua rubrica. Ratio autem videtur esse, quia sola commemoratio videtur parum conducens ad satisfaciendum deuotioni populi; ergo vel dicenda est Missa integra de Sancto, cuius festum transfertur, vel nihil de eo faciendum, & monendus erit populus de translatione.

DVBIVM III.

Vtrum qui ob errorem non celebrauit die proprio Missam, & officium de festo occurrente, possit vtrunque transferre in primam diem non impeditam.

Sensus quæstionis est, vtrum in prædicto casu possit licite fieri translatio prædicta absque violatione regularum Missalis, & Breuiarij.

Prima sententia affirmat Probatur Primo: Quando dies proprius alicuius festi est impeditus

rus licite potest secundum rubricas transferri officium, & Missa in aliam diem non impeditam: sed in casu nostro dies proprius festi occurrentis fuit impeditus: ergo &c. Probatur minor: quia error, vel obliuio verè est impedimento celebrationi Missæ, & officij illius sancti, cuius festum ignoratur; sicut etiam est impedimento cuilibet operi, cuius obligatio ignoratur iuxta Cap. Pia de exceptione in 6. ergo &c.

Probatur secundo quia ignoranti non currit tempus, lege quamdiù C. qui admittit. sed sacerdos in casu nostro est ignorans, & per ignorantiam non recitauit die proprio; ergo perinde est *respectu* illius, ac si eiusdem sancti dies non pertransisset: consequenter poterit *dicere* officium, & Missam prima die non impedita.

Probatur *tertio* quia iure suo nemo priuandus est absque culpa, lege crimen ff. de Pœnis: sed sacerdos habet ius celebrandi, & recitandi officium semel in anno de illo sancto, item sanctusve in eius honorem dicatur officium, & Missa: ergo non possunt suo iure priuari absque *culpa*, quæ nulla est in casu nostro ob inaduertentiam inuincibilem. Hanc sententiam dicit *probabilem* Quintanaduennas Theologia morali tract. 8. singulari 9. quamuis fateatur oppositam esse veriorem.

Secunda sententia quæ est absolute vera, negat posse fieri translationem prædictam; sed recitari debere officium & Missā prout in Kalendario. Et quamuis non peccauerit sacerdos propria die, excusante illum inaduertentia inuincibili; nihilominus peccaret recitando postea de illo sancto extra proprium diem.

Probatur primo à priori quia fieri non potest cuiuscuis festi translatio quo ad officium & Missam, nisi secundum regulas Missalis, & Breuiarij, et in casibus ibidem expressis; sed de hoc casu nulla prorsus fit mentio in Missali vel Breuiario; ergo &c. Maior est certa ex precepto Pij V. nunquam variandi ritus Missalis, & Breuiarij, aut eis quicquam addendi. Minor probatur ex rubricis in Missali, & Breuiario contentis: in quibus distinctè, & exactissime enumerantur casus in quibus fieri debet translatio festorum, & nihil omnino *dicitur* de hoc casu obliuionis. vel erroris.

Neque valet hic argumentum à simili: tum quia in rubricis nullus est casus similis; Tum quia *prohibetur* additio, & consequenter extensio *ad* casus non expressos. Alioquin posset quis *singulis* diebus celebrare Missam, & dicere officium de aliquo sancto quia singulis diebus occurrunt natalitia sanctorum æqualis, vel maioris meriti cum sanctis appositis in Kalendario, de quibus fit officium: cur ergo non potest fieri de alijs similibus? certe non alia ratione nisi quia nihil potest addi *K*alendario, & rubricis Missalis, & Breuiarij: eadem ergo ratione non potest fieri translatio predicta.

Probatur secundo à posteriori, & ex absurdis; quia aliter si quis ob infirmitatem, & similem causam à recitatione excusantem non recitasset, nec celebrasset Missam pluribus festis, posset postea recuperata sanitate de illis Missam, & officium recitare. Quod patet esse absurdum ob maximam varietatem, quæ sequeretur in recitatione prædicta, & peruersionem ordinis Ecclesiastici. Item nedum in priuata recitatione posset hoc fieri: sed etiam in publica, in quo maior apparet deformitas, & peruersio. Tandem sequeretur eum, qui per errorem non ieiunauit in vigilia, vel sacrum non audiuit in die festo, teneri postea ieiunare, & sacrum audire prima die. non impedita contra omnium Teologorum sententiam, præsertim quia vigiliæ quandoque transferuntur, vt supradiximus in rubricam de vigilia.

Ad opposita respondetur ad primum, maiorem esse veram de impedimentis expressis in Rubricis; non vero de alijs non expressis, vt patet ex dictis. Quod si velint aduersarij hunc casum tacite comprendi in Rubricis; argumentum nimis probaret nempè transferri necessario debere quod est falsum.

Ad secundum Ignoranti non currit tempus in ordine ad incurrendam pœnam, & in alijs casibus iure expræssis, non vero simpliciter: certe qui non lucratur indulgentiā tali die concessā ob festum alicuius Sancti non potest alia die lucrari, etiam si per ignorantiam lucrari omiserit, & alia innumera possunt adduci exempla.

Ad tertium respondetur maiorem esse veram de iure simpliciter, & absque limitatione concesso: non autem si concessum sit cum limitatione ad certum diem, & tempus determinatum, vt patet exemplo Indulgentiæ pro certo die concessæ.

Colligitur quid sit agendum si è contra quis per errorem hodie anticipet, & recitet officium & Missam de Sancto, de quo secundum Rubricas, & *K*alendarium faciendum est officium die sequenti, vel subsequenti.

Dicendum est enim eum debere iterum die sequenti proprio dicere officium, & Missam de eoden Sancto, quia error non dat ius transferendi, vel mutandi officium in Kalendario præscriptum; vt supra dicebamus; & minus malum est semel tantum errare, & ordinem *K*alendarij mutare, quam pluribus diebus. Ita Villalobos prima parte tract. 22. l. 3. Aliqui tamen oppositum sentiunt, præsertim si die præcedenti quando ille errauit faciendum erat officium

ficium de alio Sancto tunc occurrente; dicunt enim faciendam esse in hoc casu commutationem festorum, & die sequenti dicendam esse Missam, & officium Sancti omissi in propria die: quia sic nullus defraudatur suo cultu, quod maioris momenti est quam dies solutionis commutare. Ita Trulench l. 1. in Decalog. cap 7. dub. 14. & Quintanaduennas supra singul X.

Sed hæc sententia reijcitur ex dictis supra, quia non potest propria auctoritate mutari ordo Kalendarij; & sanctis magis grata est exacta obseruatio ritus, & ordinis Ecclesiastici, quam cultus inordinatus, & contra rubricas, & Ecclesiæ regulas.

Secundo obiter ex dictis colligi potest quid sit agendum quando quis cepto per errorem officio feriæ, & dicto matutino, postea aduertit officium debere fieri de festo duplici, vel semiduplici. Vel è contrà dicto per errorem matutino de festo semiduplici; postea monetur dicendum esse de feria.

Dicendum est in primis optimum consilium esse repetere id quod per errorem recitatum est contra ordinem Kalendarij, quod manifestum est, nam etiamsi totum officium recitatum fuisset, melius esset repetere ad exactam obseruantiam rubricarum. Secundo posito quod quis nolit repetere, sequens opinionem probabilem quod valeat officium pro officio. Quæritur an satisfaciat recitando reliquas horas à matutino discordes, sed conformes ordini Kalendarij, ita vt officium sit partim de feria partim de Sancto. Aliqui ita distinguunt nempe in sententia illorum qui dicunt singulas horas Canonicas singulis & distinctis præceptis iuberi; eum satisfacere: quia implet ea præcepta quoad substantiam. Ceterum in sententia communi que docet præceptum recitandi officium esse vnicum: quia ipsum officium est vnicum integratum ex pluribus horis, hoc inquam posito non satisfieri prædicto modo obligationi officij: quia sic non recitatur vnum officium diuinū quod præcipitur sed leguntur duo semiofficia, quæ non possunt ita connecti, vt vnum diuinum officium constituant, itaque minus malum erit prosequi horas matutino conformes: quia sic recitans solum venialiter peccabit, at variando peccat mortaliter, quia non satisfacit substantiæ præcepti, ita Caramuel apud Dianam part. 7. tract. 11. resol. 11. Nihilominus probabilius existimo simpliciter loquendo, minus malum esse etiam in reliquis horis obseruare ordinem Kalendarij quia minus malum est mutare partem officij quam totum; præsertim quia mutatio in reliquis horis esset voluntaria, & cum peccato veniali. Nec obstat diuersitas prædictarum partium. ex quibus non videtur integrari posse vnicum officium: quia saluatur connexio quo ad substantiam, quæ consistit in hoc vt recitentur 7. horæ in Breuiario Romano non ex alio, & deformitas est accidentalis excusabilis per inaduertentiam quo ad partes iam recitatas: & hoc minus malum videtur quam omnino recedere ab ordine Kalendarij. Quicquid autem sit de officio certum est Missā dicendam esse secundum ordinem officij, non illius, quod per errorem recitatum est, sed illius quod secundum ordinē, & ritum Ecclesiæ recitari debet tum in Choro, tum priuatim communiter vt perscribitur in rubricis Missalis.

DVBIVM IV.

De casibus, in quibus festum plurium sanctorum, qui simul, & eodem die ponuntur in Kalendario, diuidi potest in plures dies,

EXempli gratia die 20 Ianuarij ponitur festum SS. Fabiani, & Sebastiani sub titulo duplici. Quæritur an possit fieri festum de sancto Sebastiano tantum cum officio, & Missa eiusdem, translato festo sancti Fabiani in alium diem.

Respōdeo & dico 1. si vnus solus sit Patronus loci, vel Titularis Ecclesiæ E.g. S. Sebastianus, sit de Patrono, seu Titulari tantum ex. gr. de sancto Sebastiano tantum ritu solemni. festum vero sancti Fabiani transferetur in primam diem non impeditam. Ita habetur in Breuiario in Tabella de occurrentia festorum.

Dubitari potest quo ritu celebrandum erit festum sancti Fabiani, vel aliud quodcunque, quod prædicto modo transfertur. Respondeo si in Kalendario simul erant sub ritu Duplici: tunc sit de translato sub ritu semiduplici tantum: quia facta diuisione ille ritus visus est magis congruus. Si vero ambo erant sub ritu semiduplici; de festo translato fit etiam officium semiduplex, vt patet ex regulis Breuiarij sub tabella prædicta de occurrentia festorum.

Quod si festa quæ diuiduntur sint altioris Ordinis, ex. gr. SS. Apostolorum Simonis & Iudæ die 28. Octobris si Ecclesia sit dedicata Sancto Simoni tantum: tunc in Ecclesia titulari fit festum primæ Classis de Sancto Simone tantum. Et prima die non impedita fit festum sancti Iudæ sub ritu Duplici secundæ Classis: nam quilibet ex duodecim Apostolis sub eo ritu colitur.

Si vero in Kalendario ponatur festum plurium SS. sub ritu Simplici ex. gr. festum SS. Viti, Modesti, atque Crescentij die 15. Iunij, tunc in Ecclesia ex gr. S. Viti fit solum de hoc sancto festum primæ Classis: de alijs autem nihil

ihil fit; quia ex vna parte festum primæ Classis non admittit commemorationem festi Simplicis; ex alia parte festum simplex nunquam transfertur; ergo &c.

Dubitatur 2. quomodo sit ordinandum officium in prædictis casibus: et quæ Missa dicēda.

Respondetur facta separatione Patroni, vel Titularis à socijs curandum esse, vt oratio, lectiones, et Euangelium congruant festo. ita, vt pro vno non pro pluribus dicatur officium, et pariter Missa. et in desectum proprij recurrendum erit ad Commune vnius Martiris, vel Confessoris etc. reseruata Oratione propria Patrono vel Titulari, et in numero singulari accomodato. Deinde pro socijs sumatur de Communi. Videri potest Gauantus in Rubricas Breuiarij sect. 3. c. 10.

Dico secundo quando ponitur in Kalendario festum plurium SS. & in aliqua Ecclesia habetur insignis Reliquia vnius tantum ex illis; fit festum de hoc solo iuxta dicta in prima Conclusione proportionali modo Nempe eodem die fit Festum illius Sancti cuius habetur Reliquia, sub ritu Duplici ex declaratione Sacræ Congregationis Rituum 23. Nouembris 1602. apud Gauantum in Rubricas Breuiarij sect. 1. cap. 5. tit. 2. n. 8. sit autem officium Duplex minus per annum ex eadem sacra Congregatione & in Missa dicitur Credo, vt suo loco fusiùs explicabimus. Alij vero socij si in dicto Kalendario descripti sint sub festo duplici, vel semiduplici transferuntur in primam diem non impeditam, & fit de eis officium semiduplex, & pariter dicitur Missa correspondens officio. Si vero in Kalendario omnes descripti sint tanquam festum simplex, vt in exemplo supra posito de Sancto Vito, & socijs, & Reliquia insignis fit solius S. Viti; fit Officium duplex minus de Sancto Vito, & de alijs fit commemoratio quia occurrente festo duplici cum simplici fit commemoratio de simplici. Videri potest Quintanaduennas Theolog. mor. tract. 7. singul 27. & 28.

Dubitatur primo quando Festum est simplex omnium illorum qui describuntur in Kalēdario E.g. SS. Vrsulæ, & sociarum, & habetur insignis Reliquia de vna tantum ex socijs, vtrum possit celebrari festū de omnib. simul sub ritu duplici.

Respondetur in rigore id fieri non posse; quia est contra decretum supra relatum S Congregationis quo conceditur, vt fieri possit festum de illo solum, de quo habetur Reliquia; vnde in exemplo posito solum fieri debet festum de illa Sancta, cuius habetur Reliquia sub ritu duplici, & de Sancta Vrsula, & alijs socijs commemoratio tantum.

Scio non ita seruari in aliquibus Ecclesijs: sed ob Reliquiam insignem vnius ex socijs Sanctæ Vrsulæ celebrari festum duplex de omnibus simul. Sic fieri Hispali in Hispania testatur Quintanaduennas loco supra citato sing 28. Imo etiam Romæ in aliquibus Ecclesijs in quibus habetur insignis Reliquia vnius solum ex socijs S Vrsulæ, nihilominus fieri officium Duplex de omnibus simul testati sunt mihi plures fide dignissimi; sed hoc tribuendum esse videtur, vel speciali concessioni, vel antiquæ consuetudini bona fide olim introductæ ratione coniunctionis prædicatum Martyrum in communi martyrio: & quia nescitur cuius illarum sit Reliquia Posita autem consuetudine legitime præscripta retineri potest secundum Rubricas Breuiarij tit. 1. num. 11 & tit. 2. num. 1. & tit. 5. num. 1. & alibi, vt supra notauimus tit. 1. dub. 6.

Dubitatur secundò quid si nec Sanctus, cuius est Reliquia insignis, nec Socij sint in Kalendario Romano Missalis, vel Breuiarij, sed solum in Martyrologio.

Respondeo celebrari posse Festum, & officium sub ritu Duplici de Sancto, cuius est Reliquia ex concessione Sacræ Congregationis sæpius relata apud Gauantum in Rubricas Breuiarij sec. 1 c. 5. tit. 2. num. 8. De socijs autem nihil fieri posse, nec quidem commemorationem quia pro socijs nulla conceditur licentia, nec in Festo duplici potest dici alia oratio, vel fieri commemoratio ad libitum.

DVBIVM V.

Vtrum quando transferri debet aliquod Festum possit Episcopus transferre etiam præceptum, si festum sit de præcepto.

Exempli gratia occurrente Festo Annunciationis Beatæ Virginis in Maiori hebdomada, transfertur Festum quoad officium, & Missam post Octauam Paschæ, queritur vtrum possit Episcopus statuere, vt transferatur etiam idem Festum, quoad præceptum audiendi Sacrum, & abstinendi ab opere seruili. Et idem quæritur de alijs Festis ex præcepto vniuersali.

Prima sententia absolutè affirmat.

Probatur primo, quia potest Episcopus circa suos subditos quicquid potest papa in vniuersa Ecclesia, nisi ipsi sit specialiter prohibitum; vt ex communi Canonistarum sententia docet Sanchez. l. 1 Matrim. disp. 61. multos referens, sed potest Summus Pontifex pro vniuersa Ecclesia transferre Festum cum suo præcepto, nec cōstat hoc ipsū prohibitū esse Episcopis, ergo, &c.

Probatur 2. quia licet nō possit inferior tollere factum superioris, potest tamen ex causa rationabili illud qualificare, seu quoad aliquas circunstantias mutare, vt rectè obseruat Alexand. cons. 106. n. 15 l. 2. sed in casu nostro Episcopus non tollit festum, sed mutat quoad circunstantiam, transferendo præceptum, ergo, &c.

Probatur tertiò ex vsu, qui viget Germaniæ.

Galliæ, & Belgio, vbi prædictum festum Annunciationis cum suo præcepto transferri solet ab Episcopis in Feriam secundam post Dominicam in Albis, scientibus & non contradicentibus legatis Pontificijs, vt testatur Gobat in Thesauro Indulgentiarum p. 2. cap. 7. quæst. 17. n. 331. qui hanc sententiam defendit.

Secunda sententia obsolute negat.

Probatur primo quia non potest Episcopus quicquam disponere circa leges Pontificias, & Ecclesiæ vniuersalis: ergo non potest transferre præceptum vniuersalis Ecclesiæ in casu nostro. Antecedens probatur: quia inferior nullam habet potestatem circa id, quod superior determinauit, vt patet ex leg. formam, C. de offic Præfecti, Prætoris Cap. Cum inferior de maior. & obed. Clementina ne Romani de elect, & alijs iuribus: sed quilibet Episcopus vt patet est inferior Summo Pontifice: ergo, &c.

Probatur secundo ex decreto Sacr. Congr. quo prohibetur translatio Festorum aliter quã permittant Rubricæ vt testatur Barbosa apud Gobat supra, sed Rubricæ non permittunt translationem, nisi quò ad Officium, & Missam, ergo non potest transferri præceptum. Ita Gauantus in Rubricas Missalis pun. 4. tit. 9. n. 24.

Tertia sententia Media, quam probabiliorem existimo, docet translationem prædictam non posse ab Episcopo fieri absolutè, seu lege permanenti, & inposterum durabili: sed solum in aliquo particulari euentu ex graui, & iusta causa.

Probatur primo à pari, quia possunt Episcopi dispensare in legibus Pontificijs ex. gr. ieiuniorum, & Festorum quoties materia leuis est vel bonum regimen id exegit in casibus frequenter occurrentibus vel quando non est facilis recursus ad Summum Pontificem, vt docent Caietanus verb. Ieiunium, Nauar, & alij communiter apud Layman de legibus c. 22. num. 4. sed translatio prædicta in aliquo particulari euentu videtur res leuis, & quidam modus dispensationis ergo; &c.

Probatur secundò ex dictis supra tit. 3. dub. 2. posse Episcopum transferre Vigiliam quo ad Ieiunium; vel etiam mutare officium in aliquo casu contingenti non autem lege permanenti ex Suar to. 2. de Religione l. 4. de Horis Canonicis c. 9. num. 6 ergo potest etiam transferre Festum cum suo præcepto: quia eadem est ratio.

Ad argumentum primæ Sententiæ respondetur primùm, illud Axioma inter alias limitationes, de quibus Suarez l. 6. de legibus c. 14 intelligendum esse data proportione. Vnde sicut non potest Summus Pontifex mutare leges diuinas; quia Deus est supra Pontificem, ita non potest Episcopus mutare leges Summi Pontificis, qui est supra Episcopos.

Ad secundum maiorem esse veram, de mutatione in aliquo casu contingenti; non autem per legem firmam, & permanentem.

Ad argumentum secundæ sententiæ respondetur ea procedere de mutatione absoluta per legem permanentem, non verò in aliquo particulari casu, & circa leuem materiam.

Decretum autem Sacr Congregationis non loquitur de casu nostro, sed de translatione quòad officium, & Missam, in qua omnino standum est Rubricis.

TITVLVS VII.

DE COMMEMORATIONIBVS.

COMMEMORATIONES in Missis fiunt sicut in Officio. De festo Simplici fit commemoratio in Missa, quando de eo in Officio facta est commemoratio in primis Vesperis. Quando autem de eo fit commemoratio tantum ad Laudes, in Missa solemni non fit commemoratio de eo sed in Missis tantum priuatis. Excipitur Dominica Palmarum, & Vigilia Pentecostes, in quibus nulla fit commemoratio etiam in Missis priuatis, de festo Simplici occurrente, licet facta sit in Officio. De Dominica fit commemoratio, quando in ea agitur de festo Duplici. De Octaua fit commemoratio, quando infra Octauam celebratur aliquod Festum, nisi illud Festum fuerit de exceptuatis in Rubrica Breuiarij de Commemorationibus. Item quando infra Octauam fit de Dominica.

De

2 De Feria fit commemoratio in Aduentu, Quadragesimâ, Quatuor Temporibus, Rogationibus, & Vigilijs, quando Missa dicenda est de Festo illis temporibu soccurrente. Sed in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis, vbi plures Sacerdotes quotidie celebrant, in Ferijs, Rogationibus, & Vigilijs prædictis, quæ habent Missas proprias, dicuntur duę Missæ vna de Festo alia de Feria, Rogationibus, & Vigilia, absque vlla vtrorumque commemoratione: in Festis tamen maioribus primæ classis nihil fit de Vigilia occurrente, vt dictum est supra.

3 Quando infra Hebdomadam dicuntur Missæ Votiuæ, post primam Orationem semper dicatur Oratio eius de quo fit Officium, vt supra explicatum est in propria Rubrica.

4 Quando fit commemoratio de Feria Quatuor Temporum pro Feriæ commemoratione dicitur prima Oratio, quæ concordat cum Officio.

5 In faciendis commemorationibus seruetur ordo vt in Breuiario. De Dominica ante diem infra Octauam, de die infra Octauam ante Ferias prædictas: de Ferijs prædictis, ante festum Simplex: de festo Simplici, ante Orationes quæ secundò, vel tertiò loco dicendę assignantur, & hæ dicantur ante Orationes Votiuas: in quibus Votiuis seruetur deinde dignitas Orationum, vt de Sanctissima Trinitate, de Spiritu Sancto, de Sanctissimo Sacramento, de Sancta Cruce ante Votiuam de Beata Virgine, & de Angelis, & Sancto Ioanne Baptista ante Apostolos, & similiter in alijs.

6 Si facienda sit commemoratio pro Defunctis, semper ponitur penultimo loco. In Missis autem Defunctorum nulla fit commemoratio pro viuis, etiam si Oratio esset communis pro viuis, & Defunctis:

7 Quando dicuntur plures Orationes, prima tantùm, & vltima cum sua conclusione terminantur, & ante primam, & secundam Orationem tantum dicitur, Oremus, ante primam dicitur etiam. Dominus vobiscum:

8 Cùm verò dicuntur plures Orationes, & vna Oratio eadem sit cum alia ibidem dicenda, oratio huiusmodi, illa scilicet, quæ eadem est, non aliæ, commutetur cum alia de Communi, vel Proprio, quæ sit diuersa. Idem seruetur in Secretis, & Orationibus post communionem.

EXPLICATIO LITERALIS.

Congruè hic titulus de commemorationibus adnectitur precedenti de Translatione festorum: quippe occurrentibus eodem die duobus festis, vel alterum transferri debet; vt alia die non impedita integrum ei persoluatur officium cum Missa, vt supra dictum est Vel nullum est transferendum, & tunc regulariter facienda est commemoratio de altero, vel de alijs vt in hac rubrica de commemorationibus. Cum ergo festum simplex nunquam transferatur, nec Dominica, nec Octaua; idcirco numero primo hic dicitur, vt de predictis fiat commemoratio, quando maiori festo impediuntur. Vbi etiam notatur di-

scrimen inter Missas solemnes, & priuatas, & declarantur festa excepta, in quibus non fiunt commemorationes ratione solemnitatis. Verba autem rubricæ manifesta sunt; Ideo non est opus alia explicatione.

Numero secundo Ob similem rationem præcipitur vt fiat Commemoratio de ferijs Aduentus, quadragesimæ, & similibus quæ non trasferuntur, quando in illis occurrit festum de quo fieri debet officium. Item vt in Cathedralibus, & Collegiatis in aliquibus ex prædictis ferijs cantentur duæ Missæ, vt supra etiam dictum est tit. 3. n. 1.

Numero tertio ordinatur, vt quando infra hebdomadam dicuntur Missæ votiuæ, post primam Orationem semper dicatur Oratio eius de quo fit Officium, vt saltem in hac parte Missa conueniat cum officio, quod si in officio facta est commem. alicuius festi simplicis; deberi & de eo fieri commem. in Missa votiua consequenter tertia Oratio erit de sancto simplici vt supra dictum est, de Missis votiuis n. 3. Vbi notanda est exquisita Ecclesiæ cura super conuenientia Missæ cum officio contra nonnullorum incuriam; qui illam negligunt,

Numero quarto additur ob eandem conuenientiam missæ cum officio, vt quando fit commemoratio feriæ Quatuor Temporum dicatur Prima Oratio, quæ concordat cum officio.

Numeto quinto præscribitur ordo seruandus in commemorationibus faciendis, vt manifestè constat ex verbis rubricæ. Debent autem Orationes ab Ecclesia perscriptæ, & determinatæ præferri Votiuis, quæ dicuntur pro arbitrio sacerdotum; quia leges communes præferri debent nostris priuatis, quantumuis pijs affectibus, & votis.

Numero sexto Determinatur locus pro commemoratione defunctorum nempe, vt commemoratio pro Defunctis semper fiat penultimo loco. Insuper additur, vt in Missis defunctorum nulla fiat commemoratio pro viuis. Rationem primæ regulæ assignant aliqui cum Durando in rationali l 4 c. 15. quia finis ad suum debet reuerti principium: cum ergo principium fuerit Collecta pro viuis debet ad viuos fieri regressus vltima collecta: quæ ratio non videtur omnino satisfacere, nec enim explicat præcisè causam penultimi loci; quippe nonnunquam dicuntur quinque vel septem orationes: cur ergo non posset dici secunda, vel tertia pro Defunctis in eo casu, sed semper ponenda est penultimo loco? facilius responderi posset; statutum ita fuisse, quia facta comparatione cum viuentibus; animæ Purgatorij ratione status poenarum, & carceris sunt inferioris conditionis omnibus iustis huius vitæ, nedum perfectis sed etiam proficientibus, & incipientibus; Nihilominus sunt melioris conditionis peccatoribus, vt per se patet: quia status peccati mortalis est omnium teterrimus. Hinc sequitur statum Animarum Purgatorij non esse vltimum, sed penultimum respectu viuentium, idest supra peccatores, & infra omnes iustos.

Vltima verò Collecta debet esse pro viuis, qui meminisse debent se esse in periculo extremi supplicij, à quo liberæ sunt animæ exillentes in Purgatorio.

Quoad secundam regulam, vt in Missis Defunctorum nulla fiat Commemoratio pro viuis ratio potest reddi; quia æquum videtur, vt in Missis proprijs de Requiem solis Defunctis detur opera, quia Defuncti non possunt se ipsos iuuare, sicut possunt viuentes, & ideò omnes Collectæ, quæ dici possunt, æquum est vt pro Defunctis dicantur; præsertim cum pro viuis possit Sacerdos secrete orare in primo memento. Addunt aliqui cum Durando l. 4. citato cap. 15. hac cæremonia significari, non posse viuentes vllo modo iuuari à Defunctis, quod verum est quoad satisfactionem; quia Animæ Purgatorij non sunt in statu satisfacien. di neque pro se, neque pro alijs. Vtrum autem sint in statu impetrandi, & orandi pro nobis, dicemus in dubijs Conscientiæ.

Numero septimò designatur modus dicendi Orationes, vt Prima tantum, & vltima cum sua conclusione terminentur. prima, quia est principalis, & independens. Vltima; quia est omnium conclusio, & veluti omnes colligit similiter ante primam, & secundam tantum dicitur Oremus, vt inuitetur populus ad orandum cum Sacerdote: ante Primam, quia est principalis; ante secundam, quia secunda cum sequentibus constituit distinctum ordinem. De salutatione; Dominus vobiscum dicemus parte secunda tit. 5. num. 1.

Numero octauò tandem monetur Sacerdos vt si ex pluribus Orationibus, quæ dici debent, vel clarè, vel secretò vna sit eadem cum alia, non repetat eamdem: sed commutet cum alia de Communi, vel Proprio: mutari autem debet regulariter non Prima: sed ea quæ sequitur si commodè fieri possit, vt colligitur ex propria Rubrica Dominicæ Septuagesimæ: non quia malum sit eandem Orationem sæpiùs repetere: sed quia in casu nostro facienda est commemoratio de diuersis.

SEN-

SENSVS MYSTICVS.

IN Missis, quæ non sunt de Requiem fit commemoratio pro Defunctis penultimo loco. Hoc autem ordine mysticè significatur locus Purgatorij, qui non est vltimus, & in centro terræ ibi enim est Infernus: sed immediatè supra Infernum; consequenter est penultimus De qua re videri potest Suarez in 3 p. tom. 4. disp. 45. sect. 2. Pœnæ etiam, quas patiuntur Animæ Purgatorij non sunt extremæ, & vltimæ, quibus cruciantur Damnati, ob adnexam desperationem, & æternitatem; sed proximæ vltimis, & extremis, ob vehementes cruciatus: vnde possunt dici penultimæ. Animabus ergo Purgatorij omnino congruit penultimus locus. Vide Suar. supra.

DVBIA CONSCIENTIAE

DVBIVM I.

Circa Num. 1. huius Rubricæ.

Vtrum in Dominica cantari debeant duæ Missæ Conuentuales, quando in ea occurrit Festum Duplex,

RAtio dubitandi est quia hoc fieri debet in Ferijs Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum, &c. vt hic præcipitur n. 2. & rit. 3. num. 1. ne omittatur Missa propria dictarum Feriarum: ergo à fortiori ob eandem rationem fieri debet in Dominica, quæ dignior prædictis Ferijs.

Prima sententia esse potest affirmatiua ob rationem dubitandi explicatam: Et quia Dominica videtur comprehendi nomine Feriarum: cò quia Feria secunda dicit relationem ad primam consequenter ad Dominicam. Hanc opinionem refert, & meritò reijcit Gauantus in Rubricas Missalis p. 1. hoc titulo 7. num. 1 Tum quia id est contra sensum; & vsum communem, Tum quia Sacr. Rituum Congregatio 12 Martij 1618. comprehendit Dominicam sub nomine Festi nouē lectionum non autem sub nomine Feriæ.

Secunda, & vera sententia, negat, vt patet ex communi praxi. Dicuntur enim omnes Missæ de Festo cum commemoratione Dominicæ, & eius Euangelio in fine.

Ratio est quia seruari debent Rubricæ in sensu proprio, & nihil addi potest nostro Marte: Rubricę autem præcipiunt duas Missas in Ferijs Rogationum, Vigiliarum, &c. occurrente in eis Festo: non autem in Dominica: ergo, &c.

Nec obstat, quod etiam Dominica Missam propriam habet: quia Missa Dominicæ dicitur etiam in Ferijs sequentibus, & ideo non omittitur eo anno, quamuis non dicatur propria die Dominicæ, & oppositum esset valdè per accidens. Missa autem Vigiliæ, &c. absolutè omitteretur si vna saltem eodem die diceuda non esset, Ex quibus patet ad rationem dubitandi.

Ad aliud argumentum primę sententię respondetur, Dominicam ex communi vsu loquendi non venire simpliciter nomine Feriæ: quia est Festum nouem lectionum; quamuis in aliquo sensu prima Feria dici possit. Ex hoc tamen non sequitur cantari debere duas Missas in casu posito: quia non in qualibet Feria cantari debent; sed solum in illis, quæ nominatim designantur in Rubricis, in quibus nihil dicitur de Dominica, ob rationem supra adductam.

DVBIVM II.

Quomodo sit intelligendum id quod dicitur in hac Rubrica numero secundò, vt cantentur duæ Missæ absque vlla vtrorumque cōmemoratione.

CErtum est neque in Missa Vigiliæ E g. faciendam esse commemorationem Festi occurrentis, neque è contra in Missa de Festo commemorationem Vigiliæ, vt manifestè patet ex verbis Rubricę. Difficultas est si prætetea facienda sit Commemoratio Festi Simplicis, vel de die infra Octauam; vtrum fieri debeat in vtraque Missa Conuentuali, vel in altera solum, & in qua Missa.

Respondeo commemorationem prædictam faciendam esse in altera tantum, non verò in vtraque Missa. Debet autem fieri in ea Missa cum qua maiorem habet connexionem, & affinitatem. Commemoratio ergo Festi Simplicis, vel de die infra Octauam, fieri debet in Missa de Festo; quia pariter commemoratio est de Festo quamvis simplici, non de Feria.

E contra si prætetea facienda sit commemoratio Feriæ, E. g. Feriæ Aduentus, si alicubi occorrat Festum in Vigilia Sancti Thome Apostoli, & ideirco cantari debeant duæ Missæ, de Festo, & de Vigilia, commemoratio Feriæ Aduentus fieri debet in Missa de Vigilia Similiter si in Feria Quatuor Temporum occurrat festum nouem lectionum, & pariter

Vigi-

Vigilia; vnde cantari debeant duæ Missæ de Festo & de Quatuor Temporibus; commemoratio Vigiliæ fieri debet in Missa Quatuor Temporum; quia sunt commemorationes de Feria, & ideo maiorem habent affinitatem cum Missa de Feria, quam de Festo sicut manifestè colligitur ex Missali in proprijs rubricis die 28 Iunij. Item die 15. & die 20. Septembris. Et docet Gauantus p. 1. tit. 7. lit. H.

Colligitur in festiuitate Beati Patris Nostri Caietani cuius dies octaua occurrit eodem die cum Vigilia Assumptionis Beatæ Mariæ Missas Conuentuales ita esse dicendas, vt in Missa diei Octauæ Beati Caietani fiat commemoratio Octauæ S. Laurentij, & Sancti Eusebij absque commemoratione Vigiliæ. Et in Missa Vigiliæ Secunda oratio dicatur de Spiritu Sanctò tertia Ecclesiæ absque alia commemotione.

DVBIVM III.

Vtrum in Missa possit fieri commemoratio de Beatis nondum canonizatis, vel de Canonizatis non descriptis in Kalendario.

Quæstio procedit quando præter Orationes assignatas in Missali conceduntur per Rubricas Orationes Votiuæ, & ad libitum.

Respondeo; & dico primo. De Beatis non dum canonizatis iuxta probabiliorem sententiam non potest fieri commemoratio in Missa absque licentia speciali Sedis Apostolicæ. Probatur, quia est cultus publicus, & consequenter prohibitus absque licentia speciali, vt fusius explicauimus supra tit 4. dub 6. Vbi etiam diximus excusari posse à peccato mortali ratione paruitatis materiæ facientem huiusmodi commemorationem.

Dico secundo. De Sanctis Canonizatis etiam non descriptis in Kalendario potest fieri commemoratio in Missa: probatur. quia potest de illis dici Missa Votiua, vt probauimus supra tit. 4. dub. 7. ergo à fortiori potest fieri commemoratio.

DVBIVM IV.

An prima Oratio Missæ coniungi possit aliquando cum secunda sub vnica Conclusione.

Ratio dubitandi ex vna parte est quia in hac rubrica n. 7. dicitur vt prima tantum oratio, & vltima cum sua conclusione terminetur; videlicet. Per Dominum nostrum &c, ergo prima oratio debet semper habere suam conclusionem distinctam. Ex alia vero parte in rubrica propria Missæ votiuæ de Trinitate, quando dicitur pro gratiarum actione, assignatur alia Oratio dicenda sub eadem conclusione cum prima.

Prima sententia est Gauanti prima parte tit. 7. litera, n. quæ docet, in Missa solemni posse quidem vniri duas orationes sub vnica conclusione vt ex duabus fiat vna, ratione solemnitatis: vnica enim oratio ad solemnitatem pertinet, Cæterum in Missis priuatis id fieri non posse; sed terminandam esse primam orationem de Trinitate cum sua conclusione & postea dicendam esse aliam pro gratiarum actione cum cæteris assignatis pro missis priuatis. Probatur quia hic ritus coniungendi duas primas orationes sub vnica conclusione est exorbitans, & valde alienus à ritu vsitato in Missis priuatis ergo non admittendus. Ad rubricam autem noui Missalis, quæ oppositum præscribit, vt supra diximus, respondet Gauantus, eam additam fuisse sine superiorum facultate.

Opposita tamen sententia mihi videtur absolute vera, & omnino sequenda nempe etiam in Missis priuatis Orationem illam pro gratiarum actione coniungendam esse cum prima de Trinitate sub eadem conclusione, quando Missa principaliter dicitur pro gratiarum actione.

Probatur quia in rubrica Propria supra citata de Missa pro gratiarum actione ita simpliciter præscribitur nulla facta distinctione inter Missam solemnem, & priuatam.

Ratio Reddi potest. Nam quando dicitur Missa principaliter pro gratiarum actione, debet in ea dici prima oratio eidem Missæ congruens, idest pro gratiarum actione: semper enim prima oratio correspondet Missæ propriæ, sed in casu nostro dicitur Missa propriè, & principaliter pro gratiarum actione: ergo debet in ea dici prima Oratio pro gratiarum actione. Rursus cum Missa propria gratiarum actionis fit eadem cum Missa de Trinitate, Ideo præscribitur, vt vtraque Oratio Trinitatis, & gratiarum actionis dicatur sub vna conclusione tanquam vnica Oratio primo loco recitanda, vt sic distinguatur Missa propria gratiarum actionis ab alijs de sanctis ex quibus addi potest Collecta pro gratiarum actione.

Ad argumenta oppositæ sententiæ: respondetur ad primum ritum illum non esse nouum, nec exorbitantem: & esto per nouam rubricam ritus huiusmodi à Missis solemnibus fuerit extensus ad missas priuatas; seruari tamen omnino debet: nam in Missali recognito non nulla

nulla fuere mutata in melius, & de nouo addita.

Ad secundum respondetur falsum omnino esse illam rubricam fuisse in Missali appositam absque facultate superiorum, vt manifeste conuincitur ex Missali Romæ impresso summa & exquisita diligentia Anno 1635. in Typographia Apostolica, & postea recognito accurate iussu summi Pont. Vrbani VIII, qui tandem in sua Bulla initio Missalis apposita præcipit, vt non imprimantur imposterum Missalia, nisi ad illius exemplar; in quo tamen Missali, & in alijs successiue impressis habetur illa rubrica de duplici oratione sub vnica conclusione dicenda.

DVBIVM. V.

Quid agendum quando ex pluribus Orationibus assignatis vna concidit cum alia.

ORdinatur in hac rubrica n. 8. vt oratio huiusmodi commutetur cum alia communi &c. Hinc dubium emergit quomodo fiet mutatio ex.gr. secundæ orationis de feria, vel de Dominica &c. quando est eadem cum prima de sancto, de quo fit officium; nec recurri potest ad commune, quod non habetur de feria, nec de Dominica, ex. gr. in festo 40. martyrum occurrente in feria V. Cinerum, orationes secretæ sunt ædem de sanctis & de feria Item in festo S. Martini Episcopi occurrente in Dominica 22. post Pentecosten, & similibus.

Prima sententia sustinet in his casibus sumendam esse secundam orationem ex alia feria, vel Dominica proxime sequenti respectiue: consequenter in primo casu sumi debet oratio secreta feriæ 6. cinerum, & in secundo casu oratio secreta Dominicæ 23.

Probatur quia in prædicta rubrica præcipitur, vt fiat commutatio cum alia de communi, vel proprio: ergo quando recurri non potest ad commune, vt in exemplis positis debet sumi oratio propria feriæ similis, vel alterius Dominicæ respectiue; Et quamuis habeatur in Missali commune Sanctorum vnde sumi posset prima oratio, nihilominus sumi non debet; quia commutatio nunquam fieri debet primæ Orationis quæ est sanctorum in casu nostro; sed sequentis, quia prima Oratio eam prærogatiuam habet, vt non excidat suo loco. Ita Gauantus prima parte hoc titulo septimo litera Q.

Opposita tamen sententia est longè probabilior, & magis conformis praxi Ecclesiarum, nempe faciendam esse commutationem cum alia de Communi, siue mutanda sit prima oratio, siue secunda, semper ac potest recurri ad Commune; Consequenter in Exemplis positis debet mutari prima Oratio, non secunda. Et tunc tandem recurrendum esse ad Orationes proprias, quando pro neutra potest sumi alia de communi.

Probatur quia commutatio fieri debet cum alia Oratione, quæ omnino congruat, vel Festo, vel mysterio quod celebratur, neque enim credendum est sine speciali mysterio distributas esse orationes proprias pro singulis Dominicis, & Ferijs, quæ ideo non congruunt omnino alijs, vel Dominicis, vel ferijs; ergo prædicta mutatio non videtur conueniens. E contra quando fit commutatio cum alia de Communi illa Oratio omnino congruit, quia Orationes de Communi in eum finem compositæ, & ordinatæ fuerunt, vt singulis Sanctis aptari possint. Nec refert vtrum prima, vel secunda Oratio mutetur quia hoc non est tanti momenti, quanti est seruare proportionem, & correspondentiam inter partes Missæ in ordine ad cultum eiusdem Sancti, vel mysterij.

Confirmatur quia hic videtur germanus sensus huius Rubricæ num 8. vbi simpliciter dicitur, vt fiat commutatio cum alia de Communi, & deinde additur vel Propria, idest vt tunc tandem sumatur alia oratio propria, quando pro neutra potest recurri ad commune. Vel etiam explicari potest ly Propria, quando Sanctus, de quo fit officium plures habet orationes proprias; vt contingit de Beata Virgine, de qua plures habentur. Orationes propriæ, qui est casus Dominicæ Septuagesimæ occurrentis ante festum Purificationis nam Secreta Dominicæ est eadem cum Secreta Beatæ Virginis quæ commutatur cum alia propria eiusdem Beatæ Virginis vt in propria Rubrica habetur. Ita vt numquam debeat commutari oratio vnius Dominicæ cum Oratione propria alterius Dominicæ.

Nec obstat prerogatiua primæ Orationis, quæ excludi non debet à suo loco: quia intelligi debet formaliter respectu illius, de quo fit officium, quia de eodem debet recitari prima Oratio, siue hæc, siue illa, in quibus est materialis differentia, & conuenientia supra explicata id postulat. Quando autem non vrget necessitas, vel conuenientia concedimus mutandam esse potius secundã quam primam,

DVBIVM VI.

Vtrum animæ Purgatorij orent pro uiuentibus, & aliquid eis impetrent,

ORitur hoc dubium ex Rubrica supra explicata numero sexto, qua præscribitur, vt in Missis Defunctorum nulla fiat commemoratio pro viuis; Et reddunt aliqui rationem quia Defuncti non possint adiuuare viuentes, nec pro eis orare: Quærimus ergo, vtrum hoc verum sit.

Prima sententia absolutè negat Animas Purgatorij esse in statu orādi, pro alijs, quā secuti sunt antiquiores theologi ferè communiter. Alensis Paludanus, Riccardus, & alij theologi in quarto dist.15. fauet etiam D. Tho. 2. 2. quæst. 83. art 9. ad 3. eamque sequitur Nauarr. in Enchiridion de Oratione in prælndijs num.26. & 29 & Ganantus in hanc Rubricam num.6. Fundamentum est; quia animæ Purgatorij sunt in statu pœnarum, & carceris, & sub vindicta diuini iudicij: consequenter adhuc experiuntur Deum iratum ob præteritas culpas: ergo non sunt in statu orandi, & intercedendi pro alijs.

Probatur consequentia, quia hoc munus potius spectat ad viros liberos à miserijs; & ad aulicos Regis, quam ad illos, qui exclusi ab aula sunt detrusi in carcerem.

Confirmatur auctoritate D Tho: loco citato, vbi ait, eos, qui sunt in Purgatorio, non esse in statu orandi, sed magis, vt oretur pro eis.

Opposita tamen sententia est longè probabilior, & modo communis inter recentiores Theologos.

Probatur primo, quia illæ animæ sunt Deo caræ, & in statu amicitiæ cum ipso Deo; Et quamuis patiantur, nihilominus patiuntur, vt filij, non vt serui in salutem, & bonum proprium, non in malum, idest; vt purgatæ Beatitudinem consequantur, ergo non repugnat illi statui munus orandi, & intercedendi pro fratribus, & amicis & benefactoribus.

Confirmatur, quia viatores etiam iusti sunt rei pœnarum temporalium; & sæpè magis quam animæ Purgatorij, & nihilominus sunt in statu orandi pro alijs: ergo reatus pœnæ qui durat in animabus Purgatorij, non reddit illas indignas, vel improportionatas ad orandum pro alijs.

Probatur secundo, quia legimus Deum aliquādo fecisse miracula propter Sanctos adhuc in Purgatorio existentes, vt de Paschasio refert Gregorius, quarto Dialogorum cap.40. & Petrus Damianus de alijs in Epistola de miraculis sui temporis ergo Sancti in Purgatorio orant & intercedunt pro viuentibus, Et quamuis ea m ita cula fieri potuerint etiam ipsis animabus tunc non orantibus, sed immediatè à Deo propter eorum præterita merita, nihilominus inde etiam sumitur efficax argumentum: nam Deus, qui ita honorat prædictas animas, etiam dum illas purgat, vere exandit orationes illarum. Hanc sententiam sustinent Medina Codice de Oratione quæst.4. & 5. post Gabrielem in Canone Missæ lect.58. Bellarminus lib.2. de Purgatorio c.15. Valentia to.3. disp.6. quest.2. p. 6. Suar. de religione to.2. lib. 1. de oratione cap.9. tom.4. in 3. par disp.47. sect.2. Pinellus de statu alterius vitæ. Angelus Eli in speculo spirituali, & alij.

Ad opposita respondetur ad primum, negando consequentiam. Ad probationem respondetur munus intercedendi pro alijs apud Regem esse improportionatum eis, qui sunt in carcere tanquam inimici: secus si tanquam amici, & filij.

Ad auctoritatem D.Tho. respondetur, Diuum Thomam non docere absolutè, & simpliciter animas Purgatorij non esse in statu orandi, sed comparatiuè, magis esse in statu, vt pro eis oretur, quod verum est. possunt tamen etiam orare pro alijs, quamuis non ea securitate, qua orant Beati.

Colligitur primo quid sit dicendum ad eam quæstionem; vtrum viuentes licitè, & conuenienter possint se ipsos commendare animabus Purgatorij, & ad illas orare. Respondendum est enim affirmatiuè, quia si illæ animæ possunt intercedere pro nobis ad Deum, ergo possumus ab eisdem petere, vt hoc officium præstent pro nobis. Nec obstat, quod animæ Purgatorij non videant Deum, vnde videtur non posse cognoscere, nec andire nostras orationes quia licet non possint eas cognoscere in verbo, possunt tamen eas agnoscere, & de facto cognoscunt per reuelationem Angelorum præsertim Custodum. Saltem, quia possunt generaliter orare pro benefactoribus & pro alijs, qui sè cōmendant intercessionibus ipsarum, Vide Suar. locis citatis.

Secundo colligitur à fortiori, animas Purgatorij etiam orare pro se ipsis, vt omnes concedunt, quia hoc nullo modo repugnat statui pœnarum, & carceris, imo status pœnarum ad hoc ipsum conducit, & inducit. Non petunt autem, vt libetentur immediatè à poenis per suas orationes, quia sciunt hoc non esse conforme legibus diuinæ iustitię; sed petunt, vt Deus excitet fideles ad offerenda pro ipsis suffragia. Quod etiam sæpissime obtinent etiam apparendo fidelibus vt ex innumeris exemplis patet ex hist Eccles. DD. supra citati.

TITVLVS VIII.

DE INTROITV, KYRIE ELEISON ET GLORIA IN EXCELSIS.

IN Rubricis præcedentibus actum eſt de varijs modis, & ritibus, ſub quibus cõtingit celebrari Miſſas, conſequẽter modò fit tráſitus ad partes integrantes ipſius Miſſæ; veluti ab accidentibus ad partes ſubiectiuas. Cur autem ab Introitu ſumitur initium? Ratio breuiter eſt, quia etſi Confeſſio dicatur etiam principium Miſſæ, non eſt tamen propriè loquendo pars integralis, & intrinſeca Miſſæ: ſed quædam præuia diſpoſitio ad totam Miſſam. Durandus in rationali l. 4. cap. 5 Suar. diſput. 83. ſect 1. cum alijs, quos citat.

INTROITVS ſemper eodem modo dicitur cum Gloria Patri, vt in Ordinario, prærerquam tempore Paſsionis, & in Miſsis Defunctorum vt etiam ibi adnotatum eſt.

INtroitus ſic appellatur, quia eſt prima pars Miſſæ, & in ea Miſſa inchoatur, vel certè, quia dum in Choro cantatur, Sacerdos ad Altare ingreditur ex Durando, & Suar. locis ſupra *citatis*. *Componitur* autem regulariter ex *verſ. Pſalmorum*. quia ex Dionisio de Celeſti *Hierarchia*, quem etiam affert D Thom. 3 parte *quæſt. 83. art. 4.* ad hoc propoſitum, Pſalmi *comprehendunt* per modum laudis quidquid in ſacra ſcriptura continetur. Item deſumuntur verſiculi comuniter ex locis ſacræ Scripturæ Veteris Teſtamenti, quia in Introitu ſignificantur deſideria, & ſuſpiria veterum PP. de Meſſiæ aduentu, vt cum Durando l. 4 citato cap. 5. docent communiter; ſicut pariter ipſe Introitus ſignificat aduentum, & ingreſſum Christi in hunc Mundum. Eadem quoque ratione repetitur Introitus, vt ſignificetur iteratio, & multiplicatio deſideriorum eorundem SS. PP ex eodem Durando ſupra. Conſequenter dicitur Gloria Patri ex inſtitutione Damaſi Papæ, & aliorum Pontificum, quia propter beneficium Incarnationis danda eſt Gloria Deo, Durandus ibidem. Præter quam tempore Paſſionis, & in Miſſis Defunctorum, quia in ſignum mæſtitiæ ſupprimitur Gloria, Alcuinus, & Durandus in rationali l. 6. cap. 6.

Kyrie eleiſon, dicitur nouies poſt Introitum, alternatim cum miniſtro, ideſt, ter Kyrie eleiſon, ter Chriſte eleiſon, ter Kyrie eleiſon.

KYrie eleiſon eſt vox græca, & ſignificat Domine miſerere, & Græcè inuenitur in liturgijs S. Iacobi S. Marci. Durandus l. 2. c. 13. & Sylueſter à græcis tranſtulit ad Romanos eodem idiomate ob venerationem antiquitatis, & Eccleſiæ vnitatem ex Greg l. 7. Ep 63. Ter autem repetitur Kyrie, ter Chriſte, & iterum ter Kyrie ad confeſſionem Sanctiſſimæ Trinitatis; ideſt ter ad Patrem, ter ad filium. ter ad ſpiritum ſanctum; ſed ad patrem, & ſpiritum ſanctum ſub eodem vocabulo Kyrie; quia Pater, & Spiritus ſanctus ſunt vnius naturæ tantum, ideſt ſolius diuinæ: Ad filium vero ſub alio vocabulo; quia preter naturã diuinam habet humanam. Dicitur etiam ter ad quamlibet perſonam ad ſignificandum quod omnes Perſonæ ſunt in ſe inuicem. ex D. Tho 3 p. q. 83 art. 4. qui etiam notat ibidem ter dici contra triplicem miſeriam ignorantiæ, culpæ, & pœnæ, plura videri poſſunt apud Durandum ſupra.



3. Gloria in excelsis dicitur quandocunque in Matutino dictus est Hymnus Te Deum, prçter quam in Missa Feriæ Quintæ in Cœna Domini, & sabbati sancti in quibus Gloria in Excelsis dicitur, quamuis in officio non sit dictum, Te Deum.

Gloria in Excelsis meritò additur post Kyrie eleison: quia à nostris myserijs liberamur benignitate & misericordia Dei; quem ideo laudamus,& glorificamus præsertim ob Christi Aduentum, & Natiuitatem, quæ hoc hymno significatur; & quia aduentu Christi saluati & liberati sumus. Durandus l. 4. c. 13. Appellatur communiter Hymnus Angelicus: quia illum inchoarunt Angeli in Natiuitate Domini, & Ecclesia consummauit plures addendo laudes, quod adscribitur ab aliquibus ipsis Apostolis, ab alijs Clementi, vel Thelesforo, vt refert Suar. citata disp. 83 sec. 1. Dicitur autem quandocunque in Matutino dictum est, Te Deum ob connexionem & consonantiam, quæ est inter hos hymnos in laudem sanctissimæ Trinitatis, & significationem lętitiæ, vt notant Doctores supra citati: & ideò dicuntur in festis. Præterquam in Missa Feriæ V. in Cœna Domini, & Sabbati sancti, quibus diebus in Officio non dicitur Te Deum; quia sunt officia mestitiæ; Nihilominus in Missa Cœnæ Domini dicitur gloria propter institutionem Sanctissimi Sacramenti, & in Missa Sabbati sancti propter Gloriam Resurrectionis, quæ anticipatur in Missa. Durandus de eisdem Missis.

4. In Missis Votiuis non dicitur etiam tempore Paschali, vel infra Octauas nisi in Missa B. Mariæ in sabbato, & Angelorum: & nisi Missa votiua solemniter dicenda sit pro re graui, vel pro publica Ecclesiæ causa, dummodo non dicatur Missa cum paramentis violaceis; Neque dicitur in Missis Defunctorum.

In Missis votiuis non dicitur Gloria, sicut nec in Missis ferialibus vt inter communes dies, & festiuos sit discrimen. Item inter commemorationem, & solemnitatem, ex Innocentio III C. Consilium de celebratione Missarum, & ex Radulpho propos. 13. vbi ait iucundius in festiuitatibus suscipitur, quod in Profestis supprimitur, & tacetur; & notat etiam Suarez loco supracitato.

Nisi in Missis B. Mariæ in Sabbato etiam priuatis, quod qualiter intelligendum sit commodius dicemus paulò infra in Dubijs Conscientiæ.

Dicitur etiam Gloria in Missis Angelorum, ex Burchardo, quia prima verba huius hymni prolata primò fuerunt ab Angelis, vt supra dicebamus.

Et nisi Missa Votiua solemniter, & e Ratione solemnitatis additur Gloria Missis Votiuis, quia signum est solemnitatis Non autem in qualiber Missa, quæ cantari potest vt principalis & loco Conuentualis, de quibus supra Tit. 4 num 3. dici potest Gloria, sed solum quando solemniter celebratur pro re graui: quæ autem res dicatur Grauis arbitrio prudentum remittitur. Si tamen cantetur Missa cum paramentis violaceis non dicitur Gloria, quia sunt signa mestitiæ: & ideo nunquàm dicitur in Missis Vigiliarum, quæ cantantur infra Octauas, licet in officio dictum sit Te Deum, quia in his Missis adhibentur paramenta Violacea, & mæstitiæ, & non sunt Missæ concordantes cum officio; vt notatur in Missali in Vigilia Apostolorum Petri, & Pauli, atque Assumptionis Beatæ Virginis.

SENSVS MYSTICVS.

Introitus, atque ingressus sacerdotis ad Altare, mystice significat Aduentum Christi eiusque ingressum in hunc mundum: versiculi ex quibus componitur Introitus, denotant clamores,& suspiria SS Patrum expectantium Messiæ Aduentum. Kyrie eleison exprimunt statum miserię, in quo erat mundus, tum ante, tum in ipso Messiæ Aduentu. Dicitur nouies contra nouem genera peccatorum. Est enim peccatum originale, veniale, & mortale; item peccatum Cordis, Oris, & Operis, Tandem peccatum Ignorantiæ, Fragilitatis, & Malitiæ. Durandus in Rationali l. 4. c. 11. & 12. & latius Stephanus Durantus de ritibus Eccles. lib 2. cap. 11.

Gloria in excelsis representat Chisti Natiuitatem, vt ex Durando,& alijs supra insinuaui-ui.

mus in sensu litterali, qui aliquando separari nō potest à sensu spirituali, & mystico, presertim quando mysticus est primo intentus.

DVBIA CONSCIENTIAE

DVBIVM I.

Vtrum conuenienter Ecclesia Latina vtatur in Missa verbis Græcis, ut Kyrie eleison &c.

IDem quæri potest de verbo Hebreo Alleluia, & de ipsa Lingua Latina cur potius Missa recitetur lingua latina, quam vulgari, & communi, de quibus omnibus breuiter dicendum est. Ratio autem dubitandi est; nam ea, quæ continentur in missa, & præcipue, quæ alta voce leguntur, instituta sunt ad instruendum populum, & excitandam pietatem in audientibus ex Trident. infra: ergo oportet in eo idiomate recitari in quo possint ab omnibus intelligi; sed populus non intelligit linguā latinam, & multò minus Græcam, vel Hebraicam, quarum etiam ipsi sacerdotes sunt ignari: ergo minus apte vtimur in missa idiomate peregrino, vel quod alias non intelligitur. Quare consultius foret totam missam recitari lingua vulgari, & communi.

Respondeo, & dicò primo: multò meliùs, & decentius est celebrari missam lingua latina, quam vulgari, est de fide, vt patet ex vsu ecclesiæ, & ex Tridentino sess. 22. c. 8. & can. 9.

Ratio est, tum quia hoc magis confert ad maiestatem, & venerationem diuinorum officiorum, & præsertim missæ, quæ sicut celebrari non debet communibus vestibus, vel passim in quocumq; loco, ita nec etiam communi, & vulgari linguā, sed doctrinali, & grauiori.

Tum quia confert etiam ad maiorem ecclesiæ vnitatem & conformitatem in diuinis officijs, nam vulgaris lingua facile mutatur, & corrumpitur pro varietate nationum: Doctrinalis autem immutabilis est, vel saltem magis dura.

Tum denique: quia non omnia mysteria sunt facile proponenda communi populo: sed aliqua occultāda, ne vel apud idiotas vilescant aut cum errore concipiantur. Propter hanc enim causam inter alias voluit Deus sacras scripturas esse obscuras, & sub tropis, & figuris mysteria contineri, vt notauit Augustinus lib. 2 de Doctrina Christiana c. 6 & docent passim alij Doctores. Videri possunt Bellarminus lib 2. de verbo Dei. c. 15. & Suar. disp. 83. sect. 1. qui latè id explicat.

Dico secundo conuenienter etiam ecclesia latina retinuit in missa quasdam voces Græcas & Hebraicas supra notatas. Vel quia peculiarem emphasim habent. Vel propter venerationem antiquitatis. Vel tandem ad indicandam vnitatem Ecclesiæ ex varijs nationibus, vt cum Augustino, & Gregorio supra dicebamus, & vt omnis lingua in Missa Confiteatur gloriam Christi, Innocentius de Mysteriis missæ cap 33. Quamuis enim plura sint genera linguarum; Nihilominus tres prædictæ sunt principales, quibus etiam scriptus fuit titulus Crucis.

Ad rationem dubitandi initio positam respondetur primo: Ea quæ continentur in Missa, quatenus pertinent ad excitandam pietatem in Audientes, conuenientius recitari lingua latina quā vulgari; quia vt dicebamus magis excitat ad venerationem sacrorum mysteriorum lingua doctrinalis, & grauis, qua plebeia. Item, vt fideles apprehendant diuina mysteria esse longe sublimiora, quam vt ab ipsis percipi possint. Ea autem quæ pertinent ad instructionem non recitantur in eum finem, vt populus vniuersus tunc plenè instruatur: sed vt accessus desiderio addiscendi mysteria diuina melius postea instruatur per pastores, & doctores. Vnde Tridentin. supra præcipit pastoribus animarum, vt ea mysteria fidis ouibus explicent.

DVBIVM II.

Vtrum in Missis Votiuis B. Virginis dici semper debeat Gloria in excelsis.

PRima sententia sustinet dici debere in qualibet Missa votiua B. Virginis, etiam si dicatur extra diem sabbati.

Probatur; quia Himnus Angelicus prescribitur dicendus in honorem B. Virginis, sicut & Angelorum; ergo sicut in Missis votiuis Angelorum semper dicitur ita pariter in Missis B.V. Nec obstat, quod in rubrica additur in sabbato quia ly in sabbato non cadit super die qua celebratur Missa votiua, sed super qualitate Missæ, ita vt sit sensus, dici Hymnum Angelicum in Missis Votiuis, quæ appellantur Missæ B. Mariæ in sabbato: quia solent frequentius dici in sabbato. Ita nonnulli, quos tacito nomine citat Gauantus in Rubricas Missalis par. 1. tit. 8. lit. z. quæ opinio deducebatur olim in praxim ob Decretum ab aliquibus publicatum, & falsò adscriptum Sacræ Rituum Cong. quæ tamen anno 1627. illud iussit deleri ex Kalendarijs quorundam locorum. Est ergo falsa opinio, & contra presentem rubricam, quæ superflue addidisset illud verbum in sabbato: Nam si in qualibet Missa Votiua B. Mariæ etiam extra sabba-

sabbatum, dicendus esset Hymnus Angelicus, satis fuisset dicere nisi in Missa B. Mariæ absque alio addito. Vide Gauantum supra.

Secunda opinio extreme opposita docet, Hymnum Angelicum dicendum esse in Missis Votiuis B. Mariæ in Sabbato, quando fit Officiũ B. Mariæ, & consequenter dicitur Missa principalis, & propria correspondens Officio, quæ tamen appellatur Votiua, vt supra dicebamus Tit. 4 vel quæ designatur per rubricas tanquam Missa principalis, & de die, vt in Sabbatis Aduentus; Cæterum quando Missa est mere Votiua pro arbitrio sacerdotis non habet hanc prerogatiuam etiam si dicatur in Sabbato: quia non differt ab alijs Missis Votiuis, quæ dicuntur extra Sabbatum. Huic opinioni videtur adherere Castaldus in Praxi Cærem lib. 2. sect. 6. num. 12. & eam docet Petrus de Ruyz in suo Cæremon. Communiter tamen impugnatur: quia non est conformis huic nostræ rubricæ. Probatur: quia Rubrica hic non loquitur de Missa B. Mariæ in casu, quo de ea fit officium in Sabbato: tunc enim dicitur Gloria: quia in officio dictum est Te Deum, & pertinet ad superiorem rubricam precedentis numeri tertij: Vnde non opus fuisset quicquam addere numero sequenti Neque Rubrica loquitur de Sabbatis Aduentus tantum: quia in hoc casu satis fuisset addere in Sabbato de Aduentu; ergo loquitur de quolibet Sabbato; quippe indefinite & simpliciter præscribit dicendum esse Hymnum Angelicum in Missis Beatæ Mariæ in Sabbato.

Tertia sententia media est absolutè vera, nempe dicendum esse Hymnum Angelicum in Missa Votiua B. Mariæ quoties dicitur in Sabbato siue concordet cum officio, siue minimè. Ratio est quia Sabbatum speciali titulo dedicatum est in honorem B. Virginis, vt supra tit. 4. explicauimus; Vnde ea die solent deuoti B. Virginis ieiunare &c. & ideo Ecclesia aliquod speciale concedit Missæ B. Mariæ in Sabbato, quod non concedit si extra Sabbatum dicatur. Atque ita seruatur communiter in praxi.

Colligitur in omni Sabbato, etiam Quatuor Temporum, Vigiliarum Quadragesimæ, &c. dicendum esse Himnum Angelicum in Missa Votiua B. Mariæ; non verò in alijs diebus, vt manifeste colligitur ex hac nostra rubrica.

DVBIVM III.

Qualiter peccet Sacerdos vel omittens, vel recitans hymnum Angelicum contra rubricas.

Respondeo, & dico primo, omittens hymnum Angelicum in Missa, in qua recitari debet peccat solum venialiter, etiam si data opera omittat (nam ex inaduertentia certum est nullum esse peccatum) Probatur quia non priuat Missam parte necessaria nec propriè loquendo eam mutilat, vt fusius explicauimus quæst. proemiali sec. 3. punc. 1.

Dico secundo Sacerdos addens hymnum Angelicum Missæ in qua dici non debet, regulariter loquendo peccat tantum venialiter Probatur quia & si violet rubricas, non tamen in materia graui: quamuis intra genus peccati venialis grauius hic peccet eo, qui indebitè omittit: quia peccatum commissionis peius est peccato omissionis.

Dixi regulariter loquendo quia si id faceret vel animo inducendi nouum ritum, vel cum notabili deformitate; aut scandalo, grauiter peccaret: Videtur autem grauis peruersitas, & deformitas illum dicere data opera in Missa de Requiem. Vide ea, quæ fusius diximus quæst. proem. loco citato.

TITVLVS IX.

DE ORATIONIBVS.

Nomine Orationis, vt notum est, significatur locutio, & petitio. Vnde hic sumitur Oratio pro sacra locutione cum Deo, qua aliquid ab eo petimus: quod in Orationibus Missæ præstat Sacerdos nomine Ecclesiæ. Solet etiam Oratio vocari collecta: quia funditur in Missa nomine totius populi in vnum collecti, Item quia omnium petitiones compendiosè colligit: vel etiam collecta vocatur eo quia per eam omnium audientium animi ad Deum colligantur: ad quod hortatur eos sacerdos dicens prius Oremus. Plura videri possunt. apud Durandum in Rationali lib 4. capit. 15. & apud Suarez disput. 83. sect. 1 versiculo sexto.



1. In Feſtis Duplicibus dicitur vna tantum Oratio, niſi facienda ſit aliqua Commem. vt dictum eſt ſupra.

EXPLICATIO LITERALIS.

CVr in Feſtis duplicibus dicatur vna tantum Oratio, explicauimus ſupra tit. 1. de Duplici. Addimus hic in ſolemnitatibus dici vnicam tantum Orationem: quia Deus vnitate gaudet, nempe ſua natura indiuiſa in omnibus diuinis perſonis; numerus enim ſingularis indiuiſibilis eſt. Vnde cum cæterorum dierum operibus benedixerit Deus; operibus tamen ſecundæ diei benedixiſſe non legitur, eo quod binarius numerus primo ab vnitate recedebat, & ab eo cæteri diuiſibiles numeri originem ſortiuntur, vt habetur Can. Nuptiæ 32.q. 1. Vnde eſt illud commune proloquium Impari Deus numero gaudet. primo & principaliter quia Deus ipſe vnus & Trinus eſt, & gaudet Vnitate in Trinitate, & Trinitate in Vnitate. Varia etiam Myſteria complexit ſub numero impari; vnde etiam Eccleſia præſcribit Orationes in Miſſa dicendas impares numero vt inferius videbimus lege Durandum, & Suar. loco citato.

2 In feſtis Semiduplicibus occurrentibus ab octaua Pentecoſtes vſque ad Aduentum, & à Purificatione vſque ad Quadrageſimam, dicitur ſecunda oratio, A cunctis, tertia ad libitum.

IN Feſtis Semiduplicibus dicuntur tres Orationes: quia in eis minor eſt ſolemnitas; Vna enim Oratio ad ſolemnitatem pertinet. Tres autem dicuntur quia ternarius numerus Trinitati conuenit, vel trinæ orationi Christi in horto, vt notat Suarez diſp.83. ſec. cit. ex Innocentio 3. Micrologo, & alijs.

Secunda Oratio A cunctis: ſicut enim in Officio fiunt commemorationes de B. Virgine, de Apoſtolis, de Patrono, ſeu Titolari, & pro Pace; ita in Miſſa quæ Officio reſpondet eodem tempore dicitur ſecunda Oratio Acunctis, in qua ſupradicta memorantur, niſi ob peculiare Myſterium alia ſit dicenda. Tertia dicitur ad libitum ad ſatisfaciendum priuatæ deuotioni ſacerdotum, & aliorum fidelium.

De Semiduplicibus ab Aduentu vſque ad Epiphaniam non explicatur hic quænam Orationes dicendæ ſint in Miſſa; quia in proprijs rubricis ſatis aperte habetur; nempe in Rubrica Dominicæ primæ Aduentus, vbi habetur, vt in Miſſa de feſto Semiduplici infra hebdomadas Aduentus ſecunda Oratio dicatur de Aduentu, tertia de S. Maria Deus qui Beatæ.

3 In feſtis ſemiduplicibus occurrentibus ab octaua Epifaniæ vſque ad Purificationem, dicitur ſecunda oratio, Deus qui ſalutis: tertia Eccleſiæ, vel pro Papa. Deus omnium fidelium.

4 In feſtis Semiduplicibus à Feria iiij. Cinerum vſque ad Dominicam Paſſionis, ſecunda oratio de feria tertia A cunctis.

5 In ſemiduplicibus à Dominica Paſſionis vſque ad Dominica Palmarum, ſecunda oratio de Feria, tertia Eccleſiæ, vel pro Papa.

6 In feſtis Semduplicibus ab octaua Paſchæ vſque ad Aſcenſionem, ſecunda oratio de S. Maria, Concede nos, tertia Eccleſiæ, vel pro Papa.

7 In feſtis ſemiduplicibus infra octauas occurrentibus, ſecunda oratio dicitur de octaua tertia, quæ ſecundo loco infra octauam ponitur.

8 Infra octauas Paſchæ, & Pentecoſtes, in Miſſa de octaua dicuntur duæ tantum orationes, vna de die alia Eccleſiæ, vel pro Papa.

ORationes ita communiter ordinantur; vt regulariter facienda ſit commemoratio de Beata Maria, quia nihil ad nos gratiæ venit quin tranſeat per manus Mariæ, Bernardus in ſer-

in sermone signum magnum. Item fieri debet deprecatio pro Ecclesia à cuius conseruatione singulorum fidelium salus dependet, vel pro Papa, qui est caput Ecclesiæ. Vnde, vt plurimum secunda Oratio est A cunctis, in qua simul fit commemoratio de Beata Maria & deprecatio pro Ecclesia. Vel si ratione conformitatis cū Officio dicenda sit secunda Oratio de Feria, vt in Rubrica num. 4. Oratio A cunctis dicitur tertio loco.

Quando vero non dicitur prædicta Oratio A cunctis in Missa eo tempore, quo omittuntur in Officio suffragia, & commemorationes Sanctorum, quibus correspondet Oratio A cunctis, tunc dicitur in Missa secunda Oratio de B Maria, tertia Ecclesiæ, vel pro Papa. Quamuis ab Octaua Epiphaniæ vsque ad Purificationem dicatur etiam Oratio de Beata Virgine Deus, qui salutis æternæ, omissa Oratione A cunctis, non quia omittantur eo tempore suffragia SS. in Officio, sed ob recentem memoriam partus eiusdem Virginis, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere.

Tempore autem Passionis non fit commemoratio de Beata Maria, vel de Sanctis, neque in Missa, neque in Officio: sed solum deprecatio pro Ecclesia, & dicitur secunda Oratio Ecclesiæ, vt vni soli Christo tunc attendamus suo sanguine fundanti Ecclesiam. Durandus l. 6. cap. 60. Et si eo tempore occurrat festum semiduplex dicitur secunda Oratio de Feria, tertia Ecclesiæ, vt in Rubrica num. 5.

Ob similem rationem infra Octauas Paschæ, & Pentecostes Orationi de die additur solum secunda Oratio pro Ecclesia, vt in Rubrica num. 8. quia nostra intentio ferri debet in solum Christum rediuiuum, & triumfantem, suamque Ecclesiam viuificantem.

9 Infra alias octauas, & in vigilijs quæ ieiunantur (excepta vigilia Natiuitatis Domini, & Pentecostes) dicuntur tres vna de die, secunda de S. Maria, tertia Ecclesiæ vel pro Papa. Sed intra octauas S. Mariæ, & in vigilia & infra octauam omnium Sanctorum, secunda oratio dicitur de Spiritu sancto, Deus qui corda, tertia Ecclesiæ, vel pro Papa.

Infra alias Octauas idest præter Octauas Paschæ, & Pentecostes de quibus supra, secunda Oratio dicitur de S. Maria tertia Ecclesiæ ob rationem supra explicatam: quia tunc non dicitur Oratio A cunctis: eò quia neque in Officio fiunt commemorationes Sanctorum, quibus prædicta Oratio correspondet. Cur autem non dicatur Oratio A cunctis in Vigilijs, in quibus fiunt commemorationes Sanctorum. Ratio esse potest: quia in Vigilijs solent fideles feruentius orare, mente per ieiunium eleuata; & ideo in Missa præscribuntur Orationes distinctæ de S. Maria, & pro Ecclesia, quæ magis fouent deuotionem, & pietatem. Excipiuntur primo vigiliæ Natiuitatis, & Pentecostes, quæ in Missa habent rationem festi Duplicis, & dicitur vna tantum Oratio. Excipiuntur secundo dies infra Octauas S. Mariæ in quibus prima Oratio est propria eiusdem B Mariæ quare secunda Oratio dicitur de Spiritu sancto, quæ semper dicitur in Missis Beatæ Mariæ: quia ipsa est sacrarium, & singulare habitaculum Spiritus sancti. Excipiuntur tertio Vigilia, & dies infra Octauam omnium Sanctorum: quia in prima Oratione vel explicite, vel implicite eiusdem Virginis merita imploramus, & ideo secunda Oratio non dicitur de B. Maria; sed de Spiritu sancto eius sponso.

10 In Dominicis infra octauas occurrentibus dicuntur duæ orationes vna de Dominica, secunda de octaua: & in die octaua dicitur vna tantum oratio, nisi facienda, sit aliqua commemoratio.

11 In dominicis dicuntur tres vt in ordinario assignantur, quibusdam exceptis, vt suis etiam locis notatur.

In Dominicis communiter dicuntur tres orationes, tum quia Dominica repræsentat Resurrectionem Christi, qui tertia die surrexit. Clemens l. 2. Constitutionum c. 63. Tum quia specialiter dicata est Sanctissimæ Trinitati, vt supra explicauimus tit. 2. Excipitur primò Dominica Passionis ob rationem supra insinuatam. Item Dominica palmarum ob solemnitatem, & Dominica in Albis cuius officium est Duplex, requirens vnam tantum orationem. Tandem excipiuntur Dominicæ occurrentes infra Octauas in quibus dicuntur duæ Orationes ad maiorem solemnitatem.

12 In festis simplicibus & ferijs per annum, nisi aliter in proprijs locis notetur dicuntur tres, vt in semiduplicibus aut quinque possunt etiam dici septem ad libitum,

IN festis simplicibus &c, dicuntur tres Orationes ad minus, nisi aliter notetur, vt in Ferijs hebdomadæ Passionis, in quibus duæ tantum dicuntur.

Possunt etiam diei quinque, vel septem; nam oratio Dominica septem petitionibus concluditur, & ideo sacerdores in Missa septenarium orationum numerum non excedunt. *Durandus* in rationali lib. 4. c. 15. n. 15. Debuit etiam præfigi terminus, ne in infinitum daretur progressus, vt notat Suar. disp. 83. sec. 1. & ne indiscreti Sacerdores Plures addendo tædio afficerent adstantes. Dicuntur verò Quinque in honorem quinquepartitæ Christi passionis, vel propter quinque plagas eiusdem Christi, vt ex Innocentio notant Durandus, & Suar locis sup. cit.

Primo autem loco dici debent Orationes in Rubricis assignatæ pro secunda, vel tertia: & supra illas ad libitum vsque ad septem, ex orationibus quæ habentur in Missali, non extra.

Dubitari potest verum etiam in semiduplicibus possint dici quinque vel septem. Respondendum est negatiuè: sed tres tantum, nisi ob commemorationes: quia rubrica hic aperte loquitur de simplicibus, & de Ferijs non autem de semiduplicibus Ratio est quia Orationes multiplicantur in officijs ferialibus & minuuntur in festis: officium autem festi simplicis accedit ad feriale. Secus est de festo semiduplici. Castaldus in Prax. cærem. lib. 2. sect. 6. cap. 3. n 7. Nec obstat quod in his rubricis de orationibus dicēdis in semiduplicibus non apponatur particula tantum, sicut apponitur pro duplicibus vt vna tantum dicatur, &c. Respondetur enim eam particulam quando determinatur quantitas semper subintelligi, nisi oppositum exprimatur, vt probat Megalius tom. 2 variarum res. sol. 158.

13 *In Ferijs Quatuor Temporum, & vbi plures leguntur Lectiones, huiusmodi plures Orationes dicuntur post vltimam orationem ante Epistolam, vt suis locis in Proprio Missarum de Tempore.*

PLures Orationes iuxta numerum supra explicatū in Ferijs Quatuor Temporum dicūtur ante Epistolam, quia est proprius, & consuetus earum locus: non verò ante alias lectiones, quæ in prædictis ferijs addi solent cum suis Proprijs Orationibus, & sunt partes extraordinariæ in Missa.

14 In Missis Votiuis, quando solemniter dicuntur pro re graui, vel pro publica Ecclesiæ causa, dicitur vna tantum Oratio: sed in Missa pro gratiarum actione additur alia Oratio, vt in proprio loco notatur. In alijs autem dicuntur plures, vt in festis simplicibus.

15 In Votiuis Beatæ Mariæ secunda Oratio dicitur de Officio illius diei & tertia de Spiritu Sancto: sed in Sabbato, quando de ea factum est Officium, secunda Oratio erit de Spiritu Sancto, tertia Ecclesiæ tuæ, vel pro Papa. In votiuis de Apostolis, quando ponitur Oratio A cunctis, eius loco dicitur Oratio de Sancta Maria. Concede nos

IN Missis Votiuis pro re graui, &c. quando solemniter dicuntur, dicitur vna tantum Oratio: quia, vt aliàs diximus vnitas orationis pertinet ad solemnitatem. Sed in Missa pro gratiarum actione additur alia oratio, intellige sub vna conclusione, vt supra notauimus tit. 7. dub. 4. In alijs Votiuis, siue solemnibus, siue priuatis dicuntur plures, vt in festis simplicibus: secunda tamen oratio dici debet de eode quo fit officium, vt supra in Rubrica tit. 7. num. 3. Tertia quæ secundo loco dicitur in Missa de Officio. Possunt etiam dici quinque, vel septem, vt in simplicibus.

Ex quibus colligitur in Missis Votiuis quæ

dicuntur

dicuntur infra Octauã secũda Oratio dicitur de Octaua si de ea fit Officium, tertia quæ secundo loco dicenda erat in Missa diei infra Octauam. Quod si fiat officium de Sancto semiduplici infra octauam occurrente, secunda oratio dicitur de Sancto tertia de Octaua.

In Votiuis verò Beatæ Mariæ, tertia Oratio dicitur de Spiritu Sancto ob rationem supra explicatam: quia est Sacrarium Spiritus Sancti & ex regula generali supra num. 9. In Missis B. Mariæ semper dicitur Oratio de Spiritu Sancto etiam tempore Aduentus, vel Passionis, vel tempore Paschali.

In Votiuis de Apostolis Petro, & Paulo, loco Orationis A cunctis dicitur Oratio de Sancta Maria Concede, ne fiat noua mentio eorundem Apostolorum, nec omittatur commemoratio de Beata Maria iuxta ea quæ supra declarauimus.

16 Si cùm plures dicuntur Orationes, occurrat fieri commemorationem alicuius Sancti, ea ponitur secundo loco, & tertia Oratio dicitur, quæ aliàs secundo loco dicenda erat.

17 In conclusione Orationum hic modus seruatur. Si Oratio dirigatur ad Patrem, concluditur. Per Dominum nostrum, &c. Si ad Filium. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre. Si in principio Orationis fiat mentio Filij, concluditur, Per eundem Dominum nostrum. Si in fine Orationis, eius fiat mentio. Qui tecum viuit. Si facta sit mentio Spiritus Sancti, in conclusione dicitur, In vnitate eiusdem Spiritus Sancti, &c. Alia quoque in dicendis Orationibus seruentur, quæ superius in Rubrica de Commemoationibus dicta sunt.

CIrca Rubricam n 16. nihil occurrit notatione dignum. Circa sequentem concluduntur communiter Orationes illa obsecrationẽ per Dominum nostrum &c vt firma sit spes impetrandi; iuxta illud Ioannis 16 Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis; Christus enim est vnicus mediator propter cuius merita omnia nobis donantur. Communiter ergo dirigitur Oratio ad Patrem, & concluditur per Filium: quia Pater sic mundum dilexit, vt Filium suum miserit propter nostram salutem; filius autem est mediator, & vim tribuit nostris orationibus: quamuis autem Oratio dirigatur ad Patrem, non excluduntur aliæ personæ; sed vnitas deitatis indicatur. Fulgentius lib. 2. ad Monim; Vnde in conclusione semper fit totius Trinitatis confessio. Nonnunquam etiam dirigitur Oratio ad Filium, & tunc concluditur Qui viuis, & regnas, &c. Nulla vero extat Oratio, quæ ad Spiritum sanctum dirigatur, nec vacat mysterio; quia Spiritus sanctus est donum, & à dono non petitur donũ: sed ab eo à quo procedit donum, & sic vel à Patre, vel à Filio: ex gr. cum dicimus mentibus nostris quæ sumus Domine Spritum sanctum benignus infunde, &c. Durand. lib 4 cap. 15 num. 11. Hoc autem in rigore procedit quando Spiritum sanctum petimus qui mittitur à Patre Filio, non autem à se ipso; quia non procedit à se ipso: in quo etiam casu posset Oratio dirigi ad Spiritum sanctum non vt mittat se ipsum: sed, vt venire dignetur sicut in hymno Veni Creator Spiritus. Cęterum quo ad alia dona ad extra posset quoqueOratio dirigi ad spiritum sanctum, quia operationes Dei ad extra, sunt indiuisæ totius Trinitatis; Nihilominus Ecclesia in Collectis nunquam eo modo vtitur ob prædictum Misterium diuinarum processionum.

Finita Oratione populus, seu minister nomine populi respondet, Amen, quæ vox hæbrea duo significat primo actum affirmandi, nempe vere ita est vt sepe Christus in Euangelio, amen dico vobis Secundo significat actum consensus vel desiderij, & est idem ac fiat; & in hoc sensu adhibetur in fine orationum ex Bernardo sermone 7 in Cæna Domini, ex Iustino, Hyeronimo, & alijs apud suar. disp. 83. sect 1.

SENSVS MYSTICVS.

ORationes quibus vtitur Ecclesia in Missa in sensu Tropologico sunt forma, & exemplar orationum nostrarum, in quibus Ecclesiam imitari debemus. Nam D Tho. 2. 2. q. 83 ar. 17 docet, Orationem vocalem constare quatuor partibus nempe Inuocatione, obsecratione postulatione & gratiarum actione: ex Apostolo prima ad Timot. 2. Prima pars est Inuocatio. quæ etiam retinet nomen commune orationis, qua Deum inuocamus & mente ad Deum ascendimus & ideo oratio-

nes

nes Ecclesiæ communiter incipiunt illis verbis omnipotens, & misericors Deus, & similibus Secunda Pars est Petitio, seu Postulatio, quam adhibet Ecclesia illis verbis, Concede quæsumus, Præsta quæsumus & similibus. Tertia est obsecratio, qua proponitur motiuum flectendi Deum ad concedendum quod petimus; ad quem finem sunt efficacissima Iesu Christi merita: qua ratione Ecclesia concludit suas orationes, Per Dominum nostrum Iesum Christum &c. Quarta est Gratiarum actio, quia de acceptis beneficijs gratias agentes meremur accipere potiora, & hac vtitur Ecclesia in orationibus post communionem. Quæ omnes partes, vt ait idem S. Doctor supra, attendi possunt in Collectis Missæ, & huiusmodi orationes decet nos imitari.

DVBIA CONSCIENTIAE

DVBIVM I.

Qualiter peccet Sacerdos ommittens in Missa Orationes in Rubricis præscriptas.

PRæmittendum est ex communi sententia, non peccare mortaliter Sacerdotem recitantem in Missa vnicam tantum Orationem, videlicet collectam principalem, & omittentem alias, quæ adiungi solent, vt præsertim notat Auersa de sacrificio q. ij sec. 12. versic. Quare ex alia parte. Ratio est quia sæpe in Missa dicitur vnica tantum Oratio, vt in duplicibus; ergo aliæ Collectæ non sunt partes necessariæ ad vsitatam Missæ compositionem, & integritatem, consequenter absque alijs Collectis Missa remanet simpliciter integra: quia vna tantum est necessaria, vt notat etiam Suarez disput 83. sect. 1. versic. 6. & patet ex dictis in Prœmiali, sec. 3. punc. 1. Difficultas ergo est de Sacerdote omittente omnes Orationes.

Prima sententia sustinet omittentem Collectam principalem peccare mortaliter probatur quia est Missam vna ex partibus præstantioribus, in qua colliguntur preces totius populi: ergo eius ommissio est grauis, & mortaliter peccaminosa. Ita Auersa loco citato.

Secunda sententia opposita excusat à peccato mortali eam omissionem. Probatur quia ad peccatum mor. requiritur materia grauis qualis non est vnica Collecta: communiter enim Collectæ breues esse solent.

Tertia sententia media quæ videtur praeferenda, distinguit; nam collectæ non semel dicuntur in Missa, sed ter repetuntur cum subordinatione adinuicem; nam vltra primas ante Epistolam, dicuntur aliæ secretæ, & aliæ post communionem. Docet ergo hæc sententia omittentem collectam principalem (de qua est quæstio) peccare venialiter si semel tantum omittat ob rationem secundæ sententię: quia non videtur materia grauis. Si vero Sacerdos nullam dicat, & in triplici loco omittat, videtur peccare mortaliter ob rationem primæ sententiæ.

DVBIVM II.

Quale peccatum sit inuertere ordinem Orationum.

EX. gra. si quis diceret primo loco eam Orationem, quæ vel secundo, vel vltimo loco dici deberet secundum rubricas.

Respondeo inversionem hujusmodi per se loquendo non excedere culpam venialem. Probatur; quia non inducit notabilem deformitatem, vt fusius diximus q. in Prœmiali sec 5. punc 3. Dixi per se loquendo, idest secluso scandalo, vel contemptu: Scandalum autem facilius potest euenire in Missa solemni, quam priuata.

DVBIVM III.

Quot Orationes dici debeant in Missa Conuentuali festi semiduplicis occurrentis infra hebdomadam Passionis.

RAtio dubitandi est, quia vt vidimus in hac rubrica num 5. in Missis priuatis dicitur secunda Oratio de Feria 3. Ecclesiæ, Ceterum in Missa Conuentuali non fit Commemoratio de Feria, nam alia cantari debet de ipsa feria absque commemoratione festi; secunda ergo oratio est Ecclesiæ, vel pro Papa. Quæritur ergo an sit dicenda Tertia oratio, & quæ nam sit dicenda.

Respondeo, non dici tertiam Orationem: sed duas tantum, nempe vnam de ipso Festo; secundam Ecclesiæ, Probatur quia hoc tempore minuitur numerus orationum in Missa, nec fiunt suffragia in Officio. Deinde nulla assignatur 3. Oratio pro hoc casu: non enim ad libitum, quæ hoc tempore non conceditur, nec alia præscribitur in rubricis; ergo &c.

Neque obstat quod in Missis priuatis dicantur 3. Orationes: quia hoc fit ne omittatur Oratio Ecclesiæ, vel pro Papa: quia secunda di-

ci debet de Feria Passionis: hæc autem ratio cessat in Missa Conuentuali. Videri potest Gauantus in rubricas Missalis p.1. tit.9. num.5.

Colligitur in Missa Conuentuali Festi Semiduplicis occurrentis in ferijs Quadragesimæ ante Dominicam Passionis dicendas esse tres Orationes, primam de Festo, secundam verò, & tertiam esse easdem, quæ assignantur in Missa de Feria, de qua non fit commemoratio in prædicta Missa Conuentuali: nec minuitur numerus Orationum: Gauantus in rubricas Missalis p. 4.tit.15, n.4.

DVBIVM IV.

Vtrum Orationes in Missa plus impetrent, & maioris sint efficaciæ quam extra Missam.

Respondeo affirmatiue. Probatur. Tum quia per sacrificium Offertur Deo hostia ipsi gratissima, ratione cuius doni mouetur Deus ad rependendum nobis alia dona. Tum quia sacrificium habet vim placandi Deum; Deus autem placatus facilius dona concedit: ergo Orationes sacrificio innixæ maiorem vim habent. Denique Orationes Missæ offeruntur nomine Ecclesiæ, cuius legatum sacerdos ad Deum agit in ipsa Missa; ergo efficacius impetrant, vt fusius explicabimus. In appendice 99. de sacrif. quæst.2. p 6.

DVBIVM V.

Vtrum Orationes Missæ sint infallibilis efficaciæ.

Sensus quæstionis est vtrum semper impetremus id quid petimus per sacerdotem in Missa, seu per orationes sacrificio innixas.

Respondeo, & dico primo Orationes Missæ, quæ funduntur à sacerdote quatenus est minister publicus, idest Christi, & Ecclesiæ, sunt infallibilis efficaciæ, & semper aliquod donum impetrant à Deo. Probatur quia sacrificium Missæ habet hanc proprietatem, ex vi suæ essentiæ, vt sit impetratorium ex Trid. sess.22. c. 2. ergo posita Oratione exercet infallibiliter hanc suam virtutem, & proprietatem; consequenter sequitur infallibiliter aliquis effectus. Dixi aliquis effectus; quia non semper obtinemus illud donum præcise, quod determinate petimus; sæpe enim non est expediens: nunquam tamen Oratio quæ sacrificio nititur omni fructu caret; sed in eo casu aliud donum confertur quod vtilius est. Ita Layman de sacrificio c. 1. n. 8. Conine. in 3. p. q. 83. art. 1. dub 8. n. 144. Lugo de Eucharistia disp. 19. sec. 9. n. 132 vt fusius dicemus in appendice quæst. 2. punc. 6.

Dico secundo quatenus Oratio, seu petitio procedit à proximo offerente, seu quatenus sacerdos consideratur vt persona priuata fructus Orationis non est infallibilis; sed potest multipliciter impediri; si vel ipse sacerdos non sit in statu gratiæ, vt infra dicemus, vel non petat debito modo, vt contingit in alijs de quibus Iacobus in sua Catholica c. 4 Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis. Ita DD. communiter: & nos infra fusius in appendice punc. 6. cit.

DVBIVM VI.

Vtrum Orationes celebrantis in peccato mortali sint impetratoriæ.

Respondeo & dico primo Orationes Sacerdotis, quatenus est minister publicus sunt impetratoriæ, seu quatenus fiunt nomine Ecclesiæ etiam si sacerdos sit in statu peccati mortalis. Probatur quia sub hac ratione Deus non tam respicit ministrum Orantem quam Ecclesiam, cuius nomine orat, quæ Deo gratissima est. De qua re dicemus infra in appendice quæst. 2. punc. 6.

Dico secundo quatenus sacerdos orat nomine proprio; eius Orationes non sunt impetratoriæ, sed execrabiles in casu posito. Probatur: quia & si Deus quandoque peccatores exaudiat; non tamen eos qui in ipsa oratione actu peccant; sed Sacerdos celebrans in peccato mortali in toto progressu ipsius Missæ peccat mortaliter ergo &c. Vide dicta in appendice loco cit.

DVBIVM VII.

Vtrum ad effectum impetrationis sit necessaria attentio, etiam in Collectis Missæ,

Respondeo, & dico primo, vt Oratio vocalis sit impetratoria est necessaria attentio orantis; loquimur autem de attentione interna, quæ excludit distractionem voluntariam. Probatur non potest Oratio esse impetratoria, nisi sit actus honestus, seu virtutis, & Deo gratus; Nam actus peccaminosus potius meretur pœnam, & indignationem, quam donum, & gratiam; sed Oratio sine vlla attentione cum distractione voluntaria non est actus ho-

honestus, ob irreuerentiam contra Deum: ergo &c.

Confirmatur ex D. Bonauentura lib de perfec. vitæ cap. 5. vbi ait, Valde indecens est vt quis cum Deo loquatur ore, & aliud meditetur corde; & adiungit, Talis oratio nunquam exauditur à Deo. Eodem modo loquuntur alij Patres, Ciprianus lib de Oratione; Hieronymus in Isaiam 29. & alij, quos affert Suar. de Oratione lib. 3. c. 4. et 5. et sentiunt communiter Theologi cum D. Thoma 2 2. q. 83. art. 13. Caietanus ibidem, Medina Codice de Oratione c. 14. & alij apud Suar. sup.

Dico secundo sufficit attentio virtualis, idest propositum attendendendi non retractatum per actum contrarium, vel negligentiæ, vel distractionis voluntariæ; quippe in eo proposito clauditur virtualiter attentio. Probatur quia attentio virtualis sufficit ad hoc vt oratio sit actus virtutis; ergo sufficit ad effectum impetrationis. Ita D. Thom. supra ar. 13 ad tertium Caietanus ibidem, Nauarr. de Oratione c. 13. n. 19. Suar. loco cit.

Dico tertio Sacerdos orans in Missa absque attentione interna seu cum voluntaria distractione peccat saltem venialiter; consequenter non potest quicquam impetrare quatenus orat nomine proprio. Patet ex dictis; quia illa non est vera oratio; sed actus peccaminosus. Dixi quatenus orat proprio nomine; quia quatenus orat, vt minister publicus nomine Ecclesiæ Oratio bona est, & impetratoria; quia tunc Deus non tam respicit conditionem ministri, quam Ecclesiæ, cuius nomine defertur Oratio, vt latius dicemus In appendice quæst. 2 punc. 6. De attentione autem requisita ad totius Missæ recitationem dicemus infra tit. 16.

TITVLVS X.

DE EPISTOLA, GRADVALI, ALLELVIA, ET TRACTV AC DE EVANGELIO.

1 *Post vltimam Orationem dicitur Epistola, qua finita à ministris respondetur. Deo gratias. & similiter quando leguntur plures lectiones, post singulas dicitur Deo gratias, præter quam in fine quintæ Lectionis Danielis in Sabbatis Quatuor temporum, & in fine Lectionum Feriæ sextæ in Parasceue, & Sabbati sancti.*

EXPLICATIO LITERALIS.

POst vltimam Orationem dicitur Epistola continens doctrinam Apostolorum, vel Prophetarum, quos operarios misit Deus in vineam suam, idest ad erudiendam plebem suam; Gregor. Homil. 19. in Euang. quam vt apprehendamus vtiliter, & nunquam destituamur bonis operatijs petendum est à Deo deuotis orationibus, Lucæ 10. Rogate Dominum Messis, vt mittat operarios in Messem suam: merito ergo præcedunt Orationes ante Epistolam, Durandus in Rational. lib. 4. cap 15.

Desumuntur autem Epistolæ, seu Lectiones, Tum ex veteri; tum ex nouo Testamento quia vtraque doctrina Prophetarum, & Apostolorum, & eorum qui præibant, & eorum qui sequebantur sternit, & parat viam Christo, & eius Euangelio. Mat. 11. Epistola autem est dispositio ad Euangelium. Durandus loco citato num. 19

Finita Epistola, respondetur Deo gratias: quia debemus Deo gratias agere de Doctrina, quæ nos ducit ad Christum. Est autem prædictorum verborum vsus antiquissimus, & frequens, non solum in Missa, sed etiam extra, præsertim apud monachos, vt scribit Augustinus in Psalmum 132 & desumptus videtur ex Apostolo, qui vtitur illis verbis, Deo gratias, 1. Corinth. 15. 2. Corinth cap. 2. & alibi sæpe. Non dicitur autem in fine V. Lectionis in Sabbato Quatuor Temporum, nam eam sequitur immediate laus, & gratiarum actio. Nec in fine lectionum Feriæ VI. in Parasceue, & Sabbati Sancti; quia sunt dies luctus, & ideo abstinemus à quibusdam loquendi modis Festiuioribus sicut etiam à Gloria Patri.

Hunc autem morem legendi Epistolam in Missa, antiquissimum esse, & à temporibus Apostolorum constat ex eorum Canone VI. vt etiam ex Dionisio, Iustino, & alijs suse probat Suar. disp. 83. sect 1. versic. septimo.

2 Poſt Epiſtolam dicitur Graduale; quod ſemper dicitur. Præterquam Tempore Paſchali, cuius loco tunc dicuntur duo Verſus, vt habetur in rubrica in Sabbato in Albis.

POſt Epiſtolam dicitur Graduale cum ſuo Verſu immediatè ſequenti, & indicat lamentum, & laborem ex Innocentio lib. 2. de myſterijs Miſſæ cap. 31. & Durando lib. 4. cap. 19. Epiſtola enim ſignificat doctrinam prædicationis, ex qua ſequitur in populo pœnitentia, & dolor de peccatis. Appellatur Graduale; vel quia cantabatur dum aſcendebat Diaconus gradus Pulpiti Euangelici ex Vualafrido cap. 22. vel quia per pœnitentiam paramus nobis aſcenſum ad Cœlum per gradus virtutum, iuxta illud Pſalmi 83 Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrimarum, Durandus loco citato. Tempore autem Paſchali non dicitur, quia cum indicet lamentum, & dolorem, non congruit letitiæ Paſchali, Innocentius loco ſupra citato cap. 33 ſed eius loco dicuntur duo verſus lætiores.

Dubitari poteſt cur dicatur Graduale infra Octauam Paſchæ, quæ eſt ſummæ letitiæ? non enim incipit ea mutatio, niſi à Sabbato in Albis.

Reſpondent aliqui dici Graduale propter recentes baptizatos, Ita ex Ruperto refert Gauantus in hanc rubricam. Cæterum non apparet cur Eccleſia propter recentes baptizzatos retinere velit ſignum lamentationis, & luctus, cum potius maiori gaudio repleri deceat ob nouella germina ſanctificatis. Item ipſi Baptizati à culpa, & pœna omnino liberi, non ſigna lamenti, ſed gaudij preferre debent.

Melius dici poſſet meo iudicio id fieri ad denotandum ſtatum Apoſtolorum, & Diſcipulorum tempore Reſurrectionis: non enim ſtatim ad omnes peruenit Reſurrectionis Dominicæ gaudium, ſed paulatim varijs eiuſdem Chriſti apparitionibus vſque ad Octauam Paſchæ, quando poſt dies octo ſtetit Ieſus in medio Diſcipulorum inter quos erat Thomas adhuc incredulus; & exſcluſa è cordibus omnium incredulitate, & triſtitia; vniuerſa Eccleſia perfectam, & conſummatam letitiam obtinuit, & ideo tunc tandem ceſſant gradualia, quę etiam infra Octauam Paſchæ non lugubria continent; ſed iucunda: quia Chriſtus in ſua Reſurrectione, tanquam in cauſa triſtitiam Diſcipulorum iam conuerterat in gaudium.

3 Poſt graduale dicuntur duo Alleluia deinde Verſus, & poſt verſum, vnum Alleluia. Tempore Paſchali quando non dicitur Graduale, dicitur aliud Alleluia, poſt ſecundum Verſum; & quando dicitur Sequentia non dicitur poſt vltimum verſum ſed poſt Sequentiam.

ALleluia eſt vox lætitiæ, & ſignificat, Laudate Deum. Dicitur poſt Graduale, quod ſignificat pœnitentiam, quia ex pœnitencia ſequitur iuſtificatio, & hilaritas animæ, Durandus lib. 4. cap. 20 Geminatur autem propter geminam exultationem partis ſuperioris, & inferioris. Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.

Poſt verſum iterum repetitur Alleluia: quia hic Verſus conſequens denotat operationem, quia perſeuerantes in bono, letitiam ſempiternam adipiſcimur: & ideo dicitur vnicum Alleluia, ideſt perpetuum, & æternum, Durandus ſupra num 7 Qua ratione hoc vltimum Alleluia, quando dicenda eſt Sequentia, dicitur poſt Sequentiam: quia Sequentia eſt Canticum exultationis ſignificans Beatitudinem Cœleſtem, cum qua coniungitur perpetuum Alleluia, Durandus dicto lib. 4. cap. 22.

4 A Septuageſima vſque ad Sabbatum ſanctum non dicitur Alleluia, neque dicitur in Miſſis de Feria in Aduentu, Quatuor Temporibus, & Vigilijs quæ ieiunantur, exceptis Vigilia Natiuitatis Domini, ſi venerit in Dominica, & Vigilia Paſchæ & Pentecoſtes, ac Quatuor Temporibus Pentecoſtes, Nec dicitur in feſto SS. Innocentium, niſi venerit in Dominica.

Non

5 A Septuagesima vsque ad Pascha, eius loco dicitur Tractus, qui Tractus prædicto tempore in aliquibus Ferijs non dicitur, vt suis locis ponitur: nec dicitur in Ferijs à Septuag. vsque ad Quadrages. quando repetitur Missa Dominicæ.

NOn dicitur Alleluia à Septuagesima vsque ad Sabbatum sanctum nec in Vigilijs, &c. quia est vox lætitiæ, quæ ideo non congruit diebus mæroris, & tristitiæ, cuiusmodi sunt dies prædicti, sed eius loco dicitur Tractus, qui luctum significat, & laborem a trahendo dictus, Durandus lib. 4. cap. 21. quippe Septuagesima repræsentatur tempus Babilonicæ captiuitatis, & vitæ præsentis miseria, Innocentius de mysterijs Missæ lib. 2 cap 32. Durandus supra, & ideo Cantica lætitiæ subicentur, & Tractus dicuntur.

6 Dicto Graduali, seu Alleluia, seu Tractu, dicitur Euangelium. Et in principio Euangelij dicitur, Dominus vobiscum; ℟. Et cum spiritu tuo. deinde, Sequentia sancti Euangelij secundum N. ℟. Gloria tibi Domine. In fine Euangelij á ministro respondetur, Laus tibi Christe, quod etiam dicitur in fine illius partis Passionis, quæ legitur in tono Euangelij præterquam in Parasceue. Posteà si dicendum est, dicitur Credo.

POst Epistolam cum suis versibus sequitur Euangelium, tanquam forma nobilissima suam præuiam dispositionem; quia doctrina Prophetarum, & Io: Baptistæ, quæ per epistolam significatur, vt supra dicebamus est dispositio ad promulgationem Euangelij. Est autem mos Antiquissimus à temporibus Apostolorum legendi Euangelium in Missa, vt constat ex concilio Laodicensi, & ex Hieronymo aduersus Vigilantium, Augustino serm. 144. de Tempore, & alijs Patribus, quos affert Suar. disput. 83. sect. 1. versic nono.

Euangelium est vox græca, latinè sonans bonum nuntium, Isidorus libro 1. cap. 9. bonum enim continet nuntium, nempe verba vitæ æternæ, & regni Dei, & sapientiam sapientiæ, Innocentius lib. 2. cap. 47. In principio Euangelij dicitur Dominus vobiscum, vt populus fiat attentus, & ipsum Dominum loquentem audire cogitet; Et id ipsum augurat populus legenti Euangelium, Respondens, & cum spiritu tuo Rupertus lib. 1. cap. 36. Deinde Sequentia S. Euangelij, vt idem populus fiat docilis, vt docet idem Rupertus loco citato, scilicet ne vile aliquid patet, quale consueuit cogitare cum verba humana solet audire; sed aures cordis pariter, & corporis erigat ad verba sancti Euangelij prorsus diuina. Sequentia, id est ea quæ sequuntur in textu Euangelico. Durandus lib 4. cap. 24. Respondet Populus, seu minister nomine totius populi, Gloria tibi Domine, glorificans Deum, & gratias agens, quia mittit verbum salutis, Rupertus supra lib. 1. cap. 36. In fine respondetur Laus tibi Christe; quia pariter ipsum Christum glorificare debemus ob cœlestem doctrinam, qua nos dignatur instruere. Hæc tamen laus sileatur in Parasceue; quia hæc dies fuit Christo tempus improperij non laudis.

SENSVS MISTICVS.

EPistola vt alias diximus, mystice significat prædicationem Ioannis Baptistæ, quæ præcessit Euangelium. Graduale denotat pœnitentiam populi ex prædicatione compuncti. Subsequens Alleluia significat hilaritatem animæ, quæ nascitur ex poenitentia, veluti rosa ex spinis. Euangelium denique repræsentat prædicationem Christi, vt patet ex dictis in explicatione literæ.

DVBIA CONSCIENTIAE.

DVBIVM I.

Qualiter peccet Sacerdos omitens in Missa Epistolam, aut Euangelium.

PRocedit, autem quæstio posita sufficienti aduertentia, & necessaria deliberatione; nam certum est inaduertentiam inuincibilem excusare à peccato quod semper supponimus.

Res-

Reſpondeo eum peccare mortaliter ex communi DD. ſententia: quia Epiſtola eſt pars notabilis Miſſæ, & à fortiori Euangelium: ergo vtriuſuis omiſſio eſt peccatum mortale, vt explicauimus quæſt.4. Proemiali ſect.3. punct.2.

DVBIVM II.

Vtrum peccet mortaliter Sacerdos recitans in Miſſa aliam Epiſtolam vel Euangelium diuerſum ab eo quod aſſignatur in Miſſali.

Reſpondeo, & dico primo, ſi mutatio non inducat perturbationem, aut deformitatem notabilem, non excedit culpam venialem ex.gr. Si legatur alia Epiſtola non improportionata feſto de quo dicitur Miſſa, ſcilicet ex eodem Communi. Probatur quia eſt transgreſsio Rubricæ in re leui.

Dico ſecundò; ſi perturbatio, aut deformitas ſit notabilis, mutatio quoque erit grauis, & mortaliter peccaminoſa, ex gr. ſi in Miſſa de Paſsione dicatur Euangelium Paſchatis; quia ſit transgreſsio precepti in re graui, vt fuſius explicauimus quæſt. Proem. ſect.5.punct. 1. vbi adduximus rationes, & DD.

DVBIVM III.

Quale peccatum ſit recitare in Miſſa Epiſtolam, vel Euangelium extra proprium locum.

Reſpondeo inuerſionem prædictam ordinis debiti inter huiuſmodi partes Miſſæ eſſe peccatum mortale, vt ſi Epiſtola dicatur poſt Euangelium, &c. quia transpoſitio huiuſmodi eſt peior omiſsione, vt aliàs probauimus quæſt.4. Proemiali ſect.2. punct.3.

TITVLVS XI.

DE SYMBOLO.

SYMBOLVM dicitur poſt Euangelium in omnibus Dominicis per annum, etiam ſi in illis fiat de Feſto in quo aliàs non diceretur, vel Dominica vacet. In tribus Miſſis de Natiuitate Domini, & deinceps vſque ad Octauam Beati Ioannis Apoſtoli incluſiuè. In Epiphania, & per Octauam. Feria quinta in Cœna Domini. In Paſchate Reſurrectionis, & per Octauam. In Aſcenſione Domini, & per Octauam: In Pentecoſte, & per Octauam. In feſto Corporis Chriſti, & per Octauam. In omnibus feſtis Beatæ Mariæ, & per Octauas. In feſtis duodecim Apoſtolorum, & Euangeliſtarum, & per Octauas. In vtraque Cathedra Sancti Petri, & in feſto Sancti Petri ad Vincula. In feſtis Conuerſionis, & Commemorationis Sancti Pauli Apoſtoli. In feſto Sancti Ioannis ante portam Latinam. In feſto Sancti Barnabæ Apoſtoli. In feſtis Inuentionis, & Exaltationis Sanctę Crucis. In Trasfiguratione Domini. In feſtis Angelorum. In feſto ſanctæ Mariæ Magdalenæ. In feſtis quatuor Doctorum, videlicet, Gregorij, Ambroſij, Auguſtini, & Hieronymi, addito feſto Sancti Thomæ de Aquino, & Sancti Bonauenturæ. Item in feſtis Doctorum Athanaſij, Baſilij, Gregorij Nanzianzeni, & Ioannis Chryſoſtomi. In die Octauarum Sancti Ioannis Baptiſtę, & Sancti Laurentij. In feſto omnium Sanctorum, & per Octauam. In Dedicationibus Sancti Saluatoris, & Sanctorum Apoſtolo-

rum

rum Petri, & Pauli. In Anniuerſario Dedicationis propræ Eccleſiæ, vel Altaris. In feſtis Sanctorum quibus dedicata eſt Eccleſia, & vbi habetur corpus, vel inſignis Reliquia Sancti, de quo agitur. In die Creationis, & Coronationis ſummi Ponificis, & in Anniuerſatio eiuſdem diei, In die, & anniuerſario electionis Epiſcopi. Item in omnibus feſtis, quæ in Dominicis, & infra Octauas celebrantur: in quibus ratione Dominicæ, & Octauę dici debet. Item in feſto Patroni alicuius loci, vel Tituli Eccleſię, (non autem alicuius Cappellæ, vel Altaris) & in Feſtis Principalibus Ordinum, & per eorum Octauas, in Eccleſijs tantum illius Ordinis. Item dicitur Credo in Miſsis Votiuis, quæ ſolemniter pro re graui, vt pro publica Eccleſiæ cauſa celebrantur, etiam ſi dicantur cum paramentis violaceis in Dominica.

EXPLICATIO LITERALIS.

Lecto Euangelio mox dicitur ſymbolum, ſeu Credo: quia promulgatio Euangelij, parit fidem, in corde, & eius confeſſionem in ore, Durandus lib 4. cap. 25., Vt ergo diſcamus ſacri verba Euangelij, & corde eſſe credenda, & ore confitenda, Eccleſia adnectit ſymbolum Euangelio vt ex Ambroſio & Auguſ. notat Suar. diſp. 83. ſec. 1. § 10. & docet Strabo cap. 22. cum Durando ſupra. Eſt autem Symbolum vox græca, quæ latinè ſonat ſignum & collectionem, Iſidorus l. 2. de diuinis officijs cap. 22. ſic ergo appellatur Credo primo quia eſt ſignum, & regula fidei. Secundo quia eſt collectio articulorum fidei ex doctrina, & ſententia ſingulorum Apoſtolorum, qui ſunt primi auctores ſymboli Hodie tamen recitamus in Miſſa non ſymbolum Apoſtolorum, quod initio Eccleſiæ dicebatur in Miſſa, neque ſymbolum Nicenum, quod aliquando etiam in Miſſa recitatum fuit; ſed Coſtantinopolitanum, vt infra explicabimus in dubijs conſcientiæ. Vide Suar ſec. 1. citata.

In quibus vero Miſſis debeat ſymbolum recitari exactiſſimè explicatur in hac rubrica, quo ad ſingulas Miſſas in particulari: non per regulas generales. Nihilominus ex rationibus, quas auctores aſſignant poſſunt colligi nonnullæ regulæ huius ritus; quas breuiter hic adnotabimus.

Prima ratio aſſignatur ab Innocentio de myſterijs Miſſæ lib 2. cap 51. D Thoma 3. pq 83. ar. 4. Durand. l. 4. c. 25. & alijs communiter Recitari ſymbolum in ijs ſolemnitatibus de quibus fit aliqua mentio in ipſo ſymbolo. Et hæc eſt prima regula dicendi ſymbolum in Miſſa. Ex qua deducitur dicendum eſſe in omnibus Dominicis per annum: quia dies Domini dedicati ſunt in memoriam Reſurrectionis Chriſti Domini, & cultum ſanctiſſimæ Trinitatis, de quibus myſterijs. vt patet fit mentio in ſymbolo, item in omnibus feſtis Chriſti Domini: quia & ſi non fiat in eo mentio de quolibet myſterio in particulari ex. g. de transfiguratione, quia tamen eſt feſtum ipſius Chriſti, de quo principaliter fit mentio in ſymbolo: ideo &c. Ob eandem rationem dicitur in omnibus feſtis Beatæ Mariæ, & ſimiliter SS. Angelorum, qui recenſentur ſub nomine inuiſibilium: nec obſtat, quod fiat mentio creationis eorum; quia electi quos in Miſſis colimus poſt breuem morulam gloriam adepti fuerunt. Item in die Conſecrationis, vel dedicationis Eccleſiæ propter articulum ſanctam Eccleſiam catholicam &c.

Opponi poſſet huic regulæ quia hac ratione dici deberet Credo in feſto S. Ioannis Baptiſtæ Prophetæ: quia in ſymbolo fit mentio Prophetarum; ſed potiori ratione omittitur quia Ioã Baptiſta figurat Legem Veterem: Item conſumauit curſum ante promulgationem Euangelij, & inſtitutionem ſymboli. vt in ſimili docet Durandus l. 7, cap. 14. n. 8. Tandem dicitur in Miſſis Votiuis pro re graui, vel publica Eccleſiæ cauſa propter articulum communionis ſanctorum; ea enim præſertim occaſione ſolent conuenire fideles,, vt ſimul orent, et ad inuicem ſibi opem ferant.

Secunda ratio, et regula eſt D.Tho. loco citato, Durandi loco citato, Micrologi, et aliorum cõmuniter dici Symbolum in feſtis illorum SS. qui vel primò illud compoſuerunt, vel egregie propagarunt fidem in eo contentam prædicatione, et doctrina; Vnde patet cur dicatur ſymbolum in feſtis duodecim Apoſtolorum, et Euangeliſtarum, et ſancti Barnabæ. Item in feſto S.Mariæ Magdalenæ, quæ ex Innocentio loco ſupra citato fuit Apoſtolorum Apoſtola. Reducuntur etiam ad Feſtiuitates Apoſtolorum

rum solemnitates, quæ fiunt in Creatione, & Coronatione, summi Pontificis, et in Consecratione Episcoporum qui sunt successores Apostolorum, Burcardus cum alijs. Tandem hac etiam ratione dicitur in festis insigniorum DD qui in Rubrica enumerantur.

Tertia ratio, et simul tertia regula est Alexandri Alensis quest. 10. de Sacramento Eucharestiæ §. 9. dici Symbolum in festis illorum sanctorum, qui ob excellentiam anctoritatis, vel ob ius speciale in aliquam Ecclesiam hoc honore dignantur. Qua ratione dicitur in Festo Patroni, & Titularis Ecclesiæ. Item in Festo illius de quo habetur insignis Reliquia, et tandem in Festis principalibus Ordinum.

Ex quibus paret responsio ad dubium quod mouet idem Alensis supra, Cur non dicatur Symbolum in festo S. Laurentij, nec aliorum Martyrum, nec Confessorum, Aut Virginum? Respondetur enim non dici quia de Prædictis neque fit mentio in Symbolo; nec locum habent in eis aliæ regulæ explicatæ; quamuis in festo S. Stephani dicatur ratione festi Natiuitatis Domini.

SENSVS MISTICVS.

Recitatione symboli in sensu morali, Ecclesia hortatur suos fideles ad catholicæ fidei Confessionem, & hæresum detestationem, vt patet ex dictis in explicatione literali.

DVBIA CONSCIENTIAE.

DVBIVM I.

De triplici Symbolo, videlicet Apostolorum, Niceno, & Constantinopolitano, deque eorum vsu in Missa.

PRæmittendum est primo, initio Ecclesiæ solitum fuisse cantari in Missa Symbolum Apostolorum ex eorundem Apostolorum institutione, vt constat ex Dionisio Areopagita de Ecclesiastica hierarchia cap. 3. & habetur in Liturgia S. Petri, vt notat Stephanus Durantus de Ritibus Ecclesiæ lib. 2. cap. 24 num. 14. Deinde Sanctus Marcus Papa successor Syluestri, iussit decantari in Missa Symbolum Nicenum in detestationem heresis Arianorum, vt ex Bernone de officio Missæ cap. 25. & alijs probat Durandus supra. Tandem S. Damasus Papa ad confutandã hæresim Græcorum Orientalium circa Processionem Spiritus sancti decreuit, vt in Missa recitaretur Symbolum Constantinopolitanum, vt testatur Rupertus de diuinis Officijs lib. 2. cap. 21. apud Durantum supra Quamuis aliqui velint hoc Symbolum quod Damasus recitari præcepit, & dicitur hodie in Missa, non esse purum Constantinopolitanum; sed addita fuisse duo illa verba Filioque procedit, quæ omissa fuerant in predicto Concilio, & apposita fuisse in Concilio Romano, quod eodem tempore Damasus Papa congregauit. Cæterum Symbolum Constantinopolitanum scriptum fuit cum eo addito à Gregorio Nisseno, & ita approbatum in eodem Constantinopolitano in Concilio vt testatur Nicesorus libro 12. cap. 13. & videri potest Baron. anno 381. & ideo merito Symbolum quod in presenti dicimus in Missa absolute appellatur Constantinopolitanum.

Secundo præmittenda est forma Symboli Niceni, vt appareat discrimen inter prædicta Symbola; siquidem Apostolorum Symbolum omnes norunt, & pariter Constantinopolitanum, quod in Missali Romano habetur. Nicena ergo synodus aliquanto post Apostolorum Symbolum in confutationem hæresis Arianæ aliud edidit in hæc verba. Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem omnium visibilium, et inuisibilium Creatorem: et in vnum Dominum Iesum Christum filium Dei, natum ex Patre vnigenitum, hoc est ex substantia Patris Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, Genitum non factum, consubstantialem Patri per quem omnia facta sunt, et quæ in Cœlo, et quę in terra sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit, et incarnatus est, et homo factus est; passus est, resurrexit tertia Die, Ascendit Ad Cœlos: inde venturus est iudicare viuos, et mortuos, et in Spiritum sanctum.

Ex quibus apparet in prædicto Symbolo in confutationem hæresis Arianæ addita fuisse a Concilio Niceno post Symbolum Apostolorum ea verba Natum ex Patre: Item ex substantia Patris; Deum Verum de Deo vero, Genitum non factum etc. Post hæresim Arij excitata fuit in Oriente heresis Grecorum, negantium Processionem Spiritus sancti a Filio; in confutationem cuius erroris compositum fuit symbolum Constantinopolitanum in quo expresse declaratur. Qui ex Patre Filioque procedit. His positis queritur, quale discrimen sit inter prædicta symbola, et an quodlibet illorum possit dici in Missa.

Respondeo, et dico primo. Prædicta symbola non differre nisi penes explicitum, et implicitum, Probatur quia eadem veritas singulorum articulorum continetur in omnibus: sed ad maiorem explicationem eiusdem veritatis addita sunt aliqua verba imperfectioribus symbolis modo supra explicato, Semper enim

enim in Ecclesia Catholica vnica fides inuariabiliter perseuerauit, contra quam portæ Inferi præualere non possunt. Videri potest latius Stephanus Durantus loco supra citato.

Dico secundo, posita institutione Ecclesiæ orta ex Damaso PP. recitandi in Missa symbolum Constantinopolitanum non licet variare, neque aliud symbolum recitare in Missa. Patet quia non licet ab Ecclesia institutis recedere.

Confirmatur quia posito precepto Pij V. recitandi Missam iuxta ritum, & normam præscriptam in Missali Rom. sine dubio peccat qui recedit ab eo ritu: ergo peccat qui recitat in Missa aliud symbolum: si quidem in Missali præscribitur dicendum symbolum Constantinopolitanum.

Colligitur excusari tamen posse à pecc. mor. sacerdotem recitantem in Missa symbolum Apostolorum secluso prauo fine: quia variatio videtur modica, & accidentalis. Cæterum ratione scandali, vel contemptus esset peccatum mortale.

DVBIVM II.

Vtrum in festis primæ classis debeat semper dici Credo in Missa, & quid de alijs Classibus.

RESpondeo, & dico primo, solemnitatem primæ Classis non esse regulam certam dicendi symbolum in Missa. Probatur quia festum S. Ioannis Baptistæ est primæ Classis, & nihilominus non dicitur symbolum. Nec item in Missa Sabbati sancti, cuius officium est primæ Classis.

Confirmatur quia in Rubricis non habetur hæc regula. Nec enim ratione præcisa solemnitatis dicitur symbolum: sed ob rationes supra explicatas in litera. & quamuis ob primam rationem dici deberet in Missa Sabbati sancti, quæ est de Resurrectione Domini cuius fit mentio in symbolo: nihilominus omittitur: quia Apostoli nondum credebant hoc mysterium.

Colligitur primo nec esse regulam certam dicendi symbolum in Missa, solemnitatem secundæ Classis, & multò minus solemnitatem inferioris ordinis, vt patet in festo S. Laurentij, quod est secundæ Classis, & in multis Duplicibus non dicitur.

Colligitur secundo regulam dicendi Credo in Missa esse triplicem supra traditam in explicatione literali, & insuper fere semper in missali notatur in proprijs Missis quando dicendum est; consequenter quando in Missali minime notatur, dici non debet.

Dico secundo. In festis primæ, & secundæ Classis dicitur nihilominus, Credo in Missa communiter loquendo: quia communiter locum habent in eis rationes, & regulæ supradictæ Excipi tamen debent à festis primæ Classis Missa Sabbati sancti, & Missa S. Io: Baptistæ; & à festis secundæ Classis festum S. Laurentij, ex ijs quæ notantur in Kalendario Quoad reliqua recurrendum est ad Rubricas.

DVBIVM III.

Quæ sit Reliquia Insignis ratione cuius potest dici Credo in Missa festiua alicuius Sancti.

IN Ecclesia, in qua habetur insignis reliquia alicuius sancti, potest de ea fieri Officium duplex, vt alibi adnotauimus, & in Missa dici debet Credo secùdum hanc nostram rubricam: Ideo quærimus quænam sit censenda Reliquia Insignis.

Respondeo, Reliquias insignes esse caput, Brachium, Crus, aut illam partem Corporis in qua passus est Martir, modo sit integra, & non parua, & legitime ab Ordinarijs approbata. Ita habetur in decretis sacræ Rituum Congregationis, additis initio Breuiarij Romani recogniti auctoritate Vrbani Octaui, quæ idem Vrbanus seruari præcepit.

Colligitur primo non esse Reliquiam Insignem manum, vel pedem, vel quodlibet aliud frustum, vt patet ex Decreto prædicto, & docet Castaldus in praxi Cerem. lib. 2. sect. 8. cap. 4. in fine. Vtrum vero ex pluribus frustis reliquiarum possit componi vna integra ad hunc effectum, explicauimus supra tit. primo dub. 4.

DVBIVM IV.

Qualiter peccet Sacerdos recitans symbolum in Missa vel omittens contra rubricas.

RESpondeo breuiter idem omnino hic esse dicendum ac diximus de Gloria in Excelsis supra tit. 8. dubio 3. est enim eadem ratio vt patet ex ibi dictis.

TITVLVS XII.

DE OFFERTORIO SECRETIS, PRÆFATIONIBVS, ET CANONE,

1 Post symbolum, vel si non sit dicendum, post Euangelium, dicitur Dominus vobiscum, Oremus. Deinde Offertorium postea fit oblatio cum Orationibus, vt in ordine Missæ. Qua oblatione facta, dicuntur Orationes secretæ secundum numerum Orationum, quæ clara voce in principio dictæ sunt: sed ante primam Orationem non dicitur, Dominus vobiscum, nec aliquid aliud; sed dicto, Suscipiat Dominus sacrificium, absolute dicantur, neque etiam ante secundam orationem dicitur. Oremus. Terminatur autem prima, & vltima Oratio, vt dictum est supra in Rubrica de Orationibus; & secreto dicuntur vsque ad illa verba in conclusione, Per omnia sæcula sæculorum, quæ clara voce proferuntur, & incipitur Præfatio.

EXPLICATIO LITERALIS.

EA quæ dicuntur in Missa vsque ad symbolum inclusiue pertinent ad primam partem, quæ dicitur Missa Cathecumenorum. Post symbolum verò incipit ab Offertorio Missa Fidelium, quæ ita appellatur (vt aliàs adnotauimus) quia huic parti assistere permittebantur tantum illi, qui fidem per baptismum professi fuerant, vt ex Augustino, Cirillo, & alijs Patribus notat Suarez disp. 83. sec. 1. videlicet ob mysteria magis recondita, & subli miora, quæ continet, & magis propria Christi fidelibus, vt docet Basilius lib. de Spiritu sancto c. 27.

Nomen autem Offertorij in ampliori significatione complecti videtur ea omnia, quæ dicuntur post symbolum vsque ad Orationes Secretas exclusiuè: quod colligitur ex verbis huius tituli qui sic inscribitur De Offertorio, Secretis, &c; Ergo ea de quibus agitur in hac rubrica diuiduntur in Offertorium, Secretas, Præfationes &c, consequenter Offertorium complectitur ea, quæ dicuntur vsque ad Secretas, de quibus agitur in eadem Rubrica. Strictius autem Offertorium appellatur Versiculus, qui dicitur ante oblationem, de quo inferius dicemus.

Post symbolum ergo Sacerdos salutat populum dicens Dominus Vobiscum: deinde inuitat populum ad orandum dicens Oremus: qua inuitatione satis indicat Introitum ad aliam partem Missæ sublimiorem, & sacratiorem; consequenter opus esse feruentiori oratione. Amalarius l. 3. c. 19. In primis verò orare debent assistentes Missæ, vt sacrificium sit Deo acceptabile, prout notat Innocentius l. 2. c. 53. & alij expositores communiter apud Suar. & hoc ipsum Sacerdos principaliter exequitur in forma Oblationis tum Panis, tum Vini, & Orationibus adnexis. Monet etiam sacerdos fideles adstantes ad se redire, & seipsos in holocaustum Deo offerre. Durandus l. 4. c. 27.

Secundo dicitur Offertorium, seu Versiculus, qui in Missa solemni cantatur in Choro; nam eo tempore sacerdos suscipit oblationes populi, si quæ faciendæ sunt: & ideo versiculus ille appellatus est Offertorium in propria significatione, vt testatur Innocentius c. cit. 53. Rabanus l. 2. c. 33. cum communi. Est autem antiquissima hæc consuetudo offerendi aliquid in Missa, vt ex multis Decretis Conciliorum, & ex Patribus probat Suarez disp. 83. sec. 1.

Tertiò sacerdos offert Panem, & calicem sub prescripta forma verborum in ordine Missæ, Orans, & petens vt eadem sua & totius populi oblatio Deo sit placita, & ad salutem proficiat. Hæc autem oblatio Panis, & vini, quæ tunc fit à sacerdote, non est sacrificium, sed quædam dedicatio materiæ sacrificandæ per futuram consecrationem, ad quam omnia, quæ tunc dicuntur referenda sunt vt cum alijs

expli-

explicat. Suar. citata diſp. 83. ſec. 1. §. circa alteram partem.

Quarto oblatione facta dicuntur Orationes ſecretæ ſecundum numerum &c. Quare autem dicantur ſecretò, infra explicabimus in ſenſu myſtico; ſed cur dici debeant ſecundum numerum Orationum, quæ in principio dictæ ſunt, ratio eſt manifeſta: quia illis correſpondent quoad varias commemorationes; & in eundem finē diriguntur Radulphus propoſ. 23. Ante primam Orationem non dicitur Dominus Vobiſcum; quia illud dixit ſacerdos ante Offertorium, & huc etiam refertur; & ob eandem rationem non dicitur Oremus. Tum quia pariter dictum eſt ante offertorium; Tum quia proxime dixit ſacerdos æquiualens; nempe Orate fratres. Terminatur prima, & vltima Oratio &c. ob eaſdem rationes alibi explicatas tit. de Orationibus; & dicuntur ſecretæ vſque ad, Per omnia ſecula ſeculorum. Hæc autem vltima verba clara voce proferuntur; quia Chriſtus in fine ſolitudinis, & ſilentij quando occultè manſit in Ephrem paſſioni vicinus palam deinde apparuit, & ſolemnem habuit ingreſſum in Ieruſalem, Durandus in rationali l. 4. c. 32. num. 11. vnde illa verba, Per omnia ſecula ſeculorum ſimul ſunt finis Orationum, quæ ſecreto dicuntur, & principium Præfationis, in qua repreſentatur acclamatio puerorum in ingreſſu prædicto in Ieruſalem, vt docet Innocentius l. 2. de myſterijs Miſſæ c. 61. Durandus loco citato cum alijs: & colligitur ex verbis huius rubricæ, quæ ita habent clara voce proferuntur, & incipitur Præfatio.

2 Præfationes autem dicuntur vt in Ordine Miſſæ annotatum eſt. & quæ in Quadrageſima, tempore Paſſionis, & Paſchali, & infra Octauas propriæ aſſignantur, dicuntur etiam in Dominicis & Feſtis, quæ illis temporibus celebrantur: niſi illa feſta propriam præfationem habeant.

3 *Si intra Octauam alicuius feſti*, quod habet Præfationem propriam, occurrat feſtum ex maioribus non habens propriam Præfationem, dicitur Præfatio de octaua, quamuis de ea nulla fiat commemoratio in Miſſa.

4 In Miſſis votiuis dicitur etiam Præfatio propria, ſi propriam habeant; ſi verò non habuerint, dicitur Præfatio de tempore, vel Octaua, infra quam contigerit huiuſmodi Miſſas celebrari: alioquin Præfatio communis. Et quando aliqua Miſſa Votiua pro cauſa publica ſolemniter celebratur dicitur in cantu ſolemni, vt in Duplicibus. In Miſſis defunctorum quocumque tempore ſemper dicitur Præfatio communis.

Præfatio vocatur ea laus, & deprecatio, quæ dicitur immediate ante Canonem: eſt enim quædam prælocutio, & præparatio ad S. Canonem; præloquitur enim ſacerdos Dei laudes, vt melius ad conſecrandum, & conficiendum Corpus Chriſti valeat peruenire. Durand. l. 4. c. 33. n. 3. Ordinatur etiam Præfatio ad præparandas adſtantium mentes ad ſacrificium, vt patet ex illis verbis Surſum corda. Quibus dum plebs reſpondet, Habemus ad Dominum, admonetur nihil aliud ſe, quam Dominum cogitare debere, vt ex Cypriano notat D. Thō. 3. p. q. 83. art. 4. ad 5.

Numerantur autem præter Communem præfationem, nouem ſpeciales à Pelagio Papa Ep. 2. relata in cap. Inuenimus de conſecrat. diſ. 1. ſcilicet Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Natiuitatis, Epifaniæ, de Apoſtolis, de Trinitate, de Cruce, & de Quadrageſima; Decimam verò de B. Virgine addidiſſe fertur Vrbanus Secundus in Concilio Placentiæ celebrato ex Gratiano diſt. 70.

His poſitis, præcipit hic Rubrica, vt Præfationes, quæ in Quadrageſima, & infra Octauas, &c. propriæ aſſignantur, dicantur etiam in Dominicis, & Feſtis: congruunt enim etiam feſtis ratione temporis, quo celebrantur. Radulphus propoſ. 23. niſi propriam habeant, quæ meritò præferri debet. Ex hac tamen Regula excipiendum eſt Feſtum S. Io. Euangeliſtæ in quo dicitur Præfatio de Natiuitate; ſiquidem eſt quid acceſſorium feſto ſolemniſſimo Natiuitatis, & eadem ratione dicitur etiam in die Octaua, S. Stephani. Excipitur etiam Miſſa de feria priuilegiata, vt Litaniarum maiorum in feſto S. Marci, vt in propria Rubrica prædictæ Feriæ, & ſimiliter Miſſa Feriæ quatuor Temporum occurrens in Octaua Natiuitatis,

B.V. in quibus dicitur Præfatio Communis ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis die 12. Decembris 1626. & etiam Missa Vigiliæ S. Io: Baptistæ vel Apostolorum infra Octauam Corporis Christi. Ratio est; quia prædictæ Missæ sunt feriales, & feriæ quibus assignantur sunt afflictionis, & pœnitentiæ, quibus non congruit solemnitas aliarum præfationum Festiuarum, hactenus de rubrica num. 2.

Numero tertio additur, vt si infra Octauam Alicuius festi habentis Præfationem propriam occurrat Festum ex maioribus non habens propriam Præfationem dicatur Præfatio de Octaua. Et idem seruandum est in Missis Votiuis, vt habetur num 4. Tandem additur eodem num. 4. vt in Missis Defunctorum semper dicatur Præfatio communis: quia aliæ festiuæ, & magis solemnes illis non aptantur.

Dubitari potest, si infra Octauam Natiuitatis Christi occurrat celebrari Missam Votiuam habentē propriam Præfationem, vt de Spiritu sancto vel de B. Virgine, vtrum dici debeat Præfatio propria, vel potius de Natiuitate. Respondetur dicendam esse Præfationem de Natiuitate, vt colligitur à fortiori ex supradictis de festo S. Io: Euangelistæ.

5 Post Præfationem incipitur Canon Missæ secretó in quo seruentur omnia vt in Ordine Missæ. Vbi verò infra actionem, Communicantes, & Hanc igitur, vel alia variari contingit, suo loco in proprijs Missis adnotatur.

De Canone fusius est à nobis agendum in secunda parte Tit. 8. & sequentibus, hic pauca adnotabimus. Primo quoad nomen; hæc enim pars Missæ, quæ alijs est excellentior, & sacratior appellatur Canon idest regula: si quidem in ea continetur regula, seu modus, & ordo conficiendi sacrificium, & sacramentum cum forma vtriusque consecrationis. Hac voce vsus est D. Gregorius lib. 2. Epist. 16. cum ait, mox post Canonem Orationem Dominicam dici statuistis. Item Isidorus lib. 1. de diuinis officijs Ordinem Missæ appellat. Vocatur etiam Actio sacra a Strabone cap. 22. de rebus Eccles. quia in ea sacrificium conficitur: Vide plura apud Suar. in 3. par. tom. 3. disp. 83. sect. 2.

Secundo quoad dignitatem, & excellentiam Canonis, breuiter notandum id, quod docet Conc. Trid. sess 22, cap. 4. & Can. 6. Canonem Missæ constare ex Christi verbis, Apostolorum traditionibus, & sanctorum Pontificum pijs institutionibus, nihilque in eo esse quod non maxime sanctitatem, ac pietatem redoleat. His positis.

Monet hic primo rubrica, vt Canon secreto dicatur, & in eo seruentur omnia, quæ prescribuntur in Ordine Missæ. Secundo interdum contingere intra Actionem (idest intra Canonem, qui sacra actio appellatur vt supra) variari Communicantes, & *Hanc igitur* idest in summis festiuitatibus, vt in proprijs Missis adnotatur. Interponuntur enim nonnulla verba ad maiorem expressionem, & venerationem mysterij, quod recolitur Micrologus cap. 12.

Dubitari hic potest, vtrum si intra Octauas festorū, quæ propriam habent Orationem prædictam Communicantes, & etiam Præfationem propriam, si in quam contingat aliud festum, quod diuersam habeat Præfationem, quæritur vtrum dici debeat nihilominus Communicantes de Octaua E. g. si infra Octauam Ascensionis occurrat festum SS. Philippi, Iacobi, in quo dicitur Præfatio de Apostolis, quæritur an dici debeat Communicantes de Ascensione; Respondetur affirmatiue: quia assignatur pro illa Octaua, nec est vlla necessaria connexio inter Præfationem, & Communicantes: vnde quamuis omittatur Præfatio de Ascensione, nō sequitur omitti debere Communicantes de eadem Ascensione, quod modo est certum ex decreto S. Rit. Congregationis die 28 Aug. 1627.

SENSVS MISTICVS.

Offertorium cum oblatione panis, & vini quæ fit in præparationem sacrificij; significat dispositionem, & promptam voluntatem Christi Domini erga sacrificium Crucis. Orationes secretæ denotant silentium eiusdem Christi appropinquante iam Pasione, quia non Palam ambulabat Innocentius de Myster. Missæ lib. 2. cap. 54. Suar. disput. 83. sect. 1. §. circa alterum Præfatio repræsentat solemnem ingressum ipsiusmet Christi in Hierusalem, acclamantibus pueris. Denique Canon cum signis Crucis sæpius repetitis figurat progressum totius passionis Redemptoris, vt dicemus in appendice qu est. 1. punct. 2.

Dubia Conscientiæ circa hunc titulum, & sequentem commodius explicabimus infra par. 2. tit. 8. & sequentibus, vbi de ijsdem Missæ partibus iterum redibit sermo.

TI-

TITVLVS XIII.

De Communione, Orationibus poſt Communionem, Ite miſſa eſt, vel Benedicamus Domino, de Benedictione, & Euangelio Sancti Ioannis.

1 Expleto Canone, & alijs omnibus vſque ad Communionem, ea peracta dicitur Communio, & Orationes poſt Communionem, eodem modo, & ordine vt in principio Miſſæ: & repetito Dominus vobiſcum, dicitur Ite miſſa eſt, vel benedicamus Domino, pro temporis ratione. Ite miſſa eſt dicitur quandocunque dictum eſt Gloria in excelſis. Cùm non dicitur, eius loco dicitur, Benedicamus Domino ℞. Deo gratias. In Miſſis defunctorum dicitur, Requieſcant in pace. ℞. Amen.

EXPLICATIO LITERALIS.

EXpleto Canone, & alijs vſque ad ſumptionem Sacramenti dicitur Communio, ideſt verſiculus, qui ita appellatur quia peracta cõmunione quę fit à Celebrante ſoliti erant fideles etiam ipſi communicare: & interim cantabatur aliqua Antiphona cum Pſalmo 33. Benedicam Dominum &c. vt conſtat ex Clemente lib. 8. cap. 13. Hinc poſtea ſolum retentum conſuetudine eſt, vt aliquis, verſiculus eo tempore in Miſſa recitetur, qui dicitur Communio. Vide Suar. de Sacram, diſp. 83 ſect. 1.

Sequuntur Orationes poſt Communionem eodem ordine, vt in principio Miſſæ: quia ſunt eiuſdem rationis, & proportionem habent ad inuicem, vt ſupra etiam dicebamus de Secretis. dicuntur autem ſecundum totum, & eundem numerum in principio, medio, & fine ad perficiendum numerum ternarium, qui ſolet perfectionem ſignificare, vt recte notat Suar. tomo 3. cit diſp. 83. ſect. 1.

Tertio fit dimiſsio, populi per illa verba, Ite Miſſa eſt, ideſt, ite ſeu redite ad propria; nam Miſſa eſt oblatio ad Deum, & completum eſt ſacrificium, Durand. in Rationali lib. 4. cap. 57. qui modus terminandi Miſſam, ſeruatur præcipue in feſtis, quando maior eſt concurſus populi, qui etiam maiori ſolemnitate dimittitur cum gaudio, & ſpe donorum cœleſtium: ſiquidem Miſſa ad Deum oblatione hoſtiæ placabilis, merito expectare debemus cœleſtium copiam donorum, & cuncta nobis proſpera: & ideo dimiſſio per illa verba eſt exultationis, & letitiæ, Durandus ſupra. Dicitur autem Ite Miſſa eſt quandocumque dictum eſt Gloria in Excelſis, vt præſcribitur in hac rubrica: quia hic pariter eſt Hymnus letitiæ ſicut Te Deum laudamus in Matutino. In Miſſis feſtalibus non dicitur Ite Miſſa eſt; ſed Benedicamus Domino, per quod inuitatur populus ad gratiarum actiones, quando in Miſſa non dicitur Hymnus letitię Gloria in excelſis, &c. nam Benedicamus potius ad humilitatem ſpectat, & poſt omnia debemus Deo humiliari, & gratias agere, Durand. ſupra. In Miſſis tamen Defunctorum dicitur Requieſcant in pace, quia Defunctis optamus Requiem, & ſacrificium in hũc finem oblatum fuit; Durand. vbi ſup. Dicitur autem ſemper Requieſcant in numero plurali, licet pro vno dicatur Miſſa; quia ſaltem a fructu impetrationis non excluduntur alij, vt ſuo loco explicabimus in tract. de ſacrificio.

2 Dicto Placeat, datur Benedictio quæ à Celebrante ſemper datur in Miſſa, præterquam in Miſſis Defunctorum. Deinde legitur Euangelium ſancti Ioannis, In principio, præmiſſo Dominus vobiſcum, & initium, vt moris eſt: quod Euangelium nunquam prætermittitur in Miſſa, niſi quando fit de feſto in aliqua Dominica, vel Feria, quæ habet Euangelium

lium proprium: quod legitur eius loco. Excipitur Dominica quarta Aduentus; cuius Euangelium non legitur in fine Missæ, quando in ea occurrit Vigilia Natiuitatis Domini, quia nec Officio lectum est. In tertia Missa de die Natiuitatis Domini legitur in fine Euagelium de Epiphania; Cum natus esset Iesus Et in Dominica palmarum in Missis priuatis legitur Euangelium, quod ponitur in benedictione Palmarum, quod etiam lectum est in Officio. In Vigilijs, quæ occurrunt in Quadragesima, vel Quatuor Temporibus; non legitur Euangelium Vigiliæ in fine Missæ. Et similiter in Missis Votiuis nunquam legitur in fine aliud Euangelium, nisi Sancti Ioannis.

IN fine Missæ datur Benedictio populo, ad imitationem Christi, qui discessurus ab Apostolis benedictionem illis impertiuit; Lucæ 24. qui ritus valde commendatur á multis Concilijs, & Patribus, apud Suar. disp.83. sect. 1. addit etiam microl. cap. 21. causam, vt qui non communicatus discedit, saltem benedictus á sacerdote recedat.

Præterquam in Missis Defunctorum: quia benedictio solemnitatem habet, & lætitiam; & ideo non adhibetur in his Missis lugubribus, Durand. lib. 4. cap. 51.

Tandem legitur Euangelium S. Ioannis. In principio, &c. ex instit. Ecclesiæ ad iugem recordationem Incarnationis Verbi propter nostram salutem: optat enim vt in cordibus fidelium fit alte impressum Verbum caro factum est, &c. vt latius explicat Suar. citata disputatione 83. sect. 1. Hoc ergo Euangelium nunquam prætermittitur in Missis, nisi in casibus exceptis in hac Rubrica, qui expositione non indigent. Regula autem generalis est, vt quoties in Officio legitur aliud Euangelium pro nona lectione, hoc idem Euangelium sit dicendum in fine Missæ loco Euangelij S. Ioannis: & ratio est; vt Missa quoad fieri potest correspondeat officio. Ex quo patet ratio exceptionum; quando enim in officio non fit commemoratio Dominicæ, vel feriæ, nec eius Euangelium legitur in fine Missæ. Sic etiam quando in Festis priuilegiatis cantantur duę Missę de Festo, & de Feria absque vtrorumque commemoratione vt supra tit. 7. num. 2. in vtraque Missa legitur in fine Euangelium ordinarium S. Ioannis quia in neutra missa fit commemoratio alterius, & ideo in neutra Missa dicitur Euangelium alterius. In tertia Missa Natiuitatis non legitur in fine Euágelium S. Ioannis ne bis repetatur, quia lectum est in principio. Tandem in missis Votiuis nunquam legitur aliud Euangelium: quia Missæ Votiuæ sunt extra ordinem Officij.

SENSVS MYSTICVS.

COmmunio est versic. lætitiæ, qui dicitur post sumptionem Sacramenti, & memoratis Mysterijs Resurrectionis, ad repræsentandum gaudium fidelium, quia gauisi sunt discipuli viso domino. Benedictio datur propter Mysterium Ascensionis: quia Christus eleuatis manibus benedixit eis, & ferebatur in Cœlum. Tandem Euangelium S. Ioann. in fine denotat prædicationem Apostolorum super diuinitate, & humanitate Christi, & totius mundi conuersionem Durandus lib. 4. cap. 59. num. 3. Suarez disposit. 63. sect. 1. & Molsesius tract. 3. cap. 11 num. 73.

TITVLVS XIV.

DE ORDINANDA MISSA EX SVPRADICTIS RVBRICIS.

1 Supradictis Rubricis cognitis, si quis velit ordinare Missam diei, recurrat ad Ordinarium Missarum de Tempore, vel de Sanctis, secundum qualitatem Officij: Si proprium non habent, recurrat ad Commune San-

Sanctorum. Si de feria agendum sit, & propria Missa non fuerit de Feria dicatur Missa præcedentis Dominicæ omissis Gloria in excelsis & Symbolo: præterquàm Tempore Paschali, in quo semper dicitur Gloria in excelsis vt supra, excepta Missa Rogationum: & in Aduentu prætermittitur Alleluia post Graduale. cum suo versu. Si dicenda sit Missa Votiua, requiratur post commune Sanctorum suo loco. Si plures Orationes dicendæ sint, requirantur post Missas Votiuas, suo loco de singulis rebus singulæ. Si Pro defunctis dicenda sit Missa, habetur post Missas Votiuas cum collectis diuersis, circa finem Missalis. Ordo totius Missæ, cum Præfationibus, Canone, & alijs dicendis, habetur suo loco, cum Proprio Missarum de Tempore.

EXPLICATIO LITERALIS

DEclaratur in hac Rubrica ordo, quo disponuntur Missæ tam de Tempore, quam de Sanctis in Missali Romano, vt nouerit Sacerdos, vbi eas perquirere debeat ad ordinandam Missam. Primò ergo disponuntur in Missali Missæ de Tempore ab Aduentu vsque ad Parcha, & à Paschate vsque ad finem: in quibus Missis recoluntur mysteria totius vitæ Christi Domini per annum distributa. Secundò ordinantur in Missali propriæ Missæ de Sanctis: deinde communes de ijsdem, Tertiò loco Missæ Votiuæ vnà cum Orationibus diuersis pro varijs necessitatibus. Tandem Missæ pro Defunctis. In medio autem Missalis, vtpote in loco digniori ponitur Ordo Missæ, cum Canone, qui communis est omnibus Missis

Quòad Missas de Tempore, notantur duo in hac Rubrica Primùm est quamuis tempore Paschali in Missis de Tempore dicatur Gloria in excelsis etiam in Ferijs; exclpiendam esse nihilominus Missam Rogationum: eo quia æquiparatur Missis Vigiliarum: dies enim Rogationum sunt dies mortificationis, & humiliationis non lætitiæ vt habetur in ordine Romano, & in Ecclesijs Occidentalibus olim indictum erat ieiunium, vt docet Rabanus l.2. cap.40. hoc autem tempore saltem est temperanda lætitia Paschalis in ea Missa. Secundùm est in Aduentu prætermitti Alleluia post Graduale in Missis ferialibus: quia feriæ Aduentus sunt quasi Vigiliæ Natiuitatis Domini, & antiquitus seruabatur ieiunium, vt refert Durandus lib.6. cap.1.

SENSVS MYSTICVS.

ORdo, & dispositio Missarum tradita in Missali, præsertim ab Aduentu ad Pentecosten symbolicè exprimit ordinem, & progressum totius vitæ Christi. Vt dicebamus in litera.

DVBIA CONSCIENTIAE.

DVBIVM I.

Qualis sit obligatio ordinandi, & recitandi Missam secundum Rubricas Missalis Romani.

REspondeo esse obligationem grauem, & sub peccato mortali ex genere suo: vt patet ex Bulla Pij V Initio Missalis, vbi hoc expresse precipitur, & nos fusè probauimus quæst. Proemiali sect. 2. per totam.

Colligitur non esse licitum confundere vnam Missam cum alia E.g. commutando Orationes, Epistolam, Euangelium, &c. Quare si ex tali confusione, vel admixtione partium diuersarum Missarum inter se resultaret notabilis deformitas, grauiter peccaret Sacerdos E.g. si quis coniungeret Epistolam Defunctorum cum Euangelio Paschatis. Si autem leuis indè resultaret deformitas. E.g. si coniungeret partes Missarum ex eodem communi, solum venialiter peccaret. Ita Auersa de Sacrificio quæst. 11. sect. 13. §. nono rursus.

DVBIVM II.

An Celebrans vti possit alio Missali, vel alio Ritu, diuerso à Romano.

EXempli gratia si Sacerdos celebret in Ecclesia diuersi ritus, in qua per transitum

se p-

reperitur (loquimur antem hic de ritibus diuersis intra fines Ecclesiæ latinæ : nam de ritu Græco, alibi dicendum est) Aduertendum est autem quamuis Pius V. in Bulla sæpius citata præcipiat omnibus communiter, vt in Missæ celebratione Sacerdotes non vtantur alio Missali, quam Romano, nec alijs ritibus quam præscriptis ibidem ; nihilominus excipit nonnullos, quibus permittit, vt Missas recitare possint iuxta antiquam suarum Ecclesiarum institutionem, & consuetudinem excedentem ducentos annos. Vnde Mediolani viget ritus Ambrosianus, & in Ecclesijs, seu Ordinibus Regularium obseruantur varij ritus diuersi à Romano ; E.g. apud Religiosos Carmelitas, S. Benedicti, Sancti Dominici, &c. Quærimus ergo an Sacerdotes Romano ritu adstricti possint celebrare iuxta peculiares ritus aliarum Ecclesiarum, per quas vt peregrini transeunt, vel alias in eis reperiuntur.

Prima sententia est Ioannis Præpositi in 3. par. quæst. 83. art. 4. dub. 5. asserentis posse vtique peregrinantes per alienas Ecclesias celebrare iuxta ritum, & consuetudinem illarum, siue secularium, siue regularium, & vti alio Missali. Probatur ex doctrina, quam sequuntur DD. communiter in tract. de legibus. quia nempe licitum est peregrinis se conformare consuetudini locorum per quæ transeunt, etiam diuersæ à consuetudine patriæ : ergo idem dicendum de celebratione Missarum in varijs Ecclesijs siue sæcularibus : siue regularibus.

Confirmatur, quia multi DD. probabiliter docent Sacerdotem latinum iter agentem per Græciam posse consecrare in fermentato, & se conformare ritui Ecclesiæ per quam transit, vt videri potest apud Dian. p. 3. tract. 6. resp 99. ergo à fortiori iter agens per diuersas Ecclesias latinas, quamuis diuersi ritus, potest se conformare consuetudini, & ritui cuiuslibet, siue Ecclesia sit sæcularis, siue regularis. Hanc sententiam Præpositi refert Diana par. 4. tract. 4. resp. 95. & meritò de ea dubitat.

Secunda sententia directè opposita sustinet, id non esse licitum absque dispensatione Summi Pontificis vel peculiari priuilegio illius Ecclesiæ in qua dicitur Missa.

Probatur primò ex Bulla citata Pij V. in qua præcipitur omnibus, & singulis Sacerdotibus, vt penitus omissis ac plane reiectis omnibus ritibus ex alijs Missalibus, Missam celebrent iuxta ritum Missalis Romani, quod præceptum dirigitur ad personas non solum ratione loci, vel Ecclesiæ vbi ritus Romanus seruatur ; sed absolutè : ergo non possunt Sacerdotes nec etiam in alienis Ecclesijs vti alio ritu. Et certè si tam facile possent Sacerdotes alijs Missalibus vti, vt vult prima sententia non penitus ea reiecissent.

Confirmatur primo ex decreto Sacr. Rituum Congregationis 19 Nouembris 1622. quo ita statuitur. Missæ certis Regularibus concessæ non possunt ab alijs dici, etiam in ipsorum Regularium Ecclesijs : ergo, &c.

Confirmatur secundò ex alio decreto eiusdem Congregationis 20. Nouembris 1628. quo conceditur Cappellanis Monialium non vtentium Breuiario Romano, vt possint quidem Missam dicere de Sancto Ordinis, de quo Moniales dicunt Officium : sed nonnisi cum Missali Romano : ergo non est licitum Sacerdotibus ritui Romano addictis, vti alio Missali etiam in Ecclesijs aliorum Ordinum : quia speciatiter id est prohibitum in prædicta Bulla Pij V.

Probatur secundò à pari Clericus Romanus, seu Romano ritu adstrictus si Mediolanum diuertat ; non potest vti Breuiario Ambrosiano adsatisfaciendum obligationi diuini Officij ob similem prohibitionem Pij V. in Bulla inserta initio Breuiarij, qua reijcit formam recitandi secundum alia Breuiaria vt docent communiter DD. de horis Canonicis Suárez, Vasquez, Lessius, Moises, & alij, quos citat & sequitur Bonac. de horis canon. disp. 1. quæst. 3. punct. 1. num. 7. ergo idem dicendum de vsu aliorum Missalium in celebratione Missæ ; quamuis enim celebratio Missæ non cadat sub obligatione ; posito tamen, quod velit quis celebrare, tenetur sub peccato mortali celebrare secundum leges, & ritus à Summo Pontifice præscriptos. Vide Diana par. 4 tract. 4. resp. 95. vbi pro hac sententia citat aliquos DD. tacito nomine. secus autem est de diuersis Ecclesijs, in quibus viget ritus Romanus : nam si contingat ritum variari E.g. quia in vna fit Officiũ de Sancto non apposito in Kalendario ratione insignis reliquiæ, vel de festo Dedicationis propriæ Ecclesiæ, quod non fit in alia ; tunc enim licitum est cuilibet Missam celebrare iuxta ritum illius Ecclesiæ in qua quis reperitur ; quia non recedit à ritu præscripto in Missali Romano, vt supra diximus tit. 4. dub. 10.

Tertia sententia media, & probabilior distinguit. Ritus enim à Romano diuersus est in duplici differentia : quidam est ritus peculiaris talis Ordinis, vel Congregationis E g. Dominicanæ, vel Carmelitæ, qui non extenditur ad alias Ecclesias eiusdem ciuitatis. Quidam est comunis toti ciuitati, vel etiam Diœcesi. E.g. Ritus Ambrosianus Mediolani. Hoc posito. Docet primo hæc sententia neminem posse celebrare Missam sub ritu peculiari. E.g. Carmelitarum, etiam in Ecclesia propria ipsorum, nisi sit Carmelita, & membrum eiusdem

Eccle-

Ecclesiæ. Probatur: quia vti huiusmodi ritu est veluti priuilegium personale solis Carmelitis, concessum.

Docet secundo posse quemlibet Sacerdotem aduenam, vel peregrinum transeuntem per Ciuitatem vbi seruatur ritus diuersus à Romano posse inqnam celebrare ritu diuerso. E.g. Ambrosiano, qui per totam ciuitatem seruatur. Vt probat Argumentum primæ sententiæ Pro Resolutione.

Respondeo, & dico primo. Quilibet Sacerdos, siue secularis, siue regularis tenetur grauiu præcepto, & sub peccato mortali celebrare Missam iuxta ritum propriæ Ecclesiæ, cuius est membrum, quandiu in ea moratur. Probatur quilibet tenetur sub peccato mortali seruare consuetudines sui loci, & communitatis, cuius est membrum, quando consuetudo grauis est, & habet vim legis; sed consuetudo celebrandi sub tali ritu proprię regionis, vel ciuitatis, & loci est grauissima, & vim legis obtinet, vt fatentur comuniter; neque enim hoc committi debuit arbitrio singulorum Sacerdotum. ergò, &c. Ita in casu nostro docent Coninch de Sacram. q.74.art.4. dub.4.Tambur. Opusc. de Sacrificio lib. 2. cap. 5. §. 2. n. 17. Suar. in simili tom.3.in 3.par.disp.44. sect. 3. § quarto dicitur.

Dico secundo nemo potest celebrare Missam iuxta ritum peculiarem talis Congregationis. E. G. Carmelitæ, nisi sit membrum eiusdem, etiam si in propria Ecclesia Carmelitarum celebrare velit. Hæc conclusio est; contra primam sententiam. Probatur argumentis secundæ sententiæ supra relatæ, & magis declaratur quia celebrare sub eo ritu peculiari est priuilegium personale solis Carmelitis concessum (& sic respectiuè de alijs) ergo &c.

Deinde quia licet verum sit posse Aduenas, & Peregrinos seruare consuetudines locorum, per quæ transeunt; Hoc tamen intelligitur de consuetudine totius Diocesis, vel Ciuitatis: non verò de consuetudine particulari certæ familiæ, vel Congregationis. Ita ConinK loco cit & iterum q. 83. art. 5. n. 268. Auersa q.11. de sacrif. sect. 12. §. decimo tandem, & Tambur. loco citato num. 21.

An autem, saltem in casu necessitatis, id licitè fiat E.g in die Festo ad satisfaciendum præcepto audiendi sacrum, quando non adest alia Ecclesia, nisi Carmelitarum in casu posito nec suppetit copia Missalis Romani; Respondendum est distinguendo. Si diuersitas ritus modica sit, & facilè possit Sacerdos nouo ritu se accommodare; id videri licitum; quia magis vrget præceptum audiendi Missam, præsertim si multi sint in comitatu, qui Missam audire debent. Si verò diuersitas notabilis sit, nec sine deformitate Sacerdos vti possit nouo ritu, dicendum est, non fore licitum, quia est contra reuerentiam Sacrificij, quæ præferri debet obligationi audiendi sacrum. Ita Tambur. loco citato num. 22.

Dico tertio. Sacerdos romano ritu adstrictus, siue sæcularis, siue regularis si tanquam Aduena reperiatur in territorio, vbi seruatur ritus diuersus. E.g. Mediolani, vbi seruatur ritus Ambrosianus communis toti Ciuitati; potest in hoc casu quilibet celebrare, vel ritu Romano, vel ritu Ambrosiano, vt magis placuerit. Probatur; quia ex probabilissima sententia potest Aduena, & peregrinus se conformare legibus, & consuetudinibus loci, per quem transit; quamuis non teneatur, ergo idem dicendum de ritu Missæ in casu nostro. Ita Coninch. de sacram. citata quæstione 83. art. 5. num. 268. Et Tambur. loco supra citato, & communiter alij DD.

Ad Argumentum secundæ sententiæ de præcepto Pij V. Respondetur illud procedere in terris, & locis, in quibus comuniter seruatur ritus Romanus, non verò in alijs: quia Pius V. non reuocat Ius comune, vel gentium, quo potest Aduena se conformare consuetudini loci per quem transit.

Colligitur primo si Sacerdos Ambrosianus tanquam Aduena reperiatur in alieno territorio, vbi communiter seruatur ritus Romanus, poterit celebrare vel ritu Ambrosiano, vel Romano, vt magis ei placuerit, & docent DD. supra citati.

Colligitur secundo. Si Religiosus transiens per territorium Mediolanense vellt sacrum facere in Ecclesia sui Ordinis, ibidem existente in qua tamen seruatur ritus Romanus, in hoc casu tenetur celebrare iuxta ritum Missalis Romani: quia est membrum talis Ordinis, & cessat ratio se conformandi ritui Ambrosiano.

Colligitur tertio. Quid sit dicendum de Religiosis. E g. Carmelitis, & similibus, qui vtuntur ritu peculiari. An possint illum mutare, quando celebrant extra proprias Ecclesias. Aliquando celebrare possint sub ritu Romano, vel alio, qui seruetur communiter in tota illa Ciuitate: in qua morantur: vel per quam transeunt. Dicendum est enim posse vtique, nisi speciali suæ Regulæ præcepto prohibeantur, vt docet Coninch, cum alijs supra citatis, & à fortiori Præpositus citatus in prima sententia. Ratio est. quia Religiosus accedens ad locum extra monasterium censetur ibi Aduena: ergo potest se conformare consuetudini talis loci. Vt in simili probatex comuni sententia Pasqualigus de sacrificio decis. 209. Quod si per regulam prohibeatur, peccat, pro vt definitur in Regula.

R Col-

Colligitur quarto. Quid sit dicendum ad similem quaestionem. An Sacerdos Romanus transiens per territorium Mediolanense possit recitare Officium ritu Ambrosiano. Dicendum est enim satis esse probabile id fieri posse: nec obstare praeceptum Pii V quia ab obligatione talis praecepti excipiuntur illae Dioeceses, quae auctoritate Apostolica recitant Officium diversum à Romano. Ergo etiam excipiuntur, qui illac pertranseunt, & Iure communi possunt se conformare consuetudini illarum. Ita Coninch, cum alijs supra citatis. Quamuis etiam probabiliter oppositum docere videatur. Bonacina de horis Canonicis disp. 1. quaest. 3. punct. 1. num. 7. praesertim de Officio, qui priuatim recitatur.

Dico vltimo. Qui ex vna Ecclesia transit in aliam animo perpetuò ibi manendi, vel secundum aliquo maiori anni parte; tenetur seruare ritum illius Ecclesiae, ad quam transit: quia fit membrum, & pars illius nouae Ecclesiae ad quam transiuit. Ita DD. supra citati.

DVBIVM III.

Vtrum dici possit Missa integra de Sancto simplici, quando iuxta Rubricas Missalis fieri debet de eo sola commemoratio.

Quaestio est de Sancto simplici occurrente eodem die cum festo semiduplici; vel infra Octauam, si postuletur Missa integra de sancto simplici Exempli gratia de sancta Tecla in die sancti Lini 23 septembris. Et eadem quaestio est, si dicenda esset Missa integra de Sancta Vrsula die 21. octobris, in quo fit officium de sancto Hilarione cum commemoratione sanctae Vrsulae, & sociarum.

Ratio dubitandi est: quia vel praedicta Missa esset Festiua, vel Votiua: neutrum autem affirmari posse videtur. Ergo, &c. Non enim dici potest, quod sit Missa festiua quia non correspondet officio, neque Votiua; quia dicitur in die festo seu natalitio eiusdem sancti: Votiua autem dicitur per annum, extra diem festum.

Prima sententia sustinet, non posse dici Missam Festiuam sancti simplicis de quo est quaestio, At posse dici Missam Votiuam eiusdem.

Probatur prima pars: quia non potest variari ritus Missalis propria auctoritate, ergo non potest dici Missa Festiua integra de sancto, de quo in Missali praescribitur, vt fiat tantùm commemoratio. Deinde: quia non est missa conformis Officio.

Secunda pars probatur: quia Missa Votiua non prohibetur in festis semiduplicibus: ergo benè potest dici de Sancto simplici in casu posito. Ita Gauantus in Rubricas Missalis tit. 14. lit. X. & tit. 8 num. 4. lit. B. Vbi etiam asserit, si Missa Votiua dicatur in die Obitus alicuius sancti, eam posse dici cum Gloria: quod tamen non videtur consequenter dictum quia in Missis Votiuis, non dicitur Gloria, nisi in casibus exceptis in hac Rubrica: neque vllo modo excipitur hic casus, posito quod haec Missa sit Missa Votiua simpliciter: quia est Missa priuata, & non solemnis, & pro re graui, pro qua solum conceditur Gloria.

Secunda sententia docet, posse dici Missam de sancto simplici Festiuam, & de die, & consequenter cum Gloria. Probatur a pari, quando transfertur Officium sancti titularis alicuius Ecclesiae ratione Dominicae, vel festi priuilegiati, potest de eo sancto cantari vnica Missa, si sit populi concursus, quamuis non fiat Officium de sancto, vt supra diximus tit. 6. & ea Missa censetur festiua, & dici debet cum Gloria, non alia ratione, nisi: quia celebratur in die festi eiusdem sancti: ergo pariter in casu nostro. Ita Castaldus in praxi caerem. lib. 2. sect. 6. cap 3. num 8. & idem asserit si celebretur Missa sancti non descripti in Kalendario in die natalitio.

Huic tamen sententiae obstat, quia Missa non conformis Officio est Votiua, ex Rubrica generali tit. 15. num. 5. sed Missa in casu nostro non concordat cum Officio, ergo est Votiua, & non Festiua.

Mihi dicendum Videtur, posse dici Missam integram de sancto simplici in casu posito: quia non prohibetur, eamque esse partim Festiuam partim Votiuam, & appellari posse semifestiuam: quia neque omnino concordat cum Officio, neque omnino discordat, cum fiat in officio eius commemoratio, consequenter dicendam esse cum Gloria, quatenus participat rationem Missae festiuae. Ex quibus patet ad Argumenta aliarum opinionum, non enim variatur ritus Missalis: quia non prohibetur Missa de sancto simplici, sicut non prohibetur Votiua, nec est simpliciter Votiua: quia aliqua ratione concordat cum officio, nec omnino festiua: quia non omnino concordat.

Colligitur quid sit dicendum de simili casu, si infra Octauam E g. sancti Ioannis Baptistae postuletur Missa integra eiusdem sancti eo die, qua fit officium sancti Leonis occurrentis infra dictam Octauam; Dicendum est enim posse dici Missam sancti Ioannis cum Gloria: quia est semifestiua, quamuis expediat potius remouere saeculares ab huiusmodi petitionibus, & celebrare Missam omnino conformem officio.

DV-

DVBIVM IV.

De Missa sicca, an licita sit, et qualiter ordinari debeat.

PRæmittendum est Missam siccam esse quidem ceremoniam sacram, seu piam: sed nomine solum, & apparenter Missam; non autem re ipsa: quippe in ea non offertur sacrificium nec fit consecratio, sed solum recitantur preces dici solitæ in Missa, Sicut dicitur arbor sicca quæ caret humore et anima vegetatiua, & solum apparenter, est arbor; sic pariter dicitur Missa sicca, quæ caret vera ratione sacrificij; fuit autem introducta ad solatium longo tempore nauigantium, vt qui veram Missam audire non possunt; aliqualiter suæ deuotioni satisfaciant, Missæ quandam imaginem audiendo.

Prima autem difficultas est, vtrum Missa sicca sit licita, & ratio dubitandi est, quia non videtur licitum vti ceremonijs, & ritibus sacris ab Ecclesia institutis in aliquem finem determinatum, vti inquam ad alium finem diuersum; sic enim mutatur eorum significatio, & confunduntur Mysteria: sed ritus Missæ sunt instituti in ordine ad consecrationem, & verum sacrificium; ergo non est licitum illis vti extra verum sacrificium.

Confirmatur quia oblatio hostiæ, & Calicis E.g. quæ fit post Offertorium est præparatio materiæ veri sacrificij, quæ ideo in Missa sicca falsam habet significationem; similiter fere omnia, quæ habentur in Canone ordinantur ad consecrationem, vel eam supponunt. ergo non habent locum quando non est facienda Consecratio, & falsam haberent significationem. Tandem, est quædam simulatio sacrificij, quæ potest esse occasio rudibus adorandi sacramentum vbi non est. ob hec, & similia argumenta aliqui absolutè damnant Missam siccam tanquam illicitam, & alienam à vero, & sincero cultu diuino sicuti damnat, & reijcit Syluius in 3. par. quæst 83. art. 2. quæst. 2. Mercerus tract. de sacrif. & alij. Nihilominus.

Respondeo, & dico primo Missa sicca si debitò ordine recitetur (de quo infra) est secundum se licita. Probatur tum quia nulla lege prohibetur. Tum quia nihil mali continet, imo deuotionem fouet erga verum sacrif. & excitat fideles ad actus pios. Ita Nauar. in Miscel. de oration. in nouis Miscel. 88 & sequentibus Henriquez lib. 9. de Missa cap. 27. num. 3. Fagundez in præc. Eccl. præc. 1. lib. 3. c. 10. n. 14. Lezzana in summa ver. Missa num. 56. cum alijs, quos citat. Durant. de ritibus Eccles. l. 2. cap. 4.

Ad rationem dubitandi respondetur maiorē esse veram quando instituuntur ritus in ordine ad aliquem finem priuatiue quoad alios fines: tunc enim prohibetur alius vsus: vnde ad minorem distinguendum est sic, aliqui ritus Missæ sunt instituti in ordine ad solam consecrationem concedo; & ideo non licet illis vti in Missa sicca, vt dicemus in sequenti difficultate. Si verò loquamur de omnibus ritibus Missæ, negandum est fuisse institutos in ordine ad solam consecrationem; nam in Litanijs, & Processionibus solent etiam quandoque sacerdotes incedere vestibus sacerdotalibus induti. Item ad oleum S Consecrandum: Similiter Epistolæ, & Euangelium legi solent in quibusdam benedictionibus solemnioribus, vt notat Nauar. supra. Ad confirmationem patet ex dictis: concedimus enim ea quæ pertinent ad solam consecrationem vel ad communionem non posse adhiberi in Missa sicca vt infra. Tandem non est simulatio veri sacrificij: quia supponimus notum esse auditoribus nō offerri verum sacrificium, & in dubio deberi rudiores instrui à sacerdote.

Dico secundo Missa sicca licitè, et landabiliter recitatur in Mari, presertim quando nauigatio est diuturna, nec possunt nauigantes è naui descendere ad litus; vnde appellari solet Missa nauális. Probatur quia vt dicebamus in hunc finem præcipuè introducta fuit, & concessa ab Episc. & superioribus vt constat ex quodam lib. sacerdotali, quem dicunt probatum fuisse a Leone X. vt referunt Nauarr. & Henriq. locis citatis.

Dico 3. per se loquendo non videtur illicitum Missam siccam recitare coram infirmo, vel alio din impedito ab auditione Sacri. Probatur quia hoc pariter conceditur in dicto libro sacerdotali, & docet Nauarr. sup. Burcardus infra citandus, & Lezzana cum alijs. Cæterum quia hoc tempore in desuetudinē abijt hæc ceremonia, recitari non debet meo iudicio absq. lincentia Episcopi, ad quem pertinet cura legitimi vsus sacrorum rituum.

Dico quarto. Non videri licitum nec permittendum recitari Missam siccam in Ecclesijs vel Oratorijs destinatis ad sacrum faciendum, & ad verum sacrificium offerendum. Primo ne rudioribus detur occasio erroris, & confundendi Missam veram cum apparenti. Secundo ne similiter detur occasio iniquis sacerdotibus celebrandi loco veræ Missæ Missam cum fictione, & absque consecratione, quod est graue sacrilegium quæ ab surda cessant in naui vbi scitur non posse dici veram Missam.

Colligitur male fecisse quendam Parochum qui impeditus à sacro faciendo: quia non erat ieiunus, die festo recitauit in Ecclesia Missam

ficcam, vt deuotioni populi satisfaceret; quia ea non est permissa nisi in casibus, & locis supra explicatis: vnde puniri debuit nisi bonafide excusante.

Secunda difficultas qualiter ordinari debeat Missa ficca? quæ sint in ea recitanda, quæue ommittenda, tandem cum quo apparatu dicenda sit.

Respondeo, & dico primo, quoad ea quæ recitari debent, Inchoari debet Missa ficca à confessione, vt moris est in Missa proprie dicta, & reliqua omnia dici possunt cum Gloria, & Credo iuxta qualitatem Missæ vsque ad Offertor. inclusiuè, idest vsque ad versiculum post Euangelium vel Credo. Deinde alijs ommissis dicuntur Orationes secretæ, & post eas Præfatio. Post Præfationem dicitur immediate Oratio Dominica, & Agnus Dei. Tandem dicto versic. qui dicitur Communio; sacerdos dicit Orationes post Communem. Et data benedictione Euangelium S. Io: Ita colligitur ex dicto libro sacerdotali, quem approbat Nauar. supra Miscel. 89. citans etiam Durandum in rationali lib. 4. cap. 1. num. 23. & distinctè explic. Burcardo an Argentina de ordine Missæ capit. de Missa ficca

Duo autem hic aduertenda sunt; primum est non esse dicendas Orationes post Communionem in quibus fit mentio de sacrific. oblato, vel de sacramento percepto E.g. Refecti cibo potuquæ cœlesti &c. ne significatio fit falsa, vt bene aduertit Nauar. Miscell. 90. in fine: sed omittenda esse illa verba, vel commutandas esse Orationes cum alijs proportionatis ex Missali iuxta Missæ qualitatem: & idem dicimus de Orationibus Secretis in quibus fit mentio de sacrificio offerendo.

Secundo aduertendum, nullum esse peccatum aliquam partem huius Missæ ficcæ omittere E.g. Epistolam, vel Præfationem &c. quia non cadit sub præcepto, neque ipsa Missa, neque pars vlla eiusdem: neque tenentur fideles in festis de præcepto illam audire, vt docent Fagundez Lezzana, & alij supra, etiam si veram Missam audire non possint.

Dico secundo omitti debent in Missa ficca, primo oblatio panis, & vini cum orationibus ad eam pertinentibus: Imo neque debet esse in loco Missæ panis, aut vinum: omittitur etiam oratio suscipe Sancta Trinitas hanc Oblationem cum Orate Fratres: quia hæc omnia pertinent ad verum sacrificium offerendum. Secundò omittitur totus Canon cum cæremonijs, & signis, quæ in eo fiunt ob eandem rationem. Tertiò tandem non fit Communio quia nec adest Corpus Christi. Ita Durandus, Nauarr. & alij loco citat.

Colligitur fore peccatum mortale vti significatiuæ in Missa ficca ritibus, & cæremonijs prædictis, vt Canone, & alijs pertinentibus directe, & expresse ad verum sacrificium, præsertim in quantitate notabili: quia esset abusus sacrorum rituum, & irreuerentia contra verum sacrificium: paruitas autem materiæ excusaret à pecc. mon secus si proferantur recitatiue tantum, vt fit extra Missam ad cæremonias addiscendas.

Dico tertio quoad apparatum primo erigitur Altare cum suis ornamentis, non tamen est necessaria Ara lapidea, vel consecrata: possunt etiam adhiberi lumina, Missale, & alia similia Secundo quoad vestes sacerdotales potest Sacerdos altero è duobus modis vti; nempe vel recitare hanc Missam cum superpelliceo, & stola tantum, vel saltem absque casula, quod est magis conforme lib. sacerdotali supra cit. vel potest etiam hanc Missam recitare indutus omnibus paramentis sacerdotalibus, vt ex Durando refert Nauar. supra Miscell. 88. nam eisdem vtuntur sacerdotes in alijs functionibus sacris. Plura vide apud cit. DD.

Colligitur ex supradictis posse hanc Missam celebrari à non ieiuno & qualibet hora, item posse pluries eodem die ab eodem recitari; quia non est verum sacrificium nec subiacet legibus præscriptis in ordine ad verum sacrificium.

TITVLVS XV.

DE HORA CELEBRANDI MISSAM.

1 Missa priuata saltem post Matutinum, & Laudes quacumque hora ab aurora vsque ad meridiem dici potest.

EXPLICATIO LITERALIS.

Post partes integrantes ex quibus Missa componitur conuenienti ordine agitur de accidentibus eiusdem Missæ, deque circunstantijs extrinsecis. Nam tempus, seu hora celebrandi, item vestes sacerdotales & locus, seu Altare ad circunstantias extrinsecas perti-

nent

nent: modus autem pronunciandi clara, vel demiſſa voce, item ordo genuflectendi &c. ſunt modi accidentales partium Miſſæ.

In hoc ergo tit. agitur de circunſtantia Temporis, nempe de hora celebrandi, & hoc nu. 1. ſtatuitur Miſſam priuatam celebrari poſſe ab Aurora vſque ad meridiem; ideſt intra hos terminos, non ante Auroram, nec poſt meridiem. Excluditur ergo tempus nocturnum, & totum tempus veſpertinum. Eſt autem Aurora matutinus ille ſplendor, quo cernimus albeſcere Cœlū antequam ſol ipſe appareat, & dicitur Aurora ab aureo veluti colore, vel vt alij volunt ab ariditate: quia lucis calore incipit aër areſcere ex Varrone l. 6. de ling. latina & eſt quoddam diei initium ex D. Tho. infra. Meridies autem, vt omnes norunt eſt medius dies, & olim dicebatur medidies. Quod autem regulariter Miſſæ inchoari non debeant ante Auroram, & initium lucis docet expreſſe D. Tho. 3. p. q. 83. art. 2. ad quartum, & cum eo omnes DD. Ratio literalis eſt quia ante illud tempus communiter loquendo homines non ſun conuenienter diſpoſiti ad hanc ſac. functionem, quæ ſummam vigilantiam, & circumſpectionem exigit; conſequenter lucem, & non tenebras. Inſuper ita ſtatutum fuiſſe videtur ad cauendos abuſus, & occaſiones ſuperſtitionum, quæ ex nocturnis conuenticulis oriri ſolent. Accedit ratio myſtica, de qua infra in ſenſu myſtico.

Deinde fuit etiam conuenienter conſtitutum pro termino tempus meridianum ob reuerentiam ſacrificij, ad quam valdè conducit, vt ante prandium Miſſa celebretur; quia & celebrans debet eſſe ieiunus, & qui aſſiſtunt decentius, & deuotius ante prandium hoc agunt; prandium autem communiter vltra meridiem diferri non ſolet. Vide plura apud Suar. diſp 80. ſec. 4. de Sacram. tom 3.

2 Miſſa autem Conuentualis, & ſolemnis ſequenti ordine dici debet. In feſtis Duplicibus, & Semiduplicibus, in Dominicis & infra Octauas, dicta in Choro Hora Tertia. In feſtis ſimplicibus, & Ferijs per annum dicta Sexta. In Aduentu, Quadrageſima, Quatuor Temporibus, etiam infra Octauam Pentecoſtes, & Vigilijs, quæ ieiunantur, quamuis ſint dies ſolemnes, Miſſa de tempore debet cātari poſt Nonam.

Certum eſt intra duos terminos iam deſignatos, nempe Auroram, & meridiem poſſe quacumque hora dici Miſſas priuatas. vt in hac rubrica num. 1. cæterum quoad Miſſas Conuentuales & Solemnes hic ordinatur, vt quibuſdam horis certius determinatis celebrentur, nempe dicta in Choro Hora Tertia, vel Sexta, vel Nona, cuius rei ratio aſſignatur à D. Tho. 3. par q. 83. art 2. ad 3. & ab alijs communiter quia decet Miſſam Solemnem celebrare illis præcipuè horis, quæ correſpondent tempori præcipuorum myſteriorum Paſſionis Chriſti: quia ergo Chriſtus Hora Tertia damnatus fuit ad mortem, et linguis Iudæorum crucifixus, Hora ſexta crucifixus fuit manibus militum; & Hora Nona expirauit, ideo &c.

Dubitari hic poteſt, qua hora præcisè cantari debeat in Choro Tertia: item Sexta, & Nona, vt congruo tempore cantetur deinde Miſſa ſolemnis. Pro reſolutione aduertendum horas quæ ſignificantur per Tertiam, Sextam, & Nonam non eſſe ex his vſualibus, quæ naturalem diem in viginti quatuor partes diuiſum componunt; ſed ſignificare tria tempora diei ad orationem, vel ſacras actiones deputata, & vnumquodque eorum tres horas vſuales complecti, quamuis diuerſimode id explicetur à DD: iuxta probabiliorem autem ſententiam, quam ſequitur Suar. to. 3. in 3. partem diſp. 80. ſect. 4. & to. 2. diſput. 40. ſect. 6. vbi de hora mortis Chriſti. Tertia incipit regulariter poſt tres horas ab ortu ſolis, quia tres aliæ priores ſpectant ad primam. Sexta incipit in meridie. Et tandem Nona incipit hora tertia poſt meridiem, cuius poſtremæ partes Veſperæ appellantur, ſeu Hora Veſpertina, quamuis nonnulli aliter diſtribuant eas, vt aſſignent tempus Veſperarum omnino diſtinctum à Nona, de qua re videndus Suarez cit. diſputat. 40. His poſitis.

Reſpondeo fuiſse quidem in Eccleſia iam olim conſuetudinem recitandi. Tertiam, & Miſſam Solemnem hora tertia ab ortu ſolis in diebus feſtis, vt colligitur Epiſt. Decretali Teleſphori Papæ cap 2. & pariter Sextam in meridie diebus profeſtis cum ſua Miſſa Solemni; & tandem Nonam hora tertia promeridiana in diebus ieiunij, vt hora Miſſæ reſponderet ad vnguem horæ myſterij Paſſionis, quod præcipuè recolitur; hæc tamen conſuetudo modo ceſſauit; præſertim quia Miſſæ inchoari non poſſunt regulariter poſt meridiem. Vnde cantari ſolet Miſſa ſolemnis quando maiore eſt po-

puli

puli conuentus, vel maior commoditas Ecclesiarum sine obligatione alicuius horæ determinatæ: sed solum pręmissa debita hora canonica modo explicato, vt fusius Suar. disput. 80. sect. 4. citat. 2.

Super est inquirendum cur diebus festis Missa Conuentualis dicatur post Tertiam, et in profestis post Sextam, vel Nonam: Est autem aduertendum conuenienter præmitti Missæ Solemni aliquam partem diuini Officij in præparationem sacrificij: quia Missa est functio longè sublimioris ordinis, & dignitatis, vt recte notat Francolinus de tempore horar. Can. par. 1. cap. 38. Hoc posito ratio de qua erat quęstio breuiter est: quia recitatio Tertiæ nedum instituta est in memoriam peculiaris Mysterij Passionis Christi, vt supra sed etiam in memoriam aduentus Spiritus sancti in die Penteco. eadem hora tertia. Ex Radulpho prop. vlt. in quo mysterio est gaudium, & exultatio magis congruens diebus Festis, quam profestis; ideo &c. In diebus vero ferialibus cantatur Missa post Sextam in memoriam Crucifixionis Christi Domini, quod Mysterium recolendum est cum amaritudine, & cordis compunctione, quæ magis conuenit pręd ictis diebus, in quibus est labor, & dolor. Tandem post Nonam cantatur Missa in diebus ieiuniorum, in quibus maior est afflictio, & luctus, qui maximè debetur mysterio mortis eiusdem Christi, siquidem Hora Nona in Cruce expirauit. Quod etiam in Aduentu seruatur, quamuis non ieiunetur, vt olim fiebat; nihilominus quoad Officium Ecclesiasticum Aduentus æquiparatur Quadragesimæ vt notat Vgo Victoriæ lib. 3. de spec. Missæ cap 2. & Feriæ Aduentus sunt quasi Vigiliæ Natalis Domini, vt alias diximus.

3 Missa autem Defunctorum dici debet post Primam diei. vbi verò dicuntur eorum Vigiliæ mane post Matutinum diei, dictis huiusmodi Vigilijs cũ laudibus, immediate dici potest Missa Pro defunctis. Sed in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, Missa Conuentualis dicitur post nonam, quia eo die est principalis. In die etiam Depositionis Defuncti, vel Tertio, Septimo, Trigesimo, aut Anniuersario solemni, in quo sit concursus populi, poterit similiter dici vltimo loco post Nonam.

Missæ Conuentuales Defunctorum, quæ prima die cuiusque Mensis dicuntur vt supra tit. 5. cantari debent vel post Matutinum, & Laudes Officij Defunctorum, si mane dicantur post Matutinum diei. Ratio quia tunc Missa habet connexionem cum officio, appellantur autem hic Vigiliæ prædictæ præces Matutinæ: quia sunt ferè sinonimæ hæ voces, videlicet Matutinum, Nocturni, & Vigiliæ nocturnæ; quia olim nocte recitabantur distributis nocturnis per vigilias noctis, vt in multis etiam Religionibus modo obseruatur in Matutino, & laudibus officij diuini. Vel cantari debent prædictæ Missæ Defunctorum post Primam diei, vt aliquod determinatum tempus obtineant: nam post horas sequentes dici debent Missæ Conuentuales de die, vt supra. Item quia expedit in suffragijs Defunctorum potius præuenire quoad fieri potest, quam ea differre, vt animę Purgatorij citius adeuientur à pœnis Durandus in Rat. lib. 7. c. 35.

Cæterum aliæ Missæ Defunctorum, quæ solemnius celebrantur, & ad quas est populi concursus dicuntur post Nonam: Tum quia hora nona mœroris est, & luctus ob Christi mortem; tum ob populi commoditatem. Quod si dies Anniuersaria alicuius Defuncti, vel septima, &c. incidat in Vigiliam, in qua dici debet Missa de die etiam post Nonam, cantari poterit Missa Defunctorum post Missam diei vltimo loco, vt colligitur ex verbis Rubricæ. Vel etiam cantari poterit in hoc casu Missa solemnis Defunctorum post Primam, pręsertim si post Missam diei habenda sit concio atque ita seruatur in præcipuis Vrbis Ecclesijs.

4 Excipiuntur ab hoc ordine dicendi Missam Conuentualem, Missæ in Natiuitate Domini, quarum prima dicitur post mediam noctem, finito Te Deum in Matutino, secunda in aurora dictis Laudibus, & Prima, tertia verò in die post Tertiam, vel vbi aliter ex dispensatione Apostolica disponatur.

Ratioaem huius ordinis in Missis Natiuitatis tradit D. Thom. tertia parte quæst. 83. art. 2. ad 2: ob triplicem Christi Natiuitatem, quarum prima est æterna, & nobis occulta, & ideo cantatur in nocte. Secunda est spiritualis, quia Christus oritur tanquam Lucifer in cordibus nostris, & propterea cantatur in aurora. Tertia est corporalis secundùm quam nobis visibilis apparuit natus ex Virgine, & ideo cantatur in die;& clara luce post Tertiam. Dici etiam potest ex Telesphoro de consecratione distinct. 1. cap. nocte, Primam dici in nocte, quia Christus natus est in nocte. Secundam in Aurora;quia Pastores eadem hora creduntur adorasse Christum natum. Tertiam clara luce :quia vt diximus, Deus visibiliter corporaliter apparuit.

Non potest tamen inchoari prima Missa ante mediam noctem:quia nondum incæpit dies Natalis; additur in rubrica; nisi aliter ex dispensatione Apostolica disponatur: quia Romæ in Cappella Papali celebratur prima Missa ante mediam noctem, & similiter Venetijs in Ecclesia Sancti Marci ex dispensatione summi Pontificis; in quo casu celebrans debet esse ieiunus à media nocte præcedenti, nisi fuerit impetrata noua dispensatio quoad ieiunium, vt suo loco dicemus.

5 Missæ Votiuæ, quia non correspondent Officio, si solemniter celebrentur Pro re graui; vel publica Ecclesiæ causa cum populi frequentia, dicantur post Nonam

Ratio huius Rubricę est quia Missæ Votiuæ non correspondent officio; consequenter non habent connexionem cum aliqua parte eiusdem officij, & ideo dicuntur absolutis omnibus Horis, quæ mane dici solent.

SENSVS MISTICVS.

Celebrantur Missæ ab initio Auroræ vsque ad meridiem ;quia in Missa offertur Christus, qui est candor lucis æternæ, & de se ait Io. 9. Me oportet operari donec dies est. D. Thom. 3. par. quæst: 83. art. 2. ad 4.

DVBIA CONSCIENTIAE.

DVBIVM I.

An prohibitio celebrandi ante Auroram, & post meridiem sit grauis & sub peccato mortali.

Respondeo affirmatiuè. Probatur: quia vsus, & consuetudo, quę est optima legum interpres, ita instituit & declarauit hunc ritum, vt patet ex sensu omnium DD. huius nostri sæculi. Item ex eo quod Episcopi grauiter puniunt præsumentes celebrare ante Auroram & post meridiem. Tandem probatur ex Trid. sess. 22. in decreto de euitandis in celebratione Missarum, vbi præcipit, ne Sacerdotes alijs quam debitis horis celebrent idest in Ecclesia consuetis. Ita Suar. disp. 80. sec. 4 §. Quod autem hæc consuetudo. Henriquez, Vasquez, Fagundez, & alij, quos citat, & sequitur Lugo de Euchar disp. 20. sec 1. Laym. l. 5 tract 5. c. 4 l. 4 Auersa de sacrificio quæst. 9. sec. 15. qui omnes testantur de communi.

Dixi ita sentire communiter DD. nostri sæculi:nam plures,& graues DD antiquiores oppositum docuerunt, videlicet esse licitum celebrare vsque ad horam nonam idest tertiam post meridiem: quia ea hora Christus Dominus in Cruce expirauit, & consummatum fuit sacrificium Crucis, quod in Missa repræsentatur. Ita Scotus, Gabr. Palud. Syluest. & alij apud Suar. Auersam, & alios supracit: sed præcipuè hanc sententiam sequitur Nauarr. in summa c. 25. n. 83. & de Oratione c. 9. n. 22. Cæterum, vt dicebamus prædicta opinio non potest modo in praxi turò seruari, quia illius auctores locuti sunt de vsu et consuetudine præsenti sæculi, et ideo non faciunt regulam pro sæculo præsenti et post Tridentinum.

DVBIVM II.

De initio Aurore, & quando possit inchoari Missa.

Quærimus in hoc dubio, quando, incipiat Aurora. quia diximus non posse inchoari Missas ante Auroram, consequenter opus est, vt sacerdotes, qui summo mane celebrant noverint illius initium, vt tuta conscientia possint celebrare.

Respondeo nomine Auroræ intelligi initium lucis ante ortum solis, idest antequam corpus solare nostris oculis appareat, vt supra dicemus-

dicebamus cum D. Tho. & dicitur Crepusculum, quasi lux dubia seu media inter noctem & diem. Hoc autem crepusculum seu lucis initium, & aurora praecedit ortum Solis per spacium vnius, vel duarum horarum iuxta temporum varietatem. Aliquando enim praecedit tantum per horam cum quadrante, vt in Mense Martio circa Equinoctium Veris; aliquando per duas horas cum quadrante in mense Iunio circa solstitium: aliquando per horam, & dimidium horae vt in Febr. & Septemb aliquando per duas horas, vel per vnam cum tribus quadrantibus in alijs mensibus: Itaque excepto Martio semper durat crepusculum per horam, et dimidiam, seu, quod idem est initium Aurorae praecedit ortum solis per horam cum dimidio, et tunc procul dubio possunt inchoari Missae, Ita Suar. disp. 80. sec. 4. asserens absque vllo peccato posse inchoari Missam hora, et dimidia ante ortum solis, Lugo de Euchar. disp. 20. sec. 1. Auersa de sacrific. q. 9. sec 15. et alij communiter apud Dianam de celeb. Missar. res. 33.

Prima Difficultas hic emergit, an praedictum Aurorae initium in ordine ad praeceptum de hora celebrandi, intelligendum sit mathematicè, et indiuisibiliter, vel potius moraliter cum aliqua latitudine.

Respondeo ex communi ferè DD. sententia, intelligendum esse moraliter non mathematicè. Probatur. Tum quia aequitas et recta ratio dictat vt in rebus morabilibus morali mensura vtamur, & non metaphisico rigore, quamdiu oppositum non constat de voluntate praecipientis. Tum quia sic consuetudo interpetrata est praeceptum, vt testantur omnes DD. sup. cit. qui consequenter addunt posse etiã seclusa priuilegio inchoari Missam semi horam ante initium Aurorae, ita vt finis Missae coincidat cum principio Aurorę, atque adeo posse inchoari Missam per duas horas ante ortum solis ex dictis supra. Probari etiam potest à pari quia etiam meridies est terminus, vltra quem non potest fieri sacrum, & nihilominus, vt infra dicemus recte seruatur praeceptum in hac parte si aliquid Missae dicatur ante meridiem, licet maior pars, & fere tota dicatur post meridiem, ergo celebrans eo tempore, vt aliquid Missę attingat Auroram, licet maior pars dicatur ante Auroram, celebrat debito tempore.

Secunda difficultas est vtrum in hoc praecepto detur paruitas materiae, & leue peccatum; vt si per breue spatium E. g. per semiquadrantem quis inchoaret Missam ante 2. horas praedictas, &c. Ratio dubitandi est quia in alijs praeceptis similibus non datur paruitas materiae ex parte temporis lege praefiniti E. g. in die ieiunij, qui paululum ante mediam noctem sequentem comedit carnem peccat mortaliter, loquimur autem de media nocte, in qua expirat praeceptum ieiunij, & est finis vigiliae. Vel si quis recitet officium diuinum diei sequentis immediate ante mediam noctem diei praecedentis non satisfacit; ergo pariter in casu nostro.

Prima sententia sustinet dari paruitatem materiae supra totum spatium duarum horarum in quo diximus posse licite inchoari Missas; consequenter dari peccatum veniale ratione paruitatis materiae, vt si paucis minutis ante duas horas praedictas quis Missam incipiat. Probatur quia in alijs praeceptis datur peccatum veniale ex leuitate materiae; ergo etiam in hoc praecepto. Nec obstat ratio dubitandi; quia hoc praeceptum non respicit punctum indiuisibilem sicut praeceptum ieiunij; sed admittit latitudinem. Ita expresse Auersa quest. 9. citata sect. 15. § 4. iuxta latitudinem, &c Fagundez in 1. praec. Eccl. qui tamen maius temporis spatium concedit pro paruitate materiae. Vt autem haec sententia sit probabilis meo iudicio excedi non debet medietas quadrantis horę.

Secunda sententia probabilior negat dari contra hoc praeceptum pecc. veniale ratione paruitatis materiae ex parte temporis; sed vel mortale vel nullum peccatum. Probatur quia maior vel minor latitudo temporis assignatur hic à DD. quoad esse morale ipsius Aurorae quia sentiunt non physice, sed moraliter accipiendam esse auroram. Vel ergo quis celebrat tali tempore, vt possit dici moraliter celebrare in Aurora, & sic nullum peccatum committit; sed licite operatur ex probabili Doctorum opinione; vel non potest verificari eum celebrare in aurora, etiam moraliter accepta, & tunc peccat moraliter, quia absolute, & simpliciter est trangressor precepti. Ita Lugo de Euchar. disp. 20. sect. 1. num. 36. & a fortiori Vasquez in 3. par. disput. 232 qui negat Auroram accipiendam esse moraliter.

DVBIVM III.

De meridie qualiter sit intelligendum posse fieri sacrum vsque ad meridiem, & non vltra.

Aduertendum Meridiem sumi posse vel mathematice pro puncto indiuisibili medietatis diei inter ortum, & occasum solis, quod nobis significari solet pulsu campanae, vel sumi potest moraliter pro tempore quod non longe distat à puncto mathematico praedicto; sed vel proxime praecedit, vel immediate subsequi-

sequitur; & appellari solet tempus meridianum.

Aduertendum secundo quando queritur de hora celebrandi Missam quæstionem procedere de initio Missæ idest de hora ante quam non potest inchoari Missa, quæ est initium Auroræ, vt iam diximus; & de hora post quam non potest inchoari sacrum, vt notant communiter DD & videri potest apud Lugo de Eucharist. disp. 20 sect. 1. num. 24 His positis.

Respondeo, & dico primo Missa sicut non potest inchoari ante Auroram, ita nec post meridiem; sed ad summum inchoari potest In meridie. Probatur quia illi duo termini assignantur in Missali in hac rubrica ad Missæ celebrationem; ergo &c. Ita Suar. Vasquez, Lugo, Auersa, & alij locis cit. in dub. precedenti.

Dico secundo meridies in casu nostro accipienda est moraliter non mathematice. Probatur; quia in rebus moralibus morali modo procedendum est, alias innumeræ orirentur perplexitates. Ita DD. communiter quos referunt auctores à nobis citati, & præsertim Diana de celebratione Missarum resolut. 34. his positis.

Difficultas consistit in eo, vt explicemus quantam latitudinem habeat meridies sic moraliter accepta, & an possit inchoari Missa, etiam dato signo meridiano, quod indicat punctum indiuisibilem medietatis diei. Certum est autem secundum omnes licite, & absque vlla culpa inchoari sacrum paulo ante meridiem, vel in ipso puncto meridiei, licet absoluatur post meridiem quia sacerdos vtitur iure suo. Nempe vtitur termino assignato à lege pro initio Missæ. Difficultas est an possit inchoari sacrum post meridiem, & quanto tempore post signum meridiei.

Respondeo probabile esse etiam post meridiem posse licite inchoari sacrum modo initium eiusdem faeri non longe distet à puncto medietatis diei. Probatur: quia meridies accipi debet moraliter vt supra dicebamus: moraliter autem censetur fieri sacrum in meridie quando eius initium parum ab ea distat, quippe moraliter quod parum distat nihil distare videtur DD. communiter. Hoc autem tempus diuersimode explicatur, & assignatur.

Aliqui existimant non violare huiusmodi legem, nec comittere peccatum mortale, nisi inchoantem sacrum per integram horam post meridiem, secus si infra horam eam inciperet, seu antequam elapsa sit hora à meridie. Ita Siluius in 3. par. quæst. 83. art. 2. Philippus de la Cruz tract. 10. de Euchar §. 3. Corol. 2. Bonac. de Euch. disput. 4. quæst. vltima punct. 9.

Alij afferunt licitum esse incipere sacrum intra dimidiam horam post meridiem, non vltra nam post elapsam dimidiam horam à meridie dicunt esse peccatū mortale incipere sacrum. Ita Layman. lib. 5. tract. 5. cap. 4 num. 4 Alphonsf. de Leone de officio Cappellani quæst. 8. sect. 17. num. 151.

Alij tandem rigidius solum concedunt posse inchoari, sacrum infra tertiam horæ partem post meridiem; non vltra. Ita Azorius to. 1. lib. 10. cap. 25. quæst. 6. cum alijs. Omnes autem prædictæ opiniones referuntur, vt probabiles à Diana de Celeb. Missar. resp. 34. quem imitantur Auersa de sacrificio quest 11. sect 15. & Lugo de Euchar. disp 20. sect. 1. Itaque non damnarem peccati mortalis sequentem in praxi quamcunque ex prædictis sententijs.

Mihi dicendum videtur cum Auersa loco citato, Diana par 10. tract. 12. resol. 12 vbi citat Leandrum, & alios Standum esse locorum consuetudini, quæ pro conditione regionum, & commoditate confluentium ad Missas magis, vel minus ampliauit tempus meridianum moraliter acceptum, & larius quam tempus Auroræ, vt communiter notant citati DD. Nam ex communi sententia saltem finis Missæ debet attingere initium Auroræ, & nihilominus ex dictis potest integra Missa distare à pūcto meridiei tribus quadrantibus, vel paulo minus integra hora: ex consuetudine vero potest inchoari Missa etiam, post horam, et vltra vide Dianam loco citato.

Dubitari insuper hic potest an incipere sacrum modo prædicto infra horam, vel mediam etc. à meridie iuxta sententias relatas, sit saltem pecc. veniale ratione paruitatis materiæ; nam auctores prædictarum opinionum solum videntur hoc excusare à pecc. mor. vt videre est apud Dianam res. 34. citata.

Respondeo nullum esse peccatum etiam absque causa intra terminos prædictos sacrum inchoare; quia reuera inchoatur in meridie moraliter accepta; quod licitum est, & vacat omni culpa: siquidem DD. loquuntur de tempore, quo licitum est sacrum facere.

Dubitari potest secundo an si Missa inchoetur paulo post horam, & terminum assignatum à DD. vt supra comittatur in eo casu peccatum veniale ratione paruitatis materiæ Respondet Tamburin. opusc. de Sacrificio lib. 1. cap. 4 §. 6. num. 19. Hoc solum fore peccatum veniale si absque vlla causa fiat: cum causa autem nullum fore peccatum.

Cæterum dicendum est non dari hic peccatum veniale ratione leuis materiæ vt in simili supra dicebamus de Aurora; Nam in casu posito vel durat meridies moraliter accepta, & sic licitè inchoatur sacrum tempore legitimo, vel non durat meridies, nec etiam moraliter accepta; & tunc est peccatum mor.

sacrum incipere; quia fit absolute, & simpliciter contra legem & totam eius dispositionem ita sentire videntur DD. citati à Diana de celeb. Miss. res. 34. p. 2.

DVBIVM IV.

Vtrum ex iusta causa possit fieri sacrum ante Auroram, & post meridiem.

Quæstio procedit de Aurora moraliter accepta, & pariter de meridie, vtrum possit inchoari sacrum ante duas horas præcedentes ortum solis: nam intra illas non requiritur causa, vt vidimus. Similiter vtrum possit inchoari sacrum elapsa integra hora post meridiem secluso priuilegio, vel dispensatione de quibus infra.

Respondeo affirmatiuè posita graui necessitate E.g. ad communicandum infirmum, alioqui fortasse absque viatico moriturum. Ratio; quia lex prohibens non videtur cum tanto rigore introducta, vt excipi non debeat casus grauis necessitatis. Hunc ergo casum pro communicando infirmo omnes admittunt: & quamuis Henriquez l. 9. cap. 24. hanc licentiam restringat ad tempus propinquum Auroræ; nihilominus communiter alij metiro extendunt ad mediam noctem, vt possit inchoari sacrum statim a media nocte. Ita Victoria, Vasquez, Layman, quos citat, & sequitur Diana de Celebr. Miss. res. 33. in fine, Lugo de Eucharistia disp. 20. sect. 1. Auersa de sacrificio quæst. 11. sect. 15. Vnde nec requiritur licentia ordinarij.

Secundus casus quem admittit Henriquez supra est si Sacerdos occasione itineris præueniat, vt commodius iter agat, quod tamen communiter reijcitur; non enim sola commoditas, aut priuata deuotio videtur causa sufficiens sic præueniendi contra legem, & consuetudinem Ecclesiæ. Vide Diana supra. Quod si causa sit publica: quia populus institurus est peregrinationem admitti potest præuentio ad satisfaciendum multitudini, vt docet Layman lib. 5. tract. 5. cap. 4. num. 3. citans Sotum.

Tertius casus est Rationabilis consuetudo anticipandi auroram E.g. in illis locis, vbi sero oritur sol, & communiter populus multo ante solis ortum pergere solet ad sua opera, vel negotia. In prædictis ergo locis merito introductum est, vt etiam tribus horis ante solis ortum fiat sacrum, vt operarij audiant Missam. Layman loco supra citato, Tamburinus de sacrificio lib. 1. cap. 4. §. 4. num. 3. cum alijs. Hæc quo ad Auroram. Quo ad meridiem verò.

Respondeo, & dico secundo ob similes causas licitum est sacrum facere post meridiem eadem ratione supra explicata in præcedenti conclusione, & sicut licitum est anticipare auroram ita pariter differre sacrum post meridiem.

Primo ad communicandum infirmum ne sine viatico decedat, quod omnes concedunt. Et quamuis Vasquez de Eucharestia disp. 232. cap. 4. Limitet ad tres horas post meridiem; alij tamen absque limitatione afferunt posse dici Missam in quacunque hora diei. Ita Auersa & Lugo locis supra citatis. An autem opus sit vt sacerdos sit ieiunus, alibi examinabimus.

Secundò in magna solemnitate: quando ad longius spatium Missa solemnis protrahitur, interposita etiam interdum concione; tunc enim durante Missa solemni & immediatè post illam dici solent Missæ priuatæ absque dispensatione vsque ad tertiam horam post meridiem ob populi commoditatem. Ita Suar. disp. 80. sect. 4. Vasquez, Tamburinus, Auersa locis citatis, & communis praxis confirmat. Vide etiam Dianam par. 10. tract. 12. resol 12.

Tertio etiam ex aliqua causa priuata concedunt DD. dilationem quo ad meridiem, vt si Sacerdos fuerit impeditus ratione itineris, poterit celebrare per horam post meridiem præsertim in die Festo. Ita Henriquez, miranda, Suarez, Layman, quos citat, & sequitur Diana de celebr. Miss. res. 34. & par. 10. tract. 12. resol. 12. Vnde apparet consuetudine introductum esse, vt minor causa requiratur ad celebrandum post meridiem, quod olim erat licitum, quam ante auroram, quod nunquam fuit licitum sine dispensatione.

DVBIVM V.

Vtrum Episcopus dispensare possit, vt ante Auroram, vel post meridiem sacrum fiat.

Respondeo affirmatiuè, & à fortiori posse ipsum Episcopum tali facultate vti, & concedere; vt quilibet Sacerdos vna hora ante Auroram celebret; & similiter post meridiem Probatur quia potest Episcopus dispensare in alijs præceptis Ecclesiæ E.g. ieiunij, vel festi in casibus occurrentibus ergo etiam in hoc. Dixi in casu particulari quia non potest Episcopus concedere priuilegium generale, sicut potest Summus Pontifex. Ita Suar. disp. 80. sect. 4. §. sed quæres primo Layman. tract. 5. cap. 4. num. 3. Auersa de sacrificio quæst. 9. sect. 15. Coninch de sacrificio, & alij communiter. Requiritur tamen aliqua causa; eo quia fit dispensatio in lege superioris non tamen ita grauis, qualis sufficit etiam sine dispensatione sed minor

minor E.g. iter faciendum, infirma valetudo, studium necessarium ad concionem, multitudo confessionum, & similes arbitrio prudentis de quibus Tamburinus opusc.de sacrificio cap. 4. §.4.num.7.

DVBIVM VI.

Quid possint Regulares in hac materia per sua priuilegia.

RE spondeo & dico primo, possunt Regulares itineris, vel alterius causæ gratia de licentia superioris celebrare per horam ante Auroram. Quod intelligitur ante illud tempus Auroræ, quo permissum est omnibus sacrum facere: alias priuilegium nihil operaretur, consequenter possunt Religiosi celebrare per tres horas ante ortum solis. Ita Suar. disp. 80. sec. 4. Diana de celeb. Missarum res 33. Auersa de sacrificio quest. 2. sec. 15. Lugo de Eucharistia disp. 20. sec 1. num. 32. & communiter ex priuilegio Greg. XIII. quod refertur in compendijs priuilegiorum, & refert etiam in suo Compendio Pater Peregrinus verb. Missa An autem sufficiat licentia tacita, Et probabiliter presumpta R spondendum est affirmatiue ex regulis generalibus, quia consensus tacitus idem operatur ac expressus.

Imo ex alijs priuilegijs plus conceditur regularibus præsertim ab Alex. 6. vt possint sacrum facere duabus horis post mediam noctem de licentia superioris vt refert Rodriquez in Bullario Regularium Bulla 13. Alexand. VI. & ex eo Lugus disp. 20 sec. 1. num. 27. Quæ priuilegia non esse reuocata per Concil. Trid. sess. 22. in decreto de euitandis in celeb. Miss. Probat idem Lugo num, 28. videri etiam potest Diana p. 2. Ref. 33. citata. Alia etiam priuilegia refert Tamburinus de sacrificio l. 1. c. 6. §. 4. de quibus dubitatur an sint reuocata eo quod sint viuæ vocis oracula.

Dico secundo possunt Regulares celebrare inchoando sacrum per horam post meridiem ex Priuilegio, quod refert Vasquez de Eucharistia disp. 232. num. 37 & Auersa de sacrificio quest. 2. sec. 16 Circa quod notat Auersa vbi consuetudine ampliatus est terminus post meridiem, non propterea posse priuilegium ampliari per horam vltra totum terminum. Vnde videtur accipere meridiem mathematice, qua ratione priuilegium, fere nihil operaretur. Cæterum dicendum est meridiem etiam in hoc casu accipiendã esse moraliter & consequenter priuilegium intelligi de hora vltra totum terminum consuetudine ampliatum, vt patet ex dictis de Aurora, nec est maior ratio de vno termino, quam de alio, vtroque accepto moraliter.

Maius priuilegium refert Diana de celebr. Missarum ref.34. par.2. vt possint regulares celebrare Missam vsque ad nonam, seu tres horas post meridiem ex concessione Eugenij IV. apud Rodriquez supra Bulla secunda Eugenij. Notat autem lugo disp. 20. sect. 1. num. 42. hoc priuilegium non esse absolutum: sed cum limitatione iustæ causæ E.g. itineris vel similis. Item non esse vninersaliter verum horam nonam extendi ad 3. horas post meridiem: sed in æquinoctio; Nan in solstitio hyemal. hora nona attingit solum ad secundam post meridiem eum quadrante: In solstitio autem Aestiuo vsque ad horam tertiam post meridiem cum tribus quadrantibus, vt late probat Francolinus de tempore horar cap. 10. Cæterum non desunt alij DD asserentes Priuilegium Eugenij esse absolutum, & absque Limitatione inter quos est Brunus de Priuileg Regularium pat 2. tract 8. cap. 1. propos. 3.

DVBIVM VII.

Vtrum in nocte Natiuitatis possint celebrari omnes tres Missæ statim à media nocte. Et quid iuris de Missa ante mediam noctem in Capella Papali.

QVoad primum aliqui DD contendunt nõ posse celebrari nocte nisi primam tantum. rationes, & Auctores possunt videri apud Dianam de celebr. Missar. ref. 35. par. 2,

Respondeo tamen ex communi sententia posse ea nocte absque vllo scrupulo celebrari omnes tres Missas; ita vt à media nocte assignetur pro omnibus tempus liberum celebrandi, vt colligitur ex cap nocte sancta de Consec dist. prima, & iam consuetudine hoc confirmatum est, & etiam Romæ communiter seruatur DD. videri possunt apud Dianam supra, vbi soluit argumenta oppositæ sententiæ.

Quoad secundum notum est Romæ, In Capella Pontificia celebrari primam Missam Natalis ante mediam noctem de concessione, seu dispensatione Summi Pontificis: quod etiam seruatur Venetijs in Templo diui Marci. An autem celebrans debeat esse ieiunus à præcedenti media nocte? Dicemus 3. par. Vbi de Ieiunio ad sacrificium requisito. Hoc posito occurrunt hic nonnullę difficultates.

Prima difficultas est. An Cardinalis, vel alius celebrans Missam prædictam possit nihilominus in die Natalis, quæ incipit à media nocte proximè sequenti, An inquam possit celebrare tres Missas, sicut possunt alij. Ratio dubitandi est: quia Iure communi conceditur

omnibus ea die ter celebrare ; Cardinalis autem prædictus, quamuis primam Missam Natalis cantauerit, non tamen in ipsa die Natalis Domini, sed postremis horis Vigiliæ præcedentis : ergo non debet propter hoc esse deterioris conditionis alijs Sacerdotibus, qui ter Missam celebrant, qua ratione motus affirmat Caramuel in Theologia fundamentali fundamento 31 num 13.

Respondeo tamen negatiue. Ratio est: quia Summus Pontifex non dispensat in numero Missarum, quæ dici possunt de ipso festo Natalis Domini; sed solum in hora celebrandi primam ex tribus illis Missis, quæ conceduntur pro die Natalis ; quod facit, vel ampliando, seu anticipando per aliquot horas eamdem diem ad hunc solum effectum, sicut placet Cardinali de Lugo de Eucharistia disp. 15. sect. 2. num. 56. Et Auersæ de Euchar. disp. 8. sect. 8 Vel transferendo in diem præcedentem partem illius priuilegij, quod Ius comune concedit pro ipsa die Natalis. Vt melius asserunt alij Pasqualigus in decis. moralibus decis. 311. Dicastillo de sacram. tom. 1. tract. 4. disput. 9. dub 17. quæst. 7. num. 404. Vtrouis autem modo id fiat, non potest qui iam celebrauit primam Missam Natalis iterum eam dicere ; sed solum reliquas duas. Ad rationem dubitandi. Respõdetur primam Missam in casu nostro celebratam fuisse, vel in ipsa die Natalis ampliata in hunc effectum à Summo Pontifice : & sic non posse iterum dici eadem die. Vel celebratam fuisse ex dispensatione Summi pontificis, qui non tollit, quod Iure communi conceditur, sed indulget anticipato modo illud ipsum, quo ad primam tantùm Missam ; quare non potest iterum illam dicere ; nec ideò est deterioris conditionis ; sed melioris : quia fruitur anticipatè eodem priuilegio ; sed non potest bis frui.

Secunda difficultas est. An Cardinalis prædictus : vel alius celebraturus primam Missam Natalis ante mediam noctem, possit mane celebrare Missam consuetam Vigiliæ. Ratio dubitandi est : quia bis celebraret eadem die Vigiliæ, quod est prohibitum.

[illegible]spondeo posse celebrare Missam Vigiliæ hor[illegible] [illegible]suetā. Probatur : quia vel illa hora [illegible]a celebratur prima Missa Natalis, non [illegible]tinet ad diem Vigiliæ : sed ad diem Natalis ampliatæ à Summo Pontifice in eum effectum & sic Cardinalis ille, non celebrat bis in die Vigiliæ, sed ter in die Natalis ; vel si prædicta [h]ora antè mediam noctem pertinet ad diē Vigiliæ, vt videtur probabilius ; licitè potest Cardinalis prædictus bis ea die celebrare ex speciali concessione Summi Pontificis, qua non tollitur id, quod Iure comuni omnibus est concessum. Videlicet, celebrare Missam Vigiliæ horis co[n]suetis ; sed conceditur anticipatio primæ Missæ Natalis. Ita communiter DD. supra cit.

Tertia difficultas. An satisfaciant præcepto audiendi Missam pro die Natali. Tum ipse celebrans antè mediam noctem : Tum alij præsentes eidem Missæ, negat Pasqualigus supra : quia licet Missa prædicta sit de festo Natalis ; nihilominus præceptum non obligat ad audiendam Missam de festo ; sed propria die ipsius festi. Illa autem prima Missa non dicitur in die Natalis.

Respondeo tamen verè satisfacere. Tum quia probabile est illam Missam censeri dictam in die Natalis ampliata in eum effectum ex supra dictis. Tum quia esto non dicatur in die Natalis, nihilominus verè dicitur pro solemnitate Natalis, & consequenter ex tacita mente Summi Pontificis satisfit obligationi adnexæ diei, & festiuitati Natalis, sicut beneficiarij satisfaciunt obligationi recitandi Officium sequentis diei recitando Matutinum post Vesperas diei antecedentis. Ita Dicastillo, Auersa, & alij supra citati, & Diana par 7. tract. 12. resol 22. & par. 10. tract. 14. resol. 35.

Quarta difficultas. An quando Vigilia Natalis incidit in diem Dominicam possit quis licitè nolle audire Missam, mane diei Dominicæ : sed ad satisfaciendum huic præcepto expectare Missam illam, quæ dicenda est postremis horis in Cappella Pontificia : quia illæ horæ ante mediam noctem Natalis verè, pertinent ad diem Dominicam in casu, de quo loquimur.

Respondeo negatiuè. Probatur : quia illa Missa, quę dicitur ante mediam noctem Natalis non computatur vllo modo pro Dominica. sed pro sequenti festiuitate Natalis : ergo auditione Missæ prædictæ non potest satisfieri præcepto diei Dominicę.

Confirmatur ; quia non potest satisfieri Vnico Sacro duobus præceptis duplicis festiuitatis & duplicis diei : Cum ergo ea Missa satisfiat præcepto diei Natalis ; non potest eadem satisfieri præcepto Dominicæ præcedentis. Ita alijs citatis, Diana par. 10. tract. 12. resol. 22.

An autem in casu prædicto celebrans anticipatè illam primam Missam Natalis sumere possit ablutionem, vel etiam postea cenare ante mediam noctem, & die sequenti Videlicet in die Natalis celebrare secundam, & tertiam Missam. Negat Cardinalis de Lugo, iuxta sua principia. Sed melius concedit Pasqualigus, consequenter ad suam sententiam de qua re nos dicemus in 3. parte, cum de Ieiunio ad Missam requisito.

DVBIVM VIII.

Vtrum sit peccatum celebrare Missam solemnem absque Ordine horarum canonicarum, qui præscribitur in hac Rubrica.

QVod est querere, Vtrum sit præceptiua, vel directiua Rubrica præscribens, vt in Missa solemnis celebretur post Tertiam in diebus festis, in alijs vero post Sextam, vel Nonam.

Aliqui censent non posse inuerti hunc ordinem absque peccato mortali, Ita Suarez disp. 72 sect. 1. in fine, vel saltem esse mortale si non sit recitatum Matutinum in choro docent aliqui quos refert & ex parte sequitur Niget Addit Ruiz p. 1. præsup. 4 quæst 10. & 11. ex vi consuetudinis, vel saltem in die solemni, vt docet Bartholomeus à Sancto Fausto lib. 2. de sacrif. quæ 299. nihilominus,

Respondeo per se loquendo non esse peccatum prædictum ordinem inter Missam, & horas Canon. non seruare. Probatur hæc rubrica non est præceptiua sed directiua; ergo non obligat ad culpam sed solum consulit. Antecedens probatur, rubrica præscribens ritus seruandos non in ipsa celebratione sed ante in præparatione Missæ est solum directiua, vt late probauimus quæst. proem. sec. 2. punct. 2. sed rubrica, de qua loquimur est huiusmodi; quia præscribit quid sit agendum ante Missam solemnem, nempe vt præmittatur aliqua ex horis Canonicis, quæ sunt quædam dispositiones ad celebrationem Missæ: ergo &c. Loquimur autem hic ex vi præcisa rubricæ; nam quoad alia, quæ præmitti debent E.g. Confessio sacramentalis est diuersa ratio quia iure Canonico præcipiuntur sub mortali.

Confirmatur quia ex eadem rubrica Missæ priuatæ dici debent saltem post recitatū matutinum cum laudibus, & nihilominus communiter DD. asserunt eam rubricam esse directiuam: ergo pari ratione rubrica præscribens præmittendam esse Tertiam ante Missam solemnem est directiua, & non præceptiua: nec obstat consuetudo, quæ non habet vim legis; sed introducta est ad satisfaciendum rubricæ directiuæ. Intelligitur autem hæc doctrina, secluso scandalo, quod posset contingere in Missa solemni, quæ publice cantatur cum prædicto ordine ad horas Canon. quare si scandalum graue timeatur committeretur peccatum mort. veniale autem si leue scandalum timeretur, vt tandem concedit Suar. supra. Cæterum secluso scandalo, & posita causa rationabili: quia E.g. vult assistere Missæ princeps aliquis, & opus erit inchoare Missam statim ac ad Ecclesiam peruenerit: nullum erit peccatum eum ordinem non seruate.

Colligitur quid sit sentiendum de doctrina, quam tradit Suar. disp 80. de sacrific. sect. 4. fine, nempe per Missam solemnem semper hic intelligi Missam diei; non autem alias Missas quæ etiam cum cantu dicuntur ex deuotione, has enim ait indifferenter dici posse toto tempore supra notato, idest inter Auroram, & meridiem nullo habito respectu ad horas Canon. neque contra hoc esse aliquam constitutionem Ecclesiasticā: Sed pace tanti viri hoc non videtur absolute verum, nam rubricæ prædictæ de hora celebrandi non solum disponunt de Missis solemnibus diei, seu conuentualibus sed etiam de Missis Defunctorum, & de Missis Votiuis, quæ solemniter sed ex deuotione celebrantur, & verè sunt solemnes, vt patet ex rubricis explicatis huius tituli num. 3. & 5. & secundum regulas Missalis dici debent post Nonam: ergo si dicerentur post Tertiam vel Sextam verè fieret contra constitutionem Ecclesiasticam contra id quod dicebat Suarez, qui si velit eandem constitutionem, seu regulam Missalis non esse præceptiuam; sed directiuam vltro concedimus.



Tabu-

Tabulæ Auroræ, Meridiei, & mediæ Noctis.

OCcasione Rubricarum huius Tituli XV de hora celebrandi ab aurora vsque ad Meridiem : opere pretium esse duximus hic apponere tabulas, quibus dignosci possunt Aurora & Meridies Cum autem Sacerdos celebraturus debeat esse ieiunus à media nocte, scire etiam debet punctum mediæ Noctis, quod facile percipiet ex eisdem Tabulis hic descriptis præsertim pro Italia. Aduertendum est autem primo Horologia Italiæ significare horas tardius quam indicem Horologia solaria per dimidiam horam circiter, & ideo deatrahendum esse hoc spatium.

Aduertendum secundo loca Italiæ esse in triplici differentia; quædam sub eleuato polo per gradus 39. Alia per gradus 42. Alia per gradus 45: ea vero quæ extra hos gradus dicuntur esse reduci possunt ad vnam ex his classibus ad quam propius accedunt; loca vero pręcipua sunt hæc.

Tabula locorum pro vsu Tabellarum sequentium.

PER GRADVS. 39.

Barium.	Cosentia.	Sardinia.
Brundusium.	Istria.	Sicilia.
Corcyræ.	Reg. Calabriæ	Tarentum, &c

PER GRADVS. 42.

Ancona.	Lauretum.	Reg. Estensis.
Aquila.	Lucæ.	Roma
Arpinum.	Macerata.	Septempeda
Corsica.	Neapolis.	Spoletum
Florentia.	Perusia	Viterbium
Forosempron.	Pisæ.	Vrbinum.
Fulginia.	Piscia.	Zagaroium
Imola.	Rauenna.	

PER GRADVS. 45.

Annetium.	Genua.	Placentia
Aquæ.	Mantua	Sauona
Aquileia.	Mediolanum	Taurinum.
Asta.	Nouaria	Tridentum
Bononia.	Papia.	Venetiæ
Brixia.	Parma.	Vercellæ
Casale S. Euas.	Patauium.	Verona, &c.
Cremona.		
Derthona.		



Ta-

Tabella Auroræ, Meridiei, & Mediæ noctis per singulos Menses ad Gradus 39.

	Principium Crepusculi Matut.		Meridies		Medium noctis.	
MENSE IANVARIO.						
Dies	Hora	Min.	Hora	Min.	Hora	Min.
3	12	59	19	20	7	20
9	12	54	19	17	7	17
15	12	49	19	14	7	14
21	12	40	19	9	7	9
26	12	31	19	4	7	4
MENSE FEBRVARIO.						
1	12	30	18	58	6	58
7	12	9	18	52	6	52
13	11	56	18	45	6	45
19	11	42	18	38	6	38
25	11	29	18	31	6	31
MENSE MARTIO.						
3	11	13	18	23	6	19
9	10	57	18	15	6	15
15	10	43	18	8	6	8
21	10	26	18	0	6	0
27	10	9	17	52	5	54
MENSE APRILI.						
2	9	54	17	45	5	46
8	9	37	17	37	5	37
15	9	19	17	29	5	29
21	9	3	17	26	5	26
27	8	46	17	15	5	15
MENSE MAIO.						
3	8	29	17	8	5	8
9	8	15	17	2	5	2
15	8	0	16	56	4	56
21	7	47	16	51	4	51
28	7	34	16	46	4	45
MENSE IVNIO.						
3	7	26	16	45	4	43
9	7	17	16	40	4	40
16	7	12	16	38	4	38
22	7	12	16	38	4	38
28	7	12	16	38	4	38
MENSE IVLIO.						
5	7	17	16	40	4	40
11	7	26	16	43	4	43
17	7	34	16	46	4	46
24	7	47	15	51	4	51
30	8	0	15	56	4	56
MENSE AVGVSTO.						
5	8	15	17	2	5	2
11	8	29	17	8	5	8
18	8	46	17	15	5	15
24	9	3	17	26	5	26
30	9	19	17	29	5	29
MENSE SEPTEMBRI.						
5	9	37	17	37	5	37
11	9	54	17	45	5	45
18	10	9	17	52	5	52
24	10	26	18	0	6	0
30	10	43	18	8	6	8
MENSE OCTOBRI.						
6	10	57	18	15	6	15
12	11	13	18	23	6	23
18	11	20	18	31	6	31
24	11	42	18	38	6	38
30	11	56	18	45	6	45
MENSE NOVEMBRI.						
5	12	9	18	52	6	52
11	12	20	18	58	6	58
17	12	31	19	4	7	4
23	12	40	19	9	7	9
29	12	49	19	14	7	14
MENSE DECEMBRI.						
5	12	54	19	17	7	17
11	12	59	19	20	7	20
17	13	3	19	22	7	22
22	13	3	19	22	7	22
28	13	3	19	22	7	21

Tabella Auroræ, Meridiei, & Mediæ noctis per ſingulos Menſes ad Gradus 42.

	Principium Crepuſculi Matur.		Meridies		Medium noctis.	
			MENSE IANVARIO.			
Dies	Hora	Min.	Hora	Min.	Hora	Min.
3	13	14	19	30	7	30
9	13	9	19	27	7	27
15	13	2	19	23	7	23
21	12	51	19	17	7	17
26	12	42	19	11	7	11
			MENSE FEBRVARIO.			
1	12	29	19	5	7	5
7	12	16	18	58	6	58
13	12	1	18	50	6	50
19	11	46	18	42	6	42
25	11	30	18	34	6	34
			MENSE MARTIO.			
3	11	15	18	26	6	26
9	10	57	18	17	6	17
15	10	40	18	9	6	9
21	10	22	18	0	6	0
27	10	2	17	51	5	51
			MENSE APRILI.			
4	9	45	17	43	5	43
9	9	25	17	34	5	34
15	9	7	17	26	5	26
21	8	49	17	18	5	18
27	8	30	17	10	5	10
			MENSE MAIO.			
3	8	10	17	2	5	2
9	7	53	16	55	4	55
15	7	34	16	49	4	49
21	7	20	16	43	4	43
28	7	4	16	37	4	37
			MENSE IVNIO.			
3	6	53	16	33	4	33
9	6	44	16	30	4	30
16	6	38	16	28	4	28
22	6	38	16	28	4	28
28	6	38	16	28	4	28
			MENSE IVLIO.			
5	6	44	16	30	4	30
11	6	53	16	33	4	33
17	7	4	16	37	4	37
24	7	20	16	43	4	43
30	7	34	16	49	4	49
			MENSE AVGVSTO.			
5	7	53	16	55	4	55
11	8	10	17	2	5	2
18	8	30	17	10	5	10
24	8	49	17	18	5	18
30	9	7	17	26	5	26
			MENSE SEPTEMBRI.			
5	9	25	17	34	5	34
11	9	45	17	43	5	43
18	10	2	17	51	5	51
24	10	22	18	0	6	0
30	10	40	18	9	6	9
			MENSE OCTOBRI.			
6	10	57	18	17	6	18
12	11	15	18	26	6	26
18	11	30	18	34	6	34
24	11	46	18	42	6	42
30	12	1	18	50	6	50
			MENSE NOVEMBRI.			
5	12	16	18	58	6	58
11	12	29	19	5	7	5
17	12	42	19	11	7	11
23	12	51	19	17	7	17
29	13	2	19	23	7	23
			MENSE DECEMBRI.			
5	13	9	19	27	7	27
11	13	14	19	30	7	30
17	13	18	19	32	7	31
23	13	18	19	32	7	32
28	13	18	19	32	7	31

Tabella Auroræ, Meridiei, & Mediæ noctis per singulos Menſes ad Gradus 45.

	Principium Crepuſculi Matút.		Meridies		Medium noctis.	
Dies	Hora	Min.	Hora	Min.	Hora	Min.
		MENSE IANVARIO.				
3	13	28	19	40	7	40
9	13	23	19	37	7	37
15	13	14	19	32	7	32
21	13	3	19	25	7	26
26	12	52	19	20	7	20
		MENSE FEBRVARIO.				
2	12	38	19	12	7	12
7	12	23	19	4	7	4
13	12	8	18	56	6	55
19	11	51	18	47	6	47
25	11	33	18	38	6	38
		MENSE MARTIO.				
3	11	16	18	29	6	29
9	10	56	18	19	6	19
15	10	37	18	10	6	10
21	10	16	18	0	6	0
27	9	55	17	50	5	50
		MENSE APRILI.				
2	9	35	17	41	5	41
9	9	13	17	31	5	31
15	8	52	17	22	5	22
21	8	31	17	13	5	13
27	8	9	17	4	5	4
		MENSE MAIO.				
3	7	49	16	56	4	55
9	7	28	16	48	4	48
15	7	6	16	40	4	40
21	6	49	16	34	4	34
28	6	31	16	28	4	28
		MENSE IVNIO.				
3	6	15	16	23	4	23
9	6	5	16	20	4	20
16	5	58	16	18	4	18
22	5	55	16	17	4	17
28	5	58	16	18	4	18
		MENSE IVLIO.				
5	6	5	16	20	4	20
11	6	15	16	23	4	23
17	6	31	16	28	4	28
24	6	49	16	34	4	34
30	7	6	16	40	4	40
		MENSE AVGVSTO.				
5	7	28	16	48	4	48
11	7	49	16	55	4	56
18	8	9	17	4	5	4
24	8	31	17	13	5	13
30	8	52	17	22	5	22
		MENSE SEPTEMBRI.				
5	9	13	17	31	5	31
11	9	35	17	41	5	41
13	9	55	17	50	5	50
14	10	16	18	0	6	0
30	10	37	18	10	6	10
		MENSE OCTOBRI.				
6	10	56	18	19	6	19
12	11	16	18	29	6	29
18	11	33	18	38	6	38
24	11	51	18	47	6	47
30	12	8	18	56	6	56
		MENSE NOVEMBRI.				
5	12	23	19	4	7	4
11	12	38	19	12	7	12
17	12	52	19	20	7	20
23	13	3	19	26	7	26
29	13	14	19	32	7	32
		MENSE DECEMBRI.				
5	13	23	19	37	7	37
11	13	28	19	40	7	40
17	13	32	19	42	7	42
22	13	33	19	43	7	43
28	13	32	19	42	7	42

TITVLVS XVI.

DE HIS QVÆ CLARA VOCE AVT SECRETO DICENDA SVNT IN MISSA.

1 IN Missa priuata clara voce dicuntur Antiphona, Psalmus ad Introitum, Confessio, & quæ sequuntur, excepta Oratione, Aufer à nobis, & Oramus te Domine per merita sanctorum tuorum &c. Item Introitus Kyrie eleison, Gloria in Excelsis; Dominus vobiscum, Oremus, flectamus genua, leuate, Oratio, vel Orationes, Prophetiæ, Epistola, Graduale, versus, Tract. Sequentia, Euangelium, Credo, Offertorium, Orate Fratres, solum hec duo verba, Præfatio, Nobis quoque peccatoribus. solum hæc tria verba. Item, per omnia sæcula sæculorum, &c. cum Pater noster, Per omnia secula sæculorum, cum pax Domini, Agnus Dei Domine non sum dignus, hæc quatuor verba tantum, Communio, Oratio, Orationes post communionem. Humiliate capita vestra Deo, Ite Missa est, vel benedicamus Domino, vel requiescant in pace. Benedictio, & Euangelium in principio, vel aliud Euangelium, Alia omnia dicuntur secretò.

2 Sacerdos autem maximè curare debet, vt ea quæ clara voce dicenda sunt distinctè, & appositè proferat, non admodum festinanter, vt aduertere possit quæ legit, nec nimis morosè, ne audientes tædio afficiat; neque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios, qui fortasse in eadem Ecclesia tunc temporis celebrant, neque tam submissa, vt à circunstantibus audiri non possit, sed mediocri & graui, quæ & deuotionem moueat, & audientibus ita sit accommodata, vt quæ leguntur, intelligant. Quæ verò secretè dicenda sunt, ita pronunciet, vt & ipsemet se audiat, & á circumstantibus non audiatur.

3 In Missa solemni quando dici debet à celebrante Gloria in Excelsis, & Credo intonantur, & cantantur, Dominus vobiscum, & orationes ante Epistolam, Dominus vobiscum, Oremus ante orationes, & ante Offertorium, Præfatio, per omnia sæcula seculorum cum Pater noster Per omnia sæcula sæculorum cum Pax Domini, & Orationes post Communionem. Alia quæ in Missa priuata dicuntur clara voce, in Missa solemni a celebrante dicuntur submissa voce.

EXPLICATIO LITERALIS.

NOn casu, aut leuiter fuerunt ab Ecclesia instituti singuli ritus, qui seruantur in Missa, & specialiter hic modus pronunciandi quædam submissa voce alia vero elatiori; sed magnis rationum, & mysteriorum ponderibus vt contra insanientes hereticos declarat Tridentinum sess. 22, canon 9. Prima autem & potissima ratio est quam insinuat idem Tridentinum c. 5. citato: nempe quia his adminiculis indigent homines, vt ad rerum diuinarum meditationem sustollantur; hinc perscribit Ec-

cle-

clesia vt à Sacerdote quædam in Missa clara voce pronuncientur; vt populus audiens instruatur, & primo auribus corporis verba Dei percipiat. Deinde ex eiusdem Ecclesiæ præscripto orat submisse sacerdos, vt populus ea, quæ auribus audiuit, corde interius ruminet, vt meliusq; se colligere possit, & iuxta propriam deuotionem Deum deprecari. Partim ergo sacerdos clara voce ad populum loquitur, partim dum ipse sacerdos secreto orat sinit, vt populus cum Deo loquatur. Quod non obscure insinuat Concilium Coloniense p. 7. cap. 26. dum ait. Tunc esse in Missa precipuas populi partes, quando submissius legente, aut tacente sacerdote, vnusquisque cum Deo loquitur, & Cyprianus in Expositione orationis Dominicæ, & refertur in Can. Quando autem de consecr. dist. 1. Ideo, inquit, sacerdos ante orationem præfatione præmissa parat fratrum mentes, dicendo sursum corda: vt dum responder plebs, Habemus ad Dominum, admoneatur, nihil se aliud, quam Dominum cogitare debere.

Secunda ratio, & causa huius ritus est, quia illa met varietas nunc publice, nunc secreto orandi delectat magis, & tædium repellit.

Tertia tandem causa est, quia non omnia mysteria debent omnibus æque diuulgari, vt fusius ex sanctis Patribus explicat Suar. disp. 83. sec. 1. tom. 3. in 3. p.

Reliqua expositione non indigent sed admonitione. Primo vt ea tantum clara voce dicantur, quæ hic distincte, & exactissime notantur: vnde reprehensione sunt digni, qui alia proferunt alta voce ex. gr. illa verba, Memento Domine famulorum fam. &c. id enim est contra rubricam. Peius etiam faciunt qui ipsa verba consecrationis ita proferunt vt à circustantibus audiantur.

Secundo plures cursim, & nimis festinanter legunt, contra hanc rubricam; alij peius verba mutilant, & sincopant, aut deglutiunt, & absorbent. Tertio ea quæ clara voce proferri debent à multis ita submissæ leguntur, vt a circustantibus audiri non possint. Alij contra in aliud extremum declinant, & vocem clamando exaltant, ita vt alios perturbent: vtrunque contra rubricam. Quale autem peccatum in his, & similibus committatur, dicemus inferius in dubijs conscientiæ.

SENSVS MYSTICVS.

Sacerdos in altari mystice representat personam ipsius Christi Domini præsertim in Cruce. Quando autem Christus in Cruce semetipsum obtulit in sacrificium; nunc alta voce orabat, Pater ignosce illis &c. vel ad astantes loquebatur, Mulier ecce filius tuus: nunc vero tacebat, & intra se orabat. Ita etiam sacerdos in Missa nunc ad populum loquitur clara voce: nunc Deum secreto orat. Ipsas etiam præces, quas ad Deum fundit, nunc alta, nunc submissa voce pronunciat; quia eodem modo Christus in horto, & in Cruce orabat.

DVBIA CONSCIENTIAE.

DVBIVM I.

Qualiter peccet Sacerdos, dicens secreto ea quæ alta voce pronuntiari debent, & è contra.

Certum est peccare transgressores huius regulæ, seu rubricæ: quia est regula præceptiua, & de ritu spectante ad ipsam recitationem Missæ. Dubitatur qualiter peccent.

Prima difficultas est de illis, qui Missam legunt voce tam de Missa, vt astantes audire non possint.

Prima sententia est Nauarri apud Sà verbo Missa num. 50. & apud Bonacinam de sacramentis disp. 4. quæst. vltima punct. 2. num. 20. Caetani 22. quæst. 83. art. 12 quæ damnat peccati mortalis sacerdotem sic recitantem Missam præsertim die festo. Ratio Nauarri est; quia fideles non satisfaciunt præcepto audiendi Missam, nisi vere audiant, & auribus percipiant quæ dicuntur a sacerdote: ergo tenetur sacerdos sub peccato mor. clara voce Missam recitare. Ita vt astantes possint commode audire.

Opposita sententia est communis, & vera, videlicet prædictum modum recitandi Missam esse quidem reprehensibilem, quia contra rubricam: non tamen excedere culpam venialem. Probatur quia ille modus neque præsefert grauem irreuerentiam contra sacrificium; nec in eo apparet vlla grauis deformitas. Ita Bonacina l. c. Tamburinus Opusc. de sacrificio lib. 1. cap. 9. §. 1. & DD communiter. Imo nonnulli etiam timorati voce omnino depressa Missam recitant sine vllo scrupulo, etiam peccati venialis: arbitrantes forsan hanc rubricam non esse præceptiuam: quod tamen non admittimus ex principijs alibi explicatis. Pro hac etiam sententia citari potest Sanchez lib. 7. opusc. cap 2. dub. 8. num. 6. vbi ait peccare eos, qui Missas priuatas ita dicunt vt percipi nequeant: quamuis non explicet an peccent mortaliter vel venialiter.

Ad argumentum Nauarri respondemus negando antecedens nam surdi, & cœci satisfaciunt præcepto audiendi Missam, quia satis est si ibi deuote assistant vt communiter docent,

Secunda difficultas de recitantibus alta voce, quæ iuxta hanc rubricam dici debent secreto, quale peccatum committant.

Respondeo videri peccatum veniale ex genere suo; quia modus ille pronunciandi, neque est intrinsece malus; neque præceptum, quo prohibetur est tam rigidum, vt per se obliget sub pecc. mort. Facilius tamen hoc modo pronunciandi deueniri potest ad peccatum mort. quam opposito, de quo diximus in præcedenti difficultate. Probatur ex differentia inter vtrumque modum. Nam qui submissa voce recitat quæ altius pronunciari deberent, facilius excusari potest, vel ob debelitatem vocis naturalis, vel quia sic recitat, ne alios perturbet, vel ne ipse nimium fatigetur. Ceterum proferens alta voce quæ secreto dicenda sunt, excusationem non habet, & hoc fit data opera: vnde potest oriri suspitio, quod hoc fiat vel ad inducendum nouum ritum, vel in contemptum ritus Ecclesiastici, & ex vtroque capite potest facile sub oriri scandalum vel grauis admiratio, quibus præbens causam sacerdos peccet mortaliter.

Colligitur primo peccare mortaliter eum, quia alta voce legit totum Canonem ob rationes explicatas: quia saltem videtur velle inducere nouum ritum, & difficile potest effugi scandalum. Ita Gauantus in Rubricas Missalis par 1. tit. 16. l. g. & dicit esse communem Doctorem sententiam. Idem dicendum videtur si pars notabilis eiusdem Canonis alta voce recitaretur, vel magna, & notabilis pars aliarum præcum quæ secreto recitari debent si id fiat, vel animo Inducendi nouum ritum, vel cum scandalo notabili aliorum.

DVBIVM II.

Vtrum peccet mortaliter, qui recitat Missam voce tam demissa, vt se ipsum audire non possit.

Prima sententia sustinet hunc peccare mortaliter, & recitationem tum officij diuini tum Missæ omnino esse inualidam, ac si sacerdos nullo modo pronunciaret. Probatur primo; quia huiusmodi pronunciatio potius inchoatio verborum dici potest quam vera, & consumata prolatio, & consequenter dici non potest vocalis oratio.

Probatur secundo quia de essenia vocis est vt sit audibilis; est enim obiectum auditus; ego ea pronunciatio, quæ ab ipsomet recitante audiri non potest, non est vox; seu non est pronunciatio vocalis, nec apta ad orationem vocalem. Ita Castro Palao to. 2. disp. 2. de orat. punct. 3. num. 6. qui pro se citat Valentiam, Medinam, & alios, docent etiam Reginaldus, Suar. & alij apud Dianam p. 2. tract. de horis canon. res 9 Eadem autem ratio est de horis, & recit. Missæ.

Opposita sententia quæ etiam probabilis est docet ad vitandum pecc. mor. satis esse formare verba inter labia, & dentes, etiam si audiri non possint nec ab alijs, nec ab ipsomet recitante.

Probatur quia de essentia vocis, & orationis vocalis quatenus à mentali distinguitur solum est, vt formentur verba per organa corporis: ergo non opus est, vt possint audiri: hoc enim extrinsecum est voci. probatur antecedens; in eo casu adest vera expressio, & prolatio verborum, non mentalis.: ergo vocalis: ergo saluatur ratio vocis absque relatione, ad auditum, ex quibus patet ad opposita. Ita Nauar. de oratione cap. 19 num. 88. Tamburinus opusc. de sacrificio lib 2 cap. 9. §. 1. Azorius, & alij apud Dianam loc. cit.

Dixi ad vitandum pecc. mor. satis esse &c. quia in rubrica supradicta præcipitur vt ea, quæ secreto dicenda sunt sacerdos ita pronunciet, vt, & ipsemet se audiat, & à circumstantibus non audiatur: ergo qui ita pronunciat, vt semetipsum non audiat, peccat saltem venialiter contra rubricam.

Colligitur, quamuis secunda sententia sit probabilis quoad reliquas partes Missæ, non tamen idem esse dicendum de verbis consecrationis, sed certum videri esse peccatum mor. consecrationem ita proferre, vt ab ipsomet sacerdore audiri non possit: quia cum prima sententia sit etiam valde probabilis, & etiam magis communis, & doceat pronunciationem illam esse inualidam, manifeste sequitur peccare mortaliter sacerdotem proferentem consecrationem eo modo; quia exponitur periculo consecrandi inualide, & non conficiendi Sacramentum.

DVBIVM III.

An ea, quæ secreto recitari iubentur in Missa possint dici mentaliter.

Respondetur negatiuè. Probatur quia ex omnium DD. sententia non satisfacit præcepto horarum canonicarum, qui mentaliter eas recitat: ergò multo minus satisfacit præcepto recitandi integre Missam (posito

quod

quod quis celebrare velit) si solum mentaliter verba Missæ proferat. Probatur consequentia: quia cum Missa sit functio multò sacratior diuino officio; præc. ptum integrè Missam recitandi fortius obligat, quam præceptum integritatis circa horas Canonicas: Vndè sicut oppositum non est probabile in recitatione horarum Canonicarum, sicuti ex communi sententia. docet Sanchez in Opusculis lib.7.consiliorum cap 2 dubio 8. num.4. multo minus est probabile de recitatione Missæ.

Ratio A priori est: quia Ecclesia non præcipit actum merè internum, nec de illo iudicat; Ergo in casu nostro præcipit actum sensibilem, & recitationem externam omnium partium Missæ, seu precum, & verborum, quæ dicenda præcipiuntur. Vt videri potest, apud Sanchez. loco supra citato.

Colligitur primo fore mortale peccatum si Sacerdos partem notabilem Missæ sola mente recitaret absque prolatione externa verborum, seu absque formatione vocis sensibilis: quia violaret præceptum in rè graui. Quod si pauca verba, seu modicam partem ipsius Missæ mentaliter reciraret, excusaretur a culpa graui ratione paruitatis materiæ, & sic venialiter tantum peccaret.

Colligitur secundo. Quoad formam Consecrationis eam fore inualidam mentaliter solam prolatam, & absque formatione vocis, & consequenter Sacrificium, & Sacramentum fore irritum, & immane sacrilegium committeretur: quia cum Sacramenta essentialiter constent ex materia, & forma sensibili, seu rebus, & verbis sensibilibus: manifestè sequitur fore inualidam consecrationem mentaliter tantum prolatam.

Colligitur tertio. Quamuis (vt aliqui referunt) fuerit concessum regularibus priuilegium, vt possint dicere mentaliter ea, quæ secretò recitari iubentur, hoc tamen priuilegium non extenditur ad recitationem Missæ nec vnquam fuit pro Missa vsu receptum. Vt probat Scortia in constit. Pontificum theoremate 322.

DVBIVM IV.

Qualiter peccent Sacerdotes præcidentes verba dimidia, vel integra transilientes in recitatione Missæ.

EXaminamus hanc quæstionem occasione moniti, quod ponitur in hac Rubrica num.2. his verbis Sacerdos maximè curare debet, vt ea, quæ clara voce dicenda sunt, distinctè, & apposite proferat. Similis etiam quæstio agitari solet de recitantibus horas canonicas, absorbendo integras dictiones, vel eas mutilando, nempe aut tollendo aliquid è medio per sincopam, vel vltimas syllabas abscindendo.

Respondeo, & dico primo qui in recitatione Missę omittit, vel absorbet integra verba, peccat mortaliter si sepius hoc faciat, ita vt deueniat ad notabilem quantitatem.

Probatur quia violat præceptum graue, quo Sacerdos tenetur Integrè Missam recitare, Sed omittens, seu transiliens integra verba, non recitat integrè; ergo &c. Quæ nam autem dicatur notabilis quantitas resultans ex omnibus verbis omissis, arbitrio prudentis relinquitur, consideratis ijs, quæ diximus circa omissionem grauem partium Missæ quæstione proemiali sect. 3. punct.2. Ita Less. lib. 2. cap. 37. dub.10. num.57. Loquens de recitatione diuini officij, Bonac. de horis Canonicis disput.1. quæst 3. punct.1. Filiuc. tract. 23. cap.6. quæst 9. & alij DD. communiter

Dico secundo mutilatio verborum per syncopam, vel abscissionem sillabarum est quidem peccatum contra idem præceptum integritatis Missæ regulariter tamen, & per se loquendo non excedit culpam venialem. Probatur quia regulariter & per se loquendo non violatur præceptum, quoad substantiam, neque in re graui: ergo &c. Probatur antecedens: quia tunc violatur præceptum quoad substantiam quando corrumpitur sensus & verborum significatio; sed non corrumpitur communiter loquendo per abscissionem syllabarum, sicuti facile corrumpitur per omissionem verborum ergo &c. Dixi regulariter & per se loquendo: quia fieri potest, vt quandoque destruatur sensus ea syllabarum abscisione in quo casu, si excessus esset valde enormis, deueniri potest ad peccatum mor. quod arbitrio prudentis relinquitur. Ita doctores supracitati. & alij, quos refert, & sequitur Diana 2. p. trac de horis can. res. 32

Concludimus ergo proferenda esse verba Missæ distinctè, & apposite secundum hanc nostram rubricam. Nihilominus declinandum non esse in aliud extremum nimiæ anxietatis ex. gr. in consecratione hostiæ nonnulli valde morose, & cum anxietate proferunt vltimam literam M. potius aliam literam addendo & proferendo Corpus meum me: quod etiam vitandum, vt cum Granado docet Diana p. 5. tr. 5. res. 39.

DVBIVM V.

Quæ aduertentia, vel attentio sit necessaria ad celebrationem Missæ.

Proponimus hic hanc quæstionem ad elucidationem verborum huius nostræ Rubricæ numero secundò, vbi ita habetur Sacerdos distinctè proferat, &c. non admodum festinanter, vt aduertere possit, quæ legit. Quærimus ergo quæ aduertentia, quæue attentio requiratur in Sacerdote celebrante Missam. Coincidit autem hęc quæstio magna ex parte cum ea, in qua tractant auctores de attētione requisita ad satisfaciendum præcepto Ecclesiastico recitandi horas canonicas. & audiendi Missam. Quamuis enim, vt plurimùm Sacerdotes non celebrent ex præcepto Ecclesiæ, posito tamen quod celebrare velint, tenentur sub peccato mortali ex præcepto Pij V. recitare Missam iuxta ritum in Missali præscriptum cum precibus, & orationibus, quibus Missa componitur: ergo tenentur adhibere eam attentionem, quæ est necessaria ad satisfaciendum præcepto orādi vocaliter: Vnde primo loco explicabimus ea, quæ communia sunt recitationi, siue Missæ, siue diuini officij respectu attentionis ad eam requisitæ: deinde superaddemus ea, quæ propriè spectant ad Missam, & ad attentionem necessariam in ipso actu celebrationis, & id circo diuidimus hoc dubium in duo §.

§. I.

De attentione requisita ad orationem vocalem in communi.

Loquimur autem de qualibet Oratione ab Ecclesia præcepta, siue in recitatione diuini Officij, siue in celebratione, vel auditione Missæ.

Pro resolutione breuiter aduertendum, attentionem esse duplicem externam, & internam. Externa consistit in modo recitationis, seu prolationis sensibilis, & pręcipuè in negatione distractionis externæ, vt scilicet recitans abstineat ab omni opere externo incompossibili cum vera deuotione interna, seu quod destruit religiositatem ipsius actus externi, consequenter requiritur, vt recitans exteriùs se gerat in speciem orantis E. g. si quis dum recitat horas, vel audit Missam, velit simul depingere, scribere, ludere, confabulari, &c. caret prædicta attentione externa. E contra qui abstinet à prædictis occupationibus, & exteriùs in speciem orantis se gerit, dicitur attentè orare hac externa attentione; etiam si interiùs nihil prorsus de Deo, vel de rebus diuinis cogitet, nec de sacris ipsis verbis, quæ exterius pronunciat. Duo ergo requiruntur ad attentionem huiusmodi externam; primùm, vt recitans integre proferat omnia verba Orationis iniunctæ; secundùm, vt interim non exerceat opus incompossibile cum interna deuotione.

Attentio interna est applicatio mentis ad ea quæ dicuntur in ordine ad excitandum aliquem pium affectum, quæ triplex esse potest ex D. Thom. 2.2. quæst. 83. art. 13. quem sequuntur communiter: nempe attentio ad verba, ad sensum, & ad mysterium: Prima versatur circa ipsa verba materialia, vt rectè, & integre proferantur. Secunda circa significationem verborum, vt sensus mente percipiatur, & affectus illi applicetur. Tertia circa Deum, ad quem verba diriguntur, vel ad diuina mysteria quæcunque in ordine ad excitandum in nobis aliquem pium affectum. Dico in ordine ad excitandum, &c quia hac ratione distinguitur Oratio à studio merè humano, vel profano, Vide Lessium lib. 2. cap. 37 dub. 2.

His positis quæstio est qualis attentio requiratur ad satisfaciendum præcepto, quando Ecclesia præcipit orationem vocalem. Circa quod circa ea est duplex celebris DD. sententia.

Prima sustinet non requiri vllam attentionē internam; Quare si recitans horas sponte distrahatur, & voluntarie cogitet de negotio de quæstione philosophica, &c. si nihilominus integre pronunciet, & nihil exteriùs agat incompossibile cum deuotione interna, eum satisfacere, præcepto Ecclesiæ, & non peccare mortaliter. poterit autem hic esse moraliter certus de integra prolatione verborum; quia vel memoria pollet, vel quia legit ex libro, vel cum socio recitat.

Probatur primò, & præcipue; quia Ecclesia non potest præcipere actus internos; sed solos externos; ergo in casu nostro non præcipit internam attentionem, nec prohibet internam distractionem; sed solam externam. Antecedens probatur; quia nemo potest pręcipere, vel prohibere; quod non potest punire; nec potest punire, quod non pōtest cognoscere, & iudicare; sed Ecclesia extra tribunal confessionis non potest cognoscere, & iudicare actus internos, ergo &c.

Probatur secundò. Esto Ecclesia posset præcipere attentionem etiam internam, non constat tamen de facto præcepisse in casu nostro, quia talis obligatio non videtur congrua, nec satis accom-

accommodata humanæ fragilitati, plures enim scrupulosi subeunt periculum hac occasione incidendi in insaniam: ergo non est asserendum Ecclesiam præcepisse huiusmodi attentionem; sed potius esse contentam prolatione, & cantu externo, qui vtilis est ad edificationem populi, & ad aliqualem Dei cultum eo modo, quo sacras cantiones organis personare solemus, vt notat Layman lib. 4. tract. 1. cap 5. num 10.

Probatur tertio Eatenus æstimari debet Ecclesi præcipere attentionem internam, quatenus ea spectat ad essentiam orationis; sed hoc est falsum, ergo &c. Probatur minor nam inde sequeretur etiam distractionem inuoluntariam destruere substantiam orationis; deficiente enim quocumque modo constitutiuo essentiali perit compositum, & tota rei essentia. Sufficit ergo intentio orandi, & dirigendi verba ad Deum, nec vlla requiritur attentio interna. Ita Durandus, Syluester, Medina, D. Antoninus, & alij apud Diana par. 2. tract. de horis resol 2. & ex recentioribus Coninch. de sacramentis quæst 83 art 6. Valerius in differentijs verbo, hora, Lugo de Sacramentis disp. 22. sect. 1. Præpositus in 3 p. quæst. 83. artic 6. dub. 5 & dicit probabilem Lessius supra, & Layman loco citato.

Concedunt tamen huius sententiæ auctores, non excusari à peccato veniali recitantem diuinum officium, vel alias orationes animo vagabundo, & voluntarie distracto: quia posito, quod quis velit orare, tenetur iure naturali diuino cum debita reuerentia, & attentione orare; Certum est autem esse contra reuerentiam Deo debitam tractare, & loqui cum Deo absque vlla aduertentia, & mentis applicatione.

Secunda sententia communis, & probabilior docet requiri necessario internam aliquam attentionem ad satisfaciendum præcepto orationis vocalis, etiam quando præceptum est solius iuris Ecclesiastici, & consequenter peccare mortaliter recitantem horas E g cum voluntaria distractione.

Probatur primo quia Ecclesia potest præcipere attentionem internam dum præcipit orationem vocalem, & de facto ita præcepit recitationem officij, & ergo recitans absque attentione interna saltem ad verba, seu cum voluntaria distractione non satisfacit præcepto: consequenter peccat mortaliter Probatur antecedens quoad primam partem; nam Ecclesiæ collata fuit à Christo absoluta potestas ligandi, & soluendi in ordine ad salutem spiritualem fidelium, vt patet Matthei 28 ergo potest Ecclesia præcipere actus internos saltem indirecte, quatenus sunt necessarij ad esse morale actuum externorum, vt sint actus virtutis, & vtiles ad salutem. Quod autem de facto sic præcipiat quoad attentionem internam in casu nostro, probatur ex capitulo dolentes de celebratione Missarum, quo districte præcipitur, vt officium diuinum celebretur studiose pariter, & deuote, vbi Glossa deuotè quoad officium mentis.

Probatur secundò quando Ecclesia præcipit recitationem officij, vel Missæ, præcipit verum actum orationis, ergo simul præcipit attentionem internam saltem ad verba, probatur consequentia, quia actus externus recitationis sine interno deuotionis non est actus orationis, sed mera vociferatio, quippe oratio essentialiter est ascensus mentis in Deum.

Probatur tertiò, quia aliàs posset quis præceptis Ecclesiæ satisfacere per meram simulationem. E g. simulando se pie recitare horas, vel Missam audire: cum tamen ridendi causa id faceret: hoc est absurdum, ergo, &c. Ita Caietanus in summa verbo horæ Canonicæ, Suarez tom. 2. de religione lib 4. cap. 26. Lessius, Layman, & alij innumeri apud Dianam par. 2: tract. de horis res. 2.

Fatentur autem huius sententiæ DD. sufficere attentionem quamlibet, etiam ad verba ad vitandum nedum peccatum mortale, sed etiam veniale. Suarez supra.

Secundò concedunt eum, qui valde perspicaci pollet ingenio, ità vt simul possit ad plura attendere non peccare mortaliter, si dum recitat simul cogitet de negotio prophano, & de ipsis sacris verbis, quia nihil omittit ex ijs, quæ necessaria sunt ad substantiam præcepti, quamuis peccet venialiter ob irreuerentiam, vt supra. Hoc autem fieri posse, constat ex illis, qui ternas, vel quaternas literas simul dictant.

Tertio concedunt satisfacere præcepto eum qui dum recitat simul exercet aliquam actionem externam, quæ modicam, aut nullam mentis applicationem requirit. E. g. manus lauare, se vestire, sportas texere, &c. quæ idcirco non sunt incompossibiles cum interna deuotione sicut Monachi Egyptij consueuerunt Ita Caietanus 2 2. quæst 83 art 13. Nauarrus, Vasquez, & alij apud Layman lib. 4. tract. 1. cap 1. num 11. qui simpliciter excusant hunc modum recitandi ab omni culpa. Quamuis Suarez supra num. 21. cum alijs solum excuset à peccato mortali, non autem à veniali ob aliquam irreuerentiam.

Re-

Resoluitur quæstio, & satisfit argumentis Vtriusq; sententiæ.

QVamuis, vt diximus secunda sententia sit probabilior, & communiter consulenda; prima tamen est etiam satis probabilis ex principijs, tum intrinsecis, tum extrinsecis, quare liberum est cuique vtramuis sequi in praxi, satisfaciendum est autem argumentis vtriusque sententiæ.

Ad primum argumentum primæ sententiæ negatur assumptum. Ad probationem distinguo maiorem nemo potest præcipere, quod non potest punire, directe, concedo, indirecte, nego; Cum ergo Ecclesia possit præcipere actus externos, potest etiam indirecte præcipere actus internos necessarios ad religiositatem actuum externorum. Imo retorquetur argumentum: nam secundum omnes, potest Ecclesia præcipere actus internos necessarios ad esse physicum, seu ad esse humanum actuum externorum e. g. vt quis velit recitare, & humano modo recitet: ergo etiam potest indirecte præcipere actus internos necessarios ad esse virtutis: nam potestas spiritualis Ecclesiæ potius dirigitur ad moderandos actus hominum in ordine ad virtutem, quam in ordine ad esse physicum, vel humanum.

Ad secundum constat ex cap. Dolentes supra citato Ecclesiam de facto præcipere attentionem internam. Nec est præceptum nimis graue: quia solum prohibetur voluntaria distractio, & crassa, seu grauis negligentia in ea repellenda.

Ad tertium nego distractionem inuoluntariam esse contra substantiam orationis: quia quamuis tollat attentionem actualem, nihilominus non tollit virtualem, quæ sufficit ad esse morale, seu virtutis in omnibus actibus humanis:

Ad argumenta secundæ sententiæ respondetur ad primum concedendo Ecclesiam habere potestatem super actus internos, sed respectiue; duplex enim est tribunal Ecclesiæ nempe externum, in quo creditur testimonijs aliorum; & internum, in quo statur testimonio cuiusque de se. In primo ergo tribunali Ecclesia iudicat de solis actibus externis: in secundo iudicat etiam de internis ipsomet confitente testimonium perhibente; ergo idem dicendum proportionaliter de potestate præcipiendi. Ad capitulum dolentes, respondetur solum ibi præcipi attentionem externam, seu externum actum virtutis; non autem internum; vt patet ex contextu; quia præceptum latum fuit contra illos, qui inter diuina officia confabulabantur.

Ad secundum respondetur distinguendo antecedens; præcipit verum actum orationis completum, & absolutum, nego; actum externum orationis, ex quo solet componi completa oratio, concedo qui etiam dicitur actus orationis. Sicut externa adoratio Idoli, absque animo adorandi est verus actus externus idolatriæ, quamuis non absolute idolatria.

Dicetis cur ergo præcipitur ab Ecclesia solus actus externus qui est inutilis ad finem salutis. Respondetur præcipitur: quia ex suo obiecto bonus est: & si addantur debitæ circunstantiæ attentionis &c. vtilis est ad salutem: non præcipiuntur autem omnes circunstantiæ præsertim quo ad actus internos, ne præceptum sit nimis graue, Possumus etiam satisfacere præceptis Ecclesiæ per actus, qui non sint absolute actus virtutum: imo etiam peractus peccaminosos, vt patet de ieiuniante ob inanem gloriam. Secundo responderi posset negando attentionem esse de substantia orationis vt dicemus in sequenti §.

Ad tertium respondetur distinguendo consequens si simulatio cadat super actum externum, ita vt hic vere non ponatur sed simuletur, nego sequelam. Si simulatio cadat supra pietatem internam, & totus actus externus vere ponatur concedo totum. Sicut qui simularet se ieiunare ex pietate; cum tamen ieiunet ex vanagloria satisfaceret præcepto, posito actu externo veri ieiunij.

His positis de attentione in communi, dicendum est consequenter ad rem nostram de attentione requisita ad celebrationem Missæ.

§. 2.

De attentione specialiter requisita ad recitationem Missæ.

ADuertendum partes quæ continentur in Missa esse in duplici differentia: quædam sunt institutæ immediate à Christo, consequenter sunt iuris diuini: aliæ sunt institutæ ab Ecclesia, & consequenter sunt iuris humani Ecclesiastici. Partes institutæ à Christo sunt de essentia sacrificij, vt consecratio vtriusque speciei: vel saltem de integritate substantiali, vt communio, quæ fit à celebrante: E contra partes Missæ ab Ecclesia institutæ non pertinent ad essentiam sacrificij sed ad eius ornatum, & maiestatem, & cadunt sub præcepto mere Ecclesiastico.

Hoc posito certum est ad recitationem Missæ, quoad partes vtriusque generis requiri atten-

attentionem saltem externam supra explicatam, alias celebrans peccaret mortaliter nam si hæc attentio, est absolute necessaria ad recitationem horarum; quia hæc alias non esset oratio religiosa; multo magis est necessaria ad celebrationem missæ, quæ est actus religionis longe superioris ordinis. Nec obstat, quod recitatio officij est de præcepto, non autem celebratio Missæ regulariter loquendo: quia posito quod quis velit celebrare tenetur ex præcepto, & sub pecc. mor. seruare ritus in Missali præscriptos, quoad verba, & cæremonias, vt alias explicauimus. Quibus præmissis duplex occurrit difficultas examinanda de attentione requisita ad Missam circa duplex genus partium, quæ continenrur in Missa vt supra.

Prima difficultas qualis attentio requiratur in Sacerdote ad recitationem illarum partium Missæ, quæ sont de iure Ecclesiastico tantum. An peccet mortaliter Sacerdos recitans prædictas Missæ partes cum voluntaria distractione quamuis secutus, quod propter habitum iam acquisitum nihil omittet &c

Respondeo hanc difficultatem resoluendam esse ex dictis præcedē: i §. de attentione requisita ad recitationem horarum ex præcepto Ecclesiæ. Dicendum est ergo secundum probabiliorem sententiam sacerdotem prædictum ratione distractionis voluntariæ peccare mortaliter. Quia tamen opposita sententia est etiam satis probabilis quoad horas canonicas, dicendum est probabiliter etiam excusari posse à mortali sacerdotem celebrantem Missam cum voluntaria distractione quoad illas partes, quæ sunt iuris Ecclesiasticis ob rationes supra explicatas, & docet cum alijs Tamburinus opusc. de Sacrificio lib. 2. cap. 3.

Dubium hic emergit; vtrum si sacerdos recitet Canonem cum voluntaria distractione possit excusari à mortali ex ijsdem principijs quibus excusatur qui sponte distractus recitat alias partes Missæ solius iuris Ecclesiastici.

Prima sententia sustinet excusari quidem à mortali sacerdotem sic recitantem animo vagabundo alias partes extra Canonem: non autem recitantem eodem modo partem notabilem Canonis. Probatur quia etsi Canon non spectet ad essentiam sacrificij; nihilominus est pars Missæ longe sublimior cęteris continens mysteria sacratiora, & proximiora sacrificio; ergo distractio voluntaria in recitatione Canonis maximam præseferre videtur irreuerentiam, & indecentiam: consequenter est pecc. mor. Ita Tamburinus loco supra citato.

Secunda sententia probabilior docet posito, quod distractio prædicta excusetur à mortali extra Canonem, consequenter loquendo dicendum esse excusari etiam à mortali in ipsa recitatione Canonis.

Probatur nam quæro hæc obligatio interioris attentionis in recitatione Canonis, vel oritur ex præcepto diuino, vel ex præcepto Ecclesiastico: neutrum dici potest; ergo absolute non datur illa obligatio sub pecc. mor. Probatur minor non enim potest oriri ex iure diuino; quia Christus immediate neque instituit Canonem, nec consequenter præcepit. Neque oriri potest ex iure Ecclesiastico. quia Ecclesia; secundum auctores primæ sententiæ non potest præcipere actus internos; quare auctores prædicti non videntur consequenter loqui.

Respondent obligationem nasci ex iure diuino naturali dictanti distractionem voluntariam esse contra reuerentiam Deo debitam; quamuis autem in alijs Missæ partibus distractio non excedat culpam venialem, nihilominus in Canone pertingit ad pecc. mor. quia crescit notabiliter irriuerentia ob rationes supra allatas.

Contra, vel hoc præceptum iuris naturalis obligat ex genere suo sub pecc. mor. vel tantum sub veniali. Si primum ergo etiam distractio voluntaria in reliquis partibus Missæ est mort. peccaminosa posita materia notabili, quod tamen est falsum secundum auctores primæ sententiæ. Si secundum ergo distractio etiam in Canone non excedit culpam venialem, nam esse quid proximius, vel remotius à consecratione non potest variare naturam præcepti. Concludimus ergo probabiliter excusari posse à pecc. mortali recitantem Canonem cum voluntaria distractione. Atque hæc satis quo ad partes Missæ ab Ecclesia institutas. sequitur vt dicamus de attentione requisita ad recitationem Missæ quoad partes institutas à Christo, nempe consecrationem, & communionem, quæ sunt iuris diuini.

Secunda principalis difficultas est vtrum peccet mortaliter sacerdos proferens verba consecrationis cum voluntaria distractione seu mentis euagatione.

Pro resolutione aduertendum solutionem huius difficultatis maxime pendere ex ea quæstione vtrum attentio interna sit de essentia orationis nec ne. Nam si attentio est de essentia orationis erit etiam absolute necessaria ad orationem iure diuino præceptam; quia Deus non pręcipit solos actus externos sicut Ecclesia; sed etiam actus internos, & in casu nostro quando præcipit orationem, præcipit simul quicquid est necessarium ad essentiam orationis. Si vero attētio non est de essentia orationis, poterit satisfieri præcepto orandi etiam iuris diuini saltem quoad substantiam absque vlla attentione. Eadem autem est ratio de conse-

ratione, & formis sacramentorum nam sicut oratio est quædam locutio cum Deo, ita formæ sacramentorum sunt quedam sacræ locutiones iure diuino institutæ. Circa hanc questionem.

Prima sententia docet attentionem internam esse de essentia orationis. Probatur primò oratio definitur est eleuatio, seu ascensus mentis in Deum, ergo de essentia orationis est mentalis, seu interna attentio. Probatur consequentiâ, quia non alia ratione potest dici mens ascendere ad Deum nisi attentione, & consideratione Dei, & rerum diuinarum.

Probatur secundò à pari de essentia adorationis est interna recognitio diuinæ excellentiæ cum animi nostri submissione ad Deum supræmum omnium Dominum. Et sine interna submissione reuerentia exterior mera simulatio esset. Vnde in Euangelio spiritus est Deus & eos qui adorant Deum, in spiritu, & veritate oportet adorare: ergo pariter de essentia orationis, quæ est actus Religionis est attentio interna, sine qua prolatio, seu recitatio externa esset nuda vociferatio, vnde Apostolus prima Corint. 14. Orabo spiritu, orabo, & mente, psallam spiritu, psallam, & mente.

Probatur tertiò locutio externa hominis est essentialiter signum locutionis internæ, seu conceptus mentalis, alias materialis verborum pronunciatio more Psittacorum non est vera locutio, ergo non potest dari vera locutio sine discursu interno, & consequenter sine attentione: sed oratio est locutio cum Deo, ergo, &c. Ita Caietanus, Nauarrus, Corduba, & alij, quos citat, & sequitur Suar. tom. 2. de religione lib. 3. de oratione cap 4.

Secunda sententia sustinet oppositum. Pro cuius intelligentia.

Aduertendum attentionem esse duplicem, nempe antecedentem, & concomitantem. Prima dirigit intentionem, seu propositum orandi; secunda erigit, & informat actum externum orationis, seu recitationem externam. Hæc secunda attentio est consideratio, & aduertentia intellectus formalis, vel virtualis, circa illa, quæ recitantur, & coexistit necessario ipsi recitationi: Consequenter est cum ea incompossibilis distractio voluntaria.

Prima verò attentio, quæ dicitur antecedens est actus mentis quo intellectus apprehendit, & proponit voluntati ea, quam recitari debent saltem confuso modo, nempe laudes Dei, &c. Quæ attentio non coexistit necessario externæ recitationi, & consequenter non est incompossibilis cum distractione voluntaria in progressu orationis

Certum est autem secundum omnes ad essentiam, & substantiam orationis necessario prærequiri attentionem antecedentem, sicut necessario ad eã prærequiritur intentio orandi, quia cum nihil possit esse volitum, quin præcognitum, non potest voluntas habere propositum, & intentionem orandi, & Deum laudandi, quin prius intellectus hoc ipsum illi proponat saltem confuso modo, & prædictum actum intellectus, sequitur actus voluntatis, quo applicat potentias externas, & organa vocis ad psalmodiam; neque opus est, vt aduertentia intellectus antecedens duret in psalmodia, nec de ea est quæstio in præsenti, est ergo quæstio de secunda attentione concomitanti, quæ excludit distractionem voluntariam in progressu orationis, vtrum hæc sit de essentia orationis. Prima enim sententia supra relata affirmat: hæc tamen secunda sententia quæ est etiam satis probabilis negat.

Probatur 1 oratio definitur est decentium à Deo petitio, potest autem externa petitio fieri vel propria voce, vel scripto, vel per interpretem, quæ variatio non mutat essentiam petitionis, sed materialiter se habet. Tunc sic argumentor, Si petitio fiat scripto, vel per interpretem, ad eam non requiritur attentio concomitans, sed sufficit antecedens, ergo dum voce exprimitur non est necessaria attentio concomitans. Antecedens probatur, Si enim toto eo tempore, quo interpres meam explicat petitionem regi, vel ipse rex eam legit ex scripto oblato, ego quid aliud cogitem, nemo dicet petitionem esse inualidam si verè intendã ea petere, quæ dicit interpres vi præcedẽtis mandati; ergo ad essentiam petitionis in hoc casu non requiritur attentio, nec eadem est incompatibilis cum voluntaria distractione. Probatur consequentia nempe idem dicendum esse si petitio voce exprimatur; quia eadem est essentia nec variatur illis modis diuersis.

Probatur secundò sicut oratio vocalis est signum conceptus interni, quò Deo explicamus nostra desideria; Ita adoratio externa est signum internæ submissionis in recognitionem diuinæ excellentiæ: sed potest continuari adoratio externa E.g. genuflexione per horam etiamsi non duret actus internus, modo non reuocetur, ergo potest continuari oratio vocalis & externe, etiamsi non duret attentio interna, & cum vtroque actu tam orationis, quam adorationis coniungatur distractio voluntaria.

Probatur tertiò à posteriori, & ex absurdis Nam alias sequeretur, nedum peccare mortaliter Sacerdotem proferentem verba consecrationis cum voluntaria distractione, sed etiam ipsam consecrationẽ fore inualidam, idemq. dicendum esset de alijs formis Sacramentorum, Baptismi, Pœnitentiæ, Ordinis, &c.

sed

sed hoc est absurdum, ergo, &c. probatur sequela; quia sicut voluntaria distractio per adversarios est contra substantiam orationis; quæ est quædam locutio cum Deo, ita pariter esset contra substantiam formæ sacramentalis, quæ communiter est quædam sacra locutio: ergo distractio voluntaria destruit essentiam tam orationis, quam prolationis Sacrorum verborum: Quod autem hoc sit absurdum, patet; quia est contra cōmunem doctrinam desumptam ex Conc. Flor. nempe sacramenta tribus perfici materia, forma, & intentione ministri nec quicquam dicitur de attentione. Item quia innumeri possent dubitare de valore sui baptismi, ordinis, &c. & grauis oriretur confusio.

Concludimus ergo, attentionem concomitantem non esse de essentia consecrationis nec consequenter præceptam sub peccato mor. in prolatione consecrationis. Quod autem attentio interna non sit de essentia orationis vocalis bene docet, & fuse probat Cardinalis de Lugo de sacramento Eucharist. disp. 22. sect. 2. & ex eadem doctrina infertur neque esse de essentia consecrationis aut formæ sacramentalis.

Ad opposita respondetur ad primum, concessa maiori distinguo minorem. Mens non ascendit in Deum nisi attentione concomitanti, nego, etiam antecedenti concedo. Cum ergo attendio antecedens nunquam desit posita intentione orandi, valida erit oratio, non obstante distractione.

Ad secundum respondetur distinguendo pariter antecedens. De essentia adorationis est recognitio, & submissio interna, antecedens concedo: concomitas, nego.

Ad tertium distinguo primum consequens; ergo non potest dari vera locutio sine conceptu mentali antecedenti concedo; concomitanti, nego. His positis.

Ad secundam difficultatem respondeo probabiliter excusari posse a peccato mor. Sacerdotem proferentem verba consecrationis cum voluntaria distractione (seclusо omni periculo errandi) ex dictis in secunda sententia relata, quæ probabilis est: quia potest impleri præceptum diuinum, quoad substantiam in prolatione consecrationis sine attentione, quamuis ratione irreuerentiæ sacerdos venialiter peccet. Quia tamen opposita sententia supra relata §. præcedenti circa recitationem officij diu ni communis, & probabilior est; consequenter probabilius est prædictum sacerdotem peccare mortaliter ratione distractionis voluntariæ quicquid sit de hac quæstione an attentio sit de essentia orationis. Item peccat mortaliter ratione periculi errandi in verbo essentiali, & sic non conficiendi sacramentum.

Potest forte alicui videri excusari posse distractionem voluntariam a peccato mortali ratione paruitatis materiæ: quia consecratio paucis verbis continetur. Ceterum cum in illis consistat tota essentia sacrificij, sicut non datur paruitas materiæ in omissione verborum; quia singula verba sunt de essentia formæ, excepta particula, enim; ita nec etiam datur paruitas materiæ in distractione voluntaria.

Tertia principalis difficultas circa communionem celebrantis, quæ est de integritate sacrificij. Vtrum sacerdos sumens corpus, & sanguinem Christi Domini in Missa absque actuali deuotione vel attentione, imo cum voluntaria distractione peccet mortaliter.

Prima sententia affirmat. Probatur quia si voluntaria distractio in recitatione Canonis secundum aliquos est pecc. mor. multo magis est mortaliter peccaminosa in actu communionis. Sic Tamburinus iuxta sua principia opusc. de sacrif. lib. 2. cap. 3.

Secunda sententia quæ videtur communis negat distractionem prædictam inducere pecc. mor. omnes tamen concedunt inducere peccatum veniale propter irreuerentiam. Probatur. Communicantes more laicorum extra actum sacrificij cum voluntaria distractione non peccant mortaliter si alias sint in statu gratiæ, & ieiuni; non enim maior dispositio præcipitur sub peccato mor. vt docent communiter cum D. Tho, 3. p. quæst. 79. art. 8. Suar. Vasq. supra eundem artic. Hurtado de Euchar. disp. 8. difficul. 3. & alij passim; ergo nec peccant mortaliter sacerdotes simili modo communicantes in ipso sacrificio. Probatur consequentia, dispositio ad communionem præcipitur ratione eius, quod sumitur, nempe Corporis, & sanguinis Christi Domini; sed idem omnino sumitur siue a Laicis, siue a Sacerdotibus siue in actu sacrificij, siue extra; ergo &c. Vide Dianam par. 3. tract. 4. resol. 31.

DVBIVM VI.

De duratione Missæ, deque iusto temporis spatio Missæ tribuendo.

Occasionem prebent huic quæstioni duo monita huius rubricæ, quam explicamus numero secundo, quę omnes sacerdotes præ oculis habere debent. Primum est, ne sacerdos admodum festinanter Miss. recitet, vt aduertere possit quæ legit. Secundum est nec nimis morose, ne audientes tædio afficiat. Ex quibus manifeste constat vitanda esse extrema, tum nimiæ celeritatis tum affectatæ prolixitatis, & media via incedendum; cum semper

virtus in medio posita sit; videndum ergo est in quo consistat virtutis medium in casu nostro de Missæ duratione.

Ad euidentiam præmittendum Missæ recitationem exigere necessario aliquod temporis spatium: quia cum sit ens successiuum, constans ex pronunciatione verborum, quæ tempore mensuratur, & cæremonijs, quæ motu successiuo perficiuntur; necessario debet tempori coexistere. Certum est autem ad hanc sacram functionem requiri necessario tantum spatium, quod possit commode satis esse ad hæc tria. Primo ad pronunciandum integre ea, quæ ex præscripto Missalis legi debent. Secundo ad perficiendas cæremonias, quæ in actione consistunt ea grauitate, & moderatione, quæ tantum sacrificium decet. tertio ad applicationem mentis ad intelligentiam eorum, quæ dicuntur, & fiunt, vt constat ex supra dictis in dubio præcedenti: & ex ijs, quæ habentur in hac rubrica n. 2. citato. His positis.

Prima difficultas est vtrum in celebratione Missæ propendendum potius sit ad prolixitatem, quam ad breuitatem, vel econtra. Prima sententia sustinet esse magis laudabilem, vel minus reprehensibilem breuitatem, quatenus celeritas non repugnat Missæ integritati.

Probatur primo: Debet eligi, & præferri quod est magis conforme charitati, quippe charitas est omnium virtutum forma, & magistra; sed charitas in casu nostro magis dictare videtur breuitatem; ergo &c. Probatur minor primo ne audientes tædio, & molestia afficiantur, secundo ne detur eisdem occasio murmurandi, & omittendi sacrum, quod facile timeri potest, quando sacerdotes missam in longum protrahunt. Tertio ne fideles impediantur ab alijs negotijs, quibus communiter detinentur, & possint tum rebus animæ tum corporis vacare.

Probatur secundo quia facilius est deuotionem, & mentis attentionem breui tempore conseruare, & fouere, quam diuturniori; ergo vt sacerdotes maiori deuotione, & securiori attentione celebrent, expedit vt magis contrahatur, quam prorogetur spatium temporis, quod Missæ impenditur. quod argumentum inuenies apud Durand. in Rat. lib. 4 cap. 35 vbi allegat illud exod. *fac festinanter*, & *comedetis festinanter*.

Probatur tertio: quia vt cum alijs refert Gauantus in rubricas Missalis p. 3. tit. 11. in fine est commune proloquium, missam celebrari debere cum 4. litteris A, B, C, D, idest Alte, Breuiter, Clare, & Deuote; Cum ergo inter conditiones Missæ numeretur breuitas, ea seruari debet. Hęc opinio nullum habet certum auctorem; habet tamen innumeros sectatores, & veræ deuotionis insectatores.

Secunda sententia communis, & vera docet præferendam esse maturitatem, & grauitatem cui magis fauet prolixitas, quam celeritas, quod intelligitur quando non potest cognosci præcise medium omnino eligendum inter nimiam prolixitatem, & damnabilem celeritatem, vt supra dicebamus.

Probatur primo quælibet functio eo maturius, & accuratius peragenda est, & consequenter maiori pausa, & grauitate, quo sacratior, & sublimior est; sed sacrificium Missæ tale est, vt nullum aliud opus (sunt præcisa verba Concilij Tridentini sess. 22. in decreto de obseruandis in celebratione Missę) nullum, inquit, aliud opus adeo sanctum, ac diuinum à Christi fidelibus tractari possit, quam hoc ipsum tremendum Mysterium &c. ergo maxima grauitate, & maturitate peragendum, consequenter inclinandum potius ad pausam, quæ fauet grauitati.

Confirmatur quia celeritas in legendo est contra maiestatem tam sacræ actionis, & contra exteriorem deuotionem, quam in ea exposcit Tridentinum loco citato omnino à sacerdotibus serio legendum: Et sacerdotes affectantes celeritatem, potius imitantur notarios stipulantes humanos contractus, quam Dei præcones, & nuntios noui, & æterni Testamenti, Ecclesiæ legatos, & ipsius Christi personam sustinentes. Imo D. Aug. serm. 251. de tempore eos comparat mimis, & histrionibus.

Probatur secundo. Prudentia dictat eligendam esse tutiorem partem, in qua minus est errandi periculum præcipue in functionibus Sacratioribus, & diuinis; sed minus periculum errandi est in prolixitate, & pausa, quam in celeritate, ergo &c. Probatur minor tum quia experientia constat mature incedentes nunquam, vel rarò; E contra cursitantes puerorum more sæpius offendere. Tum quia celeritas sensum confundit, & ideo errandi periculum præbet; E contra maturitas, & pausa securitatem.

Tandem probatur exemplo sanctorum virorum. Nemo enim cordatus, & vere pius sacerdos leuiter cursitat in recitatione Missæ; E contra leuiores corde, & verè deuotionis expertes veluti fugiunt nemine persequente, & Missam præcipitant. Concludimus ergo media via incedendam esse, & potius inclinandum ad moderatam prolixitatem, quę fauet maiestati. Ita ex communi DD. sententia, & SS. Patrum doctrina docet P. Antonius Molina omnino videndus in instructione Sacerdotum. tract. 3. cap. 13. & sequentibus, & Antonius

tonius Caracciolus in Synopsi veterum rituum p. 1 cap. 9 num. 1. Vbi cum Bellarmino deplorat nimiam celeritatem his Verbis. Plurimi incredibili festinatione rem tam Sacram peragunt, vt neque ipsi scire videantur neque alios rem tantam considerare permittant &c. Vide etiam Molfesium in sum. tract. 3. cap. 10. fine, & Verricelli in quęstionibus moralib. tract. 8. cap. 53.

Ad opposita Respondetur ad primùm negan do minorem. Vera enim Charitas ex D. Thom. 2. 2. quæst. 26. ordinem seruat, quo Deum eiusque cultum præfert alijs, & bonum spirituale temporalibus commodis. Cum ergo celeritas in casu nostro vergat in detrimentum diuini cultus, & veræ deuotionis; dici non potest à charitate propter commodum adstantium, qui si ex conuenienti, & matura prolixitate scandalizzantur, & murmurant: non est curãdum de illis; quia scandalum passiuum est, Vt cum D. Thom. 2. 2. quæst. 43. art. 2. docent communiter DD. de tali scandalo. Imò vt inquit D. August. serm. 125. de tempore. Valde dolendum est, quod sæculares indeuoti cogant Præsbyterum vt abbreuiet Missam.

Ad secundum negamus celeritatem prodesse deuotioni, imò destruit illam. Festina autem manducatio Agni pertinet ad famem spiritualem, & feruorem desiderij, non autem suadet Missæ præcipitationem.

Ad tertium illud commune proloquium intelligendum esse de breuitate discreta, & moderata, quatenus opponitur affectare prolixitati. Vnde idem Gauantus loco citato explicans illam particulam, Breuiter, ait per mediam horam: vel pauló vltra, quod spatium esse conueniens, & iustum inferiùs dicemus, præsertim cum idem Auctor addat quintam literam, E, idest exactè, & exquisitè, quod non compatitur nimiam celeritatem.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

Vtrum possit determinari iustum, & determinatum spatium temporis pro celebratione Missæ.

RESpondeo non dari omnino certam, & definitam regulam pro omnibus sacerdotibus indifferentèr, Plures enim sunt, qui naturaliter maiori agilitate, & dexteritate pol lent, & consequenter maiori aptitudine ad exequendos ritus Missæ, qui minori spatio indigent, vt cum decore sacrum absoluant. Contra alij segniores sunt, & minus apti, qui maiori spatio indigent. Nihilominus expedit aliquam regulam præ oculis habere communiter seruandam dara Proportione iuxtà supradicta, loquimur autem hic de Missis priuatis.

Prima regula est quorundam apud Molinam supra, qui assignant integram horam recitationi Missæ, vt sacrificium peragatur ea, qua decet grauitate, & maiestate, quæ tamen regula communiter improbatur, tanquam excedens terminos mediocritatis, & accedens ad extremum indiscretè prolixitatis; qua facilè adstantes tedio afficiuntur, & potius congruit Missę solemni, quam priuatæ.

Secunda regula est, quam proponit idem Molina loco citato, videlicet non esse excedendos tres horæ quadrantes: neque contrahendam esse Missam infra mediam horam, communiter etiam DD. mediam horam assignant recitationi Missæ priuatæ; Gauantus loco supra cit cum Scortia, & alijs. Quæ regula satis probabilis, & conueniens videtur.

Tertia Regula mitior, & magis ad Praxim accomodata, constituit terminos Missæ inter semissem, & trientem: ne sit breuior tertia parte horæ, neue prolixior media hora, quam regulam obseruamus nos Clerici Regulares ex Decreto super hoc edito in Capitulo Generali 1618. His Verbis: Vnusquisque Sacrum accuratè agat; in eoque nemo moram longius horæ semissæ protrahat, neue breuius triente contrahat. Ratio est; quia consideratis omnibus, quæ in Missa legi, & fieri debent, difficilè videtur, posse cum decore exactè perfici minori spatio eo, quod in hac regula assignatur, Vt videri potest apud Molfesium, & Verricelli locis supra cit.

TERTIA DIFFICVLTAS.

Qualem culpam contineat nimia celeritas in celebratione Missæ.

REspondeo, & dico primo. Si celeritas tanta sit, vt inde resultet grauis irreuerentia contra sacrificium, seu notabile dedecus tanti mysterij; vel notabilis omissio, aut confusio sacrorum rituum: vel tandem graue scandalum populi; Certum est committi graue & enorme peccatum vt per se patet, quia vel grauiter violatur præceptum religionis, & cultus diuini in re tàm sacra, vel præceptum charitatis vitandi scandalum, vt docent communiter DD. citati.

Colligitur primo communiter loquendo peccare mortaliter Sacerdotes, qui minori spatio quadrantis horæ Missam absoluunt: quia videtur moraliter impossibile tam breui spatio eos omnia recitare, & sacros ritus exequi absque notabili defectu, & dedecore tanti mysterij,

fierij. Ita Verricelli loco supra citato.

Colligitur secundo timendum valdè esse, ne magna pars sacerdotum huiusmodi qui Missam præcipitanr, in Infernum præcipitet; quia indigna tractio huius tremendi Sacrificij nimis prouocat iustam Omnipotentis iram, præsertim quia consequenter indigne sumunt sacram Eucharestiam Iudicium sibi manducantes, & bibentes, ex Apost. Corinth. 11. Vnde refert Bromiardus Auctor grauis, in summa prædicantium, reuelatum fuisse personæ pie, & deuotæ. Tot Sacerdos quotidie ad Infernum descendere, vt non possit æstimari plures in mundo esse.

Dico secundo. Celeritas non adeo præcipitosa, ex qua sequitur nonnullus abusus sacrorum rituum, sed leuis, & modicus, & consequenter aliqua irreuerentia contra sacrificium, sed parua, non continet culpam mortalem, sed venialem. Probatur, quia communiter peccatum ex suo genere mortale, ratione paruitatis materiæ transit in veniale. Ita Molina, Verricelli, & alij locis cit.

Colligitur eos, qui minori temporis interuallo, quàm tertiæ partis horæ Missam absoluunt, communiter non liberari a peccato veniali propter aliquam irreuerentiam contra Sacramentum, & leuem abusum sacrorum rituum, nisi magna dexteritate, & agilitate polleant, vt supra dicebamus. Ita DD. supra citati.

Dico tertio declinare in aliud extremum indiscretæ prolixitatis est quidem reprehensibile ex dictis initio huius Dubij; communiter tamen non excedit culpam venialem per se loquendo: quia communiter in hoc excessu non apparet nisi indiscreta deuotio, vt notant DD. supra citati. Dixi per se loquendo: quia ratione scandali, vt si daretur occasio alicui ommittendi sacrum in die festo, posset in hoc interuenire peccatum mortale: quod tamen vitari potest celebrando in priuato sacello, vel sæpiùs excusatur ob inaduertentiam, quia non præuidetur scandalum sequuturum; præsertim quia sacerdotes declinantes in hoc extremum sunt valdè timorati, & deuoti.

QVARTA DIFFICVLTAS.

An, & qualiter peccent Episcopi permittentes nimiam celeritatem in celebratione Missarum.

IDem etiam quæritur de Alijs Prælatis, & Rectoribus Ecclesiarum, siue Regularibus, siue secularibus, Et idem etiam quæritur de permittentibus alios abusus in celebratione Missarum.

Respondeo grauiter peccare Episcopos, & alios ad quos pertinet cura Ecclesiarum. Probatur: quia tenentur ex officio huiusmodi abusus corrigere, & extirpare, ex Trid. sess. 22. in Decreto de obseruandis in celebratione Missæ: ergo non possunt illos permittere, sed grauiter peccant, si non puniant delinquentes, Ita Molina in instruct. Sacerdotum. tract. 3. cap. 13. §. 3. Verricelli 59. mor. tract. 8. q 44.

Confirmatur ex Doctrina sanctorum Patrum asserentium Episcopos subire magnum periculum damnationis propter aliena peccata, quæ non coercent, nec puniunt. Vnde Chrisost. tom. 3. in act Apostolorum: Non arbitror, inquit, inter Episcopos multos esse, qui salui fiant, sed multo plures, qui pereant; quia sepe non damnantur proprijs peccatis, sed alienis, quæ non coercuerunt. Consonat S. Bernardus Epist. 42. & S. August. in Psal. 106. cum alijs.

Confirmatur secundo ex communi doctrina, qua DD. affirmant grauiter peccare Episcopos, & alios Prælatos permittentes similes abusus etiam si priuati sacerdotes solum venialiter peccent, quando periculum est ne praua consuetudo radices agat, & paulatim crescat in graue detrimentum diuini cultus. vnde communiter docent Theologi quod licet religiosi, & alij venialiter peccent in frequenti transgressione suarum regularum, & rituum; Nihilominus Prælati, qui vident, & tolerant seu transgressores non puniunt, mortaliter peccant, quia id vergit in graue damnum communitatis, & totius religionis: ergo à fortiori idem dicendum in casu nostro, quoad abusus circa sacrificium, qui vergunt in commune damnum Ecclesiæ, & cultus dinini. Eam autem doctrinam tradunt sotus, Bannes, Suar & alij, quos citat & sequitur Verricelli supra allegarus q. 54. Et nos etiam pluribus DD. allatis firmauimus in simili supra hac prima parte. in rubricam Proemialem tituli primi dub. 5.



TITV-

TITVLVS XVII.

DE ORDINE GENVFLECTENDI, SEDENDI, ET STANDI IN MISSA PRIVATA ET SOLEMNI.

1 IN Miſſa priuata Sacerdos genuflectit quando legit Euangelium S. Ioannis, In principio ad illa verba, Et verbum caro factum eſt, & in Euangelio Epiphaniæ, Cum natus eſſet Ieſus, ad illa verba, & procidentes adorauerunt eum Item in Euangelio Feriæ iiij. poſt Dominicam quartam Quadrageſimæ, ad illa veba in fine, Et procidens adorauerunt eum Item genuflectit Dominica Palmarum, & in Miſſis de Cruce ad illa verba in Epiſtola, In nomine Ieſu omne genuflectatur. &c. & quando legitur Paſſio, ad illa verba, expirans, vel emiſit ſpiritum, vt ſuis locis notatur. Item genuflectit cum dicit, Flectamus genua. Item quando in Quadrageſima dicit in Tractu ℣. Adiuua nos Deus, &c. & in omnibus Miſſis de Spiritu ſancto, cum dicit ℣. Veni ſancte Spiritus, reple, &c. Item quando Sacramentum in Altari diſcoopertum apparet, genuflectit quoties ante illud tranſit in medio Altaris: & quandocumque in ordine Miſſæ, & in ritu ſeruando in celebratione Miſſæ notatur quod debeat genuflectere.

EXPLICATIO LITERALIS.

PLacet hic vti exordio eruditiſſimi Patris Caſtaldi in Prax. Cerem. l. 2. ſec. 1. cap. 4 vbi num. 1. ſic ait, Et ſi Deus à nobis potiſſimum interiorem cultum poſtulet: quia ſpiritus eſt Deus, & in ſpiritu, & veritate oportet illum adorare Ioannis 4 cum tamen conſtemus, & anima & corpore, oportet etiam Deum vtroque colere. Hinc genuflectendi religioſus vſus ortum habuit, hancque vetuſtiſſimam, & laudabilem genuflectendi conſuetudinem ſæpiſſime in ſcripturis ſacris, & Eccleſiaſticis traditionibus exemplis confirmatam legimus. Sic olim Regem Salomonem ædificato Templo vtroque genu flexo religioſe oraſſe, nos docet ſcriptura tertio Regum 8. & 2. Paralip. 6 & verus Salomon Chriſtus flexis genibus orauit in horto Lucæ 22. Iacobum quoque Apoſtolum aſſidue flexis in terram genibus Deum oraſſe, ita vt in Camelorum duritiem eius genua tranſierint D. Hieronym. teſtatur, & Apoſtolus ad Epheſ. 3 flecto inquit genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Porrò genuflexio ordinatur ad plures virtutum actus, quos etiam ſignificat, de quibus Durandus in rationali lib. 5. cap. 5 num. 15. & lib. 6. cap. 28 eum alijs quos infra citabimus; breuiter autem ad rem noſtram dirigitur in finem trium virtutum. Primo autem ſignificat actum adorationis; vnde Honorius in Gemma l. 1 cap. 117. Cadimus in terram, inquit, vt Chriſtum in carne adoremus. Secundò ſignificat actum pœnitentiæ ex eodem Honorio ſupra vbi ait, vt ſic memoremus nos in Adam eccidiſse: vt lapſum Animæ in vitia, dum corpore in terram cadimus pœnitendo fateamur. Item Rhabanus lib. 2. de inſtit. Cler. cap. 41. Inflexio genuum, ait, penitentiæ, & luctus eſt inditium. Tertio indicat actum orationis: Vnde Stephanus Actor 7. Poſitis genibus orans clamauit, & Paulus Actorum 20. poſitis genibus orauit &c. His poſitis,

Manifeſtum videtur in quatuor primis huius Rubricæ caſibus genuflexionem eſſe actum adorationis, vel ſignum eiuſdem. In quinto, & ſexto genuflectimus in ſignum pœnitentiæ, & luctus, vt in illis verbis, Emiſit ſpiritum: quia Chriſtus mortuus eſt propter delicta noſtra, quæ ideo deteſtamur cum illis, de quibus dicitur in Euangelio, Et qui ſimul aderant ad ſpectaculum, nempe mortis Chriſti, compuncti reuertebantur percutientes pectora ſua Lucæ 23.

cæ 23. similiter in illis verbis, flectamus genua: nam genuflectimus ad indicandum quod propter peccatum in terram dilapsi sumus, & iterum surgimus: quia per benignitatem Dei reuocati sumus, vt docet Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 2. In septimo Adiuua nos Deus; & in octauo, veni S. Spiritus commendatur, & exprimitur actus orationis. Tandem in vltimo quando sacramentum discopertum apparet Iterum præscribitur adoratio. Nihil autem prohibet in eadem genuflexione plures ex prædictis actibus exerceri, & exprimi.

2 Circumstantes autem in Missis priuatis semper genua flectunt, etiam tempore Paschali, præterquam dum legitur Euangelium.

NOn est eadem ratio de sacerdote ac de circumstantibus: nam sacerdos, quamuis offerat sacrificium, & oret etiam vt priuata persona, & ideo quandoque genuflectit; nihilominus principaliter offert in persona Christi eumque representat; & ideo stare debet, & maiestatem præ se ferre. Durandus lib. 5. c. 4. Circumstantes verò assistunt vt personæ priuatæ miserijs, & infirmitatibus circumdatæ, & ideo Inspiritu humilitatis, & propriam agnoscentes vilitatem semper genuflectunt, opem, & subsidium à sacerdote per sacreficium expectantes, etiam Tempore Paschali.

Vbi notandum in Concil. Niceno Can. 20. statutum fuisse, non genuflectendum in Dominicis, & tempore Paschali quando fit oratio, ad significandam libertatem Christi resurrectione nobis donatam, vt explicat Durandus l. c. num. 16 & Rupert. lib 8. cap. 3. hoc tamen intelligendum est regulariter, & extra sacrificium: Cum enim oblatio sacrificij principaliter instituta fuerit ad representandam Christi Domini Passionem, & mortem, semper in Missa genuflectendum est, sicut etiam non prohibetur genuflexio in priuatis orationibus.

Præter quam dum legitur Euangelium: hoc enim stantes debent omnes audire ex decreto Anastasij Papæ cap. Apostolica de consecr. dist. 1. Vt promptos se exibeant ad obediendum Euangelio, & insuper in eius defensionem parati ad certamen, & prælium, vt explicat Durandus lib. 4 cap. 24. n. 23.

3 In Missa solemni Celebrans genuflectit ad omnia supradicta, præterquam ad Flectamus genua, & tunc ipse solus stat, Diaconus verò, & Subdiaconus, & omnes alij genuflectunt. Ad Versum verò, Adiuua nos Deus, &c. & ad Versum, Veni sancte Spiritus, &c, genuflectit vsque ad finem. Item genuflectit in die Annunciationis B. Mariæ, & in tribus Missis Natiuitatis Domini, quando cantatur in Choro, Et incarnatus est, &c. Alijs diebus si sedeat, cum cantantur ea verba, non genuflectit, sed caput tantum profundè inclinat apertum: si non sedet, genuflectit.

CVr in Missa solemni non genuflectit sacerdos ad illa verba flectamus genua, sicut in Missis priuatis? Ratio est quia in Missa priuata ipse met sacerdos dicit flectamus &c. comprehendens se ipsum; in Missa verò solemni, non sacerdos, sed Diaconus inuitat populum ad genuflexionem, & ideo sufficit si ipse Diaconus genuflectat. Ceterum quando dicitur Versus, Adiuua nos, & veni S. Spiritus genuflectit etiam sacerdos, se etiam peccatorem agnoscens, vel sancti Spiritus gratiam indigentem, & debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre, ad hebreos 5.

In Die Annunciationis &c. genuflectit sacerdos: quia sunt dies specialiter dedicati mysterio Incarnationis, quod ideo maiori cultu venerandum est: alijs diebus si sedeat quando cantatur in Choro versus, & incarnatus est &c. caput tantum inclinat: quia iam genuflexit quando submissa voce ad altare symbolum recitauit: nec visum est congruum obligare sacerdotem reuerti iterum ad altare: quando ergo non sedet sed est in altari, genuflectere debet.

4 Ministri semper genuflectunt cun Celebrante, præterquam Subdiaconus tenens librum ad Euangelium, & Acolythi tenentes candelabra, qui tunc non

non genuflectunt. Et cum Diaconus cantat illa verba ad quæ eſt genuflectendum, ipſe verſus librum, Celebrans & omnes alij verſus Altare genuflectunt.

TEnentes vel librum Euangelij, vel Candelabra accenſa non genuflectunt cum alijs. Ratio eſt myſtica, ne vel doctrina Euangelica, vel geminum veritatis lumen antiqui teſtamenti, ideſt Legis, & Prophetarum, quæ duobus candelabris deſignantur ex Durando l. 4. c. 24. num. 14. deflecti poſſe, aut cadere videantur. Vbi etiam breuiter adnotamus librum Euangelij conſtitui in medio, ideſt inter duo candelabra: quia doctrina Euangelica dignior eſt, & teſtimonium accipit a Lege & Prophetis: ſicut in Transfiguratione Chriſtus apparuit medius inter Moyſen, & Eliam. Quare autem ſolus Diaconus verſus librum genuflectit? Dic quia eiuſdem libri, ſeu doctrinæ, quæ in eo continetur eſt peculiari modo cuſtos, & defenſor, & debet illum præ oculis habere.

5 In Choro genuflectitur ab ijs, qui non ſunt Prælati, ad Confeſſionem cum ſuo Pſalmo. In Miſſis autem feriarum Aduentus Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, & Vigiliarum quæ ieiunantur, ac in Miſſis Defunctorum, genuflectunt omnes etiam ad Orationes, & dicto per celebrantem, Sanctus vſque ad Pax Domini & ad Orationes poſt communionem & ſuper populum, excepta Vigilia Paſchæ & Pentecoſtes, ac Natiuitatis Domini, & Quatuor Temporibus Pentecoſtes. Et ſimiliter ab omnibus genuflectitur quando eleuatur Sacramentum.

IN Miſſa ſolemni genuflectunt ad Confeſſionem etiam illi qui ſunt in Choro, vt geſtus correſpondeant verbis: nam genuflexio eſt ſignum Pœnitentiæ, vt ſup. dicebamus & pariter confeſſio. Exceptis tamen Prælatis, qui ſtant ob præeminentiam dignitatis, excipi etiam debent cantores ex communi praxi, qui tunc cantant Introitum & ſtare debent ad lectorile.

In ferijs autem Aduentus, Quadrageſimæ &c. ad Confeſſionem, & etiam ad Orationes &c. genuflectunt omnes: quia ſunt dies mortificationis & pœnitentiæ: excipiuntur ab hoc ritu Vigiliæ Paſchæ, Pentecoſtes &c. quia ſunt Vigiliæ Feſtiuæ, præſertim Vigilia Natiuitatis, cuius ieiunium eſt exultationis, & gaudij; vt docent communiter DD. apud Paſqualigum de Ieiuno Deciſ. 93 & apud Dianam par. 10. tract. 12. reſ. 41. Vigiliæ autem Paſchæ, & Pentecoſtes, & Q. Tempora, item Pentecoſtes ad Paſchale tempus pertinent quo ſtantes oramus vt ſup. Ab omnibus etiam genuflectitur initio Canonis ex Cerem. Epiſc. lib. 2. cap 8. & à Cantoribus dicto Sanctus. Tandem ad eleuationem Sanctiſſimi Sacramenti omnes genuflectunt. Adde ex Caſtaldo in Prax libro 2. ſec. 1 num. 3. etiam dum fit communio tam Celebrantis quam aliorum circuſtantium.

6 In Miſſa item ſolemni Celebrans medius inter Diaconum & Subdiaconum ſedere poteſt à cornu Epiſtolæ iuxta Altare cum cantatur, Kyrie eleiſon, Gloria in excelſis, & Credo alio tempore ſtat ad Altare, vel genuflectit vt ſuprà.

EXplicato ordine genuflectendi; declaratur hic ordo ſedendi & ſtandi in Miſſa ſolemni, vt patet ex litera. Addunt aliqui ſacerdotem ſedere poſſe etiam dum cantatur epiſtola & Graduale ex decreto S. Rituum congregationis relato ab Alcozer in ſuo ceremoniali: Sedere autem debet ſacerdos coopertò capite pariter cum miniſtris in cornu Epiſtolæ, quia à parte Euangelij ſedere ſolet Epiſcopus. Alio tempore ſacerdos ſtat ad Altare.

7 In Choro non sedent qui actu cantant, reliqui autem possunt sedere quando celebrans sedet, & præterea dum cantantur Epistola, & Prophetiæ, Graduale, Tractus vel alleluia cum versu, ac Sequentia & ab offertorio vsque ad incensationem Chori, & si non incensatur, vsque ad præfationem, & ad antiphonam quæ dicitur Communio. Ad alia stant, vel genuflectunt, vt suprà.

IN Choro non sedent qui actu cantant: sed stantes erecti hoc munus implere debent, Hunc autem canendi ritum, & morem, quem non solum in Missa; sed etiam in Psalmodia, officij diuini in Choro nos Clerici regulares inuiolabiliter seruamus; nam stantes canimus, huiusmodi inquam clericalem ritum antiquissimum esse, & originem ducere ex vetustissimis quibusque patribus Imo, & ex Apostolis & Saluatore ipso erudite probant Antonius Caracciolus in suis notis ad Constitutiones Cler. Regular. p. 1. c. 1. & Ioseph. Sylos in historijs itidem Clericorum Regul. l. 2. prope finem, illud præsertim notantes quod de Beato Hieronymo narrat Suida: cum enim profunda iam senectute delectoque corpore decumberet psallendi tempore fune, qui pendebat apprehenso aliquantis per se se ipse erigebat, vt eo modo quo posset stans caneret. Tanti præclarem priscumque standi morem in canendo faciebat vir Sanctissimus. Clerici ergo sæculares saltem in Missa hoc seruare debent, vt non sedeant dum actu cantant, vt præscribit Rubrica.

Reliqui autem sedere possunt, eo præciso tempore, quo id conceditur per eandem rubricam, nempe ad Epistolam Profetias &c. Ad alia stant, vel genuflectunt, id est ad alias partes Missæ, ad quas expresse non conceditur vt sedere possint nempe ad Introitum, ad Orationes, ad Præfationem ad Canonem &c.

SENSVS MYSTICVS.

SAcerdos in Altari repræsentat personam Cristi summi Sacerdotis, cuius nomine sacrificium offert, vt docent communiter DD. cum D. Thom. 3. par. quæst 83. art. 1. & definit Trid. sess 22. cap. 2. idcirco regulariter Sacerdos stat ad altare dum celebrat, & sæpe expansis manibus in modum crucis: quia Christus in ara Crucis se ipsum obtulit, nedum stando erecto corpore; sed etiam violenter distento; & clauibus confixo. Quandoque etiam genuflectit, descensum Verbi de Cœlis ad terram designans. Reliqua patent ex dictis in expositione literæ: sæpe enim ritus Missæ vel non habent aliam rationem nisi mysticam, vel ea est potissima, & idcirco ob necessariam connexionem sæpe in explicatione literæ vtimur rationibus mysticis.

DVBIA CONSCIENTIAE.

DVBIVM I.

An, & quale pecatum sit omittere in Missa genuflexiones in Rubricis præscriptas.

RESpondeo, & dico primo si Sacerdos omittat genuflexiones faciendas in ipso actu celebrationis sine dubio peccat.

Probatur obligatio seruandi, ritus in Missali præscriptos est sub peccato, loquendo de ritibus ipsius actus celebrandi, vt probauimus quæst. proemiali sect. 2. punct. 1, & 2, sed genuflexiones, de quibus loquimur sunt huiusmodi: ergo, &c.

Dico secundo Sacerdos omittens in Missa solum aliquas genuflexiones, quæ iudicio prudentum sint leuis materia præcepti venialiter tantum peccat. Probatur: quia paruitas materiæ sicut in alijs præceptis communiter excusat à culpa mortali, ita etiam in hoc, vt probauimus etiam quæst. proem. cit. Facilius quoque excusari potest á culpa graui omissio genuflexionum ante consecrationem, quam postea, quia post consecrationē maiorem continet irreuerentiam ob præsentiam sacramenti. Vnde Sacra Rituum Congregatio apud Castaldum in praxi lib 2. sect. 1. cap. 4. num. 2. iudicauit animaduersione dignos transeuntes eo tempore ante Altare absque genuflexione, talemque consuetudinem non genuflectendi abusum & corruptelam declarauit.

Dico tertio Sacerdos omittens in Missa, vel omnes, vel tot genuflexiones, quæ constituant materiam grauem peccat mortaliter. Probatur quia transgressio præcepti in materia graui est pecc. mor. Ita est in casu nostro; ergo, &c.

Dis-

Difficultas hic esse potest, an qui genuflectere non potest ob tumorem vel simile impedimentum in genibus excludendus sit ab altari, vel excusari debeat ratione infirmitatis ab hoc ritu seruando, & sic licitè celebrare.

Ratio dubitandi est quia non potest congrue, & secundum consuetum Ecclesiæ ritum celebrare, quare si hoc impedimentum esset perpetuum, sacerdos prædictus videtur irregularis, & exclusus ab exercitio ordinis sacerdotalis ex communi regula DD. tract. de Irregul. nempe omnis defectus impediens congruum exercitium ordinum irregularitatem inducit, vt constat ex rit. Decret de corpore vitiatis: quando verò non est perpetuum inducit prohibitionem ad tempus: ergo non potest sacerdos in casu posito licite celebrare.

Respondeo secluso scandalo probabile videri posse licitè sacerdotem prædicto modo impeditum sacrum facere; potest autem facilè remoueri scandalum si in priuato sacello celebretur Missa. Probatur: quia hic ritus genuflectendi in Missa, quamuis grauis sit, non est tamen adeo necessarius, vt non detur causa excusans. Videtur autem infirmitas causa iusta, & sufficienter excusans, quando deest scandalum. Confirmatur quia priuari non debet sacerdos iure celebrandi quod possidet, nisi constet de prohibitione. Sed non constat illud impedimentum inducere irregularitatem, aut suspensionem, vel in præcepto genuflectendi in Missa non admitti causam excusantem, ergo &c. vide infra par. 3. tit. 9. sectione secunda dub 14.

Ad rationem dubitandi respondetur illam regulam intelligi quando non potest actus ordinis exerceri absque graui deformitate, vel notabili indecentia, qualis non est omissio genuflexionum in Missa, quæ præsertim celebretur in priuato sacello, vt dicemus parte tertia tit. 9. citato,

DVBIVM II.

De modo genuflectendi vno, vel vtroque genu.

PRæmittendum est vt certum genuflexionem, quæ est reuerentia omnium maxima fieri debere curuato genu vsque ad terram: in hoc enim distinguitur ab alijs reuerentijs minoribus, & patet etiam ex communi praxi piorum peritiorumque sacerdotum, & docent Castaldus ex Concilio Aurelianensi ex Brucardo, & alijs lib. 2. praxis sect. 1. cap. 4. num. 16. Bonamicus in obseruat. Eccles. obser. 12. Gauantus in rubricas Missalis par. 2. tit. 8. num. 5. lit. d. & communiter. Vnde graui reprehensione digni sunt illi sacerdotes, qui genu terræ non figunt, & præsertim qui vix illud mouent, & leue signum exhibent inchoatæ genuflexionis more saltantium; & quidem non videntur suæ obligationi satisfacere: quia verè non genuflectunt. His positis.

Difficultas est vtrum fieri debeat genuflexio altero solum, vel vtroque genu.

Prima sententia absolutè docet vnico tantũ genu faciendam esse. Tum quia Rubrica dicit, Genuflectat, non autem genua flectat. Tum quia sic habet communis praxis sacerdotum. Ita nonnulli, quos tacito nomine citat Victorianus Premoli in memor. Cler. par. 3. cap. 9. pag. 66. & hanc sententiam approbat Gauantus quoad Missas priuatas, in quibus, inquit ab initio vsque ad finem vnico tantum genu debet celebrans genuflectere, vt facilius surgat. Ita in rubr. Missalis par. 1. tit. 17. num. 5. lit. z.

Secunda sententia opposita docet genuflexiones, quæ Deo fiunt semper vtroque genu fieri debere. Constat autem genuflexiones in Missa Deo fieri,

Probatur primo ex Apostolo ad Philipp. 2. In nomine Iesu omne genuflectatur, & ex Isaia Mihi curabitur omne genu; certum est autem illam propositionem: Omne genu, vtrumque genu comprehendere non vnicum tantum.

Probatur secundo Adoratio latriæ, quę summa est, & soli Deo debetur exprimenda est signis maximæ submissionis, & reuerentiæ; negari autem non potest genuflexionem vtroque genu esse maioris submissionis, & reuerentiæ. & magis aptam ad exprimendum cultum latriæ; quam idcirco Mardocheus negauit in obsequium Aman, vt explicat Caietanus in eum locum: ergo, &c. Huic sententiæ fauet Castaldus supra agens de genuflexionibus in communi: vbi monet ex Concilio Aurelianensi; ne quisquam vno genu flexo orare præsumat, sicut fecisse leguntur Iudæi irridentes Christum: sed vtrumque genu terræ figat. & docet etiam Nauarrus de oratione cap. 4. numer. 15.

Tertia sententia media & probabilior docet genuflexiones tum in Missa, tum extra quandoque faciendas esse, altero solum genu ad terram demisso: quandoque vtroque genu: & vtrouis modo esse sufficiens signum adorationis latriæ.

Ad cuius rei euidentiam aduertendum est ex D. Thom. 2. 2. quæst. 84. art. 2. & 3. adorationem latriæ diuidi in internam, & externam Interna consistit in recognitione mentali Dominij, & Maiestatis infinitæ vnius Dei procedenti ex affectu submissionis, ac reuerentiæ de-

bitæ ipsi Deo a creatura rationali. Larria exterior consistit in exhibitione signi externi, quo Creatura rationalis protestatur internam existimationem de suprema Dei excellentia cum affectu submissionis: vnde vera adoratio latriæ principaliter est in mente seu in actu interno, secundariò vero in actione externa tanquam in signo ex eodem D. Thom. quæst. 84. art. 1. ad 1. & art. 2. in corpore quem sequuntur communiter Scotus in 3. distincr. 9. quęst. 1 Suarez tom. 1. de relig. tract. 2. lib. 5. cap. 1. Bellarminus lib. 1. de cultu sanctorum cap. 12. Layman lib. 4. tract. 10. cap. 2. num. 3. Hoc posito.

Probatur hæc sententia quia signa externa genuflexionum, inclinationum, &c. sunt indifferentia ad latriam, vel alium cultum inferiorem etiam ciuilem: determinantur autem ab intentione adorantis: nam si exhibeantur in recognitionem diuinitatis spectant ad latriam: si verò fiant in recognitionem supernaturalis excellentię creatæ alicuius sancti spectant ad duliam: vel tandem adobseruantiam ciuilem si exhibeantur in recognitionem excellentiæ naturalis, & humanæ: ergo sine genuflexio fiat vno, siue vtroque genu, bene potest pertinere ad latriam posita debita intentione; & differentia solum consistit pænes magis, & minus intra eandem speciem.

Superest vt explicemus quando in re nostra oporreat in Missa genuflexiones facere vno, vel vtroque genu.

Respondeo, & dico primo quando genuflexio fieri præcipitur cum aliqua mora ita vt sit terræ inherendum aliquo temporis spatio quamuis breui; tunc fieri debet vtroque genu Probatur; quia in hoc casu regulariter præcipitur nedum in signum adorationis, sed etiam vt fiat oratio ad Deum; decet autem orationem fieri vtroque genu terræ defixo exemplo Christi Domini, qui oraturus in Monte Oliueto genuflexit vtroque genu Luc. 22. Item exemplo Apostolorum, & sanctorum de quibus diximus in expositione literæ. Ita DD. secundæ sententiæ qui loquuntur de genuflexione requisita ad actum orationis, & docent expressius Castaldus in praxi lib. 2. sect. 7. cap. 6. num. 9. Bonamicus obseruat. 12. num. 6. Victorianus Premoli in memor Cler. par. 3. cap. 9.

Colligitur primo flectendum esse vtrumque genu in sequẽtibus casibus primo ad verba symboli & Incarnatus est vsque ad illa & Homo factus est inclusiuè. Secundo in Missa de Cruce, & alijs quando in Epistola dicuntur illa verba In nomine Iesu omne genu flectatur vsque ad illa verba Infernorum inclusiuè. Tertio in Tractu quando dicuntur illa verba Adiuua nos Deus, etc. Quarto quando legitur Passio ad illa verba Expirauit. Quinto in Missis de Spiritu sancto ad versum Veni sancte Spiritus, etc. et in similibus, vt videri potest apud Castaldum lib. 2 sect. 7. cap. 6 citaro num. 9.

Colligitur secundo Clericos, et alios, qui sunt in Choro debere genuflectere vtroque genu, quando in Rubricis dicitur vt ipsi genuflectant; quia regulariter respectu illorum genuflexio moram admittit, vt notat Gauantus in Rubricas Missalis par. 1. tit. 17. num. 5. lit. z.

Dico secundo quando peculiaris circunstantia requirit reuerentiam maiorem solito, quia exempli gratia sacramentum in Altari est expositum, vel discoopertum apparet; tunc genuflectendum est vtroque genu (imo et in omnibus genuflexionibus quas celebrans facit in Missa facta consecratione laudabilius videtur vt flectatur vtrunque genu sicuti cum alijs docet Premoli loco citato.) Similiter si maiori humilitate vel in signum pœnitentiæ facienda est genuflexio exempli gratia ad illa verba Flectamus genua vtrumque genu flectendum est ita Castaldus loco supra citato.

Dico tertio extra prædictos casus genuflexio fit vnico solum genu nempe dextro terræ defixo, quando facienda præcipitur in signum tantum adorationis, & absque mora genuflectens surrecturus est: vt patet ex communi praxi, & cum alijs notat Bonamicus loco supra citato num. 4.

Ad argumentum primæ sententiæ, Respondetur genuflexionem in rigore vocis significare signum adorationis siue vnico siue vtroque genu fiat.

Ad argumenta secundæ sententię respondetur ad primum illa verba sacræ scripturæ omne genu flectatur non referri ad omnia genua singulorùm quoties Deum adorant: sed ad genua omnis generis creaturarum rationalium, quarum singulæ si vnicum genu flectant verificatur illa propositio; vt patet ex verbis sequentibus Cælestium, Terrestrum &c.

Ad secundum distinguenda est maior propositio. Adoratio latriæ requirit signum maioris submissionis vt sit perfectior concedo: vt sit vera adoratio latriæ nego. Hæc enim exprimitur etiam sola capitis inclinatione, posita intentione legitima vt supra dictum est.

Colligitur per se loquendo neque esse damnandos alicuius culpę eos qui genuflexionem faciunt vnico tantum genu, neque è contra eos qui genuflectunt vtroque genu demisso: quia vtrouis modo fit vera genuflexio, & rubricæ non exprimunt an alterutro ex prædictis modis fieri debet genuflexio. Dixi per se loquendo quia fugienda est ostentatio, & singularitas ex vna parte; ex altera verò torpor et negligentia, & tandem quilibet sequi de-

debet probatam consuetudinem suæ Ecclesiæ.

DVBIVM III.

Qualiter Sacerdos teneatur stare ad Altare dum celebrat.

Quando non est genuflectendum neque sedendum debet sacerdos stare ad Altare vt explicatur in hac rubrica n. 6. fine, & sæpissimè etiam in secundo ordine rubricarum de ritu seruando vt dicemus in secunda parte; quærimus ergo qualis sit hæc obligatio.

Respondeo hanc obligationem esse grauem & sub peccato mortali ex genere. Probatur Primo quia hic ritus est magni momenti, & maximè conducens ad reuerentiam & decorem sacrificij: ergo cadit sub graui obligatione.

Probatur Secundo quia si quis aliqua infirmitate, detentus E. g. podagræ vel similis stare non possit ad Altare est irregularis & promoueri non potest ad ordines nec licitè exequi actum sacerdotij iam suscepti si debilitas superueniat: ergo sic impeditus non potest celebrare absque peccato mortali: alias impotentia standi non induceret irregularitatem. Antecedens probatur ex communi regula DD. nempe omnem defectum corporis impedientem congruum exercitium ordinis irregularitatem inducere: & in particulari de eo qui stare non potest docent Maiolus de irregul. l. 2. cap. 21. Layman lib. 1. tract. 5. p. 5. c. 7. Bonacina de irregul. disput. 7. quæst. 2 pun. 2. num. 15. qui addit esse irregularem illum qui stare non potest sine baculo vel simili subsidio.

Colligitur sacerdotem qui recitare vellet notabilem partem Missæ sedendo peccare mortaliter: quia violaret regulas Missalis in re graui, & in ritu, qui cadit sub graui præcepto. Imo nunquam conceditur sacerdoti vt in Missa priuata sedere possit. Et quando in Missa solemni sedendum est a celebrante; id non permittitur fieri in Altari sed extra in cornu epistolæ vt patet ex hac rubrica n. 6.

DVBIVM IV.

An Ordo sedendi in Missa cadat sub obligatione.

Respondeo negatiuè. Probatur quando in Missali præscribitur ordo sedendi in Missa præsertim in hac rubrica n. 6. & 7. non adhibentur verba imperatiua sed permissiua: tum respectu celebrantis, tum aliorum E. g. n. 6. celebrans sedere potest & n. 7. reliqui sedere possunt: ergo regulæ prædictæ non imponunt obligationem, sed concedunt licentiam ne celebrans, vel alij nimis defatigentur.

DVBIVM V.

Qualiter circumstantes vel audientes Missam, teneantur genuflectere.

Præbent occasionem huic dubio verba nostræ rubricæ n. 2. vbi dicitur circumstantes autem in Missis priuatis semper genuflectunt, præter quam ad Euangelium. Quærimus ergo an hæc rubrica imponat præceptum.

Respondeo negatiuè, est enim rubrica directiua consulens non præcipiens. Probatur quia verba non sunt præceptiua sed simplicia vt legenti patet: ergo rubrica non est præceptiua. Nec obstat similes rubricas quæ eisdem ferè verbis præscribunt ritus à Sacerdote exercendos in Missa esse præceptiuas; quia hanc vim habent à præcepto Pij V. in Bulla Missalis, quod præceptum vt alias diximus, dirigitur ad sacerdotes, & prælatos Ecclesiarum non autem ad Laicos.

Probatur secundo quia licet ritus Missæ quoad celebrantem præcipiantur rigoroso præcepto; Nihilominus quoad orationes priuatas nullibi præcipitur modus vel ritus aliquis exterior orandi (loquendo de præcepto iuris humani) vt probant Nauarrus de orat. cap. 4. num 4. Suarez tom. 2. de relig. lib. 3. cap. 7. num. 16. Filiuccius tom. 2. tract. 23. cap. 3. num. 4. sed Oratio, & assistentia laicorum in Missa, est actus priuatus religionis: ergo in ordine ad talem actum non est latum præceptum Ecclesiasticum circa ritum exteriorem, sed solum seruari debent quæ iure diuino naturali præcipiuntur videlicet vt præter attentionem (de qua alibi) seruetur decentia, & modestia exterior qualis requiritur ad actionem honestam nec requiritur genuflexio ex DD. citatis.

Colligitur primo ex defectu huius circumstantiæ modi exterioris orandi non peccari grauiter, nisi altero, è duobus modis. Primus est si exteriora signa reuerentiæ E. g. genuflexiones omittantur ex contemptu quod vix cōtingit nisi in Hæreticis alias orare sedendo vel cooperto capite de se non est peccatum, loquimur autem de oratione priuata. Secundus est ratione scandali vt si quis publicè orans absque signis externis reuerentiæ, malam fidei suæ suspicionem præbeat, vel alios suo exemplo ad

con

contemptum diuini cultus prouocet, Extra hos casus non apparet culpa mortalis; venialis autem sæpius committi potest si absque rationabili causa genuflexiones vel similes ritus omittantur præsertim si quis coram alijs vel publicè oret contra vsitatum morem piorum fidelium ita Suarez supra num. 27. Nauarrus num. 15 Filiuccius num 84.

Colligitur secundo. Quid sit dicendum de Canonicis, & alijs choro deputatis, qui ad Missam solemnem concurrunt, & assistunt, tanquam ministri Ecclesiæ; an peccent si non obseruent ordinem genuflectendi, vel standi in choro, vel alios similes per rubricas præscriptos. Dicendum est enim per se loquendo, & ex vi præcisa rubricarum eos non peccare; quia respectu illorum rubricæ sunt directiuæ non præceptiuæ sicut etiam rubricæ Breuiarij quatenus præscribunt similes ritus genuflectendi vel standi in choro vt docet Suarez de orat. lib. 4. cap. 14. fine, & cap. 17 n. 2. Toletus, Maciguus, Filiuccius, & alij quos citat, & sequitur Bonacina de hor. canon disp 1. quæst. 3. punct 6. num. 1. Dixi ex vi præcisa rubricarum; quia ratione torporis vel negligentiæ, & tedij rerum spiritualium vel similis causæ vt plurimum in omissione rituum contingit peccatum veniale & supra dicebamus de laicis Missæ assistentibus, & docent citati DD. Imo bene addit Nauarrus de orat. cap. 4. num. 15. facilius excusari possunt a peccato veniali seculares ignorantes huiusmodi ritus, quam Ecclesiastici qui tenentur illos scire.

Colligitur tertio (quod obiter hic notamus) eos qui priuatim orant etiam si horas Canonicas recitent posse citra peccatum orare deambulando, equitando vel Decumbendo in lecto &. vt ex Innocentio Ostiensi, & alijs docet Nauarrus loco citato num. 14. dummodo mentis attentio sit ad Deum. Imo potest quilibet priuatim orare in quouis loco etiam vili & immundo vt docet Diana p. 10 tract. 11. resolut. 33. §. nota vero.

DVBIVM VI.

De inclinationibus faciendis a celebrante in Missa, deque earum diuisione.

Addimus non incongruè hoc dubium fini huius tituli ob connexionem, quam habent inclinationes cum genuflexionibus sub eodem genere reuerentiæ; & quia non assignatur inclinationibus prædictis titulus specialis: sed sparsim præcipiuntur in varijs rubricis præsertim secundi ordinis de ritu seruando in celebratione Missæ; vbi de illis in particulari dicemus; hic autem nonnulla adnotabimus, quæ pertinent ad illas in genere.

Prima difficultas est quotuplex sit inclinatio. Respondeo esse triplicem videlicet simplicem, mediocrem, et profundam. Simplex est solius capitis inclinatio. Profunda est totius corporis inflexio. Media seu Mediocris est capitis et humerorum inclinatio. Ita colligitur ex rubricis de ritu seruando et docent. Castaldus in praxi cæremoniarum lib. 2. sect. 7 cap. 6 Ruiz de ord celebr. Mis. p. 2. regul. 1. num. 13. et eius additionator Niger ibidem quæst. 14. Bonamicus de Obseruat. Ecclesiast p 1. obseruat 12.

Secunda difficultas est de modo, loco, & ordine quo fieri debent singulæ inclinationes prædictæ. Respondeo, & dico primo. Prima inclinatio simplex fit inclinatione capitis, & colli versus pectus, absque motu aliarum partium corporis. Fieri autem debet hæc reuerentia semper quando dicitur versus Gloria Patri &; et quoties dicitur oremus; Item ad Nomen Iesu et Mariæ (non autem quando profertur nomen Christi nisi in vnico et singulari casu post memento pro defunctis ob peculiare mysterium suo loco explicandum); item ad nomen sancti de quo celebratur officium; et ad nomen viuentis Pontificis. & tandem quoties in rubricis præscribitur vt sacerdos caput Inclinet absque alio addito ita Auctores citati, & præsertim Castaldus supra n. 2.

Dico secundo secunda reuerentia mediocris fit capitis, & humerorum inclinatione; quæ exhiberi debet quoties per rubricas præcipitur vt fiat reuerentia cum additur parum inclinatus, aliquantulum inclinatus E.g. post confessionem ad versus Deus tu conuersus; Item post offertorium cum sacerdos dicit in spiritu humiliatis &c. Item post lotas manus cum dicit suscipe sancta Trinitas &c. vt fusius explicat Castaldus supra n. 3.

Dico Tertio reuerentia maior seu profunda fit inclinatione totius fere corporis seu curuatione vsque ad cinturam, reliqua parte immota permanente; pedibus item firmis & inæquali situ, non altero pede retrocedente more laicorum, vt aduertunt Ruiz, & Bonamicus supra. Hæc autem fit primo imagini principali quæ est in Sacristia, quando Sacerdos celebraturus inde egreditur: item cum post Missam ad Sacristiam reuertitur. Insuper cum sacerdos peruenerit ad Altare erucì profundè inclinat: Similiter cum dicit confiteor, cum dicit munda cor meum, & cum dicit Iube Domine benedicere. Tandem in Canone cum dicit, Te igitur, & quoties in rubricis dicitur vt profundè inclinet. Ita Castaldus supra n. 4. cum alijs Doctoribus citatis.

TI-

TITVLVS XVIII.

DE COLORIBVS PARAMENTORVM.

1 Paramenta Altaris, Celebrantis, & miniſtrorum, debent eſſe coloris conuenientis Officio & Miſſæ diei, ſecundum vſum Romanæ Eccleſiæ: quæ quinque coloribus vti conſueuit, Albo, Rubeo, Viridi, Violaceo, & Nigro.

EXPLICATIO LITERALIS.

SAncta Eccleſia regis ſuperni ſponſa, quamuis interiori, hoc eſt, virtutum decore potiſsimum in Domino glorietur ſecundum illud pſalmi 44. omnis gloria filiæ regis abintus; nihilominus etiam exterius decenti veſtium pompa componitur mira colorum varietate diſtincta, ex eodem pſalmo circumamicta varietatibus. Siquidem ob innumera virtutum inſignia quibus in omnibus iuſtis læta refulget, & quorum gloriatur triumphis; varijs vtitur coloribus in paramentis ſacris vt patet ex hac rubrica. Sicut enim ipſius Eccleſiæ milites immarceſcibiles florum coronas obtinent in cælis, vel de virginitate candidas vel de paſsione purpureas; ita ipſa Eccleſia pro diuerſitate feſtorum varijs vtitur paramentis; itē quia gloria filiorum in ipſam matrem redundat, eamque Vincentium glorioſus Martyrum ſanguis exornat, et inuiolatæ confeſsionis candida induit virginitas, vnde eius floribus nec roſæ, nec lylia deſunt Beda ſerm. 18 de Sanctis. Hinc pro diuerſitate feſtorum varijs vtitur coloribus. Et inſuper tempore afflictionis, & luctus congruentibus tempori diuerſis etiam vtitur coloribus ſicuti explicatur in hac rubrica. De quibus ſingulis ſuo ordine aliquid dicendum eſt.

2 Albo colore vtitur à Veſperis Vigiliæ Natiuitatis Domini vſque ad Octauam Epiphaniæ incluſiuè, exceptis feſtis Martyrum, quæ infrà eam veniunt. Feria v. in Cœna Domini, & Sabbato ſancto in Officio Miſſæ, & ab illo die vſque ad Sabbatum in Vigilia Pentecoſtes ad Nonam: in Officio de Tempore, præterquam in Miſſa Litaniarum, & Rogationum. In feſto Corporis Chriſti. In feſto Transfigurationis Domini. In feſtis beatæ Mariæ Virginis, præterquam in Benedictione Candelarum, & Proceſſione quæ fit in feſto Purificationis eiuſdem. In feſtis Angelorum. In Natiuitate S. Ioannis Baptiſtæ. In principali feſto S. Ioannis Euangeliſtæ, quod celebratur infra Octauam Natiuitatis Domini. In vtraque Cathedra S. Petri. In feſto S. Petri ad Vincula. In Conuerſione S. Pauli. In feſto omnium Sanctorum. In feſtis Confeſſorum Pontificum, & non Pontificum, & Doctorum. In feſtis ſanctarum Virginum non martyrum, & nec virginum nec martyrum. In Dedicatione, & conſecratione Eccleſiæ vel Altaris, ac in conſecratione ſummi Pontificis, & in anniuerſario Creationis, & Coronationis eiuſdem, & electionis & conſecrationis Epiſcopi. Item per Octauas prædictorum Feſtorum, quæ Octauas habent, quando dicitur Miſſa de Octaua, & in Dominicis infrà eas occurrentibus, quando in eis fit Officium de Dominica, præterquam in illis

Do-

Dominicis, quibus tributus est color Violaceus, In Missis votiuis supradictorum Festorum, quocumque tempore dicantur: & in Missa pro Sponso & sponsa.

Color Albus primo significat puritatem, et vitæ innocentiā Tren.4. Candidi facti sunt Nazarei eius: qua ratione congruit festis confessorum, et aliorum sanctorum non Martyrum. In primis vero candorem virginitatis designat Apoc.2, Ambulabunt mecum in albis Virgines enim sunt vt notat Durandus in Ration. lib 3. cap.18. Secundo significat etiam gloriam, et gaudium ex diuo Hieronymo in Ezechielem, et ex diuo Gregorio Homil.21. in Euang. Candor inquit vestis splendorem denuntiat solemnitatis: & hac ratione eo vtitur Ecclesia in festis Christi, & toto tempore Paschali. Ex quibus facilè colligitur ratio de alijs festis, quæ distinctè numerantur in hac rubrica.

3 Rubeo colore vtitur à Vigilia Pentecostes in Missa vsque ad Sabbatum sequens finita Nona, & Missa. In festis sanctæ Crucis. In Decollatione S. Ioannis Baptistæ. In natali Apostolorum Petri & Pauli, & in festis aliorum Apostolorum (exceptis festo principali S. Ioannis Euangelistæ post Natiuitatem: & festis Conuersionis S. Pauli, & Cathedræ S. Petri & eius vinculorum.) In festo S. Ioannis ante portam latinam. In commemoratione S. Pauli Apostoli. In festis martyrum, excepto festo sanctorum Innocentium, quando non venerit in Dominica: si autem in Dominica venerit, vtitur rubeo: in eius vero die Octaua semper vtitur Rubeo, quocunque die occurrat. In festis sanctarum Virginum martyrum, & martyrum non virginum. Item per Octauam prædictorum Festorum quæ Octauas habent, quando fit de Octaua, & in Dominicis infra eas Octauas occurrentibus, eodem modo vt dictum est supra de colore Albo. Item in Missis votiuis supradictorum Festorum, & in missa pro eligendo summo Pontifice.

Color Rubens primo designat fortitudinem in effusione sanguinis pro Christo Apoc.7. Lauerunt stollas suas in sanguine Agni. Qua ratione eo vtitur Ecclesia in festis Martyrum, & sanctæ Crucis, Christi sanguine decoratæ. Durandus lib.3. citato n.4. & Beda loco loco supra allegato. Excipitur festum sanctorum Innocentium propter afflictionem, & vlulatum matrum, & propter horrorem intempestiuæ persecutionis, quibus congruit color mæstitiæ idest violaceus. Secundo color Rubeus ex Durando supra, et alijs significat feruorem spiritus, eo quia accedit ad colorem ignis; et hac ratione conuenit festo Pentecostes in quo Spiritus sanctus super apostolos in igneis lingnis apparuit.

4 Viridi colore vtitur ab octaua Epiphaniæ vsque ad septuagesimam; & ab octaua Pentecostes vsque ad Aduentum exclusiuè, in officio de Tempore, excepta Dominica Trinitatis vt supra: ac exceptis Dominicis infra octauas occurrentibus, in quibus color octauarum seruatur: exceptis etiam Vigilijs, & Quatuor Temporibus, vt infrá.

Color Viridis ex Innocentio de Mysterijs Missæ lib. 1. cap.65. & ex Durando supra est color medius inter album, & rubeum, et ideo eo vtimur in diebus ferialibus, et etiam in Dominicis per annum communiter, veluti mediocris solemnitatis. Afferunt etiam com

muni-

muniter viridi colore ſpem diſignati ex virore agrorum, qui ſpem copioſæ Meſsis promittit. Eſt etiam ſpes virtus media inter fidem, et charitatem prędictis temporibus frequentius excercenda à fidelibus, memores quod ſunt aduenæ, et peregrini.

5 Violaceo colore vtitur à prima Dominica Aduentus in primis Veſperis, vſque ad Miſſam Vigiliæ Natiuitatis Domini incluſiuè: & à Septuageſima vſque ad Sabbatum ſanctum ante Miſſam incluſiuè, in officio de tempore: excepta Feria v. in cœna Domini, in qua vtitur Albo. & Feria vj. in paraſceue in qua vtitur Nigro, vt infra; & benedictione Cerei in Sabbato ſancto. in qua Diaconus, illius præfationm dicens, ſolus vtitur Albo: ea autem finita Violaceo vt prius. Item in Vigilia Pentecoſtes ante Miſſam, à prima prophetia vſque ad benedictionem Fontis incluſiuè. In quatuor temporibus, & vigilijs, quæ ieiunantur, exceptis Vigilia, & Quatuor temporibus Pentecoſtes. In Miſſa litaniarum in die S Marci Euangeliſtæ, & rogationum, & in proceſſionibus quæ his diebus fiunt. In feſto SS. Innocentium, quando non venerit in Dominica. In benedictione candelarum in die Purificationis B. Mariæ, & in benedictione Cinerum ac palmarum, & ipſa Dominica in Palmis, & in eorumdem, ac generaliter in omnibus proceſſionibus; exceptis proceſſionibus ſanctiſſimi Sacramenti, & quæ fiunt in diebus ſolemnibus, vel pro gratiarum actione, *In Miſſis de Paſſione Domini' Pro quacunque neceſsitate, Pro peccatis. Ad tollendum ſchiſma, Contra paganos, Tempore belli*, pro pace, pro vitanda mortalitate, pro iter agentibus, & pro infirmis.

COlor Violaceus eſt quaſi pallidus, et liuidus qualis ex carnis maceratione, et ex afflictione conſurgit. Hoc ergo colore vtitur Eccleſia in diebus pœnitentiæ, et ieiuniorum maceratione carnis deſtinatis. Item in diebus rogationum in proceſſionibus, & benedictionibus in quibus peccata noſtra deteſtantes, petimus remedium contra aduerſa & contra hoſtiles incurſus ex Durando in ration. lib. 3. cap 18. initio. Excipiuntur proceſsiones lætitiæ vt in feſto Sanctiſsimi Sacramenti: ſimiliter excipiuntur quatuor tempora Pentecoſtes quæ ſunt feſtiua ob aduentum Spiritus ſancti vt notatur in hac rubrica.

6 Nigro colore vtitur Feria ſexta in Paraſcene, & in oMnibus Officijs, & Miſſis Deſunctorum.

COlor Niger ex Innocentio lib. 1. cap. 65. eſt proprius mortis, quæ nos priuat lumine vitæ & ad tenebras ſepulchri nos detrudit; nigredo autem præſefert obſcuritatem & tenebras; & ideo communis vſus obtinuit vt in morte cognatorum nigris veſtibus induamur. Hoc igitur colore vtitur Eccleſia primo in Paraſceue ob mortem Chriſti, quando tenebrę factæ ſunt ſuper vniuerſam terram. Item in omnibus officijs, & Miſſis defunctorum quorum animę in tenebris ſedent pœnaſque luunt in purgatorio: quibus Eccleſia lucem petit, & requiem.

Tandem aduertendum mutationem colorum incipere á primis veſperis, quia inde incipit officium ſequentis diei.

SENSVS MYSTICVS.

EX dictis in litera conſtat varijs coloribus, diuerſarum virtutum proprietates exprimi in ſenſu allegorico. Secundo quoad ſenſum anagogicum colore candido, & rubeo deſignatur ſtola immortalitatis, vel de virginitate candida vel de paſſione purpurea. Tan-

dem coloribus viridi, violaceo & Nigro in sensu Tropologico excitamur ad exercitium spei, & mortificationis, & tandem memoriæ mortis.

DVBIA CONSCIENTIAE.

DVBIVM I.

Vtrum hæc Rubrica de coloribus paramentorum sit præceptiua vel directiua.

Respondeo esse directiuam neque inducere obligationem. Probatur quia præceptum Pij V. latum in Bulla Missalis ex quo rubricæ vim obligandi habent, non se extendit ad hanc rubricam de coloribus vt alias probauimus in quæstione prœmiali sect. 2. puncto 3, ergo &c.

Confirmatur quia neque etiam de materia ex qua confici debent ipsa paramenta aliquid reperitur statutū sub præcepto, quæ tamen maioris momenti est, quam sint colores ergo &c. Ita Suarez tom 3. in 3. par. disput. 82. sect. 2. §. secundo est obseruandum. Homobonus in examine par. 3. tract. 4 cap. 15. quæst. 144. Diana par. 2. tract. 14. resolut. 57 Auersa de sacrificio quæst. 11. sect. 13. §. Rursus.

Colligitur primo posse Nihilominus hic contingere culpam venialem sicut contra alias regulas directiuas, si absque causa rationabili varietur communis Ecclesiæ ritus circa colores ex negligentia E.g. vel simili motiuo. quod si ex circūstantijs timeretur graue scandalum E.g. si in die Paschatis quis celebraret in paramentis nigris in publica Ecclesia non excusaretur a peccato mortali.

Colligitur secundo posita causa rationabili vel casu necessitatis nullum fore peccatum ordinem colorum variare vel celebrare cum planeta vnius coloris, & stola vel manipulo alterius diuersi quia E g. ob loci paupertatem haberi non possunt alia paramenta; moneri tamen debet populus ad cauendum scandalum.

DVBIVM II.

Vtrum color Aureus sit æquiualens omnibus coloribus.

Quod est etiam quærere an paramenta ex auro intexta possint adhiberi in quolibet fest.

Respondeo affirmatiuè. Probatur quia ad colorem aureum concurrunt omnes præcipui, & nobiliores colores præsertim albus, & rubeus; quippe, & lucidus est cum albo, & igneus cum rubeo: ergo paramenta aurea conuenienter substitui possunt loco aliorum colorum præcipuè in festis, in quibus vel albo vel rubeo colore vtimur: & ob materiam pretiosam cui communiter adhæret maximè congruit festis solemnibus, & vere color aureus festiuus est; quare non videtur absolutè substituendus pro violaceo, & nigro in diebus ieiuniorum, & afflictionis; quamuis aliquod ornamentum ex auro decentissimè omnibus paramentis superponatur, vt patet ex communi vsu.

DVBIVM III.

De colore quo vti debemus quando Missa discordat ab officio.

E G. in Vigilijs occurrentibus infra Octauas dicuntur omnes Missæ de vigilia cui congruit color violaceus: Officium verò fit de Octaua cui congruit color Albus vel Rubeus. Item Feria 3. Rogationum quando in ea non occurrit festum, Missæ dicuntur de Rogationibus quibus congruit color Violaceus, non item Officio.

Certum est autem paramenta seu vestes sacerdotales, debere esse coloris Missæ conformis vt in exemplis positis coloris violacei. Difficultas ergo est de Pallio Altaris. Aliqui dicunt paramenta Altaris debere esse conuenientia Officio, ita Gauantus in Rubr. Miss. par. 1. tit 18 num. 6. sed non videtur absolutè verum, vt patebit ex dicendis.

Respondeo, & dico primo dum cantatur Officium in choro, paramenta Altaris erecti ad vsum chori coram quo celebrantur diuina officia debent esse coloris Officio conuenientis. Probatur, debent esse proportionata functioni sacræ, quæ celebratur coram Altari: ergo in casu nostro tempore diuini officij debent esse conuenientia officio.

Dico secundo dum in eodem Altari ad vsum chori destinato celebratur Missa, præsertim Conuentualis, & solemnis, pallium Altaris cum puluino debet esse coloris Missæ conuenientis, Probatur eadem ratione; quia debent esse proportionata functioni quæ tunc exercetur in Altari. Et eadem ratio est de Missis priuatis præsertim si plures Missæ in eodem Altari essent celebrandæ completo Officio Ad quem vsum aptari solent pallia quæ facilè amoueri & reponi possunt.

Dico tertio si non possint commodè mutari pallia Altaris prædicti ad vsum chori destinati, decen-

decentius videtur vt pallium Altaris sit coloris conuenientis Missæ. Probatur quia vt supra dicebamus paramenta Altaris debent esse proportionata sacræ functioni quæ in ipso exercetur: ergo si functio sit duplex & moraliter non possit seruari proportio & conformitas cum vtraque; recta ratio dictat vt seruetur proportio cum illa quæ potior est & dignior: siquidem id quod est dignius trahit ad se minus dignum: sed Missa est functio multo sacratior,& dignior Officio, ergo, &c.

Confirmatur quia Altare, primò, & principaliter erigitur propter sacrificium & maiorem habet connexionem cum Missa, quàm cum Officio: ergo, &c.

Colligitur, tempore Officij quando non celebratur Missa in Altari, pallium Altaris debere esse conueniens Officio vt patet ex dictis. Et contra, quando in eodem Altari celebratur Missa, pallium debete esse coloris Missæ conuenientis Cætera vero Altaria extra chorum absolutè ornari debent pallijs missæ conuenientibus

DVBIVM IV.

Vtrum de Sanctissima Dei Matre possit celebrari festum in paramentis Rubeis, tanquam de Martyre.

De facto certum est in omnibus festis B. V. Ecclesiam vti colore Albo propter singularem eius puritatem, & Virginitatem, vt constar ex hac rubrica num 2. Quæstio ergo est, vtrum ab Ecclesia institui conuenienter possit nouum festum B V. tanquam de Martyre enm paramentis Rubeis, Pendet autem resolutio ex eo an Beata Maria fuerit verè, & propriè Martyr.

Prima sententia negat.

Probatur primo: quia de ratione Martyrij est vt quis violentam mortem patiatur, & sustineat pro Christo. sed Beata Virgo non obijt morte violenta, & ex vi tormentorum, ergo, &c. Neque satis esse videntur dolores, quos pertulit in passione, & morte Christi Domini: nam alias qui meditando passionem Christi vehementer dolent, & cruciantur, essent Martyres, quod est apertè falsum.

Probatur secundo ad rationem veri Martyrij necesse est vt tormenta inferantur à Tyranno in odium Christi, & eius doctrinæ; sed carnifices Christi non intendebant affligere Matrem Christi propter Christum, quia persequebantur ipsum Christum non Matrem, ergo, &c.

Hanc sententiam sustinet Abulensis in Matth. cap.13. quæst. 20. Sotus in 4. distinct.49. quæst.5. art.2. cum alijs.

Secunda sententia longè probabilior sustinet, Beatam Virginem fuisse verè, & proprijssimè Martyrem, imó et plusquam Martyrem in gradu heroico, quia supra omnes Martyres sustinuit propter Christum dolores et cruciatus acerbissimos in eiusdem Crucifixione, et morte.

Probatur primo ad rationem veri, et rigorosi Martyrij sufficit vt quis propter Christum tormenta sustineat de se sufficientia, et efficacia ad inferendam mortem etiam si contingat mortem impediri: quia hoc verè est subire mortem in causa per se efficaci: nec inde minuitur affectus internus & acceptatio mortis propter Christum, in qua consistit vis Martyrij: sed ita contigit in Beata Virgine; cuius animam pertransiuit gladius ob cruciatum, quem sustinuit in eius crucifixione: & nisi speciali Dei auxilio suffulta fuisset, proculdubio expirasset ex vi doloris.

Probatur secundo Christus Dominus fuit vere & propriè Martyr & caput Martyrum ex cõmuni sensu Ecclesiæ, vt docet diuus Thomas in 4. distinct.49. quæst.5 art.5. ergo etiam Beata Virgo fuit verè Martyr; probatur consequentia, quia Beata Virgo propter summam cum Christo coniunctionem, iuxta Crucem constanter perseuerans in Christi confessione, & amoris testimonio, simul cum Christo patiebatur, & eadem tormenta pertulit in corde, quæ Christus sustinuit in corpore: ergo eiusdem Martyrij consors fuit, & post Christum supremum gradum Martyrij obtinuit, & Aureolam correspondentem supra omnes Martyres. Confirmatur ex Beato Laurentio Iustiniano, lib de triumphali Christi agon: cap.21. vbi sic ait, cor Virginis clarissimum Passionis Christi speculum & perfecta Mortis imago effectum erat. vnde alij sancti Patres absolutè eam Martyrem appellant, & plusquam Martyrem. Bernardus in serm. signum magnum, Hyeron. serm. de Assumpt. Idelphonsus serm. 2. de Assumpt. Anselmus lib. de excel Virg cap.5. & alij communiter. Et ex scholasticis docent supplementum Gabrielis in 4. distinct 49. quæst.4. art.3. Viguerius in institut. Theolog. cap.14 § 3. Durantus de ritibus Eccles. lib.2. cap.35. vbi plures allegat Suarez cum alijs loco infra citando, Nouarinus in Vmbra Virgin. lib.4. cap.53. num 1710.

Ad opposita respondetur, ad primum distinguendo maiorem, requiritur mors irrogata in causa proxima & de se efficaci nisi diuinitus impediatur, concedo: requiritur mors cum effectu secuta, nego. vt docent DD de requi-

fitis ad Martyrium, & videri poteſt Leſſius lib. 3. Inſtit cap. 1. vbi de virtute fortitudinis dub 3. Arriaga in 2.2. diſput. 51. ſect. 4. de Martyrio ſub ſect. 4.

Ad ſecundum reſpondetur diſtinguendo maiorem, requiritur, vt tormenta inferantur propter Chriſtum directè ſolùm, nego, vel directè: vel ſaltem indirectè, Concedo, modo in caſu noſtro quamuis interfectores Chriſti nõ intenderent Mariam affligere in paſſione Chriſti; nihilominus re ipſa perſequendo Chriſtum ipſam perſequebantur, & occidendo Chriſtum quantum in ipſis erat, eam interficiebant. Vide Suar. tom. 2. in 3. par. diſp. 21. ſect. 4.

Colligitur poſſe quidem ab Eccleſia inſtitui peculiare feſtum de Beata Virgine, tanquam de Martyre, & vti in eo rubro colore, vt in feſto ſancti Ioannis ante portam latinam; qui in tormentis minimè occubuit virtute diuina preſeruatus; de facto tamen illud non inſtituit nec ſine myſterio; quia Martyrium Virginis fuit idem cum Martyrio, & morte Chriſti & ideo ſimul & conſecutiue celebratur cum paſſione & martyrio Chriſti Feria ſexta in Paraſceue, cum paramentis nigri coloris, & in feſtis Sanctæ Crucis in paramentis rubeis.

DVBIVM V.

Cur in Feſtis Virginum, & Martyrum Eccleſia vtatur colore potius rubeo, quam albo, & an Martyrium ſit Virginitate præſtantius.

Videtur potius vtendum eſſe colore albo, & Virginitatem præferendam eſſe Martyrio.

Probatur primo Nam cauſa potior eſt ſuo effectu; ſed Virginitas eſt cauſa martyrij, ex D. Ambroſio lib. 1. de Virginibus. Non enim ideo laudabilis Virginitas, quia in martyribus reperitur, ſed quia ipſa martyres faciat, ergo, &c.

Secundo ea virtus præſtantior eſt & maioris meriti, quæ fortiorem vincit inimicum, & magis infeſtum; ſed virginitas fortiorem vincit inimicum, nempè carnem, quæ magis infeſtat, quàm Mundus, ſeu tyrannus. Vnde Apoſtolus non timens gladium, & impugnationes tyrannorum, Dicebat; Quis ſeparabit nos à charitate Chriſti? Perſequutio, An gladius? Ad Rom. 8 nihilominus infeſtationem carnis valdè timebat. Habeo aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis, & captiuantem me in lege peccati. Ad Rom. 7. & Ibidem quis me liberabit de Corpore mortis huius

Tertio virginitas extollit homines ſuprà humanam conditionem, & transmutat in Angelos, Matth. 22. In Reſurrectione non nubent, ſed erunt ſicut Angeli Dei in Cælo. Item exaltat animam ad dignitatem ſponſæ Regis cæleſtis, qui pergit inter lilia ſeptus Choreis Virginum, ergo præfertur martyrio, cui prædicta non competunt. His non obſtantibus.

Reſpondeo martyrium per ſe loquendo, eſſe quid præſtantius virginitate, & huic preferri.

Probatur auctoritate Chriſti Domini, Io. 15 Maiorem hac dilectionem nemo habet vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Ex quo loco ſic licet argumentari, ea virtus præſtantior eſt, & maioris meriti, qua maius bonum Deo offertur, ſeu maiori bono ſe homo priuat propter Deum. Item, quæ eſt ſignum maioris caritatis. Cùm caritas ſit forma omnium virtutum, & radix totius meriti, ſine qua nihil cætera proſunt; Ex Apoſt. 1. ad Corinth. 13. ſed per martyrium homo ſe priuat propter Deum maximo omnium temporalium bono, nempe vita ipſa, & conſequenter omnibus delectationibus vitæ præſentis. Per Virginitatem verò renuntiat matrimonio, et ſolis voluptatibus venereis, quod minus eſt. Item martyrium eſt ſignum maioris caritatis erga Deum, ergo, etc.

Confirmatur; quia Eccleſia præfert martyres virginibus, vt patet, tum in ordine, quem ſeruat in Comuni ſanctorum, tum in martyrologio, tum in Litanijs et commemorationibus tum in hoc ritu, quo in feſtis virginum, et martyrum non Albo, ſed Rubeo colore vtitur. Ita Innocentius 3. lib. 1 de myſt. Miſſæ cap. 65. Durandus in Rationali lib. 5 cap 18. num. 5. qui explicantes ritum prædictum de Coloribus reddunt hanc rationem; quia martyrium præfertur virginitati, et oppoſitam ſententiam nemo quem viderim defendit.

Ad oppoſita reſpondetur ad primum virginitatem non eſſe cauſam martyrij, facit enim martyres non propriè, et cauſaliter: ſed diſpoſitiue; quatenus tollit impedimenta, quæ poſſent ab eo retrahere; martyrium verò eſt actus fortitudinis imperatus à caritate, et quamuis charitas poſsit imperare actus omnium virtutum, nihilominus non niſi feruentiſsima impellit ad martyrium.

Ad ſecundum negamus ſimpliciter, per virginitatem nos victoriam reportare de fortiori aduerſario: nam per martyrium nedum ſuperatur tyrannus extrinſecus, et vi tormentorum impugnans martyres, ſed etiam affectus carnis, et naturalis inclinatio ad conſeruationem vitæ

quę

quæ potentior est inclinatione ad delectationes venereas; quamuis secundum quid magis infestus sit, et maioris periculi stimulus carnis ad venerem, et ideo Apostolus timebat, non tamen inde sequitur virginitatem præferendã esse martyrio, sed esse maximam virtutem in suo genere, et quoad ea, quæ spectant ad castitatem.

Ad tertium negatur consequentia; nam etiam martyres possunt æquiparari Angelis, quoad fortitudinem, & multos eorum quoad meritum superant.

Item dignitas sponsarum Christi est quidem valdè sublimis, sed conuenit omni animæ iuste ratione vnionis cum Christo per gratiam, & caritatem, quamuis approprietur virginibus per quandam accomodationem.

TITVLVS XIX.

DE QVALITATE PARAMENTORVM.

1 In Officio Missæ celebrans semper vtitur Planeta super albam.

2 Si autem sit Episcopus, & solemniter celebret, super Dalmaticam, & Tunicellam.

3 Pluuiali vtitur in processionibus, & benedictionibus, quæ fiunt in Altari. Item in officio Laudum, & vesperarum, quando solemniter dicuntur. Eodem vtitur assistens celebranti in Missa Pontificali. Item quando celebrans post Missam Defunctorum facit in fine absolutionem.

EXPOSITIO LITERALIS.

Religio vt scribit D. Hyeronimus in Ezechiel. lib. 13. in caput, 44. alterum habet habitum in vsu, alterum in Ministerio; Vnde sancta Ecclesia Apostolica traditione edocta inter alios sacros ritus sacras etiam vestes instituit, tum pro celebrante, tum pro alijs cuiusque ordinis ministris, quibus sicut in alijs cæremonijs, vt docet Trid. sessi 22. cap. 5. & Maiestas tanti sacrificij commendatur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis signa ad rerum altissimarum contemplationem excitantur, de quibus fuse Stephanus Durantus lib 2. de ritibus Ecclesiæ cap. 9. In hoc ergo titulo agitur de qualitate, & diuersitate sacrarum vestium, & qualibus vti oporteat pro diuersitate sacrarum functionum. Quia verò de vestibus tum Pontificalibus, tum Sacerdotalibus infra suo loco magis proprio dicturi sumus par. 2. tit. 1, Breuiter hic nonnulla adnotabimus de Pluuiali, & eius vsu, de Dalmatica, & Tunicella, & alijs proprijs vestibus Diaconi, & Subdiaconi, iuxta ordinem Rubricarum huius tituli.

Inci, iendo ergo a Pluuiali, de quo hic Rubrica num 3. Si eius vim nominis spectemus, sic dicitur à Pluuia; quia forsan à principio adiuuenta, & composita fuit hæc vestis indefensionem Pluuiæ, quando per imbrem opus fuisset incedere. E.g. ad portandum Viaticum infirmo, & consequenter opus habebat Sacerdos sacris vestibus indutus pergere, tunc. n. Pluuiali contra pluuiam vtebatur, & suaderi potest ex coniecturis, quas affert Gauantus in hanc rubricam tit. 19. num. 3. Vbi addit ex Varrone eam vestem, qua olim sacerdotes per imbrem vtebantur, dici consueuisse in pluuiam.

Porro Pluuiale idem est cum Cappa, quam ita describit Honorius in Gemma libro 1. cap. 227. Habet inquit in supremo Caputium, ad pedes pertingit, fimbrias habet, & ante aperta manet.

Hæc igitur Cappa processu temporum, auctoritate superiorum ad meliorem formam redacta, & mutato Caputio in ornamentum a tergo pendens, inter vestes sacras retenta est sub antiquo suo nomine Pluuialis, & modo Pluuiale communiter vocatur.

Eo autem vtitur Celebrans in Processionibus, & Benedictionibus, & alijs sacris functionibus, vt in Rubrica. Ratio autem literalis est, vt etiam ex vestibus appareat discrimen inter sacrificium, quod in Missa peragitur, quo nihil sanctius à fidelibus tractari potest. Ex Trid. sess. 22 in Decreto de obseruandis in Celebrat. Missæ; vt inquam sit discrimen inter Sacrificium, & alias sacras functiones: quia in Missa vtitur Sacerdos Planeta, seu Casula, quæ ad vsum sacrificij singulariter est destinata, & benedicta; decuit vt in Benedictionibus, & alijs functionibus solemnioribus extra sacrificium

non

non planeta vteremur, sed loco illius Pluuiali, quod aptissimum indumenti genus videtur ad decentem Sacerdotis ornatum super Albam, accedit ratio mystica, de qua dicemus in sensu mystico.

Eodem vtitur Assistens Celebranti: quia inde resultat maior veneratio erga celebrantem, & ipsam sacram functionem: Tribuitur etiam Cantoribus in Cærem. Episcoporum lib. 2. c. 3. ad maiorem solemnitatem: quia non est vestis propria Sacerdotis, vt Planeta, seu Casula; sed cõmunis alijs, ex Honorio in Gemma loco cit.

4 Cum celebrans vtitur Pluuiali, semper deponit Manipulum, & vbi Pluuiale haberi non potest, in benedictionibus, quæ fiunt in Altari, celebrans stat sine planeta cum Alba, & stola.

Manipulus non adhibetur cum Pluuiali, & omnino extra Missam nullus est manipuli Sacerdotalis vsus, vt hinc etiam appareat discrimen inter sacrificium, & alias sacras functiones. Manipulus enim fletum, & dolorem significat, & ideo singulariter adhibetur in Missa, in qua renouatur sacrificium Crucis, & repræsentantur cruciatus, & dolores Christi Domini, & mors eiusdem acerbissima, qualiter nunquam repræsentarut extra sacrificium, & ideo extra sacrificium non adhibetur manipulus, quia non est dolor similis dolori, quem Christus in Cruce sustinuit, & quo nos affici in Missa deceret.

Vbi autem Pluuiale haberi non potest, ad huc Sacerdos non vtitur Planeta ob rationẽ supra assignatam; sed Celebrans stat cum Alba, & Stola; debet autem Stola ex comuni Praxi super Albam in modum Crucis ante pectus gestari Cingulo de more sustentata, quando verò adhibetur supra super pelliceum, soluta pendebit à Collo.

5 Dalmatica, & Tunicella vtuntur Diaconus & Subdiacunus in Missa solemni, & processionibus, & benedictionibus, quando Sacerdoti ministrant.

Dalmatica est vestis sacra Diacono assignata, vt constat, ex ordine Romano. S. Siluester eam primo concessit solum Diaconis Romanæ Ecclesiæ, & in diebus tantum solemnibus in signum lętitiæ dist. 76. cap. de Ieiunio. Deinde ex indulto Romanorum Pontificum alijs etiam data fuit, vt constat ex Gregorio libro 7. Epist. 3. ad Aregium. Appellatur Dalmatica, quia in Dalmatiæ partibus primo contexta fuit, vt vult Isidorus. lib. 19. Etymol. cap. 22. vel eius vsus incoepit ex D. Th. in 4. dist. 24. quæst. 3. art. 3. Modo autem ea vtitur Diaconus in Missa solemni, Processionibus &c. quãdo Sacerdoti ministrat. Ratio literalis est, vt sic indutus decentius Sacerdoti ministret, non pari veste cum Celebrante, vt se inferiorem, & ministrum agnoscat, sed apta eius ministerio: quid autem significet Dalmatica, dicemus dum de sensu mystico.

Subdiacono pariter assignata est Tunicella, quæ etiam Dalmatica appellari solet ob similem formam, & ea vtitur in prædictis functionibus cum Diacono ob eandem rationem assistendi Celebranti. Differunt; quia Dalmatica Diaconalis maior, & latior esse debet, Subdiaconi verò minor, & strictior, & ideo dicitur Tunicella: ob eandem rationem appellatur Subucula ab Amalario lib. 2. cap. 22. Docet etiam Diuus Thomas supra, Dalmaticam Diaconalem esse largiorem. Et in additionibus ad 3. par. quæst 40. art. 7 in corpore; Saltem Tunicella habere debet strictiores aliquantulum manicas, vt notat Castaldus in Praxi lib. 2. sect. 1. cap. 10. num. 5. vt discrimen inter vtrumque ordinem pateat, neque hoc caret mysterio, vt infra dicemus.

6 In diebus verò ieiuniorum (præterquam in vigilijs Sanctorum) & in Dominicis & ferijs Aduentus & quadragesimæ, ac in vigilia Pentecostes ante Missam (exceptis Dominica Gaudete etiamsi eius Missa infra Hebdomadam repetatur, & Dominica Lætare, Vigilia Natiuitatis Domini. Sabbato Sancto in benedictione Cerei, & in Missa, ac Quatuor Temporibus Pentecostes) item in benedictione Candelarum, & Processione in die Purificationis Beatæ Mariæ, & in benedictione Cinerum, ac benedictione

ne palmarum & Proceſsione : in Chathedralibus & præcipuis Eccleſijs vtuntur Planetis plicatis ante pectus: quam planetam Diaconus dimittit cum lecturus eſt Euangelium, eaque tunc ſuper ſiniſtrum humerum ſuper ſtolam complicatur: aut ponitur aliud genus Stolæ latioris in modum Planetæ plicatæ,& facta Communione reſumit Planetam, vt prius. Similiter Subdiaconus dimittit eam cum lecturus eſt Epiſtolam, quam, legit in Alba, & ea finita, oſculataque celebrantis manu, Planetam reſumit vt prius.

DAlmaticæ ſunt veſtes feſtiuæ, & ſignum letitię Vt infra dicemus. Id circo in diebus ieiuniorum,& tēporibus pœnitentiæ, & meroti deſtinatis; Diaconus, & Subdiaconus non vtuntur Dalmaticis in Miſſa,ſed Planetis plicatis, & ſimiliter in Benedictionibus, & ſimilibus functionibus, quæ in litera diſtinctè notantur; quia mœrorem habent adiunctum. Excipiuntur Vigiliæ Sanctorum, quia Vigilia eſt principium feſti, Radulphus. Propoſ. 19. & aliquallem habet letitiam. Item Benedictio Cerei & aliæ in quibus letitia eſt.

Planetæ autem debent eſſe plicatæ ad differentiam Caſulæ Sacerdotalis, quæ etiam dimittuntur ab vtroque lecturo vel Epiſtolam, vel Euangelium, vt ſignificetur eas non competere per ſe miniſtris,&in ordine ad proprium miniſterium: ſed mutuatas habere a Sacerdote, cui miniſtrant, Rupertus. lib. 3. cap. 2.

7 In minoribus autem Eccleſijs prædictis diebus ieiuniorum Alba tantum amicti miniſtrant: ſubdiaconus cum Manipulo, Diaconus etiam cum Stola ab humero ſiniſtro pendente ſub dextrum.

MInores Eccleſiæ hic vocantur, in quibus vel minor eſt numerus Clericorum, vel minor copia ſacræ ſupellectilis ob paupertatem, & ſicut ſupra num. 4. dicitur, Vbi Pluuiale haberi non poteſt, in Benedictionibus Celebrans ſtat ſine Planeta cum Alba, & Stola, Ità hic dicitur de Diacono, & Subdiacono, vt miniſtrent cum Alba &c

Subdiaconus quidem cum Manipulo eſt enim propria veſtis eiuſdem ex ordine Romano Et docent communiter DD. Sylueſt. verbo Diaconus, & Subdiaconus Molfeſ. ſum tract. 2. cap. 8 & 9. num. 6. & ſummiſte communiter

Datur autem Manipulus Subdiacono non in eum finem, ad quem datur Sacerdoti, de quo p. 2. tit. 1. dicemus; ſed ad tergendas ſordes ſacrorum vaſorum. ex Durando. in Rationali. lib. 2. cap. 8. eumque ad ſiniſtram gerit ad expeditius miniſtrandum. Rupertus lib. 3. cap. 33.

Diaconus verò etiam cum Stola, eo Quia Stola eſt propria veſtis Diaconi. ex DD. citatis. Pendere autem debet ab humero ſiniſtro ſub dextrum, vt dextera ſit libera ad miniſterium Altaris. Durandus. lib. 2. cap. 9. Quid autem myſticè hac Cæremonia ſignificetur mox explicabimus.

SENSVS MYSTICVS.

PRimo loco Pluuiale quamuis ſit veſtis diuerſa a Planeta, ſeu caſula conuenit tamen cum ea, in hoc, quod vtraque veſtis eſt ſuprema, & alijs ſoperponitur. Vnde ſicut Planeta ex comuni ſententia, vt dicemus ſuo loco. ſignificat Charitatem, quæ cunctis virtutibus ſupereminet, eaſque informat, & illuſtrat. Ita etiam Pluuiale, quo pariter Sacerdos induitur ſuper alias ſacras veſtes eandem virtutem charitatis denotat. Honorius in Gemma lib. 1. cap. 234. quia Sacerdos omnium virtutum ornamentis fulgere debet; ſed ſuper omnia hæc charitatem habere debet. Inſuper in Pluuiali glorioſam corporum immortalitatem intelligi Docet Duran. in Rationali lib. 2. cap 1.

Secundo Dalmatica ſignificat letitiam, & curam proximorum, tribuitur Diacono, cui ex vi ſuæ ordinationis committitur cura diſpenſandi ſanguinem Chriſti, & Theſauros Eccleſiæ Iuo Carnot. ſerm. de ſignificatione indumentor. Et patet in ſancto Leuita Laurentio. Hec autem proximorum cura, & diſpenſatio debet habere adnexam hilaritatem: quia hilarem datorem diligit Deus. 2. Corinth. 9. & ideo hilaritatem ſignificat. Inſuper Dalmarica Diaconalis largas habet manicas; quia diſtributor eleemoſinarum liberalis eſſe debet inno-

Innocentius lib. 1. cap. 56 & ex D. Th notat etiam Molsesius sum. tract. 2. cap. 9. n. 23.

Subdiacono verò tribuitur Dalmatica: quia est in via ad Diaconatum, non autem Stola, sed tantum Manipulus. Vt supra explicauimus.

Stola est vestis propria Diaconi, quæ, & orarium dicitur idest vestis oratorum, seu concionatorum, quod munus competit etiam Diacono. Significat autem Iugum Christi, seu obedientiam ex communi sententia. Vt videri potest. apud Suar. disp. 82 sect. 2. Super imponitur humero eius sinistro pedens in dextrum. Vt portet Iugum Domini in hac vita, quę per sinistram significatur cum spe quietis futuræ in dextra. Duran. lib. 2. cap. 6. & docet Magister sententiarum lib. 4 distin. 24. Vel dici potest Diaconum non dum perfectè iugo mortificationis se subdidisse, quia nec complete ordinatus est: idco vno humero illud gestat, idest sinistro: quia debet patienter aduersa, quæ per leuem significantur tolerare propter Christum. Sacerdos vero perfectè subdit collum iugo mortificationis, & ideo vtroque humero, et non solum inter aduersa: sed etiam in prosperis, mortificationis, et Crucis debet esse memor. Vt docet Concil. Brac 3. can. 3.

DVBIA CONSCIENTIÆ

DVBIVM PRIMVM.

An rubrica de vsu Pluuialis sit præceptiua, & obliget sub culpa.

Idem quæritur de alijs vestibus assignatis in Rubrica pro sacris functionibus extra Missam.

RESpondeo negatiuè. Probatur ille Rubricæ sunt præceptiuæ, ad quas extenditur Præceptum Pij V in Bulla Missalis Inde enim Rubricæ eam vim habent obligandi ad culpam. Vt alias probauimus quæst. 2. Proœmiali sect. 2. Sed Præceptum Pij V. non extenditur ad hanc Rubricam de vsu Pluuialis. Ergo &c. Probatur, minor: quia præceptum illud loquitur de rubricis, & ritibus seruandis in ipso actu celebrationis Missæ. Pluuiale autem adhibendum est in alijs functionibus extra Missam.

Nota hic. Nos loqui de vsu Pluuialis ex vi huius nostræ Rubricæ in diuinis officijs extra Sacramentorum administrationem, nam ritus ab Ecclesia prescriptos in solemni Sacramentorum administratione, in quibus clauduntur etiam vestes sacræ adhibende, Certum est cadere sub præcepto. Ex Trid. sess. 7. Can. 13 & communi DD. sententia, & solum ratione paruitatis materiæ eorum omissio excusatur a peccato mortali, non autem a veniali, vnde Episcopus in solemni administratione Sacramenti confirmationis tenetur inter alia indumenta vti Pluuiali, quamuis vnius tantum indumenti omissio esset peccatum veniale. De quare latè Diana par. 7. tract. 10. resol. 31. & Pasqualigns quæst. moral. Canon. Centur. prima quæst 31.

Colligitur primo si absque vlla causa rationabili omittatur Pluuiale, vel alia ex vestibus sacris abhibendis in benedictionibus solemnibus vel similibus functionibus secundum regulam Missalis, & receptum vsum Ecclesiæ; Nihilominus committi peccatum veniale. Probatur. Nam qui absque causa rationabili recedit a cômuni regula, & vsu Ecclesiæ contra rationem operatur, ergo saltem venialiter peccat. Vt de alijs Rubricis directiuis suo loco diximus.

Colligitur secundo si in benedictionibus solemnibus, & alijs similibus functionibus omitterentur vestes sacrę vel cum notabili scandalo, vel cum notabili irreuerentia alicuius sacrę functionis committeretur peccatum mortale contra ius diuinum naturale, & contra reuerentiam Deo, & rebus sacris debitam. E.g. si in magna solemnitate, ad quam sit Populi concursus, quis in vestibus communibus benediceret palmas, vel candelas Vnde apud Adstantes notabiliter vilescerent ritus, & Cæremoniæ sacræ Ratio est manifesta: quia Ius naturale dictat cauendum esse tum scandalum, tum irreuerentiam contra res sacras: quia sancta sanctè tractari debent, ergo si vel scandalum sit notabile, vel irreuerentia grauis, peccatum mortale committitur.

Colligitur tertio idem esse dicendum de vsu dalmaticæ, & Tunicellæ Diaconi, & Subdiaconi. Vt suo loco dicemus p. 2. tit. 6. in dubijs Conscientiæ.

DVBIVM II.

Vtrum paramenta, & vestes prædictæ debeant esse benedictæ.

CErtum est Vestes omnes, quibus sacerdos vtitur in Missa debere esse benedictas, alias grauiter peccaret celebrans vtens aliqua earum non benedicta, huiusmodi sunt amictus, Alba, Cingulum, manipulus stola, & planeta seu Casula, vt dicemus 1. p. tit. 1. Dubium est igitur de Pluuiali, quo vtimur extra Missam, & de Dalmatica, & tunicella, quibus vtuntur Diaconus, & subdiaconus,

Prima

Prima sententia. Sustinet Pluuiale non benedici; quia commune est cuicumque Ecclesiastico, neque ordinatum ad sacrificium Missæ. Ita Ganantus in Rubrica Missalis tit.19.num.3. litt. 1. Polacus, in Aphoris pag.410. De Dalmaticis vero nihil expressum inuenio apud auctores; sed nec eas benedici videntur insinuare DD. citati.

Probari potest primo: quia nullibi præscribitur hæc paramenta esse benedicenda, nec in Missali habetur eorum benedictio; sed solum vestium Sacerdotalium.

Probatur secundo. Ex vsu aliquarum Ecclesiarum, in quibus (vt mihi relatum fuit à fide dignis) benedici non solent Pluuiale, Dalmatica, & Tunicella Diaconi, & Subdiaconi.

Secunda sententia esse potest. Debere necessario benedici, & ex præcepto.

Probatur primo paramenta prædicta computantur inter vestes sacras, quibus vti non licet ad vsus profanos. Vt fuse probant Stephanus Durantus de ritibus Ecclesiæ lib 2. cap.9. ex pluribus decretis summorum Pontificum, & auctoritatibus sanctorum Patrum, ex Suarez tom 3. in 3. par. disp.82. sect. 2. Ergo debent esse benedictæ. Probatur consequentia Illud esse sacrum, quo paramenta prædicta a prophanis vestibus distinguuntur, non potest aliunde procedere, nisi ex benedictione: ergo si certum est esse paramenta sacra, certum est etiam debere esse benedicta. Antecedens probatur: quia illud esse sacrum consurgere non potest, neque à materia, quæ prophana est, neque a forma artificiali, quam habent a personis secularibus &c. Ergo necessario dicendum est consurgere à benedictione, quæ est forma sacra. Vt docet Suarez supra §. tertio obseruandum.

Diceris consequi esse sacrum ex Deputatione ad vsus sacros. Sed contra, quia hęc deputatio non fit legitimè, nisi iuxta Ecclesiæ institutum, quæ benedictiones in hunc finem præscripsit. Vt patet ex verbis, quibus sacræ vestes benedicuntur. Videlicet, vt apta sint sacris misterijs: Ergo absque benedictione non censentur legitimè deputatæ ad vsus sacros.

Probatur secundo: Quia ex Decretis summorum Pontificum relatis à Duranto, & Suarez supra, non solum Sacerdos debet esse indutus sacris vestibus; sed etiam ministri. Item sacræ vestes non solum ordinantur ad vsum sacrificij; Sed etiam aliorum diuinorum officiorum: Ergo nedum vestes sacerdotales benedici debent; sed etiam Pluuiale, & Dalmaticæ.

Probatur tertio: Quia Sacerdos in processionibus, & benedictionibus solemnibus, in Vesperis &c quando vtitur Pluuiali, induitur amictu, Alba, & Stola benedictis: Ergo etiam Pluuiale debet esse benedictum, ne discordet a ceteris, & eadem ratio procedit de Dalmaticis.

Tandem probatur: quia etiam Pluuiale, & Dalmaticæ suam habēt significationem sacram: ergo debent habere esse sacrum, & consequenter benedictionem quæ est forma tribuens esse sacrum Pro resolutione.

Respondeo, & dico primo Benedictio prædictarum vestium Videlicet. Pluuialis Dalmaticæ, & Tunicellæ non est necessaria ex præcepto, & sub peccato mortali. Probatur: quia non constat de tali præcepto, & DD. communiter solum id asserunt de vestibus Sacerdotalibus, quibus vtitur Sacerdos in celebratione Missæ, qua nihil est sanctius, & augustius: & Idcirco multa præcipiuntur circa Missæ celebrationem, quæ non cadunt sub rigore præcepti in alijs diuinis officijs Ita Silnester verbo Diaconus num. 6 vbi absolutè asserit non esse necessè vt Diaconus, & Subdiaconus vtantur vestibus benedictis.

Confirmatur: quia nec vsus Pluuialis, nec Dalmaticæ, aut tunicellæ cadit simpliciter sub præcepto extra sacramentorum ad ministrationem. ex dictis dub. primo, ergo nec est peccatum mortale vti prædictis vestibus non benedictis. Limita quo ad Pluuiale, quo vtitur Episcopus in administratione Sacramentorum. E g. Sacramenti Confirmationis, cuius, vsus tunc cadit sub præcepto, & consequenter etiam ex præcepto debet esse benedictum. Ex dictis eodem dubio primo.

Dico secundo. Prædictæ vestes debent omnino esse benedictæ ob decentiam diui orum officiorum, & sacrarum functionum, in quibus ex præscripto Ecclesiæ illis vti debemus, etiam extra sacramētorum administrationem. Hanc conclusionem meo iudicio manifeste conuincunt Argumenta allata, pro secunda sententia.

Addo videri indicens vti illis non benedictis, & consequenter esse peccatum veniale, & certè Romæ in Basilicis, & præcipuis Ecclesijs benedicuntur.

Confirmatur: quia communiter DD. asserunt de vestibus Sacerdotalibus in sacrificio Missæ, perinde esse adhibere vestem non benedictam, ac nullam adhibere: quia vestis non benedicta non est sacra, & consequenter inepta ad sacram functionem. Ita Henriquez lib.9. cap.29. Fagundez præcept. 1. lib.3. cap.23 Suarez supra. Tambur. Opusc. de sacrif. lib. 1. cap 3. §. 2, & communiter: Ergo pariter in casu nostro Perinde esset adhibere Pluuiale non benedictum, ac nullum adhibere, vel vti veste prophana.

Ad Opposita ad Argumenta primæ sententiæ. Respondetur primo quò ad Pluuiale vestes sacras nedum benedici in ordine ad Sacrificium, sed

sed etiam in ordine ad alia diuina officia.

Ad alia respondetur ad primum negando assumptum: quia ex dictis, non potest haberi esse sacrum, nisi ex benedictione. Imo ex cap. Vestimenta de Consecratione dist. 1. in quo fertur præceptum benedicendi vestes sacerdotales colligitur etiam benedicendum esse Pluuiale &c. Nam textus ibi loquitur vniuersaliter de vestimentis sacris in ordine ad officia diuina, & functiones Ecclesiasticas; quamuis DD. maiori rigore interpretati fuerint, & merito illud præceptum in ordine ad sacrificium, quam in ordine ad alia diuina officia.

Ad id, quod dicitur, non haberi in Missali benedictionem Pluuialis &c. constat hoc esse falsum ex orationibus ab Ecclesia præscriptis in benedictione indumentorum Sacerdotalium, quorum verbis aperte significatur ea benedici, non solum in ordine ad sacrificium; sed vniuersaliter in ordine ad diuina officia, & sacra Mysteria. Item ex ijsdem patet comprehendi etiam Pluuiale, & Dalmaticas; quia benedicuntur indumenta Pontificum, Sacerdotum, & Leuitarum. Vt legenti patet.

Ad secundum respondetur: Consuetudinem illarum Ecclesiarum forsan duxisse originem a prima opinione supra relata, quæ cum sit parum probabilis, corrigenda est Prædicta consuetudo.

Ex quibus patet Paramenta prædicta. Videlicet Pluuiale, & Dalmaticas debere benedici ea benedictione, quæ assignatur in Missali pro indumentis Sacerdotalibus in genere.

DVBIVM III.

Vtrum vestes sacræ possint conuerti in vsus prophanos.

PRæmittendum breuiter est vestes sacras posse adhiberi ad alienos, & prophanos vsus, vel permanente in eis propria forma, & benedictione: vel postquam illam amiserunt per dissolutionem vel scissionem. Hoc posito.

Respondeo, & dico primo: Vti vestibus sacris, præsertim benedictis ad cõmunes, & prophanos vsus est peccatũ mortale ex genere suo. Probatur. Nam hoc ipso, quod sunt deputatæ ad diuinum cultum, & multo magis ad sacrificium, adhibita benedictione, quoddam esse sacrum acquirunt ratione cuius sunt veneratione dignæ. Ergo peccat contra virtutem religionis, & contra Cultum Deo, & rebus, ei dicatis debitum, qui indigne, & minus reuerenter eas tractat, ac si essent res comunes, & prophanæ. Sic est in casu nostro. Ergo: Ita D. Th. 2. 2. q. 88. art 11. & Alij DD. communiter, quos citat, & sequitur Suarez de Sacramentis tom. 3. disp. 81. sect. 8. Filiuccius tract. 5. cap. 4. num. 135. agentes vniuersaliter de rebus sacris. Dixi præsertim benedictis; quia multi DD. apud Dianam par. 10. tract. 11. resol. 5. asserunt Tobaleas Altaris, posito quod non egeant benedictione posse commodato accipi á secularibus, & postea eisdem reddi ad vsus pristinos, & communes, seu prophanos, de qua re, titulo sequenti dicendum.

Colligitur posita materia graui esse peccatum mortale in indiuiduo prædictum abusum sacrarum vestium. E.g vti sacris vestibus ad comedias, vel ludos publicos, vel Calice in cõmuni mensa Suarez supra Ratione vero paruitatis materiæ solum esset peccatum veniale, vt si quis occulte se, vel alium illis indueret ex leuitate, vel curiositate ad breue tempus, vel semel sudorem abstergeret Mappa benedicta.

Colligitur secundo. Quid sit dicendum de rebus cultui diuino destinatis, sed non benedictis, certe nullum videtur peccatum vti candelabris Ecclesiæ ad ornandas ædes prophanas, Item tapetis, manutergijs, & his similibus vti ad vsus prophanos; quia remote inseruiunt ministerio sacro. Item candelabris prophanis vtimur ad ornandum Altare, quæ statim redeunt ad suos vsus prophanos. Tambur. de sacrificio lib. 1 cap 2. § 3.

Dico secundo Mutata forma prædictarum vestium, & benedictione deperdita non fore peccatum saltem mortale earum materiam conuertere ad profanos vsus; quia non sunt amplius vestes sacræ plerumque tamen erit peccatum veniale ob aliquam indecentiam, & irreuerentiam si aliquod signum remaneat preteriti vsus sacri. Ita Castro palao, tom. 2. tract. 8. disp. 1. p. 6. Diana p. 5. tract. 13. resol. 76. Aueria de sacrificio. q. 11. sec. 13.

Dicetis hanc doctrinam esse contra sacros Canones dist. 1 de consec Vbi in cap. ligna, præcipitur ne ligna, vel lapides Ecclesiæ dirutæ ad aliud opus assumantur, nisi ad aliam Ecclesiam &c. & in cap. Altaris eadem dist. Præcipitur. Vt velum, & alia huiusmodi ad sacra deputata si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur potius, quam ad vsus prophanos.

Respondetur oppositam sententiam, quæ docet vestes sacras, & alia huiusmodi, etiam destructa forma non posse conuerti in vsus prophanos esse satis probabilem, & fere communem inter DD. ob canones citatos, & videri potest apud Suar. supra § vltimo pertinet; qui etiam significat prohibitionem esse grauem; & sub peccato mortali. Nihilominus nostram sententiam esse etiam probabilem.

quia

quia iura prædicta (quicquid sit de lignis, & lapidibus) quatenus extenduntur ad vestes intelligi posito quod aliquo modo eamdem formam retineant; vel non fuerunt vsu receptæ eum tanto rigore, vt presertim patet à simili de calice consecrato, qui si destruatur, materia venditur,& ad vsus prophanos absque vllo scrupolo applicatur: ergo à fortiori idem dicendum de vestibus.

DVBIVM IV.

Vtrum vestes communes, & prophanæ possint conuerti in vsus pios, & sacros.

PRima Opinio negat. Probatur primo quia regulares habent priuilegium a Sisto IV. minoribus conressum, vt secura conscientia possint conuertere vestes, & pannos prophanos in paramenta, & alios Ecclesiæ vsus. Ergo signum est hoc iure communi non esse licitum, alias priuilegium illud esset inane, & nihil concederet.

Probatur secundo a Priori, ex indecentia, quam præseferre videtur ea conuersio rerum prophanarum in sacras. sicut enim per deputationem ad vsum sacrum vestes,& alia arquirunt quoddam esse sacrum; Ita per deputationem ad vsus prophanos acquirunt prophanitatem, & maculam quandam. Ergo sicut dedecet res sacras in vsus prophanos conuertere. Ita pariter res prophanas conuertere in vsum sacrum: quia censentur ad hoc munus ineptę ob maculam contractam. Ita aliqui quos tacito nomine citat Suar. disp. 81. de sacrificio sec. 8. §. sed queres.

Communis tamen, & vera sententia docet hoc licite fieri posse absque vllo scrupulo.

Probatur primo a priori: quia hoc nullibi reperitur prohibitum: nec vlla in tali conuersione apparet indecentia. ergo est absolutè licitum.

Probatur secundo a posteriori ex communi vsu fidelium, qui vestes pretiosas Ecclesijs donant, vt ex illis conficiantur casulę, & paramenta Altaris, & prefecti Ecclesiarum etiam doctissimi ita exequuntur.

Confirmatur quia constat ex praxi cōmunes domos nonnunquam in templa conuerti. Exēplo Marcelli papæ, qui domum Lucinæ consecrauit, & Bonifacius IV. Romæ consecrauit Pantheon, quod olim erat templum Idolorum, consecrauit inquam in honorem omnium sanctorum, quamuis dici posset Romanos Pontifices in hoc dispensasse; sed etiam alij pontifice inferiores hoc faciunt. Suar. loco citato. Castropalao tom. 2. tract. 8. disp. 1. punc. 6.

Ad opposita respondetur ad primum sepè concedi priuilegia absque necessitate, sed ad maiorem cautelam, & ad tollendos scrupolos.

Ad secundum negatur. in hoc facto interuenire indecentiam, aut vsum communem, & prophanum inducere maculam, & esto induceret per deputationem ad vsus sacros expurgatur, & cessat, & multo magis per benedictionem. Ad paritatem adductam negatur consequentia. Ratio disparitatis est, quia secundum eommunem conceptum fit iniuria ei, qui semel constitutus est in statu nobiliori, & superiori. si deijciatur, & transferatur in alium deteriorem, & viliorem, priuaturenim iure suo. non item fit vlli iniuria, eo quod aliquis a statu inferiori ex consensu eorum, ad quos pertinet ad nobiliorem eleuetur. Item homo Deo dicatus si se transferat ad seculum, vel seruitutem Demonis grauissime peccat. At peccator semper potest transire ad statum gratiæ, & religionis. Ita pariter in casu nostro.

Colligitur. Quando vestis prophana mutat figuram, seu formam artificialem, & aliam acquirit conuenientem vsui sacro, absque vllo dubio potest dedicari ad vsum sacrum, quod si retineat eamdem figuram, quam prius habebat maior difficultas esse videtur. Nihilominus dicendum est si in illa forma deseruire potest, posse etiam dedicari ad vsus Ecclesiæ, & Altaris E. G. Toballę prophanę vt sint Tobaleę Altaris: quia per eam deputationem purificantur. Vt dicebamus. Ita ex comuni Suar. loco citato, & quelibet vmbra maculæ abstergitur.

DVBIVM V.

Ex qua materia confici debeant Vestes sacræ.

REspondeo, & dico primo de materia sacrarum vestium nihil reperitur expresse prescriptum Iure Canonico, vel in decretis Ecclesiasticis, & ideo seruanda est consuetudo communiter ab Ecclesia approbata. Probatur: quia consuetudo est lex non scripta Ergo vbi deest lex scripta recurrendum est ad consuetudinem. Confirmatur, ex Trid. sess. 7. Can. 13. vbi pręcipit seruari ritus in Sacramētorum administratione adhiberi consuetos, Ita Suar. de Sacramentis. disp. 82. sec. 2. § secundo est obseruandum. Tambur. Opusc. de sacrificio, lib. 1. cap. 3. §. 1.

Colligitur Materiam, ex qua conficiuntur paramenta sacra debere esse aptam ad vsum, ad quem ipsa paramenta, seu vestes sacræ sunt destinatæ, & ad principalem eorum significationem. Nam si esset inepta peccaret mortaliter vtens paramentis ex ea confectis, quando sub mortali sunt adhibenda Ex. gr. in Missa de qua re infra: Probatur: quia perinde esset ac celebrare sine paramentis necessarijs, & forte peius.

Dico secundo amictum, & albam confici debere ex materia linea, vel ex tenui Cannabe, aut simili materia apta. Probatur ex comuni consuetudine ab Ecclesia approbata, a qua non licet recedere Ex Trid. supra. Dein, de materia linea est magis apta ad significationem. Suar. disp. citata 82. sec. 2. vide infra dicenda de Tobaleis Altaris, tit. 20. dub. 6, cingulum autem vel ex lino, vel etiam ex Serico. Ex Praxi enim potest esse conforme vel albæ, vel casulæ, & Stolæ. Suar supra confirmatur; quia stola potest deseruire pro cingulo. vt ex communi docet idem Suar. loco cit. Emanuel Sa; Verbo Missa num. 9. Tambur. supra Gauantus in rubrica Missalis par. 5. §. de mensuris.

Dico tertio Planetam, stolam, & manipulum esse posse vel sericas, vel laneas vel lineas, vel ex quacunque alia simili materia apta ad vsum, ad quem predictæ vestes dedicari debent. Iuxta locorum consuetudinem. Probatur ratione supra explicata; quia cum ab Ecclesia nihil sit determinatum in particulari circa materiam sacrarum vestium, standum est consuetudini. Suar. loco cit. Tambur. supra. Diana par. 2. tract. de celebr. Missar. resol. 57. §. Nota.

Colligitur idem quoque dicendum de pluuiali, Dalmaticis, & alijs vestibus ministrorum, de Pallio Altaris, & alijs & in omnibus seruandam esse decentiam cum munditia, & nitore. Tandem quoad eius fieri potest, semper nitendum esse, vt fiant ex materia magis pretiosa, & magis conuenienti Maiestati sacrificij, & aliarum functionum, ad quas deseruire debent. De Tobaleis, autem seu linteis Altaris sequenti titulo dicendum est.

TITVLVS XX.

DE PRÆPARATIONE ALTARIS, ET ORNAMENTORVM EIVS.

1 ALTARE, in quo sacrosanctum Missæ sacrificium celebrandum est, debet esse lapideum, & ab Episcopo consecratum, vel saltem ara lapidea, similiter ab Episcopo consecrata, in eo inserta, quæ tam ampla sit, vt Hostiam, & maiorem partem Calicis capiat. Hoc altare operiatur tribus mappis, seu tobaleis mundis, ab Episcopo vel alio habente potestatem benedictis, superiori saltem oblonga, quæ vsque ad terram pertingat, duabus alijs breuioribus, vel vna duplicata. Pallio quoque ornetur coloris quoad fieri potest, diei festo, vel Officio conuenientis, super Altare collocetur Crux in medio, & candelabra saltem duo cum candelis accensis, hinc & inde in vtroque eius latere. Ad Crucis pedem ponatur tabella Secretarum appellata. In cornu Epistolæ cussinus supponendus missali; & ab eadem parte epistolæ paretur cereus, ad eleuationem Sacramenti accedendus, parua campanula, ampullæ vitreæ, vini, & aquæ, cum peluicula & manutergio mundo in fenestella, seu in parua mensa ad hæc præparata, Super Altare nihil omninò ponatur, quod ad missæ sacrificium, vel ipsius Altaris ornamentum non pertineat.

EXPLICATIO LITERALIS.

INter Circumstantias, quæ ad oblationem sacrificij requiruntur, potissimum locum obtinet Altare, super quo offerri debet; nec enim decenter potest Diuinæ Maiestati supremus hic latriæ cultus exhiberi, nisi facta prius electione alicuius loci peculiaris, & apti, super quo Hostia Religiosius immoletur. Duplex autem locus requiritur ad sacrosanctum Missæ Sacrificium rite celebrandum. Nempe remotus, & proximus. Remotus est. Templum, siue Ecclesia, vel Oratorium, de quo suo loco dicemus, cum de Defectibus. tit. 10. Proximus est Altare, de quo est sermo in hac Rubrica; & quidem maiorem habet connexionem cum sacrificio locus hic proximus, seu Altare, quam Templum, vel Ecclesia: quippe conceditur quandoque celebrari Sacrificium extra Ecclesiam, nunquam autem sine Altari. Et in Veteri testamento legimus præter Noë, qui primus edificauit Altare, etiam Abraham, Isaac, & alios Patriarchas Deo Altaria erexisse antequam Templum edificatum fuerit. Vt notat Strabo de rebus Eccles. cap. 1. In nouo etiam testamento patet vsus Altaris Ex Apost. ad Hebreos 13. Habemus Altare, de quo edere non habent potestatem. Et 1. Corinth. 9. Qui Altari deseruit &c. Hinc Sistus 2. Decreuit, vt Missa non fiat, nisi in Altari. apud Radulphum. propos. 23. quod idem præceptum ab Alijs latum fuit. Vt inferius dicemus.

Quoad nominis Etymologiam. Altare dicitur, quasi alta Ara. Ara autem est mensa super qua sacrificium Deo offertur; sic dicta, vel a precationibus, que coniunguntur Sacrificijs: Quia Greci Precationes Aras vocant: vel ab ardore: quia ibi incensæ victimæ ardere solent Ex Strabone supra cap. 6. Aras autem superstitiosi gentiles, etiam Dijs inferis consecrabant. vt ait Seruius, & Festus apud Stephanum Durantum de ritibus. lib. 1 cap 15. Altaria vero Dijs superis tantum, quæ ab altitudine constat esse nominata. Vnde merito nos Altare nominamus, quod Vero, & summo Deo consecratur. Solet etiam locus sacrificij in altum erigi propter reuerentiam, & commoditatem sacrificandi, & hac etiam ratione Alta Ara, seu Altare dicitur. Vt notat Suar. disp. 81. sec. 5. tom. 3. in 3. p.

Debet autem Altare, Vt dicitur in litera, esse lapideum, vel saltem Ara lapidea. Ad quod explicandum opus hic est aduertere, Altare esse duplex. Vnum dicitur fixum, alterum portatile. Altare fixum est quod consecratur, Vt ibidem permaneat, & immobiliter perseueret, atque adeo consecratur totum Altare; idest tota mensa superior, seu totus integer lapis superior totam planitiem Altaris constituens, quatenus immobiliter ædificatus est super suis pedibus, vel Base; a qua si separetur, perditur consecratio. Vt in dubijs Conscientiæ dicemus. E contra Altare portatile, seu mobile, quod Aram communiter appellant, est, quod de loco in locum transferri potest, & longè minoris est, tum longitudinis, tum latitudinis Altari fixo. Sufficit enim si Hostiam, & maiorem partem Calicis capere possit. Vt dicitur hic in litera. Vbi ergò non habetur Altare fixum, idest habens integram superiorem mensam consecratam necessarium est Altare portatile, seu Ara lapidea, quæ collocatur super aliam mensam non consecratam communiter ex lignis constructam ad vsum sacrificij, & dicitur etiam Altare, quamuis minus propriè, & materialiter. Vide Suar. disp. 81. sec. 5. Layman lib. 5. tract. 5. cap. 6. Lugum de Euchar. disp. 20 sec. 12. n. 67. His positis,

Manifestus est sensus Rubricæ, nomine enim Altaris primo loco positi in Rubrica, Intelligitur fixum; sed nomine Aræ lapideæ Intelligitur Altare portatile. Vtrumque autem debet esse lapideum. Vt Ibidem declaratur.

Ratio literalis est: quia lapis firmior, & solidior est, & diutius incorruptum perseuerat. Et idcirco est subiectum aptius immutabilis consecrationis. Suarez loco citato, & communiter DD. Est etiam magis aptus ad significationem mysticam, de qua infra. Quamuis autem in primitiua Ecclesia super altaribus ligneis Pontifices, & Sacerdotes sacrum facere soliti fuerint: quia ob persecutiones certo loco consistere non poterant, & ligneum Altare facilius de loco in locum transferri poterat; Nihilominus reddita Ecclesiæ pace. S Siluester Decreuit, vt deinceps Altaria non ædificarentur nisi ex lapide Cap. Altaria de Consec. dist. prima Consecratio autem non nisi ab Episcopo fieri potest. Can. Nullus de Consecr. dist. 1.

Post Altare, quod est in primis necessarium ad Missæ celebrationem. Enumerantur in Rubrica; Ornamenta eiusdem Altaris. Et primò dicitur operiendum esse Altare tribus mappis, seu Tobaleis: vtrique propter munditiam, vt preseruetur Altare a maculis. Item ob reuerentiam Sanguinis Christi: nam si aliquid de sanguine distillauerit decentius super linteum excipiatur: qui lauari potest, & lotio in sacrarium reponi. Vt colligitur ex cap. si per negligentiam de Consec. dist. 2.

Plures autem lintei præscribuntur, tum ad maiorem puritatem Altaris, tum ad maiorem cautelam in casu effusionis sanguinis vt supra. Tandem quia de pluribus linteaminibus

nibus fit mentio in Euangelio, quibus fuit inuolutum Corpus Christi. Tres autem ordinantur ex cōmuni ratione numeri ternarij, qui perfectus dicitur De significatione mystica infra dicemus.

Secundum ornamentum Altaris est Pallium coloris conuenientis apponendum in eiusdem fronte, seu parte anteriori: tum ob significationem; de qua infra: tum ob decentiam, fit autem mentio Pallij in Concilio Rhemensi apud Iuonem. lib 3. cap 97.

Tertio Requiritur. Vt super Altare collocetur Crux: quia enim sacrificium Missæ incruentum, est repræsentatiuum Sacrificij Crucis, cuius Mysteria explicantur in Missa, & renouantur; merito ordinatur, vt dum celebratur Missa adsit in altari. Gemma libro 1. cap. 135. Imo nec Ecclesia sine Cruce stare potest. Vt ait Ambros. ser. 56. Et in Concil. Aurelianensi Vetitum fuit Ecclesiam edificari, in qua non prius Episcopus Crucem figat Vt habetur in cap nemo de consec. dist. 1. sicut enim in Palatijs Principum, & regum pluribus in locis eorum insignia affiguntur, præcipue in Throno regali. Ita in Ecclesijs, quæ sunt Palatia Regis Regum Christi prodeunt eius Vexilla, & fulget Crucis mysterium, præsertim in Altari, tanquam in Regali eius Throno.

Quarto Requiritur. Vt tempore sacrificij sit in Altari lumen, vt dicitur hic in Rubrica duo Candelabra cum candelis accensis. Hanc autem esse antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem. Colligitur. Ex Concil. Carthaginensi 4. Can. 6. vbi admonetur Acolythus se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari, in cuius figuram etiam in veteri testamento in Altari a Salomone dedicato ignis semper ardebat. Vt explicat D. August. ser. 155. Ratio autem literalis est: quia tali signo excitatur attentio, & deuotio fidelium erga sacrificium, & Sacramentum Altaris: quippe lumen ad inquisitionem rerum excitat, & veritates alioquin latentes aperit. Ita Sotus 4. dist 13 quæst. 2. art. 4. Vnde Isidorus lib. 7 Etymologiarum cap. de Clericis. loquens de Missa ait, tunc autem accenduntur luminaria non ad fugandas tenebras, cum Sol eodem tempore rutilet, sed ad signum letitiæ demonstrandum, vt sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua in Euangelio legitur. erat lux vera &c. Ceterum de sensu mystico infra.

An autem omnia prædicta, & qualiter cadant sub præcepto in Dubijs Conscientię explicabimus.

Quinto. tandem adduntur in Rubrica nonnulla alia, quæ licet minutiora videri possent, conferunt tamen ad maiorem decentiam, sacrificij, & exquisitam in eo diligentiam adhibendam. Et ideo quamuis non ita sint necessaria, vt dicta in precedentibus; nihil tamen eorum est negligendum, vel parui faciendum; cum hoc sacrificium tremendum sit summa Veneratione dignum, & omni circumspectione tractandum.

Primò Ergo Requiritur Tabella secretarum ad Crucis pedem; vtique ad maiorem Celebrantis commoditatem.

Secundo Cussinus supponendus Missali, vt Sacerdos stans, & erectus possit legere, non indecore curuatus.

Tertio Cereus ad Eleuationem Sacramenti accendendus vt detur circumstantibus signum adorationis. Idcirco enim nouum lumen accenditur. Vt docet Hyeronim. Epist. 30. ad Marcellam, quod etiam fit signo campanulæ, & ideo additur Quarto in Rubrica, vt pareturparua campanula, de qua Amalarius lib. 3. cap. 1. Referunt aliqui Sanctum Paulinum Nolanum Episcopum inuenisse in Ecclesiam Campanarum vsum, & Idcirco eas campanas vocari à Regione Campaniæ, in qua Episcopatum habebat, & nolas etiam appellari ab ipsa Ciuitate Nolæ, cui præsidebat. Polidorus Virgilius de inuentione cap. 5. cap. 18.

Quinto. Præparari debent Ampullæ vitreæ vini, & aquæ ad infundendam in Calice materiam sanguinis, nc adhibeantur in sacrificio Vasa minus decentia, vel ad prophanum vsum adhiberi consueta: argenteis aliqui vtuntur; sed melius vtendum est vitreis. Vt in Rubrica, Vt facilius discerni possit vinum ab aqua. Item pelnicula cum manutergio mundo pro ablutionem manuum Sacerdotis. Infine Rubricæ admonentur Ministri, vt super Altare nihilominus ponatur, quod ad ornatum ipsius Altaris non pertinet: Consequenter, non Birretum Sacerdotis nec etiam in fine Missæ, non Sudariolum ad emugendas nares, quod potius sub Planeta pendens à Cingulo ab ipso Sacerdote portandum est, neque omnino alia, quæ ad sacrificium non pertinent Vltra prædicta, quæ in Rubrica explicantur In Ecclesijs Cultioribus valde laudabiliter sepitur Altare Cancellis, vt laici remotiores sint ab Altari: gradus Altaris operiuntur tapetibus, plura Candelabra cum suis candelis apponuntur in Altari, præsertim in festis solemnioribus, & inter ea vascula cum floribus, & alia similia, quæ deuotionem augent, & reuerentiam erga Altare, & sacrificium.

SENSVS MYSTICVS.

De mystica significatione Altaris plura tradunt Auctores videri possunt D. Th. 3. p. quæst.

quæſt.83. art. 5. Durandus in Rationali libro 1. cap. 2. Durantus de ritibus Eccleſiæ lib.1. cap. 15. Suarez diſp. 81. ſect 5.

Nos Pauca, & Selectiora ad notabimus, ne lectoris memoriam confundamus. Primo Ergo Altare ſignificat menſam, in qua cum Diſcipulis conuiuatus eſt Chriſtus, & hoc ſacrificium nouæ legis inſtituit cum Sacramento Euchariſtiæ. Amalar. lib.1. cap.24. Durantus ſupra. Secundo ſignificat Crucem, in qua Chriſtus fuit cruente immolatus. Bernardus de Cœna Domini, vel etiam eius ſepulchrum lapideum D. Th. quæſt.83. citata art.5. Tertio ſignificant montem Caluariæ, ſeu montis eiuſdem ſumitatem, & locum immediatum, in quo Redemptor crucifixus fuit, cum enim ſacrificium Miſſæ ſit repræſentatiuum ſacrificij Crucis Ex Trid. ſeſſ 22. cap. 1. locus Miſſæ, ſeu ſacrificij incruenti repreſentat locum ſacrificij Crucis, & cruenti & hac ratione conſideramus Crucem, vt in Inſtrumentum martyri Chriſti Domini. Montem vero Caluariæ, vt locum qui per Altare repreſentatur. Vt Colligitur ex citatis DD.

Mappæ, ſeu Tobaliæ, quibus operitur Altare ſignificant, vel lineamina, quibus obuolutum fuit Corpus Chriſti in Sepulchro, vel candorem carnis, & humanitatis Chriſti, qui per multas tribulationes ad candorem, & letitiam immortalitatis peruenit Durandus lib. 1. cap.2. num.4.

Pallium Altaris denotat ornamentum virtutum ipſius Chriſti, preſertim Charitatis, qua dignatus eſt pro nobis pati, & manifeſtatur in altari, & ſacrificio. Durandus in rationali lib.1. cap.3 num. 32.

Crux in medio Altaris ſignificat tropheum Chriſti vt ſupra diccbamus in ſenſu literali: quia Chriſtus domuit orbem non ferro, ſed ligno. Auguſt. In ſenſu autem morali collocatur in medio vt ſacerdos eius intuitu animetur ad crucis mortificationem, & diſcat non gloriari niſi in Cruce: & orando pro delictis populi ſuper eum brachia Charitatis extendat per modum Crucis D. Bonauent. tom. 2. opuſc. de expoſitione Miſſę circa medium.

Lumen ſignificat doctrinam Chriſti. Ex Iſidoro ſupra citato in explicatione literali, & micrologo, cap. 11. item fidem populorum, eamdem doctrinam complectentem Innocentius de Myſterijs Miſſæ lib. 2. cap. 21. Duo autem adhibentur lumina ſuper duo candelabra, quia candelabris ſignificantur populi Iudeorum, & gentium. Duran. lib. 1. Rationalis cap. 3. n. 31. & ſuper vtrumque populum ſua prædicatione Chriſtus fidei lumen inuexit. De ſignificatione luminum videri etiam poteſt Stephanus Durantus de ritibus lib. 1. cap. 23. num. 15.

Tandem hæc omnia aptari poſſunt in ſenſu morali, per metaforam animæ noſtrę, in qua Deo Altare erigimus conſecrando ipſi ſoli cor noſtrum, ſeu voluntatem, & in ea ſacrificando, ſeu mortificando noſtras affectiones, & deſideria humana. Hoc autem Altare interius ad inſtar Altaris Eccleſiæ ornandum eſt linteis puritatis, & pallio Charitatis. Item erigendum in medio vexillum Crucis, ſeu mortificationis, & lucernas, ſeu candelas in eo accendere debemus bonorum operum, quibus lucis exempla monſtremus, & ſponſum cum lumine expectemus. Vt peculiariter de lumine exponit D. Hyeronimus Epiſt. 20. & refert Suar. diſp. 81. ſec. 15.

Puluinar etiam molle Miſſali ſupponitur ad notandum deuotum, & molle cor, quod facile diuinam impreſſionem recipiat ſupponi debere Iugo Domini ſeu legi euangelicæ in miſſali contentæ Durandus in Rationali lib. 4. cap. 11. fine. de quo etiam myſtico Altari animæ. Fuſe idem Durandus in ſuo rationali lib. 1 cap. 2.

DVBIA CONSCIENTIAE.

PRimo loco explicabimus dubia quæ occurrunt circa Altare, deinde alia ſpectantia ad eiuſdem ornamenta.

DVBIVM I.

Qualiter ad ſacrificium ſit neceſſarium Altare.

REſpondeo, & dico primo Altare non eſt neceſſarium ad valorem ſacrificij. vel Sacramenti, ſeu non eſt neceſſarium ſacrificio neceſſitate medij.

Probatur quia ad validè conficiendum Sacramentum Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie non eſt neceſſarium neceſſitate medij Altare, ergo neque ad conficiendum ſacrificium. Conſequentia eſt manifeſta. quia eſſentia ſacrificij conſiſtit in conſecratione vtriuſque ſpeciei &c. Vt alias. Antecedens probatur: quia ſacramenta perficiuntur poſita materia, & forma, & intentione miniſtri: ergo poſitis prædictis abſque Altari ponitur verum Sacramentum. Confirmatur: quia Altare requiritur ad ſacrificium non ex immediata Chriſti inſtitututione, ſed ſolum Eccleſiæ; ergo non pertinet ad eſſentiam, neque eſt neceſſarium ad valorem ſacrificij a ſolo Chriſto Domino inſtitutum. Vt patet ex comuui DD. ſententia de eſſentia ſacrificij cum D.Th. 3 par. quæſt 83. art. 1.

art. 1. Nemo enim dixit Altare esse quid requisitum ad essentiam sacrificij; sed ad rite illud offerendum, & docet in terminis Couinh. de sacram.dicta quæst.83.art.1. dub.1.num.28.

Dico secundo Altare est omnino, & simpliciter necessarium ad sacrificium necessitate præcepti, & necessario etiam debet esse lapideum, consequenter est peccatum mortale celebrare Missam sine Altari lapideo. Probatur ex Decreto S. Siluestri ab alijs summis Pontificibus sæpius confirmato. Vt in pluribus capitibus habetur de Consec. dist 1.& docent cõmuniter DD. cum D. Th. 3. par. quæst. 83. art 3. ad S. Syluest. & alij summiste verbo Altare. Nauar.Sum.cap 25.num.83.Suar. disp.81.sect.5. Layman lib.5.tr.5. cap.6. n. 3 & communiter. Solum in Ecclesia Lateranensi modo illud Altare ligneum retinetur, in quo olim Apostolorum Princeps Romæ celebrauit in memoriam, & reuerentiam eiusdem Principis Apostolorum.

Colligitur primo sufficere ad satisfaciendum præcepto. Altare siue fixum, siue portatile: quia vtrumque est verum Altare posita consecratione, de qua infra. Vt constat ex comuni consuetudine,& docent omnes DD. Alterutrum vero est ad eo necessarium, vt nulli omnino liceat aliter conficere hoc sacramentum, nec Episcopus potest in hoc dispensare. Summus autem Pontifex non legitur aliquando dispensasse, nec videtur moraliter id posse esse necessarium, aut conueniens. Suarez dicta disp.81.sect. 5. circa finem tom.3. in 3 par.

Colligitur secundo. Debere vtrumque Altare confici ex vnico simplici lapide, neque posse sacrificium fieri super Ara constante ex duobus lapidibus. Vt docent Siluester, Vasquez Fagundez apud Lugum de Euchar.disp.20 sect. 2. num.57. Auersa de sacrif. quæst 11. sect.13.& comuniter; esset enim contra significationem vnius personæ Christi &c. & ex communi Ecclesiæ consuetudine. Oppositum Docet Pasqualigus in decil. moralib. decis.50.

Colligitur tertio In Altari fixo non opus esse, vt totum Altaris ædificium, seu structura lapidea sit, sed solum vt superior mensa, seu tabula, quæ planitiem ipsius Altaris constituit sit lapidea, quę etiam directe consecratur, quamuis simpliciter consecratio cadat super totum &c. Ceterum bases, quibus superponitur, & partes temotiores possunt esse ex quauis alia materia apta. vt præsertim notat Suarez sect.5 citata. Altare verò portatile totum debet esse lapideum. Vnde, & Ara lapidea dicitur, solet autem includi, & inseri in capsula lignea, vt melius conseruari, & asportari possit, non quia capsula sit pars Altaris. Hoc autem paruum Altare, seu portatile debet esse tam amplum, vt calicem, & patenam capere possit, saltem pro maiori parte Ex DD. supra citatis, Decens tamen est, vt potius sit magis amplum: vt commodius super illud sacra Vasa collocari possint: præsertim quia præter hostiam maiorem, consecrari sepe debent minores hostiæ intra Pyxidem, quę etiam super Altare reponi debet.

Colligitur quarto. Quo ad formam materialem Altaris constat ex consuetudine eam debere esse quadratæ, se quadrangularis figuræ: quia sic aptior est ad hanc sacram functionem. Vide Suarez loco supra citato.

DVBIVM II.

De Consecratione Altaris, et requisitis ad eam.

Respondeo, & dico primo vt Altare sit locus aptus sacrificio necessario debet esse consecratum. Vt patet ex cap. Altaria secundo de Consecr.dist. 1. ex alijs Iuribus. Vt cum D. Th.3. par. quæst.83.art.3. docent communiter DD. quos citat Suar. tom. 3. in 3. pat. disp. 81. sect. 5. Ratio est: quia vt sit locus aptus sacrificio debet esse quid sacrum. Hoc autem esse sacrum non habetur, nisi per consecrationem. Ergo requiritur necessario Consecratio, ex graui, & rigoroso præcepto; neque siue consecratione esset verum Altare, sed lapis prophanus, & cõmunis. Consecratur autem Vnctione Chrismatis, & benedictionibus in Pontificali præscriptis.

Dico secundo, Consecratio Altaris Iure communi, & ordinario non potest fieri nisi ab Episcopo. Vt constar ex cap. Nullus Presbyter de consecr. dist. 1 Ex Priuilegio tamen Summi Pontificis fieri porest a simplici Sacerdote, cui committi solet in casu tantum necessitatis, occasione missionum ad loca remotissima Infidelium, in quibus non adsunt Episcopi Catholici. Ita DD. supra citati, & Alij communiter.

Dico tertio. Altare fixum consecrari non potest, nisi in Ecclesia pariter consecrata; et ut licite erigi, & consecrari possit in Ecclesia non consecrata requiritur licentia Summi Pontificis. Vt docent Barbosa de iure vniuersali lib.2. cap. 7. et cum alijs Tambur. Opusc. de sacrific. lib.1. cap. 5. §. 1. num.2. Quamuis Suarez cit. disp.81. sect.5. oppositum indicet. Videlicet consecrari posse in Ecclesia consecrata, siue benedicta, An autem Altaria semel erecta destrui possint priuata authoritate, Dicendum breuiter est in Ecclesijs consecratis fieri non posse nisi de licentia Episcopi Ex cap. nullus Presbyter de consecr.dist.1. in Ecclesijs vero non consecratis possunt erigi, et destrui

Alta-

Altaris, quoad structuram materialem a quocumque habente curam Ecclesiæ. Vt docent Barbosa, & Fambar, locis supra cit. & Lezzana sum. Verbo Altare num. 12. Tandem extra Ecclesiam non nisi ex priuilegio possunt erigi Altaria in priuatis domibus ad vsum Sacrificij, & alibi in casu necessitatis de licentia Episcopi. Vt fusius dicemus tertia parte tit. 10.

DVBIVM III.

De Reliquijs Sanctorum reponendis in Altari, dum consecratur.

PRæmittendum reliquiarum nomine. Intelligi quicquid ex Sanctorum corporibus reliquum mansit apud nos; siue sint corpora integra, siue partes illorum, Carnes, Ossa, Capilli, Cineres, item vestes, quibus vsi fuerunt &c. Vt ex communi sententia docet Layman. lib. 4. tract. 7 cap 5. & nos etiam infra dicemus secunda Parte tit. 3 dub. 5. de Adoratione reliquiarum. Hoc posito.

PRIMA DIFFICVLTAS.

Vtrum ad Consecrationem altaris sit absolute necessarium, vt in eo recondantur Sanctorum Reliquiæ.

PRima sententia affirmat. Reliquias Sanctorum pertinere ad essentiam consecrationis. & absque illis fore inualidam Probatur: quia ita statuitur in cap placuit de consec. dist 1, Videlicet. Vt in Altari condantur reliquiæ: Essentia autem consecrationis pendet ex institutione Ecclesiæ. Ita Aliqui iuris periti, quos refert Suar tom. 3 in 3. p. disp. 81. sec. 5 & tenent etiam Durandus in rationali. li. 1. cap. 7. Tabiena, & Azorius. tom. 1. lib. 10. cap. 27 q. 8.

Secunda sententia sustinet reliquias prædictas non pertinere ad essentiam consecrationis; Nihilominus debere condi in Altari ex graui præcepto; quia hoc saltem conuincitur. Ex dicto cap. placuit Ita Syluest. Verbo Altare num. 1. quem plures sequuntur; & videtur sententia satis probabilis

Tertia sententia probabilior, cui adhæreo, sustinet primo certum esse appositionem reliquiarum non esse de essentia consecrationis Altaris. Secundo probabilius esse eam non cadere sub præcepto: quia vel non constat de tali præcepto. consequenter non est asserendum, vel si olim hoc fuit iure præceptum; contraria tamen consuetudine fuisse illi derogatum ob difficultatem habendi reliquias authenticas, & certas ad tantam copiam Altarium. Ita Vasq. in 3. par disp 233. num. 16. Coninh de Sacram. q. 83 art 3 dub. 2 num. 241. Vbi citat Alensem, Soto, & Alios. Suar. disp. 81. sec. 5. Pasqualigus in decis. moralibus decis. 46., & 47.

Ad fundamentum aliarum sententiarum Respondetur in dicto cap. Placuit. non præcipi; vt includantur Reliquiæ in Altari; sed præcipi euertendas esse aras; in quibus continebantur reliquiæ incertæ.

Colligitur primo reliquias includendas in altari debere esse authenticas, & certas. Ex dicto cap placuit, nam si reliquiæ exponi non possunt super altare in cultum publicum, nisi de illis constet authenticè, multo minus includi possunt in Altari, quod pertinet ad maiorem honorem, & cultum.

Colligitur secundo quamuis Inclusio reliquiarum non sit necessaria ad consecrationem ex præcepto; maxime tamen decere, vt omnino fiat, quia id est conforme communi consuetudini Vniuersalis Ecclesiæ. Pertinet autem ad Episcopos, vt eadem laudabilis consuetudo omnino seruetur, & perseueret, sicut cum Layman, & alijs notat Lezzana in sū. Verbo Altare n. 6. porro in Altari Portatili reliquiæ cōdi solēt in ipsa tabula lapidea in loculo concauo, & apto in eum finem extructo, quem sepulcrum, vel etiā sigillum appellant. In altari autem fixo recondi solent, vel in ipsa tabula lapidea, vel sub totam molem Iuxta prescripta in Pontificali Romano, de qua re videri possunt Conink loco supra cit., & Auersa de sacrif. q 11. sec. 13.

Colligitur tertio esse omnino reijciendum id, quod aliqui dixerunt apud Syluestrum Verbo Altare. Videlicet. Quando reliquiæ haberi non possunt, deberi reponi in eo loculo partem hostiæ consecratæ. Hoc enim paret esse absurdissimum, & contra reuerentiam tanti Sacramenti. quod institutum fuit à Christo; solum in cibum spiritualem animarum, non ad ornatum Altaris. Ita Suarez Conink, Auersa locis supra citatis, & alij communiter.

Colligitur quarto sub Altari non posse reponi, nisi corpora Sanctorum: quod si ibi sint humana cadauera etiam fidelium; non debet in eo celebrari, donec alio transferantur, sicut decreuit sacra Congregatio super negotijs Episcoporum, 10. Nouembris 1599.



SECVNDA DIFFICVLTAS.

An loco Reliquiæ possit poni in Altari Frustulum Corporalis, super quo celebratum est Sacrificium.

PRima sententia affirmat. Probatur primo: quia poni potest in Altari pro reliquia frustulum illius syndonis, quo Corpus Christi mortuum inuolutum fuit, quæ ideo pro magna reliquia habetur. Ergo etiam reponi potest frustulum corporalium, quæ tangunt corpus Christi viuum in Eucharistia, & sunt veluti indumentum corporis Christi in Altari.

Confirmatur: quia etiam vestes, & indumenta alicuius sancti ratione contactus pro reliquijs habentur. Ergo &c.

Probatur secundo Ex facto Leonis primi summi Pontificis, qui vt referunt ex Panormitano Syluest. Verbo Altare num. 4. & Tabiena num. 6. ad consecrationem cuiusdam Ecclesiæ dedit partem corporalis, & corporis Christi Vt loco reliquiarum poneretur. Vbi per partem corporis Christi, & partem corporalium idem intelligi debet, tanquam continens denominationem accipiat a contento, quo facto summus Pontifex satis declarauit Corporale summam esse reliquiam, consequenter condi posse pro reliquia in Altari. Hanc sententiam nouissime defendit Thomas Hurtado p. 1. resol. mor. tract. 2. cap. 6. res. 24.

Opposita tamen sententia negatiua est absolute vera: ita vt prima sententia Hurtadi censeri non debeat probabilis, sed falsa.

Probatur, vel frustulum Corporalis æstimandum est reliquia ratione benedictionis, qua corporale fit sacrum; vel ratione contactus corporis Christi, in Eucharistia; neutrum dici potest. ergò. Non primum quia benedictio corporalis amittitur, & perit secundum omnes pereunte forma corporalis; sed in frustulo corporalis abscisso a toto, non manet, sed perit forma corporalis. Vt patet; ergo non amplius manet in eo benedictio: sed omninò amittitur. Deinde esto non amitteretur non haberur intentum; quia aliæ res sacræ, & benedictæ vt lintei Altaris, vestes sacerdotales, & cætera huiusmodi non habent rationem reliquiæ, neque inter veras reliquias computantur, ergò neque ipsum Corporale, nedum frustulum illius abscisum a toto potest dici reliquia; Neque potest dici secundum, quod. Videlicet Corporale sit vera reliquia ratione contactus corporis Christi; quia Corpus Christi in Eucharistia non est tangibile, sicut neque est visibile, aut vllo sensui subiectum, cum careat extensione quantitatiua, & sit ibi modo in perceptibili a sensibus. Vnde Ecclesia. Præstet fides supplementum sensuum defectui. Vt cum D. Th. 3. p. q. 76. art. 6. docent communiter DD. Ergo dici non potest, quod ratione contactus acquirat, vel habeat rationem veræ reliquiæ.

Sed dicet forte Hurtadus, id consequi corporale ratione contactus moralis; quia tangendo species consecratas moraliter tangit corpus Christi sub eis contentum. Cæterum non sufficit contactus moralis ad rationem reliquiæ, sed requiritur tactus phisicus immediatus & vsui humano accomodatus, alioquin id, quod tangit non censetur habere habitudinem veri indumenti, vel operimenti illius corporis, quod tangi dicitur, consequenter, nec rationem reliquiæ eiusdem: quia non est verus, & proprius contactus, sed, Analogicè, & improprius.

Confirmatur primo ex rubricis Missalis de Defectibus tit. 10. nam si hostia consecrata, vel sanguis cadat super linteum, vel tapetum. Item si palea, vel Capillus cadat intra Calicem prædicta seruari non debent vt reliquiæ ratione contactus; sed potius oppositum præcipitur. Videlicet vt in reuerentiam Sacramenti pannus lauetur, & lotio in Sacrarium reponatur, nec vlterius habeatur ratio talis contactus. Insuper alia comburi debent, & cineres in sacrarium proijci, quod non fit de sacris reliquijs. Ergò contactus specierum consecratarum non tribuit veram rationem reliquiæ.

Confirmatur secundo quia plures DD. affirmant fragmenta Corporalis, & aliarum rerum huiusmodi conuerti posse in vsus prophanos. Ergò non habent rationem reliquiæ.

Tandem esto Corporale esset reliquia (quod negamus) non satisfieret intentioni Ecclesiæ in casu nostro; quia semper Corporale apponi, & extendi debet super Altare ad vsum Sacrificij: ergò quando præcipitur vt in Altari sint reliquiæ, de alijs Sanctorum reliquijs præter corporale intelligendum hoc est; frustra enim poneretur frustulum Corporalis, vbi adest integrum Corporale: sed Ecclesia intendit, vt præter memoriam Christi, & passionis eius, venerari debeamus, etiam memoriam Sanctorum Martyrum, quamuis minus principaliter: quorum patrocinium imploramus, dum Sacerdos dicit. Oramus te Domine per merita Sanctorum, quorum reliquiæ hic sunt; quibus verbis non est sermo de Christo, & de eius reliquijs, sed de seruis Christi.

Ad Opposita Respondetur ad primam Sacctam Syndonem, & quodlibet frustulum illius esse veram Christi reliquiam ratione contactus phi-

phisici propriè dicti; quod secus est de Corporali, quod solum tangit species panis, non autem Corpus Christi, quod in eo statu, non est verè tangibile.

Ad secundum illud factum Leonis Papæ non referri a DD. vt verum, sicuti Colligitur ex Verbis Syluestri loco citato; sed potius vt Apocriphum; siquidem & a Syluestro, & ab omnibus DD. reprobatur illud, quod refertur de parte hostiæ, seu Corporis Christi reponenda intra Altare. Adde primo non esse verisimile id quod dicitur, missam fuisse a Pontifice partem Corporalis ob inopiam reliquiarũ, Nam Romæ multa sunt Cœmeteria, quæ abundant reliquijs Martyrum pro Altaribus totius Mundi. Deinde fideles illi petebant reliquias, quas non habebant; Certum est autem eos habuisse Corporalia ad vsum Sacrificij; Ergò non est verisimile Summum Pontificem misisse ad illos partem Corporalis communis. Adde secundo nimis violenter interpretari ab Hurtado id, quod narratur a Syluestro. Videlicet fuisse missum a Summo Pontifice frustulum Corporalis tantum, non vero partem hostię consecratę (quod fieri non potuisset absque graui irreuerentia in longo itinere) cũ manifeste Syluester loquatur de Eucharistia, de qua erat quæstio, & ideo factum illud absolute reprobatur a Syluestro, & alijs communiter. Concludimus ergo illud factum, vel absolute negandum esse: vel dicendum Missum fuisse à Summo Pontifice partem Corporalis eum parte carnis miraculosæ, & apparentis, in quam facta fuerat mutatio Sacramenti, vt sæpius contigit: quæ caro miraculosa, & apparens, vt reliquia habetur ob repræsentationem veræ carnis ipsius Christi, vt suo loco dicemus, Vel verisimile est misisse Pontificem partem corporalis, quo vsus fuerat. E.g Diuus Petrus, vel alius sanctus, tanquam reliquiam eiusdem sancti, sicut in Basilica Lateranensi Romæ custoditur, & veneratur, vt reliquia Calix, in quo consecrauit D. Petrus ratione contactus phisici manuum D. Petri, quod non fit de alijs Calicibus communibus, qui moraliter tangunt, & continent sanguinem Christi: quia contactus phisicus tribuit rationem veræ reliquię, non autem contactus moralis.

DVBIVM IV.

An si Quis bona fide celebret in Altari non consecrato hoc ipso idem Altare maneat consecratum.

Respondeo, Probabilius esse non manere consecratum, vt in simili dicemus, quando quis celebraret in Calice non consecrato par. 2. tit 1. sect. 2. dub 3. ob rationes ibidem adducendas, vbi videri poterunt.

DVBIVM V.

De Consecrationis dispositione, qualiter perdatur Altaris consecratio.

Altare est duplex ex supra dictis, Fixum, & portatile, de vtroque breuiter dicendum.

Respondeo, & dico primo. Altare fixum, seu stabile amittit consecrationem, tum per enormem fractionem, tum per euersionem, seu amotionem mẽsæ superioris lapideæ à sua Basi, vel pedibus, quibus est affixa: quare etiam si eadem lapidea tabula, seu mensa integra perseueret, de perditur eius consecratio per separationem a sua basi: consequenter non est apta sacrificio; & si iterum superædificetur, indiget noua consecratione. Vt patet ex capit. 1. cap. quod in dubijs, & cap. ligneis de consecr. Ecclesiæ, vel Altaris. Ratio est: quia vtroque modo perdit formam, sub qua consecratum fuit: Ergo vtroque modo consecrationem amittit. Probatur antecedens: quia consecratum fuit vt stabile, & fixum, in quo casu consecrario cadit super totam Altaris molem: per separationem, autem prædictam vel enormem fractionem dissoluitur ipsa moles, quippe dissoluta vnione partium perit compositum. Ita DD. communiter. Suar disp 81 sect. 5. Coninh. de sacram. quæst. 83. art. 3 dub. 2 Lugo de Euchar. disp. 20. sect 2. num. 67. Auersa de sacrif. q. 11. sect. 13. §. de perditur, & Alij, quos citant.

Colligitur non de perdi consecrationem Altaris fixi si vnus, vel alter lapis ex ijs, quibus nititur auferatur, dummodo ipsa moles seu totum Altare firmum, & stabile maneat moraliter integrum quantum sufficit ad decentem vsum sacrificij; quia simpliciter non deperditur forma. Vt obseruat Layman libro 5. cap. 6. num. 3 Lugo loco supra citato cum alijs, & Pasqualigus decis. 43.

Dubitatur primo An si totum Altare fixum moueatur, & in aliam cappellam, seu in alium locum transferatur absque separatione mensæ superioris lapideæ a suis pedibus, deperdatur nihilominus consecratio: supponimus enim Altare ita constructum fuisse, & mensam superiorem sic firmiter adherere suis columnis, vel pedibus, vt integra moles absque partium dissolutione transferri possit.

Aliqui apud Auersam sustinent deperdi consecrationem Altaris fixi per hanc loci mutationem, quia consecratum fuit vt immobile, &

ita videtur colligi ex Iuribus citatis. Ceterum dicendum est non depetdi si integrum moueatur; quia non perditur forma quando ipsa moles non dissoluitur. Ita Suar., & Auersa locis citatis. Lugo supra num. 73. Pasqualigus Decis. mor. decis.41

Ad Iura citata Respondetur intelligi quando mouetur Altare mutata forma per euersionem in vno loco, & reedificationem in alio. secus in casu nostro. Neque verum est consecrari vt immobile respectu loci, sed respectu suarum partium, seu vt fixum, & firmum in se ipso per vnionem partium.

Colligitur. Si destruatur Paries, cui Altare est compaginatum, adhuc non depetdi consecrationem Altaris; quia adhuc Altare retinet propriam formam, consequenter consecrationem. Siluest. verbo Altare quæst.8 Pasqualigus supra dicis.42.

Dubitatur secundo. An Altare fixum consecrari possit absque dicta connexione. Ita vt consecratio cadat quidem super totum Altare, seu totam molem constantem, ex Basi, ex superiori mensa lapidea, non tamen indiuisibiliter, seu inseparabiliter, sed ita ut partes possint facile separari, & coniungi absque detrimento, & violatione consecrationis. Neque enim repugnat totum Altare fixum ita fabricari, vt eius partes possint dissolui. Ita vt moraliter non censeatur destrui compositum, quod admittat partes diuisibiles absque destructione. Ratio dubitandi est; quia potest consecrari Calix tornatilis, qui non perdit consecrationem per separationem Cuppæ a pede (vt suo loco dicemus) quamuis consecratio cadat super totum calicem, & idcirco si Calix non sit tornatilis deperditur consecratio earundem partium separatione, ergo si simili artificio fabricetur Altare, poterit in eo consecratio permanere, etiam si quandoque separentur eius partes, & iterum componantur, quando in eo celebrandum est.

Respondent. Aliqui discrimen esse; quia in Calice tornatili sola Cuppa per se consecratur, & ideo in ea sola, & separata retinetur consecratio. De ratione autem Altaris fixi, vt distinguitur a portatili est, vt totum Altare consecretur, seu vt consecratio cadat super totam molem, & ideo est dispar ratio. Ita Layman sup. n.6 et videtur insinuare Suar. to.3. in 3 p. dis. 81 sect. 7. §. Rursus inquiri potest. Ceterum hoc non videtur admittendum. Nam etiam consecratio calicis cadit supra totum Calicem, siue tornatilis sit, siue fixus. Cuius signum est: quia si in Calice tornatili facta separatione, loco pedis proprij, quem habuit tempore consecrationis substituatur alius non consecratus, calix sic compositus non esset aptus Sacrificio; nec totus consecratus; quia re vera non est idem Calix simpliciter, quia altera pars necessaria ad substantiam Calicis vsualis variata est; quod non contingit, quando eedem partes connectuntur; quia re vera est idem calix.

Respondetur ergo non posse Altare fixum consecrari cum illa separabilitate partium. Ita vt facta separatione remaneat consecratio, sicut colligitur ex Iuribus Initio allegatis. Ratio est; quia essentia consecrationis, & sacramentalium omnino pendent ex institutione Ecclesiæ, nec aliter potest valide fieri, aut conseruari; Cum ergo Ecclesia authoritate Summorum Pontificum ita instituerit consecrationem Altaris fixi sub dicta partium inseparabilitate; non post inferiorum auctoritate vel iudicio aliter fieri & conseruari, atque ita sentiunt DD. communiter initio citati: quamuis Cardinalis De Lugo videatur inclinare in partem affirmantem disp. 20. citata sec. 2 n. 74.

Ad rationem dubitandi Resp. posse calicem tornatilem consecrari sub partium separabilitate modo explicato ex Ecclesiæ institutione, quam vsus sic declarauit: Secus vero in casu nostro ob contrarium vsum.

Tandem Addo posse obtineri idem intentum alia via, procurando vt ab Episcopo consecretur pro altari portatili lapis magnus eiusdem magnitudinis cum mensa lapidea altaris fixi, nempe octo, vel nouem palmorum, eodem prorsus modo ac consecrari solet communiter ara lapidea parua; quo facto posset vtique hæc ara lapidea magna absque basi consecrata transferri de loco in locum & super imponi basi cuicumque non consecratæ ad vsum sacrificij, sicut fit de aris paruis. Ratio est; quia cum ab Ecclesia non sit determinata quantitas altaris portatilis, potest fieri ex lapide maiori vel minori ad libitum, dummodo sit proportionata vsui sacrificij: atque, ita in aliquibus locis practicari testatur. Tambur. opusc. de sacrificio lib. 1. cap. 3. §. 1. num. 16. & Docet Pasqualigus. Decisis mor. decis. 40. Hoc autem altare portatile quamuis magnum eodem modo consecrationem retinebit, vel perdet, ac ara lapidea parua. idem Tambur. sup. Quoad altare portatile Respondeo &

Dico secundo Altare portatile seu ara lapidea quæ consecratur separata a reliquo materiali altaris, tunc consecrationem deperdit, quando ita frangitur vt non remaneat pars apta ad sacrificium i. capax calicis, & patenæ, saltem pro maiori parte ipsorum, ob eandem rationem supra explicatam; quia perditur forma & patet ex cap. 1. cap. quod in dubijs de consecr. Eccles. vel altaris, & docent communiter DD. citati in præcedenti Conclus. Suar. De Lugo Conink. Auersa &c. Lezzana verbo

Alra-

Altare Syluest. & alii summistæ eodem verbo.

Colligitur primo non deperdi consecrationem si solum frangatur Altare in quatuor cornibus in quibus consecratur: quia licet vnctiones fiant in Angulis, totum Altare consecratur: ergo si remaneat aptum ad vsum sacrificij, vt infra, poterit adhiberi. Ita Suarez Portel. & alij, quos citat & sequitur Pasqualigus decis. 42.

Colligitur secundo si post fractionem remaneat aliqua pars integra, eiusdem lapidis consecrati, in qua possit comodè consistere Calix & Patena cum hostia, quoad hanc partem non deperdi consecrationem, sed eam solam esse aptam ad sacrificium, alias autem remouendas esse tanquam non consecratas, neque addendas esse lapidi consecrato: Siquidem per additionem, id quod additur non sit consecratum, vt contingit in alijs materijs. Deinde Altare, vt supra diximus, debet constare ex vno, & simplici lapide. Et docent Syluest; Vasq; Fagundez, quos citat, & sequitur Cardinalis, de Lugo loco supra citato.

Dubitari solet primo. An hæc ara lapidea, seu Altare portatile consecrationem deperdat, si eo integro remanente extrahatur a Capsula lignea, cui erat insertum. Aliqui enim affirmant; sed tenendum est, vt certum non deperdi consecrationem per diuulsionem a ligno: quia lignum non apponitur lapidi, nisi vel ad ornamentum, vel ad custodiam. Et docet Suar; Auersa, & alij supracitati. Sã Verbo Altare, & communiter.

Dubitatur secundo, quid si frangatur sigillum, & reliquiæ amoueantur. An perdatur in hoc casu huius Aræ consecratio, vel etiam Altaris fixi de quo casu maior est controuersia inter Doctores: illi enim qui sustinent reliquias pertinere ad essentiam consecrationis, vel saltem requiri ex præcepto; sustinent deperdi, de quibus diximus Dubio præcedenti, quibus adheret Gauantus in Rubr. Missalis. tit. 20. lit o.

Respondeo tamen ex hoc præciso capite non deperdi consecrationem, consequenter Altare esse aptum ad vsum sacrificij: quia reliquiæ non pertinent ad formam consecrationis, neque ex præcepto sunt necessariæ. Ita de Lugo, loco cit. num. 75. Coninck suprà. Castropalao de sacrificio disp. vnica punc. 9. num. 6. & DD. supra citati. dub. 3. pro tertia sententia.



DVBIVM VI.

Vtrum in Altari vbi celebrauit proprius Episcopus, licitè possint celebrare alij Sacerdotes.

Dubium procedit de Episcopo in sua Diœcesi.

Prima sententia negat, saltem eodem die, & sine licentia Episcopi. Probatur ex cap. in Altari de consecr. dist. 2. Vbi tamen sermo est de missa cantata. Probatur etiam ex concil. Altirodotensi. cap. 10. Vbi absolutè id prohibetur. Ratio sumitur ex honore, qui Episcopo debetur. Ita Gauantus in Rubr. Missalis tit. 20. litera F citans Angelum Syluest Tabienam Verbo Altare. Homo bonum, et alios et addens sufficere licentiam tacitam in casu necessitatis.

Secunda sententia probabilior docet, posse indiferenter ab alijs celebrari, quia illi Canones in desuetudinem abierunt. Ita Azor, tom. 1. lib. 10. cap. 27. q. 9. Tambur. Opusc. de sacrific. lib 1. cap. 5. § 1. num. 5. Scortia Palaus Layman, et alij, quos citat, et sequitur Diana p. 10. trac. 12 res. 24. Standum est tamen consuetudini cuiusque loci. Vt notat Lezzana Sum Verbo Altare num. 13.

DVBIVM VII.

An in casu necessitatis possit licitè fieri sacrum absque Altari consecrato.

Respondeo hoc simpliciter non esse licitum etiam vrgente necessitate, saltem non summa, seu non extrema. E. g. non est licitum celebrare sine Altari consecrato ad satisfaciendum præcepto diei festi, ne tunc populus sacro priuetur, nec ad communicandum infirmum periclitantem, vel in similibus Probatur quando necessitas non est simpliciter, quæ dicitur necessitas medij, seu extrema, sed solum necessitas præcepti preualere debet reuerentia Sacramenti, & sacrificij ne indecenter tractetur absque debito cultu, seu ritu ab Ecclesia præscripto, saltem quoad ritus principales, & summo rigore præceptos: sed Eucharistia non est necessaria necessitate medij infirmo, & Altare inter ea quæ requiruntur ad sacrificium est ritus grauissimus, & summo rigore præceptus: ergo præferendus necessitatibus prædictis. ergo non potest ratione talis necessitatis fieri sacrum sine eo. Confirma-

natur videtur enim grauis irreuerentia sacrificium offerre super locum prophanum, & communem alijs vsibus, nec præceptum diuinum communicandi in articulo mortis obligat, nisi quando moraliter seruari potest, & seruata decentia Sacramenti. Vt patet in deliranti quando timetur irreuerentia. Dicetis præceptum cōmunionis in articulo mortis est diuinum. e contra præceptum celebrandi super Altare est Ecclesiasticum. Ergo illud preferri debet.

Respondeo primo præceptum offerendi sacrificium cum debita reuerentia, & decentia esse præceptum diuinum manans á Christo. Determinatio vero modi pertinet ad Ecclesiam, ex commissione Christi.

Respondeo secundo Præceptum diuinum præferri debet Ecclesiastico cæteris paribus, & modo ex omissione Præcepti Ecclesiastici, non sequatur inconueniens maioris momenti, quam ex omissione præcepti diuini, vt sequitur in casu nostro, nempe indecentia, & irreuerentia contra sacrificium, & sacramentum, quæ non potest aliunde suppleri, sicut potest effectus Eucharistiæ.

Confirmatur primo Quia præceptum conficiendi sacrum super Altari consecrato non est minus graue præcepto conficiendi in azimo, aut cum vestibus sacris: sed hoc non cessat propter necessitatem communicandi ægrotum vel similem. Vt patet ex sensu, & vsu Ecclesiæ. ergo &c.

Confirmatur secundo quia licet plures DD. sustineant posse sacerdotem non ieiunum celebrare ad communicandum moribundum, nullustamen ausus est affirmare id posse absque altari; quia maiorem habet connexionem sacrificium cū Altari, quam cum ieiunio, in quo facilius dispensat Ecclesia: Secus autem quoad Altare in quo nunquā dispensauit, vt diximus, quod est signum præceptū Altaris maiori eum rigore obligare. Ita Suar. de Sacram. tom. 3. disp 81. sect 5.8 in tertiam partem. Vbi ait Nunquam in hoc summus Pontifex dispensauit, nec videtur moraliter esse posse necessarium, aut conueniens, & expresse tradit etiam Nugnus in 3, par. quæst.83. art.3. dub.3. & videtur communis DD. sententia, quamuis pauci hoc punctum in particulari attingant; sed in simili de vestibus sacris, præsertim maioribus Docent communiter DD. vt suo loco dicemus par. 2. tit.1. sect.4 dub 6. Hoc posito vt certo.

Difficultas est. An hoc præceptum non celebrandi, nisi in Altari consecrato obliget etiam cum periculo Vitæ, vel equiualenti moraliter, vt est periculum grauis infamiæ quod á multis pluris fit, quam periculum vitæ, vel grauis scandali.

Respondeo, & dico secundo. Si metus mortis incutiatur in contemptum religionis, & sacrificij. Certum est talem metum non excusare a violatione præcepti, nec a peccato mortali: quia commune bonum præsertim fidei, & Religionis, quod est longe superioris ordinis præferri debet propriæ vitæ, quod verum est in quolibet, præcepto, etiam rei leuis, vt tradunt communiter DD de legibus. Videri potest Suarez lib. 3. de legibus cap. 30. Sanchez sum. lib.1. cap.18. num 5. qui alios citant.

Dico tertio. Si metus mortis incutiatur in alium finem indifferentem E.g. vt alij intersint sacro. E.g. si famulus Principis minetur mortem Sacerdoti, nisi celebret etiam deficiente Ara sacra ne suus Princeps adueniens priuetur sacro. probabile est excusari celebrantem sine Altari consecrato ad vitandam mortem. Probatur ex regula generali apud DD. citatos. in tract. de legibus, quod præcepta humana non obligant cum tanto dispendio. Ita Azorius, Valentia, Vasquez, Becanus, Salas & alij, quos citat, & sequitur Diana par.3. tract.6. resol.48. §. secundo, & in simili tradunt nonnulli DD. de vestibus sacris. Nauar. in manuali capit. 15. num.84 Hurtadus de sacrif. disput.14. diff. 11. modo possit vitari graue scandalum populi quod facilius vitari potest in omissione Altaris, seu Aræ lapideæ consecratæ, quæ non apparet quam in omissione omnium vestium sacrarum, de quibus Infra.

Dicetis. Non vitatur irreuerentia sacramenti in hoc quod in loco prophano conficitur: ergo non excusatur sic Celebrans a peccato mortali. Ex supra dictis.

Respondetur negando antecedens. Ratio negationis est, tunc enim quis irreuerenter se gerit erga sacramentum, quando moraliter potens non adimplet ea, quæ instituta sunt in reuerentiam sacramenti. Secus si non possit, tunc enim ob impotentiam moralem suspenditur obligatio, & ea reuerentia non est debita, quoad ritum peculiarem, qui seruari non potest; Vt patet exemplo Ieiunij, qui enim non ieiunus communicat extra mortis periculum peccat mortaliter contra reuerentiam sacramento debitam. Secus in periculo mortis, in quo ea obligatio suspenditur. Hæc de Altari, consequenter dicendum est de ornamentis eiusdem eo ordine, quo in hac rubrica præscribuntur.



DV-

DVBIVM VIII.

De Tobaleis Altaris, deque numero, & qualitate earundem:

Certum est ad vsum sacrificij requiri Tobaleas cooperientes mensam Altaris. ex cap. Altaris Palla, &. cap. nemo per ignorantiam de consecr. dist. 1. vnde constat hunc ornatum Altaris cadere sub præcepto graui, nec posse omnes Tobaleas omitti sine peccato mortali. In hac vero Rubrica, quam exponimus requiruntur tres, quarum vna saltem debet cooperire totam Altaris mensam, & deduci hincinde à lateribus vsque terram. Aliæ vero satis est si cooperiant sacrum lapidem, & pro duabus sufficit vna duplicata. Tandem omnes ex eadem Rubrica debent esse benedictæ.

Difficultas consistit in eo. Vtrum omnia prædicta cadant sub obligatione, & sub quo gradu obligationis seruari debeant.

Suppono autem ex dictis quæst. Proemiali sect. 2. punc. 1. radicem obligationis huiusmodi minimè oriri ex hac Rubrica, quæ secundum se, & formaliter non est præceptiua, sed aliunde, nempe ex vi sacrorum Canonum Iuris communis, vel ex consuetudine vim legis habente. His positis.

Prima Difficultas est de substantia Tobalearum, ex qua materia debeant esse contextæ, Aliqui enim absolute dicunt debere esse ex materia linea, & hoc colligi ex Iuribus supra allegatis, quare videntur excludere aliam quamcumque materiam. Ita Suar. disp. 81. sec. 6. §. Dico ergo primo. Alij tamen admittunt posse confici ex materia simili.

Respondeo, & Dico primo Tutius, & consultius esse, vt quoad fieri potest, conficiantur ex lino. Vt patet, ex communi vsu Ecclesiæ. Vnde Tobaleæ Altaris lintea appellantur. Vt patet ex cap. si per negligentiam de consecr. dist. 2 Burchar. etiam lib. 3. cap. 97. refert ex Concil. Rhemensi in hec verba, Altaria Mundissimis linteis, ac Pallis cooperienda linteum autem est pannus lineus, seu ex lino confectus.

Dico secundo videtur etiam certum posse fieri ex renui Cannabe. Probatur, quia telæ ex eo confectę in eosdem vsus deseruiunt, ac textæ ex lino: & quamuis specie phisica inter se differant linum, & cannabis, non differunt tamen specie morali in hominum acceptatione, & vsu interiorum vestium, vel etiam ad struendas mensas, & similes vsus. Ita Azor. p. 1. lib. 10. cap. 28. citans Tabienam, & Armillam Reginaldus. lib. 29. n. 195. Bonacina de sacram. disp. 4. q. vltima punc. 9. n 24. Gauantus in Rub. Missalis p. 5. de mensuris. §. Mappe ex lino, seu Cannabi. Tambur. Opusc. de sacrif. lib. 1. cap. 5. §. 3. num. 3. qui etiam id affirmant de corporali.

Dico tertio in illis regionibus, in quibus ex Gossipio (Vulgo bombaci) conficiuntur telæ delicatiores ad instar earum, quæ fiunt ex lino; probabile est, etiam Tobaleas Altaris posse confici ex Gossipio ob rationem explicatam in præcedenti Conclusione, & docent Azor, loco citato loquens etiam de corporali, & Tambur. supra.

Dico quarto non possunt fieri ex alia materia, neque etiam esse serica, quia linum, & sericum etiam specie morali differunt, vnde id est contra substantiam præcepti, consequenter esset graue peccatum illis vti ad vsum sacrificij. DD. citati, & communiter.

Secunda Difficultas circa numerum Tobalearum quot adhiberi debeant ex præcepto, & sub peccato mortali. Prima sententia sustinet debere necessario. & sub peccato mortali tres Adhiberi, Ita videtur sentire De Lugo disp. 10 de Euchar. sec. 2. num. 76. & Auersa q. 11. sec. 13. §. Rursus. Probatur primo, quia ita seruatur in Ecclesia Romana. Secundo ex hac rubrica, qua tres prescribuntur, & in Rubricis de Defectibus §. 10. Vbi inter alios defectus ponitur. Si Altare non sit tribus mappis ornatum. Ceterum ex Rubricis non potest sumi efficax argumentum. vt supra dicebamus, neque constat de consuetudine sub animo obligandi, sed ad maiorem decentiam.

Secunda sententia communis docet ex rigore præcepti. & ad vitandum peccatum mortale sufficere duas præter corporale, vel vnam duplicatam; quæ duabus æquiualet. Ita enim consuetudo interpræta est illud pręceptum, neque enim in cap. Altaris Palla de consecr. dist. 1. Difinitur quot lintea adhiberi debeant, neque in sequenti Nemo per ignorantiam, vbi licet nominentur in numero plurali; numerus tamen binarius est etiam pluralis. Ita Suarez disp. 81. sec. 6. citans Siluestr. Paludanum, Innocentium, & affirmans esse communem, docet etiam Vasque de Euchar. disp. 233. cap. 3. Tambur. supra, cum alijs.

Addit Præpositus in 3. p. q. 83. dub. 4. in necessitate licitè Sacrum fieri cum vna tantum Tobalea, in quo sensu admitti potest sententia Angeli Verbo Missa, qui dixit sufficere vnam Pallam, seu Tobaleam, & puto sufficere necessitatem præcepti respectu totius populi, ne communitas sacro priuetur. Cæterum si verum est ex infra dicendis posse adhiberi lintea non benedicta, etiam à laicis accepta, raro

potest

potest ea necessitas occurrere.

Tertia Difficultas. An debeant esse benedictæ ex præcepto obligante sub peccato mortali. Aliqui in partem affirmantem inclinant. Vt de Lugo, & Auersa supra citati: quia in Rubricis Missalis ita præscribitur.

Respondeo tamen ex communi DD. sententia decens omnino esse, vt sint benedictæ, hoc tamen non cadere sub præcepto: quia Rubricæ in hac parte sunt directiuæ, & aliunde non constat de præcepto. Nihil enim Iure sanctum est de benedictione huiusmodi. Ita Suar. Vasquez locis supra citatis. Layman lib. 5. tract. 5. cap. 6 Siluest. verbo benedictio quæst. 5. Sa verbo Missa num. 7. & communiter.

Addunt consequenter Syluest. Sa, Layman, & Alij apud Dianam par. 10. tract. 11 resol. 5. posse ab alijs accipi ad vsum Sacrificij Tobaleas prophanas, & finito sacrificio reddi ad vsus priores prophanos. Neque enim obstat prohibitio in cap. ligna de consecr. dist. 1. quia ibi est sermo de rebus sacris, seu benedictis & simpliciter destinatis ad vsum sacrum. Secus in casu nostro, quando per accidens, & semel adhibentur ad vsum sacrum. Vide dicta supra tit. 19. dub. 3.

Quarta Difficultas. An, et qualiter peccet, qui ad vsum sacrificij Vtitur Tobaleis immundis, laceris, vel alias indecentibus.

Respondeo certam esse hoc non vacare aliqua culpa: quia licet nullum extet de hac re præceptum Iuris positiui. Est tamen contra præceptum naturale sanctè, ac reuerenter tractandi res sacras. Communiter autem in hoc veniale peccatum committitur. poterit vero quandoq; committi peccatum mortale, si sint enormiter immundæ, vel fetidæ prudentis arbitrio; quia ex eo excessu resultat grauis irreuerentia contra tantum Sacramentum. Ita Suar. disp. 82. sect. 3. agens de vestibus sacris in communi. Eadem enim est ratio de omnibus, et pariter de omnibus vestibus sacris id affirmant Auersa q. 11. de sacrif. sect. 13. §. Rursus Bonacina de sacram. disp. 4. q. vltima punct. 9. n. 23. Siluest. verbo Missa 1. quæst. 2. §. 3. Addit etiam esse peccatum mortale contra præceptum Ecclesiasticum latum in cap. 2. de Custodia Euchar. sed ibi præceptum dirigitur ad Pastores, & habentes curam Ecclesiarum, quoad sacerdotes vero pendet grauitas culpæ ex ipsa rei natura.



DVBIVM IX.

De Pallio.

An Altare debeat ornari Pallio ad vsum Sacrificij.

Certum est ob decentiam non esse faciendum sacrum in Altari Pallio denudato, cum præsertim in hac Rubrica expræsse exigatur, vt Altare pro sacrificio ornetur Pallio coloris conuenientis. Difficultas est. An hoc cadat sub obligatione, & An peccet qui celebrat in Altari denudato.

Respondeo, & dico primo. Non tenemur ex precepto Ecclesiastico Pallium adhibere in Altari. Probatur: quia Nullibi extat tale præceptum, neque enim Iure communi aliquid de Pallio Sancitum reperitur, neque hæc Rubrica est præceptiua, sed directiua secundum se, neque vllus Doctorum asseruit hoc cadere sub præcepto, & fere nihil scribunt de Pallio supponentes eum non cadere sub aliqua obligatione.

Dico secundo. si Anterior pars Altaris, in qua Pallium apponi solet, sit deformis, & rudis, Ita vt inde resultet indecentia contra reuerentiam tanto sacrificio debitam, communiter erit peccatum veniale ibi sacrum facere absque decenti Pallio contra præceptum naturale tractandi res sacras cum reuerentia, & decentia conuenienti.

Contra si eadem pars anterior, seu frons Altaris sit ornatus lapidibus prætiosis, vel Pictura, vel simili modo: Nullum erit peccatum in eo altari sacrum facere sine Pallio, quia nullum violatur præceptum. Ita Gauantus in hunc titulum 20. Rubric. litera. 1.

DVBIVM X.

De Cruce super Altari collocanda tempore Sacrificij

An hic Ritus cadat sub Præcepto.

Prima sententia affirmat, & consequenter docet fore peccatum mortale celebrare sine Cruce in medio Altaris. Probatur: Tum ex communi consuetudine, quæ videtur habere vim legis, & ideo timorati sacerdotes, & sui muneris studiosi sunt valde anxij de hoc ritu. Tum quia id non solum præscribitur in hac Rubrica; sed in alijs vere præceptiuis, quibus iubetur Sacerdos, vt in conclusione collectæ, et alias versus Crucem inclinet; ergo sicut Incli-

clinationes, & similes ritus in ipso actu celebrationis exercendi cadunt sub præcepto. Ita etiam vsus Crucis versus quam fieri debent: in hanc sententiam inclinat Auersa de sacrificio q. 11. sec. 13. §. tertio vlterius.

Opposita sententia est communis, & probabilior. Hunc ritum Crucis in Altari seruandum omnino esse ex directione Rubricæ. non vero ex præcepto. & sub peccato mortali, sed ad summum sub Veniali.

Probatur: quia non sunt multiplicanda præcepta, & obligationes sub peccato mortali, nisi de illis constet, ne laqueus animabus inijciatur. Sicuti docet D. Th. quodlibeto 9. art. 15. Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 16. sec. 3 Villalobos, & alij, quos affert, & sequitur Diana p. 10. tract. 12. resol. 57. §. ad id vero. sed non constat de hoc præcepto, neque in Iure neque ex consuetudine, quæ fuerit hoc animo introducta, sed communiter ita seruatur ex maiori deuotione, ad satisfaciendum Rubricæ directiuæ. Ergo &c. Ita Vasq. disp. 233 cap. 3. Suar. disp. 81. sec. 6. § quarto addere. Lugo disp. 20. num. 79. Villalobos. p. 1. tract. 8. diff. 26. num. 6. Bonacina disp. 4. q. vltima. punc. 9. n. 29. cum alijs quos citat Diana p. 10. tract. 15. resol. 28.

Ex quibus patet ad fundamentum oppositæ sententiæ Consuetudinem non habere vim legis,: quia non fuit introducta animo obligandi. Item ex eo quod præcipitur inclinatio versus Crucem, non sequitur. præcipi vsum Crucis, sed supponitur ibi adesse ex communi vsu, & directione Ecclesiæ. quod si non adsit, inclinatio facienda est versus illam partem Altaris, in qua Crux collocari solet, seu versus imaginem Altaris.

Dubitatur Primo An ex vi rubricæ collocari debeat Crux etiam in Altari, vbi seruatur clausum in Tabernaculo Sanctissimum Christi corpus. Loquimur autem dum in eodem Altari fit sacrum. Aliqui negant: quos tacito nomine citat Gauantus in hoc tit. 20. litera v. Ratio potissima est: quia vbi est figuratum debet cessare figura: sed in eo Altari est ipse Dominus Crucifixus sub speciebus &c. Ergo non debet esse ibi imago eiusdem, nec expedit. Hanc sententiam sequitur de Lugo supra n. 79.

Opposita sententia est longè probabilior: præsertim quando non est expositum, & patens sanctissimum Sacramentum: quia Rubrica Missalis in omni Missa requirit adhibendam esse Crucem. Ita Gauantus supra. Auersa loco citato supra. Tambur. Opusc. de Sacrificio. lib. 1. cap. 5. §. 6. & communiter.

Ad Rationem primæ sententiæ Respondetur, illud Axioma intelligi de sacrificijs veteris legis, quæ erant figura sacrificij Crucis & Christi; Crucifixi; non vero de imagine Crucis, & Crucifixi, qua repræsentatur ipsa realis Crucifixio iam consumata, quæ omnibus modis recolenda est, & memoriæ commendanda. Alioquin post consecrationem oporteret remouere Crucem ab Altari, quod est falsum. Concedi autem potest eo tempore quando palam in Altari est expositum Sacramentum, non esse necessariam Crucem. Secus autem quando non apparet: Quamuis nullum esset inconueniens etiam si tunc apponeretur: nullum enim est inconueniens, vt vbi est persona Principis sint etiam eius insignia, & Imago.

Dubitatur secundo. An satisfiat Rubricæ si apponatur Crux nuda sine Imagine Crucifixi. Gauantus supra docet requiri Crucem, & omnino cum Imagine Crucifixi: quod optimum consilium est; Ceterum in Rubrica id non exprimitur: quare satis esse videtur in rigore si adhibetur Crux nuda absque Imagine Crucifixi; Imo sufficit Crux depicta in Tabula, vel Pariete. Ex dicendis infra.

Dubitatur tertio Vtrum in Altari dedicato Sanctissimo Crucifixo, cuius Icon. vel Statua, aut Tabula picta est Imago Crucifixi, An inquam in hoc Altari pro sacrificio collocari debeat Altera Crux inter Candelabra? Affirmat Gauantus supra: quia in Rubrica absque limitatione præscribitur Crux apponenda inter Candelabra. Alij probabilius negant. satis enim superque obtinetur finis intentus a Rubrica per Iconem, vel Imaginem Crucifixi si sit in prospectu, & ob oculos sacerdotis. Ita Tambur. Trinarchi, Agrisolius, Niger, & Alij. quos citat & sequitur Diana p. 10. tract. 15. resol. 28. Id autem quod dicitur in Rubrica Collocandam esse Crucem inter candelabra intelligendum est regulariter quando Icon Altaris non est Tabula, seu statua Crucifixi.

Dubitatur quarto cum in summitate Tabernaculi vbi asseruatur sanctissimum Sacramentum collocari soleat parua crux. Vtrum hæc sufficiat pro vsu sacrificij? Respondeo negatiuè: quia non est ob oculos sacerdotis, neque apta fini propter quem Crux adhibenda præscribitur.

DVBIVM XI.

De Lumine.

Qualiter sit necessarium ad Sacrificium.

RESpondeo. Certum esse tempore Sacrificijs esse necessarium lumen in Altari ex

graui præcepto. Vt constat ex cap. vltimo de celebrat. Missarum, & ex consuetudine vniuersalis Ecclesiæ. Et docent Paludanus, Durandus, Soto Syluest. Nauar. & Alij communiter apud Suar tom. 3. in 3. par. disp 81. sect. 6. §. tertio reuqiritur.

Prima Difficultas est quotuplex lumen sit necessarium.

Respondeo in rigore ad satisfaciendum præcepto sufficere vnicum lumen. Vt colligitur ex dicto cap. finali de celebr. Missar. Ita Suar. supra Graffis lib. 2 cap. 42. num. 1 Coninh de sacram. quæst. 83. art. 3. dub. 2. circa finem. Bonacina de sacram. disp. 4. quæst. vltima punct. 9. num. 31 Ad maiorem tamen decentiam, & ex consuetudine Ecclesiæ, quæ ex DD. citatis obligat sub peccato veniali, duo saltem adhiberi debent. quod si plura addantur ad maiorem ornatum laudabile quidem est; oportet tamen aduertere id, quod monet Concil. Trid. sess. 22. in decreto de Euitandis in celebratione Missæ. ne certus aliquis numerus candelarum adhibeatur ex cultu superstitioso.

Secunda Difficultas. Quale lumen sit adhibendum, seu ex qua materia.

Respondeo simpliciter loquendo, & extra casum necessitatis adhibendum esse lumen ardens ex Cera, seu in candelis cereis, quod in Rubrica præscribitur, & vniuersali Ecclesiæ consuetudine comprobatur, quæ ideo seruari omnino debet. An vero grauiter peccet adhibens lumen ex alia materia. E.g. ex oleo, vel seuo, non explicant clare DD. sed dicunt extra casum necessitatis id non esse licitum; Dum vero asserunt in casu necessitatis non peccare mortaliter celebrantem cum lumine ex oleo, vel seuo, significare videntur extra casum necessitatis id non excusari a peccato mortali. DD. videri possunt apud Dianam 2. par. tract. 14. resol. 67. Quam vis oppositum non videatur improbabile. Videlicet, etiam extra casum necessitatis secluso scandalo, hoc non excedere culpam venialem: quia satisfieri videtur substantię præcepti quocumque lumine decenter composito. Et quidem solent ex seuo confici candelę, sic decenter compositę, vt similes appareant candelis cereis.

Tertia Difficultas. An in casu necessitatis licitum sit celebrare sine lumine, vel cum lumine ex oleo, vel seuo.

Respondeo; & dico primo. Sine nullo prorsus lumine nunquam est licitum celebrare, nec etiam ad communicandum moribundum. Probatur: quia hic ritus censetur valde grauis, & eius omissio vergeret in grauem irreuerentiam sacrificij. Ita Heriquez lib. 9. de Euchar. cap 26. num. 4. Bellarminus lib. 6. cap. 14. Fagundez in primum præceptum libro 3. cap 22. num. 19. Cardinalis de Lugo. de Euchar. disp. 20 sect. 3. num. 77. Tambur. Opusc. de sacrif. lib. 1. cap. 5. §. 4. num. 1. Qui etiam addunt. Si cœpta iam Missa estinguatur forte lumen ante consecrationem, nec aliud haberi possit, tunc omittendum esse sacrum. Vide etiam Dianam par. 8. tract. 1. resol. 78.

Dico secundo. Cum vnico lumine ex cera, licitum est celebrare in casu necessitatis. Ita, vt nec peccatum veniale committatur, etiam, si necessitas solum in eo consistat, quod non possit haberi aliud lumen, licet sacerdos ex sola deuotione eclebrare velit: quia vt supra dicebamus extra casum necessitatis non excedit culpam venialem celebrare cum vnico lumine ex cera ergo posita Aliqua necessitate, vel impotentia habendi aliud lumen omnino excusatur a culpa secluso scandalo. Vt colligitur ex DD. citatis.

Dico tertio. Licitum est etiam in casu necessitatis celebrare cum lumine ex oleo, vel seuo E.g. in die festo, ne populus priuetur sacro, & in similibus casibus. Probatur; quia hic ritus circa solam circumstantiam luminis non videtur adeo grauis, vt non censeatur exceptus casus necessitatis, vt contingit communiter in alijs præceptis. Et videri potest apud Dianam par. 2. tract. 14 resol. 67.

Colligitur ad celebrandum cum lumine ex oleo &c. non requiri grauem necessitatem, sed satis esse si sacerdos velit celebrare Missam, vel ad superandam tentationem, vel ad lucrandum stipendium, quo pauper sacerdos indiget, & in simillibus casibus Ita Tambur. supra citatus. Reginaldus, Filliucius, Laiman, & Alij apud Dianam supra. quibus Adde Cardinalem de Lugo loco citato Auersam de sacrif. quęst. 12. sect. 13. & Suarez tom. 3 3. par. disp. 81: sect. 6 Qui excusat a mortali sic celebrantem ex mera deuotione, ob solam Impotentiam habendi candelam ex cera, quamuis ait. Ego non consulerem.

Quarta Difficultas. An cereus ad eleuationem Sacramenti accendendus cadat sub præcepto.

Respondeo negatiuę: quia nullibi constat de præcepto, quamuis autem id præscribatur in hac Rubrica; Eadem tamen non est præceptiua, sed directiua: omnino tamen seruanda est ex reuerentia erga tantum Sacramentum. Vnde sequitur si hic ritus omittatur absque causa rationabili, non excusari omittentem a culpa veniali contra præceptum naturale tractandi reuerenter res sacras more consueto.

Quinta Difficultas. An extra tempus sacrificij debeat semper ardere lumen ante Altare, vbi seruatur Sanctissimum Sacramentum.

Respondeo affirmatiue. Vt patet ex communi-

muni, & inuiolabili consuetudine totius Ecclesiæ, quam etiam confirmat Rituale Romanum Pauli V. tit. de Euchar. §. hoc autem. Vnde tenentur Rectores Ecclesiarum sub peccato mortali curare, vt nunquam desit lumen ante Sanctissimum Sacramentum: quia prædicta consuetudo vim legis obtinuit ex communi sensu fidelium, & a Prælatis, & Visitatoribus grauiter puniuntur negligentes hunc ritum. Ita Barbosa de officio Parochi capit 20. num. 27. Quintana Duennas Theol. moral. tom. 1. tract. 4. singul. 1. Emanuel Sà, Victorellus, & Alij, quos citat, & sequitur Diana par. 9 tract. 6. resol. 34. Videri etiam potest Durantus de ritibus Ecclesiæ lib. 1. cap 8. & Suar supra disp. 81 sec 6.

Colligitur. si ex graui negligentia Rectoris Ecclesiæ, vel ministri, cui hæc cura commissa est per notabile spatium E. G. per integrum diem lampas non sit accensa coram Tabernaculo sanctissimi, committi ab eo peccatum mortale, & solum ratione paruitatis materiæ erit peccatum veniale. E. G. si per horam circiter maneat extincta. Quintanna Duennas supra.

Colligitur secundo in aliquibus Ecclesijs ruralibus, in quibus ob nimiam paupertatem hoc seruari non potest, excusari quidem parochos a peccato mortali ob impotentiam, quamdiu hæc durat; non tamen inde sequi consuetudinem secundum se non obligare sub peccato mortali, vt minus rectè inferre videtur Marchantius apud Dianam supra: quia aliud est legem non obligare, quod in casu nostro negamus. Aliud est excusationem admittere ob impotentiam, quod concedimus, & contingit in alijs præceptis communiter. E. G. in præcepto audiendi sacrum ieiunandi &c. quia nemo potest ad impossibile obligari.

DVBIVM XII.

De Tabella Secretarum, Cussino, & Alijs requisitis per hanc rubricam ad usum Sacrificij.

RESpondeo Ea, quæ præscribantur in hac rubrica de Tabella, Cussino, Campanula, Ampullis, Peluicula, & Manutergio esse materiam instructionis, non præcepti Vt patet ex dictis de rubricis præceptiuis, & directiuis q. proemiali. sec. 2. punc. 3. consequenter non committi peccatum contra præceptum Ecclesiasticum in eorum omisione, vel mutatione. Dixi contra præceptum Ecclesiasticum: quia si inde resultet aliqua deformitas, vel inde centia contra reuerentiam sacrificij constat committi peccatum veniale contra præceptum naturale peragendi sacrificium cum debita reuerentia. Neque hic aliud occurrit notatione dignum præter dicta supra in explicatione literæ. Atque hæc satis circa Rubricas primæ partis ad laudem Dei, Beatæ virginis, & Beati Caetani.





PARS SECVNDA COMMENTARIORVM

In Secundum Ordinem Rubricarum Missalis Romani.

Ritus Seruandus in Celebratione Missæ.





RAEMISSA in Rubricis præcedentibus generali notitia eorum, quæ pertinent ad Missæ partes, & qualitates, vt debito, & conuenienti ordine Sacerdos possit eam disponere antequam celebret: Consequenter in rubricis huius secundi ordinis præscribitur modus, & ritus seruandus in ipso actu celebrationis: atque sigillatim designantur, & exactissimè explicantur Cæremoniæ in Missa seruandæ; vt in oblatione tam diuini, tamque tremendi Sacrificii nulla vnquam actio adhibeatur, nisi quæ pietatem, & sanctitatem redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat; sicuti monet Tridentinum sess. 22. cap. 4 Nihil ergo in eo ex proprio arbitrio à Celebrante immiscendum: sed omnia exequenda secundum has regulas à S. R. E. præscriptas, ne aliquis abusus irrepat, vel quippiam omnino à tanti Sacrificij dignitate alienum: ex eod. Trident. sess. 22. in Decreto de obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ.

TITVLVS I.

DE PRÆPARATIONE SACERDOTIS CELEBRATVRI:

1 SACERDOS celebraturus Missam, præuia Confessione sacramentali, quando opus est, & saltem matutino cum laudibus absoluto, orationi aliquantulum vacet; & Orationes inferius positas pro temporis opportunitate dicat. Deinde accedit ad locum in Sacristia, vel alibi præparatum, vbi paramenta, aliaque ad celebrationem necessaria habentur: accipit

missale , perquirit Missam , perlegit , & signacula ordinat ad ea , quæ dicturus est . Postea lauat manus , dicens Orationem inferius positam. Deinde præparat calicem , (qui debet esse vel aureus , vel argenteus , aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam , & simul cum Patena itidem inaurata , ab Episcopo consecratus :) super eius os ponit purificatorium mundum , & super illud Patenam cum Hostia integra , quam leuiter extergit , si opus est , à fragmentis , & eam tegit parua palla linea, tum velo serico : super velo ponit bursam coloris paramentorum , intus habentem Corporale plicatum , quod ex lino tantum esse debet , nec serico , vel auro in medio intextum , sed totum album , & ab Episcopo , vel alio habente facultatem , simul cum palla benedictum .

EXPLICATIO LITERALIS.

SAcerdos celebraturus Missam diligenti preparatione ad tanti ministerij functionem se debet componere ; Nemo enim cordatus grande opus aggreditur , quin prius illud præmeditetur, & non solum de necessarijs sibi prouideat , sed etiam de vtilibus , præsertim ad opus supernaturale, cui vires naturales non sufficiunt; sed opus est diuino auxilio Vnde est illud Ecclesi. 18 . Ante orationem præpara animam tuam, & non sis quasi homo tentans Deum ; Si ante orationem , multo magis ante hoc tremendum sacrificium summa diligentia, & veneratione tractandum ; Quod si necessario fatemur (inquit Trident. Sess. 22. in Decreto de obseruandis in celebratione Missæ) nullum aliud opus adeo sanctum, ac Diuinum à Christi fidelibus tractari posse , quam hoc ipsum tremendum misterium ; satis etiam apparet omnem operam, & diligentiam in eo ponendam esse , vt quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia , et puritate , ac exterioris deuotionis , ac pietatis specie peragatur. hactenus Trident. Merito ergo Ecclesia in his rubricis primum titulum instituit de præparatione sacerdotis celebraturi , & nonnulla præscribit præmittenda à sacerdote actui celebrationis , quæ breuiter , & per capita explicabimus .

Primo . Statuitur præmittendam esse confessionem sacramentalem , vt ante omnia purificetur anima a sordibus peccatorum ; Hinc certe incipiendum est . Quia vt ait August tract. 12. in Ioan: Initium operum bonorum Confessio est operum malorum , Dele quod fecisti , vt Deus saluet quod fecit . Hoc autem est absolute necessarium , quoties communicaturus est sibi conscius p.m. Vt definit Tridentino sess. 13. can. 11. Estque præceptum iuris diuini , de quo fuse dicendum a nobis est 3 par. de defectibus tit. 8. Interim serio monemus Sacerdotes , vt quamuis mortiferi peccati sibi conscij non sint , ad Altare tamen ante non accedant , quam se per cõfessionem reddiderint puriores, & qui quotidie celebrant , si non singulis diebus , saltem id sepius in Hæbdomada faciant , quod nos Clerici regulares in nostris constitutionibus sancitum habemus parte prima cap. 9. Audiant autem omnes D. August. monitum in psalm. 99. semper inquit confitere , quia semper habes quod confitearis. Difficile enim est in hac vita , vt sic homo mundetur, vt nihil inueniat in se quod confiteatur ; preterea aduertendum ne sacerdos sua peccata confessurus ad Sacramentum Pænitentiæ accedat indutus paramentis sacerdotalibus, quod minus decens videtur , si quidem huic actioni , quæ humilitatis , & pænitentiæ est , potius habitus humilis , & saltem communis congruit , quam pretiosus , & sacerdotalis , vt cum Maurilio notat Gauantus in hanc rubricam littera A .

Secundo . Præscribitur , ne sacerdos Missam celebret , nisi prius recitauerit partem Officij diuini , saltem Matutinum cum laudibus ; quia vt alias adnotauimus preces diuini Officij inter alios fines institutæ sunt in præparationem ad Missam . An autem hoc cadat sub præcepto explicabimus infrà in dubijs Conscentiæ , quod etiam explicandum de alijs inferius requisitis .

Tertio . Monetur sacerdos , vt orationi aliquantulum vacet, & præsertim recitet psalmos, & orationes in Missali præscriptas sub hoc titulo præparatio ad Missam pro opportunitate &c. Et quidem optimum consilium est , vt sacerdos, omnino reiectis curis , & cogitationibus seculi immediate ante Missam orationi vacet , idest Mentali , quæ maxime feruorem , & deuotionem excitat Vnde Dionysius cap. 3. de diuinis nominibus, ante omnia inquit, oportet nos ab oratione incipere, sicut Deo nos ipsos tradẽtes. & vnientes. Est enim Oratio mentalis Ascentio men

mentis in Deum; Saltem prætermitti non debet Oratio vocalis in hunc finem ab Ecclesia præscripta. Nempe Antiphona Ne remi-niscaris cum psalmis, & orationibus aptissime dispositis ad præparationem Missæ, de quibus Innoc. 3 de Mysterijs Missæ, & Durandus in rationali lib.4 cap.2.& Castaldus in Praxi lib.2. sect.7.cap.1. Et quidem Christus (quem Sacerdos. & repræsentat, & imitari debet) in præparationem sacrificij Crucis, in quo ipse, & sacerdos extitit, & victima, præmisit vtramque orationem, & mentalem in Horto, & vocalem quando Hymno dicto exijt ad Montem Oliueti: Crucis ergo Mysterium premeditari decet sacerdotem ante Missam.

Quarto. Antequam ad Altare accedat, debet sacerdos accipere Missale,& Missam perquirere: Requiritur omnino liber Missalis ad celebrationem Missæ, nec in re tanti momenti fidendum memoriæ, quæ labilis est: An autem hoc cadat sub præcepto, dicemus commodius Tit. sequenti.

Hic Aduertimus, ne super Altare moretur Sacerdos cum tedio ad ſtantium in Missa perquirenda, & ordinandis ijs quæ dicturus est; sed præueniat & omnia in Sacristia disponat, vt hic præscribitur.

Quinto. Lauat manus sacerdos dicens orationem &c. Ad reuerentiam enim tanti Sacramenti, requiritur etiam munditia exterior præsertim manuum, quibus sepè Celebrans contrectare debet purissimum Sacramentum, vnde oppositum valde indecens esset, vt notat Duran. Rationali lib.4 cap. 3. Suar. disp. 82. in fine Proœmij tom. 3, in 3. p.

Sexto. Præparet Calicem: Non potest hoc sacrificium offerri sine Calice, & Patena, ad hoc sacrum ministerium deputatis, sicuti habetur in cap Vasa de Consecr. dist. 2. Neque enim vinum potest, nisi in aliquo Vase consecrari, vt notauit Paschasius lib. de Corpore, & Sanguine Domini cap 20. Vnde vsus Calicis incepit ab ipsa institutione huius sacrificij, & Sacramenti; Si quidem Christus Dominus accipiens Calicem benedixit, deditque Discipulis suis, dicens: Hic est Calix Sanguinis meis &c. Vt constat ex Euangelijs, & ex Apost. 1. Corinth. 11. Patena autem, quæ ad excipiendum Christi Corpus deseruit, non erat ita simpliciter necessaria ad hoc Ministerium, poterat enim, & manibus teneri, & super corporale immediate collocari, vt fit ante fractionem; Nihilominus Ecclesia ab initio vsa est Patena, vt constat ex Gregorio Turonensi in Histor. Martyrum cap.85. Creditur etiam Christus in Catino, seu Patena panem consecrasse, & quidem vt constat ex Euangelio Ioan. In mensa illa erat Catinum, & in eo decentius, & commodius peracta creditur consecratio, vt fragmenta facilius colligi possent: qua ratione Patena vtimur quando fit fractio hostiæ, & merito ab Ecclesia præcipitur eius vsus: ex qua vero materia constare debeant hæc sacra Vasa. In dubijs Conscientiæ dicemus; vbi etiam de eorum Consecratione; & alijs requisitis.

✠ Septimo. Præterea ad vsum sacrificij requiritur etiam Corporale, quod debet esse confectum ex lino tantum, & ab Episcopo benedictum, vt statuitur in cap. consulto de Consecr. dist 1. ex Eusebio Papa, & Syluestro, & hanc esse receptam Ecclesiæ consuetudinem, docuit Beda super Marcum cap.44 & Burchar. lib. 3. cap.98. Appellatur Corporale, quia Sindonem repræsentat, qua Corpus Christi inuolutum fuit, vt norauit Isidor. Pellusiota epist. 123. Vel quia in eo Corpus Domini superponitur, vt notauit Alcuinus lib. de diuinis Officijs cap. de celebr. Missæ, & Duran. lib.4. Rationali cap.29. Amalar. lib. 2. de Eccles. officijs cap. 16. & D. Th.3. par. quæst.83. art. 3. ad 7. & in Opusc. 58. Appellatur etiam Palla sacra in cap. sacratas, dist. 24. Quia est veluti Pallium Christi in Altari; modo tamen Pallæ nomen tribuitur tegumento Calicis, quod parua Palla dicitur, & superponitur Calici, & debet esse eiusdem materiæ, & conditionis cum Corporali, & simul benedicitur cum Corporali, veluti pars eiusdem. Qua propter est aduertendum olim vnicum tantum fuisse Corporale oblongum, super quod CorpusChristi collocabatur, & extrema parte eiusdem cooperiebatur Calix; Progressu vero temporis in duas partes commodius diuisum fuit, quarum altera maior est, & Hostiam, & Calicem in se recepit, atque retinet nomen Corporalis: alia vero pars minor est, quæ simpliciter Palla vocatur, & ea cooperitur Calix; vt constat ex Innoc. lib. 2. de mysterijs Missæ cap. 56. & hic vsus seruari debet, vt colligitur ex verbis huius rubricæ. lege Suar. disp.81. sect. 6. vt autem decentius seruetur, reponitur Corporale plicatum intra bursam, & sic defertur supra Calicem ad Altare.

Octauo. Requiritur in super Purificatorium ad abstergendum Calicem, & digitos sacerdotis post sumptionē sanguinis,& purificationem, dequo Burchar. supra: quod in rigore secundum aliquos benedictione non indiget, oppositum tamen est probabilius, vt in dubijs conscientiæ dicemus.

Tandem adhiberi debet velum, tum ad operimentum, tum ad ornatum Calicis, ex Amalar. Præfat. 2. ad lib. de Ecclesiasticis officis, qualiter autem præparandus sit Calix, & omnia prędicta super illud aptari debeant, satis explicatur in hac Rubrica.

Sen-

Sensus Mysticus Prædictorum.

ORationes dicendæ à Sacerdote in præparationem, quinque psalmis constant: vt quicquid immundum quinque sensuum transgressione commisit, quinque psalmorum oratione detergat; Innocentius 3. de Mysterijs Missæ lib. 1. cap. 47. Adduntur septem orationes eum totidem Versiculis, ad septiformem gratiam spiritus Sancti obtinendam, cordisque munditiam, & munimen; Durandus in rationali lib. 4. cap. 2.

Sacerdos celebraturus manus corporaliter lauat in significationem spiritualis munditiæ quam habere debet, Innocent. 3. supra cap. 46. Suar. disp. 82. in proemio circa finem.

Calix significat sepulchrum Domini, patena vero lapidem sepulchro superpositum, vt ex communi sententia Notat Suar. disp. 81. sec. 7. §. dico primo. Debent esse Argentea, & ex materia pratiosa, vt ex his apprehendant Sacerdotes, quam magni meriti, & virtutis esse debeant: Vnde vt habetur in cap. Vasa de consecrat. dist. 1. Interrogatus Bonifacius Martyr si liceret in Vasculis ligneis sacramenta conficere: Respondit quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus vtebantur; nunc contrario lignei sacerdotes aureis vtuntur.

Corporale representat Syndonem, qua Corpus Christi inuolutum fuit, vt in litera dictum est.

Velum, quo tegitur Calix vel tenebras, quæ factæ sunt in morte Christi significat, ex S. Germano in Theoria; Vel abscondita, & velata esse mysteria huius sacrificij, vnde Calix sanguinis Christi mysterium fidei dicitur ipsis verbis consecrationis.

2 Quibus ita dispositis accedit ad paramenta, quæ non debent esse lacera, aut scissa, sed integra, & decenter munda, ac pulchra, & ab Episcopo item, vel alio facultatem habente benedicta: vbi calceatus pedibus, & indutus vestibus sibi conuenientibus, quarum exterior saltem talum pedis attingat; induit se, si sit Prælatus sæcularis, supra rochettum; si sit Prælatus regularis, vel alius Sacerdos sæcularis, supra superpelliceum, si commodè haberi possit, alioquin sine eo supra vestes communes, dicens ad singula singulas Orationes inferius positas.

PErtinet ad splendorem, & decorem sacratissimi huius ministerij & tremendi sacrificij, vt non celebretur cum vulgaribus vestibus, & communibus, sed pretiosis, & sacris: vt ex ipso exteriori apparatu, & specialibus sacerdotum indumentis indicetur actionem illam non esse communem, & vulgatem, sed omnino sacram, & excelsam, idcirco ab Ecclesia conuenientissime instituta fuerunt paramenta sacra, & peculiares vestes sacerdotum ad vsum tanti sacrificij ab ipso Apostolorum tempore: Nam Anacletus Papa 1. proximus Apostolorum temporibus mentionem de illis facit in Epistola decretali prima cum alijs, quos fusiùs refert Suar. disp. 82. sec. 2. sunt autem sex vestes precipuè pro sacerdotibus sacrificantibus institutę. Videlicet, amictus, Alba: cingulus, Manipulus, stola, & casula, seu Planeta; quæ omnes numerantur in concilio Rhemem. cap. 4. apud Burch. l. 2. cap. 50 & in hac rubrica n. sequenti. Ex quibus omnibus rectè compositis resultat grauis quidam, ac decens ornatus sacerdotis, quæ est prima, et literalis ratio, horum indumentorum. Insuper omnia, et singula; eorum suas habent sacras significationes, tum in ordine ad mores, tum ad passionem Christi Domini, de quibus infra dicemus; His positis breuiter exponenda sunt ea, quæ in hac rubrica monentur, et præscribuntur.

Primo vt paramenta non sint lacera: sed integra, & decenter munda, & pulcra. Ratio patet ex dictis, quia debent esse conuenientia splendori, & maiestati tam sacri ministerij, & ne idem ministerium apud rudes, & imperitos vilescat, qui solent ex his, quæ exterius apparent, res spirituales, & sacras æstimare. An autem hoc monitum cadat sub pręcepto in dubijs conscientiæ explicabimus.

Secundo vestes sacerdotales debent esse benedictæ ab Episcopo vt in hac rubrica præscribitur: quia per benedictionem acquirunt esse sacrum, quo distinguuntur à vestibus profanis: vt constat ex Anacleto Papa Ep. 2. An autem possint ab alijs benedici, infra examinabimus.

Tertio additur, vt Sacerdos sit calceatus pedibus. ratione decentiæ Inquit Suar de Sacramentis disp. 82. sec. 13. Adde etiam, & maie-

maiestatis, quam præseferre debet Sacerdos in actu sacrificandi: Nudis enim pedibus incedere sapit vilem, & seruilem conditionem, vt patet Isaiæ 20: viros autem ingenuos. & præcellentes calceamenta decent: neque hoc vacat mysterio, ex illo Apostoli ad ephes. 6. calceati pedes in præparatione Euangelij pacis, de quo dicemus in sensu mistico.

Quarto debet Sacerdos accedere decenter indutus vestibus vsualibus conuenientibus statui clericali, vel religioso, vt sic sacris vestibus superinduatur, illarum verò exterior talum pedis attingat; lege Baronium anno 305. si enim Sacerdos ratione status Clericalis deber semper incedere in habitu & tonsura; multo magis est necessarium, vt habitum clericalem, & tonsuram deferat, quando exercere debet actum supremi ordinis, nempè sacerdotalis, qualis autem sit Hæc obligatio, dicemus in dubijs sec. 4.

Quinto monetur, vt præter vestē talarem supradictā, sacerdos si sit prelatus secularis habeat rochettum, quilibet alius habeat superpelliceū, & super eum induat se vestibus sacris. Ratio vero est, quia in alijs diuinis officijs vti solent Ecclesiastici, vel superpelliceo, vel rochetto respectiuè. ergo conuenit vt non desit hoc ornamentum sacrificanti: quia sacrificium est supremum omnium diuinorum officiorum, & virtute continet perfectiones illorum; ergo saltem ex decentia prærequirit dispositiones, & ornamenta ad alia diuina officia prærequisita. Patet autem ex illis verbis, si commode haberi possit, hoc esse consilium, & remitti arbitrio sacerdotum, conuenit autem, vt quisquis seruet consuetudinem suæ Ecclesiæ.

Cur autem superpelliceum sic appelletur? Dic quia antiquitus induebatur vestis hæc linea, & candida supra tunicas pelliceas ad indicandam innocentiam supra peccatum Adæ, quem Deus vestiuit tunica pelliecea; Durand. in rationali lib. 3. cap. 1. Vulgò dicitur Cotta, veluti Toga Ecclesiasticorum: Loco autem superpellicei Prelati vtuntur Rochetto, quod est superpelliceum magis speciosum, & ad nobiliorem formam redactum, vt decet eorum dignitatem. De huius verò nominis Ethimologia nihil firmum, & verè solidum dici potest, cum enim nomina sint ad placitum, non semper potest assignari causa impositionis eorum.

Tandem præscribitur in hac rubrica vt Sacerdos dum se induit sacris indumentis dicat ad singula singulas orationes ad hunc finem assignatas in Missali huic actioni conuenientes, vt actio sit loquutioni conformis, & operationem semper comitetur oratio, Iuxta illud Euangelij, Oportet semper orare, Luc 18. & quia cùm ignoremus quid agere debeamus, oculos nostros dirigamus ad Deum, 2. Par. 20. quod maximè obseruat Ecclesia, præsertim in hoc Sacrificio Missę, actiones sacras cum Verbis, & oratione coniungens. De obligatione dicendi has orationes dicemus infra.

3 Ac primum accipiens Amictum circa extremitates & chordulas, osculatur illud in medio, vbi est Crux, & ponit super caput, & mox declinat ad collum, & eo vestium collaria circumtegens, ducit chordulas sub brachijs, & circumducens post dorsum, ante pectus reducit & ligat. Tum Alba induitur, caput submittens, deinde manicam dextram brachio dextro, & sinistram sinistro imponens. Albam ipsam corpori adaptat, eleuat ante, & à lateribus hinc inde, & cingulo per ministrum à tergo sibi porrecto, se cingit. Minister eleuat Albam supra cingulum circum circa, vt honestè dependeat, & tegat vestes; ac eius fimbrias diligenter aptat, vt ad latitudinem digiti, vel circiter supra terram æqualiter fluat. Sacerdos accipit Manipulum, osculatur Crucem in medio, & imponit brachio sinistro. Deinde ambabus manibus accipiens Stolam, simili modo deosculatur, & imponit medium eius collo, ac transuersando eam ante pectus in modum Crucis, ducit partem à sinistro humero pendentem ad dextram, & partem à dextro humero pendentem ad sinistram. Sicque vtramque partem Stolæ extremitatibus cinguli hinc inde ipsi cingulo coniungit.

Expli-

EXplicatur hic exactissimè Ordo, & modus, quibus vti debet sacerdos, dum sacra induit Vestimenta, & circa sensum literalem, quodad decentem compositionem externam pertinet, pauca occurrunt, hic breuiter notanda. Præcipua vero significatio singularium vestium moralis est, seu tropologica, quam opportune hic etiam declarabimus ob connexionem cum orationibus simul dicendis ad singulas, quibus aptissimè ipsa moralis significatio exprimitur.

Primo ergo accipit Amictum, & osculatur illum in medio, dicens Impone Domine &c. Debet autem Amictus habere Crucem acu depictam, seu formatam in medio summitatis, sicut etiam Manipulus, & Stola ad recolendam Domini Passionem, vt videri potest apud Baronium anno 336. Illamque osculatur sacerdos in signum reuerentiæ (ineptè quidam ipso Amictu se signant, quod nullibi in rubricis præscribitur) Et primo super caput illum imponit sacerdos tamquam Christi miles, veluti Galea caput muniens contra diabolicos incursus. Galea verò metaphoricè significat spem salutis ex Apostolo 1. ad Thessal. 5: Sub spe etiam fidem intelligens, quæ est sperandarum substantia rerum, vt exponit Suarez de Sacramentis disp. sæpius citata 82. sect. 2. Per caput etiam significatur Intentio, & Initium bonorum operum, quod maximè Dæmon nititur deturbare, Vt notat Lauretus in sylua alleg verbo caput. Debet ergo sacerdos hoc caput munire fide in Deum, & spe eternæ salutis. Amictu etiam tegitur collum, & super humeros ponitur, vt disponatur sacerdos ad ferendum iugum Christi, vgo Victorinus de sacramentis lib. 2. par. 4. & Suarez loco citato.

Secundo. Induitur Alba, imponens primo manicam dexteram brachio dextero: motus enim magis naturalis est à dextera ad sinistram, Burchar. supra. Item quia creditur manus Christi dextera prius Cruci affixa, ex reuelationibus Sanctę Brigidæ lib. 1. cap. 10 & lib. 4. cap. 70. Quoad moralem significationem: Alba indicat mundiciam cordis, atque adeo totam hominis iustitiam; Ideoque totum corpus tegit, & orat sacerdos de alba me Domine &c. Item pertingit vsque ad talos, in quo significatur perseuerantia vsque in finem, sicuti ex Alcuino, & alijs, notat Suarez citata disp. 82. sect. 2.

Tertio. Se præcingit Cingulo, quo significatur continentia, & castitas, ex D Hyeronimo in psal. 132 Consonat Oratio, Præcinge me Domine Cingulo puritatis &c. Quo circa Innocentius lib. 1. cap. 15. sic ait; Circa lumbos debet accingi, vt restringat concupiscentiam: Iuxta illud Euangelij, sint lumbi vestri præcinti, & explicat etiam D. Gregorius hom. 13. In Euang. Addit Insuper Alcuinus de diuinis officijs cap. de vestibus sacris, per Cingulum quo Alba restringitur ne supra pedes defluat, significari prudentiam, & discretionem, sine qua sæpe ea, quæ videntur esse virtutis transeunt in vitia.

Quarto Sacerdos accipit Manipulum, osculatur Crucem in medio, & imponit brachio sinistro. Antiquitus pro Manipulo vtebantur sacerdotes Mappula linea, qua detergebant pituitam oculorum, & narium, ex Alcuino supra; postmodum mutata fuit in vestem sacram, & in finem altiorem: Ad vsum verò prędictum tergendi pituitam adhibetur sudarium, quod non ex brachio sed è cingulo sub casula pendere debet. Manipulus ergo, qui hoc tempore est vna ex sacris vestibus significat cordis compunctionem, veramque pœnitentiam, vnde orat sacerdos, merear Domine portare Manipulum fletus &c. Sicuti ex Beda, Amalar. & alijs notat Suar. disp. 82. sect. 2. Collocatur autem in brachio sinistro, in sensu quidem literali, vt dextera manus sit expeditior ad sacras functiones: In sensu vero mystico, quia fletus, & dolor propriè congruit vitæ præsenti, in qua sumus peccatis obnoxij, idcirco collocatur in sinistra, qua vita præsens significatur, vt notant DD. citati.

Quinto. Ambabus manibus accipit Stolam, & Collo imponit. In sensu literali Stola est præcipuum sacerdotis ornamentum, & vestis maximè propria, Et veluti Torques sacra imponitur Collo, vt ait Gemma lib. 1. cap. 204. & Durand. in Rationali lib. 3. cap. 5. eamque deosculatur sacerdos vbi est Crux, sicuti supra diximus de Amictu, & Manipulo. Transuersat illam ante pectus per modum Crucis, vt meminerit sacerdos suam torquem, seu pręcipuum ornamentum esse Crucem, quam gestare debet in pectore, & in corde, ex D. Bonauentura in exposit. mysteriorum Missæ, & ex Rabano cap. 19. Prius autem ducit partem à sinistro humero pendentem ad dexteram, vt naturalis ordo seruetur, & vt pars dextera, quæ est dignior, sit supra sinistram. Stola etiam ab antiquis Patribus, et Concilijs orarium appellatur, vt constat ex Conc. Bracar. primo, et tertio, & ex Conc Tolet. quarto vt latina notat Suarez disp 82. sect. 2. Ratio est, quia Stola est etiam habitus Oratorum, seu Prædicatorum. Vnde non conceditur, nisi Præsbiteris, & Diaconis, quibus competit munus prædicandi. Quoad sensum mysticum. Stola significat Iugum legis Euangelicæ, cui ex parte fidelium correspondet obedientia circa legē. Stola insuper vtrumq; significat, videlicet Iugum legis, & obedientiam eius mandatis quibus libenter Colla submitti-

mittimus ; ita Alcuinus supra ; Amalar. lib. 2. cap. 17. Rupertus, Innocentius, & alij apud Suarez loco citato. Vnde in ordinatione sacerdotis cum ei Stola imponitur, dicitur Accipe Iugum Domini. Nec vacat misterio id, quod in nostra rubrica exprimitur, vt ambabus manibus eam accipiat sacerdos, idest summa alacritate, seu perfecta obedientia. Cum ergo per obedientiam restituamur ad statum immortalitatis, quem per inobedientiam primi Parentis amiseramus, orat sacerdos Redde mihi Domine Stolam Immortalitatis &c. Tandem Cingulo colligatur, quia virtutes virtutibus colligantur, Iuo Carnutensis de significat. indumentorum.

4 Si celebrans sit Episcopus, non ducit stolam ante pectus in modum Crucis, sed sinit, hinc inde vtrasque extremitates pendere : & antequam accipiat Stolam accipit paruam Crucem pectoralem, quam osculatur, & collo impositam sinit ante pectus chordulis pendere. Manipulum quoque non accipit ante Stolam nisi in Missis Defunctorum, sed accipit ad Altare, cum in Confessione dicit, Indulgentiam, illumque prius osculatur.

Episcopus non ducit Stolam per modum Crucis ante pectus, quia gestat ante pectus crucem, quam accipit ante Stolam, Innocent. cap. 53 Manipulum quoque non accipit, more aliorum ad flenda peccata: quia ratione dignitatis peculiari modo repræsentat personam Christi, qui fuit immunis à culpis, & quia est in statu perfectionis, & consequenter a grauioribus aliorum culpis alienus. Accipit vero ad Altare, quia pro peccatis populi hostiam debet offerre, sicut Christus non sua, sed aliena peccata pertulit in corpore suo super AramCrucis, lege Duran lib. 4. cap. 7.

5. Postremò Sacerdos accipit Planetam.

Planeta accipitur postremo loco, & superimponitur alijs vestibus sacris, quia est supremum complementum, quo perficitur decens, & grauis ornatus sacerdotis : sicut enim personæ ciuiles, & nobiliores in publicum egressuræ cappam accipiunt superpositam alijs vestibus propter decentiam, & grauitatem; ita sacerdos processurus ad Altare Planetam accipit, quæ est veluti sacra Cappa, ex Isidoro lib. 5. Orig. cap. 12. Dicitur etiam Casula in Ordine Romano, quasi parua casa totum hominem capiens.

Quoad sensum mysticum, Planeta ex omnium sententia Caritatem significat, Alcuinus lib. de diuinis officijs cap. de vestibus sacris, Amalar. lib. 2. cap. 19. Suar. supra, & communiter, quia caritas cunctis virtutibus supereminet, easque protegit, & illustrat. Componitur etiam Planeta ex duplici parte, anteriori, & posteriori, quia duplex est præceptum Caritatis, Dei Videlicet Amor, & proximi; Amalar supra.

Dubium hic occurit, quia hæc significatio non videtur sicut in alijs vestibus conformis orationi, quæ dicitur dum Casula induitur, eaque exprimitur Planeta significari Iugum Christi non vero Caritatem. Respondetur Iugum Christi scilicet legem eius, & Crucem esse Iugum mortificationis, simul & amoris, cui nos metipsos aptamus per obedientiam. & Caritatem; videlicet, qua parte, est Iugum mortificationis, ei Collum submittimus per obedientiam; sicuti Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem &c. Et hac ratione significatur per stolam, vt supra dicebamus; qua vero parte est iugum amoris, suaue, & leue; illud amplectimur per Caritatem, ex qua prouenit suauitas, & dulcedo Crucis, & legis Euangelicæ, vide Suar. supra.

6 Si sit Episcopus, & solemniter celebret, accipit paramenta, & alia vt in Cæremoniali.

Episcopus solemniter celebrans præter vestes, & ornamenta alijs sacerdotibus communia plerisque alijs induitur, vt in ceremoniali Episcoporum, quia ratione dignitatis, & status perfectionis maior illi conuenit ornatus tum exterior in vestibus, tum interior in virtu-

virtutibus; horum autem explicationem in alium locum reseruamus, ne cursum huius instructionis, quam ad priuatos sacerdotes præcipuè dirigimus nimis interrumpamus.

SENSVS MYSTICVS.

Et significatio allegorica Sacrarum Vestium.

Vestes sacerdotales plures habent significationes; sed duas præcipuè. primam in ordine ad mores, de qua iam diximus in littera. Alteram in ordine ad passionem Christi, Vt ex Innocentio, Ruperto, Alcuino, & alijs communiter notat Suar. disp. 82. sec. 2. et hanc breuiter hic explicabimus.

Amictus significat Velamen, quo Iudei faciem Christi operientes dicebant, prophetiza quis est, qui te percussit, DD. citati, et Gabriel lec. 11. in Canonem.

Alba indicat vestem albam, qua Herodes Christum illusit; Gab. supra, & Duran. in Rationali lib. 5. cap. 3.

Cingulum significat flagella, quæ Christi corpus ambierunt; Dur. lib. 3. cap. 4. & alij DD. citati.

Manipulus denotat funes, quibus Christus in Horto ligatus fuit; DD. citati.

Stola vel significat ligaturam ad Columnam, ex Dur. supra vel totam Christi passionem, quam debet sacerdos in pectore, & corde semper ferre, Ex D. Bonau. supra de mysterijs missæ.

Tandem Planeta, seu Casula repræsentat vestem purpuream coram Pilato; ex S. Germano in Theoria.

Præter vestes sacras sacerdos celebraturus debet esse indutus veste talari, seu Clericali, & deferre tonsuram, quæ cum habitu clericali connexionem habet. Hæc autem vestis talaris, quæ tegit omnes partes corporis, mortificationem omnium membrorum designat, quam præsertim Ecclesiastici debent semper deferre, iuxta Apost 2. corint. 4 semper mortificationem Iesu in corporibus vestris circumferentes.

Tonsura, seu corona, vel dignitatem regalem Sacerdotis, vel Coronam Spineam Christi Domini significat, vt fusius dicemus dum de defectibus ministri, p. 3. tit. 6.

Calceatus etiam pedibus debet Sacerdos accedere ad Altare, Iuxta illud Apost. ad Ephes. 6. Calceati pedes in præparatione Euangelij pacis. Et Mysticè denotatur calceis primo vita mortificationis dura, & aspera, ex Nisseno de vita Moyses: Secundo memoria mortis, quia Calcei fiunt ex mortuorum animalium pellibus. Tertio imitatio vestigiorum, & gressuum SS. PP. iam defunctorum, ex D. Anselmo: quibus ab omni terrena læsione defenduntur pedes animæ nostræ, idest affectus vt latius explicat Cornelius à Lapide in prædictum locum Pauli.

DVBIA CONSCIENTIAE

SECTIO I.

De Matutino, & Orationibus Ante Missam dicendis, & de Lauatione manuum.

DVBIVM I.

An Sacerdos teneatur præmittere Diuinum Officium, saltem matutinum, & laudes antequam celebret.

Prima sententia affirmat teneri sub p. m. ita Palud. Gabriel, D. Antonius, Cenedus. 99. Canon q. 3. num. 7. qui citat triginta DD. eiusdem sententiæ defensores.

Fundamentum est tum consuetudo, quam putant habere vim legis: tum connexio inter officium, & Missam: Tum denique hæc tubrica Missalis, in qua id expressè cauetur, addita alia ex rubricis de defectibus tit. 10. n. 1. Vbi numeratur inter defectus, si Sacerdos saltem Matutinum cum laudibus non, dixerit. Admittunt nihilominus DD. prædicti, ex rationabili causa licitum esse celebrare non præmissa recitatione officij.

Secunda sententia negat obligationem grauem, & sub p. m. sed fatetur aliquam obligationem; nempe leuem, & sub peccato veniali. Prima pars probatur argumentis afferendis pro tertia sententia. Secunda probatur fundamentis, primæ sententiæ mitius interpretatis, quia communiter connexio, & subordinatio inter Missam & officium, neque à sacerdotibus intellecta fuit, neque recepta cum tanto rigore, & sub mortali; sed solum sub veniali. Confirmatur, quia maior connexio est inter ipsas horas diuini officij, vt videl. dicatur Matutinum ante primam; quam inter officium & missam, & nihilominus inuersio, absque causa inter partes officij, est quidem culpa, sed venialis. Ergo etiam inuersio inter missam, & officium non excedit culpam venialem.

Posita vero iuxta causa, quę secundum hanc sententiam non ita grauis esse debet, si-

eut in rigore præcedentis opinionis; sed minor sufficit; prorius culpa vacabit celebrare non præmisso matutino, ita valentia tom. 3. disp. 6. q. 2. puncto 10. Fagundez præcept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 17. Sanchez. Opusc. cons. lib. 7. cap. 2. dub. 40. Auersa qu 11. sec. 12. §. Nihilominus; Castro Palao tom. 2. tract. 7. disp. 2 puncto 4. cum alijs, quos citant.

Tertia sententia modo communis, et probabilior absolutè liberat sacerdotes ab hac obligatione, etiam sub veniali per se loquendo, atque docet prioritatem illam inter matutinum, et missam esse opportunitatem quandam congruentiæ, et maioris decentiæ atque adeo esse materiam consilij, non præcepti.

Probatur quia nullibi in iure datur præceptum de hac re; Rubrica vero missalis est directiua, & merè Instructionis, vt fuse probatum est quæstione proemiali sect. 2. puncto 2. & consuetudo vel non inducta est animo obligandi; vel potius est in oppositum: plures enim sine scrupulo celebrant ante matutinum recitatum, ita Suar. to. 3. in 3. p. disp. 82. sect. 1. Vasq. in Opusc. tract. de benef. cap. 4. Tambur. de sacrificio lib. 1 cap 7. § 2. cum alijs citatis quæstione proemiali supra, & alijs plures apud Auersam supra, & apud Dianam 2 par. trac. de celebrat. Missarum res. 36. Et quamuis nonnulli dicant id excusari à mortali, & nihil dicant de veniali. Rationes tamen quas adducunt probant etiam excusationem à veniali.

Dixi autem per se loquendo, quia aliunde potest hic contingere culpa venialis ob nimiam dilationem matutini contra præceptum recitandi præces canonicas statutis temporibus. Cęterum hoc peccatum idem erit, siue celebretur ante persolutum matutinum, siue non celebretur, spectat autem hæc quæstio ad tractatum de Horis Canonicis. Breuiter solum adnotandum est: Probabile esse Matutinum, & omnes Horas Minores priuatim dici posse ante meridiem quauis hora absque peccato veniali, Vesperas, & Completorium à meridie vsque ad mediam noctem sine vllo peccato.

Ad fundamentum primæ sententiæ patet ex dictis, Consuetudinem in casu nostro (etiam si detur) non esse obligationis, sed maioris deuotionis: similiter connexio est congruentiæ, non necessitatis; & tandem Rubrica est directiua, non præceptiua. Item Rubricæ de defectibus sunt regulę doctrinales, & in hoc proponitur regula secundum primam sententiam, non inde tamen derogatur nostræ sententię, nec maiori probabilitati eiusdem.

DVBIVM II.

An Saltem ante Missam solemnem præmitti debeat sub p. m. aliqua pars Diuini Officij in Choro.

RESpondeo, & dico primo. Ratione scandali quod facilè potest contingere, si in Missa solemni, & publica non seruetur ordo præscriptus in Rubricis, facile potest etiam contingere p. m. in inuersione ordinis inter Missam solemnem, & horas canonicas in Choro; Patet, quia obligatio vitandi scandali grauis est, & sub p. m. Hæc conclusio est certa apud omnes DD. supra citatos.

Dico secundo per se loquendo, & secluso scandalo, ordo prædictus videlicet, vt Missa solemnis dicatur post Matutinum, & primam vel post Tertiam &c non cadit sub præcepto, sed est consilij, & instructionis: quia vt probauimus, prima parte tit. 15. dub 8 Rubricæ in hoc sunt directiuæ, non præceptiuæ. Hæc Conclusio à fortiori est contra DD. relatos dub. præcedenti pro prima sententia, quibus fauet etiam Suar. disp. 72. sect. 1. sed est iuxta mentem DD. quos ibidem citauimus pro tertia sententia.

DVBIVM III.

An Matutinum ad Missam prærequisitum licitè dicatur die præcedenti, Et qua hora dici possit.

RESpondeo, & dico primo Matutinum cum Laudibus præsentis diei posse licitè recitari Vesperæ præcedentis diei ad satisfaciendum tum obligationi Diuini Officij secundum se, tum obligationi recitandi illud ante Missam, posita ea obligatione. Probatur ex communi consuetudine, & praxi ab Ecclesia approbata, tum ad maiorem commoditatem recitantium, & vt eo deuotius officium persoluant, & orent, quo maius temporis spatium conceditur ad hoc onus implendum; tum quia solemnitas diei sequentis incipit a Vesperis diei præcedentis. Hinc vsu receptum est, vt Completis Vesperis, & completorio præsentis diei possint inchoari præces nocturnæ diei sequentis, ita D. Th. quod lib 5. art 28. Suar. de horis cap. 27. Lessius lib 2. cap. 37. num. 79. Layman libro 4. tract. 1. cap. 3. n. 7. & communiter Hæc autem Consuetudo cum solum sit introducta quoad præces nocturnas, seu matutinum cum laudibus, non vero quo ad alias præces diurnas constat recitationi Primæ, & aliarum horarum,

non

non ſatisfieri ante mediam noctem; DD. citati.

An autem ad hoc deſideretur iuſta cauſa ſic præueniendi; plures affirmant requiri iuſtam cauſam ad vitandum peccatũ veniale, quos citat Bonacina de horis Canonicis diſp. 1. quæſt. 3. pun. 3. Quia Horæ Canonicæ recitari debent ſtatutis temporibus, quare notabiliter præuenientes, vel poſtponentes, quamuis ſatisfaciat præcepto, quoad ſubſtantiam; peccant tamen venialiter, quoad circumſtantiam; & licet Eccleſia permittat horarum præuentionem, vt ſatisfiat præcepto, Nihilominus non cenſetur diſpenſare quoad circumſtantiam, niſi ex iuſta cauſa: & certe videtur notabilis illa præuentio à Veſperis diei præcedentis. Cæterum probabilius eſt, non requiri aliam cauſam, & recitari ſic poſſe matutinum cum laudibus abſque peccato veniali; quia illud eſt tempus congruum legitima conſuetudine introductum, & melius eſt præces matutinas recitare declinante die ad noctem ſequentem, quam illas differre propria die ad meridiem, atque ita conſuetudo, & praxis hanc obligationem interpetratur, vt videri poteſt apud Dianam par. 10. tract. 16. reſolut. 46. vbi plures affert DD. in fauorem huius ſententiæ.

Dico ſecundo quoad horam præciſè, qua inchoari poteſt matutinum diei ſequentis, Regula communis eſt, vt poſſit inchoari perſolutis communiter in Eccleſijs Veſperis, & Completorio; quia tunc cenſetur incipere quoad hunc effectum dies ſequens, ita D. Th. & alij citati, & plures adducit Bonacina ſupra.

Ad tollendam verò perplexitatem, quæ oriri poſſet ex varietate temporum, qua in diuerſis Eccleſijs eiuſdem Ciuitatis recitantur Veſperæ, & completorium, videtur aptior Regula, quam nonnulli tradunt, poſſe recitari matutinum ſequentis diei tribus horis poſt meridiem, ita Azorius lib. 10. cap. 9. q. 5. Henriq. Barboſa, Gauantus, quos citat Diana p. 2. tract. de horis Canonicis reſol. 39. Vnde infert Bonac. ſupra, matutinum poſſe aliquando recitari hora vigeſima, aliquando hora vigeſima prima, aliquando vigeſima ſecunda pro ratione temporum, ſeu longitudinis, & breuitatis diei; conſonat Diana ſupra.

Plus addunt Alij ſatisfieri præcepto ita vt non peccet quis mortaliter recitando matutinum cum laudibus poſt duas horas a meridie. Ita Sanchez in opuſc. tom. 2. lib. 7. cap. 2 dub. 37. num. 4. dicens ita etiam tenere aliquos recentiores magiſtros, & dicit probabile Diana p. 4. tract. 4. reſol. 9. citans Ledeſmam, & p. 7. tract. 11. reſol. 12. fine. & p. 10. tract. 16. reſ. 46. quod videtur admitti poſſe in Hyemo, quando hora ſecunda poſt meridiem coincidit cum hora vigeſima prima horologij artificialis, vel ſolaris, non vero in Eſtate.

Colligitur primo non ſatisfieri prædictæ obligationi ſi recitetur matutinum ante terminos prædictos deſignatos iuxta varias opiniones probabiles, ſicut non ſatisfit obligationi recitandi alias horas diurnas ante mediam noctem eiuſdem diei; DD. citati.

Colligitur ſecundo poſſe recitari laudes, vel ſimul cum matutino, quia laudes cum matutino ex communiori ſententia, vnicam horam componunt ex 7. canonicis: poſſe item ſeiungi a matutino, & ſeruari in diem ſequentem; quia probabile eſt eſſe horam diſtinctam à matutino; vel eſto ſit pars matutini, habet diſtinctum principium, & antiquitus diſtinctis temporibus recitabantur, ita Leſſius ſupra, & Bonacina loco citato num. 11. Vbi plures alios citat.

An autem quando Matutinum ſeparatim à laudibus recitatur, in fine dici debeat oratio, ſeu collecta, vt fit in nocte natiuitatis Domini in qua abſoluto matutino celebratur Miſſa, dilatis poſt Miſſam laudibus; plures affirmant qui videri poſſunt apud Dianam p. 4. tract. 14 reſol. 48. Alij negant hoc cadere ſub præcepto quamuis laudabiliter fiat, quia nullibi hoc præcipitur, & in rubricis ſolum hoc præſcribitur in nocte Natiuitatis, non autem vniuerſaliter, Ita Sanchez ſupra dub. 20. Bonacina loco citato n. 14. cum alijs, quos citat. Vtrumque probabile eſt.

DVBIVM IV.

De alis Præcibus ante Miſſam An cadant ſub Præcepto.

QVeſtio eſt de quinque pſalmis cum ſuis orationibus, quæ initio Miſſalis habentur, & præſcribuntur in hac rubrica dicendæ ante Miſſam.

Reſpondeo optimum eſſe conſilium eas recitare quoties fieri poteſt, non tamen cadere ſub præcepto, nec vllam eſſe culpam eas omittere. Probatur, quia id remittitur arbitrio ſacerdotis ipſis verbis rubricæ, videlicet pro temporis oportunitate dicat, & docent communiter DD. Caſtro Palao tom. 2. tract. 7. diſp. 2. pun 4. n. 6. Suar. to. 3 p. 10 diſp. 82. in proemio, Caſtaldus in praxi lib. 2. ſect. 7. cap. 1. Gauantus in hanc rubricam; & communiter conſulerem, vt quando non poteſt ſacerdos omnes has præces recitare, ſaltem omiſſis pſalmis dicat orationes ad inuocandum auxilium Spiritus ſancti.

Colligitur primo huiuſmodi præces ab Eccle-

clesia propositas in præparationem ad Missam, præferendas esse omnibus alijs, quæ à priuatis auctoribus proponuntur, semper enim melius est sequi consilium Sanctæ Matris Ecclesiæ, quam certum est Spiritu sancto regi, quam aliorum, vt egregiè explicat D. Io: Baptista Caracciolus Cler. Reg. in peculiari libello de modo, quo sacerdos se præparare debet ad Missam, qui etiam plura ædedit volumina valde vtilia ad spiritualem profectum animarum.

Colligitur secundo multo minus cadere sub præcepto Ecclesiastico orationem mentalem, quæ solum consulitur in hac eadem rubrica illis verbis, Orationi aliquantulum vacet, quia Ecclesia non præcepit actus mere internos, Suar. supra cum alijs.

DVBIVM V.

An lotio manuum ante Missam sit de Præcepto.

Respondeo, & dico primo ex vi præcisa iuris Ecclesiastici non esse præcepta, quare si celebraturus mundas habet manus, non peccat, si eas non lauet immediate ante Missam. Probatur, quia Rubricæ de his quæ pertinent ad præparationem sunt directiuæ, & meræ instructionis, vt supra dicebamus cum Suar. qui disp. 82. citata in fine proœmij asserit lauationem prædictam non esse materiam præcepti, requiri tamen munditiam corporalem, quantum recta ratio dictat; subscribit Tamburrin. Opusc. de sacrificio lib. 1. cap. 7 §. 7. Martinus de S. Ioseph, & alij apud Dianam par 10. tract. 12. resol. 19. Itaque videndum quid Ius naturale, & recta ratio dictet.

Dico secundo ex vi iuris naturalis, quod dictat hoc Sacramentum summa reuerentia esse tractandum, peccat sacerdos celebrans manus habens immundas, & sordidas, vel mortaliter si sordes sit notabilis, vel venialiter si sit modica, & leuis.

Probatur, quia cum sacerdos debeat suis manibus immediate tangere, & contrectare Santissimum Sacramentum; sine dubio contra reuerentiam eiusdem sacramenti est, tunc manus habere immundas, & sordidas. Vnde Chrs. hom. 60. ad Populum Antiochenum, quo solari radio non puriorem oportet esse manum carnem hanc diuidentem, ergo si immunditia sit notabilis, irreuerentia pariter erit grauis, & mortale peccatum, econtra veniale si notabilis non sit sordes, nec consequenter irreuerentia grauis.

Confirmatur, quia vt dicemus sectione sequenti, si adhibeatur in Missa corporale notabiliter immundum graue peccatum committitur contra reuerentiam Sacramenti, quod immediate collocari debet super eo, ergo idem dicendum de manibus sacerdotis ob eandem rationem: communiter autem omissio lotionis non excedit culpam venialem. Ita DD. citati, & alij apud Dianam supra.

DVBIVM VI.

An, & quale peccatum sit permittere, vt in Sacristia fiant confabulationes, et Clamores eo tempore, quo celebraturi preparari debent ad Missam.

Certum est esse abusum correctione dignum eo tempore quo in Sacristia sacerdotes celebraturi debent orationi vacare ad præmittendam congruam præparationem ante Missam, vel ad agendas gratias post eam, ibidem confabulare, & colloqui præsertim alta voce, & obstrepere, vnde piorum deuotio impeditur, & minuitur Dei cultus, ac reuerentia debita loco sacro: quare pertinet ad officium eius, qui Sacristiæ præficitur, & Rectori Ecclesiæ obuiare huiusmodi abusui, & curare, vt eo tempore, in Sacristia silentium seruetur, vt monet Castaldus Praxi libro 1. sect. 2. cap. 1. num. 20. Difficultas est an grauiter peccet Sacristiæ Præfectus, vel superior ad quem pertinet, si negligat talem abusum tollere, vel confabulantes corrigere. Aliqui simpliciter affirmant, quia id cædit in graue detrimentum diuini cultus, & Ecclesiasticæ disciplinæ, ita Niger addit. ad Ruiz par. 2. Reg. 5. quæst. 4. citans Petrinum, & alios.

Hæc tamen sententia sic vniuersaliter prolata, videtur nimis rigida, secundum quam plures sacristæ essent in statu damnationis.

Respondeo, & dico primo non videtur graue peccatum permittere colloquia, & confabulationes prædictas in Sac. Cler. secularium. Probatur quia Clerici prædicti communiter non sectantur sublimioris vitæ institutum, vt ad perfectiores regulas silentij, & alias huiusmodi obligari facile possint, nec ex earum violatione censetur apud eos eneruari Ecclesiastica disciplina: ergo non peccant grauiter superiores in casu nostro eum abusum permittentes.

Dico secundo: In Sacristijs Regularium strictioris obseruantiæ huiusmodi abusum permittere videtur graue peccatum.

Probatur, quia inde sequitur graue damnum communitati, videlicet relaxatio disciplinæ Ecclesiasticæ, & regularis obseruantiæ, cultusque diuini, cui damno si notabile sit tenentur superiores, ad quos pertinet obuiare.

confir-

Confirmatur quia ex communi DD. sententia superiores regulares tenentur quandoque sub p. m. corrigere peccata venialia subditorum, quando alias regularis obseruantia notabiliter minueretur. Vt videri potest apud Dianam par. 3. tract. 2. resol. 38. Ergo idem a pari dicendum in casu nostro.

SECTIO II.

De Calice, & Patena:

DVBIVM I.

Ex qua materia confici debeant Calix, & Patena.

RESpondeo Calicem, & Patenam necessario fieri, & esse debere ex auro, vel argento, vel saltem ex stanno. Probatur ex cap. vasa, & cap. vt Calix de Consecr. dist. 1. Vbi id expresse cauetur graui precepto, & generaliter omnis alia materia prohibetur. Ratio autem fuit maior decentia, & reuerentia Sacramenti; quia si fierent ex ęre, vel orichalcho, rubiginem ex vino contraherent, & ad vomitum prouocarent. Vitrum prohibetur, quia fragile; lignum, & lapis, quia porosa, & species consecratas ebiberent, quæ omnia sunt contra decentiam, & reuerentiam tanto Sacramento debitam, & idcirco cessante tyrannide, & oppressione Ecclesiæ mutatus fuit Vsus antiquus; D. Th. 3. p. quęst. 83. art. 3. ad 6. quem sequuntur communiter DD. infra citandi.

Colligitur primo simpliciter, & absolutè loquendo, Calicem, & patenam debere esse ex auro, vel argento, vt hic etiam exprimitur in rubrica. Calicem vero stanneum non permitti, nisi ratione paupertatis, vt expressè habetur in cap. vt. Calix citato. Vnde cauere debent Episcopi, ne extra prædictum casum paupertatis conficere, vel permittant alios Calices, quam ex auro, vel argento. Vide Cardinalem de lugo disp. 20. de Euchar. num. 90.

Colligitur secundo ratione paupertatis solum Stannum permitti non vero plumbum, contra nonnullos; qui existimarunt plumbum esse eiusdem rationis cum stanno; sed immerito, quia re vera plumbum est quid diuersum præsertim in ordine ad finem, de quo loquimur, quia vigore vini parit etiam erugiinem, sicut æs, aut cuprum, & prouocat vomitum, quod non ita contingit in Stanno: ergo plumbum censendum potius est omnino prohibitum cum ære, quam permissum cum stanno. Ita Syluester Verbo Calix. Suar. disp. 81 sec. 7. Layman lib. 5. tract. 5. cap. 6. Reginaldus lib. 29. num. 198. & communiter.

Colligitur 3. quando Calix conficitur ex argento partem interiorem Cuppæ debere esse inauratam, vt expressè habetur in hac rubrica, & similiter Patenam argenteam ex e a parte concaua, qua receptura est hostiam, debere esse inauratam, quod à fortiori intelligendum est si prædicta sint ex Stanno; An autem hæc obligatio sit grauis, & sub peccato mortal, plerique negant; sed hoc videri introductum ad maiorem decentiam: quod est valde probabile de Calice, & patena confectis ex argento, non autem si essent ex materia viliori ex dicendis in sequenti corollario. Ita Granado in 3. p. tract. 14. de Euchar. disp. 12. n. 3. Cardinal de Lugo loco supra citato. Auers. de sacrificio q. 11. sec. 13 quando autem ratione paupertatis Permittitur Calix ex Stanno, & paupertas tanta est, vt non suppetant vires ad eum inaurandum, (& idem semper intelligitur de Patena) permitti etiam id poterit, quia necessitas excusat.

Colligitur quarto esse peccatum mortale adhibere in sacrificio calices, ex ære, vel aurichalco etc. contra prohibitionem cap. citati vt Calix; quod communiter intelligunt etiam si essent inaurati quia præter aurum, argentum, & stannum, aliæ materiæ sunt absolutæ prohibitæ, Cæterum non videtur improbabile, id excusari posse, saltem a mortali, quando diligenter sunt inaurati, & limpidi, quia inauratio tollit periculum æruginis, ac subinde vomitus, et ideo cassante fine prohibitionis, cessat prohibitio in tali casu. Ita Cardinalis de Lugo, et Auersa locis supra citatis, et Fagundez præcepto 1. lib. 3. cap. 21. n. 10. et sub hac limitatione potest à fortiori admitti id, quod docet Suar. supra posse Calicem fine peccato fieri ex Stanno, etiam extra casum paupertatis, nam si interius sit inauratus tollitur indecentia.

Colligitur quinto ad satisfaciendum præcepto sufficere si cuppa Calicis, quæ continet Christi sanguinem sit ex auro, vel argento, vel stanno, quare nullum erit peccatum, si pars inferior, seu pes Calicis fiat ex alia materia viliori ex ære, orichalco &c. & quia rationes adductæ solū vrgent in Cuppā, & suffragatur etiam Praxis, ita Suarez Layman, Reginaldus supra. Coninch. quæst. 83. num. 244. & communiter;

DVBIVM II.

De Forma, seu Consecratione Calicis, & Patenæ.

Dvplex forma considerari potest in his sacris vasis. Phisica, & moralis. Forma Phisica consistit in figura artificiali, qua Calix componitur ex Cuppa, & Pede, vt possit comodè vinum continere, & secure collocari in Altari, absque periculo euersionis. Patena verò solet esse figuræ orbicularis, & aliquantisper in medio concaua ad excipiendam hostiam, de quibus nihil reperitur expressè definitum, & scriptum; quare solum dicendum, seruandam omninò esse Ecclesiæ consuetudinem. Alia est forma Moralis, quæ etiam Spiritualis hic dici potest, & consistit in consecratione, qua distinguuntur vasa sacra ab alijs prophanis, & proximè redduntur apta ad vsum Sacrificij, & de hac agendum est in hoc, & sequentibus dubijs. Et primo. An consecratio sit necessaria, & a quo fieri debeat.

Respondeo, & dico primo. Requiri necessariò præuiam consecrationem, Tum Calicis, Tum Patenæ, vt sint vasa apta ad vsum Sacrificij, nec sine p. m. adhiberi ea posse in Missa absque consecratione vt constat ex eap finali de' celebratione Missarum, & docent omnes infra citandi.

Dico secundo. Hæc consecratio iure communi pertinet ad solum Episcopum; Probatur, quia fieri debet per Vnctionem Chrismatis. Vt habetur in Pontificali, & refertur in cap. Vnico de Sacra Vnctione §. fin. quæ propriè spectat ad Episcopum, vt supra etiam dicebamus de Consecratione Altaris; ita Iuristæ in cap. Abbates de Priuilegijs in 6. Sylu. Verbo Calix num. 2. Suar. disp 81. sec. 7. Henriq. lib 9 cap 28. Reginaldus lib. 29. num. 198. Fagundez præcep. 1. lib. 3. cap. 21 num. 14. & communiter.

Quidam hanc potestatem extendunt ad Abbates, qui Pontificalibus vtuntur, saltem ex consuetudine, vel Priuilegio Summi Pontificis, Armilla Verbo Calix num. 4. Azorius. tom. 1. lib 10. cap. 28 q. 2. Layman lib. 5. trac. 5 cap 6. de qua re consulenda est Praxis. Certum est autem non posse Episcopum talem Consecrationem simplici Sacerdoti committere; sed solum Papam, qui Abbatibus regularibus, & Prælatis aliqua priuilegia concessit, de quibus videri potest Miranda tom 2. q. 40. & Hyeronimus Rodriquez ref. 1. num 7.

DVBIVM III.

Vtrum si quis celebret in Calice, & Patena non consecratis, Hoc ipso maneant Consecrata.

Prima sententia affirmat. Probatur primo; quia Ecclesia polluta non eget alia reconciliatione, si quis in ea celebrauerit: ergò à pari, si quis celebret in Calice, & Patena non consecraris, ea non indigent alia consecratione, vel benedictione.

Probatur secundo à Priori, quia maiorem Vim habet sanctificandi prædicta vasa contactus corporis, & Sanguinis Christi, quàm Vnctio Chrismatis, & benedictio Episcopalis: Ergò vasa non consecrata post celebrationem, & contactum specierum consecratarum verè manent sanctificata, & sacra, consequenter non indigent alia consecratione Ita Trimarchus, Peyrinus, & alij, quos citat, & sequitur Niger in addit. ad Ruiz par. 6. animad 8 n. 4. Cælestinus in Compend. Theolog. tract. 8. cap. 5. q. 9. Diana p. 2. tract. 14. ref. 69. & p. 5. tract. 13. ref. 60

Ex qua sententia colligunt prædicti Auctores proportionaliter idem esse dicendum de corporalibus, mappis, & vestibus Sacerdotalibus nondum benedictis, Videlicet si quis cum illis celebrauerit, ea non indigere alia benedictione. Vide DD citatos.

Colligunt secundo aliqui idem etiam esse dicendum siuè bona, siue mala fide quis celebret in vasis non benedictis, quia militat eadem ratio contactus. Ita Sà verbo Eccles. num. 19. Tambur. opusc. de sacrificio lib. 1. cap. 1 §. 4. n. 2. quamuis alij negent in casu malæ fidei.

Secunda sententia probabilior negat. Probatur; ea quæ pendent ex institutione Ecclesiæ non possunt suppleri alio ritu diuerso ab eo, quem Ecclesia designat, & determinat: quia Ecclesia alligauit talem effectum huic causæ, et non alteri; sed consecratio, qua vasa Altaris redduntur apta ad sacrificium fuit instituta ab Ecclesia sub certis, et determinatis ritibus, et verbis per determinatas personas adhibendis: ergo non adhibito tali ritu, et tali forma verborum per idoneam personam numquam remanent Vasa consecrata, id est Calix, et Patena, idemque dicendum proportionaliter de corporali, et mappis, deque Vestibus sacerdotalibus; quæ verè non sunt benedictæ, nisi per benedictionem in cum finem ab Ecclesia Institutam.

Probatur secundo à posteriori, nam alias possent gratis fingi alij casus, et tribui sacramen-

mento Eucharistiæ tanquam omnium dignissimo omnes effectus aliorum sacramentorum, nedum sacramentalium, quod est falsissimum E.g. posset quis dicere communicantes, & recipientes intra se Corpus Christi acquirere quoddam esse sacrum, & gaudere priuilegio fori, & Canonis; quia si Ecclesia tale priuilegium concessit insignitis sacramento ordinis, vel etiam prima tonsura, cur non debet concedi recipientibus Sacramentum Eucharistiæ? Item si extra Missam quis poneret intra Calicem non consecratum particulam consecratam, eum manere consecratum, & sic Pixidem posse licitè adhiberi pro Calice: quæ omnia sunt falsa, & ridicula. Ergo nec est admittenda prima sententia, ex qua hæc absurda in ferri possunt. Ita Cardinalis de Lugo de Eucharistia disp 20, num.91. Fagundez Præcep. 1 libro 3. cap.21. num 15. Suar, disp 81. sect.7. §. Alia autem forma. Aucta supra, & à fortiori tenent DD. asserentes Ecclesiam pollutam non reconciliari celebratione Missæ, vt Sairo, Portel. Layman, & alij plures, de qua quæstione suo loco dicemus 3.par. tit. 10.

Ad Opposita Respondetur ad primum quicquid sit de antecedente negatur consequentia, Imo potest retorqueri argumentum, quia nullus asserit Templa nondum consecrata per Missas in eis dictas consecrari; alioquin omnia Oratoria manerent conserrata, postquam in eis celebratum est: ergo nec id est asserendum de Calice; Plus enim requiritur ad consecrationem inducendam in materiam profanam, quàm ad purgandam materiam semel iam consecratam.

Ad secundum negatur simpliciter antecedens, quamuis enim Sacramentum Eucharistiæ sit dignissimum, non habet tamen alios effectus quamquos ipse Christus illi attribuit suo fini proportionatos; Vnde non habet effectus aliorum sacramentorum, nec sacramentalium, quæ ex libera institutione Ecclesiæ dependent. Certè Candelæ, Palmæ, & alia huiusmodi ex eo quod ponantur super Altare tempore sacrificij non remanent benedictæ; sed opus est benedictione ab Ecclesia præscripta.

DVBIVM IV.

An in casu necessitatis licitum sit celebrare in Calice non consecrato.

RESpondeo, & dico primo extra casum necessitatis extremæ non esse licitum, quia est Ritus valde grauis, vt patet à fortiori ex dictis de Altari consecrato 1.par. tit. 10. dub 5. Dico secundo ad vitandã mortem non contaminatam in odium fidei, sed ob alium finem in differentem excusari posse celebrantem in Calice non consecrato, vt in simili diximus de altari dub. 5. citato. Vide ibi dicta.

DVBIVM V.

Qualiter Vasa sacra consecrationem deperdant.

RESpondeo certum est consecrationem tum Calicis, tum Patenæ, amitti si eadem Vasa notabiliter frangantur, ita vt inepta maneant suo ministerio: sicut de Altari, & alijs rebus consecratis censent communiter DD. Ratio est; quia destructo subiecto, necesse est vt pereat forma illi inherens; sed perit subiectum consecrationis in casu nostro, quod secundum præsentem Ecclesiæ institutionem, non potest esse nisi Vas aptum sacro ministerio. Ergo &c.

Prima Difficultas est, vtrum amittatur consecratio Calicis, & Patenæ, amissa per vsum inauratione, si ante consecrationem erant deaurata.

Aliqui censent amitti præsertim si tota inauratio simul tollatur: quia tollitur subiectum immediatum consecrationis, siquidem vnctio solum attingit extremam illam superficiem, quæ consistit in auro superposito; Ita Paludanus in 4. dist. 13. quæst. 2.

Cæterum absolute dicendum est, non amitti consecrationem ex hoc præciso capite. Ratio est, quia id, quod consecratur est totus Calix simpliciter, & similiter Patena: Ergo ex eo quod atterantur externæ partes, nõ amittitur consecratio aliarum, si aliunde Calix sit aptus ad vsum sacrificij: Nec obstat, quod Vnctio phisice attingat extremam solum superficiem, quia Nihilominus moraliter totus Calix censetur vnctus, & consecratus: ita Syluester, Tabiena, Angelus. & alij Summistæ Verbo Calix Suar disp.81. sect 7. Layman lib. 5. tract. 5. cap. 6. Coninch. quæst. 83. numero 245 & communiter.

Secnuda Difficultas. An quando prædicta Vasa consecrantur deaurata, & vsu aurum tollitur, atque iterum deaurantur, An inquamper nouam deaurationem amittant consecrationem, & indigeant noua consecratione

Respondeo probabilius esse, in hoc casu amitti consecrationem, & iterum consecrari debere. Ratio est, quia horum Vasorum consecratio præcipuè fit ob contactum Corporis, & sanguinis Christi. Ergo illa superficies debet præcipuè esse consecrata, in qua fit contactus sanguinis; sed non est consecrata in casu posito, quia id quod additur constituit superficiem,

in qua fit contactus, & nullo modo est consecratum; quia tempore consecrationis non adetat. Ergo opus est noua consecratione.

Dicetis id quod additur manere consecratum, quia adiungitur Calici consecrato: sicut si Templo consecrato addatur parua aliqua pars hæc manet consecrata, quia maior pars trahit ad se minorem. Respondetur negando paritatem, quia principale in hac materia non æstimari debet ex materiæ quantitate; sed ex vsu rei consecratæ: Consequenter principale debet in præsenti censeri, quod institutur ad continendum proximè sanguinem Christi; id autem quod proximè continet, & tangit sanguinem est superficies extrema, quæ resultat ex deauratione. Ergo si hæc non est consecrata; simpliciter Calix censeri debet non consecratus; quia pars principalis trahit ad se minus principalem. Secus est quando per vsum tollitur inauratio; quia tunc nihil super additur prophanum: vnde non est cur Calix execretur.

Non desunt tamen oppositum sentientes, Videlicet non amitti consecrationem per nouam deaurationem, vt videri potest apud Dianam p. 2. trac. 1. Miscell resol. 3 Vnde in casu necessitatis posset quis hanc opinionem sequi; simpliciter tamen id non consulerem; quia nostra opinio cõmunis est, & seruatur communiter in praxi, & eam defendunt sylu; Angelus, Armilla verbo Calix Suar disp. 81. sec. 7. Bonacina de Euchar disp. 4. quæst vltima punc. 9. Molfesius sum. tom. 1. tract. 4 cap. 12. n. 53. qui plures alios citant.

Tertia Difficultas. An Calix amittat consecrationem per separationem Cuppæ à pede eiusdem Calicis.

Aliqui simpliciter affirmant, quia amittitur forma, seu figura Calicis, & moraliter facta separatione non est vas aptum ad Sacrificium. Alij contra negant; quia consecratio videtur cadere in solam Cuppam. Neutra tamen sententia placet, nec videtur absolutè vera.

Respondeo ergò distinguendo: primo si fiat separatio per fractionem amittitur consecratio: quia amittitur simpliciter forma artificialis, seu figura; & moraliter vas illud non est aptum ad Sacrificium, sed indiget noua iunctura, & noua forma consequenter noua consecratione.

Secundo. Si fiat separatio sine fractione, quia scilicet calix tornatilis est, tunc non amittitur consecratio: quia simpliciter non amittitur forma artificialis, & figura, nec opus est noua iunctura, vel artificio: sicut vestis plicata, & explicata eadem est.

Confirmatur, quia si Alba E.G. non habeat manicas fixas, sed amouibiles, quæ globulis, vel funiculis coniungi possint, vel planeta simili modo connecteretur quoad partem anteriorem cum posteriori, & separari posset absque fractione, & scissura; certè per separationem non amitteret benedictionem. Ergo pariter in casu nostro, Ita Armilla, & Sà verbo calix, Suar. Bonacina supra, Layman lib. 5. tract. 5. cap. 6. n. 6. Cardinalis de Lugo de Euchar. disp. 20. num. 93. Auersa de Euchar. q. 11. sec. 13., & alij communiter.

Quarta difficultas. An Calix amittat consecrationem per aliquos ictus inflictos à Fabro vel alio.

Respondeo negatiuè, modo non immutetur forma, & oppositum caret omni fundamento. Ita Armilla Verbo Calix. Bartholomeus ab Angelo, & alij, quos citant, & sequuntur Bonacina de Euchar. disp. 4. quæstione vltima puncto 9. num. 19. Auersa de sacrificio quæst. 11. sect. 13.

DVBIVM VI.

An sacra Vasa Possint ab alijs tangi quam à sacris ministris.

PRæmittendum est res omnes sacras, & Benedictas hoc ipso, quod destinantur ad cultum Dei, & sanctorum esse aliqua Veneratione dignas, & honorifice tractari debere ob specialem ordinem, & relationem, quam habent ad Deum, quatenus est auctor Sanctitatis, & summa veneratione dignus, & eo honorificentius tractari debent, quo sanctiori ritu consecrantur, & proximius ordinantur ad seruitium sacrificij, & sacratissimæ Eucharistiæ; & præcipuè ad contactum specierum consecratarum Vnde naturali iure prohibitum est quidquid cedere potest in iniuriam, & irreuerentiam talium rerum. Insuper iure Ecclesiastico nonnulla prohibentur circa huiusmodi res sacras ob maiorem earum venerationem, præsertim ne à laicis, & maxime à fœminis tangantur sacra Vasa, Altaria seu lapides consecrati, Corporalia, & similia, quæ consecrata sunt vnctione Chrismatis, vt constat de Consect. dist. 1. cap. in sancta, & cap. vestimenta, & dist. 23. cap. 26. 27. 29. 31. & sequentibus, de quibus latè Suar tom. 3 in 3. p. disp. 81. sec. 8. His positis:

Certum est 1 esse peccatum mortale ex genere suo vti rebus sacris ad vsus communes seu profanos, vt si quis vteretur Calice consecrato in communi mensa, vel corporali vt communi linteolo, aut sacra veste ad ludum, & prophanam repræsentationem: quia hoc præ-

præfefert contemptum rerum facrarum, Vnde Iure ipfo naturali prohibitum eft, & prohibetur etiam iure Ecclefiaftico in cap. citatis, vt cum Soto, & alijs communiter docet Suar. citata difputat. 81. fectione 8. §. quarto addendum.

Certum eft fecundo quando vafa facra continent Corpus, aut fanguinem Chrifti Domini; ea non poffe contingi nifi à Sacerdote, vel ad fummum à Diacono, vt patet ex cap. non oportet primo dift. 23. de Confecr. quare alij tunc ea vafa temere tangentes peccant mortaliter, vtcum Paludano, & alijs docet Suar. fupra fec. 8. §. tertium exemplum.

Certum eft tertio quando Calix eft vacuus licitè poffe tangi, & portari a Subdiacono, cui idcirco in Sacra ordinatione hæc vafa porriguntur tangenda, vt patet ex cap. non licet primo de confecr. dift. 23. & ex cap. non oportet 2. Hæc licentia extenditur etiam ac Acolytum, Imò extra tempus Sacrificij, quiliber ordinatus quocumque minori ordine poteft licitè tangere facra vafa vacua, vt colligitur ex cit. cap. non oportet; & ex vfu videtur etiam hoc extendi ad initiatos tantùm prima tonfura, Vt docet Suar. difp. 81. fec. 8. §. Tertium exemplum to. 3. in 3. p.

Controuerfia igitur eft: An facra vafa vacua, vt Calix, & Patena, & alia huiufmodi poffint licitè tangi a laicis, & fœminis.

Prima fententia fuftinet feclufo contemptu, nec viros, nec fœminas peccare tangendo res facras, & vafa prædicta. Fundamentum eft; quia Canones id prohibentes poffunt intelligi de confilio, & ob maiorem decentiam, nec videntur continere præceptum. Ita Sotus in 4. dift. 13. q. 3. art. 3. ad 3. Bartholomæus ab Angelo Dialogo 5. §. 321. Tambur. Opufc. de Sacrificio lib. 1. cap. 2. §. 1. num. 7. Fagundez Præcepto 1. lib. 3. cap. 21. num. 28. & multi recentiores, quos citat Sanchez lib. 2. Decalogi cap. 43. num. 27. Vnde colligunt nullum effe peccatum tangere facros agnos Dei; quia iam vfus obtinuit, vt à laicis, & à fœminis tangantur, Ita Sanchez fupra.

Secunda fententia probabilior, & tenenda docet fimpliciter loquendo non effe licitum laicis, & fœminis Calicem, etiam vacuum immediatè tangere, nec fimiliter Aram, feu lapidem confecratum, & quæcumque confectata funt vnctione Chrifmatis, ficut etiam confecrantur Cerei Agni: Imò nec Corporalia, & alia, quæ immediatè tangunt fpecies confecratas: quamuis feclufo contemptu id non excedat culpam venialem: fi verò caufa rationabilis fubfit, nullum effe peccatum ea contingere.

Probatur primo fimpliciter loquendo id non effe licitum, quia abfolutè prohibetur Iure Ecclefiaftico, vt patet ex cap. facratas diftinct. 23

Probatur deinde id non excedere culpam venialem, quia materia non eft grauis, fed leuis. Tandem ex rationabili caufa id effe licitum patet; Tum quia communiter iufta caufa excufat à transgreffione legis pofitiuæ, præfertim cum hæc prohibitio leuis fit; Tum etiam ex communi Praxi; Ita Suarez fupra. Coninch q. 83. n. 249. Layman lib. 5. tract. 5. cap. 6. n. 19. Filiucc. tract. 5. n. 135.

Colligitur primo nullum effe peccatum tangere mappas Altaris, Veftimenta, & ornamenta facra, quamuis benedicta, & alia, quæ non attingunt immediatè fpecies confecratas, nec Chrifmate confecrantur: quia Iura citata loquuntur de vafis facris, quando abfolute prohibent contactum. Alia verò, quæ loquuntur generaliter de facris veftibus non continent præceptum, fed decentiam quandam, etiam eft vfu receptum, vt à laicis, & fœminis impunè tangantur. Ita DD. citati etiam pro fecunda fententia, quibus adde Vafq. in 3. p. tom. 3. difp. 233 num. 36 & Reginaldum lib. 29. num. 202.

Colligitur fecundo poffe etiam à laicis, & fœminis fine culpa tangi facras reliquias, fi reuerenter id fiat, quia hoc nullibi eft prohibitum, Ita Layman fupra num. 20. cum Sanchez fupra num. 26. Caftro Palao tom. 2. tract. 8 difp. 1. de adorat. p. 6. n. 15.

Colligitur tertio Pyxidem, Ciborium, Oftenforium, feu lunulam, etiam fi benedicta fint, poffe ab omnibus tangi fine culpa, quando nondum facram Euchariftiam continuerunt, Ratio eft, quia ex vna parte non funt Chrifmate vncta, ficut Calix: Ex Altera pofito quod non dum receperint fpecies confecratas, non contraxerunt reuerentiam illis debitam ratione contactus Sacramenti. Layman fupra cum alijs.

Colligitur quarto non peccare laicos tangentes facra vafa, & fimilia mediante velo, vel alio Inftrumento, quia prohibitio eft de tactu immediato, & nuda manu: & quidem tangentes res facras mediante velo profitentur debitam reuerentiam Erga Illas, Ita Suar. fupra Fagundez. Præcepto primo lib. 3. cap. 21. n. 28, cum alijs.

Colligitur quinto laicos, et fœminas tangentes Vafa facra, Corporalia, et alia huiufmodi, vel ad reficiendum et lauandum, vel ex mandato Sacerdotum nullo modo peccare, quia fubeft iufta, et rationabilis caufa DD. citati.

Colligitur sexto laicos religiosos, præsertim deputatos ad seruitium Missarum, et Sacristiæ posse licitè tangere Vasa sacra ob priuilegium religionibus concessum, vt patet ex priuilegijs Minorum, et notat Suar. supra cum alijs.

SECTIO III.

De Corporali, Palla, & purificatorio.

DVBIVM I.

De corporali, & requisitis ad illud.

PRima Difficultas. An corporale sit necessarium ad sacrificium ex graui, et rigoroso præcepto?

Respondeo affirmatiuè, atque adeo fore peccatum mortale celebrare absque Corporali quia violaret Ecclesiæ præceptum in re graui, & magni ponderis ad sacrificij reuerentiam, vt constat ax cap. consulto de consecr. dist. 1 & alijs Iuribus. Ita docet D Th. 3 p q. 83. art 3. ad 7. Sylu. Angelus, Tabiena verbo Corporale. Suar.to.3.in 3.p. disp.81 sec 6. Vasq.3.p.disp. 233.Layman lib 5. tract. 5.cap. 6. n.11.Bonacina de Sacram. disp. 4. quæst. vltima puncto 9. num.24. Cardinalis de Lugo disp. 20. num. 76. Auersa de Sacrif. q. 11 sec. 13. Moisef Summ. tract. 3. cap. 12. num.48. et communiter. An autem in casu necessitatis excusari possit à peccato celebrans sine corporali,

Dicendum est breuiter, extra casum extremæ necessitatis id non esse licitum. sed fore graue peccatum; Cæterum ad vitandam mortem licitum esset, quando metus mortis non incuteretur in odium fidei, sed in alium finem indifferentem, vt in simili diximus de Altari p. 1. tit. 20. dub. 5. siquidem Corporale eodem prorsus rigore præcipitur, ac Ara lapidea consecrata, et vterque ritus est valde grauis; vide ibi dicta.

Secunda Difficultas est, ex qua materia confici debeat Corporale.

Respondeo Certum esse debere esse confectum ex lino, Vt patet ex cap. consulto de Consecr. dist. 1. quod exigit linteum ex lino terreno, seu ex terra procreato, et excluditur linteum sericum, vel tinctum, et idem habetur in hac rubrica n. 1. vt sit ex lino, non ex serico, vel auro intextum. Punctus difficultatis consistit in eo. Vtrum nomine lini possit etiam intelligi tenuis Cannabis, vel gossipium, ex quibus diximus posse etiam confici tobaleas Altaris, p.1.tit.20.dub.6.

Plures DD. negare videntur, quatenus requirunt linum proprie dictum, et excludunt omnem aliam materiam, Sylu. Verbo corporalia, Suar.disp.81. sec 6 quem sequuntur Filiuccius, et Moure p.3. cap.5.§.11. cum alijs.

Alij probabiliter affirmãt, quia licet Cannabis, Gossipium, & similia differant specie physica à lino, non tamen moraliter, quatenus ex illis texuntur lintea eiusdem rationis, & quãdoq; delicatiora, quam ex lino proprie dicto. Ita DD. quos supra adduximus agẽtes de tobaleis loco citato, qui idem affirmant de corporali. Quare mihi dicendum Videtur, licite quidem posse fieri corporalia ex tenui Cannabe, & Gossipio, Consulerem tamen vt quaod eius fieri potest, non conficiantur nisi ex lino propriè dicto. quia tum Canones, tum rubricæ strictius loqui videntur de corporalibus, quàm de tobaleis Altaris, & in hac rubrica n. 1. habetur particula taxatiua Tantum, quod ex lino tantum esse debet, quamuis exponi possit, vt addatur ad excludendum sericum, & similia, quæ non procreantur ex terra.

Colligitur esse graue peccatum adhibere in sacrificio corporalia confecta ex Serico, vel qualuis alia materia, quæ moraliter dici non possit linum terrenum, seu procreatum ex terra, siue materia sit pretiosior, siue vilior: quia id grauiter prohibetur in iuribus supra citatis. Hoc autem intelligitur, vt corporale non sit in medio contextum ex serico, vel auro qua parte Hostiam & Calicem tangit; in ora autem, seu extremitate non est prohibitum quod auro, vel serico ornetur, vt expresse colligitur ex verbis huius rubricæ, quibus dicitur nec serico in medio contextum, & in rubricis de defectibus tit. 10. n. 1. eadem verba habentur, & docent communiter D. D Suar. disp. 81. sect. 6. Cardinalis de Lugo disp. 20. n 76. & communiter alij supra cit.

Tertia difficultas est: An corporale adhibendum in sacrificio debeat esse necessario benedictum.

Respondeo affirmatiue; eodem enim præcepto, quo iubetur adhibendum esse corporale, in actu sacrificij, simul præcipitur debere benedici, Vt patet ex cap. consulto citato, & docent comuniter DD. citati in prima difficultate. Debet autem benedici vel ab Episcopo, vel ab alio habente facultatem, vt solent habere Prælati Regulares, saltem pro suis ecclesijs; quia hæc benedictio simplex est, sine Chrismatis vnctione, & habetur in fine Missalis, quod si semel amittatur benedictio, opus erit noua benedictione.

Qualiter autem amittatur prædicta benedictio, dicendum breuiter est ex cõmuni sententia, non amitti per solam lotionem; sed si ita

scin-

scindatur, & laceretur, vt non remaneat pars eius apta, & sufficiens ad vsum sacrificij, idest si nulla pars illius sit apta ad continendum decenter Calicem, & Patenam. Vide DD. citatos in prima difficultate. An autem remaneat benedictum ex solo vsu sacro in Missa, patet ex dictis in simili de Calice.

Quarta difficultas. An sit p. m. adhibere Corporale immundum ad vsum sacrificij.

Respondeo si sit notabiliter immundum, esse p. m. ob grauem irreuerentiam, quæ inde resultat contra Sacramentum, Ita Suar. disp. 81. sec. 6. §. vltima pars, Emmanuel Sà Verbo Sacramentum Gauantus in hac rubrica lit. q. qui testatur de communi, & patet à fortiori ex dictis de Tobaleis Altaris p. 1. titulo 20. dub. 6.

DVBIVM III.

De Palla, & eius Conditionibus.

Certum est ad vsum sacrificij requiri paruā pallam, qua operitur Calix, eique superponitur in Altari, quæ vt supra dicebamus in littera, Olim erat vnita corporali, seu pars eiusdem; modo autem est separata. Quærimus ergo An sit necessaria ex præcepto, & cuius conditionis esse debeat.

Prima opinio est Soti in 4. dist. 13. q. 2. art. 5. circa finem, Manuelis in sum. tom. 1. cap. 247. n. 18. Moure p. 3. cap. 5. § 12. n. 10. Qui censent huiusmodi Pallam non videri simpliciter necessariam, nec debere esse eiusdem conditionis cū corporali; sed posse esse sericam & nō benedictā.

Probatur primo, quia hæc Palla non tangit immediate species consecratas, sicut corporale: ergo cum respectu Pallæ cesset ratio, & finis præcepti, quo iubetur, Corporale fieri ex lino &c. quia tangit species consecratas; cessat etiam obligatio talis præcepti.

Probatur secundo, quia saltem in aliquibus Ecclesijs vsus obtinuit vt huiusmodi Pallæ fiant eleboratæ ex Serico, vel Auro, vel per modum retis.

Vera tamen sententia est, Pallam esse necessariam ex præcepto graui, & sub eodem præcepto debere esse benedictam, & eiusdem omnino conditionis cum Corporali, sicut prescribitur in hac rubrica num. 1.

Probatur, quia per diuisionem non fuit mutatum præceptum quoad illam partem corporalis, qua calix cooperitur, neque vllo modo dispensatum in eo; sed solum ad maiorem commoditatem fuit separatio permissa: Ergo sicut olim operiri debebat Calix parte corporalis eiusdem omnino materiæ, & benedictionis cum toto corporali; ita pariter in præsenti, & vere etiam nunc censetur pars corporalis, quamuis separata; Ergo est p. m. vel illam omittere, vel ea vti non benedicta, vel non linea, sicuti supra dicebamus de corporali; Ita Suarez disp. 81. sect. 6. Reginaldus lib. 29. n. 195. Gauantus in hanc rubricam littera M. Filliucius tract. 5. num 125 Fagundez Præcep. 1. lib. 3. cap. 21. & Vasquez disp. 233. cap. 4. qui subdit contrariam sententiam non esse probabilem: quod verū existimo quoad vsum Pallæ simpliciter, quia graue esset peccatum relinquere calicem discoopertum tempore sacrificij, quando secundum rubricas cooperiri præcipitur, Item quoad benedictionem; non autem quo ad conditionem materiæ ex Serico &c. vel artificij per modum retis, quod præcipuè docent Auctores primæ sententiæ.

Ad Opposita Respondetur ad primum negando consequentiam, quamuis enim Palla non tangat species consecratas, deseruit tamen ad vsum grauem, & saerum valde propinquum Sacramento; & sacram habet significationem.

Ad secundum Respondetur. Vsum timoratorum esse, vt sempet Palla sit linea, quoad interiorem partem, quæ Calicem tangit: quod si alicubi id non seruatur censendus erit abusus corrigendus a Prælatis. Ceterum quoad partem superiorem concedimus posse esse contextam ex serico, vel auro, vel per modum retis, sicuti supra dicebamus de extremitatibus corporalis.

DVBIVM III.

An Episcopus possit absque licentia benedicere Corporalia, & Pallas in aliena Diœcesi, seu extra proprium Territorium &c.

Prima Sententia esse potest affirmatiua si benedictio fiat absq. insignib. episc. idest sine Mitra, vel Baculo, vel Pallio. Probatur primo à pari potest exerceri iurisdictio voluntaria, seu non contentiosa in proprium subditum, et absque strepitu iudiciali extra proprium territorium, saltem si non publice, sed priuatim id fiat; quia tunc nullum infertur præiudicium iudici loci, vt multis allegatis probant Sanchez de matrim. lib. 3. disp. 19. num 7. Laiman lib. 1. sum. tract. 4. cap. 5. num. 4. & alij communiter. Ergo etiam potest exerceri actus ordinis episcopalis sine insignibus episcopalibus, et absque solemnitate, et publicitate, quia militat eadem ratio.

Confirmatur, quia plures, et graues auctores affirmant posse Episcopum in aliena diœcesi absque licentia conferre suis subditis primam tonsuram: quia hic actus quamuis episcopalis solet

solet exerceri sine pontificalibus, seu insignibus episcopalibus. Ita Bonacina, Azor, Fornarius, Mollesius, et alij apud Dianam par. 4. tract. 4. res. 143. ergo a pari dicendum est posse similiter Episcopum benedicere corporalia, dummodo id faciat absque exercitio pontificalium.

Probatur secundo, quia si quid obstaret maxime esset Conc. Trid sess. 6. de reformatione cap. 5. interdicens episcopo exercitium pontificalium in alterius diæcesi sub pœna suspensionis etc. sed hoc non videtur obstare: quia vt optime cum Layman, & alijs docet Diana par. 5 tract. 10. resol. 4. quem sequitur Barbosa de officio, et potestate Episcopi par 2. Alleg. 6. num. 3. Bonac. cum alijs de censuris in particulari disp. 3. quæst. 2. p. 12. ea prohibitione exercitij pontificalium solum interdici vsum insignium episcopalium, vt supra, idest Mitræ, Baculi, et Pallij et consequenter eos actus, qui sine huiusmodi insignibus exerceri non debent, vt collatio ordinum, confirmatio &c. sed in casu nostro benedictio corporalium non indiget prædictis insignibus. Ergo &c

Huius Opinionis non inueni auctorem, videtur tamen saltem speculatiuè probabilis ob rationes allatas, quamuis in praxi eam non consulerem sic absolutè, præsertim hic Romæ, vbi audio practicari oppositum, & semper ad hoc peti licentiam ob Eminentissimo Vrbis Vicario, vel eius Vicesgerente.

Secunda sententia communis negat, imo addit incurri suspensionem ab Episcopo benedicente calices, vel corporalia in aliena diæcesi absque licentia ordinarij loci latam in Trid. l. c. Ita Nauar. cons 12. de Clerico excom. celebrante. Zerola, Leo, & alij, quos citat, & sequitur Barbosa supra n 7. Ganantus in Enchiridio Verbo functiones Episcop. n. 3. qui insuper addunt incurri eam pœnam suspensionis, etiam si Episcopus inaduertentet, vel bona fide id faceret, quod tamen valde durum videtur.

Pro resolutione Respondeo, & dico primo, non potest Episcopus in aliena diæcesi benedicere corporalia, & similia, præsertim ad vsum personarum, vel Ecclesiarum sibi non subditarum, seu pro ecclesijs alienis: quod si scienter hoc faciat, incurrit suspensionem latam in Trid. sess. 6. cap 5. in hoc conuenimus cum secunda sententia Probatur, quia benedictio corporalium, & similium comprehenditur sub nomine pontificalium, quæ prohibentur exerceri in aliena diæcesi in Trid. l. c ergo benedictio prædicta est actus prohibitus sub pœna suspensionis. Probatur antecedens, quia exercere pontificalia in rigore est exercere actus ordinis Episcopalis, qualis est benedictio prædicta: quod si pontifex, seu Episcopus non vtatur insignibus episcopalibus, id per accidēs est neq. inde fit, quod actus ille nō sit vere digniraris, et ordinis pontificalis, Ita à fortiori; Sanchez in consilijs lib. 7. c. 1. dub. 50. Sayro de censuris lib. 4 cap. 6. n. 26. Perficus, Thesaurus, & alij, quos citat, & sequitur Squillante de obligatione Episcoporum p 2. cap. 3. n. 2. qui absolute dicunt non posse, & DD. citati pro secunda sententia.

Dico secundo Episcopus benedicens corporalia in aliena Diœcesi sed bona fide, seu cum inaduertentia inuincibili prohibitionis Trid. non incurrit suspensionem in eo latam. Probatur, quia inaduertentia, & bona fides sicut excusant à culpa, ita similiter à pœna, præsertim à censura, quæ necessario supponit culpam & contumaciam, vt notum est ex tract. de censuris: Quare non sunt audiendi DD. relati in secunda sententia oppositum significantes: Et meritò illos improbat Squillante loc. cit. n. 17. in hoc peculiari casu, & pluribus citatis Mollesius in sum. tract. 2 cap 2. n. 13. Vbi agit de Episcopo bona fide conferente ordines sibi non subdito. Et circa hanc suspensionem latam in Trid. contra Episcopos videri etiam potest Bonac. de censuris in particulari tom 3 disp. 3. q. 2 punct. 12.

Dico tertio probabile est posse Episcopum in aliena Diœcesi benedicere corporalia, & similia, vel solum ad vsum proprium, vel Ecclesiarum suæ Diœcesis, non vero pro alijs: modo priuatim hoc faciat, & sine insignibus Episcopalibus. Probatur primo Argumentis allatis in fauorem primæ sententiæ. quæ efficaciter probant hanc conclusionem. Probatur secundo, quia in hoc casu cessat finis prohibitionis latæ in Trid. quia nullum sequitur præiudicium Episcopo loci; Ergo cessat illius obligatio.

Ad Argumenta primæ sententiæ, quatenus militant contra nostram primam conclusionem Respondetur ad primum negando consequentiam, quia in casu nostro obstat prohibitio Trid. quod secus est in casu antecedentis. Ad confirmationem fateor paritatem illam valde vrgere, quare concedentes antecedens, deberent concedere consequentiam, vel assignare disparitatem, quam ego non video: quare concedimus eo argumento probari nostram tertiam conclusionem.

Ad secundum patet ex dictis prohiberi in Trid. actus proprios ordinis episcopalis, qui exerceri solent cum insignibus prædictis, etiam si per accidens omitterentur.

Colligitur primo nec posse Episcopū in aliena Diœcesi benedicere paramenta sacerdotalia pro Ecclesijs alienis, & multo minus calices &c. Quia militat eadem ratio, et docet Squillante locis cit.

Colligitur secundo non posse prædicta benedici

dici ab Episcopo in aliena Diœcesi etiam in loco exempto E. G. in Ecclesijs regularium : quia vere benedictio fit in Aliena Diœcœsi, vt probat squillante supra num.3.

DVBIVM IV.

De altera Palla, qua sub Hostia vtuntur PP. Clerici Regulares, Vtrum sit alijs licita.

PRæmittendum est in nostra Religione Cler. Reg. Sacerdotes in sacrificio Missæ præter corporale, et pallam, qua Calix cooperitur, vti alia Palla benedicta, quæ est etiam pars corporalis, super quam reponunt immediate hostiã, non ob mysterium, et significationem aliquam; sed propter commoditatem facilius colligendi fragmenta.

Certum est autem, et omnino indubitatum sacerdotes prædictos eiusdem religionis licite, et valde laudabiliter hoc facere ex consuetudine introducta ab ipso nascẽtis Religionis exordio. Fundatur autem hæc consuetudo in priuilegio authentico nostris Fundatoribus concesso à Clemente VII. in Bulla quæ incipit Venerabilis frater, et habetur in Bullario, estque 11. inter Bullas eiusdem Pontificis, qua conceditur illis facultas faciendi statuta, et ordinationes circa Missæ et officij recitationem etc. modo sint rationabilia, et Sedi Apostolicæ notificata antequam ad praxim deducantur, quo supposito, et fidelissime impletis conditionibus Bullæ prædictæ à pijssimis, et eruditissimis nostris Fundatoribus; introductus fuit vsus prædictæ Pallæ; quæ itẽ consuetudo à Clemente VII. approbata, nedum reprobata non fuit à Pio V. in sua Bulla Missalis; sed potius excepta illis Verbis, Nisi consuetudo ab ipsa prima institutione a Sede Apostolica approbata etc. Imo idẽ Sanctissimus Pius V. eam expresse commendauit, et latius probant, et explicant Molfesius in sum. tract. 9. cap. 11. n. 61. et sequentibus, Castaldus in Praxi cærem. lib 2. sec. 7. cap. 1. n. 5. et Megalius tom. 2. var resolut. 199. quibus fauent Pater Trimarchi in suo Cæremoniali, Niger in addit. ad Ruiz p 1. Præsupp. 3. q 10. Gauantus in hanc rubricam litt. M. Vbi sic ait. Qui duplicem adhibent Pallam, alteram pro Calice, alteram pro Hostia, approbante, vt aiunt S. P. non sunt reprehendendi, non tamen imitandi ab alijs.

Controuersia est ergo 1. An alij Sacerdotes, qui prædicta consuetudine à sede Apostolica approbata muniti non sunt, possint nos imitari, & vti duplici palla.

Videtur affirmare Molfesius. Negant verò alij DD. citati, & Megalius, qui solùm ratione bonæ fidei alios id facientes excusat.

Mihi videtur dicendum alios Sacerdotes non posse vti duplici Palla extra nostras Ecclesias absque facultate Summi Pontificis: quia esset additio ritus, quę prohibetur in Bulla Pij V.

An autem exteri sacerdotes celebrantes in nostris Ecclesiis possint licitè adhibere sub hostia alteram illam Pallam, qua nos vtimur, pẽdet ex ea quæstione An celebrantes in alienis Ecclesijs, in quibus viget ritus à Romano diuersus possint licitè se accõmodare ritui eiusdem Ecclesiæ, in qua celebrant, loquimur autem de sacerdotibus, qui alias tenentur celebrare ritu Romano.

Prima sententia est Ioannis Præpositi in 3. p. q. 83. art. 4 dub. 5 num. 190. quæ simpliciter affirmat etiamsi Ecclesia diuersi ritus sit regularis; ex illo generali principio, quia possint exteri & peregrini se conformare ritui & consuetudini illius loci per quem transeunt, eamque refert, & non impugnat Diana p. 4. tract. 4. res. 75. Quæ sententia non videtur improbabilis, præsertim in casu nostro, cum in Ecclesijs Cler. Regul. exactissimè obseruetur Ritus Missalis Romani, & in hac parte non deseratur, sed roboretur magis idem Ritus Romanus, quoad modum colligendi sacra fragmenta facilius, & securius: Sicuti per separationem Pallæ Calicis à corporali non desertus fuit ritus antiquus romanus cooperiendi calicem extrema parte eiusdem corporalis; sed ad meliorem, & commodiorem formam redactus: nam etiam in præsenti ex communi DD. sententia Palla Calicis censetur pars corporalis, sicut etiam censenda est nostra Palla sub Hostia, vt latius explicant Molfesius loco citato, & Castaldus supra cum alijs.

Secunda Nihilominus, & probabilior sententia docet; non posse licitè Sacerdotem, qui alias vti debet Missali Romano, non posse inquam in celebratione Missæ vti aliquo ritu diuerso à Romano, etiam si velit celebrare in Ecclesijs regularium, in quibus religiosi vtuntur diuerso ritu, nisi ritus, & consuetudo esset communis toti Ciuitati, vel Diœcesi, vt Ritus Ambrosianus Mediolani: quia permissio talis ritus respectu regularium videtur priuilegium personale ipsis regularibus talis familiæ concessum, & non alijs. Ita cum alijs docet Coninch de Sacram. q. 83. art. 5. n. 268. ex qua sententia sequitur non posse exteros sacerdotes celebrantes in nostris Ecclesijs vti nostra Palla sub Hostia, cui sententiæ tanquam probabiliori adhereo, quam etiam defendi prima parte tit. 4. dub. 3.

Dubium

DVBIVM V.

De Purificatorio, & conditionibus Eiusdem.

RESpondeo, et dico primo certum est ad vsum Sacrificij requiri Purificatorium lineum, vel similis materiæ ad abstergendum calicem, & digitos sacerdoris ablutos post contactum Sacramenti: quia licet non extet de eo præceptum in iure; necessitas tamen reuerenter tractandi species consecratas, & abstergendi reliquias sanguinis, si quæ remanserint in Calice post ablutionem, illud necessario exigit; alias possent cadere, & conculcari contra reuerentiam Sacramenti. In Missali certè requiritur, & additur debere esse mundum.

Difficultas est. An debeat esse benedictum. Aliqui enim simpliciter negant, quia id nullo Iure cauetur, imo neque in rubricis. Item nec in Missali ponitur eius benedictio. Ita Suarez disp. 81. sect. 8. § quarto. Cardinalis de Lugo disp. 20. num. 76. Auersa quæst. 11. sect. 13 Gauantus in hanc rubricam lit r.

Dico secundo probabilius est debere benedici saltem ad maiorem decentiam.

Probatur ex doctrina D Th. 3 par. quæst. 83. art. 3. quia species consecratæ propter reuerentiam illis debitam à nulla re tangi debent, quæ consecrata, vel benedicta non sit. Vnde consecrantur Calix, & manus sacerdotis, & benedicitur Corporale, & Pyxis: sed etiam Purificatorium tangit species consecratas, quando scilicet reliquiæ manent in Patena, vel facilius in Calice, ergo debet Benedici.

Confirmatur: quia Missale præscribit benedicendas esse Tobaleas Altaris, quæ minus attingunt Eucharistiam, ergo a fortiori idem dicendum de Purificatorio. Ita Layman lib. 5. tract. 5. capit. 6. num. 12. Fagundez præcep. 1. lib. 3. cap. 1. num. 30. cum alijs.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ, Respondetur quamuis Iure communi id non præcipiatur; præscribi tamen in Missali dum in communi præscribitur, & ponitur benedictio Tobalearum, & linteaminum Altaris: quamuis concedi possit id non cadere sub rigoroso præcepto; sed tutius esse, & ad maiorem decentiam ordinatum, quod negare non possunt Auctores primæ sententiæ, vt dicemus etiam de Pyxide.

Colligitur Purificatoria omnino reponi debere, & seruari separatim ab alijs lineis pannis communibus, & sudarijs; quod vt melius fiat, conuenit, vt in medio cuiusque Acu pingatur Crux. vt notat Gauantus supra, & seruatur communiter in nostris Ecclesijs, & alijs cultioribus.

DVBIVM VI.

De contactu, & lotione sacrorum linteaminum.

CErtum est Corporalia, Pallas, & Purificatoria etiam benedicta antequam fuerint adhibita ad sacrum vsum posse ab omnibus contingi, etiam à laicis, & foeminis: quia prohibetur contactus vel ratione vnctionis sacri Chrismatis, vel ratione contactus specierum consecratarum; Neutra autem ratio ex prædictis militat in casu nostro; Similiter quando post sacrum vsum fuerunt lota antequam iterum adhibeantur ad prædictum sacrum vsum possunt licite ab omnibus tangi, quia moraliter censentur, ac si essent noua; Ita Layman lib 5. tract 5. cap. 6. num 22. Bonac. de Euchar. disp 4. quæst. vltima p inct. 9 num. 14. Auersa de sacrific. quæst. 11. sect. 13. §. ratione autem, & communiter.

Difficultas ergo est de contactu prædictorum post sacrum vsum, & ante lotionem.

Respondeo, & dico primo, quamuis nonnulli DD. probabiliter censeant posse corporalia, & alia prædicta etiam à laicis tangi absque culpa; Nihilominus probabilius est laicos peccare venialiter si absque rationabili causa ea contingant eodem modo ac supra dicebamus de Calice sect 2. dub 6. vbi pro vtraque opinione adduximus rationes, & DD. qui etiam de his loquuntur, & possunt ibi videri, & præsertim Layman lib 5 tract. 5. de sacrificio cap. 6. fine, Diastillo de sacr. tom. 1. tract. 5. disp. 4. dub 11.

Dico secundo quoad lotionem, certum est Corporalia, Purificatoria, & similia lauari debere à Diacono, vel vt minimum à subdiacono, saltem ex conuenientia, vt patet ex cap. nemo 2. de consec. dist. 1. licet enim Canon loquatur de Diacono, vsus tamen obtinuit, vt etiam ad Subdiaconum extendatur, qui potest ex vi sui muneris tangere Calicem, & consequenter linteamina sacra.

Duo autem notare oportet. Primum est lotionem mittendam esse in Piscinam sacram, quæ etiam sacrarium appellatur, vt habetur in eodem cap Nemo. Est autem sacra Piscina locus in pariete, vel sub terram defossus, & ab alijs prophanis vsibus separatus, in quem lotio, et similia ob reuerentiam proijci solent.

Secundum est. Prædicta, nempe lotionem faciendam à Diacono, vel Subdiacono, et projiciendam in sacrarium, intelligendam esse de prima

prima lotione; Nam post primam lotionem possunt laici sine scrupulo, et præsertim sacræ virgines extergere, et reficere, quod perfectius facere solent mulieres; et docent communiter DD. Caet. verbo mulierum peccata Suar. Coninch, Reginaldus, et alij apud Bonacinã de Euch. disp. 4. quæst. vltima punct. 10. num. 22.

Difficultas est An sit peccatum tradere prædicta laicis, & fœminis lauanda, etiam prima lotione, & An peccent fœminæ si ea lauent in prima lotione. Certum est autem id non fore p. m. quia non est materia grauis ex supradictis Plures excusant etiam à veniali, quia iura, quæ id prohibent continent consilium, non præceptum. Cæterum probabilius est absque rationabili causa id esse p.v: quia vere prohibetur, quãuis sub veniali: item quia prohibetur etiam contactus, lotio vero fieri nõ potest absq. contactu, ita ex comuni Suar. disp 81. sec. 8 Dicastillo loco cit. Castro Palao tom. 4 tract 22. punct. 10. & communiter.

SECTIO IV.

De Sacris Vestibus Sacerdotum:

DVBIVM I.

De Institutione, materia, & numero vestium sacerdotalium &c.

Respondeo. Quoad institutionem, & numerum videri posse ea, quæ diximus in explicatione litteræ, n. 2. Quoad materiam vero ex qua confici debent, satis iam diximus p. 1. tit. 19. dub 5. videantur ibi dicta.

DVBIVM II.

Vtrum Vestes sacerdotales Debeant esse benedictæ ex Præcepto.

Respondeo affirmatiuè: Nempe eas debere esse specialiter benedictas benedictione, quæ in pontificali, & in Missali habetur. Et quidem ex graui præcepto, vt constat ex cap. vestimenta de Consec. dist. 1. & ex consuetudine, quæ etiam in his rubricis explicatur, & docent communiter DD. quorum plures infra citabimus.

Difficultas est de solo Cingulo; nam de alijs constat inter omnes eas necessario debere esse benedictas. Quoad Cingulum vero prima sententia negat id cadere sub præcepto, Fundamentum est, quia cingulum proprie non est vestis; sed vestium ligatura: ergo eius benedictio non cadit sub præcepto, nam in cap. cit. Vestimenta iubetur benedictio vestium, Ita Riccardus in 4. dist. 13. art. 3. quæst. 4. Scotus ibidem quæst. 2 Sylu. verbo Missa num. 10. Moure par. 3. cap 5. §. 13.

Secunda Sententia probabilior affirmat ex opposito fundamento, quia vera est vestis, & propriam habet significationem, vt vidimus in expositione litteræ: neqne enim pugnat aliquid esse simul ligaturã, & vestem ad peculiarem ornatum, & significationem. Ita Nauar. sum cap. 25 num. 84. Azor tom. 1. lib. 10. cap. 28. quæst 9. Laymam lib. 5. tract. 5. cap. 6 Molfes sum. par 1. tract. 3. cap. 12. num 31. Vasq. 3. par disp. 233 cap. 4. nu. 49. Villalobos par. 1. tract. 8. diff. 28 Quamuis probabile sit posse excusari à p. m. ratione paruitatis materiæ eum, qui vtitur in Missa cingulo non benedicto, vt dicemus infra dub. 5.

Secunda Difficultas. An si quis semel celebret cum vestibus non benedictis eædem remaneant benedictæ; Respondetur idem hic esse dicendum, ac supra diximus in simili de Calice, sect. 2. dub. 3.

DVBIVM III.

An Qui nam possint benedici Paramenta sacerdotalia.

Resp. & dico primo, certũ esse hanc facultatem benedicendi sacras vestes iure ordinario pertinere ad Episcop. ex Innocentio III. lib. 1 de misterijs Missæ cap. 9. etiam pro alienis Ecclesijs. An autem possit Episcopus hanc facultatem delegare simplici sacerdoti, Respondent negatiue communiter DD. ratio est quia hæc potestas non pertinet ad Iurisdictionem, quę est delegabilis; sed ad potestatem ordinis, quæ nõ est delegabilis. Hoc ergo pertinet solum ad summum Pontificem, vt fertur declarasse S. Rituum Congregationem 14 Nouembris 1615. & docent Auersa de sacris. quæst. 11. sect. 13. §. 6. Tambur. de sacrif. lib. 1. cap. 3. §. 2 num. 5. Tabiena, Vgolinus, & alis, quos citat Gauantus in rub. Missalis par 4 tit. 19. num. 23

Oppositum tamen non videtur improbabile, vt docent Posseuinus de officio Curati capit. 2. num 37. & Niger. in additionibus ad Ruiz par. 1. pręsupposito 4. quæst. 39. Fundamentum autem non est illud, cui innititur Posseuinus asserens id colligi ex rituali romano Pauli V. in quo titulus harum benedictionũ in aliquibus Codicibus sic prænotatur, Benedictiones faciendæ ab habentibus facultatem ab Episcopis:

Ex quibus verbis infert Possevinus, Episcopos committere posse hanc facultatem, quia alias non darentur habentes eandem facultatem ab Episcopis, quod supponitur in rituali. Non, inquam valet hoc fundamentum, quia mendosè sic legitur; vnde in alijs emendatis aliter habetur, videlicet Benedictiones faciendæ ab Episcopis, vel ab alijs habentibus facultatem, quales sunt Prælati Regulares, qui non ab Episcopis, sed à summo Pontifice eam facultatem habent.

Vt ergò melius probetur hæc Opinio, aduertendum est, potestatem Ordinis non posse delegari quoad actus, qui ex institutione Christi sunt adnexi singulis ordinibus: qua ratione non potest Episcopus concedere facultatem simplici sacerdoti conferendi ordines, vel Sacramentum Confirmationis: Et similiter non est delegabilis quoad actus annexos ordini episcopali ex institutione Ecclesiæ rigorosè, qui idcirco raro, & non nisi in casu vrgentis necessitatis committi solent à summo Pontifice Alijs Episcopo inferioribus. E. g. Benedictiones in quibus interuenit Vnctio Chrismatis, vt contingit in Consecratione Ecclesiæ, Altaris &c. Secus est de alijs benedictionibus, quæ simplices appellantur, & fiunt, absque Chrismate: Quarum aliquæ, licet ex institutione Ecclesiæ, iure ordinario sint annexæ ordini Episcopali, solent tamen frequenter à summo Pontifice alijs etiam inferioribus concedi, & sic non ita propriè, & rigorosè pertinent ad ordinem Episcopalem, vt cum alijs docet Basseus in floribus Theologiæ verbo Benedictio num. 5. & huiusmodi sunt Benedictiones vestium sacerdotalium, & similes. Hoc posito.

Probatur hæc sententia, quia non videtur verisimile summum Pontificem minus in hoc concessisse iure ordinario Episcopis, quam ex priuilegio prælatis regularium: sed hi habent facultatem benedicendi prædicta non solum per se ipsos, sed etiam per alios, delegata saltem per singulas vices ea facultate simplici sacerdoti: Ergo hoc non est denegandum Episcopis: non quasi Episcopi possint permanenter eam potestatem delegare, concedendo priuilegium, (quod spectat ad solum summum Pontificem) sed vel per singulas vices, vel ad tempus aliquod, ex quibus patet ad argumentum primæ sententiæ.

Ad Declarationem sacræ Congregationis concedimus; standum esse illi, quando de eadem constat authenticè; vel promulgatur, vt lex: Hoc autem non constat factum esse in casu nostro.

Dico secundo Abbates Pontificalia exercentes etiam regulares habent facultatem nedum benedicendi paramenta, & vestes sacerdotales; sed etiam vasa sacra, Videlicet calicem, & Patenam, & similiter Aram, seu lapidem Altaris, & campanas, in quibus interuenit Vnctio sacri Chrismatis. Adde non solum pro suis Ecclesijs sed etiam pro extraneis, ita Barbosa, Miranda, Portel, Rodriq. Ascanius Tamburin; & alij, quos citat & sequitur Diana p. 3. tract. 2. res. 13. ex Priuilegio sedis Apostolicæ apud citatos DD.

Difficultas hic esse potest. An hæc facultas Abbatum benedicendi prædicta pro Ecclesijs extraneis fuerit reuocata per decretum Sacræ Rituum Congregationis, de quo infra.

Respondeo satis probabile esse, non esse reuocatam, saltem quantùm ad sacra vasa, vt probant Tambur. de iure Abbatum disp. 23. q. 4. Bordonus tom. 1. Variar. resol. 17. Gauantus in manuali Verbo Abbas n. 22. Auersa q. 11. sec. 13 §. sexto, quid autem dicendum quo ad sacra indumenta pro Ecclesijs extraneis patebit ex dicendis Conclus. sequenti.

Dico tertio prælati regulares habent facultatem benedicendi sacerdotum indumenta, & ornamenta Altaris etiam corporalia &c. non autem sacra vasa vel alia, in quibus interuenit vnctio sacri Chrismatis. probatur ex pluribus, & varijs priuilegijs summorum Pontificium in fauorem Regularium concessis, quæ adducuntur à Diana p. 3. tract. 2. resol. 40. Rodriq. qq. RR. tom. 1 q. 16. art. 2. Miranda in manuali tom. 1. q. 4. art. 3. & Thoma Tambur. opusc. de sacrif. lib. 1. cap. 3. § 2. n. 5.

Prima difficultas. Vtrum Prælatus Regularis possit prædicta benedicere non solum pro suis Ecclesijs; sed etiam pro extraneis.

Prima sententia negat; quia licet aliqui ex prædictis Regularium priuilegijs eam facultatem concedant, etiam pro vsibus aliorum, & pro Ecclesijs extraneis; Nihilominus quoad hanc partem fuerunt reuocata seu restricta per decretum Sacræ Rituum Congregationis, vt solum Regulares pro suis vsibus seu propriæ Ecclesiæ possint vestes, & ornamenta sacra benedicere, non vero pro Ecclesijs extraneis. Decretum autem datum fuit sub die 24. Augusti 1609. & rursus 18. Augusti 1629. vt referunt Gauantus in rubr. Missal. par. 4. tit. 19. num. 21. Lezzana verbo Altare num. 3. Auersa sect. 13. citata §. 6. qui hanc sententiam sequuntur, cui etiam videtur adherere Diana part. 3. tract. 2. res. 40.

Secunda Sententia affirmat: Ratio quia constat de priuilegio, non vero de reuocatione, Ità Ascanius Tambur. supra, & Thomas Tambur. opusc. de sacrif. §. 2. citato. Niger in addit. Ad Ruiz part. 1. ad præsupp. 4. quæst. 36. Vbi pro eadem sententia citat Veracruz, Rodriq. Peytinum, & alios, & Respondent ad decretum

cretum Sacræ Congregationis; tenet etiam Marchinus de sacr. ordinis tract 3 par. 3. cap. 1 r. cum alijs. Ego consulerem abstinendum esse ab huiusmodi benedictionibus in vsus externorum, & adherendum primæ sententiæ, quæ tutior est, & quidem solent etiam Generales eam facultatem restringere ad proprios vsus tantum.

Secunda difficultas. Vtrum non solum Prælati, sed etiam inferiores Sacerdotes regulares possint hanc functionem exercere.

Respondeo ex commissione, & delegatione prælatorum per singulas vices posse ex vi eorumdem priuilegiorum, vt probat Bordonus tom. 1. Variar. resol. 17. q. 1. quem sequitur Auersa supra. Secus autem absque delegatione, quamuis apud PP Dominicanos, etiam inferiores sacerdotes ea facultate vtantur, vt refert Portel Dub. reg. verbo benedicere in addit. num. 3. & referunt Tambur. & Auersa supra. Consulat antem vnusquisque, sua priuilegia, & praxim suæ Religionis. In nostra Religione Cler. Regul. Absente præposito quilibet habens principale Regimen cuiuscumque monasterij potest benedicere &c. Ex Priuilegio Leonis 10. quod refert. Pereg. verbo benedicere, quare tunc non opus est delegatione, sine habens illud regimen sit Vicarius, siuè alius. An antem presente præposito possit Vicarius; Negandum videtur ex Peytinis, & alijs apud Nigrum supra. Possunt vero ea facultate vti Vicarij paruorum Conuentuum, quibus præfici non solent præpositi, aut Guardiani vt docet Niger supra.

DVBIVM IV.

Qualiter Amittatur Benedictio sacrarum Vestium.

RESpondeo in Vestibus sacris conseruatur benedictio semel accepta, quamdiu ipsæ retinent eamdem formam, seu figuram, sub qua sunt aptæ ad sacrum ministerium, & sub qua benedictæ fuerunt. Econtra si ità dissoluantur, vel scindantur, vt eam formam mutent; ita vt sacro ministerio, cui sunt destinatæ reddantur ineptæ; deperdunt quoque & amittunt benedictionem, vt colligitur ex cap. quod in dubiis de consec. Ecclesiæ. Ratio est, quia pereunte subiecto, necessè est perire formam illi inhærentem; sed perit subiectum benedictionis in casu posito, quod ex instituto Ecclesiæ est vestis sub tali figura, sub qua est apta ad sacrum ministerium. Ergo perditur benedictio. Et docent communiter DD. Henriq. lib 9. c. 29. n. 5. Suar. to. 3. in 3. p. dis. 82. sec. 2. §. Tertio obseruandum. Coninch. q. 83 n. 151. Bonac. disp. 4. q. vltima punct. 9. n. 27. Cardinalis de lugo disp 20. sec. 4. Auersa q. 11. sec. 13. §. deperditur, & alij comuniter apud ipsos.

Colligitur primo si priusquam destruatur forma, seu figura prædicta cuiuscomque vestis, si inquam prius reficiatur paulatim, & assuatur, etiam addita parte non benedicta, adhuc benedictionem in ea conseruari: quia manere censetur eadem vestis; nec obstat additio partis non benedictę; quia accessorium sequitur naturam sui principalis, Ita Palud. In 4. dist. 13. q. 2. Suar. supra. & communiter.

Colligitur secundo Deperdi benedictionem Albæ si eius manica dissuatur, & separetur: quia sic perditur forma necessaria, & Alba, sine manica non est apta ad vsum, cui erat destinata: quare licet assuatur, postea; nouam requirit benedictionem. Secus si priusquam abscindatur manica resarciatur, quamuis filo, vel panno non benedicto: tunc enim non perditur benedictio, vt dicebamus in 1. corall; Ita Sylu. Verbo Benedictio, Henriq. supra, Auersa loc. cit.

Quod si manicæ non essent consutæ ipsi Albæ sed solum globulis, seu funiculis eidem alligatæ; per disiunctionem non perderetur benedictio, & facta iterum coniunctione potest Alba ad vsum sacrificij deseruire: quia per disiunctionem non censetur in hoc casu destrui forma artificialis, nec consequenter benedictio, vt supra dicebamus de calice tornatili, Ita Auersa, Cardinalis de lugo supra. Tambur Opusc. de sacrif. lib. 1. cap. 3. §.

Colligitur Tertio si fiat Planeta, vel Stola. Duplicata constans ex parte interna, & externa, simul coniuncta, & assuta quarum vtraque sit apta ad sacrificium; singulas partes manere benedictas, quamuis separentur, quia singulæ retinent sufficientem materiam, & formam Stolæ vel casulę, possuntque suo muneri deseruire, Tamburrinus & alij supra citati.

Colligitur quarto. Si Cingulum rumpatur, & remaneat altera pars sufficiens ad cingendum; sentiunt omnes eum non amittere benedictionem, idest quoad eam partem, quæ remanet sufficiens, & apta ad cingendum, posseque ad maiorem commoditatem ei adnecti alteram partem, & Ita totum adhiberi; Similiter si priusquam omnino rumpatur aliquo nodo roboretur, vel alias reficiatur, certum est non deperdi benedictionem.

Controuersia est, si omnino rumpatur, & neutra pars per se sufficiēs remaneat adcingendum, An tunc amittatur benedictio. Aliqui enim sustinent non deperdi, sed innodari posse

partes, & sic adhiberi, vt prius; quia partes quæ possunt facile innodari censentur conseruare formam necessariam in ordine ad totum, vt supra dicebamus de Manicis Albæ, quando non sunt corpori assutæ sed globulis vnitæ, Ita Sã verbo Missa, Io: dela Cruz, Molfesius, Cælestinus, Marchantius, & alij, quos citat, & sequitur Diana par. 2. tract. 14. ref. 57. & par. 5. tract. 13. ref. 92. Alij tamen probabilius sustinent deperdi benedictionem, quia ita se habet hæc fractio Cinguli sicut Scissio Planetæ, vel Stolæ in partes: neque est simile id, quod adducitur de Manicis Albæ, quando non sunt assutæ sed globulis adnexæ: quia verè partes Cinguli sunt adhuc contextæ. Ità Conninch, Cardinalis de Lugo. Bonac Auersa locis supracit. non damnarem tamen sequentem primam opinionem ob auctoritatem DD.

Colligitur quinto. Si ex Stola fiat manipulus, vel ex manipulo Stola, Aliqui dicunt non opus esse noua benedictione. Ita Thomas Tambur. de sacrif. loco supra cit. num. 9. Azor, Fagundez, & alij apud Nigrum loco infra citando, quod non videtur absolutè verum; quare ita distinguendum est: Si ex Stola plicata, & in se immutata fiat Manipulus, idest ea aptetur ad vsum Manipuli, non opus est noua benedictione: quia non mutatur prior forma, consequenter non deperditur benedictio, quę vna communis est omnibus indumentis sacerdotalibus, & idem esset si manipulus longior esset, & posset deseruire ad vsum Stolæ ex infra dicendis. Si vero abscindantur, vel recidantur partes, Stolæ, ita vt mutetur prior forma, sub qua fuit benedicta, certè perditur benedictio ex supradictis, & ideo opus esset noua benedictione; Idemque dicendum si manipulo adderentur nouæ partes non benedictæ, quæ superent materiam iam benedictã: quia maior pars trahit ad se minorem. Ita Pcirinus, & Trimarchi, quos citat, & sequitur Niger inaddit Ad Ruiz par. 1. presuppo. 4. quæst. 29.

DVBIVM V.

An sit peccatum mortale sine vestibus sacris celebrare, &c.

RESpondeo certum esse teneri Sacedotes sub p.m. adhibere vestes sacras in actu sacrificij, seu non celebrare nisi cum vestibus sacris, & ritè benedictis: Colligitur ex cap. vestimenta de consecr. dist. 1. & ex communi consuetudine Ecclesiæ, & sensu omnium DD. Dixi cum vestibus sacris, & rite benedictis: nam adhibere vestem non benedictam, perinde est, ac eam non adhibere: quia vestis non benedicta, non est sacra. Ita Henriq. lib. 9. cap. 29 Suarez disp. 82. sect. 3 Bonac disp. 4. quæst. vltima punct. 9. Cardinalis de Lugo disp. 20. sect. 4. num. 98. Auersa quæst. 11. sect. 13. §. communiter, Vasquez disp. 233. cap 4.

Difficultas est, An ratione paruitatis materiæ possit hic contingere p. v. vt si quis omittat vnam tantum vestem, idest voluntariè, & absque iusta causa; Constat autem ex alibi dictis, ex defectu voluntarij celebrantem absque aliqua ex vestibus sacris excusari posse etiam ab omni culpa, si obliuio vel inaduertentia sit inuincibilis: quippe sine voluntario non potest dari peccatum, Vt cum Caetano, Victoria, & alijs norat Suar. supra, Difficultas ergo procedit de omissione voluntaria alicuius sacræ vestis.

Prima sententia negat in casu nostro paruitatem materiæ, & docet omissionem cuiuslibet sacræ vestis esse p. m.

Probatur nam quælibet vestis concurrit notabiliter ad ornatum sacerdotis, & magnum continet mysterium, seu mysticam significationem: Ergo quælibet censenda est materia grauis, consequenter cuiuslibet omissio est p.m. Ita Suar. Bonac. Vasquez supra Filliuc. tract. 5. num. 150. & alij. Hæc opinio est valde probabilis.

Secunda sententia probabilior affirmat. Probatur: quia commune est omnibus præceptis, præsertim humanis dari paruitatem materiæ, & ratione huius paruitatis peccatum ex suo genere mortale transire in veniale, nec est ratio conuincens cur hic ea materię paruitas agnoscenda non sit. Confirmatur: quia inter vestes sacras aliquæ sunt maiores, aliæ minores, ergo datur magnum, & paruum; consequenter paruitas materiæ, Ita Palud. in 4 dist. 13. quæst. 2. art. 5. Riech ibidem art 3. quæst. 4 Silu. verbo Missa 1. num. 2. Heriquez supra Diana par. 2. tract. 14. ref. 68. & par. 5 tract 5. ref. 62. Cardinalis de Lugo, & Auersa supra, Tambur, opusc. de sacrif. lib. 1. cap. 3. §. 1. num. 3.

Hine inferunt DD. citati omissionem solius Cinguli fore pec v, quia est vestis minus considerabilis. Addunt aliqui etiam omissionem solius manipuli fore p.v. ob materiæ leuitatem; secus si vtraque vestis simul omitteretur: Vide Dianam, & alios supra citatos.

Inferunt Secundo omissionem cinguli, vel manipuli in casu necessitatis, & ex causa nullum fore peccatum: qualis autem necessitas excuset in sequenti dubio explicabimus.

DV-

DVBIVM VI.

An in casu necessitatis licitum sit Celebrare absque vestibus sacris.

AD Euidentiam Præmittendum, opus esse distinguere plures gradus necessitatis, minoris, & maioris momenti: Breuitatis autem gratia ad tres gradus reducimus.

Primus Gradus est necessitatis communis; quia videlicet vrget necessitas celebrandi, ne fideles plures, vel pauciores priuentur sacro in die festo, ad quem gradum reducimus necessitatem ipsiusmet sacerdotis, vel spiritualem E. g. ne priuetur remedio ad superandam tentationem: vel temporalem, ne priuetur stipendio sustentationis, quo valde indiget, & alias his similes.

Secundus Gradus est necessitatis grauis, ne moribundus priuetur viatico, & ingenti hoc subsidio ęternæ salutis.

Tertius gradus est necessitatis extremæ vitandi mortem, vel propriam ipsius sacerdotis, vel alterius infligendā ab aliquo, nisi sacerdos celebret absque vestibus sacris.

Similiter Aduertendum, inter vestes sacerdotales alias esse maioris momenti, & magis necessarias, vt sunt Alba, Stola, & Planeta, quæ maiores vestes dicuntur: Alias esse necessarias quidem; sed inferioris gradus, quæ minores dicuntur, quarum infima secundum omnes est Cingulum, Manipulus verò, & Amictus strictiori Iure præcipiuntur, quam Cingulum; sed non ita rigorose, vt aliæ tres primo loco enumeratæ, sicut videri potest apud Gauantum in hanc rubr. num. 5. infine, vbi de Planeta, quamuis Suarez disp. 82. sect. 3. numeret Stolam inter minores vestes, sed certe Stola est vestis propria sacerdotis, & in cap. Ecclesiast. dist. 23. singulariter præcipitur. His positis.

Respondeo, & dico primo in necessitate communi, & casibus supra enumeratis in primo gradu excusatur Sacerdos saltem à p. m. celebrans absque aliqua ex vestibus minoribus, Videlicet sine cingulo, vel manipulo, quia præcepta positiua non obligant eum tanto rigore, quin admitant causam excusantem. Ita Suar. disp. 82. sec. 3. Filliucius. tract. 5. n. 149. qui numerant inter vestes minores etiam stolam Petrus de ledesma tract. de Euchar. cap. 21. conclus. 5. dub. 7. Diana p. 2. tract. de celebrat. Missar. resol. 57. & 68 Fagundez præcepto 1. lib. 3. cap. 23. n. 12. Coninch. q. 83. n. 150. Addit & merito Tamburin. opusc. de sacrif. lib. 1. cap. 3. §. 3. n. 3. excusari sic celebrantem etiam à veniali, quia posita ea causa rationabili, rationabiliter & licitè operatur Sacerdos: Addit insuper, etiam si plures desint ex minoribus vestibus, quarum defectus non infert tantam irreuerentiam contra sacramentum, & sacrificium, si magis vrgeat ea necessitas (quod ex circumstantijs iudicandum erit) Adhuc excusari celebrantem, E. G. si frequens populus cum murmure, vel scandalo dimittendus esset. Ex his, quæ tradit Layman insracitandus nempe conferenda esse ad inuicem, quantus sit defectus vestis, & quanta necessitas celebrandi, & id agendum quod minus malum videtur.

An vero teneatur Sacerdos tunc celebrare, ne populus priuetur sacro in die festo. Respondeo ad obuiandum graui scandalo pusillorum, quod forsan sequeretur ex omissione sacri, teneri, quia secundum probabilem opinionem potest licitè celebrare sine vna vel altera ex vestibus minoribus; secus si non sit sequuturum tale incomodum, vel simile; quia plures DD. tenent id non esse licitum, & saltem esse pec. ven. quorum sententiam sequi potest Sacerdos & abstinere à sacro etiam in die festi, Ita Tambur. supra, Laiman lib. 5. tract. 5. cap. 7. n. 17.

Dico secundo in casu grauis necessitatis vt ad comunicandum moribundū licitum est celebrare absque vestibus minoribus, vt patet à fortiori ex dictis supra in præcedenti Conclus. non vero absque vestibus maioribus: vel aliqua illarum; quia censetur præualere præceptum Ecclesiæ ob reuerentiam huius sacrificij necessitati priuatæ alicuius infirmi: cum hoc Sacramentum non sit necessarium necessitate medij & certe ex defectu alicuius ex maioribus vestibus non læuis sequitur irreuerentia, Ita Auersa q. 11. sec. 13. §. Conueniunt quoque omnes illi DD qui dicunt etiam ad vitandam mortem non esse licitum sine maioribus vestibus celebrare, quos inferius afferemus, & patet à simili ex dictis de Ara consecrata, corporali &c. quia tamen aliqui DD. vt vidimus inter vestes minores numerant Stolam; non est improbabile ad subueniendum infirmo licitum esse celebrare sine Stola.

Colligitur primo in casu necessitatis, tum primi gradus, tum secundi licitum fore vti Stola pro cingulo, vel Manipulo pro stola, si Manipulus longior sit, & competenter aptari possit: quia eadem est omnium vestium benedictio; ergo saltem in casu necessitatis potest vna fungi munere alterius si aliqua apta sit vtrique muneri ita Diana, Cardinalis de Lugo, Auersa, Tambur. locis supra citatis.

Colligitur secundo Quamuis vti veste non benedicta perinde sit per se loquendo, quam vestem illam omittere: quia non est vestis sacra;

era; Nihilominus ad obuiandum scandalo, vel admirationi; quando ob casum necessitatis licitum est celebrare absque aliqua ex vestibus sacris prædictis, sæpe consultius erit vti veste non benedicta, quam prorsus vestem omittere; quod maiorem præbet ansam admirationis, & murmurationis.

Quoad tertium gradum necessitatis extremæ maior est controuersia inter DD. quam examinare oportet.

Constat autem primo inter omnes si metus mortis incutiatur in contemptũ fidei, vel Christianæ Religionis, non esse licitum celebrare absque vestibus sacris, vel aliqua illarum, sed potius mortem oppetendam, vt docent omnes in tractatu de legibus in qualibet materia; Controuersia ergo est, quando metus incutitur ob finem indifferentem, ne Populus, vel Princeps careat sacro, & deest aliqua ex vestibus sacris.

Constat secundo secluso contemptu fidei, licitum esse ad vitãdam mortem celebrare absque vna, vel pluribus ex vestibus minoribus, vt patet ex dictis in prima, & secunda conclusione. Est ergo quæstio de vestibus maioribus, vna, vel omnibus.

Prima sententia absolute negat licitum esse celebrare absque vestibus maioribus, etiam ad vitandam mortem. Probatur, quia ex hac omissione tanta resultat irreuerentia, & tantum generatur scandalum, vt etiam periculo mortis præponderet. Ita Suar. disp. 82 sec. 3. Filliucius tract. 5. cap. 5. num. 149. Caetanus 1. 2. q. 96. art. 4. & alij DD. ibidem agentes de obligatione humanarum legum, Granado 1. 2. Contr. 7. trac. 3. par. 1. disp. 8. sect. 5. Palaus tom. 1. tract. 2. disp. 1. cap. 13.

Secunda sententia idem affirmat, si omittendæ essent omnes vestes, & celebrandum cum vestimentis cõmunibus: secus verò si aliqua solum ex grauioribus, seu maioribus omittenda esset, quia ratio primæ sententiæ militat in omissione omnium, non vero si aliqua solum esset omittenda, Ita Fagundez Præcepto 1. lib. 3. cap. 23. Marchinus, & alij quos citat, & sequitur Tambur. opusc. de sacrificio lib. 1. cap. 3. §. 1. fine.

Tertia sententia probabilior absolute docet licitum esse ad vitandam mortem, vel simile damnum grauissimum celebrare etiam absque omnibus vestibus, vel cum vestibus non benedictis. Probatur: quia leges humanæ, etiam Ecclesiasticæ non obligant, neque obligare possunt communiter cum periculo mortis, vel alterius grauissimi damni: Vsus autem vestium sacrarum in Missa lege humana præcipitur. Ita Nauar sum. cap. 25. n. 84. Salas de legibus disp. 11 sec. 1. Vasq. in 1. 2. disp. 161. cap. 3. Valentia tom. 2. disp. 7. q. 5. Bonac. in Decal. disp. 2. q. 8. n. 9. Diana p. 3. tract. 6. res. 48. & 83. Auersa supra. Addunt aliqui vt Auersa, Quinch. Layman locis supra cit. Moraliter non posse casum occurrere; quia nemo nisi in contemptũ religionis Sacerdotem adiget ad celebrandum sine vestibus sacris, mortis metu incusso. Cæterum quamuis facile non occurrat prædictus casus, non est tamen moraliter impossibilis; Pone enim Ministro Regis, vel Principis commissam esse curam quærendi Sacerdotem, & præparandi necessaria ad Missam, cui Princeps interesse debet, & hora opportuna deficere aliquam ex sacris vestibus, vel non presto esse nisi vestes ob negligentiam non benedictas, Certe non est difficile ministrum illum ne notam negligentiæ incurrat apud Principem, Sacerdotem coacturum etiam metu mortis incusso ad dicendam Missã absque aliqua ex vestibus, vel cum vestibus non benedictis.

Ad Argumentum primæ, & secundæ sententiæ, quoad irreuerentiam Respondetur in casu nostro hãc non interuenire ex parte sacerdotis, quia irreuerentia est priuatio, seu omissio reuerentiæ debitæ, quam quis debet, & moraliter potest rei sacræ præstare: at in casu nostro Sacerdos non potest moraliter, nec tenetur eam reuerentiam præstare, ergo non committit irreuerentiam in illis angustijs.

Quoad scandalum vero Respondetur Illud non fore actiuum, & imputabile Sacerdoti; quia habet iustam causam celebrandi absque vestibus, nec intendit peccatum aliorum, nec tenetur vitare cum tanto incõmodo: quare potius dicitur permittere, nisi grauis ruina pluriomorum timeretur, vt si multi essent à fide defecturi, vel simile commune damnum, quod vitæ corporali præponderet, de qua re agunt DD. in tract. de scandalo. Vide Sanchez sum. lib. 1. cap. 7. & Hurtadum de Mendozza disp. 173. §. 190.

DVBIVM VII.

Quale peccatum sit Immundis vestibus Celebrare.

RESPONDEO, & dico primo celebrare cum vestibus notabiliter immundis, vel laceris, est p. m. Probatur; quia est contra præceptum naturale reuerenter tractandi, & exercendi hoc sacrum, & tremendum ministerium, vt etiam alibi diximus de Tobaleis pat. 1. tit. 20. dub. 6. Ita Sylu. verbo Missa 1. q. 2. Toletus lib. 2. cap. 2. Sà verbo Missa num. 15. Auersa qu. 11. sec. 13. §. rursus. Bonac. de sacram. disp. 4 q. vlt. punc. 9. n. 23. Fagundez præcept. 1. lib. 3. c. 23. n. 20. Layman. lib. 5. tract. 5. cap. 6. n. 15.

Dico

Dico secundò. Si immunditia non sit notabilis, solum interueniet p. v. Probatur, quia non est cur in hoc præcepto non detur paruitas materiæ DD. citati.

Dico tertio sæpe excusari ab omni culpa Sacerdotes inferiores, vel subditos, si superiorem admonuerint, vt vestes, & vasa sacra refici mundarique curet; & nihil effecerint, quando vestes non pertinent ad priuatos Sacerdotes, vel earum cura. Probatur quia illi peccant ad quos pertinet cura sacrarum vestium, & quibus incumbit obligatio vt farciantur & mundentur; sed ad Prælatos, & Rectores Ecclesiarum pertinet cura rerum sacrarum, & ad ministros, quos ipsi Prælati ad hoc munus destinarunt, vt patet ex cap. 2. de Custodia Euchar, & particulares Sacerdotes vix possunt huic malo obuiare sed vtuntur vestibus, quibus possunt & quas in Sacristia inueniunt. ergo &c. Ita Layman supra & Fagundez. Idem in simili dicemus de vino parum acido p. 3. tit. 4. dub. 13.

DVBIVM VIII.

An peccet Sacerdos omittens orationes præscriptas, dum induit sacras vestes.

Aliqui putant omissionem prædictarũ orationum esse p. m. Ita Nauarr. Sum. cap. 25. n. 23: quia opinatur rubricas esse præceptiuas.

Respondeo, nihilominus per se loquendo id nullum esse peccatum etiam si pro Missa accipiat paramenta: quia rubrica in hac parte non est præceptiua sed directiua, & consilij; vt latè probaui quæst. proœmiali sec. 2. punc. 2 & docent Suar. to. 3. in 3. disp. 82 in proœmio, Bur. card. de ordine Missæ circa Initium; Cardinalis de Lugo De Euchar. disp. 20. sec 4 n. 106.

Dixi per se loquendo quia potest hic contingere p. v. ratione motiui, vel finis illiciti, ratione cuius omittuntur, E. g. negligentia, vel tedium rerum spiritualium &c. Vt alibi diximus. Dixi etiam si pro missa accipiat Paramenta; nam pro Vesperis & alijs functionibus non dicuntur, nec assignantur nisi pro missa, Castaldus in praxi Cer. lib. 2. sec. 5. cap. 8. n. 3. Polacus in Aphorismis cap. 4. Bonamicus obseru. 2. fine.

DVBIVM IX.

De Vestibus communibus Sacerdotis quales esse Debeant.

Sacerdos celebraturus, & sacris vestibus induendus, debet ad Sacristiam, & ad paramenta accedere decenter indutus vestibus communibus, seu vsualibus sibi conuenientibus, quo circa duo præscribuntur in hac rubr. num. 2. Videlicet vt eius vestis exterior sit talaris, & calceatis pedibus accedat. Videndum est ergo qualis sit hæc obligatio.

Prima Difficultas. An, & qualiter peccet sacerdos celebrans sine habitu Clericali, & tonsura.

Respondeo per se loquendo, & secluso casu necessitatis hoc esse p. m. Videlicet si sacerdos habitu laicali ad paramenta sacra accedat, & hæc superponat vestibus merè secularibus, & sic celebret, itaque necessario, & ex præcepto præequiritur vestis clericalis, vel religiosa.

Probatur, quia neglectus habitus Clericalis tunc saltem est p. m. quando spectatis circumstantijs personæ, loci, & temporis notabiliter repugnat honestati, & fini ob quem præcipitur, vt latius infra probabimus agentes de habitu Clericali 3 par tit. 6. Vbi de defectibus Ministri in communi, & videri potest Layman libro 5. tract. 9. cap 10. num. 2. sed spectatis circumstantijs prædictis in casu nostro neglectus habitus notabiliter, & maximè repugnat honestati, & fini præcepti. Ergo &c.

Colligitur primo facilius excusari posse a mortali defectum solius tonsuræ, seu coronæ, quia non tantam indecentiam præ se fert, sicut defectus vestis Clericalis. Ex dicendis de defectibus tit. 6. citato, vbi ex professo dicemus de tonsura, & in hac rubr. num. 2. fit expressa mentio de veste talari, & nihil dicitur de tonsura, quamuis dici possit subintelligi, quia sunt correlatiua.

Colligitur secundo in Clericis peregrinis, et rusticanis tolerari posse breuiores vestes, non tamen supra medium Crus, vt cum Homobono tract. 4. quæst. 45. notat Gauantus in hanc rubr. littera q.

Secunda Difficultas. An peccet Sacerdos celebrans sine calceis, seu nudis pedibus. Quidam tenent esse p. m. celebrare nudis pedibus, vel sine calceis ob consuetudinem, quam putant vim legis habere; Ita Silu. verb. Missa 1. quæst. 92. conclus. 1. cum alijs.

Respondeo Nihilominus per se loquendo, et secluso contemptu, vel scandalo, vel nullum esse peccatum, vel ad summum veniale: quia in Iure nullum extat de hac re præceptum, et consuetudo non fuit eo animo obligandi introducta: hoc ergo spectat ad solam decentiam, et honestatem: Ita DD. communiter, Suarez disp. 82. sect. 3. Cardinalis de Lugo disp. 20. num. 102. Sa verbo Missa num. 15. Coninch. quæst. 83. num. 251. Layman lib. 5 tract. 5 cap 6. num. 15. Bonac. disp. 4 quæst. vltima punct. 9. num. 29. Auersa quæst. 1. sect. 13. §. Septimo

TITV-

TITVLVS II.

DE INGRESSV SACERDOTIS AD ALTARE.

1 SACERDOS omnibus paramentis indutus, accipit manu ſiniſtra Calicem, vt ſupra præparatum, quem portat eleuatum ante pectus, burſam manu dextera ſuper Calice tenens, & facta reuerentia Cruci, vel imagini illi, quæ in Sacriſtia erit, capite cooperto accedit ad Altare, miniſtro cum Miſſali & alijs ad celebrandum neceſſarijs (niſi ante fuerint præparata) præcedente, ſuperpelliceum induto. Procedit autem oculis demiſſis inceſſu graui, erecto corpore. Si verò contigerit eum tranſire ante Altare maius, capite cooperto faciat ad illud reuerentiam: Si ante locum Sacramenti, genuflectat: Si ante Altare vbi celebretur Miſſa, in qua eleuatur, vel tunc miniſtratur Sacramentum, ſimiliter genuflectat, & detecto capite illud adoret, nec ante ſurgat, quem celebrans depoſuerit Calicem ſuper Corporàle.

EXPLICATIO LITERALIS.

AD quatuor Capita reuocantur ea, quæ iuxta hanc rubricam obſeruare debet Sacerdos, dum è ſacriſtia progreditur ad Altare.

Primum continet modum procedendi, & id quod geſtare debet ipſe Sacerdos in via.

Secundum docet adhibendum eſſe miniſtrum: qui ſacerdotem comitetur.

Tertium monet præter alia neceſſaria ad celebrandum deferendum eſſe miſſale, quo vti debet ſacerdos in recitatione Miſsæ.

Quartum tandem explicat reuerentias exhibendas à Sacerdote ab initio progreſsus, vſque dum peruenerit ad Altare.

Quoad Primum Sacerdos omnibus paramentis indutus procedit ad Altare Siniſtra Calicem portans eleuatum ante pectus, dexteram extenſā ſuper burſam corporalium tenens, vtique ad cautelam, ne aliquid decidat. Ratio verò moralis videtur eſse, vt præ oculis habeat, & mente ruminet ad quæ myſteria celebranda accedat; Item vt imitetur Chriſtum, qui calicem paſſionis oblatum à Patre non recuſauit ſed obediens acceptauit, ſi non poteſt hic calix tranſire niſi bibam illum fiat voluntas tua.

Procedit verò ſacerdos oculis demiſſis, inceſſu graui, erecto corpore, quod ad ſeruandam modeſtiam, & decentem grauitatem præſcriptum eſt, vt notat Suar tom 3. in 3. p. diſp. 84. ſec 1. circa initium, & Caſtaldus in praxi. lib. 2. ſec. 8 cap. 1. n. 4

Quoad ſecūdum requiritur neceſsario Miniſter, qui ſacerdoti inſeruiat in ipſo actu celebrationis; ex cap. propoſuit de fil. presb. & ipſum Sacerdotem ſolum ad Altare accedere, contra grauitatem eſset ex Suar. ſupra; ad hunc ergo miniſtrum pertinet primo deferre Miſsale ante pectus. ſecūdo vt in egreſsu e ſacriſtia accipiat aſperſorium aqua benedicta imbutum, & ipſum reuerenter oſculando Sacerdoti porrigat, qui ſeipſum, & miniſtrum aſpergens, dicat Aſpergens me &c. quod valde laudabiliter ſeruatur, quamuis in rubrica non exprimatur, vt monet Caſtaldus in praxi lib. 1. ſec 4. cap. 1 n 7. & Bonamicus in obſeruationibus Eccleſ. de obſeruandis a Sacerdote n.4 qualis autem ſit obligatio adhibendi miniſtrum, & cuius conditionis eſse debeat, in dubijs conſcientiæ explicabimus.

Quoad tertium de miſsali neceſsario adhibendo in recitatione Miſsæ, dicemus etiam in dubijs conſcientiæ:

Quoad vltimum prima reuerentia facienda eſt à ſacerdote Cruci, vel imagini, quæ eſt in ſacriſtia, ideſt inclinatione capitis, & capite cooperto. Secundo ſi contigerit eum tranſire ante Altare maius, capite cooperto facit ad illud reuerentiam, ideſt capitis inclinatione, quod præſtabit quando in eo non aſſeruatur ſanctum Sacramentum; nam tunc eſt genuflectendum cooperto capite vt exprimitur in hac eadem rubrica. Si verò tranſeat Sacerdos ante altare vbi celebratur Miſsa, in

qua

qua eleuatur, vel tunc ministratur Sacramentum, debet Sacerdos genuflectere vtroque genu, & detecto capite illud adorare, nec ante surgat, quam celebrans deposuerit calicem, &c. Ex qua rubrica colligitur pariter genuflectendum, & caput detegendum cum transire contigerit ante locum, in quo sanctissimum Sacramentum est expositum, & ante Altare, in quo post cõsecrationem adhuc adest Sanctissimum Sacramentum, & pariter si per Ecclesiam fiat ei obuiam deferens sanctissimum Sacramentum, genuflectendum, donec transeat & quidem vtroque genu, quando immorandum est; vnico vero si in transitu. et absque mora genuflectendum. Vide Castaldum supra lib. 2. sec. 8. cap. 1. n. 5. et Gauantum in hanc rubricam: quæ omnia pariter præstare debet minister, vt notant citati auctores.

Monet etiam Castaldus supra n. 2. ne sacerdos per viam caput detegat alicui, nec etiam Principi, vel Prælato cuiuscunque gradus; ac similiter si alius Sacerdos etiam sacris indutus vestibus ei fiat obuius; sufficit enim si talibus caput inclinet. Ratio assignari potest, quia debet tenere dexteram super Calicem, ne aliquid labatur, præsertim Patena cum hostia, quod magis curandum est ob reuerentiam sacrificij, quam caput detegere etiam Prælatis.

2 CVM peruenerit ad Altare, stans ante illius infimum gradum, caput detegit, biretum ministro porrigit, & Altari, seu imagini Crucifixi desuper positæ profundè inclinat. Si autem in eo sit tabernaculum sanctissimi Sacramenti, genuflectens debitam facit reuerentiam. Tunc ascendit ad medium Altaris: ibi ad cornu Euangelij sistit calicem, extrahit Corporale de bursa, quod extendit in medio Altaris, & super illud Calicem velo coopertum collocat, bursam autem ad cornu Euangelij. Si in Altari paramenta accepit, hoc idem facit antequam descendat ab Altari, vt Missam inchoet.

CVm Sacerdos peruenerit ad Altare. Primo Caput detegit, debet enim detecto capite Altari adstare in toto progressu sacrificij, Ex cap, nullus de Consecr. dist. 1. Ratio est manifesta, quia per sacrificium deferimus Deo supremum latriæ cultum, tanquam absoluto omnium Domino, & simul profitemur nostram illi subiectionem: ergo in toto eius progressu debet sacerdos immediate cum Deo tractans, ei exhibere debita signa reuerentiæ: Constat autem detectionem capitis esse primum reuerentiæ signum, quod exhiberi solet.

Secunda Ratio sumitur ex Apostolo 1. Corin. 11. vir non debet velare caput suum, quoniam Imago, & Gloria Dei est: & supra vir orans velato capite deturpat caput suum, nempe Christum, qui est caput viri, Caput vero Christi Deus, ex eodem Apost. ibidem: Quæ ratio sic explicari potest, Gloria Dei præsertim in Ecclesia dum oramus, & sacrificium offerimus, reuelanda est, non occultanda: ergo sacerdos in actu sacrificij non debet velare caput, in quo Christus, & gloria Dei elucet, sed detegere; alioquin deturpat caput suum, idest dedecorat, quasi erubescens Christum, & eius gloriam; Vide Cornelium à lapide in hunc locum Pauli. Accedit alia ratio mystica hinc desumpta, quam infra explicabimus in sensu mystico. Quale autem peccatum sit tecto capite celebrare, & Pileolo vti in Dub. Conscientiæ examinabimus.

Secundo Præscribitur, vt sacerdos profunde inclinet Altari, seu Imagini Crucifixi in Altari existenti. Vbi obseruandum quandoque dici in rubricis, vt simpliciter fiat reuerentia, aut inclinatio, quandoque additur profunde, vt in casu nostro. Prima reuerentia fit tantum capitis inclinatione ad Pectus absque vitæ motu, vel paruo. Secunda fit capitis, & humerorum inclinatione, vt cum Ruiz, & alijs notat Castaldus in Praxi libro 2. sect. 1. cap. 5 num 7. & Bonamicus par. 1. obser. 12. quod si in Altari sit santissimum Sacramentum reuerentia facienda est genuflexione

Tertio. Ascendit sacerdos ad medium Altaris, & sistit calicem in cornu Euangelij, quod magis expeditum est, quia cornu Epistolæ occupatur a Missali: Deinde extendit Corporale super medium Altaris, vbi est Ara consecrata. & super corporale collocat Calicem velo coopertum: totus autem Calix saltem quoad partem anteriorem debet esse coopertus, dum recitatur ea pars Missæ, quæ dicitur Cathæcumenorum, vt postea in Missa fidelium discooperiatur: quia reuelari debent fidelibus magis expresse Arcana Passionis Christi Mysteria, vt dicemus cum de Offertorio.

Quarto; Si Sacerdos in Altari accipit para-

menta, eadem præstare debet, ideſt circa extenſionem corporalis, & poſitionem Calicis, quibus autem competat accipere paramenta in Altari; Dicemus in Dub. Conſcientiæ.

3 SI eſt conſecraturus plures Hoſtias pro Communione facienda, quæ ob quantitatem ſuper Patena manere non poſſint, locat eas ſuper corporale ante calicem, aut in aliquo calice conſecrato, vel vaſe mundo benedicto ponit eas retro poſt calicem, & alia Patena ſeu palla cooperit.

HIc traditur Triplex modus collocandi minores hoſtias, ſeu particulas, quando ſacerdos eas eſt conſecraturus pro communione facienda.

Primus eſt ſi Particulæ paucæ ſunt, & commode manere poſſunt in Patena cum maiori hoſtia, locet eas ſacerdos ſuper Patenam vſque ad oblationem, Deinde eas reponat ſuper corporale, vt fit de hoſtia maiori.

Secundus modus ſi ob quantitatem ſuper Patenam manere non poſſunt, locet eas ſuper corporale ante Calicem.

Tertius modus magis aptus eſt, & expeditus, vt locet eas in aliquo Calice conſecrato, vel in Vaſe mundo benedicto, ideſt Pyxide (quod additum eſt in nouis Miſſalibus reformatis) & ponit eas retro poſt Calicem ſuper Corporale, & cooperit Patena, vel Palla, Adde vel proprio operculo Pyxidis Vide Caſtaldum in Praxi lib. 1. ſect. 8. cap. 1. num. 9. An autem Pyxis debeat neceſſario, & ſub præcepto eſſe benedicta, & de eius materia dicemus in Dub. Conſcientiæ.

4 Collocato calice in Altari, accedit ad cornu Epiſtolæ, miſſale ſuper cuſſino aperit, reperit Miſſam, & ſignacula ſuis locis accomodat. Deinde rediens ad medium Altaris, facta primùm Cruci reuerentia, vertens ſe à cornu Epiſtolæ, deſcendit poſt infimum gradum Altaris, vt ibi faciat confeſſionem.

QVæ hic præſcribuntur plana ſunt, & facilem habent explicationem.

Primo Accedit ſacerdos ad cornu Epiſtolæ, & aperit Miſſale &c. quod non vacat myſterio, vt dicemus in ſenſu myſtico.

Secundo Rediens ad medium Altaris facit Cruci reuerentiam, & vertens ſe à cornu Epiſtolæ deſcendit: Rectus ordo motus naturalis eſt à dextera ad ſiniſtram, quando quis ſe vertit, cum ergo dextera ſacerdotis reſpiciat ſiniſtrum latus Altaris, ideo à cornu Epiſtolæ ſe vertens deſcendit.

Tertio; Siſtit ſe ſacerdos poſt infimum gradum Altaris, non ſupra gradum, ſed in plano cappellæ in ſignum humilitatis; quia facturus eſt confeſſionem, quæ eſt actus humilitatis. Quod ſi ſint plures ordines graduum, ſatis erit deſcendere poſt infimũ gradum primi ordinis, Caſtald. ſupra num. 12.

5 In Miſſa ſolemni Miſſale apertum ſuper Altare, Calix verò & alia neceſſaria præparentur in Credentia cooperta linteo, antequam Sacerdos veniat ad Altare. Ipſe autem procedit cum Diacono & Subdiacono, qui capite cooperto, ſimul cum eo tenent manus iunctas ante pectus: Acolythi verò ante eos deferunt candelabra cum candelis accenſis, quæ deinde collocantur ſuper Credentia: & cùm peruenerit ante infimum gradum Altaris, ibi medius inter Diaconum à dextris, & Subdiaconum a ſiniſtris, antequam aſcendat ad Altare, facit cum ipſis (vt infra) Confeſſionem,

6 In Miſſa Pontificali omnia ſeruentur, vt in Cæremoniali ordinatur, cuius ordinem Epiſcopus numquam prætermittat, quandocumque cum Diacono & Subdiacono paratis celebrat.

De

DE Ritibus, & caeremonijs seruandis in Missa solemni, quae videlicet cum ministris cantatur respondente Choro, nihil hic dicimus, & pauca infra adnotabimus iuxta ordinem harum rubricarum, tum quia exactè explicantur in caeremoniali Episcoporum, vnde iam actum agere videremur, tum etiam ne horum rituum additione confundamus lectoris memoriam: tandem quia instructus de ritibus seruandis in Missis priuatis, facile addiscet alios qui pertinent ad Missam solemnem, nec desunt Auctores, qui in hac materia egregiè desudarunt, & in primis P. Castaldus in sua Praxi Caerem. qui lib. 2. tota sect. 9. agit de Missa solemni, ad quem remitto lectorem.

SENSVS MYSTICVS.

PRimo Sacerdos ad Altare procedens, & Calicem portans ante Pectus repraesentat Christum, qui Calicem Passionis semper habuit prae oculis mentis, et intra Pectus, ob ingens desiderium bibendi illum, Baptismo habeo baptizzari, et quomodo coarctor vsque dum perficiatur, Luce 12. Et Calicem quem dedit mihi Pater non vis, vt bibam illum; vt etiam innuimus in littera; Hugo victor. in speculo capit. 7.

Secundo; Sacerdotes noui testamenti detecto, et aperto capite sacrificium offerunt, e contra sacerdotes veteris legis tecto, et velato capite, idest Tiara sacrificia, et facta iubebantur peragere vt patet Exod 28, Quia caput nostrum Christus est Ex Apost 1. Cor 11. caput viri Christus, Christus autem ex Epiph haeres. 28. in nouo testamento nobis conspicuus, et manifestus est, qui in lege veteri Iudeis erat velatus, et absconditus, Epiphanius supra, et Cornelius à lapide in citatum locum D. Pauli.

Tertio; Sacerdos Missale aperiens, et ex eo diuina mysteria populo annuntians denotat Christum, qui solus dignus inuentus est aperire librum et soluere signacula eius, vt habetur Apocal. 5. Ita Innocentius III. de Misterijs Missę lib. 2. cap 3. Liber autem Apocalypsis signatus sigillis septem est sacra scriptura; Septem vero sigilla significant plenitudinem mysteriorum Christi, quae in sacra Scriptura continentur, quae nisi Christus adueniens, et pro nobis moriens compleuisset, nemo intellexisset; Ita D. Hyeron. Beda, Primatius, et alij expositores communiter apud Pererium in Apocal cap. 5. disp. 1.

DVBIA CONSCIENTIAE

DVBIVM I.

De Ministro Missae, & An requiratur ex Praecepto, &c.

CErtum est ad sacrificium Missae rite peragendum requiri saltem ex decentia, & congruitate ministrum aliquem, qui celebranti seruiat, & respondeat: Ratio est quia supposito ritu Missae ab Ecclesia instituto, celebrans interdum alloquitur fideles adstantes, vnde oporter vt aliquis adsit, & respondeat; Item debet manus, & digitos abluere, vnde opus est vt aliquis ei ministret aquam, & vinum infundendo, quae minus apte, & in decore ab ipsomet sacerdote praestari possunt, vt notant communiter DD. infra citandi. Hoc posito.

Prima Difficultas est: An, & qualis sit obligatio adhibendi Ministrum in Missa.

Prima Sententia docet hoc non cadere sub obligatione saltem graui, neque sub graui praecepto, sed absolute loquendo posse sacerdotem solum caelebrare, & absque ministro. Probatur. Tum quia in Iure nullum extat de hac re praeceptum: Tum quia olim in desertis, & speluncis, praesertim in persequutionibus sacerdotes soli celebrabant sibi ipsis respondentes, Ita Nauar in consil. libro 1. tit. de corpor. vitiatis, Zerola in Praxi Episcop. par. 2. verbo Missa § 3. Layman lib 5. tract. 5. cap. 6 num. 13.

Secunda Sententia communis, & vera docet adhibendum esse saltem vnicum ministrum in Missis priuatis ex praecepto graui, & sub p. m. probatur primo ex cap. proposuit de filijs Praesbit. vbi dicitur non posse solum praetbyterum Missarum solemnia sine ministri suffragio celebrare, & quamuis dici posset ibi sermonem esse de Missa sollemni. Nihilominus saltem implicitè idem decerni videtur de Missis priuatis.

Probatur secundo; Efficacius ex communi praxi, & consuetudine Ecclesiae, quam communis sensus DD interpretatur vim legis habere, & sub p.m. obligare, Ita Suar. disp. 87. sect. 1. Cardinalis de Lugo de Euchar. disp. 20. n. 103. Barthol. ab Angelo Dialog. 5. num 408. Bonac. disp. 4. quaest. vltima punct. 9 num 34. Auersa quest. 11. sect. 9. §. secundo, & alij communiter apud Dianam par. 10. tract. 15. res 26.

Ad Fundamentum primae sententiae; Respondetur obligationem grauem oriri saltem ex lege non scripta, & consuetudine obligante sub p.m., quae consuetudo, vel olim non ita rigide erat introducta, vel melius excusabantur sa cer-

dotes ratione necessitatis, vt patebit ex dicendis in secunda difficultate.

Colligitur primo in Missis priuatis sufficere vnicum ministrum vt communis vsus testatur: In Missis vero solemnibus, quæ cantantur cum Diacono, & Subdiacono, & Acolytis, certum est requiri plures iuxta varias Ecclesiarum consuetudines, vt docent citati DD.

Colligitur secundo ex dispensatione summi Pontificis licitum esse celebrare absque vllo inseruiente. Quia cum præceptum non sit diuinum, sed Ecclesiasticum potest dispensari à summo Pontifice i DD. citati.

Secunda Difficultas. An in casu necessitatis licitum sit sine ministro celebrare absque dispensatione.

Respondeo Affirmatiuè ax communi DD. sententia. Probatur: quia non videtur Ritus tam grauis, & necessarius, vt non censeatur exceptus casus necessitatis, & interdum potest occurrere præceptum præualens, Ita Cardinalis de Lugo supra citatus, Coninch. quæst. 83. n. 265. Fagundez. Villalobos, Syluius, et alij, quos citat, et sequitur Diana par. 2. tract. 14. res. 43. et par. 10. tract. 15. res. 26.

Colligitur primo. Si sacerdos in periculo mortis, vel ipse est sumpturus viaticum, vel alteri moribundo præbiturus, et desit minister, eum posse celebrare absque inseruiente, DD. citati apud Dianam supra: Quia præualet præceptum Diuinum sumendi Euchar. in articulo mortis.

Colligitur secundo in Dominicis, & festis si desit Minister inseruiens: sacerdotem posse licitè celebrare solum, vt satisfiat præcepto, Tum ab alijs fidelibus, tum ab eodem celebrante etiam si non adsint Alij qui Missam perant; quia cum non sit ritus valde grauis, facilior est causa excusans. Ita DD. quos citat & sequitur Diana supra, quibus adde coninch. l. c. Tambur. opusc. de sacrific. lib. 1. cap. 7. §. 5 Auersam loco supracitato, Vbi alios citat Quod si nolit Sacerdos celebrare ob carentiam ministri non peccat: quia potest sequi opinionem probabilem negantium hanc necessitatem esse sufficientem ad excusandum ab eo præcepto, Vt cum alijs negat Bonacina supra, Bartholomeus ab Angelo n. 401., & alij. In hoc tamen casu si necessitas ordinaria proueniret à voluntate Sacerdotis, qui talem elegit habitationem, vt non possit habere ministrum E. g. si vellet Eremita degere solitarius, omnino requiritur dispensatio Pontificis: nam illa non potest dici propriè necessitas; sed voluntas. Ita Suar. Auersa, Tambur cum alijs locis supra citatis.

Colligitur tertio si post inceptam missam Minister recedat, potest, & tenetur sacerdos prosequi, & perficere sacrificium, quia maior est obligatio perficiendi sacrificium, quam adhibendi inseruientem. ita Enriq. lib. 9. c. 30. n. 5. Diana supra, & communiter.

Colligitur quarto non videri causam sufficientem celebrandi sine ministro, priuationem stipendij, quod lucratur Sacerdos ex Missa: quia reuerentia sacrificij, & debitus modus celebrandi præualere debet lucris temporalibus, nisi alias grauiter eo subsidio indigeret sacerdos, nec vllus DD. hanc causam assignat.

Tertia Difficultas. Qualis minister sit adhibendus in Missa.

Respondeo, & dico primo debere esse masculum, & omnino repelli fœminas, vt constat ex cap. 1 de cohabit. Cleric. & mulierum, Vbi grauiter prohibetur ne fœmina ad Altaris ministerium accedat. Et ratio decentiæ idem postulat, & obligatio vitandi omne periculum tentationis in loco tam sacro, & in ministerio tam sublimi, Ita comuniter DD. citati in præcedentibus difficultatibus, & plures allegat P. Diana p. 2. tract. 14. res. 44. & p. 10. tract. 15. res 26.

Colligitur primo in casibus necessitatis, de quibus diximus in secunda diff. potius celebrandum esse sine vllo ministro, quam adhibendam fœminam ad Altare ministrantem. Ratio quia hoc indecentius videtur, & magis euitandum, quam celebrare sine ministro. Item expressius in iure prohibetur, Ita Suar. Coninch, Cardinalis de Lugo Tambur. ;ll. co. & plures affert Diana res. 44. citata.

Colligitur secundo remotè, & procul ab Altari posse fœminas celebranti respondere, vt solent Moniales ex Choro; quia solum prohibetur illarum accessus ad Altare, & ministerium proximum præbendi Vrceolos ec. Vt notant Auersa, Cardinalis de Lugo i Tambur. locis citatis, et communiter apud Dianam.

Dico secundo teneri sacerdotem adhibere ministrum habilem, qui sciat respondere, & reliqua præstare; ita vt non sit periculum erroris grauis in sacrificio: Probatur. quia tenetur sacerdos præcauere defectus, et errores. in hoc ministerio, quamuis rarissimè timeri possit error grauis, et notabilis ob ignorantiam ministri, quando Sacerdos, est bene instructus de his, quæ pertinent ad ritus sacrificij, et facile potest ministrum corrigere E. g si ministret aquam loco vini, nec in reliquis potest contingere error notabilis, Ita Suar, Bonacina, Ledesma supra allegati.

Colligitur primo ministrum ipsum fere nunquam peccare mortaliter in defectibus, qui ex parte illius contingunt: quia communiter excusatur, vel ob inaduertentiam, et ignorantiam

vel

vel ratione paruitatis materiæ, et obligatio potius est ex parte sacerdotis adhibendi ministrum idoneum: DD. citati.

Colligitur secundo si adsit, qui non exactè respondere calleat posse licitè sacerdotem, illo inseruiente celebrare: quia hic poterit saltem Vrceolos ministrare, et Sacerdos in responsionibus supplere sicut supplet quando solus recitat officium, nec requiritur in hoc casu grauis necessitas celebrandi; sed sufficit qualibet causa rationabilis: Ita Auersa q. 11. sect. 9. §. Quod si contingat. Cardinalis de Lugo supra, Suar. disp. 87. sec. 1. Filuccius tract. 5. n. 196.

DVBIVM II.

An ad Missæ recitationem requiratur ex Præcepto liber Missalis.

Resp. regulariter & simpliciter loquendo requiri Missale, & teneri sub p. m. celebrantē eo vti, seu illud presens habere in Altari. Probatur: quia tenetur celebrans recitare integrè Missam pro vt in Missali præscribitur, ita vt si partem notabilem omittat vel plura verba canonis peccet mortaliter. Item si se exponat periculo omittendi partem notabilem: sed celebrans absque missali regulariter se exponit huic periculo. ergo &c. Ita DD. communiter, D. Antonius, Syluester, Nauarr. Graffis, quos refert et sequitur Bonacina de Euchar. disp. 4. q. vltima punc. 9. num. 30. Henriq. lib. 9. cap. 29. n. 6. Suar. disp. 81. sec. 6. Vasq. disp. 234. n. 27. Auersa q. 11. sec. 13. §. Requiritur quoque.

Colligitur primo. Quid sit dicendum de Tabella Secretarum videlicet eam non requiri necessario; sed pro maiori commoditate celebrantis; potest enim sacerdos ea secreta legere ex missali quamuis non ita commodè: DD. citati.

Colligitur secundo posse licitè sacerdotem memoriter dicere presente missali, siuè canonem, siuè alias partes Missæ quas firmiter, & securè memoria tenet; quia tunc si quid erroris aut perturbationis contingat: facilè suppleri potest, & emendari ex missali, non item si missale desit vel non sit in Altari, Doctores citati.

Difficultas consistit in eo. Quid si sacerdos aliquis egregia memoria polleat, ita vt sit omnino securus nihil omissurum, & nulli periculo errandi se exponere, etiam si celebret absque missali, An hic possit licitè celebrare absque missali.

Prima sententia negat; quia quantumuis suæ memoræ quis fidat prudenter tamen semper est formidandum, præsertim in re tam graui, ergo nunquam cessat periculum grauis erroris. Ergo nunquam excusatur a p. m. sic celebrans absque missali in Altari, ita Fagundez præcep. 2. lib. 3. cap. 21. n. 32. Coninch q. 83. n. 251. cum alijs.

Secunda sententia probabilior affirmat seclusо scandalo, & posito casu, quod verè cesset periculum errandi. Probatur quia tota obligatio adhibendi missale oritur ex periculo errandi in Missa, nec aliunde extat de hac re præceptum: ergo cessante omnino periculo cessat ea obligatio, sed potest cessare periculum posita firma, & egregia alicuius memoria, præsertim si dicatur Missa defunctorum, vel de Beata Virgine: ergo potest cessare prædicta obligatio, & consequenter omne peccatum, ita Layman, Villalobos, Ledesma, quos citat, & sequitur Diana p. 2. tract. 13. res. 46. Auersa supra, Cardinalis de Lugo de Euch. disp. 20. n. 78. Vasq. supra n. 26. Addit Auersa facilius permitti posse celebrationem sine libro in priuato sacello, & coram solo ministro, quam cōram multis adstantibus, vbi timor ipse labendi constituit sacerdotem in maiori periculo.

Colligitur Primo excusari posse à peccato eos, qui cum legere non possint ob debilitatem visus, adhuc celebrant missam memoriter recitando, cessante periculo, & dummodo videant quantum satis est ad reliquas actiones missæ ritè peragendas, Ita Vasq. & Cardinalis de Lugo supra; et nos etiam diximus q. proemiali.

Colligitur secundo Ad remouendum scandalum quando deest Missale, posse adhiberi alium librum propter Adstantes, Ita Diana supra.

DVBIVM III.

Quale Peccatum sit celebrare Capite cooperato, seu velato, et Vti Pileolo in Altari, etc.

Constat ex cap. Nullus Episcopus de Consf. dist. 1. Prohibitum esse sub pæna excommunicationis velato capite celebrare: Quare communiter fatentur DD. ibi præceptum contineri, & subinde peccare sacerdotem coopertо capite celebrantem, etiam si solo Pileolo vteretur; quia excluditur omne velamen; Ita Siluester, Tabiena, Angelus, & alij Summistæ verbo Missa, Suar. to. 3. in 3. p. disp. 82. sect. 3. Filiucc. tract. 5. n. 151. Bonacina disp. 4. q. vltima punct. 9. Layman lib. 5. tract. 5. cap. 6. n. 16. Dia-

Diana par. 2. tract. 14. res. 58. Auersa quæst. 11. sect. 13. §. Tandem. Cardinalis de Lugo disp. 20, num. 102.

Prima Difficultas est; An hoc præceptum obliget sub mortali, vel solum sub veniali.

Prima Sententia sustinet obligare sub p. m, ex genere suo: quare si partem notabilem Missæ quis reciret cooperto capite mortaliter peccat, saltem absque causa, & extra casum necessitatis, Ità Angelus, Armilla verbo Missa, quibus fauent Suar. & Filiucc. quatenus supponunt absolute hoc esse graue præceptum, & solum in casu necessitatis excusant transgressorem à p. m.

Secunda Sententia excusat absolute à p. m. vtentem Pileolo in Missa secluso scandalo, & contemptu: quia videtur læuis materia, & insufficiens ad obligationem grauem, & sub p.m. Ità Petrus de Ledesma sum tract. de Euchar. cap. 21. conclus. 7. quem sequitur Diana par. 2. tract. 14. res 58.

Tertia Sententia Probabilior, cui adhæreo, distinguit. Si tota Missa celebretur capite cooperto committitur p. m. quia est grauis irreuerentia, & grauis transgressio præcepti Caput habere coopertum, quando in Altari est Corpus Christi, & species sunt consecratæ; Si vero id fiat vsque ad Canonem. vel vsque ad Consecrationem exclusiuè, solùm erit p. v. quia tunc non censetur grauis, irreuerentia: Ità Villalobos tom. 1. trac. 8. dub. 19. num. 11. Bonae. disp. 4. de Euchar. quæst. vltima punct. 9. num. 29. cum alijs. & dicit probabilem Niger addit. ad Ruiz par. 2. Reg. 1. quæst. 6. Addo hæc intelligenda esse de vsu Pileoli. in quo non apparet grauis deformitas. Cæterum si quis in Missa etiam ante consecrationem per tempus notabile vteretur Bireto, vel Caputio ad tegendum caput, censeo eum peccaturum mortaliter: quia videtur grauis deformitas, & abusus.

Secunda Difficultas. An saltem celebranti Missam licitum sit tegere caput amictu.

Prima Sententia affirmat. Probatur: quia amictus institutus fuit ad operiendum caput, & idcirco vocatur Galea salutis. Confirmatur: quia olim sacerdotes celebrabant amictu super caput posito, postmodum vero Consuetudo obtinuit, vt ad collum obuoluatur: & à Regularibus qui Capucio vtuntur, reflectatur super Casulam, non tamen videtur vetitum morem antiquum imitari. Ita Nauar. lib. 3. consil. tit. de celebratione Missarum consil. 4. Rodriquez sum. cap. 249. num. 13.

Secunda Sententia absolute vera negat: quia in cap. Nullus citato absolute prohibetur capitis Velamen, & vsus oppositus videtur introductus sub obligatione. Ita Ledesma, Azor to. 1. cap. 28. quæst. 16. cum alijs communiter.

Tertia Difficultas. An in casu necessitatis, vel ex iusta, & rationabili causa licitum sit vti Pileolo in Missa, saltem ante consecrationem. E. g. ratione infirmitatis, vel Caluirij, vel intensi frigoris; & quidem ex dispensatione certum est id fore licitum, sed difficultas procedit absque dispensatione.

Prima Sententia affirmat: quia iusta causa excusat ab omni peccato, & quando causa est manifesta, non videtur opus esse dispensatione. ex doctrina D. Th. 2. 2. quæst. 147. art. 4. Quia legislator tunc non intendit obligare. Ità Sylu. Angelus, Armilla, Henriquez, Azor, supra citati, & Vasquez. disp. 233. quem citat, & sequitur Castro Palao de sacris. tract. 22. disp. vnica punct. 10. num. 10.

Secunda Sententia Probabilior negat, & docet opus esse dispensatione saltem quando adest commoditas eam petendi: itaquè iusta causa aperit viam dispensationi, vt facilius impetretur, non autem dat licentiam celebrandi velato capite. Ratio est; quia in casu nostro non præcipitur Missa, seu celebratio; sed posito quod quis velit celebrare, absolutè præcipitur vt celebretur sub talibus ritibus, & capite discooperto; Ergo qui non potest; omittere debet potius Missam, quàm celebrare capite velato; vt constat à pari de alijs ritibus, qui præcipiuntur in Missa: alias posset infirmus celebrare baculo innixus vel sedendo, contra idem capitulum citatum: Nullus Episcopus &c. quod est falsissimum.

Confirmatur: Quia id planè colligitur. Tum ex rubricis de defectibus num. 1. Tum ex decret. Sacræ Rituum Congregationis de mandato summi Pontificis, apposito nouo Missali post rubricas, quod seruari præcipitur. Ità magis expresse Gauantus in Rubr. Missalis par. 2. tit. 2. num. 2. litt. F. & supponunt Suarez Cardinalis de Lugo, Auersa initio citati, & communiter, ex quibus patet ad fundamentum appositæ sententiæ.

Colligitur si quis non possit ad superiorem recurrere pro obtinenda dispensatione, probabile esse eum posse licitè vti Pileolo ante consecrationem: quia non est credendum hoc præceptum ita rigide obligare, vt non admittat causam excusantem, & sit potius omittendum sacrum: difficultas. enim adeundi superiorem tollit obligationem in hoc casu obtinendi dispensationem. Ita DD. citati etiam pro secunda sententia, & Marchianus, Fagundez, Bonacin. Layman, & alij apud Auersam supra, & apud Tambur. Opusc. de sacrif. lib. 1. cap. 7 § 4. Cauendum est tamen scandalum, quod fieri potest vel si ad stantibus causa patefiat, vel celebretur secreto in aliquo priuato Sacello; Ità DD. citati.

Quar-

Quarta Difficultas. Quisnam superior possit concedere hanc licentiam, seu dispensationem.

Respondeo: Antè emanationem Decreti sacræ Rituum Congregationis plures DD. docuisse id posse Episcopum respectu secularium, & Prelatos Regulares respectu suorum subditorum. Ità Nauarr. Fagundez, Layman, & alij apud Dianam par. 2. tract. 14. resol. 58. Ceterum hodie id est reseruatum summo Pontifici: quia sacra Congregatio Rituum quædam Decreta edidit circa Missæ celebrationem de mandato summi Pontificis Vrbani VIII. omnino seruanda, & nouo Missali addita post Rubricas, quorum vnum sic habet: Nemo audeat vti Pileolo in celebratione Missarum sine expressa licentia Sedis Apostolicæ, non obstante quacumque contraria consuetudine. Quòd si non detur recursus ad summum Pontificem in casu necessitatis obtineri potest ab Episcopo ea licentia ex regulis generalibus, de quibus Sanch. de matrim. lib. 2. disp. 40. num 6. & docet Tambur. loco citato.

DVBIVM IV.

An licitum sit Paramenta accipere in Altari etc.

Respondeo pro solis Episcopis, & Cardinalibus poni debere Paraméta in Altari; Reliquos verò sacerdotes debere ea accipere in sacristia, vt colligitur ex hac rubrica n. 1, atque ita decreuit sacra Rituum Congr. die 7. Iulij 1612: Quod decretum appositum deinde fuit initio Missalis, ab Vrbano VIII. recogniti, & de mandato eiusdem Pontificis seruandum. Eius tamen trangressio non videtur graue peccatum, secluso scandalo, vel contemptu: quod si fiat ex rationabili causa, omnino vacat culpa; breuiter autem aduertendum si ex aliqua iusta causa, vel in casu necessitatis, etiam pro alijs sacerdotibus paramenta collocentur in Altari, non in medio collocari debere, sed in cornu Euangelij Vt rectè notat Ganautus in rubricas Missalis par. 1. tit. 1. num 2

DVBIVM V.

De Pyxide, in qua consecrari, et seruari solent Particulæ consecratæ, et de alijs vasis similibus.

Constat ex Vsu Ecclesiæ seruandum esse Sacramentum Eucharistiæ in Tabernaculo adorandum, & sumendum à fidelibus præsertim ab infirmis: Vas autem intra quod condi solet, appellatur Pyxis: Sæpe etiam publice exponitur adorandum in vase, quod vocatur Ostensorium, de quibus vasis hic quærimus, cuius conditionis esse debeant, occasione Rub. huius tit num. 3.

Prima Difficultas est circa materiam, ex qua confici debeant Pyxis, & ostensorium

Respondeo de hac materia nihil speciali iure sancitum esse, neque haberi præceptum ecclesiasticum. Cæterum, ex natura rei id seruari debet, quod deceat reuerentiam tanti sacraméti, & vt fideliter seruari possit Corpus Domini, iuxta ea quæ tradit Innocentius in cap. 1. de Custodia Eucharistiæ. A paritate autem rationis (iuxta ea quæ diximus de Calice, & Patena) cõmuniter fiunt ex argento, atque adeo curandum est, vt saltem Cuppa Pyxidis sit ex argento intus inaurato, & quoad Ostensorium, saltem lunula intra quam immediatè recipitur Hostia consecrata debet esse pariter ex argento, Ita Suar disp. 81. sec. 7. circa finem, Auersa qu. 11. sec. 13. §. adhibetur, Reginaldus lib. 29. num. 201.

Secunda Difficultas. An Pyxis debeat esse benedicta, & idem queri potest de Ostensorio: Constat apud omnes melius omnino esse, & decentissimum vt Pyxis benedicatur antequam recipiat Eucharistiam; Tum propter reuerentiam Sacramenti; Tum quia id præscribitur in præsenti Rubrica num. 3. vt supra in litera, & in fine Missalis habetur propria benedictio Pyxidis, simplex tamen, & absque vnctione Chrismatis. Punctus ergo difficultatis consistit in eo, vtrum hoc cadat sub præcepto, seu vtrum prædicta Rubrica sit præceptiua, vel solum directiua.

Prima Sententia sustinet Pyxidem esse necessario benedicendam, & ex pręcepto, consequenter esse graue peccatum Sacramentum reponere in Pyxide non benedicta, vel hostias in ea consecrare; quia Rubrica est præceptiua. Ità Reginaldus, Molfesius, Ledesma, & Alij apud Dianam 2. par tract 15. seu primo Miscel. resol. 2.

Secunda Sententia probabilior docet requiri benedictionem ex congruentia, & decentia, non vero ex præcepto, quare nullum est peccatum consecrare hostias in Pyxide non benedicta, & in ea seruare Sacramentum. Probatur: quia in Iure nullum est præceptum de tali benedictione; neque Rubrica est præceptiua, sed solum directiua circa requisita Pyxidis, vt constat ex dictis quæst. Proemiali sect. 2. pondi. 2. Ità Paludanus, Tabiena, Siluester, Sotus, Vasquez, et alij, quos citat, et sequitur Diana supra resol. 2. quibus adde Suar. disp. 81. sect. 7. Cardinalem de Lugo disp. 20. num. 96. Layman

lib. 5. tract. 5. cap. 6. Auersam de sacrif. quæst. 11. sect. 13. et alios communiter.

Colligitur idem quoque dicendum esse de aurea fistula, per quam summus Pontifex in solemni celebratione sumit sanguinem, & de ostensorio, nempe ea decentius debere esse benedicta, non tamen ex præcepto, ita Suar. loco cit. Et consulerem saltem benedicendam esse lunulam Ostensorij, in qua immediatè collocatur hostia consecrata, videlicet eadem benedictione, quæ in missali assignatur pro pyxide.

Tertia Difficultas. An intra pyxidem, in qua seruatur Eucharistia debeat esse linteum, quod benedictione Corporalium sit benedictum.

Prima sententia affirmat id omnino requiri ex consuetudine ita Vasq. apud Dianam supra.

Secunda sententia communis, & vera negat: quia nullibi ho præcipitur, & consuetudo potius est in oppositum, Ita Diana supra, qui citat Nigrum, & docent Auersa, & Cardinalis de Lugo locis citatis. Imo melius, & decentius seruari sacramentum intra Pyxidem argenteam, & mundam absque linteo, rectè monet Gauantus in hanc rubricam, quia linteum cum amylo quo imbuitur, generare solet Vermiculos.

Quarta difficultas. An pyxis continens hostias consecratas collocari semper debeat super corporale, vel pallam benedictam.

Respondeo quando in Missa consecrantur hostiæ intra Pryxidem, hanc collocari debere super corporale ab Offertorio vsque ad factam, comunionem, ex graui, & rigoroso præcepto, vt patet a simili de hostia maiori, & Calice, & declaratur in his rubricis. Dubium est An intra ciborium, seu Tabernaculum debeat esse corporale super quo reponi debeat Pyxis.

Respondeo Affirmatiuè ex communi, et vbique recepta consuetudine, quæ vim legis obtinet, vnde oppositum esset graue peccatum. Quando verò extrahitur Pyxis pro Communione fidelium collocari etiam debet super Altare supposito Corporali, vel Palla benedicta, idemque dicendum de Ostensorio, seu sphera continente Corpus Christi, vt notat Auersa loco supra citato; in quo vltimo casu non facile damnarem peccati mortalis sacerdotem, qui pro communione fidelium extra tempus sacrificij extrahens Pyxidem à ciborio, collocaret super Altare absque Palla, vel Corporali: quia nullibi constat de præcepto adhibendi tunc Corpole sub Pyxide; sed solum omnino hoc consulendum ad maiorem decentiam.

Tandem id, quod addit Vasquez in tertiam partem disp. 233. cap. 2. num. 6. debere Pyxidem intra ciborium super Aram seruari, merito ab omnibus reijcitur: quia caret fundamento, et oppositum Vbique seruatur in omnibus Ecclesijs: siquidem Ara Consecrata solum præcipitur ad vsum sacrificij. atque ita ex communi sententia docent Auersa, et Cardinalis de Lugo locis supra cit et consonat Azorius. tom. 1 lib. 10 cap: 27. q. 7.

TITVLVS III.

DE PRINCIPIO MISSÆ, ET CONFESSIONE FACIENDA.

1 SACERDOS cùm primum descenderit sub infimum gradum Altaris, conuertit se ad ipsum Altare, vbi stans in medio, iunctis manibus ante pectus, extensis & iunctis pariter digitis, & pollice dextro super sinistrum posito in modum Crucis, (quod semper seruatur quando iunguntur manus, præterquàm post consecrationem) detecto capite, facta priùs Cruci, vel Altari profunda reuerentia, vel si in eo sit tabernaculum sanctissimi Sacramenti, facta genuflexione, erectus incipit Missam.

EXPLICATIO LITERALIS.

Descendit primum sacerdos sub infimum gradum Altaris, exemplo Christi, qui descēdit primum in inferiores partes terræ, vt postea in Cœlum ascenderet. Ad Ephes. 4. & ideo sacerdos, vt dignius postea ad Altare ascendat. merito primum descendit.

Cōuertit se ad altare &c. Debet sacerdos totus esse ad Altare cōuersus, interius, & exterius, nec alio diuertere in toto progressu sacrificij, vt egregiè monet D. Bernardus de amore Dei. Etiam apud Gentiles hoc erat in more positum, vt sacerdoti sacrificanti vnus ex adstantibus

bus sæpius inclamare hoc Age, quod agis, vt ex Plutarco refert Molina instructione sacerdotum tract. 6. cap. 1. §. 1. Vbi stans in medio &c. Debet Sacerdos ita coram Deo humiliari quando sub infimum gradum descendit, vt seruet etiam sui muneris dignitatem, & locum nobiliorem sibi proprium occupet stans in medio: nisi sit coram superiore, vt mox dicemus.

Iunctis manibus ante Pectus &c. quod patet pertinere ad deuotionem, ex Durando in suo Rationali lib. 4. cap. 7 item ad humilitatem, qua manus supplices Deo porrigimus veluti ligatas et supplicio dignas, vt meminit Nicolaus 1. in rescripto ad Bulges Reliqua manifesta sunt ex dictis in superiori titulo quoad reuerẽtias faciendas, nec alia indigent explicatione.

2 Si celebraturus sit coram summo Pontifice, sistit se ante infimum gradum Altaris à cornu Euangelij ante ipsum Pontificem, vbi genuflexus expectat: accepta benedictione erigit se, & stans aliquantum versus ad Altare incipit Missam. Si autem sit coram Cardinale, Legato Sedis Apostolicæ, aut Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo in eorum residentijs, vel loco iurisdictionis, stans ante infimum gradum à cornu Euangelij, vt supra, expectat; dato signo facit profundam reuerentiam Prælato, & versus ad Altare incipit Missam.

3 Si autem solemniter celebrat coram summo Pontifice, aut alio ex Prælatis prædictis in Ecclesijs eorum iurisdictionis, stans à sinistris Prælati, facit cum eo Confessionem, & alia seruat, vt in Cæremoniali ordinatur.

QVamuis celebraturus sit indutus vestibus sacris, & Christi personam representet; De. et nihilominus signa reuerentiæ exhibere Episcopis, qui eiusdem Christi locum tenent, & sunt Iurisdictione superiores simplicibus sacerdotibus, vt in in dubijs conscientiæ susius explicabimus. Et quidem Summo Pontifici tanquam supremo Christi Vicario maior debetur reuerentia; videlicet genuflexione, minor autem alijs nempe profunda inclinatione: Episcopis quidem in eorum residentijs, seu locis propriæ diœcesis, etiam in Ecclesijs Regularium ant alias exemptis; Archiepiscopis in tota eorum Prouincia, Cardinalibus vero vbique terrarum, ex Cærem. Episcop. lib. 1. cap. 4. tanquam Consiliarijs, seu coadiutoribus Papæ, quando ergo prædicti Missæ assistunt, seruari debent Cæremoniæ hic præscriptæ.

Dubium hic occurrit, quid agendum à Sacerdote celebrante coram aliquo Principe seculari, vel Prælato extra locum suæ Iurisdictionis. Respondeo honorandos esse, non tamen eo modo, qui hic præscribitur; sed sola inclinatione, & quidem capite tecto si Calicem tenet manibus, vt supra, ante & post Missam. Quoad modum vero, & ordinem deferendi pacem ad eosdem in Missa, & eos excipiendi in Ecclesiam, videri potest Castaldus in praxi lib. 2. sec. 2. cap. 3. & cap. 4. n. 8., & 11.

4 Stans igitur celebrans ante infimum gradum Altaris, vt supra, producens manu dextra à fronte ad pectus signum Crucis, dicit intelligibili voce: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Et postquam id dixerit, non debet aduertere quemcumque in alio Altari celebrantem; etiam si Sacramentum eleuet, sed continuatè prosequi Missam suam vsque ad finem. Quod item obseruatur in Missa solemni, & simul etiam à ministris.

APtissimè initium missæ auspiciatur Ecclesia a salutifero crucis signo, et inuocatione sanctissimæ Trinitatis, quia oportet à Deo incipere; et eius auxilium inuocare. sine quo nihil boni inchoatur, nihil boni perficitur, et idcirco inuocatur nomen sanctissimæ Trinitatis. Item quilibet Christi Athleta opus præsertim grande aggressurus præmunire se debet Crucis signo ad terrendos inimicos, et fugandos Dæmones, vt monet D. Hyeron. Epist. 22.

ad Eustoch: et susius dicemus in dubijs Conscientiæ; et potiori ratione hoc facit Sacerdos in principio Missæ, Crucis mysteria celebraturus, vt latius explicat Molfesius sum. tract. 3. cap. 11. de partibus Missæ. Subditur in hac eadem rubrica non esse interrumpendam Missam inceptam; sed continuatè prosequendam vsque ad finem: quia est vnica moralis actio, quæ vnionem partium requirit, et consequenter continuationem. cui opponitur interruptio, vt susius in dubijs conscientiæ examinabimus.

5 Cùm seipsum signat, semper sinistram ponit infra pectus: in alijs benedict onibus cùm est ad Altare, & benedicit oblata, vel aliquid aliud, ponit eam super Altare, nisi aliter notetur: Seipsum benedicens, vertit ad se palmam manus dextræ, & omnibus illius digitis iunctis & extensis, a fronte ad pectus, & ab humero sinistro ad dextrum signum Crucis format: Si verò alios, vel rem aliquam benedicit, paruum digitum vertit ei cui benedicit; ac benedicendo, totam manum dextram extendit, omnibus illius digitis pariter iunctis & extensis: quod in omni benedictione obseruatur.

Sinistram ponit infra pectus quia hic est decentior modus. Contrario vero dum Sacerdos benedicit oblata manum ponit super Altare, quia hic modus maiorem habet ad illam actionem commoditatem, & venustatem. Ita Suar. in 3. p. tom. 3. disp. 84. sec. 1. nec enim omnes Cæremoniæ Missæ specialiter institutæ sunt propter significationem, sed nonnullæ solum inductæ fuerunt, vt hoc sacrum mysterium dubita honestate, seu conuenientia, & reuerentia peragatur, vt notat idem Suar. supra. De modo autem formandi signum Crucis præsertim super oblata, de quo nonnulla diuersitas est inter Auctores. Dicemus in dubijs Conscientiæ.

6 Postquam dixerit, In nomine Patris, &c. vt supra, iungens iterum manus ante pectus, pronunciat clara voce Antiphonam, Introibo ad Altare Dei. Minister retrò post eum ad sinistram genuflexus, & in Missa solemni ministri hinc inde stantes prosequuntur, Ad Deum qui lætificat iuuentutem meam. Deinde Sacerdos eodem modo stans incipit, & prosequitur cum ministro vel ministris alternatim Psalmum, Iudica me Deus,

In eodem Missæ principio pronuntiat clara voce Sacerdos Antiphonam, introibo ad Altare Dei, Ex psal. 42. sibi statuens, & proponens finem, & sublimem terminum ad quem tendit; & ad quem dirigere debet reliquas actiones, nempe altare Dei, & oblationem sacrificij; quo nihil dignius, & sublimius excogitari potest, vt alias diximus ex Trid. sess. 22, in decreto de obseruandis in celebrat. Missæ, vt sic cantius procedat Sacerdos, & ad deuotionem excitetur. Deinde recitat cùm ministro totum psalmum prædictum 42. qui aptissimus est eidem Missę principio, quo se disponat sacerdos celebrans ad ingressum Altaris, & ad ascensum ad montem Dei, vt susius declarat Molfesius supra citatus n. 4. addit Rubrica, qui psalmus nunquam prætermittitur, nisi &c. Ex quibus verbis apertè colligitur nequaquam esse prætermittendum in missis votiuis, si quæ fortè dicuntur in Hebdomada Passionis. Item nec prætermittitur Gloria Patri ad introitum, & ad psal. lauabo, quæ tamen in votiua de Passione, quæ censetur de tempore congruentius prætermittuntur, vt cum Ruiz & Alcozer docet Castaldus in Prax. lib. 2. sec. 6. c. 4 n. 26. quamuis Gauantus contradicat in Rubr. Miss. p. 2. tit. 3. n. 6.

7 Repe-

7 Repetita Antiphona , Introibo , dextra manu producens signum crucis à fronte ad pectus dicit ℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini ℟. Qui fecit cælum , & terram . Deinde Altari se profunde inclinans , iunctis manibus dicit , Confiteor Deo , vt in Ordine Missæ : & prosequitur eodem modo stans inclinatus , donec a Ministro vel ministris dictum sit , Misereatur. Cùm incipitur à ministris, Confiteor se erigit . cùm dicit mea culpa ter pectus dextra manu percutit , sinistra infra pectus posita .

Dicto psalmo indica me Deus cum sua antiphona celebrans facit confessionem , quæ appellatur generalis , dicens confiteor &c. vt in ordine Missæ , estque ritus antiquissimus a tempore Apostolorum , & reperitur in Liturgia Sancti Iacobi . ordinatur autem ad delendas maculas peccatorum venialium , vt Sacerdos accedat postea ad Sancta Sanctorum , seu ad Altare cum maiori conscientiæ puritate sicut exprimitur. in sequenti oratione . Aufer &c. Item est consentaneum consilio sapientis Prouerb. 18. Iustus in principio sermonis accusator est sui. Vt cum alijs explicat Suar to. 3. in 3. p. disp. 83. sec. 1. Molsesius tract. 3. cap. 11. n. 15. cum dicit mea culpa ter Pectus percutit : quia tunsio pectoris est signum contritionis cordis Ex August in psal. 31. enar. 2. vel quia ad placandum Iudicem vltionem de nobis sumimus ex Chrisost. hom. 41. ad Populum , vide Nauarr. de horis canonicis cap. 4. qua autem ratione hæc generalis Confessio , & tunsio pectoris concurrant ad remissionem peccatorum Venialium . in dubijs conscientiæ explicabimus .

8 Si est coram Pontifice , Cardinali Legato sedis Apostolicæ , vel Patriarcha, Archiepiscopo , & Episcopo in eorum prouincia , ciuitate , vel diœcesi constitutis , vbi dicit , vobis fratres , dicat tibi pater , similiter in fine vbi dicit, vos fratres dicat . te pater , quod dicens summo Pontifici genuflectit , alijs Prælatis profundè se inclinat :

9 Cùm minister , & qui intersunt (etiam si ibi fuerit summus Pontifex) respondent Confiteor dicunt tibi pater , & te pater aliquantum conuersi ad celebrantem .

Coram summo Pontifice , vel Episcopo Sacerdos non dicit vobis fratres ; sed tibi Pater , quia considerat illum , vt superiorem .

10 Facta à circumstantibus Confessione , celebrans stans respondet , Misereatur vestri &c. Deinde producens manu dextra à fronte ad pectus signum Crucis , dicit , indulgentiam &c. si est Episcopus , accipit manipulum osculando illum in medio . Et stans inclinatus iunctis manibus prosequitur , Deus tu conuersus & quæ sequuntur in ordine Missæ , clara voce vsque ad Orationē, Aufer a nobis &c. & cum dicit Oremus extendit, & iungit manus.

Completa confessione generali , & data absolutione modo deprecatiuo , non autem indicatiuo , aut imperatiuo (Hoc enim fit solum in confessione Sacramentali ,) sacerdos Dei misericordiam implorat , & excitat Populum ad orandum , dicens , oremus , & simul extendit , & iungit manus , siquidem extensione manuum , quasi Sacerdos colligit adstantium corda, & iunctione eadem vnit , vt simul orent tanquam cor vnum : & anima vna, Melchior Auclanus de Cærem. Missæ: vide etiam Molsesium supra.

11 Et tunc si coram summo Pontifice aut alijs Prælatis, vt supra celebret, facta summo Pontifici genuflexione, & alijs Prælatis profunda reuerentia, accedit ad medium Altaris ante infimum gradum; & ibi incipit secretò; Aufer a nobis vt in ordine Missæ.

ANtequam Sacerdos ascendat ad Altare, genuflectit summo Pontifici: vel alijs Prælatis reuerentiam exhibet profunda inclinatione: quia super Altari soli Deo vacat, eumque adorat Oblatione Sacrificij, saltem vsque ad dimissionem populi. nam daturus benedictionem caput versus Prælatum inclinat, vt suo loco dicemus.

SENSVS MYSTICVS.

SIgnum Crucis formatur, ita vt manus à superiori descendat ad inferius: quia Christus de Cœlo descendit in terram: Deinde ab humero sinistro ad dexterum producitur, quia de miseria, quæ per sinistram significatur transire debemus ad Gloriam, sicut & Christus de morte transiuit ad Vitam, Innocentius de mysterijs Missæ lib. 2. cap. 45.

Inclinat se ante Altare sacerdos, & facit confessionem, quo denotatur Christus, qui peccata nostra pertulit super lignum, & formam serui accepit in similitudinem carnis peccati, Durandus in rationali lib. 4. cap. 7.

DVBIA CONSCIENTIAE

SECTIO I.

De celebratione coram Prælatis, De effectu Generalis confessionis, & de signo Crucis † deque modo illud formandi.

DVBIVM I.

De comparatione ordinis sacerdotalis, cum Episcopali, & vtrum conuenienter sit institutum, vt à celebrante fiant reuerentia Prælatis Missæ præsentibus,

RAtio dubitandi est: quia sacerdos sacris vestibus indutus repræsentat, & sustinet personam Christi summi sacerdotis, cuius nomine sacrificium offert: ergo in eo statu, & in actu celebrationis non videtur conueniens, vt alijs se inclinet, & superiores recognoscat; quia nemo est Christo superior. Nihilominus.

Respondeo, & dico primo Episcopus iure diuino superat simplices sacerdotes potestate ordinis. Probatur quia potest consecrare sacerdotes, & confirmare, quod simplex sacerdos non potest; Est conclusio definita in Trid. sess. 23. cap. 4. & can. 7.

- Colligitur Episcopum iure diuino, ex vi suæ ordinationis superare simplices sacerdotes dignitate, quia habet omnem potestatem ordinis, quam habet Sacerdos, & præterea potestatem conferendi illa duo Sacramenta, ordinis, & confirmationis, quod magnæ dignitatis est; nam hac ratione est verè pater Sacerdotum, quos consecrando generat, pater autem inter homines est maior filio, vide Coninch. de Sacram. disp. 20. dub. 4. n. 25. Sanchez lib. 7 concil. cap. 1. dub. 11.

Dicetis dignior est potestas Sacerdotalis consecrandi corpus, & sanguinem Christi, quam quæuis alia potestas homini concessa, ergo nulli eos dignitate superant.

Respondeo negando consequentiam; quia Episcopi habent eandem dignitatem sacerdotalem consecrandi Corpus Christi, & præterea potestatem ordinandi; Vtraque autem potestas simul melior est, & maior vna sola.

Dico secundo Episcopi iure diuino habent potestatem iurisdictionis maiorem quam presbiteri saltem in radice, & in actu primo; quatenus ratione dignitatis, & muneris, ad quod ex Dei institutione ordinantur maior Iurisdictio eis debita est, quam Presbyteris; Patet ex Trid. sess. 23. cap. 4. citato, Vbi ait Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt ad hunc Hyerarchicum ordinem præcipuè pertinere; & positos, sicut Apostolus ait, à Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, eosque Presbyteris superiores esse.

Dixi saltem in radice: quia quod hi, vel illi de facto & in actu secundo maiorem, vel minorem iurisdictionem habeant, & tantam, vel maiorem diœcesim, prouenit ex iure positiuo, & ex concessione Ecclesiæ; seu Summi Pontificis, ex qua etiam fieri potest, vt simplex Sacerdos æqualem, vel maiorem habeat iurisdictionem, quàm Episcopi. Vt patet in Legatis à latere: Vide Coninch, & Sanchez locis cit. cum aliis quos allegant.

Ex dictis patet Romanum Pontificem, qui est

est Petri successor, & totius Ecclesiæ Caput, & Pastor, ac Supremus Christi Vicarius in terris longe alijs excellere, & sua dignitate superare omnes alios Episcopos, Presbyteros, & alios: quia habet omnem potestatem ordinis, quâ gaudent Episcopi, & potestatem iurisdictionis Excellentissimam. Tum quia iure diuino est illius dignitati adnexa: Cùm Petro, & successoribus dictum fuerit à Christo, Tibi dabo Claues Regni Cœlorum, & quodcumque ligaueris &c. Tum quia est Vniuersalis pro tota Ecclesia, & Vniuerso Orbe. Tum quia est suprema, & independens, vt notum est, vndè omnes illi subduntur; DD. suprà citati.

Colligitur secundo. Post Summum Pontificem, Cardinales dignitate alios superare, quatenus sunt Consiliarij, Coadiutores magis immediati Summi Pontificis: & dicuntur Cardinales: quia sicut Ostium cardine regitur, ita tota Ecclesia sicut Ostium per Cardinales gubernatur, Durandus in Rationali lib. 2. cap. 1. n. 17. & alij communiter; vide Sanchez lib. 7. consil. cap. 1. Dub. 10. fine.

Dico tertio. Conuenientissime institutum fuit; vt Celebrans coram Summo Pontifice eidem genuflectat, & celebrans coram Episcopo in locis suæ iurisdictionis ei reuerentiam exhibeat; quia Superioribus debetur ab inferioribus & subditis reuerentia & honor, iuxta illud Apost. Cui honorē &c. Presbiteri autem sunt inferiores Episcopis, vt probatum est.

Ad Rationem dubitandi Respondetur negando consequentiam; quamuis enim Sacerdos representet personam Christi, non tamen definit esse inferior Episcopo, & multo minus Summo Pontifice, qui etiam eiusdem Christi personam repræsentant; Primo quia represenrans non est equalis representato, & ideò non sequitur præferri debere omnibus illis, quibus ipse Christus representatus præfertur. Secundo non omnes representantes Christi personā, & dignitatem sunt equales inter se, sed vnus est alio dignior, iuxta modum, & gradum, quo Christi dignitatem repræsentant, & participant. Simplices autem Sacerdotes repræsentant dignitatem Sacerdotalem Christi, quatenus est Institutor Sacrificij, & eius nomine consecrant, & Sacrificium offerunt: Episcopi insuper vltrà dignitatem prædictam repræsentant Christum, quatenus est Pater, & Rector Ecclesiarum, & Animarum, quamuis inadequatè, & partialiter eam dignitatem participent, & repræsentent: Tandem Summus Pontifex eamdem Christi dignitatem, quatenus est Summus Sacerdos, & supremum totius Ecclesiæ Caput, & Summus Vniuersalis Rector plenè, & adequatè participat, & representat; consequenter omnes illi subduntur, & subordinantur, etiam Episcopi, sicut Episcopis Presbiteri, Meritò ergò Presbiteri etiam celebraturi primò Summo Pontifici, deindè Episcopis reuerentiam debent.

Nec obstat primò celebrantem esse indutum vestibus sacris; qua ratione expressius, & proximius personam Christi Summi Sacerdotis repræsentat: quia adhuc remanet inferior Episcopis, qui simpliciter maiori dignitate sunt præditi tum quoad ordinis Caracterem, tum quoad potestatem iurisdictionis: quia tamen Sacerdos sacris indutus ratione sacræ functionis, quam exercet vt minister Christi, tunc maximè est honorandus, idcircò de facto honoratur ab Episcopis, & ab ipso Summo Pontifice; Nam respondentes Ministri, & qui intersunt generali confessioni, etiam coram Summo Pontifice, dicunt tibi Pater, & te Pater, quod magnum inditium est summæ dignitatis Sacerdotalis in hoc ordine.

Nec obstat secundo. Quod supradiximus tit. 2. n. 1. Sacerdotem ad Altare procedentem, nō debere caput detegere, nec etiam Episcopis, & Prælatis: quia hoc non præscribitur ex eo, quia Sacerdos non sit inferior, sed ob custodiam Calicis, & nè contingat è Calice labi patenam cum hostia contrà reuerentiam Sacrificij mox offerendi.

DVBIVM II.

An, & Qualiter per Generalem Confessionem remittantur Peccata Venialia etc.

HAec Quæstio cōmunis est omnibus illis rebus sacris, & Ceremonijs ab Ecclesia institutis, præsertim in hunc finem purificandi animas à leuioribus culpis, & dicuntur Sacramentalia, qualia sunt aqua benedicta, benedictio Episcopalis, Oratio Dominica, & præsertim inter Sacramentalia numeratur Confessio generalis, & Tunctio pectoris, quæ pluries fit in Missa, sed præsertim in principio cum generali Confessione, quorum occasione hoc dubium explicandum occurrit. Sensus autem quæstionis est. An vsus, & applicatio sacramentalium peculiarem vim habeat remittendi peccata venialia, vltra virtutem quam habet, quatenus est actus bonus, & religiosus.

Quo circa varie sentiunt Theologi, Aliqui enim absolute negant his cæremonijs externis vim aliquam inesse ad remittenda peccata venialia, saltem ex opere operato, vt Durandus Bonauentura, Suar. Vasq. & alij apud Auersam de Pœnitentia q. 4. sec. 8. §. negant.

Alij simpliciter affirmant, D. Th. 3. p. q. 87.

87. art 3 Paludanus, maior, D. Antoninus, Bellarminus, Toletus, & alij apud Dianam p. 3. tract. 4. ref. 61. Alij tandem probabilius distingunt asserentes sacramentalia prodesse quidem ad remissionem peccatorum venialium non precisè & immediatè absque actibus nostris internis pœnitentiæ, & retractationis; sed mediatè, quatenus peculiari ratione excitant in nobis prædictos actus; cui sententiæ fauet D. Th. supra, & videtur magis communis, Ita Alensis, Petrus Soto lec. 11. de pœnitentia, Becanus, et alij apud Auersam supra sec. 7 pro resolutione.

Respondeo, et dico primo nunquam remittitur peccatum veniale quantum ad culpam præcisè per Sacramentalia, seu cæremonias externas absque pœnitentia interna, seu retractione saltem virtuali eiusdem peccati.

Probatur. Potest dari vsus externus etiam voluntarius, et reuerens sacramentalium, cum actuali complacentia Venialis peccati, non enim repugnat actus bonus vnius virtutis cum complacentia de aliquo veniali disparato; ergo solus vsus externus sacramentalium non potest esse sufficiens ad remissionem peccatorum venialium. Probatur consequentia, quia hæc non remittuntur ex communi Theologorum sententia, nisi tollatur moralis adhæsio voluntatis circa obiectum inordinatum, quod fit pœnitentia, et retractatione prioris peccati, Ita ex communi sententia Auersa q. 4. citata sec. 7.

Dico secundo Sacramentalia conferunt ad remissionem peccatorum venialium, quatenus per intercessionem Ecclesiæ valent ad impetranda diuina auxilia, quibus Iusti excitantur ad actus internos pœnitentiæ, per quos actus immediatè, & formaliter peccata venialia remittuntur, saltem simul cum infusione gratiæ habitualis, quam iusti merentur quolibet actu supernaturali, & meritorio. Probatur, quia ex communi sensu fidelium Sacramentalia habent aliquam vim ad delenda peccata Venialia (loquimur autem de remissione, quoad eos, qui sunt in statu gratiæ, non verò de existentibus in peccato mortali, qui non sunt capaces talis effectus in eo statu) sed non conferunt immediatè & ex vi Præcisa vsus externi; ergo quatenus excitant ad actus internos: quia non videtur alius modus aptior.

Confirmatur quia eodem modo prædictis sacramentalibus inest peculiaris virtus, ad effugandos Dæmones; ad arcendas tempestates, & morbos sanandos, vt notauit S. Th. in 4. dist. 16. nempe per Intercessionem Ecclesiæ: ergo pariter in casu nostro, ita DD. citati Pro tertia sententia, & alij communiter, quos citat & sequitur Auersa de pœnit. q. 4. sec. 7. & 8.

An autem Sacramentalia hunc effectum causent infallibiliter, & ex opere operato: Plures affirmant, Alij probabilius negant; quia ille modus operandi est proprius Sacramentorum. Vide Auersam supra.

DVBIVM III.

Vtrum ex vi Generalis Confessionis supradictæ, posset Sacerdos Absolui si in progressu Missæ in syncopen incideret &c.

Respondeo ad hoc dubium ipsis Verbis P. Dianæ p. 3. tract. 3. ref. 1. fine, vbi sic ait; Notandum est tamen hic obiter ex supradictis, Sacerdotem, qui sano corpore nihil de mortis periculo suspicans, Missam inchoasset, & in fine Introitus decidisset semimortuus, non posse à peccatis absolui licèt generalem confessionem fecisset ad Deum coram ministro, & Ecclesia; quia illa Confessio non fuit Sacramentalis, neque directa ad accipiendam absolutionem in foro pœnitentiæ, Ita Layman vbi suprà, Contrarium tamen dicendum est de illo, qui significans se cupere confiteri, idcoque ad genua Sacerdotis accedens subitò Apoplexia tangitur antequam allud verbum proferat; talem enim instante periculo mortis absoluendum esse non dubito: quia in ordine ad confessionem Sacramentalem dedit generalia signa, quibus ostendit se peccasse, & de eo dolere, Ita Coninck in responsione Pro absolutione moribundi numero 16. quidquid dicat Coquetius indifferentat. de absolutione per literas cap. 7. num. 21. Hactenus Diana. Addo tamen cùm quilibet Christianus in articulo mortis præsumatur velle absolutionem Sacramentalem, & hoc desiderium exprimere quolibet actu externo ipsius Agoniæ, quamuis non appareat in quem finem promatur actus: quia tamen non solum possibile; sed etiam verisimile est dirigi ab Agonizzante in prædictum finem, satis probabile est posse quemcumque fidelem moribundum absolui sub conditione si capax est, Vt dicemus in rubr. de defectibus tit. 10. num. 3.

DVBIVM IV.

Vtrum liceat vti signo Crucis in modum ceremoniæ Sacræ, deque eius vtilitatibus &c.

Placet huic dubio satisfacere ipsis verbis eruditissimi Suar. tom. 1. in 3. p. disp. 56. sec. 3. Vbi sic ait.

Re-

Respondetur; hoc Crucis signum, eiusque vsum multis rationibus religiosum esse, fidelibusque vtilissimum. Hæc est certa veritas fidei, quam vniuersalis Ecclesiæ consensus, & ratio fide illustrata euidenter ostendit. Primo enim vsus signi Crucis, quædam est Christianæ fidei professio; Vnde Aug. Psal. 141. exponens illa verba, In via hac qua ambulabam, vsque adeò, inquit de Cruce non erubesco, vt non occulto loco, sed in fronte eam ponam; insultet ille Crucifixo Christo, videam ego in frontibus Regum Crucem Christi, profitemur ergo hoc signo, Christi Crucem amplecti, & illius virtute sanctificari muniri, & defendi. Secundo hinc factum est, vt in omnium Sacramentorum administratione signum Crucis adhibeatur, Vt Dionys. tradit. cap. 4. 5. & 6. de Ecclesiastica Hyerarch. & Aug. serm. 181. de tempore cap. 3.

Tertio Virtutem habet contra Dæmones, vt Chrysostom. tradit hom 21 ad populũ Crucem inquit fronti imprime, sic enim neipse Diabolus lœdere poterit: Idem hom. 55 Matth. Vnde Hieronym. Epistol. 1. ad Eliodor. Intus inquit est hostis, expedite tudentes, vela Suspendite, Crux antennæ figuratur infrontibus. Et Lactant lib. 4 de vera sapientia cap. 27. dicit hoc signum terrori esse dæmonibus, eosque de corporibus obsessorum fugare. Vnde Nazian. orat. 3. num. 19. & Nicephor lib. 10. hist. cap. 3. refert, cum Iulianus Apostata quibusdam dæmonum terroribus afficeretur ex veteri consuetudine contra suam perfidiam, & voluntatem signo Crucis se signasse, dæmonesque fugauisse. Ex quo intelligi potest hanc Crucis efficaciam, non in sola deuotione & merito operantis, sed potissimum in diuina ordinatione propter meritum Christi, eiusque honorem fundatam esse, Compelluntur enim diuino Imperio hoc signum revereri, & ad illius præsentiam contremiscere, nec solum fugiunt, quia illud odio habent, vt Gentiles obijciebãt, apud Lactant loco cit. sed potius ideo odio habent, quia virtutem eius sentiunt, Vt eleganter docuit Aug lib. 83. qu. 9. 79. Vbi de sacramentis, & signis sacris Christianorum in genere loquẽs inquit, Nec mirum est, quod hæc signa valent, cum ab eis (idest à malis Christianis) adhibentur; quando etiam, cum vsurpantur ab extraneis, qui omnino suum nomen ad istam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentissimi Imperatoris valent.

Quarto eadem ratione, & modo valet hoc; signum Crucis ad impetrandum aliquid à Deo. In cuius figuram Moysis oratio tunc à Deo populi victoriam impetrabat, quando in Crucis figura manus ad Cœlum leuabat; Ita enim interpretantur locum Exodi 17. Naziansorat. 6. coram Greg. Nisseno. Prosper. lib. 6. de prædictionibus, & promissionibus Dei p. 1. cap. vltimo Aug. in orat. de quinque hæresibus cap. 2. Chrisost orat. 2. ex decem grecis, quæ nondum latinæ factæ sunt: vnde sanctus Martial. Epist. ad Burpegalens. tom 1. Bibliot. sanct. Crucem inquit, semper mente, ore, & signo tenete, Crux enim Domini armatura nostra est.

Quinto hinc factum est, vt ex bonorum omnium fidelium consuetudine signum Crucis ad suas actiones præmittant. Sic Cirillus Solyınit. Cathec. 4. & 13. in omni negotio comedens, bibens etiam signa te in fronte. Hyeronim. Epist. 22. ad Eustoch. de Custodia Virginit. Ad omnem factum, ad omnem incessum manus pingat Crucem. Similia habet Tertull. lib. de corona militis. cap. 4. Origen. lib. 3. in Iob. col. 12. dicit, cibum, & potum signo Crucis esse benedicenda. Hanc denique inter traditiones non scriptas refert Basil. lib. de Spiritu Sancto cap. 27. & Anastas. Nicen. lib. 9 Sacræ Scripturæ. q. 89. tom. 6. Bibliot. eamque contra Iulianum defendit Cyrill. lib. 6. circa principium.

Sexto Denique reperiri possunt in hoc signo omnes imaginum vtilitates, conseruat enim passionis Christi memoriam, fiduciam indicat, est grati animi significatio, & ostendit qui illo vtitur, se in Cruce Christi gloriari. Et eadem est de cæteris vtilitatibus ratio.

Ex quibus facile intelligitur hoc signum esse venerabile, et adoratione dignum, habet enim vsum, & significationem sacram: Nec refert qua in materia, seu actione transeunti constituatur; quia sola diuersitas materiæ, quando figura, & significatio est eadem, adorationem non impedit. Vnde modus huius adorationis, iuxta ea quæ de imaginibus, & de omnibus sacris diximus explicandus est.

DVBIVM V.

De modo formandi signum Crucis præsertim super oblata.

IN Rubricis huius tituli n. 5. traditur modus formandi signum Crucis, Tum in casu, quo sacerdos seipsum signat; Tum quando benedicere debet oblata, vel aliquid: sed quia diuersimodè interpretantur auctores modum benedicendi præsertim oblata, & formandi super ea signum crucis, hoc dubium examinandum proposuimus.

Primo certum est debere celebrantem exactissime obseruare, quæ in rubricis præscribuntur in omnibus, Tum præsertim in hoc saluta-

ti cru-

ri crucis signo ritè formando, quæ autem clara sunt ex hac rubrica, non est opus reperere.

Secundo, Conuenit inter omnes peritos, ad ritè formandum Crucis signum ducendas esse a celebrante duas lineas & veluti imprimendas in aere, quarum prima sit recta, altera transuersa per diametrum, formatur autem manu dextera extensa, seù omnibus dexteræ digitis extensis, vel si index cum pollice coniunctus esse debeat post consecrationem, tribus alijs extensis. Item formari debet signũ Crucis, vel erectum in aere, quando benedicendus est Populus, vel iacens in plano, quando benedicuntur oblata, in quo casu debent etiam duci lineæ in eodem plano, non inflectendo, vel deprimendo extremitates.

Tertio. Docent etiam omnes, ducendas esse duas lineas, videlicet rectam, & transuersam, contra abusum aliquorum, qui signant quatuor puncta solùm. Item non est mouenda manus in circulum, neque motione, & variatione digitorum, vt perperam alij faciunt, & reprehendit Leo 4. ad Episcopos, sic dicens, Calicem & oblata recta Cruce signatæ, non in circulo, & variatione digitorum, de quibus videri potest Castaldus in Praxi Cæremoniarum lib. 2 sec. 1. cap. 6. & sec. 7. cap. 3. His positis, punctus difficultatis consistit in eo: Vtrum linea transuersa Crucis formari debeat manu transuersa; vel potius recta.

Prima Sententia docet lineam transuersam Crucis formandam esse manu quoque transuersa. Non recta, ità Gauantus in rubricas Missalis p. 2. tit. 7. litt. P. Polacc. in Aphorismis Cæremoniarum Initio tractatus. Probat Gauantus 1 quià si fieret linea transuersa manu in rectum extensa videremur velle abigere à Calice muscas, consequenter indecens hic modus apparet. Sed videtur puerile Argumentum; Centies enim simili gestu debemus vti in Missa mouendo dexteram extensam cum benedicimus Populo, cum eleuamus, & extendimus manus prius iunctas.

Melius probat Polacc. quià inquit, si duceretur ea linea. (qua formantur brachia Crucis) manu recta, & extensa, non formaretur linea transuersa super diametrum lineæ rectæ, sicut opùs est; sed formaretur lata quędam superficies, quæ priorem lineam, seù ferè totam eius longitudinem occuparet, & deleret; sicq; destrueretur figura Crucis; debemus enim imaginari lineas prædictas formari acumine totius manus, & imprimi in aere, ac si Acumen totius manus aliquo colore imbutum esset; nihilominus:

Opposita Sententia est longè probabilior: Videlicet lineam transuersam formandam esse non manu transuersa; sed extensa in rectum. Probatur ex hac nostra rubrica n. 5. Vbi præcipitur, vt dum celebrans alios, vel rem aliquam benedicit, paruum digitum vertat ei, cui benedicit: Ergò linea prædicta non debet fieri in casu nostro manu transuersa: Probatur Consequentia; quia sic non verteret Sacerdos paruum digitum rei, cui benedicit, idest oblatis; sed parti laterali Altaris, quod esset contra Rubricam.

Confirmatur; quià ex vna parte ea intorsio, seù deflexio manus, & digitorum non nihil deformitatis preseferre videtur: Ex alia parte nulla est necessitas cogens ad talem gestum, quià lineas Crucis non imaginandum est esse formandas acumine totius manus, seù longitudinis illius; sed extremitate minoris digiti, vt colligitur ex rubr. citata; Et hoc modo omnia saluantur, & decentius formatur Sacratissimum signum Crucis: Ità Castaldus loc. suprà citato, qui etiam sec. 7. cap. 3. n. 5. sic ait, neque manum inflectat, sed quasi Calamo lineas designans paruum digitum vertat ei, Cui benedicit. Ex quibus patet ad Argumenta oppositæ sententiæ.

SECTIO II.

De Obligatione Prosequendi Missam incoatam, seù non Desistendi ab ea iam cœpta.

IN Rubricis, huius tituli n. 4. sic habetur: Postquam Celebrans dixerit in nomine Patris, & Filij &c. non aduertere debet quemcũque &c. sed continuare prosequi Missam suam vsque in finem; quod etiam præcipitur in cap. illud, & cap. nihil 7. q. 1. Hoc autem præceptũ potest dupliciter violari. Primo si Celebrans Missam inchoatam omninò relinquat, non reuersurus ad Altare ad illam complendam, de quo dicemus in hac sectione. Secundo Violari potest interruptione, si vel alia actio; vel mora interponatur inter partes Missæ; quamuis nulla pars eiusdem omittatur, de quo dicemus sec. sequenti.

DVBIVM I.

Quale Peccatum sit Missam incboatam Omnino relinquere.

REspondeo, & dico primo. Si id fiat absq; causa sufficienti, & proportionata, esse grauissimum peccatum. Probatur 1. ex cit. cap. Nihil 7. q. 1. & ex cap. nullus Episc. de Cons. sec. dist. 1.

Pro-

Probatur secundo ratione; quia id est contra reuerentiam Deo, & tantis mysterijs debitam; vt patet a simili, si quis incipiat graue negotium tractare cum Principe, & absque causa recedat, & terga vertat eo relicto imperfecto; Ita Syluest. verbo missa 1. q. 3, Tabiena Nauar, & alij, quos citat, & sequitur Henriq. lib. 9. cap. 70. n. 5. Azor. tom. 1. lib. 10. cap. 72. q. 1.

Colligitur primo si relinquatur Missa post factam consecrationem, & reliqua omittantur fore grauissimum sacrilegium contra perfectionem, & integritatem sacrificij, ad quam requiritur etiam sumptio vtriusque speciei, vt alibi diximus. Deinde quia omittere partem notabilem Missæ est p. m. ex sæpius dictis in quæst. Proœmiali, & docent citati DD.

Colligitur secundo esse p. m absque causa relinquere Missam quomodolibet inceptam, etiam ante consecrationem, vt patet ex ratione supra explicata, DD. citati.

Dico secundo si missa inchoata relinquatur ex graui aliqua, & vrgenti causa, excusatur celebrans a Peccato. Probatur quia, tunc non potest defectus illi imputari, & rationabiliter operatur sacerdos, quando rationabilis causa id exigit; vt autem causa sit rationabilis, debet esse proportionata grauitati illius actionis, quæ tunc exercetur in Missa: minor enim causa sufficit, vt possit relinqui Missa ante consecrationem, vel canonem; econtra maior, & vrgentissima debet esse, vt relinqui possit post consecrationem, vt patebit ex dicendis in sequentibus dubijs. Vide DD. citatos in prima conclus.

DVBIVM II.

An relinquens Missam inchoatã absque causa incurrat censuram aliquam.

PRima sententia docet incurri ex comunicationem maiorem: Probatur ex cap. nihil 7. Vbi dicitur, si quis hoc temere præsumpserit excomunicationis sententiam subsistinebit, Ita Alterius de censuris tom 2. disp. 21. cap. 3. Maiolus lib. 2. cap. 16. in fine.

Secunda sententia asserit incurri suspensionem. Probatur ex cap. nullus Episcopus de consec. dist. 1. Vbi dicitur a sacro corpore, & sanguine Domini sit suspensus, Ita Manuel, tom. 1. sum. cap. 243. conclus. 8. Petrus de Ledesma tom. 1. sum. tract. de Enchar. cap. 24. conclus 7. Bonacin. tom 3. disp. 3. q. 3. punct. 2.

Tertia sententia communis, & probabilior sustinet nullam censuram incurri ipso facto, posse tamen sic delinquentem puniri tum excommunicatione, tum sola suspensione ex iuribus citatis.

Probatur; quia neutra censura in illis fertur ipso facto, seu neutra est latæ sententiæ, sed ferendæ; ergo non incurritur ipso facto; Probatur antecedens, quoad excomunicationem quæ fertur in cap. nihil per verbum futuri temporis, nempe excomunicationis sententiam sustinebit; qui modus ex communi DD. sententia importat excommunicationẽ ferendam, non latam; similiter quoad suspensionem: Hæc enim fertur in cap. Nullus Episcopus, per verbum imperatiuum sit suspensus, & perinde est ac si diceret suspendatur, & refertur ad iudicem, vt plures interpretantur; ergo nec incurritur ipso facto. Ita quoad excomunicationem docent Manuel, Ledesma, Bonacina supra citati in secunda sententia, & Filiuccius tract. 7. n. 103. Tambur. Opusc. de sacrific. lib. 2. cap. 7. § 1. n. 6 & communiter. quoad suspensionem vero docent Henriq. lib. 9. cap. 30. n. 5. litt. A. Filiuccius supra. Azor. tom. 1. lib. 10. cap. 32. q. 2. Moure par. 3. cap. 5. §. 5.

DVBIVM III.

An celebrans debeat Missam inchoatam relinquere, & ab Altari recedere si tunc aduertat se esse in peccato mortali, vel non esse ieiunum, vel esse excomunicatum.

CErtum est primo si talis memoria contingat post consecrationem, prosequendam esse missam, præuio actu contritionis ad consequendam gratiam sanctificantem; quia præualet obligatio perficiendi sacrificium substantialiter inchoatum, quod maioris momenti est, quam quod conficiatur a ieiuno, vel præuia confessione, Ita S. Th. 3. p. q. 83. art. 6. quem sequuntur communiter, quare tenetur etiam sacerdos prosequi Missam.

Certum est secundo si talis memoria, vel aduertentia contingat etiam ante consecrationem, & ex recessu timeatur infamia celebrantis vel scandalum assistentium, posse perfici Missam præmisso actu contritionis, vt supra: quia Præcepta positiua non obligant cum tanto dispendio: D. Th. loco supra cit. quem sequuntur communiter.

Difficultas est, si sacerdos meminerit aliquid prædictorum ante consecrationem, & possit relinquere Missam absque scandalo; An tunc possit, & teneatur ab Altari recedere, E.g. si celebret secreto in priuato sacello.

Prima sententia docet teneri celebrantem in hoc euentu à sacro incepto desistere, si non sit ieiunus, vel si nō possit habere confessarium, quando recordatur peccati mortalis; (nam si possit statim confiteri, tenebitur prosequi confessione præmissa) Probatur: quia antè cōsecrationem, non est inchoatum sacrificium substantialiter; sed solum quoad partes accidentales: Ergo obligatio illud prosequendi nō est adeò vrgens, vt præualere debeat obligationi ieiunij, vel præmittendi confessionem, quæ sunt maioris momenti, Ita Suar. tom. 3. in tertiam partem disp. 66. sect. 4. Coninch. q. 80. n. 14. Syluest. Verbo Eucharistia q. 7. Nauar. sum. cap. 25. Auersa de Euchar. q. 8. sect. 6. §. rursus, Diana par. 3. tract. 4. resol. 48. loquentes de præcepto ieiunij, vt videri potest apud Dianam pat. 4. tract. 4 res. 104. in fine.

Secunda sententia benignior sustinet posse celebrantem prosequi Missam quomodolibet inchoatam, nec teneri recedere ab Altari ob impedimenta prædicta, etiam si possit accersere confessarium: Probatur; quia præualet obligatio prosequendi Missam, etiam si deuentū non sit ad partes substantiales; Sic enim videtur requirere reuerentia debita sacrificio quomodolibet inchoato: Vnde satis erit præmittere actum contritionis, nulla facta Missæ interruptione expectando confessarium; Huic sententiæ libenter adhæreo ad tollendam perplexitatem, quæ facilè oriri potest in illis angustijs, an verè adsit periculum infamiæ, nec ne; quamuis cōmuniter vix deesse possit tale periculum, etiam si solus Minister præsens sit, qui facilè posset Missæ interruptionem alijs narrare, non sine nota infamiæ celebrantis; Itá Henriq. lib. 8. cap. 46. Sá verbo Missa num. 32. Tolet. lib. 2. cap. 9. Sotus in 4. dist. 13. q. 2. art. 6. Victoria sum. sacramentorum nu. 78. Layman lib. 5. tract 4. cap. 6. num. 5. & alij, quos refert Diana supra; sequitur Tambur. Opusc. de Communione cap. 1. §. 6 nu. 35. & Opusc. de sacrificio lib. 2. cap. 8 §. 2. Qui communiter loquuntur de præcepto Confessionis, & plures ex ipsis idem docent quoad ieiunium, quos referemus suo loco in Rubricas de defectibus. Alios etiam DD in fauorem huius sententiæ reperies apud Dianam par. 9 tract 3 res. 9.

Nec obstat huic doctrinæ quòd in Rubricis de defectibus tit. 8. num 5. Dicitur, antè consecrationem in prædictis casibus si non timetur scandalum debere Sacerdotem Missam deserere: quia vt aliàs diximus hæ Rubricæ non sunt præceptiuæ, sed doctrinales, nec improbant oppositas opiniones; sed suæ naturæ relinquūt. Videtur autem præferenda hæc nostra sententia: quia illi maximè fauet D. Thom. citata quæst 83. art. 6. Vbi ait, etiam secluso scandalo, vel infamia tutius esse Missam inchoatam deserere, non dixit teneri celebrantem missā deserere; sed hoc tutius esse, consequenter Sacerdotē posse licitè eam prosequi si velit, quod etiam nos asserimus.

Colligitur idem quoque dicendum esse si inchoata iam missa meminerit Sacerdos se esse suspensum, vel excommunicatum, vel irregularem, de quibus casibus loquitur etiam D. Thom. & alij DD. locis supra citatis: Nam vt notat Auersa supra §. quod si pœnitens, & Tambur. loc. cit. num. 44. Eadem est ratio in casu, de quo loquimur de peccato habente adnexam censuram, ac de alijs.

DVBIVM IV.

Quid Agendum si post Missam inceptam excommunicatus vitandus velit assistere.

REspondeo in primis, monendum esse excommunicatum vt exeat, ex Clementina Grauis de sententia excommunicationis; Vbi etiam decernitur in illum noua excommunicatio Papæ reseruata, si iussus exire non paruerit.

Secundo, Si commode fieri potest expellendus est opera laicorum. Tertio, Si laici non adsint, nec vocari possint, expellatur à Clericis, Argum. cap. veniens de sentent. excommunic. Quarto, Si pelli non possit, & cœpta sit consecratio, celebrans non debet desistere; sed tenetur prosequi sacrum cum solo Ministro, (nam cæteri debent recedere, ne eum vitando communicent in sacris) Prosequi autem debet vsque ad Calicis consumptionem, & tunc iterum excommunicatus moneatur, quod si recedere nolit, Sacerdos ipse recedat, & ea quæ reliqua sunt missæ, peragat in Sacristia, vel si talis locus non sit, omninò prætermittat. Tandem si nōdum cœptus sit Canon, quando excommunicatus vitandus assistit, debet celebrans relinquere missam, nè cum eo communicet in sacris: Ità DD communiter Henriq. lib. 9. cap. 30. Suar. de censur. disp. 12. sec. 1. Layman. lib. 1. tract. 5 par. 2 cap. 2. num. 6. Tambur. Opusc. de Sacrif. lib. 2 cap. 7. §. 4. & communiter.

Prima difficultas hìc est. An cœpto Canone relinquenda sit missa?

Plures affirmant; quia verè sacrificium non incipit essentialiter antè consecrationem: Alij negant, quia verba Canonis ità propinqua sūt consecrationi, vt ab illis videatur inchoata consecratio; vtraque autem opinio probabilis est, & potest celebrans eligere vtramlibet, DD videri

deri possunt apud Suar. supra, & apud Dianam par. 5. tract. 9. res. 92.

Secunda difficultas est, quid si excommunicatus sit Vir potens, & minetur mortem Sacerdoti, nisi missam prosequatur, etiam si non sit cœptus Canon.

Respondeo. Si metus mortis incutiatur in contemptum Ecclesiæ, & censurarum, teneri Sacerdotem potiùs mortem pati, quàm sacrũ prosequi: Si verò incutiatur metus ob alium finem indifferentem, E. G. ad indicandum se non esse excommunicatum, potest absque peccato prosequi: quià præcepta Ecclesiæ non obligant cum tanto dispendio: Ità ex communi sententia, Niger. addit. ad Ruiz. par. 7. §. 9. quæst. 18.

DVBIVM V.

Quid agendum si missa incboata violetur Ecclesia, vel superueniat interdictum.

RESpondeo, & Dico primo. Si Sacerdote celebrante violetur Ecclesia ante Canonem, dimittatur missa; Si post Canonem, non dimittatur; Ità expressè habetur in Rubricis de defectibus tit. 10. num. 2. Vbi fusius disseremus de hac violatione.

Interim hic Aduertendum est; Si nondum Canon incœptus sit debere celebrantem expectare, donec Ecclesia reconcilietur; quod fieri potest ab ipsomet celebrante, si Ecclesia sit solùm benedicta, & non consecrata, & cõmodè possit illicò reconciliari, iuxtà formulam positam in Cæremoniali, & facta reconciliatione debet prosequi missam: Alioquin dimittenda est: Si verò Canon incœptus sit, & illicò possit Ecclesia reconciliari vt suprà, expectare debet aliquantisper celebrans, donec reconcilietur, & deinde prosequi sacrum; quod si statim reconciliari non possit, debet Sacerdos sacrum omnino absoluere, ac si nulla violatio superuenisset; quià censetur sacrũ proximè incboatum per verba Canonis; ideoque non decet illud imperfectum relinquere. ità DD. communiter, Suar. tom. 3. de Sacram. disput. 81. sect. 4. Fagundez Præcept. 1 lib. 3. cap. 14 num. 7. Cardinalis de Lugo de Euchar. disp. 10. sec. 2. nu. 61. Tambur. dub. præcedenti citatus, § 5. & alij passim.

Dico secundo. Si post cœptam missam superueniat interdictum speciale, vel talis cessatio, vt nec ianuis clausis possit ibi celebrari, vel superueniat Interdictum generale, nec possint claudi ianuæ; nec interdicti repelli, In his casibus si cœpta est consecratio missa perfici debet vsque ad sumptionem vtriusq; speciei eo modo, quo suprà diximus dub. præcedenti, quando missæ præsens est excommunicatus: ante consecrationem verò dimittenda est missa. Ità DD. communiter Henriq. lib. 9. cap. 3. Fagundez suprà, & alij passim. Vtrum verò si facta non sit consecratio; sed Canon incœptus, dimittenda sit missa, variant DD. vt in simili diximus dub. præcedenti. Quarè liberum erit Sacerdoti vtramlibet opinionem sequi.

DVBIVM VI.

Quid agendum si celebrans non possit prosequi sacrum inchoatum sine periculo mortis, vel grauis mali.

E. G. si post inchoatam missam irruant hostes, aut immineat periculum alluuionis, vel combustionis, vel ruinæ Ecclesiæ, seu loci, vbi dicitur missa.

Respondeo; & Dico primo. Si aliquis ex prædictis casibus, vel similis contingat ante consecrationẽ, potest & debet dimitti missa, vt habetur in Rub. de defec. tit. 10. n. 2. Quod possit dimitti, probatur: quia lex Ecclesiastica prosequendi missã incœptam nõ potest obligare cũ tanto incommodo, præsertim ante consecrationem, quando nõ est inchoatum sacrificium, quod substantiam; Vnde etiamsi cœptus fuerit Canon potest missa dimitti. Quòd debeat etiam missa tunc relinqui Probatur: quià aliàs exponeretur periculo ipsum Sacramentum. Ita DD. communiter, quos infrà citabimus. Vide Suar. to. 3. in 3. p. disput. 85. sect. 1. §. Quartò accidere potest.

Dico secundo. Post consecrationem in prædictis casibus posse, & debere Sacerdotem statim sumere Sacramentum, & recedere omissis omnibus alijs: Probatur, quià aliæ partes missæ non sunt de essentia, neque de integritate sacrificij: Ergo non obligant in eo periculo. Imò ob reuerentiam Sacramenti nè periculo exponatur, omitti debent, vt supra dicebamus, & docent commun. DD. ex Rubric. cit.

Prima difficultas est, quid si Sacerdos Hostiam tantùm consecrasset, & progredi non possit ad consecrandum Calicem sine euidenti mortis periculo; An possit fugere relicto sacrificio imperfecto.

Prima sententia sustinet Sacerdotem non posse fugere; sed teneri perficere sacrificium consecrando Calicem. Ratio potest esse: quià offerre sacrificium mutilum, vel sic mutilum relinquere videtur intrinsecè malum. Vnde si quis minetur mortem Sacerdoti, nisi solum

Panem consecret absque Calice, non potest Sacerdos missam sic incipere eo animo consecrandi solum Panem, etiam si metus mortis non incutiatur in contemptum religionis, sed in alium finem E.g. ad communicandum infirmum. Huius sententiæ videtur Suar. loco supracit & Petrus de Ledesma sum.tom.1. tract. de Euchar.cap.25.

Secunda sententia communis, & vera sustinet; Posse Sacerdotem Hostiam consecratam statim sumere, vel secum auferre omissa consecratione Calicis, & reliquis omnibus. Quia nulla ratio, vel Textus obligat celebrantem ad subeundam mortem in eo casu, vt patebit ex solutione argumenti primæ sententiæ, ita Layman de sacrif.cap.7.num 1. Vbi citat Cappaville: Toletus lib.2.cap.9.n.6.Tambur.Opusc. de sacrificio lib.2.cap.7 §.1.n.4

Ad argumentum oppositæ sententiæ respõdetur. Aliud esse directè, & ex proposito velle offerre sacrificium mutilum in vna tantùm specie, quod concedimus esse intrinsecè malú, & nunquã fieri posse etiam ad vitandam mortem: Aliud esse permittere sacrificium remanere imperfectum, & mutilum, seu omittere illud perficere ratione periculi, vt in casu posito, & hoc non est intrinsecè malum; quia præceptum Christi affirmatiuum de perficiendo sacrificio in eo casu non obligat, vt Layman supra.

Secunda difficultas, quid si celebrans non possit Eucharistiam consecratam sumere, aut secum deferre, An possit fugere relicto Sacramento, præsertim in incursione hostium infidelium, vel Hæreticorum cum periculo irreuerentiæ eiusdem Sacramenti.

Prima sententia sustinet non posse fugere; sed teneri etiam cum periculo vitæ Sacramentum sumere, vel occultare; quia prævalere debet reuerentia Sacramenti vitæ propriæ dispẽdio, ita Suar. & Ledesma supra cit in præcedenti difficultate.

Secunda sententia probabilior docet posse discedere: Ratio est quia si remanet facilè fieri potest vt occidatur Sacerdos, & adhuc manebit sacrificium imperfectum, & Sacramentum expositum periculo irreuerentiæ: Ergo minus malum est manere sic sacrificium & Sacramentum, & saluari Sacerdotem. Deinde Sacerdos non cooperatur irreuerentiæ; sed illam permittit ex iusta causa; ergò non peccat, ita Tolet. & alij cit Pro secunda sententia in superiori difficultate.

Colligitur primo, in prædictis casibus, cùm sæpe oriri possit perplexitas, illud intrepidè faciendum, quod bona fide magis expedire videtur, vt alibi diximus; Vide Tamburin. suprà.

Colligitur secundo. Si celebranti superueniat morbus ita vt prosequi non possit, ante consecrationem recedat, nec opus est supplemento; post consecrationem verò, si redire nõ possit supplendum erit sacrificium per alium Sacerdotem, ex D.Th q.83.art.6.& communi, & fusè dicemus 3 par. de defectibus tit.10 Vbi etiam dicemus an debeat suppleri per alium, quando morbus talis est, vt non permittat celebrantem prosequi ordinatè Missam; sed post consecrationem solùm sumere Sacramentum.

DVBIVM VII.

Quid agendum si cœpta Missa celebrans dubitet, an ritè fuerit ordinatus, & an sit verus Sacerdos.

RESpondeo, & Dico primo. Si in ipso actu celebrationis superueniat hoc dubium deponendum omninò esse, saltem post consecrationem, etiam si sit verum dubium, & non scrupulus, & debere Sacerdotem prosequi sacrum: Probatur quia in dubijs eligendum est quod minus malum videtur, & quod tutius est; Minus autem malum videtur prosequi sacrum iam cœptum, ita Fagundez præcept.1 lib 3.cap. 18 n 19. Henriq lib.9.cap 30. Tambur. Opusc. de sacrif. lib.2 cap.7 §.1. n.2. Quidquid in oppositum dicat Niger. Addit, ad Ruiz p.7.§.9.q 3 absque sufficienti fundamento.

Dixi saltem post consecrationem, quando magis vrget obligatio perficiendi sacrum: nam antè consecrationem si quis celebret in priuato Sacello, & ex recessu non timetur scandalũ, tutius videtur omittere sacrum: secus si celebret in loco publico, & ex recessu timetur scandalum.

Dico secundo. Si certò quis aduertat se non esse Sacerdotem, tunc debet relinquere Missã, etiam post consecrationem: quia hic non interrumpit sacrificium, cùm ab ipso nulliter offeratur: requiritur autẽ notitia certa, nec dandus est locus scrupulis: quia vt diximus etiam in vero dubio prosequendum est sacrum: Tãdem ad euitandum scandalum prætexere debet morbum, vel aliam causam æquiuocatione vtendo, quia perturbatio illa mentis & angustia est quædam species morbi, DD. supra cit.

Dico tertio. Posito eo dubio extrà tempus sacrificij, non potest licite sic dubitans celebrare, sed debet iterum ordinari sub conditione, vt fusius infrà dicemus 3 par. de defectibus tit.1. sect.2. dub vlt. Vbi etiam dicemus quid agendum, quando pro valore Sacerdotij sunt oppositæ opiniones probabiles.

SECTIO

SECTIO III.

De Missæ interruptione, an & quando sit licita.

DVBIVM I.

An teneatur Sacerdos recitare Missam absque interruptione.

RESpondeo, & dico primo teneri celebrantem sub peccato mortali Missam inchoatam non interrumpere; sed continuatè prosequi vsque ad finem, per se loquendo, & nisi grauis causa incidens interruptionem postulet.

Probatur primo, ex cap. illud, & cap. nihil 7. q. 1. & ex rubr. huius tibi nu. 4. Ibi, sed continuatè prosequi Missam suam vsque ad finem.

Probatur secundo. Ratione, quia cùm Missa sit compositum morale vnicum, & Sacratissimum, miro ordine & artificio ab Ecclesia dispositum, requirit partium vnionem, & connexionem ad inuicem, ergò requirit vt continuatè recitetur; nam per interruptionem soluitur quodammodo vnitas, & forma ab Ecclesia instituta. Deinde non caret irreuerentia, cœptam cum Deo actionem, & colloquutionē leuiter interrumpere impertinenti alia actione vel locutione, ita Henriq. lib. 9. cap. 40 Fagundez præcept. 1. lib. 3. cap. 14. Bonacin. de Sacram. disp. 4 q. vlt. puncto 10. n. 25. Tambur. Opusc. de sacrif. lib. 2. cap. 7. per totum, Layman de sacrif. cap. 7. n. 2.

Colligitur primo, Culpam interruptionis tantò esse grauiorem, quantò mora quæ interponitur est diuturnior vel actio inutilior, quia crescit irreuerentia, DD. citati.

Colligitur secundo, Si interruptio absque causa sit modica eam fore p v. si notabilis eam fore p. m. Quæ verò dicatur notabilis interruptio, non explicant in particulari DD Dicendum tamen videtur, si celebrans absque graui causa discedat ab Altari ad aliud impertinens negotium peragendum, præsertim si sacras vestes deponat; eam censeri notabilem interruptionem, & grauem irreuerentiam, vt indicat Henriq. supra. Si autem celebrans manens in Altari quidquam agat alienum à Missa per quadrantem, videri notabilem interruptionem; E contrà per spatium breuius quadrante, videtur interruptio leuis. Obijci potest ex Caramuele in sua Theolog. fundamentali fundamento 53. §. 25. n. 1125 quia interruptio diuini officij etiam per spatium notabile, non excedit culpam venialem; ergo pariter dicendum de interruptione Missæ. Eadem enim videtur ratio.

Respondetur quidquid sit de antecedenti neganda est consequentia, Missa enim est compositum multò excellentius perfectiusque; habens vnitatem, & maiorem partium connexionem adinuicem, quàm partes diuini officij; & ideo interruptio Missæ maiorem inducit deformitatem, & magis directè, & per se prohibetur peculiari præcepto. Item compositio Missæ magis accedit ad compositionem sacramētorum, quàm diuini officij; & ideo non valet arguere ab Officio ad Missam, in qua conficitur Sacramentum, quod secus est in Officio.

Dico secundo, Si grauis, & rationabilis causa subsit interrumpendi Missam, interruptio vacat omni culpa; quia leges Ecclesiasticæ exceptionem admittunt, vt moraliter seruari possint, DD. cit. Quæ sint verò causæ legitimæ huius interruptionis in sequentibus Dubijs examinabimus.

DVBIVM II.

De causis excusantibus interruptionem à culpa; & primo: An infirmitas, vel vrgens necessitas excuset.

REspondeo affirmatiuè; E. g. si deliquium animi, vel virium superueniat celebranti, vel similis infirmitas, quæ cogat interrumpere Missam, quam paulò post possit idem Sacerdos perficere. Probatur, quia nemo ad impossibile obligari potest; Recuperatis autem viribus tenetur ipsemet perficere, vt colligitur ex cap. Nihil. 7. q. 1. & cap. nullus Episcopus de consec. dist. 1. & docent Suar. t. 3. in 3. p. disp. 85. sec. 1. Henriq. lib. 9. cap. 30. Fagundez præcep. 1. lib. 3. c. 18. Layman. lib. 5. tract. 5. cap. 7. Tambur. opusc. de sacrif. lib. 2. cap. 7. §. 6.

Colligitur. Si celebranti superueniat necessitas exonerendi ventrem quæ differri non possit, eam esse iustam causam interrumpendi Missam, statim postea perficiendam Henriq. Fagundez, cum alijs supra.

Difficultas hic est, quid si longa mora interponenda sit, seu non possit ipse celebrans redire, nisi post longum tempus. Ratio dubitandi est; quia per notabilem interruptionem soluitur vnitas Missæ; ergò posita mora notabili non potest perfici Missa inchoata, quia nec reputari potest vna Missa, neque vniri moraliter pars sequens eum parte antecedenti.

Re-

Respondeo si mora tanta futura sit, vt deficiat moralis vnitas sacræ actionis, tunc ante consecrationem relinquatur Missa; Post consecrationem verò perfici debet ab alio intra tempus legitimum iuxta dicenda 3. p. de Defectibus, de Sacrificio ab alio Sacerdote perficiẽdo, DD. citati. Dixi intra tempus legitimum, ita vt censeri possit idem Sacrificium, aliàs ratione impotentiæ omittenda est illa Missa inchoata, & seruandum est Sacramentum, vt sequenti die ab alio Sacerdote sumatur, vt suo loco fusius dicemus.

Qualis autem mora censenda sit notabilis, qua soluitur vnitas Missæ.

Respondetur censeri notabile spatium duarum horarum, vel si non possit redire primus celebrans nisi post meridiem, seu elapso tempore celebrandi Missas, vt multis probat Diana p. 10. tract. 11. res. 4.

DVBIVM III.

An possit Missa interrumpi ad succurrendum proximo constituto in graui necessitate spirituali.

E. G. Ad baptizandum, vel absoluendum moribundum si prestò non sit alius, nisi is qui actu celebrat.

Respondeo affirmatiuè. Probatur, quia obligatio succurrẽdi proximo quò ad salutem animæ præponderat huic obligationi non interrumpendi sacrum: Tum quia charitas religioni præponderat; Tum quia officium illud ministrandi Sacramenta extreme, vel grauiter indigenti, magis est Deo gratum: quod non obscurè colligitur ex verbis Christi, Matthei 5. Si offers munus tuum antè Altare &c. Vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.

An autem possit Missa interrumpi non solù ante consecrationem; sed etiam facta consecratione, pendet ex gradu necessitatis eiusdem proximi. Siquidem maior necessitas requiritur, vt Missa posit interrumpi post consecrationem: quia tunc maior est obligatio prosequendi sacrum, & maior irreuerentia tunc sequitur ex interruptione, quàm antè consecrationem: quare attendendum est quæ obligatio præponderet, vt ex dicendis patebit. Ita Henriq. Fagundez, Layman, Tambur. citati Dub. præcedenti Bonac. disp. 4. q. vlt. punct. 10. n. 25. Diana par 5. tract. 3. resol. 70. Auersa de sacrif. quæst. 11. sect. 12. §. Debet quoque, & communiter.

Colligitur primo, quando proximus est in extrema necessitate salutis, seu in periculo probabili damnationis, nisi ministretur ei Sacramentum conferens primam gratiam, vt si moribundus indigeat Baptismo, vel Sacramento Pœnitentiæ; tunc si non prestò sit alius Sacerdos, posse et teneri celebrantem sacrum interrumpere, etiam post consecrationem, vt proximo in eo periculo succurrat, quia præualet obligatio charitatis in re tanti momenti, ita DD. cit. & alij communiter.

Aduertendum autem est primo, debere Sacerdotem in hoc casu quando post consecrationem ab Altari discedit, debere inquam committere alicui, vt interim diligenter custodiat Sanctissimum Sacramentum in Altari relictũ, vel in Tabernaculo claudere, vt eum Zambrano notant Diana, Auersa, Tamburrinus; suprà.

Aduertendum secundo. Posita eà interruptione in casu extremæ necessitatis ad ministrandum Sacramentum Pœnitentię magis necessarium, posse etiam Sacerdotem secum deferre Hostiam consecratam, etiam ex ijs quas tunc consecrauit ad communicandum moribundum, quem etiam vngere poterit si suppetat sacrum oleum, remissis tamen Psalmis (ne diutius moretur) ad Ecclesiam post Missam, & statim redeat ad perficiendum sacrum. Ita DD. cit.

Aduertendum tertio. Si cõfessio moribundi longior futura sit vltra mediam horam, moneat illum Sacerdos, vt generaliter se accuset de reliquis peccatis, proponens ea postea sigillarim confiteri si posit, statimque illum absoluat, & cætera Sacramenta ministret vt supra, & absque alia mora reuertatur ad perficiendũ sacrum, vt Missæ vnitas seruetur; Diana, & Auersa suprà cum alijs. Completa verò Missa si moribundus adhuc viuit reuertatur Sacerdos ad illum, audiat reliquam confessionem, & denuo absoluat, Doct. cit.

Colligitur secundo, si in casu extremæ necessitatis, vt supra moribundus non sit capax Sacramenti Pœnitentiæ ob Phrenesim E. g. & sit capax extremæ Vnctionis, vel etiam Viatici, quibus Sacramentis ex probabili opinione competit conferre primam gratiam; in eo casu posse & teneri celebrantem interrumpere sacrum si non sit copia alterius Sacerdotis, etiã post consecrationem ad ministrandum Viaticum, vel extremam Vnctionem, vt moribundus ex attrito fiat contritus virtute Sacramenti, & sic saluetur: quia militat eadem ratio extremæ necessitatis spiritualis; ita Zambranus, & Tambur. suprà, Cappauilie cap. 4. q. 12. semper tamen curare debet Sacerdos, vt quàm citissimè se expediat, & ad Missam perficiendam reuertatur, atq. postea si opus sit infirmũ inuisat

Colli-

Colligitur tertio. Si Sacramentum sit ministrandum moribundo, non ob extremam necessitatem, seu non in casu quo indigere putetur prima gratia, E.g. Si Viaticum dandum sit ei, qui paulò ante confessus fuerat, tunc nō licet celebranti, neque post consecrationem, nec etiam post inceptum Canonem Missam interrumpere, & sacras vestes exuere, vt extra Ecclesiam pergat ad dandum Viaticum prædicto infirmo; quia cùm necessitas infirmi non sit adeo vrgens, prævalet obligatio continuandi Missam ob reuerentiam sacrificij. Si verò nō fuerit inceptus Canon, licebit Missam interrumpere ad ministrandum Viaticum, quia necessitas infirmi grauis est, vel non modica, & interrumpere Missam antè Canonem non iudicatur continere tantam irreuerentiam, quæ non vinci debeat ab illa necessitate, ita Layman, & Tambur. locis cit. Dixi primo licebit; quia non tenetur celebrans missam interrumpere, quamuis possit, eò quia necessitas non videtur tam vrgens, Tambur. supra. Dixi secundo non licere exuere sacras vestes, & extra Ecclesiam pergere, si enim in ipsa Ecclesia aliquis repentino malo correptus indigeat Viatico, poterit vtique Sacerdos diuertere tantisper etiam post consecrationem, & porrecta illi Eucharistia, statim reuerti, quia ingens vtilitas communionis præbet sufficientem causam: tā breui interruptioni, ita Henriq. Layman, Tambur. locis supra cit.

Colligitur quarto. Si moribundo sit ministranda sola Vnctio extrema post alia Sacramenta recepta, certum est non licere celebranti missam interrumpere, nedum post consecrationem, vel incepto Canone; sed nec etiam post factam oblationem; quia necessitas infirmi modica est, & interruptio missæ, etiam post factam oblationem non modicam irreuerentiā continere censetur ex cit. DD. An autem antè factam oblationem licitum sit missam interrūpere, vt ministretur infirmo extrema Vnctio in casu prædicto, aliqui negant cum Tambur. suprà, alij affirmant cum Layman vtrique probabiliter.

Colligitur quinto. Vnde incipere debeat Sacerdos cum in prædictis casibus reuertitur ad perficiendum sacrum.

Respondeo in casu factæ cōsecrationis semper incipere debet indè vbi desierat; quia nulla est ratio cur dicta repeti debeant.

Certum est autem consecrationem super eandem materiam repeti non posse; sed id fore graue sacrilegium, vt alias probauimus. Supponimus autem celebrantem reuerti intrà tempus aptum, & requisitum ad vnitarem sacrificij iuxta dicta Dub. 2.

In casu verò, quo missa interrumpitur ante consecrationem, si Sacerdos reuertitur intrà vnam horam poterit incipere inde vbi desierat; quia moraliter continuatur eadem missa. Si autem longior mora intercedat; melius erit incipere ab initio, vt perfectior sit vnitas missæ; nec enim dedecet in hoc casu eadem repetere, quæ non pertinent ad substantiam sacrificij, sed ad maiorem reuerentiam eiusdem sacrificij.

Tandem si mora sit longior, & incompossibilis cum vnitate eiusdem sacrificij, E. g. per duas horas iuxta supra dicta, relinquenda erit illa missa inchoata, quia iam moraliter desijt, nec potest vniri cum alijs compartibus, poterit autem inchoari noua missa si hora sit celebrandi circa meridiem, & hæc certa sunt quādo missa interrumpitur ante consecrationem. Vide Tambur. supra §. 7. fine. Quod si interrupta fuerit post consecrationem, dicemus 3. p. tit 10. dum de missa ab alio supplenda, & de spatio intra quod suppleri potest.

Colligitur quinto, quid dicendum sit de temporali, seu corporali necessitate, an possit interrumpi missa ad tuendam vitam proximi extremè indigentis; De quare ferè nihil reperitur apud DD. quia vix potest casus occurrere, in quo opus sit auxilio celebrantis, Ita vt saltem à ministro suppleri non possit; posito tamen casu dicendum videtur posse vtique interrumpi etiam post consecrationem, quia militat similis ratio, & obligatio charitatis in extrema necessitate. Certè si celebrans inuadatur ab iniquo, potest pro necessaria sui defensione fugere, vel occidere inuasorem cum debito moderamine, & deinde prosequi sacrum si non excesserit, vt Henriq. supra, ergo poterit etiam missam interrumpere ad saluandam vitam proximi.

DVBIVM IV.

Vtrum possit missa inchoata interrumpi, & iterum à principio resumi ob aduentum Episcopi, vel Principis.

Prima sententia docet, si superueniat Princeps, vel Prælatus, vel processio Populi, quos integram missam audire decet & non sit alius Sacerdos; posse celebrantem repetere missam ab initio, si solùm progressus fuerit vsque ad Offertorium, seu vsque ad Oblationem exclusiue; Non verò si vltrà; quia non apparet in repetitione illarum partium missæ tanta indecentia, vt ex rationabili causa non excusetur à culpa, ita Nauar. de oratione cap. 16. num. 15. Henriq. lib. 9. cap. 30. §. 2 verbo missa

missa n.31. Layman, Dicastillus, & alij apud Dianam p. 10. tract. 12. res. 11.

Secunda sententia absolutè negat repeti posse, etiam immediatè post principium, vel confessionem; quia interruptio semper continet irreuerentiam, nec prædicta videtur causa sufficiens; quippe alij non tenentur partem recitatam audire, quando non est alius Sacerdos, ità Salzedo in practica criminali cap 42. Manuel tom. 1. Sum. cap. 247. conclus. 7. Qui eam repetitionem damnat p. m. Petrus de Ledesma Sum. tract. de Euchar. cap. 24. Tambur Opusc. de sacrif. lib. 1. cap. 7. §. 8. qui tamen non damnant p.m. sed p.v.

Hæc secunda sententia videtur magis conformis huic Rubricæ quam exponimus: in qua habetur inchoata missa non debere celebrantem aduertere quemcumque in alio Altari celebrantem, etiam si Sacramentum eleuet; sed continuatè prosequi missam; ergò multo minus licet missam interrumpere ob causam prædictam. Et in Concil. Prouinciali Mediolanensi decretum fuit absolutè, nè quis missam semel inchoatam repetat, apud Gauantum in manuali verbo missæ ritus, num. 15.

Respondeo vtramq. opinionem videri probabilem, & seruandam esse consuetudinem cuiuslibet Ecclesiæ, in qua quis celebrat, quæ vtrinque rationabilis esse potest.

DVBIVM V.

De Interruptione Missæ per interpositionem Concionis, sacræ Ordinationis, publicationis edictorum &c.

Respondeo prædicta & similia, ritè & laudabiliter exerceri, dum missæ sacrificiũ peragitur, seù inter partes missæ iuxtà Rubricas & præscriptum Sacrorum canonum, & consuetudinem Ecclesiarum; quia vel affinitatem habent cum ipso sacrificio, vt Ordinatio ministrorum Altaris in Ordine ad ipsum sacrificium, vel cum partibus missæ, vt Concio post Euangelium, vel vt sacratiora fiant & deuotius perficiantur, vt professio Religiosorum, vel vt populus attentius audiat, quæ ad eius instructionem pertinent in edictis &c. quarè non est tam interruptio missæ, quàm extensio partium eiusdem missæ, & hoc ipso quod intra missam fiunt ex Institutione Ecclesiæ satis illi coherent. Vide Henriquez lib 9. Can. 30. n. 3. Layman lib. 5. tract. 5. cap. 7. Tamburinum supra.

TITVLVS IV.

DE INTROITV, KYRIE, ET GLORIA.

1 DVM dicit, Aufer à nobis &c. Celebrans iunctis manibus ascendit ad medium Altaris, & ibi inclinatus, manibusque item iunctis super eo positis, ita vt digiti parui dumtaxat frontem seu medium anterioris partis tabulæ seu mensæ Altaris tangant, residuo manuum inter Altare & se retento, pollice dextero super sinistrum in modum Crucis posito (quæ omnia semper obseruantur cùm manus iunctæ super Altare ponuntur) secretò dicit, Oramus te Domine &c. & cùm dicit, Quorum reliquiæ hic sunt osculatur Altare in medio, manibus extensis æqualiter hinc inde super eo positis: quod semper seruatur quando osculatur Altare: sed post consecrationem pollices ab indicibus non disiunguntur. In omni etiam deosculatione siue Altaris, siue libri; siue alterius rei, non producitur signum crucis pollice vel manu super id quod osculandum est.

EXPLICATIO LITERALIS.

Facta generali Confessione, & præmissa deprecatiua absolutione à peccatis; ascendit Sacerdos ad Altare, quod tunc potest expeditius aggredi, quando Dei miseratione solutus à compedibus peccatorum, & mundatus per confessionem à maculis culparum, diui-

diuino conspectui potest libertus, & pura mente se præsentare, unde in ipso ascensu dicit, aufer à nobis &c vt ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire.

Ritus autem, quos debet seruare Sacerdos ex præscripto huius Rubricæ præcipui sunt.

Primo vt iunctis manibus ascendat ad medium Altaris: manus iunctæ sunt deuotionis inditium, vt suprà dicebamus. Hic autem proprius manus innocuas significare possunt, seu non extensas ad praua opera, & proximi offensionem. Duas enim requirebat conditiones Propheta in Psalm.23. in eo, quia ascensurus erat ad montem Domini, vbi erat templum, & Altare sacrificij videlicet vt esset innocens manibus, & mundo corde. Meritò ergò Ecclesia easdem requirit in Sacerdote ascēdente ad Altare, vt & munditiam cordis explicet verbis orationis prædictæ aufer à nobis: Et innocentiam manuum indicet gestu, idest manibus iunctis. Consonat illud Isaiæ 1. Cùm extenderitis manus vestras auertam oculos meos à vobis, ergò non extensas, sed iunctas manus habere debet, qui ascendit in montem Domini ad offerendum sacrificium, de quo ibi loquitur Isaias. Vide Agellium in Psalmum citatum 23.

Secundo. Cum ad Altare peruenerit Sacerdos, inclinatus, manus super eum ponit, in signum facultatis, quam habet tractandi res sacras: manus autem ità collocat, vt simul tangat anteriorem partem eiusdem & mensam superiorem, significans Christum lapidem angularem, qui fecit vtraque vnum, Scortia de sacrif.lib.3.cap.12.

Tertio. Osculatur Altare in signum reuerentiæ. Vnde Ester osculabatur apicem Virgæ Regis: item ad significandam pacem, quam Christus attulit mundo, ex Chrisost. hom. 79. in Ioann. & hom. de proditione Iudæ, & alijs apud Suar.t.3.in 3 p. disp 84. sec 1. Tandem ad venerandas reliquias Sanct. in Altari reconditas, & ad impetrandum eorumdem patrociniū. Vbi nota ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine sub Altari, & in ipsa Ara consecrata recondi reliquias Sanctorum Martyrum pro quodam consortio cum Christo, inquit August. ser. 73. de diuersis, vt vbi mors Domini quotidiè celebratur, ibi requiescant qui propter mortem eius mortui, fuerunt socij passionum Christi: quamuis enim sacrificium soli Deo offeratur, offertur nihilominus Deo in honorem Sanctorum. Tandem vt suo patrocinio adiuuent Sacerdotem ad dignè offerendum tam sublime sacrificium. Vnde dicit Sacerdos, Oramus te Domine per merita Sanctorum, quorum reliquiæ hic sunt &c. An autem eadem verba proferri debeant, si verè in Altari non sint reliquiæ Sanctorum in Dubijs conscientiæ exponemus.

Quarto. Cum Sacerdos osculatur Altare manus extensas æqualiter hinc inde super eo ponit: quoad literam: quia hic est modus aptior, vt conuenienter, & maiori decentia fiat hæc actio osculandi ipsum Altare, ex ijs quæ notat Suar. citata disp.84. sect. 2. quoad sensum mysticum manuum extensio promptitudinem ad rectè operandum significat, ex Durando in rationali lib.4. cap.39. manus ergo extendi non debent ad nocendum, sed ad benè operandum.

Quinto. Notatur in fine huius rubricæ in omni de osculatione siue Altaris, siue libri &c. non esse producendum signum Crucis super eo: quia Altare est consecratum, item liber, & res aliæ alijs de causis sanctificatæ Durandus suprà.

2 Osculato Altari accedit ad cornu eius sinistrum, id est Epistolæ: vbi stans versus Altare, & producens à fronte ad pectus signum Crucis, incipit intelligibili voce Introitum Missæ, & prosequitur iunctis manibus. Cùm dicit, Gloria Patri, tenens iunctas manus, caput inclinat versus Crucem. Cum repetit Introitum non signat se vt prius: & eo reperito, iunctis manibus ante pectus accedit ad medium Altaris, vbi stans versus illud similiter manibus iunctis, dicit eadem voce ter, Kyrie eleison, ter Christe eleison, & iterum ter Kyrie eleison, alternatim cum ministro. Si minister, vel qui intersunt Celebranti non respondeant, ipse solus nouies dicit.

INtroitus est missæ principium propriè dictum (nam confessio, & alia prædicta sunt præuia dispositio, vt supra dicebamus p. 1. tit 8.) & significat Aduentum Christi in Mundum, vt ibidem explicauimus.

Ad recitandum ergo Introitum.

Primo Sacerdos accedit ad cornu sinistrum Altaris, idest Epistolæ: quia pars sinistra Altaris significat partem Ecclesiæ ex Iudeis collectam, è contrà pars dextera denotat eiusdem Ecclesiæ digniorem partem ex gentibus coadunatam, Iuo serm. de conuen. veteris & noui sacrificij; & ideircò in cornu Epistolæ, idest sinistro leguntur Prophetiæ, & alia ex veteri testamento. Hic ergo legitur Introitus significans Christi Aduentum; quia Messias Primo loco missus fuit ad Iudeos, & ad oues quæ perierant domus Israel, & deinde ad Gentes, Actorum 13. Filij generis Abraham vobis verbum salutis huius missum est; & infrà, sed quoniam repellitis illud, ecce conuertimur ad Gentes; Vide Durandum lib. 4. cap. 11.

Secundo incipit Introitum missæ producens signum Crucis; quia in principio semper se signare debet Sacerdos, vt suprà dicebamus tit 3 num. 4. Et notat hic Castaldus in Praxi. lib. 2. sect 8. cap. 3 n. 3.

Tertiò cum dicit Gloria Patri, caput inclinat versus Crucem, tum vt reuerentia sit magis patens, & circumstantes aduertere possint, & pariter caput inclinare: Tum quia in mysterio Crucis, & Redemptionis maximè elucet distinctio personarum Patris, qui misit Filium, Filij qui fuit missus, & Spiritus sancti; quia fuit opus amoris; Sic Deus dilexit Mundum, vt Filium suum &c. Ioann. 3. Alia de Introitu, & de Kyrie eleison diximus par. 1. titul. 8.

3 Dicto vltimo Kyrie eleison. Sacerdos stans in medio Altaris, & manus extendens, eleuansque vsque ad humeros, (quod in omni manuum eleuatione obseruatur) voce prædicta incipit, si dicendum sit Gloria in excelsis. Cùm dicit, Deo iungens manus, caput Cruci inclinat, quò erecto, stans iunctis manibus ante pectus, prosequitur vsque ad finem. Cùm dicit, Adoramus te; Gratias agimus tibi, & iterum, Iesu Christe, Suscipe deprecationem nostram, & iterum Iesu Christe caput Cruci inclinat. Cùm dicit in fine, Cum sancto Spiritu seipsum à fronte ad pectus signat, interim absoluens, In gloria Dei Patris, Amen.

SEquitur Hymnus Gloria in excelsis, quem dicens Sacerdos secundùm ritum hic præscriptum.

Primo Obseruare debet, vt illum dicat stans in medio Altaris; medium autem est pars nobilior Altaris, in qua dicuntur partes missæ insigniores. Item vt ait Durandus lib. 5 cap. 13. Quia Angeli hunc hymnum in medio Pastorum concinerunt.

Secundo, dum incipit Gloria, manus extendit & eleuat vsque ad humeros. Extensio manuum designat vim affectiuam orantis, & glorificantis Deum, ex Basilio in cap. 1. Isaiæ. Eleuatio, erectionem cordis ad Deum, & ad cælestia, ex Origene homil. 11. in cap. 17. Exod. Et cum dicit Deo, iungit manus, in signum adorationis, & confessionis vnitatis Dei, atque omnes huiusmodi actus, & capitis inclinatio ordinantur ad Dei cultum, & adorationem; vt explicat Suar. disp. 84. sec. 1 Cùm dicit adoramus &c. caput inclinat, vt actio sit loquutioni conformis, & in reuerentiam nominis Iesu, ex Suar. loc. cit. Fit autem inclinatio versùs Crucē, in qua relucet Dei Pietas & maiestas, ex D. Chrisost. in Liturgia. Tandem in fine seipsum signat Sacerdos, & cùm dicit Amen iungit manus, quia pariter Deum glorificamus, & nos gloriamur in Cruce, quæ est Tropheum Christi, ex Beleth. cap 10 Vnde Apostolus Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri &c.

4 In Missa solemni Sacerdos facta Confessione ascendit cum ministris ad medium altaris: vbi dicto, Oramus te Domine, & osculato Altari, ponit incensum in Thuribulum, ministrante Diacono nauiculam, & Thuriferario Thuribulum. Diaconus parum inclinatus versus celebrantem, dicit: Benedi-

Benedicite Pater reuerende: & osculatur cochlear & manum celebrantis ante & post. Celebrans ter incensum ponit in Thuribulum, dicens interim: ab illo benedicaris, & deposito cochleari, producens manu dextera signum Crucis super thus in Thuribulo, illud benedicit. Posteà Diaconus dimissa nauicula, accipit Thuribulum, & dat Celebranti, osculata priùs catenularum summitate, & manu illius dextera: Qui facta Cruci profunda reuerentia, eam ter incensat, nihil dicens; & facta iterum Cruci reuerentia, incensat Altare, ter ducens Thuribulum æquali distantia, prout distribuuntur candelabra, à medio eius vsque ad cornu Epistolæ: vbi demissa manu, thurificat illius postremam partem inferiorem, mox superiorem, bis ducto Thuribulo; & conuersus ad Altare, eleuans manum incensat eius planitiem, seu mensam in parte anteriori, ter ducens Thuribulum vsque ad medium: vbi facta Cruci reuerentia, producendo thurificat aliud latus Altaris triplici ductu vsque ad cornu Euangelij & pariter incensata inferiori & superiori parte ipsius cornu Euangelij duplici ductu, adhuc stans ibidem, eleuat Thuribulum, & ter incensat superiorem tabulæ partem versus medium Altaris, vt fecit in cornu Epistolæ, deinde manu aliquantum demissa, incensat anteriorem eius partem, seu frontem, ter ducens Thuribulum dum procedit à cornu Euangelij vsque ad medium Altaris: & facta Cruci reuerentia incensat similiter triplici ductu reliquam partem anteriorem vsque ad cornu Epistolæ: vbi reddito Thuribulo ipsi Diacono, ab eo ipse solus incensatur.

OBlatio incensi in honorem & cultum Dei, & Thurificatio Altaris est ritus antiquissimus in Ecclesia ab ipso Apostolorum tempore, vt fusè & eruditè probat Stephanus Durantus de Ritibus Ecclesiæ lib 1 cap.9. Sicut etiam aliorum munerum oblatio fit à fidelibus Deo tanquam tributum, diuersum tamen à sacrificio, & pertinet ad simplicem oblationem, de qua rè videri potest Suar. lib 1. de Diuino cultu cap 3 Vnde Christo infantulo inter alia dona Magi thus obtulerunt Matthei 2. Offertur autem occasione sacrificij Missæ, non vt aliquid pertinens ad cæremonias veteris legis, quæ iam cessarunt, vt docet D.Thom. 3.par. q.83. art.5. Sed alia ratione, vt explicat idem S.Doctor, Primo quidem ad reuerentiam huius Sacramenti, vt per bonum odorem depellatur si quid praui odoris in loco fuerit. Secundo pertinet ad repræsentandum effectum gratiæ, qua sicut bono odore Christus repletus fuit, & à Christo deriuatur ad fideles officio ministrorum 2. Corint 2 Et ideo vndique thurificato Altari, per quod Christus designatur, thurificantur omnes per ordinem, hactenus D.Thom. plura addit Durantus suprà, & nos dicemus infra dum de sensu mystico. Vide etiam Suar. disp. 84. sect 1. fine to. 3 in 3.p.

De Ritibus seruandis in thurificatione videri potest Castald in Praxi Cœrem. lib. 2. sect. 2. cap. 2 A quo exactissimè explicantur. Solùm addo Primo, id quod dicitur in hac Rubrica, vt Sacerdos post Crucem incenset Altare, ter ducens thuribulum, prout distribuuntur candelabra, non esse intelligendum quòd ipsa candelabra incensari debeant, sed incensatur Altare quoad partem posteriorem, nam etiam si pauciora sint candelabra, adhuc triplici ductu ea pars est incensanda in vtroque latere, vt dicitur in Rubrica sequenti fine. Et colligitur ex verbis D.Thom. supra, vndique thurificato Altari &c. Et notat Gauantus in hanc Rubricam lit C. Addo Secundo statim facta benedictione incensi amouendum esse ab Altari librum cum suo Puluinari à Thuriferario, vel à magistro Cæremoniarum, ne sit impedimento celebranti, dum incensatur Altare, statimque restituendum, quod si adsit assistens Pluuiali indutus eiusdem erit amouere librum, ex Cærem. Episc lib. 1. cap 17.

5 Si verò in Altari fuerint Reliquiæ, seu Imagines Sanctorum, incensata Cruce, & facta ei reuerentia, antequam discedat à medio Altaris, primum incensat eas quæ à dextris sunt, idest à parte Euangelij prope Crucem bis ducens thuribulum, & iterum facta Cruci reuerentia; similiter incensat bis alias quæ sunt à sinistris hoc est à parte Epistolæ; deinde prosequitur incensationem Altaris, vt supra, ter ducens Thuribulum in vnoquoque latere, etiam si in eo essent plures Reliquiæ, vel Imagines, seu etiam plura, vel pauciora candelabra.

PRæscribitur hic, vt exhibeatur cultus, & veneratio per thurificationem Reliquijs Sanctorum si fuerint in Altari, additur, seu Imaginibus: quia recondi solent Reliquiæ in statuis Sanctorum, & collocari in Altari, Illa ergò particula, seu, explicat idem, nempè incensandas esse Reliquias, siue sint in vasis, siue repositæ in statuis, & Imaginibus Sanctorum; consequenter alias Imagines sine reliquijs non esse incensandas: quia habetur peculiaris ratio reliquiarum, quæ magis intrinsecè pertinent ad Sanctos, quorum sunt reliquiæ. Ante incensationem verò fit inclinatio Cruci, & non reliquijs: quia maior reuerentia debetur Cruci, quæ Christum representat, & idcircò vt sit discrimen Sacerdos caput inclinat Cruci, & non reliquijs, vt bene notat Gauantus in hanc rubr. Qualis autem cultus debeatur, Tum reliquijs, tum Imaginibus Sanctorum. Fusius explicabimus occasione huius Ritus in Dubijs conscientiæ,

6 Si in Altari fuerit tabernaculum sanctissimi Sacramenti, accepto Thuribulo antequam incipiat incensationem, genuflectit, quod item facit quotiescumque transit ante medium Altaris.

7 Diaconus & Subdiaconus hinc inde assistunt Celebranti dum incensat, & cum transeunt ante Crucem, semper genuflectunt. Deinde Celebrans Diacono à dextris eius, Subdiacono à dextris Diaconi stantibus in cornu Epistolæ, legit Introitum, & Kyrie eleison. Cùm verò intonat hymnum, Gloria in excelsis Deo. Diaconus & Subdiaconus vnus post alium, stant à tergo Celebrantis. posteà ascendunt ad Altare & hinc inde, Diaconus à dextris, Subdiaconus à sinistris, cum Celebrante hymnum submissa voce prosequuntur vsque ad finem. Quod etiam seruatur cum dicitur Credo, & cùm dicitur Dominus vobiscum. Oratio Præfatio, & Pater noster. Diaconus & Subdiaconus similiter stant vnus post alterum à tergo Celebrantis.

SI in Altari sit Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, celebrans antequam incipiat incensationem genuflectit adorando ipsum Sacramentum, quod quamuis lateat, quia tamen est proximè præsens adorari debet, vt hic præscribitur. Quotiescumq. etiam in actu incensationis celebrans transit ante medium Altaris genuflectit & in hoc casu non inclinat caput Cruci ob similem rationem supra explicatam num. 5. Ea verò, quæ habentur num. 7. de Diacono, & Subdiacono assistentibus celebranti, videri possunt apud Castaldum in praxi lib. 2. sec. 9. ne actum agamus, & ne simus iustò prolixiores.

SENSVS MYSTICVS,

Thurificationis Altaris &c;

THurificatione designatur illud, quod scribitur Apoc. 8. de Angelo, qui stetit antè Altare habens Thuribulum aureum, quod impleuit de igne Altaris, & data sunt ei incensa multa &c. Quod explicat Durandus in rationali lib. 4 cap 8. his verbis; sanè Angelus est Christus, Thuribulum aureum Corpus immaculatum, Altare Ecclesia, incensum Oratio, secundùm illud Psalmi 140. Dirigatur oratio mea sicut incensum &c. Venit ergo Angelus,

idest

idest Christus, qui stetit ante Altare, idest in conspectu Ecclesiæ, habens Thuribulum plenū igne, idest Corpus immaculatum plenum charitate; & data sunt ei, idest à fidelibus incensa multa, idest Orationes; vt daret hoc est repræsentaret Patri; Sacerdos ergò thus in Thuribulo apponit, quia Christus orationes inspirat, vt per ipsum offeratur incensum in odorem suauitatis. Plura subdit Durandus loco citat. & infra cap. 10. & alia videri possunt apud Stephanum Durantum de titibus Ecclesiæ lib. 1. cap 9 Et apud Suar. tom 3 in 3. p. disp. 84 sect. 5. vltimo loco.

DVBIA CONSCIENTIAE

SECTIO I.

De Osculo, & Thurificatione Altaris.

DVBIVM I.

Vtrum si in Altari non sint Reliquiæ, dici debeant à Sacerdote illa verba quorum Reliquiæ hîc sunt.

SVppono, Reliquias non esse de essentia consecrationis, imò secundùm plures Auctores neque de præcepto, vt supra vidimus 1 par. tit 20. de Altari, consequenter contingere potest vt in aliquo Altari nullæ sint reliquiæ, præsertim vbi est earum inopia. Tunc oritur difficultas, an in hoc casu, quando Sacerdos osculatur Altare immediatè ante Introitum pronunciare debeat illa verba, quorū reliquiæ hic sunt: ratio dubitandi est, quia tunc haberent falsam significationem, posito quod Sacerdoti constet de defectu reliquiarum.

Prima sententia sustinet, adhuc pronuntianda esse illa verba, quæ absolutè habentùr in missa'i sine exceptione, & ex præcepto Pij V. nihil potest omitti ex ritibus missæ, siue sint verba, siue actiones. Nec obstat quandoque in hoc, vel illo Altari non esse reliquias Sanctorum, quia sufficienter verificantur illa verba, eò quia in Altari, vel in Templo communiter solent esse reliquiæ, vnde subintelligitur tacita conditio si adsint: aut verificantur in alio sensu; quoniam ipsi ritus manant ex instructione Sanctorum, & sunt quodammodo eorum reliquiæ; Hanc sententiam cum alijs defendit Fagundez, præcept. 1. lib. 3. cap. 22. num. 6.

Secunda sententia probabilior docet in prædicto casu osculandum quidem esse Altare, sed omitti debere illa verba, quorum reliquiæ hic sunt: quia re vera non verificantur, loquitur enim Sacerdos de hoc singulari Altari, in quo hic & nunc celebrat, in quo vt supponimus non sunt reliquiæ. Neque obstat præceptum Pij V. quia hic casus censetur exceptus ob rationem suprà explicatam. Sicut etiam excipiuntur nonnulli similes, quando in missis votiuis Sanctorum omittimus illa verba diem festum celebrantes, & dicimus commemorationem, vel quid simile, quod non solum non est contra rubricas, sed secundùm illas, ne quid falsum, vel improprium dicatur. Prædicta autem verba, valde impropriè vsurparentur in casu, de quo loquimur. Vnde in Cæremoniali Carmelitarum rectè notatur, non debere dici ea verba, vt testatur Lezzana sum. verbo Altare num. 6 Et ex antiquis rubricis notarunt Syluest. verbo altare num 3. & Angelus eodem num. tertio; in missali autem Romano non apponitur ea exceptio, quia supponit semper apponi reliquias in Altari, & ne daretur occasio negligendi hunc ritum condendi in eo reliquias. Rectè etiam notauit eruditissimus Castald. in Praxi Cærem. lib. 2. sect. 8 c 3. num. 2. Illa verba, quorum reliquiæ hic sunt, semper intelligi ad literam (quicquid, inquit, alij dicant) nam semper in Altari, siue sit fixum, siue portarile Sanctorum reliquiæ in eius consecratione reconduntur, & ideo hanc secundam sententiam sustinent Cantonus in ordinat diuini officij, Gauantus in hac rubricam, Lezzana loco cit, Syluest. & communiter.

DVBIVM II.

An Thurificatio Altaris sit conuenienter instituta in sacrificio Missæ &c.

RAtio dubitandi prima est, quia in nouo testamento non sunt obseruandæ cæremoniæ veteris testamenti, quæ iam cessarunt, vt optimè notat D. Thom. 3. p. q. 83. art. 5. Thurificatio autem pertinet ad cæremonias veteris testamenti nam Exod. 30 Dominus mandauit, vt Aaron adoleret incensum super Altare: ergo in nouo testamento Sacerdos vti non debet Thurificatione.

Secunda Adolere incensum super Altare in honorem Dei habet rationem sacrificij: quia huic cæremoniæ conuenit definitio sacrificij, videlicet. Est oblatio Deo facta per immutationem alicuius rei sensibilis in honorem Dei, per Thurificationem autem offertur in honorem

rem Dei. Per thurificationem autem offertur in honorem Dei incensum, & immutatur per cremationem, ergo est verum sacrificium, sicut in veteri testamento verum sacrificium Tymiamatis offerebatur Exod. 30. Hoc autem est inconueniens: quia in nouo testamento non offertur nisi vnicum sacrificium Eucharisticum corporis, & sanguinis Christi, neque aliud institui, aut offerri potest, vt colligitur ex Trid. sess. 22. & fuse probat Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 74. sec. 4. Ergo &c.

Respondeo Piè, & conuenientissimè hanc cœremoniam ab Ecclesia institutam fuisse, sicut de ritibus, & cœremonijs Missæ vniuersaliter definit Trid. sess. 22. cap. 5 & Can. 7. Rationem autem reddit D. Th. supra art. 5. citato, videlicet institutam fuisse Primo in reuerentiam Sacramenti propter bonum odorem: Nam suaues cuipiam apponere, vel suffumigare odores ad honorem eius pertinet, vnde & in cultum Dei exhiberi solet: Item in reuerentiam loci sacri ad depellendum prauum odorem. Secundo ad significandum effectum gratiæ, quo Christus tanquam bono odore repletus fuit & ab eo deriuatur ad fideles, vt supra diximus in litera, et alia addemus in sensu mystico; Ita D. Th. supra, & communiter DD. Vide Sua. disp. 84. sec. 1. §. vltimo loco.

Ad primam rationem dubitandi Respondetur ex D. Th supra, nos non vti in missa hac cæremonia, tanquam cæremoniali præcepto veteris legis: sed quia aliundè conueniens, & decens est, vtimur ea tanquam ab Ecclesia instituta; & iuxta ritum ab Ecclesia præscriptum, non eo modo quo in veteri lege erat statuta.

Ad secundam Respondetur Thurificationem Altaris, seu oblationem incensi non esse sacrificium, sed cæremoniam ordinatam ad maiorem decentiam, & ornatum sacrificij: vnde est accidens sacrificij, non sacrificium: neque ei conuenit definitio sacrificij, quia de ratione Sacrificij est, vt sit oblatio immediatè ordinata ad Deum in supremum eius cultum, non autem mediatè, & per accidens, seu tanquam aliquid accidentale principalis oblationis, vt est Thurificatio in casu nostro, & docet Suar disp. 74. sec. 4. §. in hac re, & hoc sufficit ad excludendam Thurificationem à ratione sacrificij quicquid sit de ea quæstione An Ecclesia habeat potestatem instituendi nouum sacrificium, nam si non habet vt probabilius est, ex hoc etiam capite Thurificatio non potest esse sacrificium. Adde quod sicut Ecclesia adhibens cæremonias ad ornatum Sacramentorum, non instituit noua sacramenta; sed accidentia Sacramentorum, Ita instituendo cæremonias ad ornatum sacrificij, non instituit noua Sacrificia; sed accidentia Sacrificij.

DVBIVM III.

Vtrum post Altaris, & rerum Sacrarum Thurificationem, conuenienter incensentur qui missæ assistunt, Tum Ecclesiastici, Tum Laici.

1. RAtio dubitandi est; quia Thurificatio inter Missarum solemnia est cultus religiosus, & sacer, qui solum competit Deo, & Sanctis fere rebus sacris; ergo non potest exiberi hominibus viatoribus, sicut non potest exhiberi reliquijs eorum qui nondum sunt Canonizati; quod si est Cultus ciuilis, & prophanus, non bene miscetur cum sacris cæremonijs.

Respondeo hunc ritum incensandi eos, qui Missæ assistunt in choro & in Ecclesia laudabilem, & conuenientem esse; vt patet ex dictis in responsione ad Dubium præcedens, & ex vsu Ecclesiæ. Ratio reddi potest Tum quia laudabile est moderatum honorem exhibere ijs qui missæ deseruiunt & assistunt, tanquam Christi fidelibus. Tum ob significationem, qua piè exprimitur virtutum odorem a Christo deriuari ad fideles officio ministrorum secundum illud Corint. 2. odorem notitiæ suæ spargit per nos in omni loco. Et ideo vt docet D. Th. q. cit. 83. art. 5. ad 1 Thurificato Altari Turificantur omnes per ordinem.

Ad rationem dubitandi Respondeo Turificationem, quæ fit inter Missarum solemnia ex parte significationis, esse cæremoniam sacram vt patet ex dictis, quatenus verò est cultus, & honor exhibitus illis qui incensantur, specificari ab obiecto, seu ab illis, quibus exhibetur, quando ergo cultus exhibetur Deo, est cultus latriæ, quando exhibetur sanctis est cultus Duliæ; quatenus exhibetur hominibus Viatoribus est cultus ciuilis & virtutis obseruantiæ. Actus enim exterior est indifferens ad omnes prædictos cultus, & discrimen est penes affectum internum, vt dicemus sec. sequenti de adoratione: neque hoc est miscere sacra profanis, Tum quia Cæremonia quoad significationem est sacra, vt dicebamus, Tum quia hic cultus etiam quatenus ciuilis est, spectat ad virtutem obseruantiæ, & nihil habet indecentiæ, ratione cuius prohibitum est miscere sacra profanis Tandem alij non incensantur ab ipso celebrante, à quo incensatur Crux, & reliquiæ, & alia sacra, siquidem celebrans paramentis sacerdotalibus indutus est minister destinatus ad solam Dei cultum, & sanctorum, præ-

ci-

cipuè dum est in Altari, nec posset absque indecentia relicto Altari, se conuertere ad cultum ciuilem aliorum, & idcirco Thurificatio prædicta fit ab alijs ministris, in quo nulla apparet indecentia.

Colligitur in nullo casu permittendum esse, vt sacerdos paramentis sacerdotalibus indutus aliquem thurificet: seu incensee cuiusuis conditionis, & præeminentiæ sit, & grauiter esse arguendos eos qui hoc ambiunt: Imo laici nedum incensari non debent à sacerdote, sed nec a Diacono, vel Subdiacono, ita Bonacin. in Decal. disp. 3. q. 1. punc. 2. nu 4. citans Rodriq p. 1. c. p. 8. sed omnino seruari debent Rubricæ Missalis tit. 7. n. 10.

DVBIVM IV.

Vtrum in omnibus missis solemnibus, etiam de Feria, & de simplici, equalis solemnitas seruari debeat quoad incensationem Altaris.

E. G. tam in Introitu, quàm in Euangelio & Offertorio, & in eleuatione Sacramenti Ratio dubitandi est, quia debet esse discrimen interfesta, & profesta.

Resp. in missis solemnibus, quæ cantantur cū ministris Diacono, videlicet & Subdiacono idē ritus incensandi seruari debet in introitu & reliquis vt supra, quia tum hæc rubrica quam explicamus, tum aliæ infra explicandæ, in quibus præscribitur incensatio, simpliciter, et indistinctè loquuntur de qualibet missa solemni: excepta solum missa pro Defunctis, vt infra tit. 13. num 2. Atque ita docent Castald. in praxi cærem lib. 2. sec. 2. cap. 2. num 13. & Gauantus in rubricas missalis par. tit. 2. nu. 5. Dixi Quæ cantantur cum ministris, quia in missa, quæ cantantur sine ministris, & ideo non est in omni rigore solemnis, nunquam fieri solet incensatio, in illa ante Introitum, sed tantum fit ad Offertorium, & eleuationem, quę etiam in aliquibus Ecclesijs omittuntur, & videtur res arbitraria, vt notat Castaldus supra n. 17. & constat ex Praxi.

Et quamuis in missis solemnibus, quæ cantantur in ferijs, & profestis aliquando omitti soleat incensatio in nonnullis Ecclesijs, vt appareat differentia inter festa, & profesta; Nihilominus in rigore videtur contra rubricas, & potius permittitur, quàm approbetur, vt notat Gauantus supra

Ad rationem dubitandi. Respondeo in Ecclesijs cultioribus seruari discrimen, quoad apparatum magis vel minus solemnem, quoad expositionem reliquiarum, musicum concentum, & similia, quæ remittuntur arbitrio Rectorum, & Sacristarum, non verò quoad ritus præscriptos pro actu celebrationis.

SECTIO II.

De cultu sacrarum Imaginum, & Reliquiarum.

Occasione eius, quod præscribitur in his rubricis num. 5. vt vbi in Altari fuerint reliquiæ, seu Imagines Sanctorum, deferatur eis, cultus & veneratio suffitu incensi, seu thurificatione immediatè postCrucis thurificationem; operæ pretiū visum fuit nonnullas quæstiones hìc explicare circa adorationem, et cultum sacrarum Imaginum, & præsertim reliquiarum.

DVBIVM I.

An Sanctorum Imagines, et Reliquiæ sint adorandæ.

Ratio dubitandi est: quia adoratio est actus, quo aliquis tanquam inferior se submittit alteri, tanquam superiori & digniori in protestationem excellentiæ eiusdem, cui se submittit. Sed Imagines, & reliquię cùm sint quid inanimatum, & insensibile, non possunt esse quid superius, & dignius homine; ergò non sunt ab homine adorabiles. Deinde per adorationem is, qui adorat, intendit significare ei quem adorat suæ voluntatis, & animi inclinationem, & submissionem in ipsum: ergò opus est, vt id quod adoratur, possit intelligere, & aduertere signi illius expressionem, & significationem; Alioquin frustrà ei adhiberetur. Hinc dicunt communiter DD. non deberi reuerentiam, nisi naturæ rationali. Ex D. Th. 3. p. q 25. art. 3. sed Imagines, & reliquię cùm sint rationis expertes, non possunt id apprehendere, ergò non sunt capaces adorationis.

Respondeo, nihilominus reliquias, & Imagines Sanctorū esse adorandas, seu licitè & piè adorari à fidelibus, est de fide ex multis Conc. presertim Nicæno act. 3. & Trid sess 25. initio, de inuocatione &c. Vbi ita habetur, Sanctorū quoque Martyrum cū Christo viuentium Sancta Corpora, quæ viua membra fuerunt Christi, & Templum Spiritus sancti à fidelibus veneranda esse &c. & statim de imaginibus definit eis debitum honorem, & venerationem impertiendam. Rationem verò reddit ipsum Trid.

Trid. quia honor, qui illis exhibetur, refertur ad prototypa, & per Imagines adoramus ipsos Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, sicuti fusius explicant D.Thom 3.par. q.25.art.6. Bellarminus in controuersijs tom.1 controu 7. lib.2.cap.24.& 15. Suar tom.1.in 3.p disp.54. 55.& 56 Valentin.in 2.2.disp.6.quæst.11.punc. 6. Layman.lib.4 tract.7.c.5.Bonac. to.2. disp.5. q.1 punc 1.& seqq.

Ad rationem dubitandi respondetur. Imagines, & reliquias nõ apprehendere signa adorationis, si materialiter sumantur pro ligno, vel tela, et coloribus, ex quibus constant: neque sic adorati à nobis: neque sic esse digniores hominibus; sed eis excellere in esse repræsentatiuo, seu excellentia & dignitate Sanctorum, quorum similitudinem gerunt, quæ est motiuũ adorationis: & idem est de reliquijs, quæ referuntur ad Sanctos, quorum sunt partes. Itaque reliquiæ, & Imagines verè & propriè adorantur in se ipsis, sed non propter seipsas: seù adorantur respectiuè ad prototypa, non autẽ absolutè, & independenter à Sanctis, quorum sunt Imagines, vel reliquiæ: sicut quando osculamur purpuram Regis, vel eius Imagini caput aperimus ipsum Regem veneramur, DD. supra citati, itaq. satis est si ipsi Sancti intelligant signa reuerentiæ.

DVBIVM II.

Qualis adoratio debeatur Imaginibus, & Reliquijs Sanctorum &c.

Aduertendum adorationem, seu cultum religiosum esse triplicem: Latriæ, Duliç, & Hyperduliæ. Latria est cultus supremus, qui soli Deo competit, & debetur tanquam absoluto omnium Domino, & infinitæ Maiestatis. Dulia est veneratio, quæ debetur Sanctis, & Beatis viris, propter dotes supernaturales; quia verò inter Sanctos primum locum obtinet B. Virgo, quæ etiam tanquã Dei Mater est omniũ Regina, ideo peculiari cultu venerari debet supra cęteros Sanctos, qui dicitur Hyperdulia, ita D Th.3.p.q 25.art.5. quem sequuntur communiter.

Aduertendum secundo, Adorationes prædictas pręcipuè distingui per actum internum seu per intentionem adorantium: nam actus externi, E.g. genuflexio & totius corporis in terram prostratio, quæ summæ videntur adorationes, nedum exhibentur Sanctis & Beatis, sed etiam prophanis hominibus cultu ciuili, procedente à virtute obseruantiæ politicæ, vt patet Genes.43.& 50. Tertio Regum 1. & quotidiana experientia. Itaque à sola intentione pendet quòd prædicta et alia signa externa potius pertineant ad cultum Duliæ, quàm Latriæ, vel è contrà, vt videri potest apud Lessiũ lib.2. de iustitia cap. 38. dub.1. Si enim externa illa submissionis nota intendas te alteri submittere tanquam Deo, eiusque diuinitatem testari, erit cultus Latriæ, si intendas te submittere alteri, tanquam amico Dei, erit cultus Duliæ &c His præmissis.

Respondeo, adorationem sacrarum Imaginum, & reliquiarum pertinere vel ad cultum Latrię, si Imago sit Christi, et Dei, vel ad cultum Duliæ si imago sit alicuius Sancti. Probatur: Adoratio quę debetur Deo est Latria, itẽ adoratio quę defertur Sanctis est adoratio, & cultus Duliæ: ergo etiam ad Latriam, vel Duliam pertinet adoratio Imaginum, & reliquiarum eorundem. Probatur Consequentia, vbi est idem motiuum, & eadem ratio adorandi, ibi est idem genus adorationis: sed ratio cur adoratur Imago, non est alia, quàm excellentia exemplaris; ergo ad idem genus adorationis pertinet adoratio Sancti, & Imaginis eiusdem, & idem est de reliquijs. Dixi saltem reductiuè, ob controuersiam quę est inter DD. An verè sint actus eiusdem speciei, et Dulię propriè dictę adoratio, quę immediatè terminatur ad Sanctum in seipso, & ea quæ immediatè terminatur ad Imaginẽ, et med ãte Imagine, & solum consequenter ad Sanctum: nam re vera hæc videtur adoratio inferioris ordinis: quamuis enim feratur in Sanctum, nihilominus fertur in eum secundum esse participatum, quod habet in Imagine seu secundum esse repræsentatum, et apprehensum, quod est lõgè inferioris ordinis, quam sit esse reale eiusdẽ Sancti, vnde maior reuerentia debetur Sancto quando immediatè & in se colitur, quam quãdo colitur, vt est in imagine, per participationem.

Confirmatur ex Praxi in Sanctissimo Sacramento Eucharistiæ, quod longè maiori cultu, & reuerentia veneramur, immediatè, et in se ipso propter realem Christi præsentiam sub speciebus consecratis, quàm in Imagine picta eiusdem Sacramenti. Quamuis enim ratio cur adoretur Imago sit ipsum exemplar, seu prototypum; Exemplar tamen aliter honorari debet, vt est in se; aliter vt participatur ab Imagine: concedunt tamen omnes adorationem Imaginis saltem Analogice, et reductiuè pertinere ad idem genus cultus, ad quod pertinet adoratio prototypi, et exemplaris, vt fusius probant Bellarm. to.1, controu. Controu.7.lib.2 cap.24. et 25. Suar. to.1. in 3 p. disp 54. et 55. Alij tamen absolutè dicunt eumdem cultum deberi Imagini, et exemplari, vt D Bonauentura, Caetanus, Capreolus, Almainus, quos refert

refert Bellarminus supra cap 20. & fauet apertè D. Tho. supra q. 25. art. 3. Hæc ergo sententia D. Th. probabilior est & tenenda ob rationem initio explicatam.

Ad rationes oppositas respondetur ad primam: esse repræsentarum obiecti, non esse quid diuersum ab esse reali eiusdem obiecti; quia esse reale est quod repræsentatur, & non aliud, addita denominatione extrinsecâ ab Imagine repræsentante; nec Imago participat intrinsecè entitatem obiecti; sed ducit ad illā vnde D. Th. 3. par. q. 25. art 3. ait: Idem est motus in Imaginem, vt Imago est, ac in exemplar.

Ad confirmationem respondetur Christum Dominum esse quidem aptius obiectum adorationis latriæ, quatenus sub speciebus Eucharisticis nobis exhibetur, quàm pro vt in Imagine nobis repræsentatur; non tamen diuersa specie cultus adoratur; sed feruentiori, & maiori affectu, qui etiam exteriori signo magis exprimi solet. Ratio est, quia quo clarius, & excellentius in signo aliquo nobis exhibetur, tantò magis commouetur affectus internus, & exterius prodit.

Nec obstat Concilia quandoque asserere Imagines non adorari Latria, quia per Latriam non intelligunt totum actum adorationis; sed affectum internæ submissionis, qui totus ad prototypum refertur. Vide Layman lib. 4 tr. 7. cap 5. num. 9.

DVBIVM III.

Vtrum adoratio, seu cultus sacrarum Imaginum, & reliquiarum cadat sub præcepto.

Resp. & dico primo: Per se & directè non cadit sub præcepto, Probatur nā vel esset præceptum naturale, vel positiuum, neutrum dici potest: Ergo. Probatur minor, quò ad præceptum naturale: quia licèt teneamur Deum, & Sanctos colere; tamen ex sola naturali ratione non obligamur ad certum modum cultus externi, ergò non tenemur vti Imaginibus, neque reliquijs, aut illas colere.

Quòad præceptum positiuum: Probatur, non enim adest præceptum diuinum, quia neque in sacra Sriptura habetur, neque ex sola traditione colligi potest; neque Ecclesiasticū, quia Concilia, & sacri Canones quamuis declarent huiusmodi cultum esse licitum, & honestum, & hortentur fideles ad illum. Nullibi tamen præcipiunt, ergo; Suar. com. 1. in 3. p. disp. 54. sec. 7.

Dico secundo. Cultus sacrarum Imaginum & reliquiarum potest cadere sub præcepto indirectè, & ratione alterius præcepti, quatenus potest esse medium necessarium ad obseruationem alterius præcepti naturalis, vel Ecclesiastici. Probatur: quia primo huiusmodi cultus potest esse necessarius ad fidei confessionem. Cùm ergo præceptum diuinum confessionis fidei obliget ad media necessaria, consequenter obligat ad hunc cultum, quoties est medium necessarium ad talem finem.

Secundo, si ex omissione cultus erga Imagines, & reliquias sequeretur scandalum E. g: si cum cæteris fidelibus publica adoratio faciēda fit, & ex eò quod aliquis abstinet ab eo cultu sacræ Imaginis, vel reliquiæ malam sui suspitionem generaret, teneretur eundem cultum cum alijs exhibere ratione præcepti vitādi scandali.

Tertiò. Si cultus Imaginis, vel reliquiæ est necessarius ad implendum præceptum Ecclesiæ E. g celebrandi missam iuxta ritum Missalis, ratione cuius sæpius faciendæ sunt inclinationes Cruci, & osculandum est Altare immediatè antè Introitum in reuerentiam reliquiarum, quæ ibi sunt, tunc enim constat teneri celebrantem illas cæremonias exequi, & omittentem peccare mortaliter, vel venialiter iuxtà materiæ conditionem, Suar. supra.

Colligitur si ex negligentia, vel auaritia quis nunquam Imaginibus vteretur, ex hoc cap. nō committeret speciale peccatum; Secus si ex industria; tunc enim malè, & superstitiosè ageret, & quidem si hoc faceret iudicans huiusmodi cultum esse malum esset hæreticus. Si verò id faceret, iudicans id esse conuenientius; superstitiosus esset & vix posset non generare scandalum, vnde grauiter peccaret, Suar. supra &c.

Dico tertio, supposito vsu sacrarum Imaginum, & reliquiarum, duplex circa illarum cultum oritur obligatio ex natura rei. Altera non inferendi illis iniuriam, aut irreuerentiam, quod pertinet ad præceptum negatiuum obligans sub p. m. quia materia eius grauis est, & ad religionem pertinens, quæ est virtus præcipua. Altera est seruandi modum debitum circa earum cultum, & adorationem, quod spectat ad præceptum affirmatiuum naturale, nè adoratio vel superstitiosa sit, vel in idolatriam deflectat, Suar. supra.

DVBIVM IV.

De adoratione Crucis &c.

INter sacras reliquias primum locum obtinet lignum Crucis, in quo Christus pependit. Possumus autem dupliciter loqui de Cruce, primo, de ea præcisè, in qua verè Christus pependit, & eius tactu & sanguine consecrata fuit; & hæc verè, & propriè dicitur Christi reliquia, sicut etiam quælibet particula eiusligni, etiam si in figura Crucis non sit. Secundo loqui possumus de alijs Crucibus, quæ solùm sunt imagines Crucis Christi, & ex varijs materijs conficiuntur, atque etiam adorantur, vt patet ex vsu Ecclesiæ ex his rubricis num 4. ex quibus constat in Thurificatione Altaris. Primo loco incensandam esse Crucem, facta prius illi profunda reuerentia, his positis;

Prima difficultas est de ipso ligno Crucis, in quo Christus pependit, an & qualiter sit adorandum, & idem quæritur de qualibet parte eiusdem ligni.

Respondeo, & dico primo lignum Crucis in quo Christus pependit adorandum esse, est de fide, vt patet ex dictis dub. primo. Probatur; quia aliæ Sanctorum reliquiæ sunt adorandæ, ergò à fortiori lignum Crucis, in quo plures sunt rationes, cur adorari debeat; Tum quia ex contactu carnis, & sanguinis Christi consecrata fuit, vt supra dicebamus; Tum quia fuit veluti sacrum Altare, in quo Christus seipsum obtulit sacrificio cruento. Item est vexillum Christi, tropheum victoriæ contra dæmones, vt pluribus probat Suar. tom. 1. in 3. par. disp. 56. sec. 1. Bellarminus Bonacina, & alij cit. supra dub 1.

Dicetis: si ratione contactus debet Crux adorari, ergo possunt etiam adorari alia, quæ Christus tetigit E. g. terra quam pedibus calcauit, Asina super quam sedit, & manus sacrilegæ impiorum, qui illum in passione ceciderunt,

Respondetur contactum Christi per se quidem sufficientem rationem esse adorationis, sæpè tamen non expedire, vel ob indecentiá, vt in exemplo Asinæ, vel nè adoratio resultet in personam alicuius iniqui, vt in exemplo manuum eorum, qui Christum ceciderunt, Suar. Bonac. & alij supra cit.

Dico secundo lignum Crucis, in quo Christus pependit adorandum esse adoratione latriæ, vt docet D. Thom. 3. par. quæst. 25. art. 4. Vel perfecto actu latriæ, si adoretur vt mente, & cogitatione coni unctum ipsi Christo; quia tunc adoratio per se primo ad Christum, concomitanter verò. & quasi per accidens terminatvr ad lignum. Si verò Crux adoretur propriè, & per se, tanquam materia circa quam immediatè versatur adoratio, adoratio erit quidem respectiua propter excellentiam Christi, minus tamen perfecta, & reductiuè ad latriam pertinens: quia ab eodem habitu procedit, vt patet ex dictis dub. 2. vide Suar. sec 1. citata.

Colligitur: id quod diximus de ligno Crucis affirmandum quoque esse de clauis, de spinis, de columna, de sepulchro, & alijs Christi reliquijs, quæ Christi sanguine, & contactu consecrata fuerunt ob easdem rationes explicatas de ligno Crucis, vt notant cit. DD.

Colligitur secundo. Ratio quare adoretur lignum Crucis adoratione latriæ, & nòn Beata Virgo, cum ratio contactus magis militet in Beata Virgine quam in Cruce, dicendum est enim B. V. esse per se adorabilem adoratione absoluta, ratione propriæ excellentiæ; Et ideo cum sit capax propriæ adorationis ea vti oportet, & non alia: Deinde periculum esset, ne si adoretur adoratione respectiua in ordine ad Christum propter contactum; periculum inquam esset ne alijs daretur occasio errandi, existimando in ea esse diuinitatem, quod non est ita de Cruce, quæ vt res insensibilis non est capax adorationis absolutæ, sed tantum respectiuè. ita D Thom. q. 25. citata Suar. ibidem, Bonacina supra, & alij communiter.

Secunda Difficultas est. De Effigie Crucis Christi in quacunque alia materia, An & qualiter sit adoranda.

Respondeo, & dico primo certum esse de fide; colendam esse, & adorandam tanquam rem sacram, & ad Christi cultum, & honorem destinatam, vt patet ex 6. Synod. can. 7. Item ex Synod. 7. Actio 7. & 8. can. 3. Ratio est: quia repræsentat Christum ipsum per modum Crucis extensum: ergo si aliæ effigies, & imagines sanctorum sunt adoratione dignæ, multo magis Imago Crucis Christi, quæ ipsum Christum repræsentat. D. Th. supra. Suar. disp. 56. citata, sec. 2. Bellarminus, Bonacina, & alij supra citati dub. 1.

Dico secundo Crux prædicta, quæ solum est effigies Crucis adoranda est cultu latriæ vel propriè. & perfectè, vel reductiuè: quia est quædam Imago ipsius Christi Crucifixi. Ergo sicut Imago Christi adoratur adoratione latriæ: respectiuè ad prototypum ex supra dictis; Ita etiam Crux, quæ est Imago Crucis & etiam Christi DD. supra citati, cum D. Th. supra.

Colligitur primo Crucem prędictam esse adorabilem, siue in ea sit expressa Imago Crucifixi,

cifixi, siue minimè: quia Crux etiam sola, repræsentat non solùm lignum Crucis, in quo Christus pependit; sed ipsum Christum per modum Crucis extensum, Suar. supra, & alij DD. citati.

Colligitur secundo Crucem prædictam esse adorabilem, non ratione contactus, vt per se patet; sed ratione repræsentationis: quia est Imago Christi, Ita D. Th. 3. p. q. 25. art. 4. corpore, & alij DD. citati.

Colligitur tertio quid sit dicendum de effigie, seu imagine Clauorum, Spinarum, Columnæ, Lanceæ &c. An etiam sit adorabilis sicut Imago Crucis: Dicendum est enim per se loquendo, Veros tantùm Clauos, quibus Christus affixus fuit Cruci, Item Spinas, Lanceam &c. esse adorabiles, non verò eorumdem Imagines: Ratio est; quia prototypa adorantur ratione contactus, & tanquam Christi reliquiæ, quæ ratio non militat in Imagine Clauorum, Lanceæ &c. Et ideo non est ratio cur adoretur. Item imago Crucis adoratur ratione repræsentationis; quia est signum filij hominis, & repræsentat Christum Crucifixum, ratione figuræ; Imago autem Clauorum, vel Lanceæ non repræsentat Christum, sed lanceam Ergo non est, cur adoretur, ita D. Th art. 4 cit. ad tertium, quem sequuntur communiter. Dixi per se loquendo, quia si ita depingantur, vel construantur, vt ex circumstantijs repræsentent passionem Christi, sic Imagines clauorum, adorari possent: quia habent rationem sacræ imaginis, Suar. supra. Bonacina cum alijs.

DVBIVM V.

Quoad Reliquias Sanctorum, Et primo Quænam habendæ et Colendæ pro Sacris Reliquijs.

RESpondeo Reliquiarum nomine intelligi quidquid ex Sanctorum corporibus reliquum mansit apud nos. siue sint corpora integra, siue partes illorum, Carnes, Ossa, Dentes, Capillos. Vngues, Cineres Item ac Pulueres, in quæ conuersa fuerunt, item Vestes, et varia Vtensilia, quibus in Vita vsi fuerunt. Et tandem vela, et similia, quæ ad eorum demortuorum corpora admota fuerunt. Consequenter prædicta omnia haberi, et coli possunt pro sacris reliquijs, ita alijs citatis docent Sanchez, Bonacina, Layman Dub. 1. Allegati.

Colligitur Reliquias sacras tanto præstantiores æstimandas esse, quanto propinquius ad sanctum pertinent, vnde Caro, & ossa integra Sanctorum magis æstimari debent, & honorificentius custodiri, & exponi quam alia, E g. quam cineres, aut vestimenta; quia clarius, & melius in illis relucet excellentia sancti, ad quem pertinent, vt notat Layman supra n. 12.

Difficultas hic est, vtrum vermes, qui ex ipsis corporibus sanctorum fiunt, sint etiam adorabiles, vt sacræ reliquiæ, ratio dubitandi est, quia cineres, ac pulueres, in quæ ea corpora conuertuntur, habentur, & coluntur tanquam sacræ reliquiæ, cum tamen ibi solum materia prima Sanctorum supersit, at hæc remanet etiam in vermibus, ergo &c.

Respondetur Nihilominus vermes adorandos non esse, Ratio est, quia quando tanta sit mutatio, vt amittatur omnis moralis habitudo ad sanctum, res illa in quam facta est mutatio, non est adorabilis, præsertim si neque decenter adorari possit, Ita est de vermibus, Ergo &c. vt docent Suar., Sanchez Layman Dub. p. citati. Quamuis non esset damnandus peccati. qui bona fide, & pia intentione vermes, prædictos adoraret, vt ex Vasq. notat Sanchez Sum. lib. 2. citato. cap. 43. n. 2.

DVBIVM VI.

De cultu publico sacrarum Reliquiarum, & de conditionibus ad illum requisitis.

PRæmittendum est cultum publicum dici non eum, qui coram alijs exhibetur; sed eum qui defertur nomine totius Ecclesiæ, et tanquam, ab Ecclesia institutus.

Respondeo, et dico primo, non possunt venerari cultu publico, nisi reliquiæ eorum, qui à Papa in sanctorum numerum sunt relati, et Canonizati, vel saltem declarati a sede Apostolica Beati, Probatur primo ex cap. 1. et cap. finali de reliquijs, et vener Sanctorum.

Probatur secundo, Ratione, nam alias aperiretur via pluribus superstitionibus, si quoslibet tanquam sanctos publico cultu venerari liceret, Ita suar Bellarminus, Sanchez Bonacina, & alij supra cit. dub. 1.

Dico secundo Ad publicum cultum Reliquiarum requiritur publica earum approbatio, quod verè sint alicuius Sancti Canonizati, Ita Colligitur ex cap. 2. & alijs de reliquijs, & vener. Sanctorum Et patet ratione supra explicata, & docent communiter DD. citati.

Est autem duplex approbatio, vna, quæ fit à prælato Ecclesiæ, videlicet à Papa, vel Episcopo

ſcopo, cui conceditur in Trid. ſeſſ. 25 cap. de Venerat. Sanctorum Reliquias recognoſcere, & approbare: altera eſt per traditionem, ſeu diuturnam Eccleſiæ approbationem: neque refert quod alicuius Sancti corpus interdum in diuerſis locis ſolemniter colatur, fieri enim ſolet, vt in vtroque loco ſit non integrum corpus ſed pars, à qua totum nominatur: interdum etiam accidere potuit, vt ſit alterius Sancti corpus; ſed in nomine error contigerit; Denique ſemper in adoratione incluſa eſt tacita conditio, ſi verè ſint reliquiæ perſonæ Sanctę, eaque conditio tollit formalem errorem. Quod ſi contingat error materialis abſque culpa, & præmiſſa debita diligentia nihil refert, ita cum alijs Layman ſupra cap. 5. n. 15.

Qualiter autem procedere debeat Epiſcopus in approbatione Reliquiarum explicat Sanchez ſupra cap. 43. n. 24. et ſequentibus.

Colligitur primo non eſſe licitum eorum reliquias quia canonizzati non ſunt, quamuis priuatim Beati credantur, in publico Templo vel eius Altaribus exponere; ſed id fore graue peccatum contra granem Eccleſiæ prohibitionem; quia hoc ſpectat ad cultum publicum, Layman, Bonacina, Sanchez locis citatis.

Colligitur ſecundo fore etiam graue peccatum alicuius ſancti Canonizzati reliquias in publica Eccleſia exponere, quando non ſunt approbatæ, ſaltem ab Epiſcopo; quia id etiam eſt contra granem Eccleſiæ prohibitionem, Ex ſupradictis, & docent citati DD.

Difficultas hic oritur; An quando Reliquiæ non ſunt approbatę ab Epiſcopo; ſed probabiliter creduntur eſſe alicuius ſancti Canonizzati, et ideo apponuntur in cruce loculis artificioſè diſpoſitis ad ornatum eiuſdem Crucis: An inquam licitè exponi poſſit in publico templo Crux illa cum reliquijs prædictis.

Reſpondet affirmatiuè Sanchez ſum. lib. 2. cap. 43. n. 17. quia tunc Reliquiæ non exponuntur propter ſe, vt adorentur; ſed ad ſolum Crucis ornatum, et ideo non habetur earum ratio,

Negat verò Bonacina in Decal. diſp. 3. q. 1. punc. 4. n. 5. quia datur fidelibus occaſio eas adorandi cultu publico, quod eſt prohibitum.

Ceterum videtur diſtinguendum, ſi enim ita ſint reliquię collocatę in Cruce, vt appareant et moraliter detur occaſio eas adorandi, probabilius eſſe non poſſe exponi Crucem cum illis reliquijs in Templo. Si vero non appareant, vel ex circumſtantijs præcludatur occaſio eas adorandi, dicendum eſt poſſe exponi, vt Docet Sanchez.

DVBIVM VII.

De cultu priuato Sanctorum, quoad Sacras eorum Reliquias,

Loquimur hic de ſanctis Canonizzatis, quos certum eſt poſſe coli priuatim à fidelibus, eum illis etiam deferri poſſit cultus publicus, qui maior eſt: Dicitur autem cultus priuatus, qui non exhibetur nomine totius Eccleſiæ in ſacrificio E.g. vel horis Canonicis Litanijs, & ſimilibus functionibus, & ritibus ab Eccleſia inſtitutis in eum finem, vt nomine totius populi Chriſtiani Deo, vel Sanctis offerautur; ſed is qui pendet ex propria cuiuſque deuotione; vt patebit exemplis hic adducendis, & in ſequenti dubio; hoc poſito.

Prima Difficultas eſt. Qualis certitudo veritatis reliquiarum ſancti canonizati deſideretur, vt venerari poſſint cultu priuato, E.g. vt poſſit quis licitè tanquam ſacras apud ſe habere, vel eas collocare in priuato Altari ſuæ domus, ante eas orare, eas oſculari.

Reſpondeo ſatis eſſe priuatū teſtimonium alicuius perſonæ fide dignæ, vel alia ratio & cōiectura ita probabilis, vt ſufficiēs ſit adiudi and ita eſſe: Quo poſito poſſunt reliquiæ Sanctorum abſolutè, & abſque alia conditione venerari; Ratio eſt. quia in rebus moralibus, non eſt petenda maior certitudo, quam ad exercendos alios virtutis actus; & quamuis error materialis interdum contingat, hic tamen poſita bonafide nihil officit: quia, nullum formalis erroris periculum ſubeſt. quia adoratio refertur ad ſanctum cuius excellentiam venerari intendimus, Ita Suar. Vaſq. Azorius, quos citat, & ſequitur Sanchez. lib. 2. ſum. cap. 43. n. 13. Layman lib. 4. tract. 7. c. 5. n. 16.

Secunda difficultas, quid ſi poſt debitam inquiſitionem Dubium maneat, num ſint veræ reliquię alicuius ſancti. Reſpondeo abſtinendum eſſe ab earum veneratione, nē dum publica, quia tunc approbari non poſſunt ab Epiſcopo; ſed etiam priuata, quia tunc ceſſat bonafides, & exponeret ſe quis periculo falſæ adorationis, Ita Sanchez, Layman, & alij ſupra cit.

Addit Primo Layman cum alijs ſi moraliter certum ſit eſſe alicuius ſancti reliquias; incertum tamen; cuius nam in particulari; poſſe eas Tum publicè (poſita approbatione Epiſcopi) coli; Tum priuatim; quia ceſſat periculum falſæ adorationis.

Addit ſecundo ſtante dubio, an ſint reliquię alicuius Sancti canonizati, eas non eſſe contem-

tenendas, aut abijciendas, vel comburendas; sed loco decenti asseruandas. Ratio est; quia si sint veræ reliquiæ periculum est sacrilegij, si tanquam prophanæ tractentur: ex altera parte, si non sunt Sancti alicuius reliquiæ, periculum est superstitionis, quare vtrumque quantum fieri potest vitari debet, ita Layman supra nu. 16. Sanchez n. 19

DVBIVM VIII.

Vtrum homines piè defuncti; sed non canonizati, aut beatificati, à fidelibus coli possint, & eorum Reliquiæ venerari &c.

RESpondeo certum esse, non posse coli solemniter, & publicè, vt constat ex cap. 1. & 2. de reliqu. & vener. Sanctorum, & ex dictis supra dub. 6. Posse tamen coli, & venerari cultu priuato, vt colligitur ex citatis textib. à cōtrario sensu, ita Syluest. & alij sum. verbo reliq. Bellarm. Innocent. & alij, quos citant, & sequuntur Sanchez n. 1. & Layman nu. 13. locis cit. dub. præced.

Colligitur primo, Prædictos defunctos cum fama sanctitatis, non tamen canonizatos non posse coli, aut inuocari, neque in missæ sacrificio, neque in officio Canonico, nec in publicis Lytanijs, etiam priuato loco recitandis, quia hæ Preces, & Postulationes nomine Ecclesiæ fiunt, & ad cultum publicum pertinent, DD. citat.

Secundo Colligitur, non esse licitum Sanctis non canonizatis vt supra Templa, vel Altaria erigere, neque illorum Imagines, aut reliquias in publico Templo exponere, aut publicum festum, vel ieiunium in memoriam eorum celebrare, quia hæc ad publicum cultum spectant, DD. cit.

Tertio Colligitur, E contra, licitum esse fidelibus in die obitus illorum priuatim abstinere, vel votum in eorum cultum offerre, etiam scientibus alijs, si scandalum absit: quia prædicta non excedunt cultum priuatum.

Colligitur quarto, licitum esse priuata deuotione, quamuis pluribus præsentibus Sanctum non canonizatum in patrocinium apud Deum inuocare, Imaginem, vel reliquias eius priuatim venerari, aut in Altari priuato suæ domus collocare: ratio est, quia si viuentes ob sanctitatem in ipsis perspectam honorare, & eorum orationes implorare, licitum est, cur non item defunctos, quos cum Deo coniunctos esse piè credimus. Ita DD. cit. Sanchez, Layman &c.

Qui tamen monent primo neque in priuata domo fas esse reliquias alicuius Sancti non canonizati in Altari habere cum lampade accensa, vt ab ingredientibus veneratio eis exhibeatur. Secundo non esse licitum Sancti non canonizati, nec declarati in Beatum, Imaginem cum radijs depingere: quia hæc solent esse signa Sanctorum canonizatorum, & alioquin si talia permitterentur, facilè superstitiones oriri possent. Quare Episcopi non possunt in hoc dispensare; quia canonizatio Sanctorum propriè spectat ad solum Summum Pontificem, vt sumitur ex cap. Venerabili de textibus, & ex cap. 1. de reliq. & Vener. Sanctorum, vt latius DD. cit.

DVBIVM IX.

Quænam sint prohibita circa vsum sacrarum Reliquiarum &c.

PRima difficultas, An sit prohibitum, saltem laicis sacras reliquias deuotionis gratia secum habere, vel è collo gestare?

Aliqui enim dixerunt id esse prohibitum, vt Angelus verbo reliquiæ n. 4.

Respondeo, nihilominus, hoc nullo iure esse prohibitum; sed esse omnino licitum, & pium, dummodo cum debita decentia id fiat, seu dummodo reliquiæ sint decenter inclusæ in suis reliquiarijs, vt cōstat ex vsu Ecclesiæ, et piorum fidelium, & ita docet D. Th 2. 2. q 96. art. 4. quem sequuntur DD. communiter, vt videre est apud Sanchez sum. lib 2. c. 40. n. 27. & apud Layman, lib 4. cap. 5. n. 18.

Punctus difficultatis consistit in eo: an qui peccat, dum reliquias gestat in collo, vel alias secum habet, Ex. g. si fornicetur, teneatur eam circumstantiam in confessione fateri, quasi obscenè reliquias pertractans, et iniuriam eis inferens: Aliqui affirmant cum Philiarco.

Respondeo, nihilominus non teneri fideles eam circumstantiam in confessione aperire: quia id non continet notabilem deformitatem quæ sit p. m. nec opponitur directè cultui reliquijs debito, quamuis videatur aliqualis irreuerentia, quæ tamen non excedit culpam venialem, ita DD. communiter apud Sanchez, et Layman supra.

Secunda difficultas, quale peccatum sit falsas Sanctorum reliquias adorandas proponere?

Respondeo esse p. m. Probatur: quia est cultus falsus, & perniciosus, verum cultum sacrarum reliquiarum eneruans: quare grauiter opponitur virtuti religionis, & venerationi Sanctorum, ita Sairo cum alijs, quos citat, & sequi-

sequitur Sanchez sum. lib 2. cap. 37. num. 9.

Tertia difficultas, qualiter sit prohibitum sacras reliquias venales, vel ad turpem quæstum exponere.

Respondeo hoc seuerissimè prohiberi in c. 2 de reliqu. et Vener. Sanct. et in decreto Concil. Trid. sess. 25. quia est apertissima Simonia, vt omnes fatentur, Sanchez lib. 2. cit. cap. 43. num. 22. Layman. lib. 4. tract. 7. cap. 5. circa finem.

Quod si reliquiæ sacræ sint apud infideles, aut hæreticos, tunc licet eas, non vt rem sacram emere; sed earum quasi vexationem seu indignam tractationem, et iniustam possessionem redimere, ita Philiarcus, Sanchez, Layman locis cit.

Quarta difficultas, an sit licitum sacras reliquias furtiue subtrahere.

Respondeo absolutè loquendo id esse illicitum, et furtum sacrilegum, quia est ablatio rei sacræ inuito domino; ita Syluest. Angelus, Tabiena verbo reliquiæ, D. Antoninus, et alij communiter apud Sanchez supra n. 23. Layman loc. cit. et alij passim.

Limita primò, nisi Bona fides excuset quod commune est alijs peccatis. Aliqui enim inuincibiliter hoc ignorant, et indiscreta deuotione falluntur, qui tamen moniti de furto tenentur postea ad restitutionem.

Limita secundò, nisi paruitas materiæ excuset à p. m. quia tunc solùm veniale peccatū committitur.

Ad discernendum autem, an verè sit paruitas materiæ, spectanda est non sola rei ablatæ quantitas; sed potius dignitas, & æstimatio moralis, vt eum alijs notant Sanchez, & Layman locis cit.

An autem sit lata excommunicatio contra reliquiarum fures.

Respondetur negatiuè, vt benè probat Sanchez eod. cap. 43. n. 24.

Quinta tandem difficultas est, an peccent laici, vel etiam Clerici minores, si immediatè tangant sacras reliquias cum debita reuerentia.

Respondeo certum esse, si irreligiosè, et per contemptum quis tangat sacras reliquias grauiter peccare, vt per se patet. Ceterum qui piè, & religiosè, & cum debita reuerentia eas tangit, etiam si laicus sit, nullo modo peccat: quia nullibi id interdictum inuenitur, ita Sanchez supra n. 26. Layman supra n. 18. cum alijs quos citant, & nos etiam diximus supra tit. 1. sect. 2. dub. 6.

TITVLVS V.

DE ORATIONE.

1 DICTO hymno, Gloria in excelsis, vel si non sit dicendus, eo omisso, celebrans osculatur Altare, in medio, manibus hinc inde super eo, vt supra, extensis, tum illis ante pectus iunctis, & demissis ad terram oculis, vertit se à sinistro latere ad dextrum versus populum, hoc est, per eam partem quæ respicit cornu Epistolæ, & extendens ac iungens manus ante pectus, vt prius, dicit voce prædicta, Dominus vobiscum, vel si sit Episcopus Pax vobis, (quod dicitur tantum hoc loco, quando dictus est hymnus, Gloria in excelsis. ℟. Et cum spiritu tuo, & iunctis vt prius manibus reuertitur per eamdem viam ad librum, vbi eas extendens & iungens ante pectus, caputque Cruci inclinans, dicit, Oremus, tum extendit manus ante pectus, ita vt palma vnius manus respiciat alteram, & digitis simul iunctis, quorum summitas humerorum altitudinem distantiamque nō excedat, quod in omni extensione manuum ante pectus seruatur. Stans autem, vt supra, extensis manibus, dicit Orationem: Cùm dicit, Per Dominum nostrum, iungit manus, easque iunctas tenet vsque ad finem. Si aliter concluditur Oratio, Qui tecum, vel, Qui viuis, cum dicit, In vnitate, iungit manus,

EXPLI-

EXPLICATIO LITERALIS.

QVamuis in toto Missæ progressu multas, & varias preces sacerdos fundat ad Deũ, Nihilominus Preces huiusmodi, de quibus est Sermo in hoc titulo proprius, & specialius nomen Orationis merentur, quæ etiam collectæ appellantur, vt supra notauimus. par. 1. tit. 9. quia in his præcipuè elucet forma orandi eum actibus inuocationis, obsecrationis, Petitionis &c. quos orationi attribuit Apost. 2. Thimot. 2. ex quibus componuntur orationes prædictæ ab Ecclesia in Missali præscriptę, vt docet D. Th. 2. 2. q. 83. art. 17. præcipuos suo ordine enumerabimus.

Primo osculatur Altare non solum insignum reuerentiæ, vt supra dicebamus tit. 3. n. 1., sed etiam quia sacerdos salutaturus populum, & Pacem seu gratiam illi annuntiaturus, prius illam mediante osculo veluti accipit a Christo per Altare significatum, vt eandem det populo, Durandus in Rationali lib. 4. cap. 39. n. 6. Extensio vero, & iunctio manuum eandem habet significationem, quam supra explicauimus tit. 3. n. citato, & tit. 3. n. 10.

Secundo vertit se ad populum demissis ad terram oculis; quia quos salutamus eis faciem pręsentamus Amalar. lib. 2. cap. 9. Oculorũ vero demissio ad modestiam pertinet, quam vbique seruare debet sacerdos, ex Trid. sess. 22. cap. 1. de reformatione, vbi ait nihil nisi graue, moderatum, ac religione plenum pręseferat habitu, gestu &c. presertim verò in Altari, Vbi omnium in se scit oculos conijci. Consonat Augustinus in regulis, in omnibus (inquit) moribus vestris nihil fiat. quod cuiuscunque offendat aspectum; sed quod vestram deceat sanctitatem; super omnia verò abstinendum est ab oculorum licentia, in quibus maximè elucere debet modestia: quia vt docet Hieron. Epist. ad Furiam, speculum mentis est facies, & taciti oculi mentis fatentur arcana. Tandem ad terram demittere debet suos oculos in hoc actu, vt Sacerdos suæ conditionis, & fragilitatis memor, diligentius sibi caueat, iuxta illud Iob Pepigi fœdus cum oculis meis.

Tertio salutat Populum dicens, Dominus Vobiscum, Quæ salutatio antiquissima est. vt constat ex Dionysio cap. 3. de Ecclesiast. Hyerarch. Vbi dignissimam illam appellat, sanctam & supra mundanam, & inchoata fuit ab Angelo Cùm Virgini dixit, Dominus tecum, & potest etiam dici propria legis gratiæ, in qua post susceptam carnem peculiari modo Deus hominibus dominatur, eiecto Diabolo, qui prius dominatum obtinebat, vt notat Suar. disp. 83. sec. 1. §. quinto. His autem verbis, Precatur sacerdos omnibus fidelibus specialem Dei protectionem & fauorem, vt illis assistat nedum communi modo per immensitatem, seu per essentiam potentiam, & præsentiam, sed etiam per gratiam, sicuti Christus promisit Apostolis: Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consumationem seculi: vnde August. lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 12. Non omnes inquit cum illo sunt eo modo, quo ei dictum est Psal 72. Et ego semper tecum: neque ipse cum omnibus eo modo, quo dicimus Dominus vobiscum. Vel si sit Episcopus dicit, Pax vobis: quia hæc fuit prima vox Christi ad Episcopos post resurrectionem, vt notat Innocentius de Mysterijs Missæ lib. 2. cap. 24 atque his verbis ostendit Episcopus se esse Christi Vicarium, & proprium eius munus esse distribuere dona Christi, cuiusmodi est Pax, ex Optato milleuitano lib. 1. circa finem: Vide latius Suar. supra, & Molsesium sum. tract. 3. cap. 11. §. Quarto loco. Tandem ad prædictam sacerdotis salutationem minister, seu Populus respondet, & cum spiritu tuo, qui vsus est etiam antiquissimus, Vt constat ex Liturgijs S. Iacobi, & S. Basilij et nihil melius ait Florus in Exposit. missę, quam quod optet Populus sacerdoti, quod ipse optat Ecclesiæ, nempè vt speciali gratia Dominus sacerdoti assistat, vt dignè compleat hoc ministerium, ex Chrisost hom 36. in Epist. 1. ad Corinth. vide Suar. et molsesium supra.

Quarto reuertitur sacerdos ad librum, et caput Cruci inclinans dicit oremus, Ratio huius ritus est, quoniam Oratio, quę etiam collecta dicitur nomine totius populi in vnum collecti recitanda est à sacerdote, vt alias diximus p. 1. tit. 9. Ideo ipse sacerdos inuitat populum ad orandum simul cum eo; vnde Sthephanus Heduensis cap. 12. sic habet, Exclamat sacerdos oremus, monens se, et alios orare: quia Dominus orauit, et Discipulos ad orandum excitauit; Vnde ab Vranio appellatur indictio orationis, et habetur in Liturgijs sanctorum Petri, Iacobi, et Marci, Vide Molsesium supra, qui citat Nauar. et alios. Dum dicit, Oremus, caput Cruci inclinat: quia spiritum, et deuotionem orandi sicut oportet spectare debemus, et accipere à Deo ex meritis passionis Christi, seu per crucem.

Quinto stans sacerdos, et extensis manibus dicit orationem; quo significatur Extẽsio Christi in Cruce: vbi orauit pro omnibus; Innoc. lib. 2. cap. 28. et Microl. cap. 16 in cuius figuram Moyses leuans manus vincit Amalechitas Exod. 17. Tandem Paulus 1. ad Thimoth. 2. monet, vt leuantes puras manus, oremus; Vnde hic modus orandi extensis manibus est Missæ proprius, extra Missam vero dicitur oratio

tio manibus iunctis ob rationes supra notatas tit.3. num. 1. spectat autem ad decentiam, & moderatum gestum id quod præscribitur in rubr. vt summitas manuum, humerorum altitudinem non excedat: & docuit Tertull. de Orat. cap. 12. Tandem in conclusione, cum dicit. Per Dominum nostrum, iungit manus: Vel si aliter concludatur, iungit manus cum dicitur, In vnitate: qua cæremonia significatur omnium bonorum à Deo fluētium in ipsomet Deo vnitas, & coniunctio, Durandus in Rationali lib.4 cap 7. nu.5. Quia ergo in fine orationis fructus eiusdem colligimus, manus tunc iungimus. Merito etiam in conclusione orationis fit mentio æternitatis, in qua Deus viuit, & regnat per omnia secula seculorum; vt discamus super omnia sperare æternitatem vitæ cum Deo, & hoc petere in oratione, tanquam vltimū nostrū finem Alia de oratione, & de varijs modis eam concludendi diximus 1. p.tit.9 Er videri potest Suar.3.in 3.p. disp.83. sec.1.§ 6. subiungit publicam orationem &c.

Denique finita oratione respondet populus, seu minister. Amen, consentiens ijs, quæ dixit Sacerdos, & fructum orationis petens, de qua re diximus tit.9 p.1.n.17. fine.

2 Cùm nominatur nomen Iesus, caput versus Crucem inclinat: quod etiam facit cùm nominatur in Epistola. Et similiter vbicumque nominatur nomen Beatæ Mariæ, vel Sanctorum, de quibus dicitur missa, vel fit commemoratio: item in Oratione pro Papa, quando nominatur, semper caput inclinat, non tamen versus Crucem. Si plures Orationes sunt dicendæ, idem in eis, in voce, extensione manuum, & capitis inclinatione, quod supra dictum est, obseruatur.

Nomen Iesus esse veneratione dignū patet ex illo Apost. In nomine Iesu omne genu flectatur: idemque proportionaliter asserendum de nomine Beatæ Mariæ, & Sanctorum, quibus quando nominantur, caput inclinandum est, cum hoc tamen discrimine, quod ad nomen Iesus caput inclinādum est versus Crucem, quæ est signum Filij hominis, & in qua Christus repræsentatur per modum Crucis extensus. Ex D.Tho.3 p. q 25 art.4. Vnde etiam in orationibus secretis id obseruandum: quia regula, quæ hic traditur, videtur generalis, & quando facienda est exceptio, ponitur expressè, vt infrà in Euangelio. Ad nomina verò Sanctorum caput inclinandum versus librum, in quo sunt descripta. Item ad nomen Iesu, & Mariæ, semper inclinandum est caput: Quo ad alios verò Sanctos non imponitur hæc obligatio, nisi quando dicitur missa de ijsdem Sanctis, vel fit Commemoratio in diebus eorum natalitijs, E.g. de Sancto simplici: quia ratione proprij festi debetur eis specialis reuerentia. Tandem inclinatio eò profundior esse debet, quò maior est excellentia eius quem nominamus, de quibus benè differit Castaldus Praxi lib.2.sec.1.cap.5.n.2.& 3.

An autem nomina Sanctorum adorari debeant propriè & per se, sicut adorantur eorum Imagines, & reliquiæ, in dubijs conscientiæ explicabimus.

3 Si Altare sit ad Orientem versus populum, Celebrans versa facie ad populum, non vertit humeros ad Altare, cùm dicturus est, Dominus vobiscum, Orate fratres: Ite missa est, vel daturus benedictionem: sed osculato Altari in medio, ibi expansis & iunctis manibus, vt supra, salutat populum, & dat benedictionem.

Fuit antiqua Ecclesiæ consuetudo, vt in Templis Altare maius, seu principale ad plagam Orientalem erigeretur in eum finem, vt fideles ad eum cōuersi orientem versus orarent. Oratio ex traditione Apostolorum decentius fit ad orientem, vt fusius tradunt Stephanus Durantus de Ritibus lib. 1. cap. 3. & Suar. disp 81. sec.5. fine, & nos in dubijs conscientiæ examinabimus, an aliqua ratione hoc cadat sub præcepto. Hoc posito præscribitur in hac rubrica, vt si Altare sit ad Orientem, & taliter situm, vt Sacerdos celebret versa facie ad populum, quia anterior pars Altaris in qua est celebrans respicit orientē, & posterior pars, seu tergum est contrà populum, in hoc inquā casu, cùm Sacerdos dicturus est, Dominus vobiscum, non vertit se: Ratio est manifesta, quia eatenus debet vertere humeros ad Altare, vt

facie

facie ad faciem salutet populum; sed in hoc casu vt supponimus semper habet faciem ad populum conuersam: quia populus vt oret ad orientem est è ragione Altaris, terga vertens ad occidentem; ergò &c. Idemque dicendum cum dicturus est Orate Fratres, Ite missa est; & quando daturus est benedictionem. Cum enim populum ante faciem habeat, non est opus alio motu, quo ad illum se vertat. Hoc autem exempli causa puto dictum esse de Altari ad Orientem: quia frequentius de eo hoc accidere potest ob cōsuetudinem fidelium supra explicatam orandi versus orientem. Nam etiamsi Altare sit erectum versus quameumq. Mundi plagam, & ita dispositum vt celebrans habeat & crucem, & populum ante faciem suam, idem omnino seruandum erit, vt per se patet.

4 In Quatuor Temporibus, vel aliàs quando dicendæ sunt plures Orationes cum Prophetijs, dicto Kyrie eleison in medio Altaris, reuertitur ad cornu Epistolæ, vbi stans ante librum extensis & iunctis ante pectus manibus, & caput Cruci inclinans dicit, Oremus Flectamus genua, & illico manibus super Altare extensis, vt seipsum ad Altare sustineat, genuflectit, & sine mora surgens, eadem voce ministro respondente, Leuate. manibus extensis dicit, Orationem vt suprà, & in conclusione eas iungit Dum autem legit Prophetias, tenet manus super librum, vel Altare positas, vt mox dicetur de Epistola.

5 In Missa solemni cum dicitur, Dominus vobiscum, & Oratio, Diaconus & Subdiaconus stant retrò post Celebrantem, Flectamus genua, dicitur à Diacono, à Subdiacono verò, Leuate, illo primùm genuflectente, hoc primùm surgente: Celebrans verò non genuflectit.

DE ordine genuflectendi, etiam ad hæc verba flectamus genua diximus supra p 1. tit.17 num 1. et sequent. vbi rationes, et mysteria huius ritus explicauimus, neque aliud hic addendum occurrit.

SENSVS MYSTICVS.

MOs antiquus orandi ad Orientem, seu facie conuersa ad Orientem mysticam habet significationem, quam explicat D.Tho. 2.2. q.84 art.5 ad 3. his verbis; Ad tertium dicendum, quòd secundùm quandam decentiam adoramus versus Orientem, primo quidem propter diuinæ Maiestatis inditiū, quod nobis manifestatur in motu Cœli, qui est ab Oriente. Secundo propter Paradisum in Oriente constitutum, vt legitur Genes. 2. secundùm literam septuaginta interpretum, quasi queramus ad Paradisum redire. Tertio propter Christum qui est lux Mundi, et Oriens nominatur, Zach. 6. Et qui ascendit super cœlum cœli ad Orientem: Et ab Oriente etiā expectatur venturus, secundùm illud Matth. 24. sicut fulgur exit ab Oriente, et paret vsque ad Occidentem, ità erit et aduentus filij hominis.

DVBIA CONSCIENTIAE

DVBIVM I.

Vtrum quando celebratur missa vnico tantùm ministro præsente conuenienter dicat Sacerdos Dominus vobiscum &c.

RAtio dubitandi est: quia non videtur conueniens loqui pluraliter vni soli, et maximè minori: Ergo quando nemo assistit missæ nisi solus minister, inconuenienter Sacerdos dicit Dominus vobiscum; sed deberet dicere Dominus tecum.

Respondeo, rectè et conuenienter sic loqui Sacerdotem, quia minister gerit personam totius populi Catholici, ex cuius persona pluraliter Sacerdoti respondet, E.g. ad Sursum corda, respondet Habemus ad Dominum, ita D.Thom 3.p.q.83. art.5. ad 12. quem sequuntur communiter Suar. tom.3. in 3.par.disp.87 sec. 8. iuxta hanc, Auersa de sacrif. q.11. sec. et Initio. Molfes. sum tract.3. cap.11. num. 21. 9. alij passim.

Confirmatur ex oratione Cameracensi apud Suar. supra, ubi sic ait cum plurales mutare non possunt salutationes; Sacerdotes connectunt se ad Ecclesiam dicentes se Ecclesiam in Ecclesia salutare, et in corpore totū corpus al loqui, virtute totius communionis in Ecclesia cōficiēndi sancta mysteria, hęc Cameracensis: quiuxta hunc sensū exponir particulā illam Canonis, omnium circumstantium; non tantum de ijs, qui corporali adsunt præsentia; sed de omnibus, qui in fide cum sacerdote communicant, et Christo Capiti adhęrent.

Addit Suar. supra, illa verba, in plurali dici à Sacerdote, quia regulariter solent multi adesse, et ita ex intentione Sacerdotis referri possunt ad circumstantes, siue vnus sit, siuè plures: sed prima expositio communis verior est, et aptior.

DVBIVM II.

Vtrum nomina Christi, & Sanctorum verè & propriè Adorari possint sicut eorumdem Imagines, & Reliquiæ.

PRæbet occasionem huic dubitationi Ritus in his rubricis præscriptus n. 2. de Inclinatione facienda ad nomen Iesu, Beatę Mariæ, &c.

Prima sententia sustinet sacris nominibus non deberi vllam adorationem propriam; sed ad summum abusiuè, et impropriè honorari quatenus auditis huiusmodi nominibus statim honorantur personæ, quarum memoriam excitant, non autem honorantur ipsa nomina in se, et propriè loquendo.

Probatur Tum quia implicitè, et per solàm impositionem significant: Tum quia non sunt instituta, vt suppleant vicem persōnarum, quas representant: Ergo non possunt adorari sicut Imagines: quia non apprenduntur in ipsis nominibus personę representatę, sicut apprehenduntur in Imaginibus.

Confirmatur quia nomen transeunti voce profertur, quæ statim euanescit: ergo non potest in illo vel difficile apprehendi potest persona representata, vt sic in illo, & per illud adoretur, Ita sentit Dominicus Soto lib. 2. de Iustitia q. 4. art. 2. & cordub. apud Suar. infra citandum.

Communis tamen, & vera sententia docet, Sacra nomina, & in Primis Nomen Iesu, non tantum abusiuè, sed propriè, & in se adoranda esse adoratione non absoluta sed respectiua, sicut adorantur imagines, idest propter eum, quem significant.

Probatur primo ex Apost. ad Philipp. 2. In nomine Iesu omne genu flectatur.

Probatur secundò ex Vsu Ecclesiæ, qui etiam declaratur in Rubr huius tit., & ex communi sensu fidelium proprie intelligitur de veneratione exhibita ipsis sacris nominibus, vnde Ireneus lib 4 contra hæreses cap 36. nomen Iesu inquit, per vniuersum mundum glorificatur in Ecclesia, & illud statim eum imagine comparat, & idem est proportionaliter de nomine Beatæ Mariæ, & Sanctorum.

Probatur tertio. Ex VII. Synodo, vbi liber Euangeliorum adorandus dicitur: ergo & nomen Iesu scriptum adorandum est, nihil enim illo dignius est in Euangeliorum libro, ergo etiam nomen Iesu voce prolatum ob eandem rationem.

Tandem probatur ratione; Quia nomina substituuntur loco rerum de quibus loquimur, ex Aris. lib. 1 Elench. c. 1 & eis vtimur tanquam signis pro ipsis rebus ergo sicut verè adorantur imagines sacrę ratione rei representatę, & ideo adoratione respectiua verè & propriè in se adorantur, sed non propter se sed propter aliud, idest propter illud quod representant; ita simili adoratione Coli, & venerari debent sacra nomina: quia significant & representant res sacras, Christum, vel Sanctos, Ita D. Th. Opusc. 60 art. 6 Abulensis in cap. 2. Exod. q 6. & 7. Suar in 3 p. tom. 1 disp. 64. sec. 6. §. hæc tamen sententia, Bonacin. in decal disp. 3. q. 11. punc. 3. n. 9. cum alijs quos citant.

Ad Opposita Respondetur etiam nomina significare, & representare personas, quarum sunt nomina, et loco earum substitui, quod autem significatio fit ex impositione, vel similitudine; Item quod fit magis vel minus explicita; vel Tandem quod res ipsa significans sit vox vel scriptura, vel aliud signum, per accidens et materialiter se habet, ergo non impedit rationem adorationis.

Colligitur, nomen Iesu adorandum adoratione latriæ, nomen Beatæ Mariæ hyperduliæ, et nomina Sanctorum adoratione Duliæ, vt patet à simili de Imaginibus, et docent cit. DD. et Castaldus in praxi cærem. lib. 2 sec. 1. cap. 5. num. 3.

DV-

DVBIVM III.

Qualis cultus Debeatur summo Pontifici, & eius nomini.

IN eadem Rubrica supra explicata n. 2. sic habeetur Item in oratione pro Papa quando nominatur, semper caput inclinet; Hinc oritur dubitatio qualisnam cultus deferatur Papæ, & eius nomini; An sit eiusdem rationis cum eo, qui exhibetur sanctis, & qualiter differat ab eo qui defertur Regibus, & alijs Principibus secularibus.

Respondeo, Honor, & cultus debitus summo Pontifici seu Papę est summus & supremus omnium quos deferre tenemur superioribus in terris, seu viatoribus, qui alijs præsunt; & in quibus est excellentia quædam, & auctoritas, per quam alios gubernant.

Probatur primo Cultus, & reuerentia defertur superioribus ratione dignitatis, qua alijs præeminent, & Ius habent regendi, & gubernandi alios, quod est proprium munus virtutis obseruantiæ, ex D Th. 22. q 102. art. 1: & sequentibus; ergo quo auctoritas, & dignitas alicuius est maior, eo maior cultus, et reuerentia ei debetur; sed auctoritas et dignitas summi Pontificis, et Romani Episcopi est omnium suprema, & longè alijs antecellit, ratione cuius illi omnes subduntur, etiam Imperatores & Reges, vt notum est & certum de fide: Ergo cultus, & reuerentia ei debita est summus & longè alias excedens.

Probatur Secundo dignitas, & Auctoritas Summi Pontificis est sacra, & supernaturalis ob ministerium supernaturale, & ad finem supernaturalem cultus diuini, et salutis animarum ordinata, et fide supernaturali apprehenditur, ergo longè excedit dignitatem naturalem, et humanam Regum, et Principum Rursus inter excellentias supernaturales dignitas summi Pontificis supremum locum obtinet, et maior est dignitate Episcoporum, et aliorum qui in Ecclesia præsunt, vnde Papa dicitur idest Pater Patrum, et summus pontifex; quia est caput omnium Pontificum et totius Ecclesiæ, tanquam D Petri successor. Ergo cultus et reuerentia summo pontifici debita maior est ea quę debetur Episcopis, et quibuslibet alijs Prælatis Ecclesiasticis; hinc Papæ genuflectimus eiusque pedes osculamur, et sanctissimum in terris appellamus, In Missa etiam Sacerdos in oratione pro Papa quando nominatur, caput inclinat, vt fusius docent DD. in tract. de summo Pontifice, et primatu D. Petri, videri potest Suar. in Defensione fidei toto lib. 3.; et pręsertim cap. 21. et Durandus in rationali libr 2. cap. 1. n. 17; et alij passim.

Colligitur primo honorem et reuerentiam Summo Pontifici debitam non esse cultum latrię, qui soli Deo debetur: quia cultus latriæ spectat Excellentiam increatam, et infinitam supremi Numinis, vt Docet D. Th. 2.2. q. 81. art. 3. et quest. 103. art. 3. et communiter; Excellentia autem summi pontificis non est increata; sed à Deo Participata et donata: Ergo cultus propter eam debitus non potest esse latriæ: neque obstat summum Pontificem esse immediatum et supremum Christi vicarium et eius locum tenere, eumque representare, Vnde sicut Imagini Christi debetur cultus latriæ propter Christum, ita etiam videtur dicendum de summo Pontifice; non tamen obstat; quia hæc adoratio refertur in ordine ad prototypum, defertur quidem Imagini et rebus inanimatis, quæ à nobis secundum se sunt incapaces adorationis, non autem hominibus et ratione vtentibus; quibus alias potest competere veneratio ob perfectionem, et excellentiam illis intrinsecam: quia periculum esset Idolatriæ, quare nec defertur B. V. ratione contactus, vt docet idem D. Th 3. p. quæst. 25. art. 5.

Colligitur secundo cultū debitum, et exhibitum summo Pontifici non esse dici cultum Duliæ, qualis defertur sanctis ob excellentias supernaturales: quia excellentia Summi Pontificis supernaturalis est vt supra dicebamus; et docet Lessius infra citandus Baldellus in Theol mor. tom. 2. lib. 3. disp. 117. n. 9. et alij communiter; Nihilominus quia communiter coluntur Sancti tanquam regnantes cum Christo, et non solum ob sanctitatem et dona supernaturalia, sed etiam ob statum gloriæ et eternę seu inamissibilis Beatitudinis; idcirco cultus Duliæ communiter dicitur ille, qui sanctis canonizatis defertur et Beatis, non autem Viatoribus; cultus autem qui defertur summo Pontifici, Item Episcopis, Religiosis melius dicitur meo iudicio cultus obseruantię sacrę, et supernaturalis, quæ etiam defertur mortalibus, et viatoribus, quamuis ad eumdem habitum vterque pertineat, Vide Lessium lib. 2. de Iustitia cap 46 Dub. 3. vbi de virtute obseruantiæ.

Colligitur tertiò Discrimen honoris, et cultus debiti summo Pontifici, et proportionaliter Episcopis sacerdotibus, Religiosis etc. à cultu et honore, qui defertur Principibus secularibus et magistratibus: Prior enim cultus Prælatis Ecclesiasticis, Itē Sacerdotibus, et religiosis debitus, est cultus sacer & religiosus procedens à supernaturali virtute obseruantiæ fide supernaturali ducta, quia quilibet actus speci-

cificatur à suo obiecto formali seu motiuo, quod in casu nostro est excellentia eius qui colitur, & honoratur; cùm ergo excellentia sit supernaturalis & sacra, etiam cultus est sacer & supernaturalis, qui fide supernaturali dirigitur. Cultus vero secularibus exhibitus, est cultus ciuilis & politicus procedens ab obseruantia politica, quæ respicit dignitatem secularem & merè humanam; & ideo maximè distinguitur potius interna æstimatione & affectu, quàm opere seu actu externo, qui sæpè idem est, & communis cuilibet cultui, cuiusq; generis sit, vel speciei. Vide Lessium supra.

DVBIVM IV.

De Ritu erigendi Altare ad Orientem, itemque orandi versus Orientem, an sit decens, vel necessarius &c.

Proponimus hanc dubitationem ad ornatum rubricæ suprà explicatæ num.3. de Altari ad Orientem. Ratio vero dubitandi est: quia videtur species vanæ obseruantiæ, & cuiusdam superstitionis, data opera procurare vt potius ad Orientem, quam ad aliam Mundi plagam erigatur Altare, vel fiat Oratio; cum enim Deus immensus sit, & vbique præsens, nihil referre videtur, an Oratio fiat versus Orientem, vel ad Occidentem vel Austrum, ergo videtur vana circumstantia, & non obseruanda.

Respondeo, & dico primo. Ritus orandi versus Orientem licitus & Sanctus est, si debita intentione seruetur, idemque dicendum de erectione Altaris ad Orientem in eundem finem.

Probatur: quia optima ratione introductus fuit à temporibus Apostolorum, & ex traditione eorumdem seruatus fuit in Ecclesia, vt tradunt Sancti Patres communiter August. Nissenus, Basilius, Athanasius, Damascenus, & alij, quos referunt Stephanus Duranrus de ritibus Ecclesiæ lib.1. cap 3 & Suar. de relig. to.2. lib.3. de Oratione cap.7. núm.14. Ergo negari non potest, quin licitus & sanctus sit: Rationes autem explicanimus supra ex D Th dum de sensu mystico, quibus addi potest. Primo ex Damasceno lib.4. de fide cap 13. quia Christus in Oriente crucifixus fuit facie ad Occidentem conuersa, vnde cum ad Orientem oramus quasi Christi faciem intuemur.

Secundo ex Pamelio in Scholijs ad Apolog. Ecclesiam introduxisse hanc consuetudinem, vt Christiani discernerentur à Iudæis, qui ad occidentem orare solebant, nam Tabernaculū Templi erat versus Occidentem dispositum, cuius rationem reddit D.Tho. 2. 2. quæst. 102. art.4 ad 5.

Ex quibus patet, ad rationem dubitandi, non enim censenda est vana circumstantia, quæ tot rationibus, & traditione Apostolorum nititur.

Dico secundo ritus, & obseruantia erigendi & disponendi Altare ad Orientem, intelligitur de Altari, quod principale est & Maius appellatur, & in capite Ecclesiæ constituitur, quasi in Puppi Nauis Ecclesiæ, vt notat Duranrus supra; Vnde vbi commodè fieri potest, Ecclesia sic construitur, vt caput sit ad Orientem & pars inferior opposita Occidentem spectet, vbi patet aditus, & principale ostium Ecclesiæ construi solet. Ratio est, vt intro euntes, & ad Altare Maius accedentes spectent Orientem. Ita Durandus supra, & Suar. in 3.p.tom.3 disp. 81 sec.5. fine. Cæterum reliqua Altaria particularia indifferenter disponi solent versus quācumque Mundi plagam, vt patet ex vsu omnium Ecclesiarum, & notat Suar. loc. cit.

Dico tertio, ritus prædictus orandi versus Orientem, itemque erigendi Altare Maius ad Orientem, non cadit sub præcepto, etiam si loquamur de Oratione publica, quæ in Templis fieri solet, sed solùm pertinet ad maiorem decentiam, ita D.Thom. 2. 2. q.84 art 3. ad 3. Durandus supra, & Suar. disp 81. citata sect. 5. et lib 3. de Orat cap.7. n.15.

Probatur: quia nullibi constat de tali præcepto; imò ex opposita cōsuetudine cōstruendi Ecclesias ad quamcumque Mundi Plagam, vbi commoditas ferre solet, satis liquet ritum prædictum non fuisse introductum animo obligandi.

Colligitur nihilominus. Si quis data opera vellet seruare oppositum in contemptum prædicti ritus, vel traditionis Sanctorum Parrum graue peccatum committeret: quia vix id fieri potest sine spiritu erroris, damnātis vel omnes traditiones, vel hanc in particulari, quæ pia, et sancta est; Suar. loco cit. de Oratione cap.7. num.15.

TITV-

TITVLVS VI.

DE EPISTOLA, VSQVE AD OFFERTORIVM.

1 DICTIS Orationibus, celebrans positis super librum, vel super Altare manibus, ita vt palmæ librum tangant, vel (vt placuerit) librum tenens, legit Epistolam intelligibili voce, & respondetur à ministro, Deo gratias, & similiter stans eodem modo, prosequitur Graduale, Alleluia, & Tractum, ac Sequentiam, si dicenda sint: Quibus dictis, Sacerdos si priuatim celebret, ipsemet, seu minister portat librum Missalis ad alteram partem Altaris in cornu Euangelij: & dum transit ante medium Altaris, caput Cruci inclinat, & Missale sic locat, vt posterior pars libri respiciat ipsum cornu Altaris, & non ad parietem, siue ad partem eius contra se directam.

EXPLICATIO LITERALIS.

DE Epistola, & Euangelio, & alijs vsque ad offertorium diximus p.1.tit 10. & 11. ea, quæ pertinent ad eorum institutionem, & significationem, superest vt hic breuiter explicemus ritus seruandos dum recitantur in Missa.

Primo celebrans legit Epistolam positis super librum manibus, hac reor ex causa, quia Epistola significat prædicationem Ioannis Baptistæ Præcursoris Christi, & Euangelij, vt alias diximus, & fusè explicat Durandus in Rationali lib 4 cap. 15. legit ergò Epistolam Sacerdos manibus librum tangens, & proximè demonstrans: quia Ioannes Baptista, non vt alij Prophetæ à longè Christum affuturum prædixit, sed manibus & indice demonstrauit, de quo canit Ecclesia. Tu quidem Mundi scelus auferentem indice prodis.

Secundo lecta Epistola, & Graduali transfertur liber Missalis ad alteram partem Altaris, quæ dicitur cornu Euangelij, & significat partem Ecclesiæ ex gentibus coadunatam, vt supra diximus tit.4.num.2. in expositione literæ: quia repulsa à Iudeis prædicatione; Euangeliũ annuntiatum fuit Gentibus in eorum conuersionem, vt ibidem diximus ex Iuone serm. de conuentione veteris, & noui sacrificij, & ex Durando in Rationali lib.4 cap.23.

Tertiò, ità locatur Missale, vt posterior pars libri respiciat ipsum cornu Altaris contra se directum, ne Sacerdos terga vertat ad populũ cui annuntiat Euangelium, sed aliquantulum sit ad eum conuersus.

2 Locato Missali in Altari, Celebrans redit ad medium Altaris, ibique stans iunctis manibus ante pectus, leuatisque ad Deum oculis, & statim demissis, tum profundè inclinatus dicit secretò, Munda cor meum, & Iube Domine benedicere, Dominus sit in corde meo, vt in Ordinario. Quibus dictis vadit ad librum Missalis, vbi stans versus illum iunctis manibus ante pectus, dicit intelligibili voce, Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Deinde pollice dextræ manus signo Crucis signat primò librum super principio Euangelij, quod est lecturus, posteà seipsum in fronte, ore, & pectore, dicens, Sequentia, vel, Initium sancti Euangelij, &c. ℟. Gloria tibi Domine, Tum iunctis iterum manibus ante pectus, stans vt suprà, prosequitur Euangelium vsque ad finem. Quo finito,

to, minister stans in cornu Epistolæ post infimum gradum Altaris, respōdet, Laus tibi Christe, & Sacerdos eleuans parumper librum, osculatur principium Euangelij: dicens: Per Euangelica dicta, &c. præterquam in Missis Defunctorum, & nisi celebret coram Summo Pontifice, Cardinali, & Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo in eorum residentijs, quo casu defertur cuilibet prædictorum osculandus liber, & Celebrans tunc non osculatur illum, nec dicit, Per euangelica dicta. Cum autem nominatur Iesus, caput versus librum inclinat; & eodem modo versus librum genuflectit, cum in Euangelio est genuflectendum,

SAcerdos annunciaturus populo sacrum Euangelium peculiari opus habet dispositione, vt dignè, & competenter hoc munus exequatur, Amalarius lib. 3 cap 18. nè vel ipse pronuncians, vel populus audiens vile aliquid cogitet, quale consueuit cogitare cum verba humana solet audire Hinc præscribitur in hac rubrica vt celebrans antequam legat Euangelium præuia Oratione se muniat, petens à Deo vt puro corde & ore, Incarnatæ Sapientiæ verba valeat enunciare, & vt efficax sit oratio, hos ritus seruare debet.

Primo iunctis manibus ante pectus et eleuatis ad Deum oculis: manus iunctę ante pectus deuotionis sunt inditiū, vt alibi diximus. Eleuatione oculorum ad Cœlū, monemur in oratione eleuandam esse mētem ad Deum; Mens enim seu intellectus est oculus animæ, vt ex August, Damasceno, & alijs Patribus tradit Cornelius à Lapide in Ioann cap. 4. & 11 Tum profundè inclinatus ob humilitatem dicit secreto, munda cor meum, & labia mea &c. quia verba Euangelij debemus purò corde cōcipere, & impollutis proferre labijs, idest non inquinatis verbis scurrilibus, & vanis, aut alijs impurioribus. Deinde petit à Deo benedictionem, vt hoc munus non à seipso, sed vt missus à Deo exequatur, iuxta illud Apost. ad Rom. 10. Quomodo prædicabunt nisi mittantur: Orat ergò Sacerdos se mitti à Deo Innocent. de Mysterijs Missæ, lib 2. cap. 38. Vbi notandū Sacerdotem vti his verbis, iube Domine benedicere, non Domne; E contra Diaconus dicit Iube Domne: nam celebrās à Deo vniuersorum Domino petit benedictionem, non ab homine; Diaconus vero à Sacerdote, qui participat titulum Domni: nam primariò hic titulus competit Summo Pontifici, qui per Antonomasiam Domnus Apostolicus appellatur, v. rectè notat Castaldus in Praxi lib. 2. sec. 8. cap. 4 n. 2. & de eo titulo agit Baron. anno 416.

Secundo, antequam incipiat Euangelium, dicit Dominus vobiscum, vt præparetur populus ad attentè audiendum, de quo diximus supra p. 1. tit. 10 num. 6.

Tertiò, dicens sequentia, vel initium Sancti Euangelij, signat primo librum, nòn quasi benedicens librum, sed quasi dicatur; Hic est liber Crucifixi, Innoc. supra cap. 43. Deinde signat seipsum in fronte ore, & pectore: in frōte, vt intrepidè illud enunciet, tamquam verus Christi Discipulus, non erubescens Euangelium; in ore, vt confessio verbi Dei rectè, & ad salutem fiat; In pectore, vt significet se corde credere, & vt malas cogitationes è corde pellat, Alcuinus cap. de celebr. missæ, & Honorius in Gemma lib. 1 c 23 consonat illud ad Rom. 10. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem cōfessio fit ad salutem, & quoad frontem subditur, omnis qui credit in illum non confundetur: Denique signa prædicta fieri debent Pollice manus dexteræ, vt expresse habetur in rubrica; Manus autem sinistra ponenda est vel super Altare, vt placet Castaldo lib. 2. sec 7 cap. 3. nu 3 ex regulis generalibus suprà tit 3. num 5. vel super librum vt vult Gauantus hic, quia non est benedictio, & vtrumq est probabile. Cùm verò seipsum signat Sacerdos in fronte, ore &c. tenet sinistram infrà pectus, Castaldus supra.

Quartò iunctis iterum manibus stans prosequitur Euangelium vsque ad finem: Manus iunctæ deuotionem significant, vt sæpius diximus. Hic autem monendi sunt Sacerdotes, vt internæ deuotioni, etiam externam coniungant, ità vt maiori pausa et distinctione, quam alia, quæ clara voce dicuntur, Euangelium pronuncient: quia est verbum verbi, & Sapientia incarnatæ Sapientiæ, Innoc. lib. 2. cap 47. et quidem præmissis tot diligentijs, et petita attentione populi, valdè indecens esset sanctissima verba præcipitare: stare autem debent Tum Sacerdos, tum omnes circumstantes, vt suo loco diximus p 1 tit 17. n. 2.

Quinto, finito Euangelio Sacerdos osculatur principium Euangelij, dicens per Euangelica

ſtca dicta &c. Oſculum eſt pacis ſignum, quaſi dicat Sacerdos, per Chriſtum recõciliationem accepimus, & pacem à Chriſto optamus deletis peccatis noſtris, Innocentius lib.2.cap.43. Aliæ ſignificationes videri poſſunt apud Durãdum in Rationali lib.4. cap.24.num.32. Quod ſi celebret coram Summo Pontifice, Epiſcopo &c. Sacerdos non oſculatur librum, neq; dicit per Euangelica &c. ſed Epiſcopus oſculatur librum, & dicit per Euangelica &c. ratio, quia oſculans librum ſub verbis prædictis fungitur officio mediatoris inter Deum, & populum, cui pacem auguratur, & peccatorum remiſſionem loco Chriſti, quod pertinet ad dignitatem quandam; & idcirco digniori defertur oſculandus liber; Vnus autem ſolus oſculatur: quia Chriſtus vnus eſt: Cæterum non defertur liber oſculandus alijs Prælatis Epiſcopo inferioribus; ſed ſeruanda eſt Rubrica ad literam ex decretis Sacræ Cõgregationis 22. & 28. Auguſt. 1589. apud Gauantum in hanc rubr. Multò minus deferendus eſt oſculandus idem liber Principi laico, quod ſi alicubi ſit conſuetudo tolerata in oppoſitum, deferendus eſt alius liber, & Sacerdos tunc ſuum oſculatur dicens, per Euangelica &c. Gauantus ſupra.

Sextò, cum nominatur Ieſus caput verſus librum inclinat. Vbi notandum eſt diſcrimen inter Inclinationem faciendam ad nomen Ieſu extra Euangelium: quia fit verſus Crucem, vt ſupra dictum eſt rit. præced. num. 2. In Euangelio verò fit inclinatio verſus librum, in quo expreſſius Chriſtus loquens repræſentatur.

3 Dicto Euangelio ſtans in medio Altaris verſus Crucem, eleuans & extendens manus incipit (ſi dicendum ſit) Credo, cùm dicit, In vnum Deũ iungit manus, & caput Cruci inclinat: quo erecto ſtans ibidem iunctis ante pectus manibus, vt prius, proſequitur vſque ad finem. Cùm dicit, Ieſum Chriſtum, caput Cruci inclinat. Cùm dicit, Et incarnatus eſt, vſq; ad, Et homo factus eſt, incluſiue, genuflectit. Cùm dicit, ſimul adoratur, caput Cruci inclinat. Cùm dicit, Et vitam venturi ſæculi. producit ſibi manu dextra ſignum Crucis à fronte ad pectus.

Ritus ſeruandi in recitatione ſymboli quo ad eleuationem, & extenſionem manuũ, inclinationes &c. ſunt ferè ijdem. quos explicauimus ſupra tit 4.num.3. de Gloria in excelſis, & eaſdem habent ſignificationes. Addimus ex Caſtaldo in Praxi lib.2 ſec 8 cap.4 num.5. Ad verſic Et Incarnatus eſt, cum Sacerdos genuflectit, vt hic præſcribitur; interim dum genflectit manus teneat extenſas ſuper Altare, vt ſic ſe ſuſtentet, deinde perſeueret genuflexus iunctis manibus, & capite inclinato donec perficiat, tunc rurſus manibus ſuper Altare extenſis eleuabitur, quod in omni genuflexione ſeruari debet; Hactenus Caſtaldus. Tandem adnotamus ſignum Crucis præſcribi in fine, vt eo quaſi ſigillo totius fidei firmetur profeſſio.

De ipſo autem Symbolo diximus prima par. tit.11.

4 In Miſſa ſolemni Subdiaconus circa finem vltimæ Orationis accipit ambabus manibus librum epiſtolarum, deferens illum ſupra pectus, & facta Altari genuflexione in medio, vadit ad partem Epiſtolæ contra Altare, & cantat Epiſtolam. quam etiam Celebrans interim ſubmiſſa voce legit aſſiſtente ſibi Diacono à dextris, & item Graduale, Tractum, &c. vſque ad Munda cor meum. Epiſtola cantata, Subdiaconus facit iterum genuflexionem Altari in medio, ac redit ad Celebrantem, & genuflectens oſculatur eius manum, & ab eo benedicitur, præterquam in miſſis Defunctorum.

Svbdiaconi proprium munus eſt cantare ex officio Epiſtolam in miſſa ſolemni ex vi ſuæ ordinationis, contra nonnullos, qui oppoſitum docuerunt cum Gauanto in hanc rubr. Siquidem in hunc finem traditur in ſacra ordinatione liber Epiſtolarum, vt ex D. Thom.

Vasq. & communi DD. sententia probat Molfesius sum. tract. 2. cap. 8 An autem inferior Subdiacono cantare eam licitè possit, explicabimus in dubijs conscientiæ.

Ritus seruandi à Subdiacono explicatione non indigent. Hoc solùm aduerte: dum ex Durand. in Rationali lib. 4. cap 17. fine, Quod Subdiaconus post finem lectionis, Diaconus è contrà ante principium Euangelij ad Sacerdotem accedit accepturus benedictionem: quia lex per Epistolam significata finem accepit in Christo; Euangelium verò originem sumpsit ab eodem Christo. In missa verò pro Defunctis omittitur osculum manus Sacerdotis: quia in illa missa quælibet solemnitates subtrahuntur, hæc Durandus vbi suprà. Plura legi possunt apud eumdem Durand. & apud Molfes. sum. tract. 3 cap. 11. num. 28.

5 Postea idem Subdiaconus accipit Missale Celebrantis, defert ad cornu Euangelij in Altare, & ibi Ministrat Celebranti: qui in medio Altaris submissa voce dicto, Munda cor meum, &c. & deinde lecto Euangelio, quod in fine non osculatur, delato etiam per Diaconum libro Euangeliorum ad Altare, imponit incensum in Thuribulum. Postea Diaconus genuflexus ante Altare, dicit, Munda cor meum, & accipiens librum Euangeliorum de Altari, petit benedictionem á Celebrante similiter genuflexus in superiori gradu Altaris: & osculata illius manu, præcedentibus Thuriferario & duobus Acolytis cum candelabris accensis de Credentia sumptis, vadit cū Subdiacono á sinistris ad locum Euangelij contra Altare versus populum, vbi Subdiacono librum tenente, medio inter duos Acolythos tenentes cādelabra accensa, dicit, Dominus vobiscum, iunctis manibus. Cùm dicit, Sequentia, &c. signat librum in principio Euangelij, frontem, os, & pectus: postea ter librum incensat, hoc est, in medio, à dextris, & à sinistris, & prosequitur Euangelium iunctis manibus. Interim Celebrans post datam Diacono benedictionem retrahens se ad cornu Epistolæ, ibi stat iunctis manibus. Et cum Diaconus dicit. Sequentia sancti Euangelij. Sacerdos etiam signat se, & cum nominatur IESV, caput inclinat versus Altare. Finito Euangelio Sacerdos osculatur librum à Subdiacono sibi delatum, dicens, Per Euangelica dicta, &c. & à Diacono ter incensatur. Si sit coram Prælato in sua residentia, liber defertur ad Prælatum, vt supra, & ille incensatur, vt in Cæremoniali. Postea stans in medio Altaris versus ad Crucem, incipit, si dicendum sit, Credo, stantibus post eum Diacono & Subdiacono: deinde ad Altare accedentibus, & cum eo prosequentibus, vt dictum est ad Gloria in excelsis.

Diaconus lecturus Euangelium hos Ritus obseruare debet.

Primo, orat dicens, Munda cor meum &c. ob rationes supra explicatas in simili de Sacerdote num. 2.

Secundo, Accipit librum Euangelij de Altari: Quia de Syon exibit lex, & verbum Domini de Hierusalē, idest de vera Ecclesia, per Altare & sanctam Sion significatam, Durandus lib. 4. cap. 24. num 5.

Tertio, petit benedictionem, sicut Sacerdos à Deo, ità Diaconus à Sacerdote, qui locum tenet Christi, vt non nisi missus à maiore Euangelium annuntiet, Amalarius lib. 3 cap. 18. Alcuinus, & alij, quos affert Molfesius sum. tra. 3 cap. 11. num. 32.

Quarto, osculatur manum Sacerdotis, nimirum dexteram: quia in virtute Christi, quem repræsentat Sacerdos annuntiat Euangelium, iuxta illud, dextera Domini fecit virtutem: vel quia prædicator Euangelizare debet in gloriam Dei, & ad æternam fœlicitatem audien-

dientium per dexteram figuratam, Durandus in Rationali lib.4.cap.24.n.4.

Quinto. Vadit ad locum Euangelij præcedentibus Thuriferario, & duobus Acolythis cū candelabris accensis: quia Prædicatorem Euāgelij debet præcedere bonus odor, id est sanctæ bonitatis & virtutum, & lumina bonorum operum, Durandus suprà num.13. vel quia Euangelium testimonium accipit à lege, & Prophetis, quasi duobus luminibus.

Sexto, vadit Diaconus portans librum ante pectus ex Cærem.Episc lib.1. cap.9. vt intelligat prædicatorem verbi Dei debere prius verba Euangelij habere in corde & in manibus, quàm in ore, Rubeus lib.2. cap.33.

Septimo, locus Euangelij est contrà Altare versus populum, idest inter Altare & populum, cui annunciaturus est Euangelium; sed mediū situm teneat, Gauantus in hanc rubricam.

Octauo, Subdiacono librum tenente, qui est minister Diaconi, dicit Dominus vobiscum, & signat &c. iuxta supra dicta de Sacerdote nu.3. ob easdem rationes.

Nono, ter librum incensat in reuerentiam libri Sanctorum Euangeliorum, & ad significandum effectum gratiæ, quàm Christus communicat veris auditoribus Euangelij, sicuti supra dicebamus de Incensatione Altaris tit.4. num.4.

Decimo, finito Euangelio defertur à Subdiacono liber osculandus à Sacerdote, tanquam à digniori, ex dictis supra num.9. Reliqua patent etiam ex supradictis.

6 Si autem sit prædicandum, Concionator finito Euangelio prædicet, & sermone siue concione expleta, dicatur Credo, vel si non sit dicendum, cantetur Offertorium.

INter Missarum solemnia si sit prædicādum, statim post Euangelium ac celebrantis incensationem fit concio: quia concionator est interpres Euangelij. Prædicabit autem si sit Clericus superpelliceo indutus, & supra cum Stola. Romæ autem non vtitur Stola ob reuerentiam Summi Pontificis, quo extra Sacramēta Stola vtitur. De cæremonijs autem seruandis à concionatoribus fusè disserit Castaldus in Praxi cærem.lib.2 sec.3. c 6 vbi legi poterunt.

7 Cùm verò in Symbolo cantatum fuerit, Et incarnatus est, Diaconus accepta bursa de Credentia, ambabus manibus eam defert eleuatam cum solitis reuerentijs ad medium Altaris, in quo explicat Corporale, & reuertitur ad Celebrantem. Cùm non dicitur Credo, Subdiaconus defert bursam simul cum Calice, vt infrà dicetur.

PRoprium Diaconi munus est immediatè ministrare celebranti ea, quæ ad sacrificiū pertinent, idcirco ipse deferre debet & explicare corporale cum solitis reuerentijs, quas explicat Castaldus in Praxi. lib.1. sec.7 cap.5. num.14.

8 Si quandoque Celebrans cantat Missam sine Diacono & Subdiacono, Epistolam cantat in loco consueto aliquis Lector superpelliceo indutus, qui in fine non osculatur manum Celebrantis. Euangelium, autem cantat ipse Celebrans ad cornu Euangelij, qui & in fine Missæ cantat, Ite missa est, vel, Benedicamus Domino. aut Requiescant in pace. Pro temporis diuersitate.

DE missa quæ cantatur sine ministris in sacris, videri potest Castaldus in Praxi lib. 1.sec.9. cap 2. Hîc præscribitur, vt Epistolam cantet aliquis lector superpelliceo indutus: quia non ex officio; & ideo absque sacris vestibus, præsertim sine manipulo, vt fusius dicemus in dubijs conscientiæ. Euangelium autem cantat ipse celebrans: quia ob reuerentiam diuini verbi, quod Deus non sicut olim in Prophetis, sed in plenitudine temporis loquutus est nobis in filio; Nemo inferior Diacono, qui ad hoc munus specialiter consecratur, illud cantare debet.

SENSVS MYSTICVS.

PLures horum rituum significationes mysticas suprà adduximus occasione sensus literalis ob necessariam connexionem ad inuicem; Solùm hic addam ea, quæ de osculo libri Euangeliorum, & de incensatione Sacerdotis habet Durandus sæpiùs citatus in Rationali lib. 4. cap. 24. num. 33 Defertur inquit Euangelium Sacerdoti, vel Episcopo osculandum, idest ad prædicationem acceptandam: quia Sacerdos vel Episcopus Christum significat, & Christus illam dumtaxat prædicationem acceptat, quæ fit ex amore, & charitate per osculū designata; deinde à Diacono ter incensatur Sacerdos vel Episcopus in sua residentia, quod fit à Diacono nomine totius populi in gratiarum actionem boni nuntij, idest Euangelij; quod ipse Sacerdos iussit annuntiari populo, Durandus supra.

DVBIA CONSCIENTIAE

De obligationibus Diaconi, & Subdiaconi in missa solemni, & de concionatore &c.

IN Rubricis huius tituli iam explicatis occasione Epistolæ & Euangelij fit magis expressa mentio Diaconi & Subdiaconi, & muneris eorum in missa solemni à num. 4. & deinceps; quare hoc loco operæ pretium duximus explicare obligationes eorum: non quidem eas quibus tenentur castitatem seruare, & recitare diuinum officium, quæ modò huc non pertinent, sed eas, quæ connexionem habent cum materia de qua agimus, & pertinent ad Sacramentum Eucharistiæ, & aliqua addemus de Concionatore, de quo etiam fit mentio in his rubricis.

DVBIVM I.

An Diaconus, & Subdiaconus ministrantes in missa solemni teneantur esse in gratia seu an peccent mortaliter canentes ex officio Epistolam, vel Euangelium in statu peccati mortalis.

PRima sententia affirmat: Ratio est quia exercent actus peculiares & proprios Sacramenti ordinis, ad quos sunt consecrati, & qui maximè ad Eucharistiam accedunt: Ergo mortaliter peccant, si sint in peccato mortali; quia videtur grauis abusus tan. sacri muneris, ita Nauar sum. cap. 25 num. 72. Cabrera de Sacramentis qu. 64. art 6 qu. 1. Nugnus, Syluest. Toletus, & alij, quos referunt Diana p. 3. tra. 4. resol. 195. & Mollesius in sum. tract. 2. cap. 8. num. 20.

Secunda sententia docet, eos non peccare mortaliter si semel aut iterum hoc sacrum munus exerceant in peccato mortali. Cæterum si frequenter in eo statu p. m. illud ex officio exequantur peccare mortaliter, ratione contemptus virtualis & impliciti, ità Suar. tom. 3. in 3. par. disp. 16. sec. 4. Filiucius to. 1. tr. 1. cap. 6. num. 87. cum alijs.

Tertia sententia probabilior, cui adhæreo, docet absolutè eos non peccare mortaliter, ratio est quia talis obligatio exercendi actum sacri ordinis, seu opus sanctum in statu gratiæ solùm habet locum in confectione, & administratione alicuius Sacramenti, qua fit dispensatio meritorum Christi, & confertur suscipientibus gratia sanctificans, & idcircò requirit etiam statum gratiæ in ministro; sed hæc ratio non militat in casu nostro, quia neque Diaconus neque Subdiaconus conficiunt Sacramentum, nec opus tam sanctum exercent: ergo nō est illis imponenda tam grauis obligatio, ita Sotus in 4. dist. 24. q. 1. Vasq. in 3 p. tom 3. disp. 136. cap. 4. Conineh. de Sacramentis q. 64. art. 6. Fernandez, Villalobos, & alij quos citat, & sequitur Diana res. 195. cit.

Ad opposita. Ad argum. primæ sententiæ negatur consequentia. Vt patet ex dictis pro tertia sententia.

Ad argumentum secundæ sententiæ negamus ratione frequentiæ peccatum veniale transire in mortale, vt probauimus quæst. Procemiali sec. 2. punc. 5. diff 5. necenim vlla est ratio, vt in hoc actu frequentato magis includatur contemptus, quam in frequentatione mendacij iocosi, vel aliorum venialium, quę passim committuntur.

DVBIVM II.

An Diaconus possit Eucharistiam dispensare, & de necessaria eius dispositione ad hoc munus &c.

NOn loquimur de Subdiacono, quia certū est ipsū non posse tangere Corpus Christi; imò nec vasa sacra, dum in his asseruatur Cor-

Corpus vel sanguis Christi; sed solum quando sunt vacua, vt constat ex cap. nullus A o'vtorum 24. dist. et docent communiter DD Vide Molfesium sum. tract. 2 cap. 8. num. 12. est ergo quæstio de Diacono.

Respondeo et dico primo ex commissione Sacerdotis, ad quem proprie hoc munus pertinet, E.g. parochi vel Episcopi, potest Diaconus hoc Sacramentum dispensare, Ita D. Th 3. par. quæst. 82. art. 4. ad 1. quem sequuntur communiter Sotus, Ledesma, Vasq, et alij, quos referunt Auersa de Euchar. q. 10. sec 3. §. quarto, et Molfes. sum. tract. 2. cap. 9. n 18. Probatur primo ex Conc. Niceno Can 14. Et ex Conc Cartag. 4. cap. 8. In quibus id decretum fuit. Patet etiam ex verbis S Laurentij Diaconi Sisto Pontifici experire vtrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguininis dispensationem.

Probatur secundo Ratione quam affert D. Th. supra, quia Diaconus quasi propinquus ordini Sacerdotali aliquid participat de eius Officio; ergo Diaconus ratione sui ordinis verè est capax huius commissionis et in hoc ministerio verò actum sui ordinis exercet.

Dico secundo absque commissione sacerdotis non potest Diaconus Eucharistiam dispensare, sed grauiter peccaret; Probatur, hoc munus propriè, & per se competit Sacerdoti, qui in Preshyteratu confertur potestas in Corpus Christi, quare Diacono non potest hoc munus competere nisi ex delegatione & commissione sacerdotis, cuius est immediatus minister ita DD supra citati.

Colligitur primo discrimen inter dispensationem corporis Christi, & sanguinis eiusdem licet enim Diaconus nec Corpus, nec sanguinem dispensare possit sine commissione, & cum commissione Sacerdotis possit vtrumque dispensare; Nihilominus discrimen est, quod olim poterat sanguinem dispensare, etiam sine necessitate: videlicet passim committebatur Diacono dispensatio sanguinis extra casum necessitatis; Dispensatio verò corporis non nisi ex causa necessitatis: Rationem verò reddit D. Th. supra quia sanguis Christi continetur in Vase vnde non oportet quod tangatur à dispensante sicut tangitur Corpus Christi, vnde facilius committebatur dispensatio sanguinis ipsi Diacono, qui alias ex vi sui muneris potest tangere sacra vasa, in quibus Sacramentum Eucharistiæ continetur. Econtra idem Diaconus non potest tangere per se loquendo immediatè Corpus Chisti, & ideo dispensatio corporis non committitur illi nisi ex causa necessitatis; Ita Molfesius Auersa, & alij DD. supra cit.

Colligitur secundo merito hoc tempore, vel nunquam, vel rarissimè contingere, vt Diaconus hoc munus exerceat, Ratio est: quia nunc cessauit vsus dispensandi sanguinem. Quoad dispensationem verò corporis Christi ob copiam sacerdotum vix potest contingere talis necessitas, quæ sit iusta causa committendi eam Diacono. Insuper non potest licitè Sacerdos extra casum necessitatis impone e hoc munus Diacono ob reuerentiam tanti Sacramenti, ad cuius contactum consecrantur manus Sacerdotis, quare non potest tangi extra casum necessitatis nisi à Sacerdote, non autem à Diacono, DD. supra cit. Quod si verè vrgeat necessitas non solum extrema ad communicandum moribundum, sed etiam grauis satisfaciendi præcepto tempore Paschatis, vel ad lucrandum Iubileum, et Parochus supplere non possit, quia valde est occupatus in audiendis confessionibus: poterit committere Diacono, si non adsit alius Sacerdos, vt Eucharistiam dispenset, vide Syluestrum verbo Diaconus n. 4.

Colligitur Tertio si contingat grauis necessitas præbendi Viaticum moribuodo, et nullus adsit Sacerdos vel nonnisi impotès aut impeditus posse Diac. illi ministrare Eucharistiã, etiam si Sacerdos ille iniquè denegaret licentiam; quia tunc præsumitur licentia superiorum, et ipsius Summi Pontificis, Ex Iuribus, et Concilijs supra citaris in p. conclus. Ita D. Dh. in 4. dist. 13. b. 1. art. 3. quæstiuncula. 2. et Alij supra citati.

Colligitur quarto si contingat Diaconum deferre viaticum Sacerdoti ægrotanti, quid ab eo agendum sit? Aliqui enim dicunt debere porrigere Pyxidem Sacerdoti, vt per se, et suis manibus sumat Sacramentum, quia deest necessitas, ratione, cuius potest Diaconus tangere immediatè Sacramentum. Ita Durandus in 4. dist. 13. quæst. 4 n 6. Alij contra dicunt decentius esse vt ipse Diaconus immediatè præbeat Sacramentum infirmo, Ita Vasq. disp. 21. cap. 1. n n 19. Quod vtrumque probabile est, et vtrouis modo potest licitè fieri, et status ægrotantis est sufficiens causa necessitatis, ratione cuius deficiente alio sacerdote Diaconus absolutè ministret Viaticum Ita Auersa loc. cit His positis præcipua difficultas hic est, qualis dispositio requiratur in Diacono, vt in casu sibi permisso licitè, & dignè hoc Sacramentum dispenset.

Primo Dubitatur an teneatur esse in statu gratiæ, Ita vt mortaliter peccet, si hoc munus exerceat in statu peccati mortalis.

Respondeo probabilius esse teneri tunc esse in statu gratiæ ita vt si habeat conscientiã peccati mortalis debeat se per confessionem, vel saltem per contritionem expiare, alioquin gra-

ne sacrilegium committeret, sicuti vniuersaliter de ministro Sacramentorum in genere docent communiter DD. Quamuis non desint Auctores oppositum sentientes: quia in casu nostro non conficitur Sacramentum; sed solum applicatur, de qua re ex professo dicemus infra tit. 10. vbi de Communione adstantibus Missæ dispensanda à sacerdote: eadem enim est ratio de Diacono, qui etiam ex officio in casibus sibi permissis hoc Sacramentum dispensat.

Dubitatur secundo An diaconus dispensans Eucharistiam teneatur esse indutus sacris vestibus.

Respondeo teneri hoc munus exercere in habitu Diaconali, saltem cum Cotta, & Stola transuersa, sicut etiam tenetur Sacerdos etiam extrà missam hoc Sacramentum dispensans gestare Cottam, & Stolam ex vtroque humero pendentem, ità cum alijs Auersa de Euchar. q. 10. sec. 5. § secundo. An autem huius ritus ommissio sit p. m. dicemus ex professo tit. 10. Dum de communione ministranda à Sacerdote, communiter enim affirmant hunc ritum grauem esse, & obligare sub p. m.

DVBIVM III.

Qualiter peccet tam Diaconus, quam Subdiaconus, si ligatus aliqua censura ministret in missa solemni, & quam pœnam incurrat &c.

RESpondeo tam Diaconus, quam Subdiaconus peccat mortaliter & incurrit irregularitatem, si ligatus excommunicatione maiori, suspensione, vel interdicto exerceat ex officio actum sui ordinis sacri, canendo Epistolam, vel Euangelium in missa: ratio quia violans censuram exercendo actum ordinis sacri, transgreditur graue præceptum, ergo peccat mortaliter: quòd autem incurrat irregularitatem, constat ex cap. is cui, de sententia excomunic. Vbi talis pœna imponitur, ita Doct. communiter, quos citat & sequitur Bonac. de irregularitate disp. 7. q. 3. punc. 5. nu. 4.

Colligitur primo, si Subdiaconus canat Epistolam sine manipulo, & Diaconus Euangeliũ sine stola non incurrere eam pœnam: quia neuter canit ex officio, neque censetur tunc exercere actum ordinis sacri, sed officiũ Cantoris, seu lectoris, Doct. supra citat. Habitus enim proprius Diaconi est Stola, & Subdiaconi Manipulus, sine quibus non censetur ex officio munus suum exercere: Vide Molfesium sum tract. 2 cap 8 & 9.

Colligitur secundo, si Diaconus censura aliqua irretitus dispensaret Eucharistiam, etiam in casu sibi permisso, peccaret mortaliter, & incurreret irregularitatem: quia exercet ex officio actum ordinis sacri cum tali impedimento, quod eam pœnam habet adnexam excepto casu extremæ necessitatis: ita Bonacina supra num. 7. cum alijs tit. & Auersa de Euchar. q. 10. sec. 1. §. quarto.

DVBIVM IV.

An Diaconus, & Subdiaconus teneantur sub p. m. scire, & seruare ritus Missalis pertinentes ad exercitium sui ordinis &c.

RESpondeo, & dico primo, Certum est eos teneri scire, & seruare prædictos ritus, saltem sub p. v. Probatur. Tum iure naturali, quod dictat [illegible] officium, & munus suum rectè, & decenter exercere, iuxta laudabilem & consuetum morem proborum eiusdem ordinis; ergo saltem indirectè in casu nostro dictat seruandos esse ritus ab Ecclesia præscriptos & solitos adhiberi: quia aliàs nõ potest dignè seu decenter tale munus exercere: Tum ex Trid. sess 23. cap. 13. vbi habetur Subdiaconos, & Diaconos debere tum literis, tum ijs quæ ad ordinem exercendum pertinent esse instructos, & consequenter vrget prædictam obligationem sciendi, & seruandi ritus pertinentes ad proprium ordinem.

Difficultas est, an talis obligatio sit grauis, & sub peccato mortali.

Dico secundo, per se loquendo, secluso scandalo, vel contemptu, non peccare mortaliter prædictos ministros Sacerdote inferiores, si rubricas non seruent, vel scire negligant.

Probatur primo, non peccant mortaliter ex vi iuris naturalis: quia hoc non præcipit directè peculiares ritus in rubricis præscriptos; sed solum indirectè, quatenus posito iure positiuo sunt necessarij ad rectè, & dignè exercẽdum proprium munus: ergo ex iure naturali non potest colligi obligatio grauis, & sub peccato mortali, nisi iure positiuo talis obligatio expresse imponatur, vel nisi interueniat scandalum, aut contemptus, quæ iure naturali grauiter prohibentur. Neque ex vi iuris positiui: quia eo non imponitur illis tam grauis obligatio.

Probatur, non enim imponitur per Trid. le-

quia

quia solùm videtur vrgere obligationem naturalem: vel si ibi cõtinetur nouum præceptum, potius dirigitur ad Episcopos ne admittant ad ordines sacros eos qui non sunt sufficienter instructi, quàm ad ipsos ordinandos: Neque imponitur per rubricas, quia rubricæ eam vim obligandi sub p.m. habent rationem præcepti Pij V. in Bulla Missalis, quod solum loquitur de Sacerdotibus, quoad ritus seruandos in actu celebrationis, non autem de inferioribus ministris, vt fusè explicauimus q. proœmiali sec. 2 punc 2 præsertim Coroll 5. ergo rubricæ præscribentes ritus seruandos à Diacono & Subdiacono sunt directiuæ, & in eorum ommissione committitur p. v. ratione indecentiæ contrarius naturale, vt supra dicebamus.

Diceris in solemni Sacramentorum administratione tenētur ministri ex graui præcepto seruare ritus ab Ecclesia solitos adhiberi, vt colligitur ex Trid sess 7. can vlt. Ergo eo præcepto obligantur etiam Diaconus, & Subdiaconus qui in missa solemni concurrunt ad celebrationem sacrificij, & Sacramenti Eucharistiæ. Respondetur negando consequentiam: quia Sacerdos tantùm est qui conficit sacrificium, & Eucharistiam administrat, & dicitur propriè minister Sacramenti, Diaconus verò & Subdiaconus nullo modo conficiunt, nec administrãt Sacramentum, sed inseruiunt Sacerdoti, consequenter non comprehenduntur sub eo præcepto.

Probatur secundo auctoritate Doctor. nam primo Suar. tom 3. in 3. p. disp 87. sec. 2. initio sic habet, Vix potest aliqua specialis obligatio, vel aliquod speciale præceptum assignari ministris iure positiuo impositum; sed solùm illud quod naturale est, vt debito modo ministrent, Et disp. 82 sec 3 fine, ait circa vsum sacrorum vestimentorum, quibus vti debent Diaconus vel Subdiaconus si aliquid contingat omitti cauendum esse scandalum, vel contemptum, aliàs ferè semper erit peccatum veniale. Secundo eisdem ferè verbis docet hoc idem Filliucius tom 2. tract. 5. de sacril. cap 6 num. 195. Tertio consentit Ledesma tom 1. sum. tract. de Euchar. cap 26. concl 3. & videtur communis Doctor. sententia.

Colligitur primo seclusso contemptu, vel scãdalo non peccare mortaliter Diaconum, vel Subdiaconum ministrantem in missa solemni absque aliqua ex sacris vestibus etiam propria, vel non seruantem alios ritus, etiam in materia notabili: quia respectu vtriusque ministri rubricæ non sunt præceptiuæ, sed directiuæ. Dixi aliqua ex sacris vestibus: quia in ommissione omnium in missa solemni vix potest deesse scandalum. Similiter quoad alios ritus, si cum graui irreuerentia, vel scandalo aliquid ommitteretur, tunc ommissio sine dubio esset p.m. vt si is, ad quem tunc pertinet, nollet cãtare Epistolam, vel Euangelium vel ex graui negligẽtia alterius ex ipsis ommitteretur mixtio aquæ, tunc enim ratione circũstantiæ peccatum aliàs veniale transiret in mortale, ita Suar. supra.

Colligitur secundo, neque Diaconum, neq; Subdiaconum ministrantem in missa solemni teneri esse ieiunum a cibo, vel potu, quamuis ob maiorem decentiam, melius esset eos ieiunos ad Altare accedere: quia nullibi hic ritus præscribitur, nisi communicaturis, & ratione communionis, non autem propter exercitium sacri ordinis præcisè.

Colligitur tertio, multo minus peccare mortaliter Acholytos, & alios missæ inseruientes negligentes ritus ad se pertinentes seclusso scãdalo, vel contemptu, vt patet à fortiori ex dictis de ministris in sacris, nisi ex eorum negligentia voluntaria sequeretur grauis irreuerentia contra perfectionem sacrificij, vt si quis loco vini ministraret aquam, quod grauem culpam continet, vt per se patet, & docent Doct. supra cit. & Bonacina de Sacram. disp. 4. q. vlt. punc. 9. num 36.

DVBIUM V.

An ministri in sacris teneantur aliquoties exercere actum sui ordinis in missa solemni &c.

Ratio dubitandi est; quia Trid. sess. 23. c. 11 & 14. Decernit nè prædicti ad altiorem gradum permittantur ascendere, nisi prius exercuerint inferiorem; ergo adest in eis aliqua obligatio exercẽdi sua munera antequam ad altiora promoueantur.

Respondeo, ex vi præcisa ordinis eos non teneri ad sic ministrandum. Probatur: quia nullum extat ius diuinum, aut Ecclesiasticum illos ad id obligans, Constat etiam ex Praxi, & consuetudine plures ex ipsis non exercere sua munera sine scrupulo talis omissionis.

Dixi ex vi præcisa ordinis: quia possunt aliqui specialiter obligari, vel titulo beneficij, vel consuetudinis alicubi receptæ, vel obedientiæ, si Superior eis præcipiat, ita Suar disp. 87. sec. 2. Pettus de Ledesma sum. to. 1. tract. de Euchar. c. 26. concl. 3. & alij.

Ad rationem dubitandi respondetur, Trid. ibi non imponere obligationem; sed monere id, quod magis expedit, & conueniens est. Vndè solent Episcopi id exigere ab ordinandis, & sufficit semel exercuisse suum ordinem vt

vt admittantur ad superiorem, non tamen semper neque ab omnibus id exigitur.

DVBIVM VI.

An possit licitè cantari Epistola vel Euangelium in missa solemni ab ijs, qui non sunt in sacris &c.

De Euangelio docent omnes cantari non posse, vel saltem non debere, nisi à Diacono, non autem ab inferiore. Controuersia solum est de Epistola.

Prima sententia negat etiam de Epistola. Ita Gauantus in has rubricas par. 2. tit. 6. num. 4. littera y. vbi sic asserit, soli vero Subdiacono conuenit cantare Epistolam adeo vt potius Sacerdos ipse Epistolam legere debeat, quam pati vt inferior Subdiacono id exequatur.

Probatur ex cap. si Subdiaconus distinct. 34. vbi id prohiberi videtur.

Probari potest secundo ratione: quia carens ordine aliquo non potest exercere eius officiũ, quia caret potestate quæ per ordinationem confertur; ergo inferior non potest exercere munus quod spectat ad altiorem ordinem, bene autem constitutus in ordine altiori potest exercere munus ordinis inferioris: quia habet etiam illum ordinem.

Secunda sententia affirmat posse Epistolam cantari à lectore.

Probatur primo ex rubricis huius tituli n. 8. vbi id expressè habetur Nempè si celebrans cantat Missam sine Subdiacono tunc Epistolam cantat aliquis lector.

Probatur secundo: quia lectoris officium est legere in Ecclesia lectiones veteris, & noui testamenti: Ergo legere vel cantare Epistolam in Missa, non excedit potestatem quæ confertur lectori in eius ordinatione.

Probatur Tertio quia possunt licitè exerceri actus ordinum materialiter, non ex vi potestatis ordinis seu non ex officio, sed ex commissione tanquam actus boni, & religiosi eo modo quo laici Missis inseruiunt: Ergo potest sic etiam cantari Epistola ab illis, qui non sunt promoti ad subdiaconatum. Ita Nauarr. lib. 5. consiliorum de Clerico non ordinato ministrante cons. 5. vbi testatur de communi, citans Panormitanum, & alios; docet etiam Molfesius in sum. tract. 3. cap. 8. n. 6. vbi ait. Potest etiam Clericus, vel Laicus cantare Epistolam sine manipulo de ordine Sacerdotis, & Bonacina de censuris disp. 7. quæst. 3. punc. 6. Initio, vbi docet posse cantari Epistolam sine manipulo à Clerico minorum ordinum tanquam a Cantore, non ex vi ordinis sacri, neque tunc incurri aliquam pœnam, & citat alios DD.

Pro resolutione, Respondeo, & dico Primo non posse cantari Epistola ex officio & adhibito manipulo ab inferioribus Subdiacono. Probatur: quia nullus inferior habet potestatẽ ad functiones superioris ordinis, vt patet ex argumentis Primæ sententiæ, neç obstat lectorem ex vi sui muneris posse legere sacræ scripturæ lectiones: quia hoc est verum de Propherijs, quæ solent quandoque legi in Missa, vltra Epistolam non autem de ipsa Epistola, vt colligitur ex cit. cap. si Subdiaconus.

Colligitur si clericus minorum ordinum cantet in Missa Epistolam solemniter & cum manipulo, cum fieri irregularem; quia hæc pœna statuitur contra exercecentem actum ordinis sacri, quem non habet in cap. 1. de Clerico non ordinato administrante, Ita DD. communiter apud Bonacinam loco supra cit. saltem si cantet Epistolam ex intentione exercendi officium proprium Subdiaconi, vt notant cit. DD.

Dico secundo potest licitè cantari Epistola in Missa solemni à Clerico minorum ordinum sine manipulo, si hoc illi committatur propter inopiam ministrorum in sacris: quia tunc non censetur exercere munus proprium Subdiaconi sed Cantoris, vt cum alijs docet Bonacina supra & patet ex argumentis secundæ sententiæ: Ratio potissima est quia cum manipulus sit vestis propria subdiaconi, qua distinguitur à Clericis minorum ordinum, cum non adhibetur manipulus, nunquam censetur quis exercere munus proprium subdiaconi; Quod est verum etiam si cantor in casu posito vtatur alijs vestibus sacris Alba, Tunicella &c. quibus vtitur Subdiaconus: quia aliæ vestes non sunt propriæ alicuius ordinis; sed solent etiam indifferenter aptari in sacris functionibus Clericis cuiuslibet ordinis. In praxi autem obseruandum est si celebrans cantet Missam absque ministris, videlicet sine Diacono & Subdiacono, Tunc lector cantare debet Epistolam superpelliceo tantum indutus, vt constat ex nostra Rubrica n. 8. si autem cantet Missam cum Ministris adhibito Diacono cum suis sacris vestibus, & desit Subdiaconus, tunc Clericus minor supplens defectum Subdiaconi poterit vti alijs vestibus sacris, quibus vti solet Subdiaconus excepto Manipulo, vt confirmat Praxis Ecclesiarum, in quibus minor est numerus ministrorum in sacris: nec omnino dissentit Gauantus, nam par. 2. tit. 7. n. 9. lit. A. ait si Subdiaconus sit in sacris vt par est quibus verbis indicat esse magis conueniens, non absolutè necessarium.

Dice-

Dicetis ergo deficiente Diacono poterit etiam Clericus minor cantare Euangelium cum sacris vestibus sine Stola, quæ est vestis propria Diaconi. Respondetur negando consequentiam, quia obstat prohibitio Ecclesiæ [illegible]entis, vt tunc potius sacerdos ipse cantet Eua[illegible]ium in rubrica citata n. 8. Ratio vero prohi[illegible]tionis, & discriminis est reuerentia quæ debetur sacris verbis Euangelij; quamuis c[illegible]m tota sacra scriptura contineat verba Dei [illegible] irata à spiritu Sãcto, nihilominus Euangel[illegible]m continet verba, quæ protulit ore pro[illegible] verbum Incarnatum, & non per alios, [illegible] per suum proprium filium loquutus est [illegible] ad Habreos primo, olim Deus loquens P[illegible]s in Prophetis, nouissimè loquutus est [illegible] in filio: Ad quod repræsentandum ipse Sacerdos, qui repræsentat personam Chri[illegible] Euangelium etiam in Missa solemni, [illegible]do non adest Diaconus specialiter conse[illegible]s.

Confirmatur quia Diaconus tangit etiam [illegible]a sacra quando continent corpus, & san[illegible] quod fieri non potest ab alijs [illegible]erioris gradus absque peccato mortali, ex [illegible]ibus patet ratio discriminis.

DVBIVM VII.

An Officium Prædicandi sit adnexum ordi[illegible] Diaconatus, vel alij, & de requisitis ad idem munus concionandi.

AD[illegible] hic non incongruè hoc dubium [illegible] plùres existimant munus prædican[illegible]ere ad Diaconum ob connexionem, [illegible] v[illegible]detùr habere cum Euangelio, quod [illegible]no cantari debet: & quia in his rubri[illegible] fit Mentio de Concione post Euange[illegible]

[illegible] Difficultas est. An Prædicare populo ve[illegible] Dei sit actus Ordinis, & cuius ordinis sita[illegible].

P[illegible]ntentia sustinet hoc munus prædicandi e[illegible] annexum ordini vel Episcopali, vel Sacerdo[illegible]li, vel tandem Diaconali, ita vt commi[illegible] non possit neque Subdiacono, neque alijs initiatis minoribus ordinibus nisi ex dispensatione; non quod ratione ordinis acquiratur potestas completa Prædicandi, quia nec Diaconus, nec simplex Sacerdos scilicet non curatus prædicare potest nisi de licentia Episcopi; sed acquiritur habilitas, vt hoc munus possit illis committi ab Episcopo, Ita Syluest. verbo Diaconus n. 3. & 4. citans Paludanum, & idem tenent Tabiena, Angelus, Armilla, & communiter Sumistæ verbo Prædicator: & verbo Diaconus, & magis expressè Caietanus in 3. p. quæst. 64. art. 6. docet esse actum ordinis, seu consecrationis, præsertim Episcopalis; fauet Coninc de Sacram disp 20. dub. 3. n. 13. & sequentibus, vbi ait Diaconum fieri capacem huius commissionis ex vi ordinis. Probari potest hæc sententia: quia plus est prædicare, & exponere Euangelium Populo quam idem Euangelium legere, & cantare in Missa: sed hoc non competit nisi ad summum Diacono, ergo etiam prędicare non competit nisi Diacono ad summum, non autem alijs inferioribus, nisi ex dispensatione.

Confirmatur primo quia in Pontificali dicitur de Diaconis, oportet Diaconum ministrare ad Altare, Baptizzare, & prædicare, quæ duo vltima facit ex commissione Sacerdotis, vt notant citati DD. & præsertim Coninc. num. 15: quia per ordinationem Diaconus fit dignus, vt hoc munus ei committatur, non quod possit absolutè absq licentia.

Confirmatur secundo quia Stephanus non legitur prędicasse, nisi post Diaconatum, ergo &c.

Secunda sententia probabilior docet, Prædicare non esse actum alicuius ordinis propriè loquendo, sed potius Iurisdictionis.

Probatur hæc potestas prędicandi duo includit, videlicet habilitatem qua quis fit Idoneus ad obeundum hoc munus, & hæc acquiritur per scientiam Sacræ Theologiæ, tum positiuæ, tum scholasticæ, vt possit Concinator explicare sacram scripturam, & Dogmata fidei; Secundo includit auctoritatem ratione cuius præsidet quis Populo, & pascit oues Christi verbo Dei, quæ acquiritur per beneficium curatum, quo quis fit Pastor animarum, & sic maximè pertinet ad Episcopos ratione officij, & iurisdictionis, vt colligitur ex Trid. sess. 5. cap. 2 de reformat. & sess. 24. cap. 4. de reform ergo nulla ratione videtur actus ordinis; hanc sententiam sustinet Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 16. sec. 3 fine, Posseuinus de officio Curati cap. 3. Armendar, Sayro. Vgolinus & Alij, quos citat, & sequitur Barbosa de potestat Episcopi par. 3. alleg. 76. num. 44. Filliuccius tract. 12. c. 4 num. 6.

Ad opposita Respondetur ad primum quicquid sit de antecedente, negatur consequentia, quia per sacramentum ordinis traditur potestas in ordine ad sacrificium, & Eucharistiam perficiendam: Potestas autem prædicãdi non ordinatur ad eum finem, Ergo non est potestas ordinis.

Ad primam Confirmationem Respondetur officium prędicandi assignari Diacono, non

quia

quia sit actus ordinis sed quia est munus valde dignum; & ideo quando non potest committi Sacerdoti debet committi ei qui proximior est dignitati Sacerdotali & sic Diacono & ob affinitatem quam habet cum Euangelio: sicut etiam in Baptismo indefectum sacerdotis, & in casu necessitatis debet seruari debitus ordo vt potius Diaconus illum conferat, quam Subdiaconus, & sic de alijs.

Ad Secundam Confirmationem Respondetur, Omnino fuisse in vsu, vt potius Diaconis committeretur munus prædicandi, quam alijs indefectum Sacerdotum ob maiorem decentiam, & conuenientiam prædictam, quod etiam nunc fieri debet, quamuis rarius contingat causa: nec obstat quod aliquibus religionibus concessum est ex priuilegio Summi Pontificis, vt Religiosi ipsarum possint prædicare, licet sacris initati non sint, quia sæpe conceduntur, & impetrantur Priuilegia ad maiorem cautelam, & ad tollendos scrupulos, qui oriri possunt ex varijs DD. sententijs, vt in casu nostro: non quia sint absolutè necessaria.

Colligitur primo posse Episcopos committere etiam Clericis, qui non sunt in sacris hoc munus prædicandi, & potius attendi debere scientiam & bonitatem illorum quibus id committitur, quam ordinem: quamuis decens omnino sit, vt non committatur nisi Diaconis; Ita Vgolinus Posseuinus & alij apud Barbosam supra.

Colligitur secundo Prædicationem licitam esse tempore cuiuscumque interdicti: quia non est actus alicuius ordinis, Barbosa cum alijs supra citatis.

Colligitur tertiò neminem posse absque graui peccato sibi Vsurpare officium prædicandi propria auctoritate; sed opus esse licentia, & commissione superioris videlicet Episcopi respectu Clericorum secularium, aut Prælati Regularis respectu suorum subditorum in proprijs Ecclesijs, cum benedictione tamen petenda ab Episcopo; extra verò proprias Ecclesias indigent etiam regulares licentia Episcopi ex Trid. sess. 5. cap. 2. de reform. vt latius explicat Barbosa alleg. 76. cit.

Colligitur Quarto si quis excommunicatus vel suspensus prædicationis munus exerceat etiam solemniter, & quasi ex officio, eum non fieri irregularem contra id quod docet Nauar. cap. 27. num. 165: Quia prædicatio non est actus ordinis, Ita Filiuccius supra. & trac. 17. cap. 10. nEm. 184. citans Angelum, Maiolum, & Toletum.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

An Ad actum Prædicandi requiratur Status gratiæ, seu An p. m. Prædicans in statu p. m.

PRima sententia affirmat D. Th. in 4. dist. 19. q. 2. art. 3. quæstiuncula 2. Caietanus supra citatus in 3. p. quæst. 64. art. 6. Paludanus, Nauar. & alij apud Danam 3. p. tract. 4. res. 297. Probant, vel quia prædicare est actus ordinis sacri, quod nos supra reiecimus, vel quia prædicator est immediatus Dei minister & organum Spiritus Sancti, & eius munus valde dignum, & sanctum: ergo requirit statum gratiæ in ministro: alioquin grauis iniuria fieret Spiritui Sancto.

Secunda sententia Probabilior negat per se loquendo ad hoc munus exigi statum gratiæ sub. p. m.

Probatur quia nobis constat de tali præcepto & tam graui obligatione; ergo non est asserenda: Antecedens patebit ex solutionibus Argumenti oppositi; consequentia patet ex communi regula sæpius tradita, quia obligatio est onerosa & ideo non est asserenda, nisi de ea constet, ne laqueus inijciatur animabus, & est regula D Th; quodlibet 9. art. 15. hanc sententiam defendit Suar. tom 3. in 3. p. disp. 16. sec. 3. fine, cum Soto, Medina, & Alijs, sequitur Valedda. Cabrera & alij, quos citat & sequitur Diana supra. Dixi per se loquendo nam per accidens potest hic interuenire, vel ratione scandali, si peccator sit publicus & verbum Dei fieret contemptibile, vel si quis abutatur Concione tanquam Propheta declamatione: Vide Suar. supra,

Ad Argumentum oppositæ sententiæ Respondetur esto prædicatio esset actus ordinis sacri, non tamen sequitur requirere in Ministro statum gratiæ; sicut requiritur in administratione Sacramentorum, quia per Sacramenta sanctificantur suscipientes, secus est de alijs actibus qui remotiùs disponunt ad gratiam, vt in casu nostro.

Ad secundum negatur consequentia, Minister enim Dei, et Spiritus Sancti Organum potest opus bonum exercere absque peccato, etiam si sit in peccato habituali, vt docent communiter DD. vide Suar. Supra.

Tertia Difficultas esse potest de habitu, quo vti debet Concionator de quo diximus supra in espositione literæ n. 6. Et videri potest Castaldus in Praxi cæremon. lib. 2. sec. 2. cap. 6. n. 2. Dubitari præsertim solet de Diacono, An habere debeat Stolam transuersam supra su-

per-

perpelliceum; aliqui enim negant, melius alij conceduat, vt expresse præscribit Sanctus Carolus Borromæus in instructionibus Pastorum, & Concionatorum Tit. de ritu concionandi versus finem Io. Baptista de Fabris in Manuali ordinandorum cap. 10. num. 49. & manifestè colligitur ex Durando in Rationali lib.2.cap.9. num.6. et Stephano Duranto de Ritib Eccles.lib.2.cap 9.n.14 et alijs.

TITVLVS VII.

DE OFFERTORIO, ET ALIIS VSQVE AD CANONEM.

1 DICTO Symbolo, vel, si non sit dicendum, post Euangelium Celebrans osculatur Altare in medio, & iunctis manibus ante pectus, ibidem à manu sinistra ad dexteram (vt dictum est supra) vertit se ad populum, & extendens ac iungens manus dicit, Dominus vobiscum, & iunctis manibus reuertitur per eamdem viam ad medium Altaris, vbi extẽdens & iungens manus, caputque Cruci inclinans, dicit, Oremus, tum iunctis vt prius manibus dicit Offertorium: & omnia quæ vsque ad finem Missæ in medio Altaris dicenda sunt, dicit ibidem stans versus ad Altare, nisi vbi aliter ordinatur.

EXPLICATIO LITERALIS.

De Offertorio, & alijs vsque ad Canonem, iam supra explicauimus ea, quæ pertinent ad eorum institutionem, et mysteria, par. tit.12. Superest vt nonnulla hic exponamus de ritibus in missa seruandis circa easdem partes.

Antequam celebrans dicat Offertorium, primo osculatur Altare, & vertens se ad populum dicit, Dominus vobiscum; De qua salutatione diximus supra titul.5 num 1. Item, & de osculo Altaris, & manuum extensione. Hic autem ideò adhibetur noua salutatio, quia incipit missa fidelium, et maiori deuotione adstare illi debet populus fidelis, eamque à Deo illi auspicatur salutatione prædicta.

Secundo dicit, Oremus, inuitans omnes ad orandum, quod videtur in alio sensu dici diuerso ab eo quem supra explicauimus: quia hic non subseqnitur aliqua publica oratio, quam Sacerdos nomine totius populi publicè dicat: Inuitat ergo populum, vt attendat ad sacrificium, & vnusquisque ad offerendum simul cum ipso principali offerente se preparet, sicuti ex Innocentio lib.2. cap.53. notant Suar. to.3. in 3.par. disp.83. sec 1.§.circa alteram, et Molsesius sum. tra 3. cap.11.n.45.

Tertio dicit, Offertorium ob rationes explicatas par.1.tit.12.num.1.

2 Dicto Offertorio. Discoopetit Calicem; & ad cornu Epistolæ sistit, & manu dextra amouet paruam pallã desuper Hostiam, accipit Patenam cum Hostia, & ambabus manibus vsque ad pectus eam aleuatam tenens, oculis ad Deum eleuatis, & statim demissis dicit, Suscipe sancte Pater, &c.

Sequitur oblatio, seu dedicatio, et præparatio materiæ consecrandæ, et

Primo Sacerdos discooperit Calicem, et in cornu Epistolæ sistit, et accipit Patenam cum hostia prius enim hostia offerri debet, quæ tanquam materia cibi præcedit potum: Dicitur autem hostia, quia est materia remota nostri sacrificij, & deductum est nomen ab hostibus: quia antiquitus id quod offerebatur in sacrificium ante pugnam cum hostibus, dicebatur hostia, sicut victima appellabatur id quod immolari solebat post victoriam deuictis hostibus, Durandus in rationali lib.4.cap.30.n.12 Quas autem conditiones habere debeat hæc

hostia nostri sacrificij, fusè explicabimus 3. p. de defectibus tit. 3. de defectibus panis, et de nonnullis etiam diximus q. Proœmiali sec. 5. punc. 4.

Secundo ambabus manibus vsque ad pectus eam eleuatam tenens &c. ad literam, vt gestus sit aptior, et decentior pro oblatione mysticæ autem, eo designatur omni opera et industria incumbendum esse, vt sacrificium sit vndequaque absolutum et perfectum; quod autem dicitur vsque ad pectus, oblationem ex corde faciendam esse designat.

Tertio, oculis ad Deum eleuatis, quia oculi intentionem significant, iuxta illud Euangelij, si oculus tuus simplex fuerit; dirigenda est ergo intentio ad Deum, cui soli offerri potest sacrificium, tanquam supremus actus latriæ: et quamuis oblatio hæc non sit sacrificium, est tamen præparatio et dedicatio materiæ sacrificij, quod in consecratione perficitur, et ad ipsum Deum dirigenda. Hæc igitur eleuatio tam materiæ quæ offertur, quàm manuum et oculorum offerentis aptissima est oblationi, quæ Deo fit, et qua h[illegible]o seipsum etiam per sacrificium Deo offert, ita Suar. disp. 84. sec. 1. §. tertio sunt. Additur in Rubrica et statim demissis, idest, oculis quia primo celebrans verba huius oblationis ad [illegible]um dirigit, cui offert hostiam, et sic [illegible] ele[illegible]t ad ad Deum oculos; Deinde statim ad seij sum indignum verba deflectit et ad alios peccatores, pro quibus offert; et sic sta[illegible]m oc[illegible]os demittit; vt gestus sit verbis conformis. Secus est in oblatione Calicis cuius materia in sanguinem Christi conuertenda est: quo sanguine delentur peccata et prauus eorum odor, et ideo petit Sacerdos vt sacrifici[illegible] cum odore suauitatis ascendat in conspectu Diuinæ Maiestatis, ac proinde oculis semper eleuatis, et ad Deum intentis.

Quarto dicit, Sus[illegible]pe sancte Pater, in [illegible] consistit forma oblationis, iuxta supra dict[illegible].

3 Si fuerint aliæ Hostiæ non super Patenam, sed super Corporale, vel in a[illegible]o calice seu vase pro Communione populi consecrandæ, calicem illum seu vas dextra discooperit, & intentionem suam etiam ad illas offerendas & consecrandas dirigens, dicit vt suprà, Suscipe, &c. vt in Ordine Missæ. Quo dicto, Patenam vtraque manu tenens, cum ea facit signum Crucis super corporale, & deponit Hostiam circa medium anterioris partis corporalis ante se, & patenam ad manum dexteram aliquantulum subtus corporale, quam extersо calice, vt dicetur, cooperit purificatorio. Si autem adsit vas, seu calix cum alijs Hostijs, ipsum cooperit alia patena, vel pa[illegible]a

Qvando præter hostiam maiorem consecrandæ sunt aliæ pro communicaturis, earum quoque fieri debet oblatio et dedicatio; cùm sint vera materia sacrificij: communiter autem reponi solent vel super Corporale, vel in Pyxide, non super Patenam; præsertim quando sunt multæ, et decidere possent in eleuatione, vel formatione signi Crucis. Pyxis autem super Corporale esse debet ante oblationem immediatè post Calicem, de quibus ritibus Castaldus in Praxi lib. 2. sect 14 capit. 7. nos hic præcipuos adnotabimus.

Primo ergo Sacerdos vas illud, seu Pyxidem discooperit, vt manifestius appareant oblationi præsentes; de præsentia autem materiæ consecrandæ in Altari, & quatenus ea requiratur ad sacrificium, dicemus 3. p. tit. 2. in dubijs sec. 2.

Secundo intentionem suam dirigat ad illas offerendas, et postea consecrandas; quia vis omnis tum oblationis, tum consecrationis ex intentione pendet, sicut etiam omnium humanorum actuum, quia actus agenti[illegible] m[illegible] operantur vltrá intentionem eorum, l. non omnis ff. si certum petatur: quod maxi[illegible]è vetum est in Sacramentis, de qua re fusè dic[illegible]mus 3. p. tit. 5. de defectu intentionis: quid autem agendum sit, si afferantur particulæ consec andę post factam oblationem hostię, dicemus in dubijs conscientię

Tertio dicto Suscipe sancte Pater, Sacerdos facit cum Patena signum Crucis super Corporale, vt per virtutem Crucis omnis conatus diaboli effugiat, innocentius lib. 2. cap. 58 et deponit hostiam super Corporale modo hic præscripto: Patenam verò aliquantulum subtus Corporale, et eam etiam cooperit Purificatorio, quod patet fieri ad cautelam, nè maculam aliquam contrahat, qua ratione cooperitur etiam Pyxis, seu Calix cum alijs hostis, ne quid decidat in illam.

4 Deinde in cornu Epistolæ accipit calicem, purificatorio extergit & sinistra tenens illius nodum, accipit ampullam vini de manu ministri, (qui osculatur ipsam ampullam, non autem manum celebrantis) & ponit vinum in calicem, producit signum Crucis super ampullam aquæ, & dicit, Deus qui humanæ substantiæ, & infundens parum aquæ in calice prosequitur, Da nobis per huius aquæ & vini mysterium. &c. Si vero celebrat pro Defunctis, non facit signum Crucis super aqua, sed imponit absque benedictione, dicens Orationem, vt supra.

FActa oblatione hostiæ, eaque super Aram & corporale collocata, sequitur vt fiat etiam oblatio alterius materiæ, nempè Vini.

Primo sacerdos accipit calicem, quem in cornu Epistolæ reposuerat, & sinistra tenens illius nodum, non quidem Purificatorio (vt minus aptè fit ab aliquibus); sed manu nuda; nam Purificatorio statim exterso calice, cooperitur patena vt supra dictum est, Et notat Castaldus in Praxi lib. 2. sec. 8. cap. 5. n. 3.

Secundo accipit Ampullam de manu Ministri, & ponit Vinum in Calicem, debet autem moderata vini quantitas infundi, quæ modicam aquam mox infundendam excedat; non autem ad gulam imponatur, vt fusè dicemus p. tit. 4. de Defectu Vini.

Tertio eodem modo tenens Calicem producit signum Crucis super Ampullam aquæ, & tunc dicit & non prius Deus qui humanæ substantiæ. Cur autem benedicatur aqua priusquam infundatur in Calice, non item vinum, Ratio est: quia vinum in Christi sanguinem transubstantiandum significat Christum, qui nulla indiget benedictione; Aqua vero populum, qui in hac vita nequit esse fine peccato, propter quod indiget benedictione Dei: vt reddatur dignus ad vnionem cum Christo. Item quia Populus vnitur cum Christo solum per benedictionem gratiæ ipsius Christi, quem Sacerdos benedicens figurat, vt latius explicat Durandus in rationali cap. 30. n. 21.

Quarto infundens parum aquæ in calice prosequitur, da nobis per huius aquæ & vini; nec antea proferenda sunt ea verba: cur autem parum aquæ infundatur, Ratio est: quia opus est vt absorbeatur à vino, vt possit conuerti in sanguinem Christi, cap. perniciosus de celebr. Missarum. Item in signum quod Ecclesia debet incorporari Christo, non Christus Ecclesiæ; vnde August. non tu mutaberis in me, sed mutabis me in te, Durandus supra, de qua re fusius in Dubijs Conscientiæ sec. 2. De Missis defunctorum, et ijs quæ omittuntur, vt hic omittitur benedictio aquę, dicemus in fine in proprio titulo.

5 Imposita aqua in calice, & finita Oratione prædicta, accipit manu dextra calicem discoopertum, & stans ante medium Altaris, ipsum ambabus manibus eleuatum tenens videlicet, cum sinistra pedem, cum dextera autem nondum infra cuppam, intentis ad Deum oculis offert dicens, Offerimus tibi Domine, &c. qua oratione dicta facit signum Crucis cum Calice super corporale, & ipsum in medio post hostiam collocat, & palla cooperit. Deinde iunctis manibus super Altare positis, aliquantulum inclinatus dicit secretò, in spiritu humiliatis &c. Postea erectus, eleuans oculos, manusque expandens, & statim iungens ante pectus (quod semper facit quando aliquid est benedicturus) dicit, Veni sanctificator &c. cum dicit, & benedic, signat manu dextra communiter super Hostiam, & calicem sinistra posita super Altare.

IPosita aqua in calice, & finita oratione Deus qui humanæ &c. redit Sacerdos ad medium Altaris &c.

Primo accipit Calicem manu dextera, non debet accedens ad medium, ipsum calicem deferre; sed postquam accessit debet dextera accipere calicem relictum in cornu Epistolæ vt notat Castaldus, id

colligens ex verbis Rubricæ in praxi lib. 2. sec. 8. cap. 5. n. 5.

Secundo ambabus manibus calicem eleuatum tenens, Eleuatum intellige vsque ad Pectus, vt supra dictum est de hostia; Ita vt summitas Calicis non excedat oculos, ad differentiam eleuationis quæ fit immediatè post consecrationem, Castaldus supra n. 7. intentis ad Deum oculis offert dicens, Offerimus tibi Domine &c. cur autem ambabus manibus, & intentis ad Deum oculis &c. patet ex dictis in simili de hostia vbi diximus, semper oculos debere hic esse ad Deum intentos.

Tertio collocat calicem post hostiam, ita vt hostia sit inter Sacerdotem, et Calicem; quia prius à Christo consecrata legitur hostia; quam sanguis, ob rationem supra insinuatam ordinis cibi, et potus, Et notat Durandus lib. 4. citato cap. 30. n. 23.; et Palla cooperit, potius ad cautelam, quam ob mysterium, Ex Micrologo cap. 10.

Quarto iunctis manibus etc. Dicit secreto In spiritu humilitatis etc. Ex verbis huius orationis colligitur Missæ adstantes debere cum Sacerdote concurrere ad oblationem, vt num. 1. dicebamus, et simul seipsos afferre Deo in spiritu humilitatis, et in animo contrito, in quo consistit præcipua oblatio eorum, quæ vltra materiam consecrandam fiunt á populo, Iuxta illud Psal. 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum etc. non enim offerens à muneribus, sed munera ab offerente placent, vt in hunc ritum Ex D. Gregorio notat Durandus supra n. 67.

Quinto, dicens veni sanctificator &c. signat manu dextera super oblata, vt virtute Crucis sanctificata maneant, & apta ad [illegible], & ad effugandam potestatem diaboli, [illegible] contra idem sacrificium aliquo modo prævalear, vt supra dicebamus nu. 3. ex Innocentio lib. 2. c. 58. Vide etiam Molfesium sum. tractat 3. cap. 11. num. 48.

6 Tum iunctis ante pectus manibus, accedit ad cornu Epistolæ, vbi stans, ministro aquam fundente lauat manus, idest, extremitates digitorum pollicis, & indicis, dicens Psalmum, Lauabo inter innocentes, cum Gloria Patri, &c. qui versus, Gloria Patri, prætermittitur in Missis Defunctorum, & in Missis de Tempore à Dominica de Passione vsque ad Sabbatum sanctum exclusiuè.

OBlatione peracta, Sacerdos lauat extremitates digitorum pollicis, & indicis recitans Psalmum 25. ab illis verbis, Lauabo inter innocentes &c: licet enim ante missam manus totas abluerit, nihilominus hac cæremonia significatur, ad offerendũ sacrificiũ, non solùm à grauioribus culpis, sed etiam a leuioribus Sacerdotem esse purgandum, vt docet D. Thom. 3. p. q. 83. art. 1. ad 5. Item vt si postea digitis, quibus debet Corpus Christi tangere aliquid adhæserit, expurgetur; vt tradunt etiam ex multis Doct. Suar. disp. 83. sec. 1. §. quarto & Molfesius supra num. 49. An autem totus psalmus absolui debeat in cornu Epistolæ, dicemus in dubijs sec. 3.

Notat etiam Castaldus in Praxi lib. 2. sec. 8. cap. 5. num. 8. quòd si in Altari sit expositum Sanctissimum Sacramentum, celebrans extra Altare manus lauat, ex rubricis proprijs missæ Feria 6. Parasceue, insuper aduertendum, quãdo in missis Defunctorum prætermittitur Gloria Patri, non esse dicendũ illius loco Requiem æternam, quia nullibi id habetur in rubricis, nec potest quicquam addi proprio arbitrio, vt etiam notat Gauantus in hanc rubricam.

7 Celebrans lotis manibus eas tergit; & illis ante pectus iunctis reuertitur ad medium Altaris, vbi stans, oculosque ad Deum eleuans, & statim demittens, manibus iunctis super Altare aliquantulùm inclinatus dicit secretò Orationem, Suscipe sancta Trinitas, &c. Qua dicta, manibus hinc inde extensis, & super Altare positis, osculatur illud in medio: tum iunctis manibus ante pectus, demissisque oculis ad terram, à sinistra manu ad dexteram vertit se ad populum, & versus eum extendens & iungens

manus

manus, dicit voce aliquantulum clara, Orate fratres, & ſecretò proſequens, vt meum ac veſtrum ſacrificium, &c. perficit circulum, reuertens iunctis manibus ante pectus à manu dextra ad medium Altaris. Et reſponſo à miniſtro vel à circumſtantibus, Suſcipiat Dominus ſacrificium de manibus tuis, &c. (alioquin per ſe ipſum, dicens, Sacrificium de manibus meis) ipſe celebrans ſubmiſſa voce dicit, Amen; & manibus ante pectus extenſis, vt fit ad Orationem ſtans in medio Altaris verſus librum dicit abſolutè ſine Oremus, & ſine alia interpoſitione. Orationem, vel Orationes ſecretas. Cum dicit, Per Dominum, iungit manus: cùm dicit Ieſum Chriſtum, caput inclinat, quod facit in prima Oratione, & in vltima, ſi plures ſint dicendæ.

POſt digitorum ablutionem reuertitur Sacerdos ad medium Altaris, vbi tanquam in parte nobiliori ſtans recitat & peragit omnia, quæ proximius pertinent ad ſacrificium, nempè vſque ad factam communionem, & primo dicit ſecretò orationem, Suſcipe ſancta Trinitas. Facta oblatione, ſeu dedicatione materiæ maximè procurat Sacerdos, vt tam ſalubre ſacrificium mox in conſecratione offerendum non reddatur nobis infructuoſum ob defectum deuotionis requiſitæ: & quidem requiritur etiam deuotio totius populi, pro quo offertur ſacrificium, vt docet D.Tho.3.p.q 83. art 4 ad 5. ſed potius proficiat Sanctis ad honorem, & nobis ad ſalutem; quod hic à Sanctiſſima Trinitate enixè poſtulat, vt ex D.Dionyſio, Auguſ. Innocentio, & alijs explicat Molfeſius ſum.tract.3 cap.11.n.50.

Secundo, vertens ſe ad populum dicit, Orate Fratres, inuitans populum ad pariter orandum in eundem finem fructus vberrimi tanti ſacrificij, vnde reſpondet populus, & eius nomine miniſter, Suſcipiat Dominus ſacrificium ad laudem & gloriam nominis ſui, ad vtilitatem quoque noſtram &c. ſicut ex Innoc Alcuino, Gabriele, & D.Thom. explicat Molfeſius ſupra num.51.

Tertio, dicit orationes ſecretas, quibus hoc idem petitur vt ſacrificium ſit Deo acceptum & nobis ſalutare. Dicuntur verò ſecretò ad indicandum Chriſti ſilentium, & ſecretam orationem in horto, vt ex D.Thom ſupra. & alijs explicant Suar.diſp.83. ſec.1. §.quarto, & Molfeſius ſupra, & ſupra etiam diximus p.1. tit.12. num.1.

Ritus verò ſeruandi à celebrante in omnibus prædictis exactiſſimè deſcribuntur in ipſa rubrica, & eorum ſignificatio patet ex ſupradictis in ſimilibus. Solùm aduerto quando Sacerdos vertens ſe ad populum dicit, Orate Fratres, eum non reuerti per eandem viam, ſeu per eam partem, quæ reſpicit cornu Epiſtolæ, ſed perficere circulum, & reuerti per eam partem quæ reſpicit cornu Euangelij, ad indicandam fructum ſacrificij diſtribuendum præcipuè ſuper Eccleſiam ex gentibus coadunatam, quæ per cornu Euangelij ſignificatur, vt alias diximus. Idcirco dum fit oratio vt ſacrificium ſit proficuum, vertit ſe Sacerdos ad cornu Euangelij; Alia myſteria explicat Durandus in rationali lib.4.cap.14.

8 Perueniens autem in concluſione vltimæ Secretæ ad verba illa, Per omnia ſæcula ſæculorum, excluſiuè, Sacerdos ſtans in medio Altaris, depoſitis ſuper eo manibus hinc inde extenſis, dicit conuenienti & intelligibili voce Præfationem. Cùm dicit, Surſum corda, eleuat manus hinc inde extenſas vſque ad pectus, ita vt palma vnius manus reſpiciat alteram. Cùm dicit, Gratias agamus Domino, iungit manus. Cum dicit, Deo noſtro, oculos eleuat, & ſtatim cruci caput inclinat. Reſponſo, Dignum & iuſtum eſt, eleuatis, & extenſis vt prius manibus proſequitur Præfationem, propriam, vel communem, vt tempus requirit. Cùm dicit, Sanctus, iunctis ante pectus manibus, & inclinatus, voce mediocri proſequitur;

mini-

ministro interim paruam campanulam pulsante. Cùm dicit, Benedictus qui venit in nomine Domini, &c. erigit se, & signum crucis sibi producit à fronte ad pectus.

Sequitur præfatio, de qua diximus p. 1. tit. 12. num 2. Cuius principium est finis orationum secretarum, videlicet. Per omnia secula seculorum, ob rationem ibidem explicatam. Nonnulla etiam hic breuiter adnorabimus, præsertim circa Ritus in ea seruandos.

Primo, Sacerdos stans in medio Altaris, & positis super eo manibus. Manus super Altare designant exercitium bonorum operum; qui bus sibi aditum iacit ad perfectam sacrificij oblationem, Durandus in rationali lib. 4. cap. 32.

Secundo dicit intelligibili voce, Per omnia secula seculorum. Soluitur hic silentium, & clara voce proferuntur Christi laudes, ad significandum solemnem eiusdem Christi ingressum in Hierusalem cum acclamationibus puerorũ post eius solitudinem & silentium in Ephrem, Durandus supra num. 9.

Tertio dicit Dominus vobiscum, vt excitet populum ad maiorem deuotionem ergà sacrificium, non tamen se vertit; quia totus est intentus ad Altare & proximum sacrificium; Amalar. lib. 2. cap. 9

Quarto, inuitat omnes ad erigendum cor, & mentem in Deum, dicens Sursum corda quod etiam gestu indicat, & suadet, eleuans simul manus vsque ad pectus, Suar. disp. 84. t. 3. in 3. p. sec. 1. circa principium.

Quinto addit, Gratias agamus &c vt omnes simul cum celebrante benedicant, & laudent Christum, qui benedictus venit in nomine Domini, & eodem tempore iungit manus; & statim Cruci caput inclinat, quæ omnia sic fieri præscribuntur, vt actiones sint loquutioni conformes; qua ratione absque alia mystica significatione nonnulli ritus huiusmodi ordinantur in his Rubricis, vt probat Suar. disp. 84. citata sec. 1.

Sexto responso, Dignum & iustum est, prosequitur Celebrans Præfationem, quam concludit Angelorum trisagio Sanctus &c. ministro interim campanulam pulsante ad excitandum adstantium animos ad proxima mysteria, ex Amalar lib. 3. cap. 1. & Ruperto lib. 1. cap. 16. Vide plura apud Molfesium supra n. 54.

Septimo cùm dicit Benedictus, qui venit, &c. Signum Crucis sibi producit, quo profitetur se recipere signum Christi, qui triumphauit per Crucem; Gemma lib. 1. cap. 42.

9 In Missa solemni dicto Oremus, Diaconus & Subdiaconus accedunt ad Altare in cornu Epistolæ. Diaconus amouet Calicem, si est in Altari, vel, si est in Credentia, vt magis decet, accipit eum de manu Subdiaconi, qui illum cum Patena & Hostia, coopertum palla & velo à collo sibi pendente, manu sinistra tenens, & alteram manum superponens velo, ne aliquid decidat, de Credentia detulit, comitatus ab Acolyto ampullas vini & aquæ portante: ipse Diaconus Calicem detegit & dat Patenam cum hostia Celebranti, osculando eius manum: Subdiaconus extergit Calicem purificatorio. Diaconus accepta ampulla vini de manu Subdiaconi, imponit vinũ in Calice, Subdiaconus interim ampullam aquæ ostendens Celebranti, dicit, Benedicite Pater reuerende, qui facto versus eam signo Crucis, dicit Orationem, Deus qui humanæ, &c. interim Subdiaconus infundit paulum aquæ in Calicem, Diaconus illum Celebranti dat, & pedem Calicis tangens, seu brachium dextrum Celebrantis sustentans, cum eo dicit, Offerimus tibi Domine, &c. quem postea positum in Altari vt suprà, palla cooperit. Subdiacono deinde stanti in cornu Epistolæ ponit in dextera manu Patenam, quam cooperit extremitate veli ab eius humero pendentis, qui vadit post Celebrantem ante medium Altaris & facta genuflexione ibi stat, sustinens eam eleuatam vsque ad finem Orationis Dominicæ, vt

vt dicetur. In Missis autem Defunctorum, & in Feria sexta Parasceues Patena non tenetur à Subdiacono.

PRimo Diaconus Calicem detegit, & dat Patenam cum hostia celebranti, ex cap. Presbyteros dist. 1. & cap. perlectis dist. 25. ad notandum quod per Euãgelicam traditionem quam Diaconus figurat, Ecclesia & Sacerdos peruenit ad solemnem ritum sacrificij Eucharistici: quia lex, quæ per Subdiaconum significatur, idem sacrificium solummodo præfigurauit, Durandus in Rationali, lib. 4. cap. 30. num. 17.

Secundo Diaconus imponit vinum in Calice, & Subdiaconus infundit aquam, ob mysterium de quo dicemus in sensu mystico.

Tertio Diaconus offert cum celebrante calicem, & cum eo dicit offerimus &c. quia non solùm Christus se ipsum Deo Patri obtulit, verum etiam per Euangelium suum, cuius Diaconus est figura & Baiulus, huius sacrificij ritũ instituit, & Ecclesiæ offerendum præcepit, & ideo participat Sacerdoti in Calicis oblatione: Hostiam tamen solus Sacerdos offert ob aliud mysterium, quia Christus seipsum in Ara Crucis obtulit desertus à Discipulis, Durandus loco supra cit.

Quarto, datur Patena Subdiacono, & cooperitur extremitate veli: quia mysteria diuinæ gratiæ per Patenam significata, occulta & velata continebantur in lege veteri, quæ à Subdiacono repræsentatur: postea verò à Diacono, in quo denotatur Euangelium, reuelantur & manifestantur, Hugo Victorinus de officio Eccles. lib. 2. cap. 23.

10 Dicto, Veni sanctificator, vt suprà, Celebrans ministrante Diacono nauiculam, & dicente, Benedicite Pater reuerende, ponit incensum in Thuribulum, dicens, Per intercessionem, &c. vt in Ordine Missæ. Deinde accepto Thuribulo per manum Diaconi, nullam tunc faciens Cruci reuerentiam, incensat oblata, ter ducens Thuribulum super Calicem & Hostiam simul in modũ Crucis, & ter circum Calicem & Hostiam, scilicet bis à dextra ad sinistram, & semel à sinistra ad dextram (Diacono interim pedẽ Calicis tenente manu dextrà) dispensans verba in qualibet incensatione hoc modo, in prima incensatione, Incensũ istud, In secunda, à te benedictũ, In tertia, ascendat ad te Domine. In quarta, & descendat super nos. In quinta & sexta, misericordia tua, Deinde facta reuerentia, incensat Crucem & Altare, vt dictum est suprà, assistente eodem Diacono, interim dicens, Dirigatur Domine oratio mea, &c. & cum incensatur Crux, Diaconus amouet Calicem ad partem Epistolæ, & incensata Cruce reponit in loco suo. Cùm reddit Thuribulum Diacono, dicit, Accendat in nobis, &c. Et incensatur ab eo: deinde Diaconus incensat chorum & postremò Subdiaconum tenentem Patenam, & ipse Diaconus incensatur á Thuriferario, & Thuriferarius posteà incensat Acolythos & populum, Celebrans postquam incensatus fuerit, lauat manus, ministrantibus Acolythis ampullam aquæ cum peluicula & manutergio.

DE Thurificatione Altaris satis diximus supra tit 4 nu. 4. solum hic addimus in hac secunda thurificatione, Primo loco incensari oblata, eadem ratione qua tit. 4. citato diximus cum D. Th. incensari Altare. Nam sicut per Altare significatur Christus; ita etiam, & quidem expressius per oblata in Christi corpus, & sanguinem conuertenda: & idcirco sicut in thurificatione Altaris per odorem, qui indè emanat, significatur effectus gratiæ, qui a Christo deriuatur ad fideles: Ita in hac thurificatione qua incensantur Oblata, per odorem inde emanantem significatur effectus vberrimus gratiarum ex sacrificio prouenientium,

in

in quo Christus est hostia. Ducitur autem Thuribulum. Primo per modum Crucis: quia fructus gratiarum huius sacrificij Incruenti à Sacrificio Crucis, tanquam a fonte proueniunt. Secundo etiam ter ducitur circumcirca à dexteris, & à sinistris, vt indicetur nos vsquequaque adiuuari virtute Sacrificij in prosperis & aduersis, quæ omnia consonant doctrinæ D. Th. supra citatæ art. 4. quem sequuntur Suar. & alij communiter. Plura etiam videri poterunt de hac secunda thurificatione apud Durandum in rationali lib. 4. cap. 31. qui alia minutiora explicat.

11 Cùm dicitur Præfatio Diaconus, & Subdiaconus stant retro post Celebrantem: & paulò antequam dicatur Sanctus, accedunt ad Altare, vbi cum Celebrante hinc inde dicunt Sanctus, & quæ sequuntur vsque ad Canonem, Deinde Diaconus accedit ad sinistram Celebrantis, ei assistens dum dicitur Canon, nisi alius Sacerdos assistat, quia tunc ipse staret ad dexteram aliquantum post Celebrantem. Subdiaconus verò tunc stat post Celebrantem.

Ecclesia sperans sociari Angelis & Archangelis, de quibus in Præfatione mentio facta est, Angelorum voces imitatur in fine eiusdem præfationis, dicens Sanctus &c. Quare totus Chorus, qui repræsentat Ecclesiam canit dictum Angelicum hymnum, ita Durandus Rationali, lib. 4 cap. 34. num. 1. & multis alijs cit. Molfesius tract. 3. cap. 11 n. 54.

Secundo Diaconus, & Subdiaconus accedunt ad Altare, vbi cum celebrante submissa voce eumdem hymnum pronuntiant. Vbi notandum ex eodem Durando n. 20. quod hic hymnus partim Angelorum, partim hominum verba complectitur; legitur enim Isaiæ 6 quod Seraphim clamabant alter ad alterum Sanctus Sanctus, Sanctus &c. Plena est omnis terra &c. hoc autem ad Diuinitatis arcanum pertinet, Cetetum ea quæ sequuntur O' Sanna, & Benedictus qui venit in nomine Domini, voces sunt hominum, Matthæi 21. & Marci 11. quæ ad mysterium incarnationis Filij Dei referuntur. Concurrunt ergo ad huiusmodi laudes & Angeli, & homines; & canentes in choro homines repræsentant, celebrans vero cum ministris ad Altare denotant Angelos: & quoniam voces Angelorum non sunt nobis sensibiles, ideo celebrans cum ministris secreto hymnum pronuntiant. Econtra alij in choro alta voce canunt, vt omni quo possunt obsequio Dei laudes persoluant, & populum audientem ad denotionem excitent, in quem finem, etiam sonus Organi adiungi solet, Vide Durandum supra num. 10.

Tertio Benedictus qui venit &c. non cantatur à Choro, nisi post consecrationem, & eleuationem, ex cærem. Episcop. lib. 2. cap. 8. quia laus illa addita fuit post Christi incarnationem, & Aduentum in hunc mundum & Idcirco expectatur realis Christi præsentia in hoc, Sacramento, Castaldus in praxi lib. 2. sec. 9. cap. 1. num. 20. Quia tamen hic ritus non præscribitur in Missali, & cæremoniale loquitur de missis sollemnibus celebrante Episcopo, non sunt damnandi, qui illud canunt ante consecrationem absente Episcopo.

SENSVS MYSTICVS.

Oblationis Hostiæ, & Calicis:

Sacerdos in æternum Christus Dominus secundum ordinem Melchisedec Panem & vinum obtulit, & benedixit antequam consecraret. ad cuius imitationem Ecclesia præscribit vt materia consecranda in Missa, prius multiplicitet disponatur ad ipsam consecrationem, & Primo fit oblatio, seu dedicatio panis, & vini. Cur autem Panis, & vinum sint materia remota huius sacrificij incruenti, Ratio est quia eodem sacrificio paratur nobis spirituale conuiuium, nempè Sacramentum Eucharistiæ sub accidentibus Panis, & vini: vt ex materiali & sensibili corporis alimento spiritualem cibum, & potum animæ intelligeremus, idest perfectam animæ refectionem: vt docet D. Th. 3 p. q. 74. art. 1 quem sequuntur communiter DD.

Item sicut Panis conficitur ex multis granis, & vinum ex multis racemis; Ita medianre hoc Sacramento multi fideles fiunt cor vnum, & anima vna, D. Thom. loco supra citato, & communiter.

Secundo admiscetur Vino parum aquæ, Ita vt aqua conuertatur in vinum, vel absorbeatur à Vino: quia aqua significat populum, & vino repræsentatur sanguis Christi Domini, eiusque virtus: vnde hac cæremonia denotatur vnio

vnio populi fidelis cum suo capite Christo virtute huius Sacramenti, & sanguinis Christi, vt explicat Trid. sess. 22. cap. 7.

Tertiò in missa solemni Diaconus infundit vinum in Calice, & Subdiaconus aquam; quia Diaconus repræsentat Prædicatores Euangelij, per quos disseminatur virtus sanguinis Christi in corda fidelium, & idcirco munus etiam Diaconi olim erat distribuere sanguinem Christi communicantibus; Subdiaconus significat Ioannem Baptistam, qui baptizabat in aqua solum, non in Spiritu Sancto, & populos significatos per aquam mittebat ad Christum, vt cum illo vnirentur: Videri potest Durandus in Rationali lib. 5. cap. 3. n. 18. quamuis aliter ille explicet hanc mixtionem faciendam per Sacerdotem, vt fit in missis priuatis, & quoad Missam solemnem antiquitus diuersus ritus erat in vsu. De mystica significatione aliorum rituum sparsim diximus in explicatione literæ.

DVBIA CONSCIENTIÆ

SECTIO I.

De Oblatione materiæ consecrandæ.

DVBIVM I.

An Omissio Oblationis, siue hostiæ, siue Calicis sit peccatum mortale.

RESpondeo affirmatiuè Probatur, oblatio tum hostię, tum calicis est ritus grauis, & consequenter materia grauis pręcepti Pij V. in Bulla Missalis: ergo eius ommissio est peccatum mortale, vt patet ex dictis q. Procemiali sec. 3. punc 2. cum DD. ibi citat. Vide Auersam de sacrificio q. 11. sec. 12. §. quinto alij, & Tambur opusc. de sacrif. lib. 2. cap 5. §. 2 n. 7.

Ratio vero cur Ecclesia hunc ritum instituit sub graui pręcepto, assignari potest; quia videtur inconueniens ad Sacramentorum administrationem admittere materiam merè prophanam, quin prius sacris ritibus, & benedictionibus disponatur, & reddatur aliquo modo sacra, & proportionata formæ Sacramentali: cum etiam in naturalibus præcedere debeant in materia aliquæ dispositiones ad vltimam formam nobiliorem; ergo sicut materia remota aliorum Sacramentorum communiter benedictionibus præparatur & disponitur, antequam ipsis Sacramentis deseruiat, vt patet in Baptismo, Confirmatione, extrema Vnctione &c. Ità multò magis oportuit, vt materia remota Sacramenti Eucharistiæ, quod est omnium augustissimum prævia oblatione & alijs sacris ritibus disponeretur ad consecrationem, quæ est vltima forma, & omnium sacratissima.

Dicetis, Ecclesia contenta est vt in aliquibus casibus fiat oblatio mente solum concepta, E. g. quando Sacerdos ante, vel post consecrationem aduertit Hostiam non esse triticeam, & alia hostia consecrari debet; Ergò hic ritus præmittendi oblationem materiæ consecrandæ non cadit sub graui præcepto: Probatur consequentia: quia ea oblatio mente concepta dici non potest quod cadat sub præcepto cùm sit actus merè internus, qui non potest ab Ecclesia præcipi: Antecedens verò patet ex Rubricis de defectibus tit. 3. de defectu Panis, & tit. 4. de defectu vini.

Respondeo negando consequentiam, ad probationem dico Ecclesiam non præcipere illum actum merè internum; sed eo posito & non aliter suspendit præceptum oblationis externę & vocalis. Ceterum eo non posito remanet in suo vigore præceptum faciendi oblationem sensibilem, & externam. Ecclesia ergo suspendit illud pręceptum ad vitandum scandalum, vel aliud incommodum, quod ex mora tunc posset oriri; sed omninò requirit aliquam oblationem, saltem mente conceptam. Imò ex dictis rubricis colligitur hunc ritum oblationis esse grauissimum: quia Ecclesia etiam in illis angustijs, & in casu necessitatis omninò requirit oblationem, quamuis concedat vt fieri possit actu interno modo explicato. Quod si non possit fieri vocalis oblatio absque scandalo vel graui incommodo, cessat in eo casu pręceptu oblationis; non simpliciter, & extra talem casum.

DVBIVM II.

An si facta oblatione afferantur Particula pro Communione Populi, possint consecrari absque noua oblatione.

PRima sententia sustinet, tunc non esse cõsecrandas particulas, neque faciendam esse nouam oblationem earum.

Probatur: quia ex vna parte non potest licitè consecrari materia non disposita per oblationem, ex dictis in superiori dubio: ex altera verò parte, non potest nec congruè, nec licitè fieri oblatio extra tempus & locum pro-

prium, ne perturbetur debitus ordo Missæ & connexio quam ad inuicem habent eius partes: ergo particulæ allatæ post oblationem hostiæ non debent consecrari; sed relinqui vt consecrentur in alia Missa. huic opinioni fauet Bonacina de Sacr disp. 4. q. vl punc. 2. n. 6.

Secunda sententia extremè opposita docet, posse licitè consecrari, & omitti earum oblationem. Probari potest, quia sufficit oblatio hostiæ grandioris, cui particulæ allatæ sunt accessoriæ, & moraliter participant eandem oblationem, hanc sententiam sequitur Possevinus de officio Curati cap. 2. n. 2.

Tertia sententia media & communis docet licitè consecrari posse præmissa tamen oblatione mentali seu mente concepta. Probatur quia sic ponitur substantia oblationis; & ordo Missæ nequaquam turbatur, Ita Diana p. 2. tract. 14. res. 71. & iterum p. 6. tract. 6. res. 7. vbi citat Gauantum Marchinum, Megalium, & alios, sequitur Auersa q. 11. de sacrif. sec. 11. § quinto alij, & Tambur. Opusc. de sacrif. lib 2. cap. 5. §. 2. num. 6.

Respondeo, & dico primo absque rationabili causa non est licitum eas consecrare, quamuis si consecrentur etiam absque noua oblatione; id non excederet culpam venialem. Prima pars probatur fundamento primæ sententiæ, neque enim satisfit præcepto Eccl siæ oblatione mentali: quia præceptum est de oblatione verbali, neque hic casus excipitur in rubricis, aut a nobis excipi potest sine rationabili causa, videlicet si absque vllo incommodo differri potest earum consecratio in aliam Missam.

Secunda pars probatur argumento secundæ sententiæ, quod rectè probat hoc excusari à peccato mortali, quia simpliciter non omittitur oblatio absolutè præcepta hostię grandioris. Ceterum quia omittitur secundum quid, eo quia illa oblatio non extenditur ad particulas absentes, idcirco dicimus incurri peccatum veniale, cum absque rationabili causa, & consequenter non sine indecentia consecretur pars materiæ non disposita per oblationem, vt magis patebit ex secunda Conclusione.

Dico secūdo ex iusta & rationabili causa possunt licitè, & absque vllo peccato cōsecrari dictæ particulæ præmissa tamen oblatione solamente concepta: hanc conclusionē probat fundamentū tertiæ sententiæ; quæ merito ad vitandum peccatum veniale requirit oblationē mente conceptam: non quia ab Ecclesia præcipiatur actus merè internus; sed quia cum possit ita suppleri oblatio quoad substantiam ex rubricis citatis dub. 1. tenetur Sacerdos sub veniali saltem eo actu interno præparare materiam consecrandam, ad vitandam indecentiam, quæ oritur ex materia carente prædicta dispositione ad consecrationem requisita.

Petetis, quæ sit causa rationabilis consecrandi dictas particulas cum sola oblatione mentali.

Respondeo non requiri causam grauem: sed satis esse commoditatem communicaturi, vel si id fiat ad vitandam perturbationem Sacristiæ, vel alterius, qui tardè particulas attulit, Ita Tambur. supra citatus.

Quæ autem mora permitti possit post oblationem hostiæ grandioris ad offerendas mentaliter huiusmodi particulas, vt licitè consecrari possint, dicemus dubio sequenti.

DVBIVM III.

Quousque admitti possint à celebrante noua Particulæ consecrandæ allatæ post oblationem hostiæ grandioris.

Certum est non posse iterum consecrari alias hostias, vel particulas semel facta consecratione alterius hostiæ in missa: quia vnum sacrificium quod offertur in vnica Missa non est capax nouæ consecrationis, & nouæ formæ substantialis: quia per nouam consecrationem inciperetur nouum & distinctum sacrificium, quod tunc fieri non potest, quæstio est ergo de alijs partibus Missæ ante consecrationem, in qua parte Missæ admitti possint nouæ particulæ consecrandæ.

Prima sententia sustinet posse admitti vsque ad præfationem exclusiuè, videlicet posse celebrantem accipere consecrandas eas formulas, quæ deferuntur ante cœptam præfationem; secus verò post cœptam præfationem.

Probari potest: quia vsque ad initium Præfationis durat moraliter oblatio materiæ consecrandę, & non vltra; ergo vsque ad initium præfationis & non vltra potest afferri noua materia, vt possit fieri apta, & pręparari ad consecrationem mediante oblatione saltem mentali, alias excludi debet: quia non est vltra tempus offerendi. Antecedens probatur quia omnes orationes, quæ dicuntur vsq; ad initium pręfationis pertinent ad oblationem, quibus petitur vt dignetur Deus eam acceptare, quod etiam fit in orationibus secretis immediate ante præfationem: ergo omnes sunt veluti complementum oblationis, & in eis durat moraliter eadem oblatio: hanc opinionem tenent Auersa supra citatus, Gauantus in Rubr. Missalis. p. 3. tit. 10. n. 19. & Diana p. 2. tract. 14. resol. 71.

Secun-

Secunda sententia docet admitti posse ad consecrandum, etiam si deferantur particulæ completa præfatione, sed ante consecrationem vt possint consecrari simul cum hostia principali.

Probatur quia cum sufficiat oblatio mentalis illarum post oblationem verbalem hostiæ principalis, nec vlla lex præscribat oblationem istam mentalem esse faciendam ante præfationem: non apparet, cur non possint etiam post præfationem offerri.

Confirmatur, nam quando ob aliquem defectum in alijs casibus facienda est oblatio mentalis nouæ hostiæ consecrandæ, ea fieri præscribitur in qualibet parte Missæ in qua aduertitur defectus, vt patet ex rubricis de defectibus tit. 3. & 4. Ergo in casu nostro potest fieri post præfationem, et ante consecrationem. Hæc sententia magis postea placuit Dianæ p. 6 tract. 6 res. 7. citans pro ea Marchinum et Megalium, et eandem tenet Tambur. dub. præcedenti citatus.

Respondeo et dico primo quamuis hæc secunda sententia sit satis probabilis et ad vitandum aliquod grauius incomodum deducenda in praxim, quatenus extendit eam licentiam ad præfationem inclusiuè, Nihilominus prima sententia videtur probabilior, et magis conformis ritui missalis, vt patet ex eius fundamento, vnde communiter ei adhærendum in praxi.

Nec obstat id quod adducitur ex rubricis de defectibus, in quibus agitur de noua consecratione facienda, quando prior fuit inualida, vel de cauendo aliquo graui defectu, quod non militat in casu nostro.

Dico secundo non debent admitti nouæ particulæ ad consecrandum si deferantur ad Altare coepto iam canone, nec placet secunda opinio si hoc velit vt possint consecrari etiam si deferantur in progressu Canonis, quamuis ante consecrationem.

Probatur 1 quia Canon est proxima dispositio ad consecrationem quoad partes, quæ eam precedunt; & in canone censetur incœptum moraliter sacrificium: ergo necessario debet tunc esse præsens in Altari materia consecranda, ne aliquo modo quoad materiam absentem sit imperfectum idem sacrificium. Antecedens probatur: quia et si non omnes partes Canonis (consecratione seclusa) pertineant ad essentiam sacrificij, Nihilominus sunt partes proximiores, et magis necessariæ ad substantiam sacrificij, quam aliæ extra Canonem, vt constat ex communi DD. sensu qui valde rigorosè loquuntur de verbis canonis, et damnant peccati mortalis omittentê septem vel octo verba illius, vel etiam pauciora.

Dicetis fieri posse vt occurrat grauis necessitas communicandi moribundum, nec expectari posse aliam missam ad consecrandas formulas pro eo; ergo saltem in hoc casu consecrari poterunt particulę etiam delatæ cœpto iam canone.

Respondeo in hoc casu fore magis expediês si reseruetur à celebrante pars suæ hostiæ: quia in hoc vel nullum vel minus est inconueniens, quam in consecratione particulæ tam sero delatæ. An autem in alijs casibus possit à celebrante dari pars hostię propriæ communicare volentibus, dicemus, infra tit. 10. Cum agemus de communione fidelium.

DVBIVM IV.

An debeat fieri noua Oblatio Calicis, si oblatus primo fuerit sine Aqua.

Certum est si non fuit apposita aqua suo tempore in calice, eam postea esse apponendam ante consecrationem, vt sectione sequenti dicemus: solum hic quærimus, An apposita Aqua post oblationem, sit facienda noua oblatio.

Ratio dubitandi sumi potest ex rubricis de defectibus tit. 4. n. 3 Vbi sic habetur, si celebrans ante consecrationem sanguinis aduertat aut vinum aut aquam &c. non esse in Calice, debet statim apponere &c. & facta oblatione consecrare, ergo etiam si sola aqua defuerit, ea apposita debet fieri noua oblatio.

Respondeo, & dico primo quando sola aqua defuit, & oblatio vini præcessit, non est facienda noua oblatio post aquæ infusionem.

Probatur primo quia materia sanguinis, quæ mediante oblatione præparari debet in ordine ad consecrationem, propriè, & per se est vinum: ergo facta oblatione vini non requiritur noua oblatio. Deinde aqua modica mixta vino fit vnum continuum cum eo vino & imbibibit omnes eius conditiones, etiam morales: ergo per mixtionem cum vino censetur sufficienter pręparata ad consecrationem, consequenter non requiritur alia dispositio, vel oblatio.

Confirmatur a pari, nam si oleo benedicto admisceatur modica portio olei non benedicti totum censetur benedictum, & aptum ad Sacramenti administrationem: ergo pariter in casu nostro.

Probatur secundo ex Rubricis citatis n. 7. vbi sic habetur, sic celebrans ante consecrationem

Calicis aduertat non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, & proferat verba consecrationis: Ex quibus verbis manifeste colligitur, non esse premittendam oblationē: ergo quod supra dicebatur num 3. de pręmittenda oblatione intelligitur in casu, quo non fuisset appositum vinum, vel neutram materiam, tunc enim apponendum est vinum cum aqua, & facta oblatione deueniendum est ad consecrationem, vt patet ex contextu: Ex quibus patet responsio ad rationem dubitandi.

SECTIO II.

De mixtione aquæ cum vino consecrando &c.

DVBIVM I.

An ad Eucharistiam requiratur, vt vinum consecrandum sit mixtum cum aqua.

RESpondeo, Certum esse de fide in hoc mysterio ante consecrationem debere aquā infundi in Calicem, & vino misceri, ita declarat Conc. Trid. sess. 22. cap 7. & Can. 9. et ex alijs Concilijs & innumeris Patribus. Probat late Bellarminus lib 4. de Euchar. cap. 10. Suar. disp. 45 sec. 2 Vasq. disp. 176. cap. 1 & communiter expositores D. Thom. 3. p. q. 74. artic 6 & sequentibus, vbi Sanctus Doctor hanc materiam tractat.

Rationes explicat sacrum Conc. Trid. cap. 7. citato his verbis, Tum quod Christum Dominum ita fecisse tradatur, Tum etiam quia è latere eius aqua simul cum Sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur, & cum aquæ in Apocalypsi Beati Ioannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo Vnio repręsentatur: hæc Trid.

DVBIVM II.

An mixtio aquæ cum vino consecrando sit de necessitate Sacramenti, an solum de necessitate præcepti.

PRima opinio Armacani lib. 9. de quæstionibus Armenorum cap. 9. sustinet esse de necessitate Sacramenti, & requiri ad valorem consecrationis.

Probatur primo ex cap. non oportet. ex cap. cum omne crimen, & alijs de consecr. dist. 2. in quibus significatur pari modo requiri aquam, & vinum, & sicut ad consecrationem corporis requiruntur simul farina & aqua copulare; sic ad consecrationem sanguinis requiri simul vinum, & aquam Permixta.

Probatur secundo, quia Christus consecrauit vinum aqua permixtum ex communi sensu Ecclesiæ: Ergo vinum aqua permixtum & non alio modo est materia huius consecrationis. Probatur consequentia: quia materias Sacramentorum non possumus colligere nisi ex institutione, & facto Christi.

Probatur tertio, seclusa aqua non manet eadem significatio, ergo nec idem Sacramentum. Consequentia patet: quia de essentia Sacramenti est talis significatio; Antecedens probatur: quia seclusa aqua non significatur vnio Ecclesiæ, seu populi fidelis cum Christo.

Vera tamen & Catholica sententia est, aquā non requiri ad valorem consecrationis, nec esse de necessitate Sacramenti; sed solùm de necessitate præcepti, atque adeo si solum vinū consecretur validam fore consecrationem, ita D. Thom. q. 74. art 7. & ibi omnes expositores, & Doct cit. dubio præced.

Probatur primo, Conc. Triden. loco supra cit. Floren & alia non dicunt aquam esse materiam Sacramenti; sed materiam esse vinum, cui misceri debet aqua ex consuetudine Ecclesiæ.

Probatur secundo, ex traditione Ecclesiæ, quæ simpliciter docet vinum esse materiam sufficientem, ergo Christus non instituit hanc cæremoniam vt essentialem: plura enim Christus & dixit, & fecit, benedixit, fregit &c quæ non pertinent ad essentiam sacrificij, vel Sacramenti, sed ad ritum accidentalem, et ex traditione Apostolorum Ecclesia declarat quæ sint essentialia, quæ vero non item. Superest ergo vt hæc mixtio aquæ sit de necessitate præcepti, vt magis patebit ex dicendis dub. sequenti.

Ad opposita respondetur ad primum Canones citatos comparationem facere inter vinū et aquam in hoc, quod vtrumque est necessarium, non tamen in eodem gradu necessitatis; sufficit ergo si aqua sit de necessitate præcepti, vt docet D Thom. quæst. 74. artic. 7. et communiter.

Ad secundum negatur consequentia, alioquin etiam panis azymus esset de necessitate Sacramenti, quod est falsum; Standum est ergo traditioni, et declarationi Ecclesiæ, vt supra dicebamus.

Ad tertium distinguo antecedens, non manet eadem significatio essentialis nego, Accidenta-

dentalis concedo: huius tamen defectus non est contra essentiam Sacramenti. Adde significationem vnionis Ecclesiæ cum Christo potius haberi per vsum Sacramenti, & in actu primo in ipso Sacramento, quatenus institutum est per modum nutrimenti spiritualis animarum.

DVBIVM III.

An mixtio aquæ cum vino sit necessaria ex præcepto diuino, vel solum ecclesiastico.

PRima sententia sustinet esse de præcepto diuino. Probatur: quia Christus præcepit vt Sacerdotes facerent, quod ipsemet fecit Cum dixit, Hoc facite in meam commemorationem: sed ipse consecrauit vinum aqua mixtum, ergo &c. Ita Alensis, Castro, & alij, quos citat, & sequitur Valentia de Euchar. disp. 6. q. 2. punc. 1 & Granado in 3 p. controu. 6. tra. 2. disp. 4. sec. 1.

Communis tamen & vera sententia docet, esse tantùm de iure, & præcepto ecclesiastico. Probatur: quia ita planè videtur significare Concil. Trid sess. 22. cap. 7. dum ait, Præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, vt aquam vino in calice misceant: nec satisfaciunt dicentes Trid. dixisse vnum, & non negasse aliud: quia si præceptum esset à Christo, non tacuisset Concilium id, quod maius erat, vrgendo id quod minus est: signum est ergo non à Christo, sed ab Ecclesia hoc præceptum manasse, ita Scotus, Suar. Nugnus, & alij innumeri apud Bonacinam de Euchar. q. 2. punct. 4. Auersa q. 2. sec. 5.

Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur Christum præcepisse oblationem sacrificij, & confectionem Sacramenti iuxta factam ab ipso institutionem quoad substantiam, non verò quoad circumstantias accidentales, quas dispositioni suæ Ecclesiæ commisit.

Colligitur primo, posse quidem Ecclesiam, seu Summum Pontificem dispensare in hoc præcepto, vt autem dispensatio in tam antiquo præcepto sit licita, requiri grauissimam necessitatem, quæ vix practicè continget, ita Hurtadus, Præpositus, & alij, quos citat, & sequitur Diana p. 8 tract 1. resol. 28 & communiter DD, adhærentes secundæ sententiæ. Vide Suar. to 3. in 3. p. disp. 45. sec. 2. §. nihilominus.

Colligitur secundo, grauiter peccare Sacerdotem omittentem hunc ritum mixtionis aquę in calice, & in pœnam priuandum esse officio celebrandi, ex cap. literis de celebr. missarum, & cap. cum omne crimen de consecr. disp. 2. vt cum alijs notat Bonacin. de Euchar. disp. 4. q. 2. punct. 4. num. 2.

DVBIVM IV.

Verum in casu grauis necessitatis possit fieri sacrum consecratione vini tantum absque aqua.

SEnsus quæstionis est, an possit ommitti hic ritus mixtionis aquæ absque dispensatione, E. g. ad communicandum infirmum aliàs moriturum sine viatico, si tunc aqua haberi non possit.

Prima sententia affirmat: quia non est de necessitate Sacramenti, ergo vrgente necessitate ommitti potest, ita Ledesma 1. parte q. 15. artic. 7.

Secunda sententia communis & vera docet, non esse licitum celebrare omisso hoc ritu, etiã vrgente quauis necessitate, quare si non possit haberi aqua, ommittendum esse sacrum: quia hic ritus multo grauior est, quam celebrare cum vestibus sacris: si ergo non est licitum priuata auctoritate sacrum facere absque vestibus sacris quauis vrgente necessitate, vt communiter fatentur DD, multò minus erit licitum celebrare ommisso ritu mixtionis aquæ cum vino, ita Suar. disp. 45. sec. 2. nihilominus Vasq. disp. 176. cap. 1. Auersa de Euchar. qu. 2. sec. 5. §. quarto est &c.

DVBIVM V.

Quæ, & qualis aqua misceri debeat cum vino consecrando.

REspondeo, & dico primo, Misceri debet aqua naturalis, seu elementaris in substantia, ita D. Thom. q. 74. art. 7. ad 3. quem sequuntur communiter.

Probatur: quia præceptum Ecclesiæ de aqua naturali, seu elementari, intelligitur, quæ simpliciter venit nomine aquæ. Patet etiam ex consuetudine Ecclesiæ, & ex mysterijs, propter quæ aqua præcipitur infundi in calicem, videlicet: quia aquarum nomine significantur populi, quod de naturalibus aquis intelligitur. Item propter aquam, quæ de latere Christi exiuit, fuit autem vera & naturalis aqua, vt definitur in cap. in quadam de celebrat. Missar. ita Suar. disp. 45 sec. 3 Auersa de Euchar. quæst. 2. sec. 5. Diana par 6. tract. 7. resol. 18. & communiter.

Colli-

Colligitur, grauiter peccare Sacerdotem infundentem in calicem vel solam aquam rosaceam, aut similem artificialem, vel cum naturali adiungentem rosaceam, aut alium liquorem: quia graue peccatum est, vel ommittere quod Ecclesia præcipit, vel aliquid miscere materijs Sacramentorum, præter institutionem Christi, & consuetudinem Ecclesiæ; Doctor. citati.

Dico secundo, quoad qualitates accidentales aquæ, seruanda est consuetudo Ecclesiæ, & reuerentia sacramenti, patet: quia consuetudo est optima legum interpres, & quoad reuerentiam Sacramenti ius naturale dictat sanctasanctè & cum debita reuerentia tractari debere; DD communiter.

Colligitur primo, esse illicitum vti aqua impura, vel turbida in hoc mysterio, vndè si esset notabiliter impura vel fœtida, ita vt grauis irreuerentia contra Sacramentum oriretur, peccatum esset mortale; veniale verò si leuis indecentia appareret.

Colligitur secundo, an sit licitum aquam infundendam in calicem, dara opera vel calefacere, vel è cótra niue refrigerare: Aliqui enim apud Dianam p.6 tract 7 res 18. sentiunt esse peccatum mortale vti aqua calida in hac mixtione, quod verum censeo si fiat animo introducendi nouum ritum; secus vero si absque eo animo id fieret; vt quia non est in promptu alia aqua, vel nè in frigidissima regione vinum congeletur, tunc enim nullum esset peccatum Diana supra quod si niue frigefiat, per se loquendo, & secluso prauo fine nullum esset peccatum, quia cum frigiditas sit aquæ connaturalis, potius perficitur tali artificio, & ita ad communem potum præparari solet; non decet tamen ad meram gustus delectationem hanc diligentiam adhibere in missa, esset enim finis inordinatus, nec vitaretur peccatum veniale, vt fusius docet Tambur. de sacrif. libro secundo cap 4 §. 2.

DVBIVM VI.

De quantitate aquæ in Calicem infundendæ.

Respondeo certum esse debere aquam infundi in calicem, & cum vino misceri in parua quantitate; ita vt sit valdè minor vino, ita D Thom. q.74. art.8. & ibi expositores, & DD. communiter.

Ratio literalis est: quia materia necessaria huius consecrationis est vinum, quod si exponatur periculo corruptionis, vel non conficeretur Sacramentû, vel dubium esset: sed si apponeretur aqua in magna quantitate posset vinum corrumpere, vel ita absorbere, vt illud mixtum non posset absolutè dici vinum ergo vel Sacramentum esset nullum, vel dubium: quare omnino curandum est, & sub peccato mortali, vt modica aqua, & non magna infundatur in calicem seruata proportione ad quantitatem vini. Accedit ratio mystica: quia per aquam populus fidelis significatur; per vinum Sanguis Christi, cuius valor, & dignitas valdè excedit populi conditionem, Concil. Tribur. Can 19.

Colligitur primo, certum esse fore graue peccatum aquam apponere in maiori quantitate, quam vinum, vt patet ex cap. perniciosus de celebrat. missar: & similiter esse peccatum mortale æqualem aquæ portionem cum vino miscere ob periculum corruptionis vini, & dubium Sacramenti, ita DD. communiter; & potest videri Suar. disp. 45. sec 3. tom. 3. in 3. par.

Colligitur secundo, ad satisfaciendum præcepto sufficere quamlibet aquæ guttam modo sensibilis sit: quia quælibet gutta sufficit ad significationem: Et Concil. Flor. in Decreto Eugenij monet esse infundendam aquam modicissimam Suar supra, Auersa de Euchar. qu. 2. sec. 5. & communiter.

Colligitur tertio, licitè misceri cum vino consecrando octauam partem proportionalem aquæ, vt cum Layman asserit Diana 3. p. tra. 4. res 49. Conir ch. de Sacramento qu. 74. art. 8. num. 140. Imò Cardinalis de Lugo de Euchar. disp 4. sec. 2. fine ait, etiam si quinta, vel sexta pars aquę poneretur non videtur habendus scrupulus, quia non est credibile vinum esse adeo debile, vt tam modica aqua corrumpatur. Curandum est ergo, vt non excedatur prædicta quantitas quintæ, vel sextę partis, nec modicus excessus est pertimescendus: quia non deueniretur ad peccatum mortale, nisi ratione periculi corruptionis: sed notabilis excessus cuique pertimescendus est, vide etiam Auersam q. 2. sec 5 fine.

Dicetis in Conc Tribur. conceditur tertia pars aquæ cum duabus vini. ergo poterit hęc regula seruari Respondetur, Hoc Concilium esse prouinciale, nec approbatum; & forsan pro conditione vini illius regionis hoc potuit esse licitum. Ceterum standum omninò est Concilio generali Florentino, quo (vt diximus) monetur, vt modicissima apponatur aqua in Calice.

Petetis. Quænam vini quantitas apponi debeat in Calice ad consecrandum.

Respondetur certum esse non debere esse nimiam præsertim ad satisfaciendum gulę & ventri, quod enormè esset in hoc Sacrosancto mysterio ex monito Apostoli, nunquid domos

non

non habetis ad bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis; nec item tam modicam, vt non possit commodè fieri mixtio aquæ, cuius portionem octies, vel septies debet vinū excedere, sed moderatam, videtur autem moderata quantitas, tertia pars vnius vnciæ circiter ex vsu piorum, & peritorum: sic vidi practicari Romę in aliquibus precipuis Ecclesijs, in quibus ob multitudinem Altarium per quę Missæ distribuuntur, deferuntur à Ministris pro singulis missis suę ampullę paruæ capientes singulæ vnicam vini vnciam, cuius tertia pars apponi solet consecranda in Calice, & reliquum deseruit ad Purificationem.

DVBIVM VII.

Quando, & à quo debeat fieri mixtio aquæ cum vino consecrando.

RESpondeo; & dico primo quoad tempus attinet, certum est faciendam esse hanc mixtionem tempore sacrificij, et in ipso sacro calice nec vllo modo sufficere mixtionem factam quomodlibet extra celebrationem Sacri, Ita D. Th. q. 74. art. 8. ad 3. Syluest. Gabriel, Alensis, Suar. disp 45. sec. 3. Coninch. de Sacram. q. 74. art. 8. Auersa q. 2. sec. 5. et communiter. Ratio est quia hęc mixtio non quomodocumque sed per modum sacrę ceremoniæ ad ipsum sacrificium pertinentis facienda est.

Colligitur primo necesse esse vt minimum hanc mixtionem fieri ante oblationem calicis, vt habet Ecclesiæ vsus; vnde grauiter peccaret, qui voluntariè hoc ommitteret; si tamen ex negligentia accidat, & ante consecrationem aduertatur, statim adhiberi debet; post consecrationem verò nullatenus est adhibenda, vt constat ex rubricis de defectibus tit. 4. Suar. Coninch. & alij supra citati.

Colligitur secundo quamuis aliqui censeant debere aquam initio sacrificij misceri, vt possit certius conuerti in vinum ante consecrationem. vt Sotus Syluest. & alij; nihilominus standum omnino est rubricis Missalis Romani, quæ sunt regulæ ab Ecclesia propositæ, quibus præcipitur vt post Euangelium, & panis oblationem ea mixtio fiat, & docent communiter DD.

Dico secundò circa Ministrum, à quo debet aqua infundi; aliqui putant solum Præsbiterum debere hoc facere, & debere esse eumdem sacerdotem, qui missæ sacrificium offert: quia alias non significaretur quod Ecclesia intendit, Ita Durandus in Rationali lib. 4. cap. 30. Ledesma q. 15. art. 7 dub. 3.

Sed dicendum est, hoc non esse simpliciter necessarium, & standum esse rubricis Missalis, quibus præscribitur, vt in Missis solemnibus Subdiaconus infundat aquam à Sacerdote benedictam, in priuatis verò missis ipse Sacerdos infundere debet, & tutò seruari potest consuetudo legitimè introducta, Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 45. sec. 3. fine.

DVBIVM VIII.

An Aqua modica infusa vino, conuertatur substantialiter in vinum

HAec quæstio philosophica est, hic breuiter examinanda; quia ex ea pendet decisio quæstionis Theologicæ, An & qualiter aqua mixta vino consecrando conuertatur in Sanguinem Christi.

Prima sententia affirmat. Probatur primo ex Arist. primo de generat. cap vlt. vbi ait guttam vini mille aquæ Amphoris mixtam perdere naturam vini. ergo idem à fortiori dicendum de gutta aquæ multo vino infusa.

Probatur secundo vinum potest agere in aquam sibi mixtam: Ergo poterit corrumpere omnes qualitates necessarias ad conseruationem substantiæ aquæ, & inducere suas qualitates, & consequenter formam.

Confirmatur quia Aqua vino admixta diuiditur in tenuissimas partes, & per omnes vini particulas insinuatur: ergo impossibile videtur, vt aqua exigua possit resistere efficacitati vini quin statim pereat, & in vinum transeat.

Probatur tertio quia vitis, quæ vinum producit, sicut omnes plantæ communiter sumit alimentum ex terra & aqua, conuertendo aquam in suam substantiam: ergo poterit etiā vinum conuertere aquam in suam substantiam inducendo suam formam. Hanc sustinet magis communiter Theologi, qui dicunt aquam non conuerti immediatè in sanguinem Christi; sed prius conuerti in vinum, vt exinde conuertatur in sanguinem; quibus fauet D. Th. quæst. 74. art. 8. & expressè docent Syluius, & Nugnius indictum art. 8 D. Th Valentia q. 1. de Euchar. punct. 1. Suar. disp. 45. sec. 4 Vasq. disp. 178. & fusè Petronius lib. de necessitate præconuersionis aquæ in vinum, cum alijs, quos citant.

Secunda sententia negat.

Probatur primo quia Arist. lib. 2. de generat. tex. 50. & lib. de sensu, & sensili cap. 5. docet, mixta non nutriri ex vno simplici elemento, & specialiter lib. 4. Metheor. tex. 37. negat specialiter aquam in mixtum aliquod conuerti: negat etiam expressè aquam posse in vi-

in vinum conuerti, Plinius lib. 16. naturalis historiæ cap. 35. denique negant omnes medici, & Chymici, quibus in hac re maior videtur fides habenda, cum pertineat ad propriam eorum artem.

Probatur secundo experientia, quia potest Aqua post mixtionem iterum separari: nec iuuat dicere, non educi aquam, sed quendam humorem aqueum qualis educitur etiam ex vino non mixto; nam Plinius & alij harum rerum experientissimi volunt hoc modo posse discerni an vinum sit purum, quod fieri non posset, si non educeretur vera aqua, sed humor aqueus.

Probatur Tertio ratione; quia vinum est opus animæ vegetantis, videlicet, est fructus vitis, ergo non potest fieri nisi virtute ipsius plantæ vitalis: ergo non à vino, quod in eo statu non est substantia viuens; sed inferioris virtutis.

Confirmatur primo quia vt producatur vinum ex vite longo tempore elaboratur succus intra vuam per virtutem nutritiuam, & vitalem vitis per varias mutationes; sicut sanguis elaboratur in iecore animalis; ergo sicut sanguis separatus non potest conuertere aquam in sanguinem, sic nec vinum separatum à vite & ab vua potest conuertere aquam in vinū.

Confirmatur secundo quia vinum non est opus solius naturæ; sed etiam artis, quæ non potest suppleri à vino: ergo nullo modo potest vinum producere aliud vinum sibi simile. Hanc sententiam defendit latissimè probans noster Aresius in peculiari libello de aquæ transmutatione in Sacrificio Missæ, & de Generan. lib. 1. quæst. 32. Coninch de Sacram. q. 74. art. 8. dub vnico Cardinalis de Lugo de Euchar disp. 4 sec 5. vbi citat Henriq Pesantium, Toletum, Prepositum, Layman, & alios.

Ad opposita Respondetur ad primum; negatur consequentia, & paritas: quia vinum non nisi à virtute nutritiua, & vitali potest produci secus est de aqua.

Ad secundum negatur consequentia, non enim quæcumque possunt in aliquid agere, possunt hoc in se conuertere, nec omnes dispositiones requisitas ad propriam formam in illud introducere, nec etiam illud corrumpere; vt patet in puris cineribus, & materia vitri quæ nullo igne possunt corrumpi. Imo in ipsa aqua, quæ iniecta in candentem ollam potest euaporare non tamen corrumpi: quia statim ac venit in locum frigidum reducitur ad priorem statum. Alia tamen ratio est vini missi in aquam; nam vini spiritus facile extinguuntur, & fit vappa nec tamen mutatur in puram aquam.

Tandem esto vinum posset aquam corrumpere, non tamen posset in vinum conuertere Ex supradictis, sed degenerat in aliam substantiam inferioris conditionis, per quæ patet ad confirmationem.

Ad tertium negatur etiam consequentia, Primo quia vitis non nutritur sola aqua sed mixta cum terra. Secundo humorem quem attrahit non conuertit in vinum, nisi post varias transmutationes, & non nisi virtute superiori, & vitali, qua caret vinum separatum à vite.

DVBIVM IX.

Verum Aqua vino mixta conuertatur in sanguinem Christi.

Omissa opinione asserentium aquam in Sacrificio conuerti in illam aquam, quæ de latere Christi exiuit, quod est contra sensum consecrationis, qua significatur conuersio calicis in sanguinem non in aquam: & ideo tanquam apertè falsa ab omnibus reijcitur. Item omissa opinione dicentium aquam calicis conuerti in humorem flegmaticum, quem asserebant fluxisse de latere Christi, & non veram aquam, quod est contra proprietatem verborum Euangelij, & ideo tanquam erronea, & nefaria reijcitur, cap. in quadam de celebr. Missarum.

Triplex modo viget opinio inter Catholicos.

Prima, & fere communis sententia docet conuerti aquam prius in vinum, deinde per consecrationem in sanguinem: si tamen prius non fuerit in vinum conuersa, tunc nullo modo eam conuerti in sanguinem Christi. Fundamentum est, nam alioquin materia consecrationis calicis non esset solum vinum, sed etiam aqua; quod videtur contra Florentinum dicens, materiam Calicis esse vinum de vite. et contra Trid. sess. 13. Can. 2. docens, conuerti vinum in sanguinem nulla facta mentione aquæ, Ita Syluius, Suar. Vasq. & alij citati dub. præcedenti pro prima sententia.

Secunda sententia sustinet, aquam vino Calicis mixtam conuerti immediate in sanguinem Christi, quia ex vna parte eius auctores sentiunt non posse conuerti in vinum, ex alia verò totum illum potum qui est in Calice transmutari in sanguinem Christi. Fundamentum est; quia in conc. Trid sess 13. definitur, totum Christum contineri sub singulis partibus vtriusque speciei: Deinde quia totus ille potus compositus ex vino, & modica aqua

absol...

aqua absolutè appellatur vinum, & verè est vinum vsuale: ergo quamuis aqua seorsim sumpta consecrari non possit, mixta tamen cum vino & vt est pars vini vsualis, verè consecratur, & in sanguinem transmutatur. Hæc sententia; iuxta dicta in præcedenti dubio probabilis est: quia probabile est, aquâ vino mixtam non conuerti in vinum, & eam defendunt DD. relati dubio præcedenti pro secunda sententia, & alios refert & sequitur Diana 3. p. tract. 4. res. 49.

Tertia sententia sustinet, aquam vino calicis mixtam, neque in vinum conuerti: quia vinum non habet eam virtutem conuertendi aquam in suam substantiam, neque per consecrationem conuerti in sanguinem: quia aqua manens aqua, non est materia sanguinis, remanet ergo in sua substantia post consecrationem admixta speciebus vini consecratis sicut si post consecrationem mitteretur aquæ gutta in calicem, Hanc sententiam refert Innocentius in cap. cum Marthæ de celebr. Missarum, & non reprobat, sed suæ probabilitati relinquit: quare immerito appellatur falsa ab aliquibus, sequitur enim manifestè ex principijs probabilissimis præcedentium opinionum: Siquidem probabile est, aquam non conuerti in vinum ex auctoribus secundæ sententiæ: Insuper Auctores primæ sententiæ vt certum supponunt aquam non posse conuerti immediatè in sanguinem, ergo probabile est remanere aquam post consecrationem in sua substantia: neque oppositiones contra hanc sententiam sunt efficaces, vt notat Cardinalis de Lugo disp. 4. sec. 3. n. 43.

Non obstat primo videri absurdum aquam in sua substantia cum Christi sanguine permanere: nam cum ibi fit ob mysterium vnionis populi cum Christo, nulla est indecentia, sed signum diuinæ benignitatis, qua nobis communicatur: sicut non dedecet Christi maiestatem in sumptione Sacramenti nobis miseris vniri, & incorporari. Deinde contactus non fit cum sanguine Christi; sed cum solis speciebus.

Non obstat secundo quod pronomen hic debet cadere super totum illum potum, qui est in calice, & quod totus proponitur populo adorandus: vnde si post consecrationem maneret aqua in sua substantia, significatio formæ esset falsa ex parte, & daretur occasio Idolatriæ. Respondetur re vera illud pronomen cadere suprà materiam consecrabilem, & proponi adorandum quod est consecratum, non alia.

Tandem certum est, quandoque esse apponendam aquam immediatè ante consecrationem ex præcepto Ecclesiæ, videlicet si per inaduertentiam non prius fuit infusa, vt patet ex rubricis de defectibus tit. 3. & 4 in quo casu certum est moraliter aquam non posse conuerti in vinum tam citò, et consequenter remanere aquam post consecrationem, etiam secundum auctores primæ sententiæ: & eadem absurda sequerentur, & eodem modo ipsi respondent. Ceterum dicunt hoc esse per accidens, & præter intentionem Ecclesiæ: sed contra est; quia Ecclesia in rubricis citatis ex certa scientia præcipit misceri aquam calici, ergo vel exponeret sacerdotem periculo proferendi formam consecrationis ex parte falsò, & sacrilegè, vel adorandi vt Sacramentum, quod Sacramentum non est. sicut ergo verè ea absurda non sequuntur in prædicto casu, ita nunquam sequuntur, si dicamus aquam nunquam conuerti, neque in vinum, neque in sanguinem. His positis.

Respondeo ad dubium propositum, prædictas sententias omnes esse probabiles: quoad Praxim verò semper eligendum esse quod certius, & securius est, vt per se constat, & docent communiter DD. citati.

Primo ergo cum certum sit, si ante consecrationem aqua sit conuersa in vinum, tunc conuerti in sanguinem, & materiam consecrationis esse certissimam: debere sacerdotem aquam sic infundere, vt veresimile sit fore conuertendam in vinum, si conuertibilis sit; Nam id erit securius, & D. Th. eo art. 9. affirmat, ideo modicissimam aquam esse miscendam.

Secundo cum incertum sit quænam ex prædictis opinionibus sit vera, debere sacerdotem consecrare iuxta ritum, & intentionem Ecclesiæ nihil distinguendo inter partes materiæ; Ita vt neque expressè excludatur aqua, neque expressè ad eam dirigatur intentio: sed super materiam consecrabilem.

Tertio Stando in prima sententia, quæ docet aquam non conuerti in sanguinē nisi prius fuerit conuersa in vinum, Dubitatur An quando certum est moraliter eam non potuisse in vinum conuerti, quia immissa fuit in calicem immediatè ante consecrationem, An inquam Sacerdos debeat se reputare non ieiunum, & consequenter non posse iterum celebrare, E. g in die Natalis Domini. Aliqui enim ex auctoribus primæ sententiæ dicunt solui ieiunium sumptione illius aquæ mixtæ cum sanguine, & consequenter non esse licitum celebrare Missas sequentes, Ita Suar. supra, & Filiuccius trac. 4. n. 91. Ceterum dicendum est, etiam stando in ea sententia licitum esse celebrare alias Missas: quia cum fiat ea mixtio ex præcepto Ecclesiæ, non est credendum violari præceptum Ecclesiæ de ieiu-

ieiunio præmittendo communioni. Imo neque violaretur ieiunium requisitum ad sumptionem sanguinis, & ad secundam Missam per sumptionem alicuius particulæ, E.g. Ordei fortasse admixtæ cum speciebus panis in hostia: quia talis censetur intentio Ecclesiæ in eo præcepto, ita Vasq; disp. 178. cap. 2. Bonacina de Euchar. disp. 4. quæst. 2. punc. 4. n. 9. Cardinalis de Lugo disp. 4. sec. 3. n. 47. Quamuis non desint in casu posito de Ordeo, si aliquid modicum illius sit admixtum cum pane triticeo consecrando, etiam si perseueret in substantia; nihilominus conuerti in corpus Christi: quia modica illa admixtio non tollit rationem panis triticei vsualis; Ita Cardinalis de Lugo supra sec. 4. n. 70.

SECTIO III.

Circa alios ritus huius Tituli VII.

DVBIVM I.

De ritu Oblationum, quæ fiunt à fidelibus in Missa, An sit conueniens etc.

PRæmittendum ex antiquissima consuetudine solitos esse fideles aliquid offerre in Missa, siuè pecuniam, siue Cereos, siue vtensilia, & alia quæcunque iuxta vniuscumque deuotionem, quod fit ante oblationem materiæ consecrandæ dicto Offertorio, seu dum canitur in Choro offertorium in eumdem finem, videlicet ad excitandos fideles vt hilari animo offerant; quoniam hilarem datorem diligit Deus, vt nos innuimus par. 1. tit. 12. In Expositione literæ num. 1., & latius explicant DD. citandi. Quæritmus ergo An hic Ritus sit conueniens.

Ratio dubitandi est: quia interim dum suscipiuntur oblationes à celebrante & ministris Altaris interrumpitur sacrum, quod per se non est licitum absque causa sufficienti, & rationabili, qualis non videtur prædicta, quæ ordinatur ad lucrum rerum temporalium Item quia hoc arguit quendam auaritiæ affectum in Ministris Altaris, dum inter ipsa sacra mysteria in quibus soli Deo vacandum, lucris temporalibus inhiant, Nihilominus.

Respondeo hunc ritum pium, & laudabilem esse, seclusis prauis circumstantijs aliundè adiunctis.

Probatur primo Oblationes huiusmodi pertinent ad cultum Dei, & ad venerationem sacrificij, siuè offerantur dona à fidelibus ad vsum sacrum, & seruitium Ecclesiæ, siuè ad sustentationem Ministrorum Altaris & pauperum: vnde] simplices oblationes numerantur communiter à DD. inter actus religionis; ergo conuenienter suscipiuntur à ministris Altaris nomine Dei, etiam tempore sacrificij,

Probatur secundo prædictæ oblationes sunt signa internæ deuotionis, qua tempore sacrificij fideles adstantes, & seipsos & sua bona Deo offerunt, veluti in sacrificium (latè sumpto nomine sacrificij) ergo rectè, & conuenienter inter Missarum solemnia fiunt ante oblationem materiæ veri, & proprij sacrificij, ob Analogiam cum sacrificio propriè dicto.

Probatur Tertio ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine, confirmata pluribus summorum pontificum decretis, & authoritatibus Sanctorũ patrum, vt videri potest apud Suar. to. 3. in. 3. p. disp. 83. sec 1 §. circa alterum partē, & Durandum in Rationali lib. 4. cap. 30. à num. 33. & Stephanum Durantum de ritibus Ecclesiæ lib. 2. cap. 26; & alios passim, qui approbant & commendant hunc ritum oblationum.

Dixi seclusis prauis circumstantijs additis non ex institutione Ecclesiæ, sed ex hominum abusu; videlicet, affectu auaritiæ, importunitate precum, & alijs huiusmodi, debent enim procedere ex fidelium spontanea voluntate, vt notat Durandus supra cum alijs.

Ad rationem dubitandi patet ex dictis, huiusmodi oblationes non suscipi a celebrante, ex affectu auaritiæ; sed nomine Dei, in cuius cultum offeruntur: quod si prauus affectus immisceatur, corrigendus est Ex Conc. Trid sess. 22. in Decreto de obseruandis & vitandis in celebratione Missæ. Item non interrumpi sacrificium, quia Offertorium est pars quædam Missæ ad hoc instituta ab Ecclesia; quod si velis aliquo modo interrumpi, adest causa rationabilis ex supra dictis, sicut interrumpitur per concionem, Per professionem religiosam, quæ fit inter Missarum solemnia. & alia huiusmodi. Colligitur primo quoad cæremonias seruandas in ipsis oblationibus standum, esse consuetudini Ecclesiarum, & præsertim debent offerentes cum reuerentia accedere ad altare, & porrigentes aliquid celebranti eius manum osculari, vt notat Durandus suprà num. 35. & Ganantus in has rubricas p. 2. tit. 7. n. 5. littera q.

Colligitur secundo non debere celebrantem, vel ministros omnia bona oblata reponere super Altare, nisi calices & similia, quæ pertinent ad cultum Altaris: alia verò super Credentiam præparatā in congruo loco, & pecuniam in vase, similiter præparato in eum finem

finem, vt fit Feria 6. Parasceuen in adoratione Crucis, & vitandam esse omnem indecentiam: Certè in Ciuitatibus cultioribus non solet offerri inter Missarum solemnia, nisi aliquid pretiosum nomine Communitatis à Senatoribus, vel viris nobilibus ad id electis, vt Calix cum intorticijs, & rebus similibus: In Villis autem & pagis viliora offeruntur.

Colligitur tertio, Celebrantes missas nouas non debere circuire Ecclesiam ad colligendas oblationes, dedecet enim Sacerdotem sacris vestibus indutum, & redolet affectum auaritię, & importunitatem postulandi: quarè merito id prohibitum fuit à Sacra Congregatione Concil. Trid. apud Gauantum suprà; Et colligitur ex verbis eiusdem Concil. sess. 22. in Decreto de euitandis in celebr. missæ; & docent communiter DD. apud Dianam p. 2. tract. 14. resol. 50.

Colligitur quarto, esse discrimen inter oblationes huiusmodi, quæ spontaneæ sunt & ex mera liberalitate, vt diximus, & stipendium sustentationis, quod Sacerdoti promittitur cum obligatione applicandi fructum sacrificij: hoc enim stipendium ex iustitia debetur, vt fusius dicemus in tract. de sacrificio.

Colligitur quinto, oblationes in missa factas acquiri Rectori Ecclesiæ, cap. quia & à'ijs, 16. q. 1. & videri potest apud Barbosam de potestate Episcopi p. 3 Allcg. 80. nu. 11.

DVBIVM II.

De Ablutione digitorum in missa, & Psalmo interim dicendo; Qualiter obliget hic Ritus.

Respondeo certum esse hunc ritum obligare sub peccato, quia exerceri debet in ipso actu celebrationis ex dictis q. Procemiali sec. 2. punc. 2. & sec. 3. punc. 5 quare voluntaria omissio non excusatur à culpa.

Prima difficultas est, an sit ritus grauis obligans sub peccato mortali, vel sub veniali tantum.

Respondeo non videri ritum adeò grauem, vt sola eius omissio damnanda sit peccati mortalis, sed solum venialis: neque est pars notabilis missæ, vt colligitur ex dictis q. Procemiali citata sec. 3. punc. 3.

Secunda difficultas, an Sacerdos dum lauat extremitates digitorum debeat recitare Psalmum Lauabo, ita vt totum Psalmum cum Gloria Patri, absoluere debeat in cornu Epistolæ, nec redire ad medium Altaris, nisi eo finito.

Prima sententia affirmat, probatur ex rubrica huius tituli 7. num. 6. Vbi absolutè dicitur celebrantem debere in cornu Epistolę manus lauare, & Psalmum illum pronuntiare, ergo totus Psalmus ibi recitari debet, ità Petrus Ruiz in ordine celebrandi missam p. 3. 5. & Bordonus in Consil. Regul. tom. 2. resol. 64. num. 9. quos citat, & sequitur Diana p. 10. tra. 13. resol. 34.

Secunda sententia probabilior docet non esse obligationem recitandi totum Psalmum in cornu Epistolæ, sed partem illius, quæ cómodè dici potest interim dum fit ablutio. Cæterum residuum dici posse dum reditur ad medium Altaris, & conuenientius esse, vt Gloria Patri, dicatur in medio cum capitis inclinatione. Probatur, quia leuis illa digitorum ablutio, & extersio non exigit tantum spatium, quantùm requiritur ad recitationem illius Psalmi, neque Rubrica exprimit totum Psalmum, esse ibidem absoluendum, vbi fit ablutio, sed solùm vt interim recitetur durante actu ablutionis; ergo bene residuum dici potest, dum reditur ad medium Altaris, & conuenientius videtur vt inclinatio capitis ad Gloria Patri fiat in medio, & ibidem dicatur hic vltimus versiculus. Ita Gauantus in dictam rubricam, & alij periti hac de re consulti. Aduertit etiam Castaldus in praxi lib. 2. sec. 8. cap. 5. nu. 8. manus tantum esse tergendas, non vt aliqui indecenter faciunt etiam os, quod potius sudariolo pendenti ex cingulo tergendum cum opus fuerit, non illo manutergio quod porrigitur tunc à ministro, & sedari non debet saliua, ne manus aliorum sacerdotum in Missis sequentibus potius maculet, quam tergat.

DVBIVM III.

An & qualiter peccet Sacerdos si non producat signum Crucis super ampullam aquæ, seu omittat benedictionem aquæ mox infundendæ in Calicem &c.

Ratio dubitandi est: quia ex communi DD sententia est peccatum mortale vti in baptismo aquâ non benedicta extra casum necessitatis: quia tenentur ministri ex graui præcepto Ecclesię baptizare ea aqua, quæ cōseruatur in fonte Baptismali, & solemni prius ritu benedicta, vt videri potest apud Bonacinam de Sacram. disp. 2. q. 2. punc. 3. num. 8. & punct. 7. numer. 19. & apud Coninch. de Sacram. quæst. 66. num. vigesimo secundo, & alios

alios paſſim, quicquid in oppoſitum dicat Quintana duennas tract. 1. ſingulari 22. contrà communem; ergo à pari vti in miſſa aqua non benedicta, ſeu infundere in calicem aquam ad conſecrandum, omiſſa benedictione ab Eccleſia præſcripta, videtur graue peccatum: Nihilominus.

Reſpondeo, omiſſionem benedictionis, & ſigni Crucis in caſu noſtro non excedere culpam venialem. Probatur primo: quia eſt ritus leuis, & ſignificatio huius benedictionis non tam pertinet ad proprietatem Sacramenti, quã ad conditionem populi, qui per aquam ſignificatur, vt dicebamus in litera: ergo eius omiſſio non continet grauem defectum.

Probatur ſecundo Quia hæc benedictio omittitur ex præcepto eiuſdem rubricæ num. 4. In miſſis pro Defunctis, ergo ſignum eſt non eſſe cæremoniam neceſſariam ad perfectionem ſacrificij. Tandem ſatisfit ſubſtantiæ præcepti infundendo veram aquam naturalem in Calice; Benedictio vero eſt quid accidentale reſpectu eiuſdem præcepti.

Ad rationem dubitandi reſpondetur non eſſe ſimile de aqua Baptiſmi, Primo quia aqua fontis Baptiſmalis ſolemni ritu benedicitur ab Eccleſia, non ſimplici Crucis ſigno & breui oratione, vt aqua infundenda in calice: ergo ſignũ eſt benedictionem illam, qua præparatur aqua, vt ſit materia Baptiſmi eſſe ritum grauem, & ſub graui præcepto adhibendam eſſe aquam benedictam in Baptiſmo ſolemni, & ab Apoſtolorum tempore ita ſeruatum eſt, vt ex multis Patribus probant Suar. tom. 3. de Sacram. diſp. 30. ſec. 2. Vaſquez diſput. 166. cap. 2. cum alijs.

Secundò quia ea benenedictione fontis Baptiſmalis ſignificantur ſacratiſſima Myſteria ad reuerentiam & proprietatem Sacramenti pertinentia; præſertim virtus abluendi non ſolum corpus, ſed etiam animam baptizati: ergo materia grauis eſt, & per conſequens eius omiſſio cenſetur culpa grauis.

Tandem materia Calicis, nempè vinum cũ aqua potius præparatur ad ſacrificium oblatione ſequenti, & multiplici benedictione, & alijs ritibus; Et idcirco ſimplex illa benedictio ante mixtionem, non cenſetur cæremonia tam grauis, neque illius ommiſſio defectus grauis.

TITVLVS VIII.

DE CANONE MISSAE, VSQVE AD CONSECRATIONEM.

EXpoſitioni Canonis, eiuſque rituum hæc verba præmittit Durandus in Rationali, lib. 4. cap 36. Quicquid exponendo conamur exprimere, vix vllius apparet eſſe momenti, deficit namque lingua, ſermo diſparet, ſuperatur ingenium, opprimitur intellectus. Ex quibus colligere licet, quanta ſit dignitas, & ſublimitas huius partis miſsæ, & quo ſtudio ac ſpiritus feruore oporteat Sacerdotes ſacratiſſima arcana; quæ in ea continentur apprehendere, eius verba recitare, ac ritus & cæremonias exequi: quæ omnia multò magis confirmantur authoritate Concil. Trid. ſeſs. 22. cap. 4. Vbi ſic habet, & cùm Sancta Sanctè adminiſtrari conueniat, ſitque hoc omnium ſanctiſſimum Sacrificium; Eccleſia Catholica, vt digne reuerenterque offerretur, ac perciperetur, ſacrum Canonem multis ante ſæculis inſtituit, ita ab omni errore purum, vt nihil in eo contineatur, quod non maximè ſanctitatem, ac pietatem quamdam redoleat, menteſque offerentium in Deum erigat: is enim conſtat tùm ex ipſis Domini verbis, tum ex Apoſtolorum traditionibus, ac Sanctorum quoque Pontificum pijs inſtitutionibus. Supernum ergò à Deo lumen, & peculiare auxilium hic ſuppliciter petimus, vt dignum aliquid exprimere valeamus: de nomine Canonis diximus par. prima, titul. 12. num. 5.

1 FINITA Præfatione, vt ſupra, Sacerdos ſtans ante medium Altaris, verſus ad illud, aliquantulum eleuat manus, oculiſque eleuatis ad Deum, & ſine mora deuotè demiſſis, ac manibus iunctis, & ſuper Altare poſitis profundè inclinatus incipit Canonem, ſecretò dicens. Te igitur, &c. vt in Ordine Miſſæ. Cùm dicit, vti accepta habeas & benedicas, priùs oſculatur Altare in medio, deinde erigit ſe, & ſtat iunctis manibus ante pectus Cùm dicit, Hæc † dona, hæc † munera, hæc ſancta † ſacrificia,

dextera

dextera manu signat ter communiter super Hostiam & Calicem. Deinde extensis manibus ante pectus, prosequitur, in primis quæ tibi offerimus, &c.

EXPLICATIO LITERALIS.

IN præcedentibus Missæ partibus iam explicatis, vitæ Christi mysteria repræsentantur ab eius incarnatione, & natiuitate vsque ad passionem: Nunc autem à principio Canonis, & deinceps vsque ad fractionem hostiæ recoluntur mysteria passionis, & mortis nostri Redemptoris, Microlog. de Eccles. obser. cap. 16 vnde secretè dicitur, ad indicandum Deum, verè esse absconditum in hoc mysterio, Innocentius lib. 3. cap. 1. Prima vero eius litera T, est figura Crucis, Innocentius ibidem, vt ex primo aspectu dignoscamus in eo contineri mysteria Crucis. De verbis autem, ex quibus cõponitur Canon, infra à nobis dicendum erit tit. 9. completo Canone: Nunc explicandi sunt ritus in eius recitatione seruandi, quorum expositio literalis vix potest à mystica separari: quia prima & præcipua ratio institutionis eorum est significatio mystica. Quoad ritus ergo qui hoc num 1. ordinantur.

Primo debet Sacerdos præmittere quinque actus, seu gestus priusquam incipiat eiusdem Canonis verba primo enim debet eleuare manus; Secundo, oculis ad Deum eleuatis, ac statim demissis; Tertio, manibus iunctis, Quarto, iisdem super Altare positis; Quinto, profunde inclinatus incipit, Te igitur; qui actus sunt dispositiones ad Sacrificium, seu victimæ immolationem: in Canone autem proximè disponitur Sacerdos ad cõsecrationem, in qua vera ratio Sacrificij consistit, & victimæ immolatio: nam oculorum, & manuum eleuatio est actio propria dirigentis in Deum orationem, & Sacrificium, iuxta illud Psalmi 141. Eleuatio manuum mearum Sacrificium Vespertinũ, & in oratione commendatur ab Apostolo 1. ad Timoth. 2. sequentes autem actus pertinent ad deuotionem, & ad significandam humilitatem, & obedientiam Christi, ex qua passus est, vt egregiè de his omnibus notauit D. Thom. 3. p. q. 83. ar. 5. ad 5. & cum eo Suar disp. 84. sec. 1. & alij communiter. Notat etiam Castaldus in Praxi lib. 2. sec. 8. cap. 6. Omnes huiusmodi actus debere præcedere prolationem Canonis, quicquid in oppositum dicat Gauantus hic, vt fusius in dubijs explicabimus.

Secundo, Cùm dicit, vti accepta habeas &c. Osculatur Altare, in signum osculi quo Christus à Iuda traditus fuit, videlicet in detestationem perfidiæ traditoris, & in commemorationem mansuetudinis Christi osculum acceptantis: de quo mysterio videri potest Franciscus de Nigro in addition. ad Ruiz p. 3. §. 7 num 2.

Tertio, cùm dicit, Hæc dona &c. signat ter super hostiam & calicem: vtitur Sacerdos frequenter in Canone signatione Crucis ad exprimendam Christi Domini passionem, & multiplices cruciatus, quos in ea sustinuit vsque ad Crucem, in qua passio terminata fuit, ex D. Thom. q. 83 art. 5. ad 3. Vbi Sanctus Doctor distinctè explicat eorumdem signorum mysteria, quę apud ipsum videri possunt. Breuiter autem hic aduertimus circa eadem signa, quæ fiunt super oblata, ea nunquam fieri in numero pari, sed aut semel, aut ter, aut quinquies. Semel (ait Microlog. cap. 14.) propter essentię vnitatem; ter propter Trinitatem personarum, eò quod Sacrificium soli Deo offeratur Vni, & Trino; quinquies propter quinque vulnera Christi, & expressã repræsentationem passionis eius, vt pluribus citatis notat Suar. disp. 84. sec. 1. §. octauo loco. Quę semel hic adnotasse sufficiat, ne eadem repetere opus sit cum tędio lectoris.

2 Vbi dicit, vna cum famulo tuo Papa nostro N. exprimit nomen Papæ: Sede autem vacante verba prædicta omittuntur. Vbi dicitur, & Antistite nostro N. specificatur nomen Patriarchæ, Archiepiscopi, vel Episcopi ordinarij in propria diœcesi, & non alterius Superioris, etiamsi celebrans sit omninò exemptus, vel sub alterius Episcopi iurisdictione. Si verò Episcopus ordinarius illius loci in quo Missa celebratur, sit vita functus, prædicta verba omittuntur: quæ etiam omittuntur ab ijs qui Romæ celebrant. Si Celebrans est Episcopus, Archiepiscopus, vel Patriarcha, omissis prædictis verbis, eorum loco dicit, Et me indignè seruo tuo, Summus autem Pon-

Pontifex cùm celebrat, omiſſis verbis, vna cum famulo tuo Papa noſtro N. & Antiſtite noſtro N. dicit, vna cum me indigno famulo tuo, quem gregi tuo præeſſe voluiſti. Et continuant omnes vt ſequitur, Et omnibus orthodoxis, &c.

IN prima hac parte Canonis orat in primis Sacerdos pro vniuerſa Eccleſia, vt intuitu huius ſacrificij quatenus eſt impetratorium, eam Deus regere dignetur &c.& quoniam bonum Eccleſiæ regimen maximè pendet à Summo Pontifice, qui eſt ſupremum Eccleſiæ caput, & omnium Paſtor animarum; cõſequenter fit Oratio pro Summo Pontifice in tota Eccleſia: & in ſingulis Diœceſibus proportionali ratione in qualibet fit oratio pro ſuo Epiſcopo, quo circa præſcribitur hic.

Primo vt dum fit mentio Papæ, eius nomen exprimatur, vt maiori feruore, & animi reflexione pro eo fiat oratio, atque ita præcipitur in Concil. Vaſenſi ſub Leone I. cap.4. vt notat Suar. diſp.83. ſec.2. § prima ergo pars, fine; qui etiam obſeruat, quod Pelagius, referente Alcuino de diuinis officijs cap. de celebr. miſſæ, à communione ſeparatum eſſe dicit, qui inter diuina myſteria Apoſtolici Pontificis memoriam non frequentat: & certè ſchiſmatis indicium hoc eſſet. An autem ad nomen Papæ inclinandum ſit caput, affirmatiuè reſpondendum, vt ſupra dictum eſt in Collecta, & notat Gauantus hic; Sede autem vacante verba prędicta omitti debent, vt per ſe patet.

Secundo, vbi dicitur, & Antiſtite noſtro N. Nomen ſpecificatur Epiſcopi in propria Diœceſi ob ſimilem rationem: & quidem orandū eſſe in miſſa pro Epiſcopo, docet D. Auguſt. epiſt.110. & colligi poteſt ex Apoſtolo ad Hæbreos 13. mementote Præpoſitorum veſtrorum: quis autem Epiſcopus ſit nominandus, patet ex litera, & melius explicabimus in dubijs ſec 2. Prædicta autem verba omittuntur, ſi Epiſcopus ſit vita functus, vt in ſimili dicebamus de Papa; & Romæ etiam omittuntur, vbi ſolum de Papa fit mentio, non de alio Antiſtite: quia ipſemet Papa eſt Epiſcopus Romanus & totius orbis.

Tertio, decernitur nè ſpecificetur nomen alterius Superioris, ideſt non Abbatis exempti alicuius loci nullius Diœceſis, non Generalis cuiuſcumque religionis, neque Principum ſecularium quorumcumque, niſi ex ſpeciali Indulto Summi Pontificis, vt diximus q. Proœmiali ſec 4. punct.2. quod ſtatutum videtur ad præcauendos abuſus qui paulatim poſſent irrepere, nominando in Canone perſonas minus dignas contrà maieſtatem tanti myſterij in hac parte miſſæ.

Quarto, præſcribitur modus, quo pro ſe ipſo orare debet Summus Pontifex cum celebrat, & ſimiliter Epiſcopus, vt patet ex litera.

3 Cùm dicit, memento Domine, eleuans & iungens manus vſque ad faciem, vel pectus, ſic iunctis manibus ſtat paulisper in quiete, demiſſo aliquantulum capite, faciens commemorationem viuorum Chriſti fidelium ad ſuam voluntatem, quorum nomina ſi vult ſecretò commemoret: non tamen neceſſe eſt ea exprimere, ſed mente tantùm eorum memoriam habeat. Poteſt etiam Celebrans ſi pro pluribus orare intendit, ne circumſtantibus ſit moroſus, ante Miſſam in animo proponere ſibi omnes illos tam viuos quàm defunctos, pro quibus in Miſſa orare intendit, & hoc loco generaliter vnico contextu ipſorum viuorum commemorationem agere, pro quibus ante Miſſam orare propoſuit in Miſſa:

POteſt dupliciter orare Sacerdos in miſſa, vel nomine Eccleſiæ vt publicus eius miniſter, vel proprio & priuato nomine, ſupplicando pro illis, qui ſe commendauerunt eius orationibus, vel aliqua obligatione tenetur: Competit etiam celebranti quatenus eſt Miniſter Chriſti applicare fructum ſacrificij, quibus voluerit; vel etiam tenetur ob ſtipendium acceptum, vel quauis alia ratione: quæ applicatio præſertim fructus ſatisfactionis ex opere operato fieri debet ante conſecrationem; vt ergo poſſit Sacerdos ſuæ tum deuotioni, tum obligationi opportunè ſatisfacere, meritò hic locus deſtinatur ab Eccleſia priuatæ eius orationi,

tioni, & applicationi sacrificij, & hæc pars missæ dicitur Memento, seu commemoratio viuorum. Ritus autem in ea seruandi, sunt

Primo dicens Memento Domine, Eleuans, & iungens manus demisso aliquantulum capite secretó orat, quæ omnia ad deuotionem pertinent. Monet autem Castaldus in Praxi lib.2.sect.8 cap.6num.6. Manus iunctas tenendas esse non suprá faciem, sed ante pectus vsq; ad faciem,vt etiam patet ex hac Rubrica;Oculis veró clausis ex eodem Castaldo, vel saltem demissis,in quo variat hoc memento á secundo pro mortuis, in quo orat Sacerdos oculis ad Sacramentum intentis.

Secundo, Datur facultas Sacerdoti exprimendi secretó, si velit, nomina eorum, quos Deo commendat, vnde in ordine missæ in memento apponitur N. & N. sin autem, mente solùm Deo repræsentet, quod magis explicabimus in dubijs sec.1.

Tertio, Monetur celebrans si pro pluribus orare intendat, vt potius ante missam distinctè sibi eos proponat commendandos in actu celebrationis: & hoc loco generaliter vnico contextu commemorationem agat de ijsdem, nè circumstantibus sit morosus, quod etiam in dubijs examinabimus sec.1. Vbi etiam dicemus de Methodo seruanda in hoc memento, & nonnullas difficultates resoluemus. De applicatione veró Sacrificij. fusè differemus sect.3.

4 Commemoratione viuorum facta, demissis & extensis vt prius manibus, continuat, Et omnium circumstantium, &c. Similiter stans prosequitur Communicantes. Cùm dicit, Iesu Christi. caput Cruci inclinat: in conclusione quando dicit, Per eundem, iungit manus. Cum dicit, Hanc igitur oblationem, expandit manus simul super oblata, ita vt palmæ sint apertæ versus ac supra calicem & hostiam, quas sic tenet vsque ad illa verba, Per Christum Dominum nostrum, tunc enim iungit manus, & sic prosequitur, Quam oblationem tu Deus in omnibus quæsumus, & cum dicit, bene † dictam adscri † ptam, ra † tam, communiter signat ter super hostiam, & calicem simul: deinde cùm dicit: vt nobis corpus, separatim signat semel super Hostiam tantùm: & cùm dicit, & sanguis, semel super calicem tantùm: deinde eleuans, & iungens manus ante pectus, prosequitur, fiat dilectissimi filij tui Domini nostri Iesu Christi, & inclinans caput Cruci, extergit, si opus fuerit, pollices & indices super corporale, & dicit secretó vt prius, Qui pridie quam pateretur, & accipiens pollice & indice dextræ manus Hostiam,& eam cum illis ac indice & pollice sinistræ manus tenens, stans erectus ante medium Altaris, dicit, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, eleuansque ad cælum oculos, & statim demittens, dicit, & eleuatis oculis in cælum ad te, Deum patrem suum omnipotentem, caputque aliquantulum inclinans, dicit, tibi gratias agens, & tenens Hostiam inter pollicem & indicem sinistræ manus, dextra producit signum Crucis super eam, dicens, bene † dixit fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes.

¶

HAcc pars Canonis, quæ dicitur Commemoratio viuorum, partim constat & priuata celebrantis oratione,quæ eius arbitrio remittitur; partim ex ea, qua Deo commendantur circumstantes, & nomine Ecclesiæ recitari debet á Sacerdote, vt patet ex particula coniunctiua. Et omnium circumstantium, & ex verbo continuat, quo rubrica vtitur. Deinde fit transitus ad recolendam memoriā Sanctorum, quorum patrocinium imploratur, vt Sacrificium dignè offeratur, atque aliæ sacræ preces adduntur, de quibus hic agitur, vsque

vſque ad conſecrationem. Earumdem autem ſignificationem, & ſenſum verborum infrà afferemus, cum de explicatione Canonis poſt titulum 9. Hic enim eſt ſermo de ritibus, qui in actione conſiſtunt.

Primo hic num. 4. præſcribitur, vt Sacerdos demiſſis, & extenſis manibus continuet, videlicet commemorationem viuorum, dicens. Et omnium circumſtantium &c. Demiſſio, ad finem priuatæ & mentalis orationis refertur, quæ fit iunctis manibus vſque ad faciem; extenſio refertur ad eam, quam proſequitur nomine Eccleſiæ, cuius cor, & bracchia pietatis maximè dilatantur, vt hoc Sacrificio proſit fidelibus, ad quod indicandum hæc manuum extenſio hic præſcribitur.

Secundo, Stans Sacerdos ſimiliter, ideſt manibus extenſis, proſequitur Communicantes, & cum dicit Ieſu Chriſti, caput Cruci inclinat. Adde inclinandum quoque eſſe caput ad nomen Beatæ Mariæ Genetricis Dei, ex regula generali ſupra tit 5: de Oratione num. 2. Vbi ſic habetur, & ſimiliter (ideſt caput inclinat) Vbicumque nominatur nomen Beatæ Mariæ.

Tertio, Cùm dicit, hanc igitur &c. expandit manus ſuper oblata, quo ritu ſignificatur Diuina protectio, & efficacia eiuſdem diuinæ protectionis, & gratiæ, ex Ruperto lib 2. cap. 57. Quia ergo in hac oratione ſpecialiter poſtulatur hæc protectio diuina per eandem oblationem; ideo Sacerdos tunc manus imponit ſuper oblata. Addi poteſt eodem ritu ſignificari hoc miſſæ Sacrificium eſſe verum holocauſtum, & hoſtiam pacificam ſufficientiſſimam ad placandum Deum pro peccatis, Præfiguratam Leuitic. 1. 3. & 4 Vbi dicitur, ponetque manus ſuper caput hoſtiæ, & acceptabilis erit, ita Suar. diſp. 84 ſec. 1. §. alia ſignificatio: Conſonat Cornelius à lapide in Leuit. capitibus citatis. Tertio eadem manuum impoſitione denotatur virtutem ineſſe manibus conſecratis ex vi ordinationis. Vnde Sacerdos profitetur non proprijs viribus; ſed virtute ordinationis hoc mirabile opus à ſe perficiendum, vt ex Serrario notat Gauantus hic, & videri poteſt Durandus lib. 2. cap 9. num. 16. Vbi agit de manuum impoſitione. Pollices verò non infra, ſed ſupra manus teneri debent poſito dextero ſuper ſiniſtro in modum Crucis, vt dicemus in dubijs ſect. 1.

Tertio, Proſequitur Sacerdos, quam oblationem &c. & oblata pluries benedicit, & Cruce ſignat, de quibus ſignis diximus ſupra n. 1. nec aliud hic addendum occurrit, niſi quòd in fine inclinans caput Cruci, extergit digitos ſuper corporale, vt puriores ſint, & magis diſpoſiti ad contactum hoſtiæ.

Quarto dicit, Qui pridie quàm pateretur accepit Panem &c. in qua periodo Sacerdos conſecrationi proximus maxime induit perſonam Chriſti, & eius factum imitatur, ac verbis quæ profert conſonant geſtus, & actiones: Nam accipiens panem dicit (referens ſimiliter Chriſti actionem) Accepit panem, & ſic de reliquis, vt notat Micrologus cap. 15. & Suar. loco citato; qui ibidem obſeruat in huiuſmodi actione Sacerdotem imitari Chriſtū, & actibus exequi, quod verbis profert, cum proportione tamen, & quantum aptè fieri poteſt, non ſemper cum perfecta ſimilitudine, & quidem cum dicit, Accepit Panem, eleuatis oculis &c. Poteſt hæc ad literam imitari, & ità facit; Cùm autem dicit Benedixit, non imitatur ad literam Chriſti factum: quia Chriſtus non fecit ſignum Crucis ſuper materiam conſecrandam, nondum enim data erat Cruci Deifica virtus, ſaltem non legitur Chriſtus Crucis ſignum adhibuiſſe: Imitatur ergo Chriſtum cum quadam proportione vtendo meliori forma benedictionis, quam nunc habemus; Quando vero Sacerdos dicit illa verba, Fregit, deditque &c. nullam actionem eis correſpondentem exercet, quia re vera actiones illis verbis ſignificatæ nō fuerunt in ipſomet actu conſecrationis à Chriſto exhibitæ, ſed vel per anticipationem, vel per recapitulationem poſitæ ſunt: hactenus Suar. diſp 84 ſec. 1. tom. 3. in 3. p.

5 Si adſit vas cum alijs Hoſtijs conſecrandis, antequam accipiat Hoſtiam, diſcooperit manu dextra calicem, ſeu vas aliarum Hoſtiarum, cum autem finierit ſupradicta verba, cubitis ſuper Altare poſitis, ſtans capite inclinato, diſtincte, reuerenter, & ſecreto profert verba conſecrationis ſuper Hoſtiam, & ſimul ſuper omnes, ſi plures ſint conſecrandæ, & Hoſtiam ſuam pollicibus & indicibus tantùm tenens, dicit. Hoc eſt enim corpus meum. Quibus prolatis, celebrans tenens Hoſtiam inter pollices & indices prædictos ſuper Altare, reliquis manuum digitis extenſis & ſimul

mul iunctis (cæ Hostijs, si plures sint consecratæ) in loco in quo à principio Missæ positæ sunt, super corporali vel in alio vase, aut calice dimissis) genuflexus eam adorat: Tunc se erigens, quantum commodè potest, eleuat in altum Hostiam, & intentis in eam oculis (quod & in eleuatione calicis facit) populo reuerenter ostendit adorandam: & mox sola manu dextra ipsam reuerenter reponit super corporale in eodem loco vnde eam leuauit, & deinceps pollices & indices non disiungit, nisi quando Hostiam consecratam tangere vel tractare debet, vsque ad ablutionem digitorum post communionem.

HActenus dictum est de ritibus, & cæremonijs pertinentibus ad ornatum Sacrificij; Deuentum est modo ad mirabilem consecrationis formam, in qua posita est essentia eiusdem Sacrificij. His ergo præscribitur.

Primo, si adsit vas cum alijs hostijs consecrandis Sacerdos illud discooperit, videlicet, vt etiam hæ aliæ hostiæ sint ab oculos celebrantis, & meliori modo præsentes, & demonstrabiles per pronomen hoc, quod facere debet antequam accipiat hostiam suam grandiorem, idest immediate ante illa verba, Qui pridie &c. Castaldus in Praxi l. 2. sec. 8. cap. 6.

Secundo, post illa verba, Qui pridie &c. Positis cubitis super Altare, & stans capite inclinato proferre debet verba consecrationis: gestus vterque est maturè considerantis, & attente operantis, quod maximè tunc decet Sacerdotem, opus admirabile perfecturum.

Tertio, monetur Sacerdos, vt distinctè, reuerenter, & secretò proferat verba consecrationis, quæ circumstantiæ summa diligentia obseruari debent. Primo distinctè, ita vt nec vna quidem litera omittatur, periculum est enim ne corrumpatur sensus verborum, & sic pereat tum veritas Sacramenti, tum essentia Sacrificij; quod esset immane sacrilegium, vt fuse explicauimus q. Procemiali sect. 3. & sequentibus.

Secundo, Reuerenter: quia sunt verba omnium sacratissima supernaturali, & diuina prædicta virtute.

Tertio, secretò, ob arcana, et mysteria recondita, quæ continent.

Quarto, præcipitur, vt suam hostiam teneat manibus Sacerdos, dum profert verba consecrationis, pollicibus & indicibus tantùm, et hoc ad imitationem Christi, qui panem à se consecrandum accepit in sanctas, ac venerabiles manus suas; Aliæ vero hostiæ, si plures sint consecrandæ, super Aram & corporale esse debent, vel in suo vase, vel alias decenter positæ: quod maxime aduertere hic debet Sacerdos, præsertim si lapis consecratus sit angustior; Itaque quando discooperit Pyxidem retrahat etiam ad latus Calicis, ita vt certus sit eam contineri super Aram consecratam, alias grauiter peccaret.

An autem obligetur sub peccato mortali suam hostiam tempore consecrationis in manibus habere, in Dubijs conscientiæ examinabimus.

Quinto, Prolatis verbis consecrationis, statim ipse Sacerdos genuflexus hostiam à se cõsecratam adorat, ob veram & realem Christi præsentiam sub speciebus Panis: adorat autem flexo vnico genu, vt facilius surgere possit, tenens adhuc hostiam inter pollices, & indices super Altare, non amplius cubitis super Altare positis, sed manibus tantum, ita vt commodè genuflexio fiat vsque ad terram.

Sexto, Tunc se erigens eleuat in altum hostiam, & ostendit populo adorandam: hic ritus est valdè grauis, et seruari præcipitur ad literam quidem, vt sciatur à populo consecratio facta, atque iam esse in Altari Christum verum Deum et hominem, quem in hoc Sacramento tanquam in excelso Throno adorat multitudo Angelorum; atque adeo hortantur circumstantes, vt simul cum Angelis eumdem Christum humiliter adorent, Durandus libro quarto, cap. 41. numero 51. Porrò ab Angelis, & Celestis curiæ Spiritibus ante Altare prostratis adorari Christum in Eucharistia latentem, docet apertè Chrisost. 2 pluribus locis, maximè lib. 3. de incomprehensibili Dei natura circa finem, & videri potest Durantus de Ritibus Eccles. lib. 2. cap. 40. Deinde in sensu mystico hæc hostiæ eleuatio designat eleuationẽ eiusdem Christi super Cru-

cem in Monte Caluario, Gemma lib. 1. cap. 46. Nonnulla etiam obſeruari debent in eadem eleuatione. Videlicet, vt Sacerdos ſemper oculos ad hoſtiam habeat intentos, & ita ex geſtu corporis excitetur ad dirigendos oculos etiam mentis ſemper in Chriſtum, iuxta illud Pſalmi xxii. Sicut oculi Ancillae in oculis dominæ ad Dominum Deum noſtrum. Item, vt quantum commode poteſt, eleuet Hoſtiam per lineam rectam ſuper corporalis, non extra, & tandem aliquantiſper eam teneat eleuatam, vt interim ſatisfiat circumſtantibus, quibus adoranda exponitur, non autem diu, quia rubrica dicit Mox eam reponit: quæ fuſius explicat Caſtaldus in Praxi lib. 2. ſect. 8. cap. 6. à num. 10.

Septimo, ſola manu dextera reponi debet hoſtia ſuper corporale quamdiu vtraque manu fuerit eleuata; quia ſic geſtus eſt aptior; & fortè non vacat myſterio, quia Chriſtus depoſitus fuit è Cruce ab amicis, per dexteram indicatis. Interim ſiniſtram ſuper corporale teneat; Caſtaldus ſupra num 12. Tandem pollices & indices non diſiunguntur ob reuerentiam Sacramenti ex Durando ſupra, & ob cautelam, nè ſi fortè fragmentum adhæſerit, non pereat, vt expreſsè etiam notat D. Thom. 3. p. q. 83. art. 5. ad 5.

6 Repoſita Hoſtia conſecrata ſuper corporale, genuflexus ipſam veneratur: ſi adſit vas aliarum Hoſtiarum, Patena vel palla cooperit vt ſupra. Interim dum celebrans eleuat Hoſtiam, accenſo prius intorticio (quod non extinguitur niſi postquam Sacerdos Sanguinem ſumpſerit, vel alios communicauerit: ſi qui erunt communicandi in Miſſa) miniſter manu ſiniſtra eleuat fimbrias poſteriores Planetæ, nè ipſum celebrantem impediat in eleuatione brachiorum, quod & facit in eleuatione Calicis: & manu dextera pulſat campanulam ter ad vnamquamq. eleuationem, vel continuatè quouſque Sacerdos deponat Hoſtiam ſuper corporale, & ſimiliter poſtmodum ad eleuationem Calicis.

Poſt eleuationem, & adorationem hoſtiæ conſecratæ præſcribitur hic.

Primo, vt Sacerdos cooperiat vas aliarum hoſtiarum ſi adſit: quod fieri præſcribitur ad cautelam, nè muſca, vel quid intret in illud vas, quod ſpecies ſacramentales maculet, qua ratione cooperitur etiam Calix, non vero hoſtia grandior Sacerdotis, quæ proximius ab eo cuſtoditur, & in quam oculos intentos habere debet, & eam ſæpius etiam præ manibus habere ad exequendos ritus inferius explicandos: alias etiam rationes myſticas affert Durandus lib. 4. cap. 46. num. 11. Cur calix cooperitur, & non hoſtia, quæ apud ipſum videri poſſunt.

His etiam aduertendum, vas illud aliarum hoſtiarum, ſeu Pyxidem retinendam eſſe in Altari ſuper corporale, vſque ad ſumptionem: qua peracta, & non prius reponitur in Sacrario, vt fuſius in dubijs conſcientiæ ſec. 1.

Secundo, hic explicantur ea, quæ exequi debet miniſter tempore eleuationis, de qua dictum eſt num. præcedenti, nempe vt ante eleuationem intortitium accendat, non extinguendũ niſi poſt ſumptionem ſanguinis, quod patet ordinari in reuerentiam Sacramenti, vt excitetur attentio, & deuotio fidelium erga idem Sacramentum, vt alibi diximus p. 1. tit. 20. de Altari.

Secundo in ipſo actu eleuationis eleuat fimbrias poſteriores Planetæ, quod conſtat introductum olim fuiſſe, nè Planeta ipſum celebrãtem impediret in eleuatione brachiorum, & in hac eadem Rubrica hæc ratio aſſignatur, & certè olim Planeta ita erat cõpoſita, vt vtrimque ſuper bracchia celebrantis reflecteretur, & poterat eleuantis brachia impedire; modo autem eadem cæremonia retinetur in quoddam obſequium, & vt hoc etiam ſigno excitentur circumſtantes ad Sacramenti adorationem, in quem etiam finem pulſatur campanula, de qua Durandus in Rationali, lib. 4. cap. 41. fine.

Cele-

7 Celebrans adorato Sacramento surgit, & discooperit Calicem, in quem, si opus sit extergit digitos (quod semper faciat, si aliquod fragmentum digitis adhæreat) & stans erectus dicit, Simili modo postquam cœnatum est, & ambabus manibus accipiens calicem iuxta nodum infra cuppam, & aliquantum illum eleuans, ac statim deponens, dicit, accipiens & hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas; item tibi gratias agens, caput inclinat: cum dicit, benedixit, signat calicem infra cuppam tenens, dextra signat super eum; & prosequens, deditque discipulis suis, &c. & ambabus manibus tenens calicem, videlicet sinistra pedem, dextra nodum infrà cuppam, cubitis super Altare positis, & capite inclinato profert attentè, continuatè, & secretò, vt supra, verba consecrationis Sanguinis: Hic est enim calix, &c. Quibus dictis reponit calicem super corporale, & dicens secretò: Hæc quotiescumque feceritis, &c. genuflexus sanguinem reuerenter adorat. Tum se erigit, & accipiens calicem discoopertum cũ Sanguine ambabus manibus, vt prius, eleuat eum, & erectum, quantum commodè potest, ostendit populo adorandum: mox ipsum reuerenter reponit super corporale in locum pristinum, & manu dextra palla cooperit, ac genuflexus Sacramentum veneratur.

EA, quæ seruari debent à celebrante circa consecrationem, & eleuationem Calicis, satis patent ex ipsis verbis rubricæ, nec explicatione indigent; Solùm notanda est differentia; quia prolatis verbis consecrationis Sacerdos reponit Calicem super corporale, dicens. Hæc quotiescumque &c. & genuflexus sanguinem adorat, non tenens calicem in manibus, sicut cum primo adorat hostiam consecratam suis manibus retentam, & hoc ob periculum effusionis sanguinis per actum genuflexionis: qua facta postquam se erexit, accipit calicem, & eum eleuat eo modo, quo in simili diximus in eleuatione hostiæ. Cum vero calix discòoperitur, & operitur, dextera id fieri debet, & interim sinistra super Altare ponitur, vt monet Castaldus supra cap. 6. num. 12 Reliqua constant ex dictis in simili de eleuatione hostiæ.

8 In Missa solemni ad finem Præfationis accenduntur duo saltem intortitia ab Acolythis, quæ extinguuntur post eleuationem calicis, nisi aliqui sint communicandi, & tunc extinguuntur post communionem. In diebus etiam ieiuniorum, & in Missis pro Defunctis tenentur accensa vsque ad communionem. Cùm autem celebrans dicit, Quam oblationem, &c, Diaconus accedit ad eius dexteram, & ibi in superiori gradu Altaris genuflexus, cum Sacramentum eleuatur, fimbrias Planetæ eleuat, & quando opus est, se erigens, calicem discooperit & cooperit; & cum celebrante genuflectit. Subdiaconus genuflectit in loco suo. Thuriferarius genuflexus in cornu Epistolæ ter incensat Hostiam, cum eleuatur, & similiter calicem posito incenso in Thuribulum absque benedictione. Reposito calice, Diaconus redit ad librum, nisi alius assistat. Cæteri surgunt, & stant in locis suis.

In miſſa ſolemni, quæ maiori pompa, & apparatu celebratur, peculiares & ſolenniores ritus, præſertim in eleuatione ſeruari decet, quare hic præſcribitur.

Primo, vt accendantur duo ſaltem intortitia ab Acolythis, qui manibus ea deferentes ad finem præfationis cum debitis reuerentijs ad Altare accedunt: vbi genuflexi tempore eleuationis aſſiſtunt, & poſt eleuationem calicis recedunt, & ea extinguunt, niſi facienda ſit communio, tunc enim non diſcedunt, ſed genuflexi manent cum intortitijs accenſis vſq; ad communionem: Qualiter autem aſſiſtere debeant, & de cæremonijs à prædictis Acolythis ſeruandis, videri poteſt Caſtaldus in Praxi lib. 1. ſec. 4 cap. 9. Ratio autem huius ritus manifeſta eſt ex dictis, vt maiori pompa quàm in miſſis priuatis fiat tunc eleuatio Sanctiſſimi Sacramenti, & ad maiorem deuotionem & reuerentiam excitentur populi tunc quando eis oſtenditur, & proponitur ad adorandum. Quod ſi facienda ſit communio, quoniam ea occaſione iterum oſtenditur populo adoranda, & ſumenda hoſtia conſecrata, ob eundem finem præcipitur vt intortitia non extinguantur niſi poſt communionem. Duo autem intortitia ab Acolythis deferenda, intelligo vltrà illud intortitium, quod communiter accendi ſolet in miſſis priuatis, & collocari vel ſuper candelabro grandiori, vel in ſimili inſtrumento parieti affixo, quod etiam debet ſemper eſſe accenſum vſque ad communionem vt ſupra num. 6. atque ita ſeruatur in noſtris Eccleſijs, in quibus duo accenduntur intortitia ſuper candelabris maioribus, præter alia quæ manibus deferuntur ab Acolythis.

Secundo, additur in hac eadem Rubrica diſcrimen inter miſſas, quæ celebrantur communiter vel de ferijs, vel de feſtis, & alias quaſdam peculiares, videlicet vel de vigilijs, ſeu diebus ieiuniorum, vel pro Defunctis, ſeu de Requie: nam in primis aſſiſtunt Acolythi cum intortitijs prædictis accenſis vſque ad eleuationem calicis tantum, & poſtea ſtatim diſcedunt, & ea extinguunt, niſi facienda ſit communio, vt ſupra. In ſecundis verò tenentur accenſa vſque ad Communionem, etiam ſi non ſit facienda populi communio. Ratio autem huius diſcriminis non ita facilè apparet. Gauantus in hanc Rubricam exiſtimat hoc ita ordinari, ne in primis miſſis videlicet feſtiuis, & alijs portantes intortitia genuflexi maneant cæteris ſtantibus, ideo inquit aſportantur ſanalia, & extinguuntur. Putat enim ipſe inconueniens eſſe, ſi aliqui maneant genuflexi, dum alij communiter ſtant. Quia verò in miſſis de vigilijs, & pro Defunctis genuflexi manent omnes in Choro poſt eleuationem, & ceſſat illud inconueniens, quod ex ea varietate conſurgeret, conuenit vt Acolythi cum intortitijs accenſis maneant genuflexi vſque ad communionem.

Cæterum hæc ratio, neque in ſe ſubſiſtit, neque rem explicat, de qua eſt difficultas. Nõ ſubſiſtit: quia nullũ eſt incõueniens aliquos ex aſſiſtentibus, ſeu inſeruiẽtibus, Miſſæ ſolemni genuflexos manere, cæteris ſtantibus quando obeunt diuerſa munera, quæ varios etiam geſtus, & corporis poſituras exigunt. Primo, quia in caſu noſtro, quando facienda eſt communio populi in miſſis feſtiuis, remanent Acolythi tenentes intortitia genuflexi cæteris ſtãtibus, ergo hoc non eſt inconueniens, ſed valde congruũ, cum Rubrica id præſcribat: quod autem addit Gauantus hoc permitti, ne cogantur diſcedere, iterum reuerſuri, friuolum eſt, cùm plures & Thuriferarius, & Ceroferarij diſcedant iterum reuerſuri.

Secundo, in alijs partibus miſſæ illa varietas non reputatur inconueniens, ergo neque indecens eſſet in caſu noſtro: Antecedens patet, quia Acolythi ad confeſſionem genufleĉtunt ſtantibus in Choro Cantoribus ad lectorile. Cum cantatur Epiſtola, qui ſunt in Choro ſedent, Clerici inſeruientes Subdiacono, & Altari ſtant. Diaconus dum petit benedictionem lecturus Euangelium genufleĉtit, cæteris ſtantibus. Item ad Euangelium cum omnes genufleĉtunt ad illa verba, & procidentes adorauerunt, & ſimilia, nihilominus Ceroferarij, & Subdiaconus ſtant, quia ſic exigit munus, quod tunc ſinguli exercent: ergo ſi fuiſſet expediens in caſu noſtro, vt in miſſis feſtiuis Acolythi tenentes intortitia genuflexi manerent, etiam quando alij ſtare debent, ineptè dicitur non fuiſſe ita ordinatum ad vitandam illam varietatem, quæ nedum non parit deformitatem; ſed potius decorem, eſtque valde conueniens.

Deinde prædictus auctor non ſatisfacit difficultati; Punctus enim difficultatis in eo conſiſtit, videlicet cùm Eccleſia præſcribat accẽdi in miſſis ſolemnibus duo intortitia ob reuerentiam Sacramenti, & huic fini cenſetur ſatisfactum, ſi teneantur accenſa vſque ad Eleuationem calicis, vt initio explicauimus, et tunc ſolum vlterius quando facienda eſt communio populi: quid ſibi velit poſtea ordinando vt in miſſis vigiliarum, & pro Defunctis, etiam ſi non ſit facienda communio, nihilominus teneantur intortitia accenſa vſque ad ſumptionem Sacramenti, quæ fit à celebrante; certè aliquid peculiare intendit potius in his miſſis, quam in alijs.

Reſpondeo ergo ſaluo meliori iudicio, Eccleſiam velle eo ritu excitare fideles in diebus

bus quidem ieiuniorum ad actus pœnitentiæ, & feruentioris contritionis, atque perseuerantis orationis pro venia suorum peccatorum. In missis verò Defunctorum ad orationes, & suffragia continuata pro animabus Purgatorij, quamdiu durat sacrificium, & victima est in Altari. Probatur quia vt dictum est p. 1. tit. 20. ex communi sententia vsus luminum ad Altare præscribitur ab Ecclesia, non solum in reuerentiam Sacramenti; sed etiam ad excitandos fideles ad attentionem, & deuotionem erga illa mysteria peculiaria, quæ in missa repræsentantur. Sed in missis pro Defunctis repræsentantur pœnæ Purgatorij, & status pœnalis animarum, quæ viuunt (quod luminibus protestamur,) sed in pœnis, & flammis: quare indigent nostris suffragijs, vt latè explicat Stephaus Durantus de ritibus lib. 1 cap. 23. num. 15. Item in diebus ieiuniorum, qui ad pœnitentiam sunt destinati repræsentatur status miserabilis animarum sub seruitute peccati: Ergo verisimile est Ecclesiam prædicto ritu velle excitare, vt per Sacrificium missæ, & eo durante, quando orationes sunt magis efficaces, abundantius & feruentius succurratur animabus indigentibus respectiuè.

Cætera quæ adduntur in hac Rubrica de Diacono, Subdiacono, & Thuriferario manifesta sunt, nec explicatione indigent, & videri possunt apud Castaldum in titulis proprijs, in quibus agit de prædictis ministris, & de missa solemni.

SENSVS MYSTICVS.

CONSECRATIONIS.

CONsecratio distincta vtriusque speciei, est mystica mactatio Agni immaculati Christi Redemptoris nostri. Etenim in Sacrificio missæ idem ipse Christus incruentè immolatur, qui in Ara Crucis semel seipsum cruentè obtulit, & simul repræsentatur Sacrificium illud cruentum semel in Cruce peractum, Ex Trid. sess. 22. cap. 1. & 2. Hæc autem repræsentatio, & mystica mactatio ex communi DD. sententia consecratione perficitur vtriusque speciei: dum enim 1. consecratur Panis & transubstantiatur in Corpus Christi, & deinde secunda consecratione Vinum in Sanguinem; seorsim ponitur Sanguis à Corpore Christi; atque ita expressè repræsentatur effusio Sanguinis in Cruce peracta. Et quamuis sub speciebus panis sit etiam Sanguis & anima, & sub speciebus vini corpus & anima, & totus Christus sub qualibet specie; Nihilominus id non est per se, & ex vi verborum consecrationis, sed ratione concomitantiæ. Cæterùm ex vi verborum, Corpus tantùm ponitur sub speciebus panis, & Sanguis tantùm sub speciebus vini, atque ita separationis, & effusionis Sanguinis à Corpore Christi fit commemoratio, & repræsentatio; ita D. Thom. 3. p. q. 74. art. 1. quem sequuntur communiter DD. apud Suar. disp. 75. sec. 6. to. 3. in 3 p.

DVBIA CONSCIENTIÆ

SECTIO I.

Circa Ritus aliquos prædictarum partium Canonis.

DVBIVM I.

An prima verba Canonis, Te igitur &c. Debeant proferri simul cum gestibus eleuationis manuum, & oculorum: vel è contra post gestus prædictos.

PRima sententia est Gauanti in has Rubricas parte 8. nu. 1. qui asserit debere pronunciari simul cum gestibus in Rubrica præscriptis, ita vt ad primum gestum proferantur prima verba, Te igitur &c.

Probat primò quia non debet dari gestus sine voce, alioquin esset inconcinnus, ergo ad primum gestum prima quoque verba, Te igitur sunt pronuncianda.

Probatur secundò, ex Rubrica propria in Ordine missæ immediatè ante Canonem, vbi sic habetur, Sacerdos extendens, & iungens manus, eleuans oculos, profundè inclinatus ante Altare manibus super eo positis, dicit &c.

Ex qua rubrica sic argumentatur; gestus prædicti explicantur verbis participij præsentis, & omnia reguntur vltimo verbo modi indicatiui, dicit, vnde est sensus, extendens manus dicit, iungens dicit &c. ergo prolatio verborum initij canonis debet comitari, non subsequi gestus prædictos. Probatur consequentia: quia participium præsens importat simultatem gestus cum dictione seu prolatione verborum, quæ dicenda præscribuntur.

Confirmatur; quia debent concordari Rubricæ: ergo itaq; rubrica generalis huius tituli 8. n. 5. citato, eodem modo explicari debet, ne discordet à rubrica propria citata in ordine Missæ.

Secunda sententia absolutè vera docet omnes

nes gestus seu actus prædictos debere præcedere, non comitari prima verba canonis te igitur. Probatur manifestis verbis huius nostræ rubricæ num. 1 vbi dicitur Sacerdos manibus iunctis, & super Altare positis profundè inclinatus incipit Canonem dicens Te Igitur; ergo prima illa verba canonis debent proferri à celebrante inclinato, & habente manus iunctas, & super Altare positas: quia rubrica præcipit, vt tunc Sacerdos, & non ante incipiat canonem, vt patet ex verbo præterito inclinatus; sed quando fit primus gestus, & eleuantur manus, Sacerdos non habet manus sitas super Altare, nec est profundè inclinatus, ergo in primo gestu malè inciperet Canonem contra hanc Rubricam. Debet ergo incipere immediatè post omnes gestus præscriptos, ideft manibus super Altare iam positis, qui est vltimus gestus. Ita eruditissimus Castaldus in praxi cæterem. lib. 2. sec. 8. cap. 6. n. 7. Maldonat in cæremoniali Missæ priuatæ §. 8. Alcozer, Trimarchi, & alij, quos citat, & sequitur Franciscus de Nigro in adittionibus ad Ruiz p. 3. §. 7. n. 1. Premoli in memor. Cler. 3. par. cap. 10. Bonamicus de obseruat. Ecclesiast par. 2. n. 22. & alij communiter. Itaque opinio Gauanti videtur singularis, & minus probabilis.

Ad Opposita Respondetur ad primum antecedens esse apertè falsum, sæpius enim in missa præscribuntur gestus seu actiones sine voce aut verbis quæ illas comitentur, E. g. pluties Sacerdos osculatur Altare priusquam dicat Dominus vobiscum, ante primas, & vltimas orationes, & antequam benedicat populū nihil dicens: sæpius genuflectit interim nihil dicens; Dum infundit vinum in calice nihil dicit; Item in eleuatione hostiæ nihil dicit, in vtroque memento stans iunctis manibus ante pectus orat mentaliter absque verbis. In Missa solemni thurificans prima vice Altare, nihil dicit; eum benedicit Subdiaconum post Epistolam nihil dicit, & sic de alijs similibus: Ergo illud assumptum non debet dari gestus sine voce, est apertè falsum. Quod autem subditur, quia alioquin gestus esset inconninnus, Patet ex dictis esse falsum, & bene etiam impugnatur à Nigro cum Trimarco supra citatis: quia potius sequeretur perturbatio, & confusio, si dum eleuantur manus & oculi. deberent legi verba canonis ex missali.

Ad secundum Respondeo. verbum illud dicit, quod in Rubrica habetur, idest dicit Te Igitur, referri ad vltimos gestus. qui explicantur per verba temporis præteriti, videlicet positis manibus super Altare, & profundè inclinatus, quæ etiam immediatè connectuntur cum verbo dicit in ipsa Rubrica non autem referri ad participia illa temporis præsentis, extendens, iungens &c. quæ teguntur alio verbo subintellecto, videlicet Stat ante medium Altaris versus ad illud; Probatur quia rubrica propria in ordine Missæ debet reduci ad hanc generalem, quam explicamus, ex qua etiam desupta est: In hac autem rubrica sic habetur, Sacerdos stans ante medium Altaris versus ad illud eleuat manus, et idem sensus est si dicas eleuans manus, stat ante medium Altaris. Ergo ad id quod dicitur in ordine Missæ extendens, seu eleuans manus, subintelligitur stat antè medium Altaris, et sic verè concordantur rubricæ, alias potius corrigitur, et destruitur generalis, quam concordetur cum propria, cum tamen rubricæ generales sint fons, ex quo desumptæ sunt propriæ.

DVBIVM III.

Cuius Episcopi nomen specificari debeat à Celebrante ad illa verba Canonis, et Pro Antistite nostro N.

Prima Difficultas est. An quando Sacerdos celebrat in alieno Episcopatu, vbi reperitur tanquam aduena, vel peregrinus nominare debeat in Canone suum proprium Episcopum, cuius est subditus, vel potius Episcopum loci in quo celebrat.

Prima sententia fuit olim, nominandum esse Episcopum ipsius celebrantis, qui magis ad ipsum pertinet, quam, Episcopus loci in quo celebrat, Ita Alcuinus de celebrat. Missę, Innocentius lib. 3. de mysterijs missæ cap. 5

Vera tamen, et modo certa sententia est, exprimendum esse nomen Episcopi ordinarij illius loci, in quo missa celebratur: quia sic expressè decernitur in hac rubrica, vt patet legenti ibi, etiam si celebrans sit sub alterius Episcopi iurisdictione. Ratio videtur esse 1. Tum quia celebrans orat vt minister Ecclesiæ, et nomine totius populi ibi præsentis, seu loci in quo celebrat: Tum ob confirmitatem cum alijs Sacerdotibus eiusdem loci, vide Bellarmin. lib. 2. de Missa cap. 21.

Secunda; & maior Difficultas est. Quisnam Episcopus nominari debeat in locis, quæ sunt nullius Diœcesis seu exemptis à Iurisdictione Episcopi, in quibus præesse solet Abbas exemptus habens iurisdictionem quasi Episcopalē: Certum est enim Abbatem prædictum, vel similem superiorem nominari non posse, ex Rubrica explicata n. 2.

Epi-

Prima sententia sustinet nominandum esse Episcopum viciniorem, ad quem itur pro ordinatione. Ita Gauantus in has rubricas, p. 2. tit. 8. num. 2. lit. n. Ratio videtur esse, quia ex vna parte orandum est pro Antistite, et eius nomen exprimendum, iuxta præscriptum Rubricæ. Ex alia vero parte non apparet quisnam in hoc casu congruentius nominari possit, quã Episcopus vicinior ad quem pertinet conferre ordines incolis illius loci, Ex Trid. sess. 23. cap. 10. qua ratione aliquam iurisdictionem habet in eum locum.

Vera tamen sententia meo iudicio est, neminem esse nominandum, sed omittenda esse illa verba, Et Antistite nostro.

Ratio est; quia tunc solum exprimi debet nomen Episcopi, quando verè est Episcopus, qui præsit loco illi in quo Missa celebratur, alias omitti debent prædicta verba, vt constat ex Rubricis huius tituli 8. n. 2. et ideo si Episcopus sit vita functus, vel alia ratione locus aliquis careat Episcopo omittuntur ea, &c sed in casu nostro locus caret Episcopo, quia est nullius Diœcesis; ergo omitti debent ea verba.

Confirmatur quia ex eadem rubrica specificari debet nomẽ Episcopi in propria Diœcesi; sed locus in quo missa celebratur in casu nostro, non est propria Diœcesis Episcopi vicinioris, alias non verè esset nullius Diœcesis, ergo in eodem loco non debet exprimi nomen prædicti Episcopi vicinioris.

Confirmatur secundo vel Episcopus vicinior ex vi facultatis, quam habet conferendi ordines, & concedendi dimissorias personis talis loci est verè Antistes ordinarius eiusdem loci vel minimè. Si primum ergo locus ille non est simpliciter exemptus, nec dici potest nullius Diœcesis, contra id quod supponimus. Si secundum ergo nominari non potest à Celebrante, vt verus, & proprius Antistes: quia sic Sacerdos falsum assereret, quod maximè verum est, quando superior loci exempti habet territorium separatum cum omnimoda iurisdictione, & potest dimissorias concedere, de qua re videri potest Barbosa de potestate Episcopi p. 2. alleg. 7. n. 8.

Ad Argumentum primæ sententiæ Respondetur Rubricam non præcipere vt absolutè, & semper nominetur Episcopus; sed quando locus in quo missa celebratur, verè habet suum Episcopum. Cùm ergo in casu nostro nullus sit Episcopus loci exempti, nominari non debet.

Nec obstat quod Episcopus vicinior ius habeat conferendi ordines, quia hoc non sufficit, vt dicatur Ordinarius illius loci, sicut neque Archiepiscopus dicitur Ordinarius in Diœcesibus suffraganeorum, quamuis aliquam habeat iurisdictionem in illas, nec nominatur in Canone, etiam si aliquis ex suffraganeis sit vita functus, sed tunc omittuntur ea verba, & Antistite nostro vt patet ex eadem rubrica.

DVBIVM III.

De memento, seu commemoratione Viuorum, & de obseruandis in eo.

PRima difficultas in hac parte occurrit, An huiusmodi priuata commemoratio, & oratio in memento cadat sub præcepto?

Respondeo ex vi præcisa rubricæ eam non præcipi, sed arbitrio Sacerdotis remitti.

Probatur ex verbis eiusdem rubricæ, ibi, faciens commemorationem viuorum ad suam voluntatem.

Confirmatur: quia nulla ibi præscribitur vocalis oratio; mentalis autem, & purus actus internus, non præcipitur ab Ecclesia, neque præcipi potest secundum multos, ergo.

Dixi ex vi præcisa rubricæ: quia ex vi promissionis, vel similis tituli potest sacerdos contrahere obligationem orandi in Missa pro ijs, quibus id promisit, & suam fidem obstrinxerit qualis autem sit hæc obligatio, pendet ex qualitate promissionis, et Intentione promittentis; sicut etiam ad applicationem Sacrificij sæpe tenetur Sacerdos vel ex simplici promissione et fidelitate, vel etiam ex iustitia ob acceptum stipendium, de quare dicemus sec. 2.

1 Secunda difficultas. Vtrum possit Sacerdos in memento orare pro omnibus, etiam pro excomunicatis non toleratis.

Respondeo affirmatiuè etiam pro Infidelibus, et hereticis et pro excommunicatis non toleratis, qui priuantur Ecclesię suffragijs.

2 Probatur: quia Ecclesia priuat excommunicatos suffragijs communibus tantum; non vero priuatis: sed oratio: quæ fit in memento à Sacerdote nomine proprio est suffragium priuatum, non commune: ergo ab eo non excluduntur excommunicati modo non applicetur illis fructus sacrificij, et impetrationis orationum, quę funduntur nomine Ecclesiæ; sed fructus, qui correspondet orationi Sacerdotis, ex opere operantis. Ita DD. communiter in tract. de Censuris, Syluest. Angelus, Nauar. Soto, quos citant, et sequuntur Suar. de Censuris disp. 9. sec. 5. Bonacina de Censuris disp. 2. q. 2. punc. 1. §. 2. n. 6. Coninch. de Sacram. disp. 14. dub. 6. Quid autem sit dicendum de fructu sacrificij, quatenus offertur in persona Christi, explicabimus sec. 2. dum de applicatione.

Tertia difficultas eſt, qua methodo facienda ſit oratio, & commemoratio viuorum in Memento. Suppono præmittendam hic eſſe ante omnia applicationem ſacrificij ſi ante Miſſam facta non fuerit ſecundum obligationem cuiuſque ratione ſtipendij, vel ex quouis alio titulo, quis tenetur celebrare pro alio, pro quo ſpecialiter eſt orandum. Quoad orationem vero quæ ſit ex deuotione ad voluntatem celebrantis, certum eſt in ea non habere locum obligationem aliquam; ſed à viris pijs varias deſcribi formulas, pro cuiuſque deuotione. Aliqui ad iuuandam memoriam diſcurrendum eſſe docent per caſus nominum, & in caſu nominatiuo faciendam eſſe docent commemorationem, & commendationem ipſiuſmet Celebrantis; in genitiuo parentum, ſeu genitorum; in Datiuo Benefactorum &c. Alijs in eumdem finem ſibi ſtatuunt varios gradus dignitatum & perſonatum; &c. His poſitis.

Reſpondeo omnium optimam videri formulam, quam commendat & ſequendam proponit Alphonſus Rodriquez in Exercitijs perfectionis, p. 2. tract. 8. cap. 15. videlicet vt celebrans in memento ſibi proponat Chriſtum crucifixum, cuius paſſionis myſteria in Canone repræſentantur, & per quinque eius plagas diſcurrat modo ſequenti. In prima plaga manus dexteræ commendet Deo Papam, & prælatos Eccleſiæ, & totum ſtatum Eccleſiaſticum. In ſecunda manus ſiniſtræ Regem, & Principes ſeculares, eorumque miniſtros. In Tertia pedis dexteri omnes Religiones, & ſuam quiſq; propriam: In quarta pedis ſiniſtri ſuos conſangueos, amicos, & benefactores et omnes qui ſe commendauerunt eius orationibus, et ſpeciatim pro eo pro quo tenetur offerre ſacrificium. Tandem plagam lateris pro ſeipſo ſeruet ſacerdos, in quam ipſe confugiat, et interet, et maneat in foraminibus petræ in cauerna maceriæ, & ibi pro ſe petat ea, quibus magis indigere cognoſcit.

Quarta Difficultas: an ſit licitum Sacerdoti voce exprimere nomina peculiarum perſonarum, quarum facit commemorationem. Ratio dubitandi eſt quia vt dicebamus in litera non licet in canone nominare niſi Papam & Epiſcopum non autem alios Prelatos inferiores, nec Regem aut principes; ergo multo minus licitum erit nominare perſonas alias pro libro celebrantis. Reſpondeo id licitum eſſe modo ſecreto fiat; quia id conceditur in rubrica explicata n. 3. vbi additur non tamen neceſſe eſſe nomina exprimere; ſed ſufficere mente tantum earum memoriam habere, itaque id remititur arbitrio celebranis: Vſus tamen cōmunis eſt, vt fiat eorum commemoratio, ſolum mentalis non vocalis, vt nota Gabriel lect. 25. in canonem, & cum alijs Suar. diſp. 83. ſect. 2. §. ſecunda pars canonis. Ad rationem dubitandi Reſpondetur Antecedens eſſe verum de Orationibus, quæ dicuntur in Canone totius Eccleſiæ nomine; non autem de oratione priuata, quam proprio nomine fundit Sacerdos in Memento.

Quinta difficultas. An ſit magis expediens; vt ante miſſam fiat commemoratio diſtincta illorum, pro quibus orare intendit Sacerdos, et pro ſingulis oret: deinde in ipſo actu celebrationis in memento generaliter vnico actu Deo omnes ſimul commendet.

Reſpondeo eſſe magis expediens ne Sacerdos tædio afficiat circumſtantes. Probatur quia in eadem rubrica ita conſulitur. An autem ea oratio, quæ ſic generaliter, et inconfuſo fit in memento pro omnibus, æquè proſit ſingulis, ac ſi diſtincta mentio de eis fieret patebit ex dicendis in ſequenti dubio.

DVBIVM IV.

An Oratio generaliter oblata pro multis ſimul (ſiue in memento Miſſæ, ſiuè alias) æque proſit illis, ac Oratio fuſa in particulari pro ſingulis.

RAtio dubitandi oritur ex dictis in fine præcedentis Dubij: Quia Eccleſia conſulit Celebranti vt in memento generaliter et vnico contextu commemorationem agat omnium pro quibus ante Miſſam orare propoſuit in ipſa Miſſa. ergo ſignum eſt orationem illam pro multis in genere æque prodeſſe ſingulis, ac ſi pro ſigulis funderetur; Alioquin priuarentur maiori fructu, quod non eſt præſumendum de pietate ſanctæ Matris Eccleſiæ.

1. Reſpondeo, et Dico primo Oratio oblata pro multis cum applicatione expreſſa, et determinata ad ſingulos in particulari, magis prodeſt ſingulis quam oratio oblata pro eiſdem in genere et inconfuſo, abſque expreſſione ſinguiorum, per ſe loquendo et ceteris paribus.

Probatur; Tum quia affectus eſt maior ad ſingulas perſonas, et intentio applicandi ſingulis vim impetrandi eſt magis directa: Tum quia actus Expreſſus perfectior eſt ceteris paribus implicito, et confuſo, et conſequenter maioris valoris. Tum denique quia poſita expreſſa mentione ſingulorum in particulari, vel multiplicantur petitiones, vel vna æquiualet

ualet pluribus expressis, ergo augetur valor, & efficacia orationis, quoad vim impetrandi.

Confirmatur à pari, Cognitio distincta alicuius obiecti secundùm omnes, & singulas eius partes in particulari perfectior est cognitione confusa eiusdem obiecti: ergo pariter oratio, seu petitio distincta pro singulis est perfectior, & maioris valoris oratione generali, & confusa pro omnibus simul, atque ita docet Suar. to. 2. de relig lib. 1. de oratione cap. 13. n. 7.

Dico secundo, Oratio generaliter oblata pro multis in confuso, si moralem habeat cōnexionem cum præcedenti commemoratione expressa de singulis in particulari, est eiusdem valoris, & efficaciæ cum oratione expressa, & distincta pro singulis. Probatur: quia posita connexione; perinde est, ac si funderetur distinctè pro singulis. Item ratione connexionis ex vtraque componitur vnica integra oratio continens perfectionem vtriusque partis; ergo nedum est æqualis valoris cum prima, sed etiam maioris.

Confirmatur. Si quis offerat Principi legendam supplicationem inscriptis, & voce addat se humiliter supplicare pro omnibus, quæ continentur in ea scriptura, supplicatio illa vocalis confusa, & in genere non est minus efficax, quam si singula in particulari voce exprimerentur; quia iam aliunde habetur expressio illa distincta, & supplicatio confusa est moraliter connexa cum expressa: ergo pariter in casu nostro.

Ad rationem dubitandi, quatenus militat contra primam conclusionem, Respondetur, Ecclesiam non cōsuicere, vt in memento fiat solum oratio generalis, & confusa pro omnibus, nisi quando præcessit commemoratio expressa pro singulis immediatè ante missam, in quo casu oratio illa generaliter facta æquiualet expressæ, & determinatæ pro singulis, & ideo nō priuantur singuli aliquo fructu impetrationis; secus esset si non præcessisset commemoratio distincta.

Diceris Oratio Deo oblata in ipso actu sacrificij Celebrate, vt fit in Memento, est multo maioris valoris ad impetrandum, quàm oratio extra sacrificium (vt dicemus in tract de sacrificio) ergo deperditur aliquis fructus orationis, ex eò quod commemoratio illa distincta fit extra missam, nam si fieret in missa maiorem haberet vim impertandi.

Respondeo distinguo consequens, deperditur fructus maior si non trahatur, & eleuetur ad cōnexionem cum sacrificio per alium actū orationis exercitum in ipso actu celebrationis in Memento, Concedo: si trahatur, & eleuetur nego: Hoc autem fit per orationem illam generalem & confusam, quæ refertur ad priorē extra missam, & simul connectuntur modo explicato. Sicut si quis ad petendum consilium E. g. narrauerit extra confessionem Sacerdoti omnia, & singula sua peccata cum suis circumstantijs, & postea velit eidem confiteri sacramentaliter; satisfacit integritati confessionis se accusando vnico contextu, & in genere de peccatis iam narratis; quia supposita præcedenti narratione, accusatio illa æquiualet confessioni distinctæ, & explicitæ peccatorum, & eadem præcedens narratio trahitur per illum actum sequentem ad esse sacramentale; ita pariter in casu nostro.

DVBIVM V.

De impositione manuum super oblata ad Orationem, Hanc igitur, & qualiter tunc pollices componi debeant.

CErtum est debere manus simul expandi super oblata, ita vt Palmæ sint apertæ versus ac supra Calicem & Hostiam, vt constat ex Rubrica hac num. 4.

Difficultas est: an pollices tunc poni debeant infra manus seu palmas, vel potius supra.

Prima sententia sustinet collocandos esse pollices infra palmas. Fundamentum forsan est: quia manus debent extendi versus Calicem & Hostiam, ergo etiam pollices debent ita componi, vt sint versus calicem &c. Et consequenter subtus, non supra manus; ita aliqui, quos refert Diana p. 3. tr. 6. res. 104. Sed fundamentum est friuolum.

Vera ergo, & communis sententia est, pollices componi debere supra manus posito pollice dextero super sinistro per modum Crucis.

Probatur primo, ex regula generali, quando iunguntur manus in ritu seruando &c. tit 5. n. 1 Vbi sic habetur, pollice dextro super sinistrum posito per modum Crucis, quod semper seruatur quando iunguntur manus: & quamuis ibi sit sermo de totali manuum coniunctione palmæ cum palma, nihilominus proportionaliter habet locum in casu nostro, in quo manus simul esse debent, & à latere coniunctæ.

Probatur secundo Quia sic gestus decentior est, & magis connaturalis, & in praxi receptus apud omnes peritos; ita Alcozer, & Reina, quos citat, & sequitur Diana supra, & testantur sic fuisse Romæ decisum, sequitur etiam Gauantus in hanc Rubricam tit 8. n. 4.

DVBIVM VI.

An tempore conſecrationis Hoſtia debeat eſſe in manibus Celebrantis ex graui pracepto, & ſub peccato mortali.

RESpondeo affirmatiuè, atque adeo peccaturum mortaliter Celebrantem, qui vellet ſuam hoſtiam conſecraret exiſtentem ſuper corporale, non autē inter eius pollices, & indices, vt præcipit Rubrica. Ducor: quia ſecundum omnes DD. vſus Aræ conſecratæ, & pariter corporalis in miſſa præcipitur ſub peccato mortali, vt ſuper illis & non extra debeat eſſe tum Calix tum Hoſtia, præcipuè tempore cōſecrationis, & poſt conſecrationem, & grauiter peccarat qui extra corporale vellet eã conſecrare, ſeu extra ſpatium quod corporali reſpondet: ergo etiam grauiter peccaret, qui tempore conſecrationis ſuam hoſtiam non teneret in manibus. Probatur conſequentia; quia hic Ritus grauior eſt vſu Aræ, & corporalis, Tum quia fundatur in facto Chriſti: Tum quia excellentiorem habet ſignificationem, & quamuis neminem inuenerim, qui hoc dubiũ pertractet, ratio tamen videtur conuincens.

Inſuper dubitari hic poteſt, An Sacerdos indice impeditus, ob chiragram vel vulnus poſſit accipere, & tenere hoſtiam alio digito, vel ipſo indice obuoluto panno lineo, vel ſimili:

*R*eſpondeo negatiuè: id enim eſt contrà vſũ Eccleſiæ in re graui: quare Sacerdos ſic impeditus non poteſt licitè celebrare ſaltem extra caſum grauis neceſſitatis, vt in ſimili de miniſtrante Euchariſtiam docet cum alijs Diana p. 10 tract. 16. reſ. 80. & nos infra dicem tit. 10. ſec. 3. dub. 3 diffic. 3. & idem à fortiori dicimus ſi quis pollice eſſet impeditus, qui eſt magis neceſſarius.

DVBIVM VII.

An celebrans poſſit eleuare Hoſtiam non à ſe conſecratam, ſed prius ab alio.

CAſus olim contigit, quem ex Marchantio refert Diana p. 5. tr. 13. reſ. 96. Quidam ob defectum grandioris hoſtiæ conſecrauit in ſua miſſa hoſtiam paruam, ſeu particulam, vt vocant; Timens autem populi offenſionem, tempore eleuationis, non ſuam hoſtiam accepit, ſed aliam grandiorem præconſecratam, quæ in ſacrario ſeruabatur pro oratione 40 horarum, & hanc oſtendit populo adorandam. Quæritur an hoc licitè fieri poſſit.

Reſpondeo id non poſſe, nec potuiſſe licitè fieri. Probatur: quia eſt contra Rubricam ſupra explicatam nu 5 Qua præſcribitur, vt prolatis verbis conſecrationis, ſuam hoſtiam Celebrans nō reponat, ſed eam tenens inter pollices, & indices genuflexus adoret, eamq. eleuans populo oſtendat adorandam. Cum ergo Rubrica ſit præceptiua, vt ſatis conſtat ex dictis q. Procemiali tota ſec. 2. eius mutatio eſt illicita, ita Marchantius apud Dian ſupra, cuius oppoſitum immeritò docet Tamb. Opuſc. de ſacrif. lib. 2. cap. 8. §. 8. fine, ſupponens abſque fundamento Rubricam eſſe directiuam.

Nec placet cautela, quam conſulit Marchãtius ſupra, vt ſimul cum hoſtia illa grandiori præconſecrata eleuari debeat à celebrante ſua hoſtia tunc conſecrata: quia mutatur etiam ritus in Rubrica preſcriptus; poſſet autem excuſari factum prædictum à peccato mortali; quia non apparet grauis deformitas, & ratione bonæ fidei, etiam à veniali excuſari poſſet. Per ſe autem loquendo eleuari debet omnino in ſimili caſu hoſtia illa minor, tunc conſecrata in eadem miſſa præmonito primum populo ante miſſam de defectu hoſtiæ grandioris; & licitè poſſe fieri ſecùs cum hoſtia minori ex rationabili cauſa, vt ſic caueatur ſcandalum.

Colligitur excuſari nō poſſe à peccato mortali factum cuiuſdam Parochi, qui oblitus conſecrare grandiorem hoſtiam exponendam in oratione 40 horarum, paruam hoſtiam conſecratam affixit grandiori non conſecratæ, atque ita adorandam expoſuit, ne eius negligentia reprehenderetur: quod omnino improbandũ propter periculum idolatriæ adorantium grãdiorem illam hoſtiam tanquam conſecratã; & quamuis idolatria materialis ſit, & inculpata ex parte populi ignorantis illam fictionem; cæterum Parochus, qui ſciens hoc fecit, excuſari non poteſt, ita cum alijs Tambur. ſupra.

DVBIVM VIII.

An Hoſtiæ minores ſtatim poſt conſecrationem reponi poſſint intra Ciborium, vel in aliqua parte Altaris extra Aram.

ANguſtiam patiuntur nonnulli Sacerdotes retinendo ſuper Aram præter ſuã hoſtiã, & Calicem, etiam Pyxidem hoſtiarũ minorum, quæ conſecrantur pro communione populi: quare aliqui ſtatim poſt conſecrationē vel Pyxidem intra ſacrarium, ſeu Ciborium reponũt, vel extra Aram ſuper aliud corporale. Quæritur, an hoc licitè fiat.

Reſp. non poſſe hoc licitè fieri; ſed peccare ita agentes contra Rubricas huius tituli octaui num. 5.

numero 5. iuncta alia Rubrica tituli secundi, num. 3.

Probatur 1 quia in prædictis Rubricis præcipitur, vt particulæ prædictæ ponantur, vel ante Calicem si sint absque vase, vel retrò post Calicem, si sint intra Pyxidem, & facta consecratione ibi relinquantur, videlicet super Aram, seu non amoueantur à suis locis, nisi facta communione, vt colligitur etiam ex Rubricis infra tit 10. num. 5. & 6. quia tunc completur sacrificium; Ergo &c.

Ratio vero est; quia ipsæ minores hostiæ simul cum hostia grandiori pertinent ad idem Sacrificium, & omnes simul vnica victima sunt, & per modum vnius offeruntur: ergo non debent ante Sacerdotis communionem, quando Sacrificium completur distrahi à Sacrificio, sed super Aram esse debent, qui est proprius locus Sacrificij: & orationes, & ritus ad ornatum Sacrificij pertinentes ad totam materiam dirigi debent, ita Cardinalis de Lugo de Euchar. disput. 20. num. 69. Auersa de sacrific. q. 11 sec. 13. § super hunc lapidem, Tambur. Opusc. de Sacrif. lib. 2. cap. 5. §. 2. n. 12. Bernal de Sacrif. & alij communiter.

An autem peccent mortaliter, vel solum venialiter, qui ante communionem particulas prædictas extra Aram, vel intra Ciborium reponunt; Dicendum videtur excusari posse à mortali: quia cum super Aram remaneat Hostia grandior, veluti alias repræsentans, non videtur res grauis ab esse paruas, & docet Tambur. supra, quamuis id omnino cauendum, cum sit contra Rubricas, & alij DD. grauiter reprehendunt.

Colligitur malè item agere eos, & esse pariter reprehendendos, qui statim post consecrationem vas cum particulis consecratis alteri Sacerdoti tradunt, vt eas in alio Altari populo distribuat, quia militat eadem ratio, nec enim ante sumptionem Sacramenti, quæ fit à Celebrante censetur victima perfectè, & integrè sacrificata: Ergo non debent abesse illæ hostiæ, quæ pertinent ad eandem victimam, ita de Lugo supra, & Tambur. qui tamen addit, nisi adsit necessitas expediendi communionem populi: quia tunc causa rationabilis excusat, quod admitti potest; Seclusa tamen necessitate permittendum non est, vt prius alij participent de sacrificio, quàm ipse Celebrans, qui respectu aliorum est principalis offerens; Vnde in Rubricis, & in omnibus liturgijs, prius ponitur communio Celebrantis, & postea communio populi, neque hic ordo est facile peruertendus; De Lugo supra.

SECTIO II.

De applicatione Sacrificij, seu de dispensatione fructus eiusdem.

TEmpus magis aptum applicandi fructum Sacrificij ijs, pro quibus à Celebrante idem Sacrificium offertur, vel offerri debet, est in primo memento; Idcirco enim conceditur illud intermedium, in quo nihil recitandum præscribitur nomine totius Ecclesiæ, vt Sacerdos commodè, & opportunè satisfacere possit suæ priuatæ obligationi & deuotioni, præsertim quoad applicationem Sacrificij: quamuis enim applicatio hæc fieri possit etiam ante missam, sicut etiam de ipso memento suprà dicebamus; Nihilominus conuenit vt in ipsa Missa, saltem vnico actu dirigat Sacerdos suam intentionem, quoad hunc affectum ad eos, quibus applicare intendit fructum Sacrificij, vel ex iustitia ratione stipendij accepti, vel ex charitate, aut gratitudine &c. Cum autem hæc applicatio ex dicendis necessario fieri debeat ante consecrationem, non est dubium oportunè fieri in primo momento, vt ex communi sententia notat Tambur. Opusc. de Sacrif. lib. 2. cap. 2 §. 10. num. 4. etiam si applicatio facienda sit pro Defunctis: quia post consecrationem inutiliter fieret: cur autem ordinetur secundum memento pro Defunctis post consecrationem, alibi dicemus. Hac ergo ratione merito hoc loco tractandum esse duximus de applicatione Sacrificij ad vberiorem explicationem rubricæ huius tituli nu. 3. in qua agitur de primo Memento.

DVBIVM I.

An pro infidelibus, & non baptizatis possit offerri Missa, eisque prodesse.

PRæmittendum applicationem Sacrificij, seu distributionem fructuum ex eo prouenientium pertinere propriè ad Celebrantem, qui est dispensator mysteriorum Christi, vt dicemus in tract. de Sacrificio q. 2. punc. 9. Vt ergo Sacrificium aliquibus determinatè prosit; debet Celebrans speciali intentione missam offerre pro illis, saltem vt illis conferatur specialis effectus seu fructus, qui dicitur medius, tam satisfactionis quàm impetrationis, ex communi Doct. sententia, vt videri potest apud

Auersam de Sacrificio q 11. sec. 10 §. 2. Hoc posito agendum est primo de illis, pro quibus offerri potest Sacrificium; Deinde explicabimus alia requisita ad applicationem: circa dubium ergo propositum de Infidelibus.

Prima sententia absolute negat etiam de Cathecumenis qui non carent fide, sed Baptismo.

Probatur primo auctoritate Conciliorum, & Patrum apud Vasq. in 3. p. disp. 227. cap. 3. & præsertim August. lib. 1. de Anima, & eius origine cap. 9. Vbi aperte dicit, non offerri hoc Sacrificium pro Cathecumenis, & non baptizatis.

Probatur secundo, ex vsu Ecclesiæ Romanæ, quæ nunquam orat pro Cathecumenis in missa, nisi in feria 6. Parasceue, quando re vera non offertur Sacrificium.

Probatur tertio, Ratione: quia ante Baptismum, qui est ianua Sacramentorum, non possunt conferri valide alia Sacramenta, nec vllo modo prosunt non baptizatis, etiam si veram fidem conceperint, vt Cathecumeni: ergo nec pro illis valet hoc sacrificium, quippe eadem videtur ratio, cùm sacrificium conferat suos effectus ad instar Sacramenti ex opere operato: Hanc sententiam tenet Vasquez loco citato, & plures alij DD. quatenus asserunt non posse neque licitè, neque valide offerri sacrificium directè pro infideli, vel non baptizato vllo modo, sed ad summum indirectè, quatenus offertur pro dilatatione fidei, & bono Ecclesiæ, ex quo indirectè sequitur vtilitas infidelium, ita Castro Palao, Leander, Granado, Machadus, Camerota, & alij apud Dianam p. 10. tract. 12. resol. 21.

Secunda sententia affirmat posse validè & licitè offerri directè sacrificium pro infideli, & à fortiori pro Cathecumeno quoad fructum impetrationis, quo non baptizati sunt capaces.

Probatur primo, quia etiam in veteri lege offerebantur sacrificia pro Infidelibus, E.g. pro Eliodoro &c. 1. Machab. 12. & 2. cap 3. & alibi, ergo idem nunc licet, cùm nostrum sacrificium magis sufficiens, & magis vniuersale sit.

Probatur secundo, quia hoc non est omnino alienum ab vsu Ecclesiæ, nam ita factum esse antiquitus ex multis Sanctis Partibus probat Suar. to 3. in 3. p. in. disp. 78. sec. 2. Nec modò constat de prohibitione aliqua; ergo etiam modo id licitum est, ita Suar. supra, Henriq. Bellarminus, de Lugo, Layman, Auersa, & alij, quos citat Diana supra. Pro resolutione.

Respondeo, & dico primo, non potest validè, consequenter nec licitè offerri sacrificium pro non baptizatis, quatenus est satisfactorium, seu quoad fructum remissionis peccatorum, & pœnarum. Probatur: quia sacrificium in hac parte institutum est ad instar Sacramentorum, quæ supponunt Baptismum, & eorum naturam imitatur, vt probant rationes primæ sententiæ, & conueniunt etiam auctores secundæ sententiæ.

Dico secundo potest valide, & licitè offerri sacrificium pro non baptizatis, quatenus est impetratorium, seu quoad fructum impetrationis, etiam directe, siue pro infidelibus, vel non baptizatis in genere, siue determinate pro vno, vel pluribus in particulari, vt conuertantur ad fidem, & vniantur Ecclesiæ per Baptismum.

Probatur: quia sacrificium Missæ quoad hanc proprietatem & valorem Impetrandi, potius imitatur naturam sacrificij Crucis, seu cruenti, quàm Sacramentorum, quæ supponunt Baptismum: quia sicut sacrificium Crucis est fons omnium bonorum, & causa vniuersalis gratiarum quoad sufficientiam, ita sacrificium incruentum est causa vniuersalis gratiarum quoad efficaciam & actualem applicationem, tanquam præcipuum instrumentum sacrificij cruenti: Sed sacrificium Crucis oblatum fuit pro omnibus quoad sufficientiam, & nemo fuit exclusus, quia Christus pro omnibus mortuus est, & meruit omnes gratias, nedum illas quibus indigent fideles baptizati, sed etiã illas, quibus indigent infideles & nõ baptizati vt ad veram fidem, & ad Baptismum perueniant: ergo omnes prædictæ gratiæ impetrari, & applicari possunt per hoc sacrificium incruentũ, siue baptizatis siue alijs: Maior vero probatur efficaciter Ex Trid. ses. 22. c. 2 Vbi asserit per oblationẽ huius sacrificij missæ & incruenti vberrimè percipi fructus sacrificij Crucis, cruẽti.

Probatur secundo ex vsu Ecclesiæ, quę orat pro conuersione infidelium, & sacrificiũ missę etiam pro illis offert, vt patet ex verbis quibus vtimur in oblatione Calicis, pro nostra & totius Mundi salute cum odore suauitatis ascendat. Ex quibus patet ad argumenta primę sententię, & adhærendum esse secundę senten. tiæ, tanquam longe probabiliori.

An autem possit à Sacerdotibus accipi stipendium à non Baptizatis in hunc finem offerendi pro illis sacrificium, videri potest apud Dianam p. 10. tra. 12. citato, resol. 21. in qua re non immoror quia vix vnquam casus contingit.

* *
*

DVBIVM II.

An possit offerri Missa pro excommunicatis, catholicis, vel haereticis,

CErtum est excommunicatos omnes priuari ab Ecclesia communibus suffragijs, atque adeo prohibitum esse Sacerdoti missam offerre pro excommunicatis, vt patet ex cap. a nobis 2. de sententia excommunicationis: quia tamen excommunicati, quidam sunt vitandi & non tolerati, alij tolerati, & insuper Sacerdos potest applicare missam pro alijs. Primo, vt minister Christi, Secundo, vt minister, & legatus Ecclesiæ eiusque nomine, Tertio, vt priuata persona vt dicemus in tract. de sacrificio; Videndum est qualiter intelligatur hæc prohibitio: Et primo.

DE EXCOMMVNICATO Vitando.

REspondeo, & dico primo. Si Sacerdos offerat missam pro excommunicato vt minister Christi, certum est eum grauiter peccare, nihilominus applicatio est valida, quatenus excommunicatus est capax alicuius ex fructibus sacrificij.

Prima pars probatur: quia Ecclesia id directè prohibet vt supra dicebamus graui præcepto, quod numquam temperauit quoad excommunicatos vitandos, & non toleratos.

Secunda pars probatur: quia potestas consecrandi, & applicandi fructum sacrificij est adnexa ordini ex institutione Christi; ergo sicut Ecclesia, sua prohibitione efficere non potest vt consecratio sit inualida, si Sacerdos alias, seruet ritus essentiales ex institutione Christi requisitos; ita nec efficere potest, vt applicatio fructus Sacrificij sit inualida, quamuis illicita.

Confirmatur: quia eadem ratione Ecclesia impedire non potest, ne excommunicatus, aut irregularis validè Sacerdos ordinetur, ergo &c. Ita S. Thom 3. p. q. 82. art. 7. ad 3. Suar. de Censuris disp. 9. sect. 4. Coninch. de Sacram. q. 83. Dub. 9. conclus. 2. Layman. lib. 5. tract. 5. cap. 2. num 7. Auersa de sacrif. q. 11. sec. 10. §. 10. & alij communiter, quos citant.

Colligitur: excommunicatum posita tali applicatione lucrari fructum impetrationis, & si fit contritus, & in statu gratiæ, etiam fructum satisfactionis, Layman, cum alijs supra.

Colligitur secundo, dantes stipendia, vt celebrentur missæ pro excommunicatis vitandis, etiam filijs, & quibuscumq. alijs peccare mortaliter contra prohibitionem Ecclesiæ, nisi bona fide excusentur, & similiter Sacerdotes ea scienter acceptantes, qui idcirco antequam eas dicant, tenentur restituere ijs à quibus acceperunt: secus postquam celebrauerint; quia acceptum ad opus illicitum perpetrandum eo impleto retineri potest ex communi sententia; quamuis oppositum sentire videatur Tambur. Opusc. de sacrif lib. 2. cap. 2. § 4 n. 7 sed absque fundamento, nisi Sacerdos fraude, & deceptione vsus fuerit.

Dico secundo. Si Sacerdos offerat sacrificiũ pro excommunicato vitando, tanquam minister Ecclesiæ, & eius nomine, idest applicando illi publicas orationes, quæ recitantur nomine Ecclesiæ, nedum applicatio est illicita, & cum peccato mortali, sed etiam omnino inualida. Quod sit illicita patet: quia contra grauem Ecclesiæ prohibitionem. Quod autem sit inualida est etiam manifestum; quia Ecclesia non vult pro excommunicato orare, & positiuè excludit: ergo cum prædictas orationes offerat Sacerdos nomine Ecclesiæ: & acta nomine alterius contra eiusdem voluntatem sint inualida, ideo &c. ita DD. communiter citati in prima conclus.

Dico tertio, potest Sacerdos & licitè & validè tanquam persona priuata offerre sacrificium pro excommunicato vitando, videlicet orando proprio nomine pro illo secreto in memento, & priuatum sacrificij fructum ex opere operantis illi applicando, sicut potest alias priuatas orationes, & suffragia pro illo facere; quia vt supra etiam dicebamus sect. præcedenti, Ecclesia tantùm prohibet publica suffragia offerri pro excommunicato, non vero priuata, DD. supra citati, & omnes communiter.

Colligitur: omnia prædicta vera esse, siue excommunicatus vitandus sit Catholicus, siue hæreticus; quia pœna est eadē respectu vtriusque; nisi quod facilius est Catholicum lucrari aliquem fructum ex sacrificio, etiam satisfactionis quia facilius contingit, vt Catholicus resipuerit, & sit contritus, & capax illius effectus: Secus vero est de hæretico, qui caret fide, sine qua impossibile est placere Deo. Colligitur ex DD. citatis.

DE EXCOMMVNICATO Non vitando, seu tolerato.

REspondeo, & dico primo, potest Sacerdos, vt minister publicus: tum Christi tum Ecclesiæ offerre sacrificium pro excommunicato tolerato, & validè, & licitè iuxta probabiliorem sententiam, nempe quoad fructus, quorum est capax. Probatur: quia licet Eccle-

ſia priuet excommunicatos communibus ſuffragijs, & præcipiat alijs ne cum illis cõmunicent, Nihilominus hoc præceptum postea temperauit in fauorem aliorum fidelium, vt hi poſſint licitè cum illis communicare, etiam in ſpiritualibus, vt paret ex conſtitutione Martini V. Ad. euitanda: ergò poſſunt Sacerdotes pro illis offerre ſacrificium; quia hæc eſt ſpecies communicationis in ſpiritualibus; Ita Nauar; Henriq. Conich; Emanuel Sa, quos citat, et ſequitur Tambur. Opuſc. de ſacriſ. lib. 2. cap. 2. § 5. num. 7 Hurtadus de excom. diſp. 3. diff. 4 Cardinalis de Lugo de Euchar. diſp. 19 ſec. 10. num. 187. Auerſa ſupra citatus, & alij plures.

Dixi iuxta probabiliorem ſententiam: quia multi etiam DD. probabiliter negant: eo quia per illam conſtitutionem ad euitanda, ſolum dicunt concedi communicationem externam etiam in ſacris, cuius prohibitio poſſet eſſe grauamini cæteris fidelibus, et parere anxietates, & ſcrupolos; non vero hanc applicationem ſacrificij, quæ fit actu merè interno, & communiter longe abſente ipſo excommunicato. nec videtur propriè communicatio, atque ita docent Suar. Vaſq & alij quos citat, & ſequitur Bonacina de excommun. diſp. 2. quæſt. 2. punc. 1. §. 1. Ceterum id quod diximus eſt probabilius, quia conceſſio prædicta cum ſit fauorabilis ad pacandas conſcientias fidelium, vt liberè poſſint orare, potius eſt ampliaada, quam reſtringuenda ad communicationem merè externam, cum per actus internos verè fideles etiam ad inuicem communicent in bonis ſpiritualibus communibus, quibus etiam priuantur excommunicati huiuſmodi tolerati, quatenus directè poſſunt illis prodeſſe, non vero quatenus indirectè, ne alij ſua libertate priuentur.

Dico ſecundo ſacerdos vt perſona priuata poteſt etiam in ſacrificio orare, & priuatum Sacrificij fructum applicare excommunicatis huiuſmodi abſque vlla controuerſia, vt patet ex dictis à fortiori de excommunicato vitando, DD. citati communiter.

DVBIVM III.

An, & qualiter applicari poſſit miſſa pro peccatoribus.

QVæſtio eſt de fidelibus baptizatis exiſtentibus in peccato mortali.

Reſpondeo certum eſſe, & licitè, & validè applicari miſſam pro peccatoribus, ſaltem quoad effectum impetrationis, vt conuertantur &c. quod eſt verum etiam de Hereticis, & Apoſtatis a fide, quia ratione baptiſmi pertinent etiam ad Eccleſiam, & ſunt eius ſubditi; quare pertinet etiam ad Eccleſiam, quæ eſt pia mater eorum ſalutem procurare preſertim hoc ſacrificio. Quoad effectum verò ſatisfactionis non prodeſt ſacrificium exiſtentibus in peccato mortali, quia durante culpa non remittitur pœna, Ita DD communiter Dubio præcedenti citati. An vero poſſit illis remitti pœna illa, quæ fortè remanſit ex præteritis culpis iam deletis, vel etiam quæ debetur culpis præſentibus remoto poſtea obice eorumdem peccatorum, communiter negant DD; quamuis aliqui concedant, vt videri poteſt apud Auerſam de Sacrificio q. 11. ſec. 10 §. quod ſi poſt remiſſionem. In qua re non immoror hic ad vitandam prolixitatem.

DVBIVM IV.

De reliquis viuentibus, & Defunctis, pro quibus poteſt miſſa applicari.

QVoad fideles viuentes & viatores, certum eſt ſecundum omnes poſſe miſſam applicari iuſtis & amicis Dei ſecundum omnes eius fructus, de quibus latè dicemus in tract. de ſacriſ. in Appendice.

Certum eſt etiam de fide Ex Trid. ſeſſ. 22. & Can. 3. hoc ſacrificium rectè, & ſalubriter offerri pro Defunctis, ſeu pro animabus in Purgatorio exiſtentibus in remiſſionem pœnarum, vt fusè explicauimus p. 2. titul. 5. in dubijs, vbi etiam dubio vltimo probauimus idem ſacrificium nihil prodeſſe poſſe damnatis, nec poſſe licitè pro illis applicari.

Dicendum eſt modò de alijs circumſtantijs applicationis ſacrificij.

DVBIVM V.

Vtrum vna miſſa poſſit, & quandoque debeat vni ſoli applicari, excluſis alijs: & à quibus fructibus poſſint alij excludi.

REſpondeo, & dico primo: Quatenus Sacerdos orat, & ſacrificium offert in perſona Eccleſiæ, cuius ad Deum legatum agit, nec licitè, nec validè mutare poteſt illius intentionem vt aliquem excludat, pro quo Eccleſiam ſacrificium offerre intendit per orationes

tiones; quæ nomine eiusdem Ecclesiæ recitantur. Intentio verò Ecclesiæ principalis, & directa, est supplicandi Deo non pro vno, vel altero tantum, sed pro omnibus fidelibus tanquam mēbris suis, deinde etiam pro salute infidelium; signanter autem fit oratio pro summo Pontifice, & pro Episcopo loci, vt patet initio canonis; consequenter non potest Sacerdos vni tantum sacrificium sub hac ratione applicare, nec quempiam excludere ab hoc fructu generalissimo, Vt vocant. Probatur quia Sacerdos sub hac ratione est legatus, & mandatarius Ecclesiæ, Mandatarius autem non potest excedere fines mandati neque contra voluntatem Principis & mandantis quicquam validè agere. Ita Suar. disp. 78. sec. 2. Coninch quæst. 83. num. 170. Layman de sacrificio cap. 2. n. 16. Auersa de sacrif. quæst. 11. sec. 10. Quauis Cardinalis de Lugo de Euchar disp. 19. n. 224. sustineat re vera Missam non profuturam illi qui a Sacerdote excluditur, quamuis iniquè agat Sacerdos, vt dicemus, quod non videtur improbabile.

Colligitur si Sacerdos ab hac generali oblatione aliquem intendat excludere, certum est eum grauiter peccare, Tum contra mentem Ecclesiæ in re graui, Tum contra ordinem Charitatis; quæ obligat nullum excludere à beneficijs communibus, DD. citati. Vide etiam Tambur. Opusc. de sacrif. lib. 1. cap. 2. §. 13.

Dico secundo Quatenus Sacerdos offert sacrificium vt minister Christi, & eius nomine potest applicare fructum, qui sub hac ratione prouenit ex sacrificio (qui etiam principalis est, & specialis seu medius dicitur) potest inquam applicare vel sibi vel alijs vini aut pluribus prout voluerit, vel eius obligatio exigit, alijs exclusis. Probatur quia totum hoc pendet ex intentione Celebrantis, & ex facultate adnexa ordini Sacerdotali secundum institutionem Christi ita DD. communiter: Videri potest Auersa de sacrif. quæst. 11. sec. 10. §. 2. & nos fusè dicemus in tract. de sacrif. quæst. 2. punc. 8. & sequentibus.

Colligitur: Si Sacerdos teneatur ex iustitia pro aliquo determinatè celebrare, E. g. ob acceptum stipendium; eum teneri sub peccato mortali integrum hunc fructum specialem sacrificij illi soli applicare, qui iustum, & integrum stipendium dedit, & non alijs: quia cum fructus vnius Missæ finitus sit, & limitatus; diuisus inter plures minuitur in singulis: atque adeo fraudaretur ex parte fructu sibi debito, qui iustum stipendium dedit: Ita DD. communiter, & nos fusè dicemus in tract. de sacrificio quæst. 2. punc. 19. & 20.

Dico tertio Quatenus Sacerdos offert sacrificium vt persona priuata, seu proprio nomine, suasque priuatas orationes in ipso sacrificio Deo offert, non tenetur orare pro omnibus, atque adeo potest pro his, vel illis orare; non pro alijs, modo neminem ex odio, vel praua intentione excludat, vel non excludat eos quibus ex iustitia, vel ex charitate tenetur.

Probatur quia nulla est lex cogens vt quoties oramus, pro tota communitate, & pro omnibus orare debeamus: ergo possumus, vel pro vno solo vel pro aliquibus in particulari orare. Exēplo Christi, qui quandoque pro solo Petro orauit itē in cruce pro Crucifixoribus.

Confirmatur: quia Oratio priuata facienda à Sacerdote in memēto, eius arbitrio remittitur vt supra probauimus; ergo potest pro his, vel illis orare pro sup libito.

Dixi modo non excludat, seu non omittat orare pro illis, quibus tenetur: quia fieri potest vt in graui necessitate spirituali sua, vel proximi teneatur ex charitate sibi, vel alteri hoc medio orationis succurrere, Item si ratione promissionis, vel stipendij accepti teneatur orare pro aliquo de quia re dicemus sequenti dubio, ita ex communi Suar. tom 2. de Relig. lib. 1. de oratione cap. 13.

DVBIVM VI.

An teneatur Sacerdos ei, qui stipem dedit nedum applicare fructum satisfactionis, sed etiam impetrationis.

Prima sententia sustinet; non teneri Sacerdotem applicare, nisi fructum ex opere operato prouenientem ex substantia sacrificij, non vero fructum orationum, & precum, quæ non pertinent ad substantiam eiusdem. Probatur: Nam alioquin malus Sacerdos qui est in statu peccati mortalis, non satisfaceret, quod est falsum, & contra communem sententiam. Probatur consequentia: quia malus Sacerdos non consequitur alium fructum quam sacrificij ex opere operato: Ita Pallauicinus, Coninch, Hurtadus, & Alij apud Dianam, & Auersam locis infra citandis.

Secunda sententia docet, teneri omnino sacerdotem applicare etiam fructum impetrationis. Probatur ex communi sensu fidelium; quia missæ postulantur communiter ad impetrandam aliquam peculiarem gratiam, & sub eo onere acceptantur stipendia à Sacerdotibus. Confirmatur quia offerentes stipendia solent studiosè quærere sacerdotes magis deuotos & pios, vt impetratio sit magis efficax. Ita Diana p. 5. trac. 14. resol. 80. Auer de Sacrif. quæst. 11. sec. 15. dico

Respondeo, & dico primo tenetur omnino Sacerdos præter fructum satisfactionis, ei pro quo offert ex obligatione sacrificium, applicare etiam fructum impetrationis, saltem illum fructum, qui posita petitione prouenit ex sacrificio indipendenter a merito, & bonitate celebrantis.

Probatur, tenetur applicare secundum intentionem postulantis Missam: hæc autem intentio sepissimè dirigitur principaliter ad obtinendam aliquam gratiam ex vi sacrificij, & fortè plures nihil cogitant de fructu satisfactionis, quamuis implicitè hunc quoque velint & quicquid boni ex oblatione sacrificij illis prouenire potest. Ergo etc.

Hanc conclusionem existimo omnino certā neque existimo Auctores primæ sententiæ oppositum velle ex quo possent auerti fideles ab oblatione eleemosinarum pro Missis; sed solum loqui de fructu impetrationis, qui correspondet oblationi sacrificij, et orationibus, quæ offeruntur à Sacerdote, vt est priuata persona et proprio nomine, seu ex opere operantis; non vero de fructu impetrationis, qui posita petitione correspondet oblationi sacrificij, quatenus offertur in persona Christi, et Ecclesiæ, qui non impeditur ex prauo statu Sacerdotis, vt dicemus in tract. de Sacrificio quæst. 2. punc. 6. Quicquid sit an appellari debeat ex opere operato, quia forte non est infallibilis, certum est autem esse vltra meritum operantis, et ex valore sacrificij secundum se à quocumque offeratur.

Colligitur primo teneri celebrantem pro eo qui missam postulauit, applicare fructum orationum, et precum, quæ recitantur in Missa nomine Ecclesiæ vt expresſè docent Auctores secundæ sententiæ, quicquid in oppositum dicere videantur alij citati pro prima sentētia. Probatur: quia offerentes stipendia totum illum fructum intendunt, qui etiam non impeditur ex prauo statu sacerdotis. et absque incōmodo applicari potest, Imò in quibusdam precibus specialiter hi comprehenduntur, nec excludi possunt ex supradictis, E. g. cum in Canone fit commemoratio Circumstantium, et eorum qui concurrunt ad sacrificium, videlicet pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt; Dantes autem stipendium maximè concurrunt ad oblationem sacrificij.

Confirmatur quia communiter DD. asserunt teneri sacerdotes celebrare eas Missas, quæ postulantur de requie, vel votiuas ob fructum impetrationis adnexum peculiaribus orationibus; nisi aliundè hic fructus compensetur.

Colligitur secundo satisfacere sacerdotem huic obligationi offerendo Sacrificium iuxta intentionem eorum, pro quibus tenetur offerre: quia sic implicitè petunt à Deo ex vi sacrificij peculiarem illam gratiam, quam ijdem desiderant; Nec tenetur Celebrās ex hoc præciso capite procurare statum gratiæ: quia vt dicebamus, sacrificium nomine Christi oblatum habet peculiarem vim impetrandi, independenter à merito, & bonitate proximi offerentis.

Dico secundo, non tenetur Sacerdos ex vi præcisa stipendij applicare ei pro quo celebrat fructum impetrationis illarum orationū, quas fundit in sacrificio vt priuata persona, E. g. in memento, neque alium fructum, qui dicitur ex opere operantis. Imò neque fructum proprium sacrificij, qui dicitur specialissimus (posito quod detur) de quo dicemus in trā. de sacrif. Hanc conclusionem probat fundamentum primæ sententiæ, & forte eius Auctores nihil aliud voluerunt.

Dixi ex vi præcisa stipendij: quia ratione specialis promissionis possunt obligari ex iustitia, vel ex fidelitate, iuxta conditionem promissionis: communiter autem non censentur Sacerdotes velle se obligare nisi ex fidelitate, & sub peccato veniali.

DVBIVM VIII.

De intentionibus contrarijs circa missæ applicationem, Quænam earum præualeat.

NOn est quæstio hic de applicatione missæ facta à diuersis: E. g. si Superior applicaret missa pro Titio, & Subditus celebrans in contrarium applicet pro Paulo, de qua dicemus in tract. de sacrif. q. 2 punc. 14 sed quæstio est de applicatione facta ab eodem celebrante per duos actus contrarios, E g. heri applicaui sacrum hodiernū pro Titio, à quo accepi stipendium, hodie deinde ante celebrationem applico idem sacrum pro Paulo. Quæritur cui prosit fructus missæ, Titio cui prius applicaueram, vel Paulo, cui posterius: Supponimus autem per applicationem posteriorem non reuocari saltem expresſè priorem.

Respondeo, & dico primo. Præualet illa applicatio, quæ est magis efficax & absoluta, & hæc sortitur effectum. Probatur: quia intentio magis efficax, & maioris virtutis vincit alteram minus efficacem, & consequenter implicitè reuocat illam: ergo magis efficax sortitur suum effectum, ita ex communi sententia Cardinalis de Lugo de Sacram. disput. 8. sect. 8.

Difficultas est, vnde dignosci possit alteram esse magis efficacem?

Re-

Respondeo id colligendum esse ex affectu, & maiori voluntatis propensione in alterutrum, & quid faceret Sacerdos si adverteret non posse Sacrificium quoad integrum fructum vtrique applicari; An potius applicaret Titio quam Paulo: nam si magis velit applicari Titio, applicatio facta in fauorem Pauli est implicite conditionata, idest nisi applicata fuerit Titio, & idcirco in casu nostro applicatio pro Paulo recuocata manet per priorem in fauorem Titij, Ita de Lugo loco citato.

Dico secundo si vtraque intentio sit æquè absoluta, & efficax, communiter preualet posterior, & reuocat priorem.

Probatur: quia cum voluntas hominis sit mutabilis, & libera, & communiter soleant homines nouo actu posteriori alium priorem mutare, & reuocare, ceteris paribus preualet actus posterior priori contrarius, nisi prior elicitus fuerit cum clausula obstanti reuocationi prędictæ.

Confirmatur à simili de testamentis, quorum vltimum præualet priori, Ita de Lugo, loco supracitato; cuius oppositum docet Tambur. Opusc. de Sacrif. lib. 2. cap. 2. §. 11. num 8.

Dices cum Tamburino, qui prior est tempore, potior est Iure, ergo cum Titius sit prior tempore in casu nostro ratione prioris intentionis elicitæ in fauorem eius, est etiam potior Iure, cui non censetur Sacerdos velle derogare per applicationem posteriorem, nisi espressè declaret.

Respondeo hoc ad summum habere locum in rigorosa promissione manifesta, & acceptata a promissario, qua transfertur ius in alium secus io simplici proposito, & intentione merè interna, de qua loquimur, & qua nullum ius acquiritur alteri.

Colligitur primo si Sacerdos memor applicationis preteritæ factæ in fauorem Titij, postea applicet Missam pro Paulo, certum est secundum omnes hanc secundam pręualere, & Paulum lucrari fructum sacriacij non Titiũ quia posterior voluntas clare priorem reuocat de Lugo, & Tambur. locis citatis.

Colligitur secundo si Sacerdos velit vtroque actu intentionis non applicare alterutri integrum fructum sacrificij; sed partem vni, partem alteri, vterque actus sortietur suum effectum, & missa partialiter proderit vtrique quia hoc nullo modo repugnat, remanet tamen obligatio compensandi, & sarciendi id, quod alterutri vlterius debet vt per se constat, & notat Tambur. supra.

Colligitur si prior applicatio pro Titio habuerit clausulam obstantem reuocationi; quia Sacerdos voluit eam præferre omni alteri applicationi per obliuionem facendæ, in hoc casu non reuocatur per applicationem posteriorem factam in fauorem pauli, Imo hæc anticipatè reuocara fuit per illam, quæ est magis efficax, & idcirco Titio, non Paulo prodetit sacrificium.

Confirmatur exemplo Voti: nam si quis emittat votum non vouendi nisi consulto confessario, & ex nunc velit sua vota imposterum non fore valida nisi ea conditione posita: si Nihilominus immemor huius voluntatis voueat verè hoc votum non est validum, nisi eo effet affecto, vt etiam si recordaretur vellet valere, ergo pariter in casu nostro; Cardinalis de Lugo loco citato.

Colligitur quarto, Quando omnibus consideratis dubia res est, vel sub opinione, An Titio, vel Paulo prosuerit Sacrificium, satis posse remedium adhiberi si offeratur à Sacerdote sequens Missa sub hac intentione E. g. Applico Missã pro altero ex illis, quibus eram obligatus, et cui satisfactum non suit præcedẽti sacrõ; nã Deus, cui explorata sunt omnia, illi cui fructus defuit applicabit; Tambur. supra n. 9.

DVBIVM VIII.

De Alijs Requisitis ad Applicationem Remissiuè.

De Applicatione Missæ iterũ redibit sermo in tract de Sacrificio in Appendice vbi commodius reliqua explicabimus, quæ hic desiderati possunt.

Primo qualis intentio requiratur ad validam applicationem Sacrificij: vide in appendice tract. de sacrificio q. 2. punc. 10.

Secundo quando fieri debeat hæc applicatio, ibidem punc. 11.

Tertio quid fiet de fructu sacrificij, si celebrans nemini applicet, ibidem punc. 12.

Quarto vtrum applicatio prædicta possit remitti in Deum, ibidem punc. 13.

Quinto Vtrum Applicatio illicita contra iustitiam vel obedientiam sit valida, ibidem punc. 14.

Sexto An prelatus habeat ius pręcipiendi Sacerdoti suo subdito missæ applicationem, Ibidem punc. 15.

Septimo An Missa presens possit applicari anticipate pro illis, qui inposterum oblaturi sunt stipendia, eodem tract. de sacrificio q. 4. punc. 1. Difficultate 5.

SECTIO III.

De Consecratione vtriusque speciei. Quoad eius effectum.

DE materia Vtriusque consecrationis, et conditionibus ad illam requisitis, fusè disputabimus in 3. par. cōment. tit. 2. 3. et 4. similiter ibidem tit. 5. tractandum a nobis est de vtraque forma consecrationis, nempe de eius essentia, & significatione, alijsque conditionibus. Tandem qualiter peccet Sacerdos, si in prolatione consecrationis omittat verbum aliquod, vel etiam literam, siuè aliquid addat vel mutet, satis explicauimus in quæst. Proœmiali sec. 3. 4. & 5. Hic solum ad ornatum Rubricæ superius explicatæ num. 5. aliqua selectiora explicabimus de effectu verborum consecrationis, & quid propriè ipsa verba operentur.

DVBIVM I.

Quid operentur Verba consecrationis circa vtramque speciem.

REspondeo per formam consecrationis conficitur Sacramentum Eucharistiæ: quia: ex vi verborum destructa substantia panis & vini ponitur corpus Christi sub speciebus panis, et sanguis sub speciebus vini, Ex Trid sess. 13. cap. 3. vt fusius explicabimus p. 3. de defectibus tit V. sec. 2. dub. 9.

DVBIVM II.

Quid per corpus intelligatur, cum dicitur poni corpus sub specie panis ex vi verborum.

RAtio dubitandi est, quia non videtur intelligi posse solam materiam primam, quia hæc non est Corpus: neque compositum ex materia et forma substantiali; quia ex cōmuni, et probabiliori sententia in eodem composito non est nisi vnica forma substantialis, et consequenter in homine sola anima, quæ non ponitur sub specie panis ex vi verborum; sed per concomitantiam, Ex Trid. supra cit. Quæritur ergo quidnam ponatur ex vi verborum sub specie panis, et quid nomine corporis intelligatur. Omissis aliorum opinionibus.

Respondeo absolutè et directè sub speciebus panis poni solam materiam ex vi verborum, non autem formam aliquam substantialem.

Ponitur autem materia, non quoad nudam substantiam; sed quantitate organizzata, et partibus æterogeneis constans, quæ per se sunt de necessitate corporis organici, et sic affecta venit nomine corporis humani.

Probatur primo quia non ponitur anima ex vi verborum, sed per concomitantiam, vt expressit conc. Trid. sess. 13. cap. 3. Præter animam vero, non datur alia forma substantialis in homine pertinens ad eius essentiam, vel substantiam ergo etc.

Probatur secundo quia etiam ex communi modo loquendi nomine corporis non intelligitur compositum ex materia, et forma substantiali, sed pars contra distincta à forma, quæ est subiectum formæ cum suis dispositionibus accidentalibus et necessarijs, vt sit corpus organicum: ergo etiam in forma consecrationis ly Corpus meum idem in rigore significat Probatur Antecedens, quando enim dicimus homo constat ex anima, et corpore; ly corpus non includit animam, sed contra distinguitur ab anima: sicut quando dicimus de quolibet composito substantiali constat ex materia, et forma: Ita Gabriel lectione 42. in Canonem Missæ, Aegidius. Maior, Marsilius, et alij, quos citat et sequitur Bonacina, de Sacram. disp. 4. quæst. 3. punc. 5. propos. 4. et Auersa de Euchar. quæst. 14. sec 1 §. dicendum ergo ex quibus patet ad rationem dubitandi.

Colligitur primo in hoc Sacramento esse Corpus Christi verum, non tamen viuum ex vi precisa verborum, neque mortuum ex vi verborum, sed abstrahens et præscindens à viuo et mortuo, Ita DD. communiter apud Suar. de Sacram. disp. 51. sec. 4.; et apud Bonacinam supra. Non enim ex vi verborum est corpus Christi viuum: quia non ponitur anima ex vi significationis sed per concomitantiam, ex Trid supra, et multo minus ponitur mortuum, cum de facto sit viuum: Itaque hæc propositio ex vi verborum in Sacramento est Christus mortuus, nedum est falsa, sed male sonans, et periculosa in fide; quia sensus est poni formam cadaueris ex vi verborum, vel corpus cum dispositionibus repugnantibus animæ, et sic prolatis verbis, non esset statim ibi Anima Christi, quod est hæreticum. Quamuis enim in hoc Sacramento, et sacrificio repræsentetur mors Christi, non tamen in eo est Christus mortuus; sed de facto viuus, vide citatos DD.

Colligitur secundo: sub speciebus vini ex vi verborum non poni solam materiam primam sanguinis, sed etiam formam substantialem,

tialem; ex qua sanguis essentialiter constat: cum enim sanguis non sit animatus; sed alimentum proximum Corporis: cessat hic ratio difficultatis: quia non cogimur dicere poni ibi animam ex vi verborum, quod est falsum; sed aliam formam ab anima distinctam quod nullo modo repugnat verbis Trid. supra allatis.

DUBIUM III.

Vtrum sub speciebus vini ponatur totus sanguis Christi ex vi verborum.

Ratio dubitandi est, quia Christus in consecratione calicis dixit, Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur: ergo ille sanguis tantum, tunc ex vi verborum Christi positus fuit, qui reipsa in passione erat effundendus, & nunc ponitur solum effusus in passione; non vero pars illa, quæ fortè remansit intra venas, nisi per concomitantiam, atque ita opinati sunt aliqui apud Auersam de Euchar. quæst. 4. sec. 1. §. 4.

Respondeo ex vi verborum poni totum Christi sanguinem sub speciebus vini, sicut sub speciebus panis ponitur ex vi verborum totũ, & integrum corpus: Tum quia Probabile est totum prorsus Christi sanguinem fuisse in passione effusum; Tum quia esto pars aliqua intra venas remanserit, Christus non addidit illam clausulam taxatiuè ad restringendam significationem precedentium verborum; sed demonstratiuè ad expressionem mysterij sacrificij Crucis, in cuius memoriam instituit hoc Sacrificium incruentum, Ita ex communi sententia Auersa loc. cit.

Colligitur: si Christus aliquam particulam sui sanguinis reliquit in terris (de qua re est controuersia inter DD.) illam non reponi in Sacramento: quia illa deinceps habetur pro derelicta, & extranea Auersa supra.

DUBIUM IV.

De modo, quo Christus est totus in toto, & totus in qualibet parte Sacramenti.

Ratio dubitandi est quia Corpus Christi nedum est in Sacramento quoad esse substantiale: sed etiam cum omni dispositione, ac perfectione accidentali, quæ illi conuenit in se ipso, & in ordine ad se, vt docet D. Th: 3. par. quæst. 76. artic. 4. & alij communiter; consequenter est etiam in Sacramento cum sua quantitate & partium distinctione: sed essentiæ, & rationi quantitatis videtur repugnare hic modus essendi totus in toto, & totus in qualibet parte Sacramenti; quia si non essent in corpore Christi partes extra partes, & conuenienti ordine inter se connexæ, sed omnes simul confusæ; ergo vel corpus Christi esset sine quantitate, quod est falsum; vel non potest esse totum in qualibet parte Sacramenti.

Respondeo: & Dico primo Certum est de fide Christum esse totum in toto, & totum in qualibet Sacramenti parte. Patet ex Concil. Trid. sess. 13 cap. 3 & Can. 3. vbi addit esse etiam totum in qualibet parte separatione facta, post consecrationem. Et ex cap. in singulis, & cap. vbi pars de Consec dist. 2. & docet D. Th. quæst. 76. art. 2. & omnes Theologi communiter.

Dico secundo corpus Christi non est in Sacramento, veluti costrictum, & coarctatum, per condensationem partium, vel penetrationem earum in ordine ad se: quia hoc esset valde indecens. Et confirmatur: quia si consecraretur panis maioris molis quam sit corpus Christi in se; dici non posset extendi veluti per rarefactionem; ergo quando consecratur panis exiguus, vt fit communiter, non condensatur Corpus Christi, DD communiter apud Suar. disp. 52. sec. 2. & apud Auersam de Euchar. q 4. sec. 1. §. ratione quoque.

Dico tertio corpus Christi est indiuisibiliter in singulis partibus Sacramenti per modum substantiæ, & eo modo quo existit anima rationalis in corpore: & Angelus in loco.

Probatur: quia ex vna parte non est impossibile communicari à Deo corpori quantitatiuo hunc modum presentiæ ad instar spiritus: nulla enim est implicantia; Ex altera parte hic modus est magis conueniens, et magis aptus ad explicandum hoc mysterium; ergo ita asserendum est cum D. Th. quæst. 76. artic. 3. et communi Theologorum sententia apud Suar supra, et apud Bonacinam loco supra citato.

Ad Rationem dubitandi respondetur de essentia et ratione quantitatis esse quidem extensionem partium in ordine ad se, quæ extensio est inseparabilis à ratione quantitatis; Extensionem vero partium in ordine ad locum non pertinere ad essentiam eiusdem quãtitatis, quamuis naturaliter ex ea sequatur, et idcirco posse per diuinam potentiam impediri, et de facto impeditur in casu nostro, ita vt corpus Christi in Sacramento quamuis quantitatem retineat, careat tamen extensione in ordine ad locum, Doctores citati.

Colligitur primo: Corpus Christi in hoc Sacramento habere omnes suas partes distinctas, & ad inuicem suo ordine vnitas, ita vt caput sit immediatè vnitum collo non cruribus; & manus sint vnitæ brachijs non pectori, & sic de alijs; quia tamen caret extensione in ordine ad locum, potest totum esse indiuisibiliter etiam in puncto, DD. citati.

Colligitur secundo. Præsentiam sacramentalem Christi in qualibet hostia esse vnam actu, virtualiter tamen multiplicem, seu diuisibilem in plures; atque adeo quando frangitur hostia consecrata vna illa præsentia in duas, vel plures permutatur, iuxta numerum partium in quas diuiditur, & in singulis est totus Christus; ad quod explicandum afferri solet exemplum de speculo, in quo repræsentatur vnica imago vnius personæ præsẽtis, quod si frangatur, singulæ partes diuisæ totam illius imaginem repræsentant. Item in cap. vbi pars de consecrat. dist. 2. Comparatur hoc Sacramentum cum veteri manna, de quo neque qui plus colligebat, habebat amplius, neque minus qui minus parabat: quæ secundum aliqualem proportionem intelligi debent; videri possunt citati DD.

Colligitur tertio. Christum non contineri sub accidentibus panis, & vini tanquam subiectum illorum: quia accidentia prædicta non inhærent substantiæ Christi, neque quantitas panis quæ remanet est propria Christi. Rursus neque Christus est sub speciebus, seu in Sacramento, tanquam locatum in loco, quia locus est immobilis, & species mouentur; quãuis verè sit Christus in eo loco, & spatio vbi sunt species consecratæ, non tamen circumscriptiue, neq; propriè definitiuè, sicut species, sed per præsentiam sacramentalem, quæ diuersa est à præsentia naturali: verè autem est Christus sub speciebus tanquam contentum in suo continente modo singulari, & supernaturali, qui propriè dicitur sacramentalis DD citati.

DVBIVM V.

An præsentia sacramentalis Christi necessario præsupponat naturalem seu ipsum Christum existentem in propria specie.

Respondeo, & dico primo, Præsentia sacramentalis non ita pendet à naturali, vt sine hac fieri aut conseruari non possit de potentia absoluta Dei. Probatur: quia nulla apparet repugnantia quare Deus conseruare non possit, vel etiam primo producere quodcumque corpus sub illo modo, quo nunc existit Corpus Christi in Eucharistia; vel cur à Deo fieri non potuerit huius Sacramenti mysterium ante Verbi Incarnationem ex visceribus Beatæ Virginis, per vnionem hypostaticam eiusdem Verbi cum humanitate alio diuerso modo ordinatam, ergo &c. ita Scotus in 4. dist. 10. quæst. 4. Gabriel, Soto, Ledesma, & alij apud Suar. de Euchar. disput. 47. sect. 2. quamuis contradicat Caietanus in 3. par. q. 76. art. 2.

Dico secundo, de facto iuxta præsentem institutionem Sacramenti, præsentia Sacramentalis Christi omnino pendet ex naturali, nec sine illa fieri aut conseruari potest, itaque necessario præsupponitur idem Christus præexistens naturali modo in se ipso.

Probatur primo. Ex forma verborum consecrationis, Hoc est Corpus meum, qui modus loquendi, idest in prima institutione, præsupponit ipsum Christum summum Sacerdotem præexistentem & loquentem, ac perficiẽtem consecrationem, & modo eumdem Christum præsupponit, in cuius persona Sacerdos tamquam Christi minister consecrat.

Probatur secundo. Ex dictis supra: quia licèt verba consecrationis non significent nisi Corpus Christi, in quod transubstantiatur panis, nihilominus sub speciebus panis aduenit & verè est Sanguis & anima, & diuinitas Christi ex vi naturalis illius connexionis, qua partes Christi Domini inter se copulantur: quia videlicet ponitur Corpus Christi secundùm, quod in se ipso naturali modo existit, præter extensionem in ordine ad locum; quod vtique non sequeretur nisi ratione dependentiæ prædictæ: Vide DD. citatos, & Auersam de Euchar. q. 4. sect. 4. fine. Hæc satis sit attigisse circa huiusmodi quæstiones, quæ magis concernunt speculationem quàm praxim, ad quam præcipuè in hoc opere attendimus: plura videri possunt, & fusius explicantur apud citatos Auctores.

DVBIVM VI.

De Adoratione debita Sacramento Eucharistiæ.

Hoc dubium addimus ad ornatum Rubricæ huius tituli 8. num. 5. vbi præcipitur vt Sacerdos prolatis verbis consecrationis genuflexus hostiam consecratam adoret, & populo adorandam ostendat; Quærimus ergo quo cultu adorari debeat.

Re-

Respondeo, & dico primo. Christus in hoc Sacramento eodem cultu, & non minori veneratione est adorandus, quàm si palam in propria specie conspiceretur: quia re vera idem Christus sub speciebus existit, qui & in Cælis regnat, ita definit. Trid. sess. 13. cap. 5. & Can. 6 & docent communiter DD. qui videri possunt apud Suar. disp. 65. sect. 1. tom. 3 in 3 p.

Dico secundo: Non solum Christus sub speciebus existens, sed etiam totum visibile Sacramentum, quod ex speciebus & Christo constituitur adorari debet; ita tamen vt primario, & per se Christus adoretur, secundario simul co adorentur species, quasi cum Christo coniunctæ.

Probatur: quia ex speciebus & Christo verè coalescit vnum compositum morale, nempè ipsum augustissimum Sacramentum: ergo vnico actu debet simul adorari, sic Trid. supra, & Ecclesia canens, Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui: Sic omnes Patres communiter apud Suar. supra.

Dico tertio. Hic actus adorationis tam interior, quàm exterior debet esse cultus latriæ perfectus, & absolutus, qualis debetur soli Deo. Patet: quia Christus in hoc Sacramento contentus, nedum est verus homo, sed & verus Deus in vnica persona subsistens; ergo adoratio nō est, hic respectiua sicut adoratio Crucis E.g. sed absoluta, qualis debetur humanitati vt vnitæ Verbo, vt fusius explicat Suar. loco citato.

Colligitur primo, non oportere species adorare sub conditione si consecratæ sint, sufficit, enim certitudo moralis, & satis est conditionem habitu retinere, hoc est intendere verum Christum, & verum Sacramentum adorare: Si tamen ex circumstantijs occurreret probabilis ratio dubitandi, tunc posset adorari sub conditione, Suar. supra sect. 2.

Colligitur secundo, Quid sit dicendum ad eam quæstionem: An hæc adoratio cadat sub graui præcepto, & quando; Dicendum est enim cadere sub præcepto, quoties occurrit occasio in qua adorationem omittere censeretur, irreuerentia quædam, E.g. Quoties hostia consecrata, publicè proponitur adoranda, & quis præsens est, vel eleuatur in missa, vel occurrit in via &c. Quia supposita fide, ipsa naturalis ratio dictat adorandum esse tunc Sacramentum, & oppositum non caret irreuerentia; Regulariter tamen omissio non pertingit ad peccatum mortale, secluso contemptu vel scandalo, propter materiæ leuitatem. Cæterum præceptum negatiuum non inferendi iniuriam, aut irreuerentiam positiuam huic Sacramento, obligat semper & ad semper sub peccato mortali, vt docent communiter DD. cum D. Thom. 3. par. q. 83. artic. 6. ad 7. Suar supra &c.

TITVLVS IX.

DE CANONE POST CONSECRATIONEM VSQVE AD ORATIONEM DOMINICAM.

1 REPOSITO Calice, & adorato, Sacerdos stans ante Altare, extensis manibus ante pectus, dicit secretò, Vnde & memores, &c. cum dicit, de tuis donis, ac datis, iungit manus ante pectus: & cum dicit, Hostiam † puram, Hostiam † sanctam, Hostiam † immaculatam, manu sinistra posita super Altare intra corporale, dextra signat ter communiter super Hostiam & Calicem, & semel super Hostiam tantum, & semel super calicem tantum, dicens, Panem † sanctum vitæ æternæ, & calicem † salutis perpetuæ, deinde stans vt prius extensis manibus prosequitur, Supra quæ propitio, &c. Cum dicit, supplices te rogamus, &c. inclinat se ante medium Altaris, manibus iunctis super illo positis: cum dicit: ex hac Altaris participatione osculatur Altare, manibus hinc inde super corporale positis, Cum dicit, Sacrosanctum Filij tui, iungit manus: & dextra signans, semel super Hostiam tantùm, & semel super calicem,

Auersam de Sacrificio q 11. sec. 10 §. 2. Hoc posito agendum est primo de illis, pro quibus offerri potest Sacrificium; Deinde explicabimus alia requisita ad applicationem: circa dubium ergo propositum de infidelibus.

Prima sententia absolutè negat etiam de Cathecumenis qui non carent fide, sed Baptismo.

Probatur primo auctoritate Conciliorum, & Patrum apud Vasq. in 3. p. disp. 227. cap. 3. & præsertim August. lib. 1. de Anima, & eius origine cap. 9. Vbi apertè dicit, non offerri hoc Sacrificium pro Cathecumenis, & non baptizatis.

Probatur secundo, ex vsu Ecclesiæ Romanæ, quæ nunquam orat pro Cathecumenis in missa, nisi in feria 6. Parasceue, quando re vera non offertur Sacrificium.

Probatur tertio, Ratione: quia ante Baptismum, qui est ianua Sacramentorum, non possunt conferri validè alia Sacramenta, nec vllo modo prosunt non baptizatis, etiam si veram fidem conceperint, vt Cathecumeni: ergo nec pro illis valet hoc sacrificium, quippe eadem videtur ratio, cùm sacrificium conferat suos effectus ad instar Sacramenti ex opere operato: Hanc sententiam tenet Vasquez loco citato, & plures alij DD. quatenus asserunt non posse neque licitè, neque validè offerri sacrificium directè pro infideli, vel non baptizato vllo modo, sed ad summum indirectè, quatenus offertur pro dilatatione fidei, & bono Ecclesiæ, ex quo indirectè sequitur vtilitas infidelium, ita Castro Palao, Leander, Granado, Machadus, Camerota, & alij apud Dianam p. 10. tract. 12. resol. 21.

Secunda sententia affirmat posse validè & licitè offerri directè sacrificium pro infideli, & à fortiori pro Cathecumeno quoad fructum impetrationis, quo non baptizati sunt capaces.

Probatur primo, quia etiam in veteri lege offerebantur sacrificia pro infidelibus, E.g. pro Eliodoro &c. 1. Machab. 12. & 2. cap 3. & alibi, ergo idem nunc licet, cùm nostrum sacrificium magis sufficiens, & magis vniuersale sit.

Probatur secundo, quia hoc non est omnino alienum ab vsu Ecclesiæ, nam ita factum esse antiquitus ex multis Sanctis Patribus probat Suar. to 3 in 3. p. in. disp. 78. sec. 2. Nec modò constat de prohibitione aliqua; ergo etiam modo id licitum est, ita Suar. supra, Henriq. Bellarminus, de Lugo, Layman, Auersa, & alij, quos citat Diana supra. Pro resolutione.

Respondeo, & dico primo, non potest validè, consequenter nec licitè offerri sacrificium pro non baptizatis, quatenus est satisfactorium, seu quoad fructum remissionis peccatorum, & pœnarum. Probatur: quia sacrificium in hac parte institutum est ad instar Sacramentorum, quæ supponunt Baptismum, & eorum naturam imitatur, vt probant rationes primæ sententiæ, & conueniunt etiam auctores secundæ sententiæ.

Dico secundo potest validè, & licitè offerri sacrificium pro non baptizatis, quatenus est impetratorium, seu quoad fructum impetrationis, etiam directè, siue pro infidelibus, vel non baptizatis in genere, siue determinatè pro vno, vel pluribus in particulari, vt conuertantur ad fidem, & vniantur Ecclesiæ per Baptismum.

Probatur: quia sacrificium Missæ quoad hanc proprietatem & valorem impetrandi, potius imitatur naturam sacrificij Crucis, seu cruenti quàm Sacramentorum, quæ supponunt Baptismum: quia sicut sacrificium Crucis est fons omnium bonorum, & causa vniuersalis gratiarum quoad sufficientiam, ita sacrificium incruentum est causa vniuersalis gratiarum quoad efficaciam & actualem applicationem, tanquam præcipuum instrumentum sacrificij cruenti: Sed sacrificium Crucis oblatum fuit pro omnibus quoad sufficientiam, & nemo fuit exclusus, quia Christus pro omnibus mortuus est, & meruit omnes gratias, nedum illas quibus indigent fideles baptizati, sed etiā illas, quibus indigent infideles & nō baptizati vt ad veram fidem, & ad Baptismum perueniant: ergo omnes prædictæ gratiæ impetrari, & applicari possunt per hoc sacrificium incruentū, siue baptizatis siue alijs: Maior vero probatur efficaciter Ex Trid. ses. 22. c. 2 Vbi asserit per oblationē huius sacrificij missæ & incruenti vberrimè percipi fructus sacrificij Crucis, cruēti.

Probatur secundo ex vsu Ecclesiæ, quę orat pro conuersione infidelium, & sacrificium missę etiam pro illis offert, vt patet ex verbis quibus vtimur in oblatione Calicis, pro nostra & totius Mundi salute cum odore suauitatis ascendat. Ex quibus patet ad argumenta primę sententię, & adhærendum esse secundę sententiæ, tanquam longe probabiliori.

An autem possit à Sacerdotibus accipi stipendium à non Baptizatis in hunc finem offerendi pro illis sacrificium, videri potest apud Dianam p. 10. tra. 12. citato, resol. 21. in qua re non immoror quia vix vnquam casus contingit.

DVBIVM II.

An possit offerri Missa pro excommunicatis, catholicis, vel hæreticis,

CErtum eſt excommunicatos omnes priuati ab Eccleſia communibus ſuffragijs, atque adeo prohibitum eſſe Sacerdoti miſſam offerre pro excommunicatis, vt patet ex cap. a nobis 2. de ſententia excommunicationis: quia tamen excommunicati, quidam ſunt vitandi & non tolerati, alij tolerati, & inſuper Sacerdos poteſt applicare miſſam pro alijs. Primo, vt miniſter Chriſti, Secundo, vt miniſter, & legatus Eccleſiæ eiuſque nomine, Tertio, vt priuata perſona vt dicemus in tract. de ſacrificio; Videndum eſt qualiter intelligatur hæc prohibitio: Et primo.

DE EXCOMMVNICATO Vitando.

REſpondeo, & dico primo. Si Sacerdos offerat miſſam pro excommunicato vt miniſter Chriſti, certum eſt eum grauiter peccare, nihilominus applicatio eſt valida, quatenus excommunicatus eſt capax alicuius ex fructibus ſacrificij.

Prima pars probatur: quia Eccleſia id directè prohibet vt ſupra dicebamus graui præcepto, quod numquam temperauit quoad excommunicatos vitandos, & non toleratos.

Secunda pars probatur: quia poteſtas conſecrandi, & applicandi fructum ſacrificij eſt adnexa ordini ex inſtitutione Chriſti; ergo ſicut Eccleſia, ſua prohibitione efficere non poteſt vt conſecratio ſit inualida, ſi Sacerdos alias ſeruet ritus eſſentiales ex inſtitutione Chriſti requiſitos; ità nec efficere poteſt, vt applicatio fructus Sacrificij ſit inualida, quamuis illicita.

Confirmatur: quia eadem ratione Eccleſia impedire non poteſt, ne excommunicatus, aut irregularis validè Sacerdos ordinetur, ergo &c. Ita S. Thom 3. p. q. 42. art. 7. ad 3. Suar. de Cenſuris diſp. 9. ſect. 4. Coninch. de Sacram. q. 83. Dub. 9. concluſ. 2. Layman. lib. 5. tract. 5. cap. 2. num 7. Auerſa de ſacrif. q. 11. ſec. 10. §. 10. & alij communiter, quos citant.

Colligitur 1. excommunicatum poſita tali applicatione lucrari fructum impetrationis, & ſi ſit contritus, & in ſtatu gratiæ, etiam fructum ſatisfactionis, Layman, cum alijs ſupra.

Colligitur ſecundo, dantes ſtipendia, vt celebrentur miſſæ pro excommunicatis vitandis, etiam filijs, & quibuſcumq. alijs peccare mortaliter contra prohibitionem Eccleſiæ, niſi bona fide excuſentur, & ſimiliter Sacerdotes ea ſcienter acceptantes, qui idcirco antequam eas dicant, tenentur reſtituere ijs à quibus acceperunt: ſecus poſtquam celebrauerint: quia acceptum ad opus illicitum perpetrandum eo impleto retineri poteſt ex communi ſententia; quamuis oppoſitum ſentire videatur Tambur. Opuſc. de ſacrif. lib. 2. cap. 2. §. 4 n. 7 ſed abſque fundamento, niſi Sacerdos fraude, & deceptione vſus fuerit.

Dico ſecundo. Si Sacerdos offerat ſacrificiũ pro excommunicato vitando, tanquam miniſter Eccleſiæ, & eius nomine, ideſt applicando illi publicas orationes, quæ recitantur nomine Eccleſiæ, nedum applicatio eſt illicita, & cum peccato mortali, ſed etiam omnino inualida. Quod ſit illicita patet: quia contra grauem Eccleſiæ prohibitionem. Quod autem ſit inualida eſt etiam manifeſtum; quia Eccleſia non vult pro excommunicato orare, & poſitiuè excludit: ergo cum prædictas orationes offerat Sacerdos nomine Eccleſiæ: & acta nomine alterius contra eiuſdem voluntatem ſint inualida, ideo &c. ita DD. communiter citati in prima concluſ.

Dico tertio, poteſt Sacerdos & licitè & validè tanquam perſona priuata offerre ſacrificium pro excommunicato vitando, videlicet, orando proprio nomine pro illo ſecreto in memento, & priuatum ſacrificij fructum ex opere operantis illi applicando, ſicut poteſt alias priuatas orationes, & ſuffragia pro illo facere: quia vt ſupra etiam dicebamus ſect. præcedenti, Eccleſia tantùm prohibet publica ſuffragia offerri pro excommunicato, non verò priuata, DD. ſupra citati, & omnes communiter.

Colligitur: omnia prædicta vera eſſe, ſiue excommunicatus vitandus ſit Catholicus, ſiue hæreticus: quia pœna eſt eadẽ reſpectu vtriuſque; niſi quod facilius eſt Catholicum lucrari aliquem fructum ex ſacrificio, etiam ſatisfactionis: quia facilius contingit, vt Catholicus reſipuerit, & ſit contritus, & capax illius effectus: Secus vero eſt de hæretico, qui caret fide, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo. Colligitur ex DD. citatis.

DE EXCOMMVNICATO Non vitando, ſeu tolerato.

REſpondeo, & dico primo, poteſt Sacerdos vt miniſter publicus tum Chriſti tum Eccleſiæ offerre ſacrificium pro excommunicato tolerato, & validè, & licitè iuxta probabiliorem ſententiam, ſemper quoad fructus, quorum eſt capax. Probatur: quia licet Eccle-

ſia

ſta priuet excommunicatos communibus ſuffragijs, & præcipiat alijs ne cum illis cõmunicent, Nihilominus hoc præceptum poſtea temperauit in fauorem aliorum fidelium; vt hi poſſint licitè cum illis communicare, etiam in ſpiritualibus, vt patet ex conſtitutione Martini V. Ad. euitanda: ergò poſſunt Sacerdotes pro illis offerre ſacrificium; quia hæc eſt ſpecies communicationis in ſpiritualibus; Ita Nauar; Henriq. Coniech. Emanuel Sà, quos citat, et ſequitur Tambur. Opuſc. de ſacriſ. lib. 2. cap. 2. § 5. num. 7 Hurtadus de excom. diſp. 3. diff. 4 Cardinalis de Lugo de Euchar. diſp. 19 ſec. 10. num. 187. Auerſa ſupra citatus, & alij plures.

Dixi iuxta probabiliorem ſententiam: quia multi etiam DD. probabiliter negant: eo quia per illam conſtitutionem ad euitanda, ſolum dicunt concedi communicationem externam etiam in ſacris, cuius prohibitio poſſet eſſe grauamini cæteris fidelibus, et parere anxietates, & ſcrupolos; non vero hanc applicationem ſacrificij, quæ fit actu merè interno, & communiter longe abſente ipſo excommunicato. nec videtur propriè communicatio, atque ita docent Suar. Vaſq & alij quos citat, & ſequitur Bonacina de excommun. diſp. 2. quæſt. 2. punc. 1. §. 1. Ceterum id quod diximus eſt probabilius, quia conceſſio prædicta cum ſit fauorabilis ad pacandas conſcientias fidelium, vt liberè poſſint orare, potius eſt amplianda, quam reſtringuenda ad communicationem merè externam, cum per actus internos verè fideles etiam ad inuicem communicent in bonis ſpiritualibus communibus, quibus etiam priuantur excommunicati huiuſmodi tolerati, quatenus directè poſſunt illis prodeſſe, non vero quatenus indirectè, ne alij ſua libertate priuentur.

Dico ſecundo ſacerdos vt perſona priuata, poteſt etiam in ſacrificio orare, & priuatum Sacrificij fructum applicare excommunicatis huiuſmodi abſque vlla controuerſia, vt patet ex dictis à fortiori de excommunicato vitando, DD. citati communiter.

DVBIVM III.

An, & qualiter applicari poſſit miſſa pro peccatoribus.

QVæſtio eſt de fidelibus baptizatis exiſtentibus in peccato mortali.

Reſpondeo certum eſſe, & licitè, & validè applicari miſſam pro peccatoribus, ſaltem quoad effectum impetrationis, vt conuertantur &c. quod eſt verum etiam de Hereticis, & Apoſtatis a fide, quia ratione baptiſmi pertinent etiam ad Eccleſiam, & ſunt eius ſubditi; quare pertinet etiam ad Eccleſiam, quæ eſt pia mater eorum ſalutem procurare preſertim hoc ſacrificio. Quoad effectum verò ſatisfactionis non prodeſt ſacrificium exiſtentibus in peccato mortali, quia durante culpa non remittitur pœna, Ita DD communiter Dubio præcedenti citati. An vero poſſit illis remitti pœna illa, quæ fortè remanſit ex præteritis culpis iam deletis, vel etiam quæ debetur culpis præſentibus remoto poſtea obice eorumdem peccatorum, communiter negant DD; quamuis aliqui concedant, vt videri poteſt apud Auerſam de Sacrificio q. 11. ſec. 10 §. quod ſi poſt remiſſionem. In qua re non immoror hic ad vitandam prolixitatem.

DVBIVM IV.

De reliquis viuentibus, & Defunctis, pro quibus poteſt miſſa applicari.

QVo ad fideles viuentes & viatores, certum eſt ſecundum omnes poſſe miſſam applicari iuſtis & amicis Dei ſecundum omnes eius fructus. de quibus latè dicemus in tract. de ſacriſ. in Appendice.

Certum eſt etiam de fide Ex Trid. ſeſſ. 22. & Can. 3. hoc ſacrificium rectè, & ſalubriter offerri pro Defunctis, ſeu pro animabus in Purgatorio exiſtentibus in remiſſionem pœnarum, vt fusè explicauimus p. 2. titul. 5. in dubijs, vbi etiam dubio vltimo probauimus idem ſacrificium nihil prodeſſe poſſe damnatis, nec poſſe licitè pro illis applicari.

Dicendum eſt modò de alijs circumſtantijs applicationis ſacrificij.

DVBIVM V.

Vtrum vna miſſa poſſit, & quandoque debeat vni ſoli applicari, excluſis alijs: & à quibus fructibus poſſint alij excludi.

REſpondeo, & dico primo: Quatenus Sacerdos orat, & ſacrificium offert in perſona Eccleſiæ, cuius ad Deum legatum agit, nec licitè, nec validè mutare poteſt illius intentionem vt aliquem excludat, pro quo Eccleſiam ſacrificium offerre intendit per orationes

tiones; quæ nomine eiusdem Ecclesiæ recitantur. Intentio verò Ecclesiæ principalis, & directa, est supplicandi Deo non pro vno, vel altero tantum, sed pro omnibus fidelibus tanquam mẽbris suis, deinde etiam pro salute infidelium; signanter autem fit oratio pro summo Pontifice, & pro Episcopo loci, vt patet initio canonis; consequenter non potest Sacerdos vni tantum sacrificium sub hac ratione applicare, nec quempiam excludere ab hoc fructu generalissimo, Vt vocant. Probatur quia Sacerdos sub hac ratione est legatus, & mandatarius Ecclesiæ, Mandatarius autem non potest excedere fines mandati neque contra voluntatem Principis & mandantis quicquam validè agere. Ita Suar. disp. 78. sec. 2. Coninck quæst. 83. num. 170. Layman de sacrificio cap. 2. n. 16. Auersa de sacrif. quæst. 11. sec. 10. Quinimo Cardinalis de Lugo de Euchar disp. 19. n. 224. sustinet re vera Missam non profuturam illi qui a Sacerdote excluditur, quamuis iniquè agat Sacerdos, vt dicemus, quod non videtur improbabile.

Colligitur si Sacerdos ab hac generali oblatione aliquem intendat excludere, certum est eum grauiter peccare, Tum contra mentem Ecclesiæ in re graui, Tum contra ordinem Charitatis; quæ obligat nullum excludere à beneficijs communibus, DD. citati. Vide etiam Tambur. Opusc. de sacrif. lib. 1. cap. 2. §. 13.

Dico secundo Quatenus Sacerdos offert sacrificium vt minister Christi, & eius nomine potest applicare fructum, qui sub hac ratione prouenit ex sacrificio (qui etiam principalis est, & specialis seu medius dicitur) potest inquam applicare vel sibi vel alijs vini aut pluribus prout voluerit, vel eius obligatio exigit, alijs exclusis. Probatur quia totum hoc pendet ex intentione Celebrantis, & ex facultate adnexa ordini Sacerdotali secundum institutionem Christi ita DD. communiter: Videri potest Auersa de sacrif quæst. 11. sec. 10. §. 1. & nos lusè dicemus in tract. de sacrif quæst. 2. punc. 8. & sequentibus.

Colligitur: Si Sacerdos teneatur ex iustitia pro aliquo determinatè celebrare, E g. ob acceptum stipendium; eum teneri sub peccato mortali integrum hunc fructum specialem sacrificij illi soli applicare, qui iustum, & integrum stipendium dedit, & non alijs: quia cum fructus vnius Missæ finitus sit, & limitatus; diuisus inter plures minuitur in singulis; atque adeo fraudaretur ex parte fructu sibi debito, qui iustum stipendium dedit: Ita DD. communiter, & nos fusè dicemus in tract. de sacrificio quæst. 2. punc. 19. & 20.

Dico tertio Quatenus Sacerdos offert sacrificium vt persona priuata, seu proprio nomine, suasque priuatas orationes in ipso sacrificio Deo offert, non tenetur orare pro omnibus, atque adeo potest pro his, vel illis orare; non pro alijs, modo neminem ex odio, vel praua intentione excludat, vel non excludat eos quibus ex iustitia, vel ex charitate tenetur.

Probatur quia nulla est lex cogens vt quoties oramus, pro tota communitate, & pro omnibus orare debeamus: ergo possumus, vel pro vno solo vel pro aliquibus in particulari orare. Exẽplo Christi, qui quandoque pro solo Petro orauit itẽ in cruce pro Crucifixoribus.

Confirmatur: quia Oratio priuata facienda à Sacerdote in memẽto, eius arbitrio remittitur vt supra probauimus; ergo potest pro his, vel illis orare pro suo libito.

Dixi modo non excludat, seu non omittat orare pro illis, quibus tenetur: quia fieri potest vt in graui necessitate spirituali sua, vel proximi teneatur ex charitate sibi, vel alteri hoc medio orationis succurrere, Item si ratione promissionis, vel stipendij accepti teneatur orare pro aliquo de quia re dicemus sequenti dubio, ita ex communi Suar. tom 2. de Relig. lib. 1. de oratione cap. 13.

DVBIVM VI.

An teneatur Sacerdos ei, qui stipem dedit nedum applicare fructum satisfactionis, sed etiam impetrationis.

Prima sententia sustinet, non teneri Sacerdotem applicare, nisi fructum ex opere operato prouenientem ex substantia sacrificij, non vero fructum orationum, & precum, quæ non pertinent ad substantiam eiusdem. Probatur Nam alioquin malus Sacerdos qui est in statu peccati mortalis, non satisfaceret, quod est falsum, & contra communem sententiam. Probatur consequentia: quia malus Sacerdos non consequitur alium fructum quam sacrificij ex opere operato: Ita Pallauicinus, Coninch, Hurtadus, & Alij apud Dianam, & Auersam locis infra citandis.

Secunda sententia docet, teneri omnino sacerdotem applicare etiam fructum impetrationis. Probatur ex communi sensu fidelium: quia missæ postulantur communiter ad impetrandam aliquam peculiarem gratiam, & sub eo onere acceptantur stipendia à Sacerdotibus: Confirmatur: quia offerentes stipendia solent studiosè quærere sacerdotes magis deuotos & pios, vt impetratio sit magis efficax, Ita Diana p. 5. tract. 14. resol. 80. Auer. de Sacrif. quæst. 11. sec. 18. §. dnò

Re-

Respondeo, & dico primo tenetur omnino Sacerdos præter fructum satisfactionis, ei pro quo offert ex obligatione sacrificium, applicare etiam fructum impetrationis, saltem illum fructum, qui posita petitione prouenit ex sacrificio indipendenter a merito, & bonitate celebrantis.

Probatur, tenetur applicare secundum intentionem postulantis Missam: hæc autem intentio sępissimè dirigitur principaliter ad obtinendam aliquam gratiam ex vi sacrificij, & fortè plures nihil cogitant de fructu satisfactionis, quamuis implicitè hunc quoque velint & quicquid boni ex oblatione sacrificij illis prouenire potest. Ergo etc.

Hanc conclusionem existimo omnino certã neque existimo Auctores primæ sententiæ oppositum velle ex quo possent auerti fideles ab oblatione eleemosinarum pro Missis; sed solum loqui de fructu impetrationis, qui correspondet oblationi sacrificij, et orationibus, quæ offeruntur à Sacerdote, vt est priuata persona et proprio nomine, seu ex opere operantis; non vero de fructu impetrationis, qui posita petitione correspondet oblationi sacrificij, quatenus offertur in persona Christi, et Ecclesiæ, qui non impeditur ex prauo statu Sacerdotis, vt dicemus in tract. de Sacrificio quæst. 2. punc. 6. Quicquid sit an appellari debeat ex opere operato, quia forte non est infallibilis, certum est autem esse vltra meritum operantis, et ex valore sacrificij secundum se à quocumque offeratur.

Colligitur primo teneri celebrantem pro eo qui missam postulauit, applicare fructum orationum, et precum, quæ recitantur in Missa nomine Ecclesiæ vt expresśè docent Auctores secundæ sententiæ, quicquid in oppositum dicere videantur alij citati pro prima sentẽtia. Probatur: quia offerentes stipendia totum illum fructum intendunt, qui etiam non impeditur ex prauo statu sacerdotis, et absque incõmodo applicari potest, Imò in quibusdam precibus specialiter hi comprehenduntur, nec excludi possunt ex supra dictis, E. g. cum in Canone fit commemoratio Circumstantium, et eorum qui concurrunt ad sacrificium, videlicet pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt; Dantes autem stipendium maximè concurrunt ad oblationem sacrificij.

Confirmatur quia communiter DD. asserunt teneri sacerdotes celebrare eas Missas, quæ postulantur de requie, vel votiuas ob fructum impetrationis adnexum peculiaribus orationibus, nisi aliundè hic fructus compensetur.

Colligitur secundo satisfacere sacerdotem huic obligationi offerendo Sacrificium iuxta intentionem eorum, pro quibus tenetur offerre: quia sic implicitè petunt à Deo ex vi sacrificij peculiarem illam gratiam, quam ijdem desiderant; Nec tenetur Celebrãs ex hoc præciso capite procurare statum gratiæ: quia vt dicebamus, sacrificium nomine Christi oblatum habet peculiarem vim impetrandi, independenter à merito, & bonitate proximi offerentis.

Dico secundo, non tenetur Sacerdos ex vi præcisa stipendij applicare ei pro quo celebrat fructum impetrationis illarum orationũ, quas fundit in sacrificio vt priuata persona, E. g. in memento, neque alium fructum, qui dicitur ex opere operantis. Imò neque fructum proprium sacrificij, qui dicitur specialissimus (posito quod detur) de quo dicemus in trã. de sacrif. Hanc conclusionem probat fundamentum primæ sententiæ, & forte eius Auctores nihil aliud voluerunt.

Dixi ex vi præcisa stipendij: quia ratione specialis promissionis possunt obligari ex iustitia, vel ex fidelitate, iuxta conditionem promissionis: communiter autem non censentur Sacerdotes velle se obligare nisi ex fidelitate, & sub peccato veniali.

DVBIVM VII.

De intentionibus contrarijs circa missæ applicationem, Quanam earum præualeat.

NOn est quæstio hic de applicatione missæ facta à diuersis, E.g. si Superior applicaret missa pro Titio, & Subditus celebrãs in contrarium applicet pro Paulo, de qua dicemus in tract. de sacrif. q. 2 punc. 14 Sed quæstio est de applicatione facta ab eodem celebrante per duos actus contrarios, E g. heri applicaui sacrum hodiernũ pro Titio, à quo accepi stipendium, hodiè deinde ante celebrationem applico idem sacrum pro Paulo: Quæritur cui prosit fructus missæ, Titio cui prius applicauerant, vel Paulo, cui posterius: Supponimus autem per applicationem posteriorem non reuocari saltem expresśè priorem.

Respondeo, & dico primo. Pręualet illa applicatio, quæ est magis efficax & absoluta, & hæc sortitur effectum. Probatur: quia intentio magis efficax, & maioris virtutis vincit alteram minoris efficaciæ, & consequenter implicitè reuocat illam: ergo magis efficax sortitur suum effectum, ita ex communi sententia Cardinalis de Lugo de Sacram. disput. 8. sect. 8.

Difficultas est, vnde dignosci possit alteram esse magis efficacem?

Re-

Respondeo id colligendum esse ex affectu, & maiori voluntatis propensione in alterutrum, & quid faceret Sacerdos si adverteret non posse Sacrificium quoad integrum fructum vtrique applicari; An potius applicaret Titio quam Paulo: nam si magis velit applicari Titio, applicatio facta in fauorem Pauli est implicite conditionata, idest nisi applicata fuerit Titio, & idcirco in casu nostro applicatio pro Paulo recuocata manet per priorem in fauorem Titij, Ita de Lugo loco citato.

Dico secundo si vtraque intentio sit æquè absoluta, & efficax, communiter preualet posterior, & reuocat priorem.

Probatur: quia cum voluntas hominis sit mutabilis, & libera, & communiter soleant homines nouo actu posteriori alium priorem mutare, & reuocare, ceteris paribus preualet actus posterior priori contrarius, nisi prior elicitus fuerit cum clausula obstanti reuocationi prędictæ.

Confirmatur à simili de testamentis, quorum vltimum prævalet priori, Ita de Lugo, loco supracitato; cuius oppositum docet Tambur. Opusc. de Sacrif. lib. 2. cap 2. §. 11. num 8.

Dices cum Tamburino, qui prior est tempore, potior est Iure, ergo cum Titius sit prior tempore in casu nostro ratione prioris intentionis elicitæ in fauorem eius, est etiam porior Iure, cui non censetur Sacerdos velle derogare per applicationem posteriorem, nisi espresse declaret.

Respondeo hoc ad summum habere locum in rigorosa promissione manifesta, & acceptata a promissario, qua transfertur ius in alium secus in simplici proposito, & intentione merè interna, de qua loquimur, & qua nullum ius acquiritur alteri.

Colligitur primo si Sacerdos memor applicationis preteritæ factæ in fauorem Titij, postea applicet Missam pro Paulo, certum est secundum omnes hanc secundam prævalere, & Paulum lucrari fructum sacrificij non Titiũ quia posterior voluntas clare priorem reuocat de Lugo, & Tambur. locis citatis.

Colligitur secundo si Sacerdos velit vtroque actu intentionis non applicare alterutri integrum fructum sacrificij; sed partem vni, partem alteri, vterque actus sortietur suum effectum, & missa partialiter proderit vtrique quia hoc nullo modo repugnat; remanet tamen obligatio compensandi, & sarciendi id, quod alterutri vlterius debet vt per se constat, & notat Tambur. supra.

Colligitur si prior applicatio pro Titio habuerit clausulam obstantem reuocationi: quia Sacerdos voluit eam præferre omni alteri applicationi per obliuionem facendæ, in hoc casu non reuocatur per applicationem posteriorem factam in fauorem pauli, Imo hæc anticiparè reuocata fuit per illam, quæ est magis efficax, & idcirco Titio, non Paulo prodерit sacrificium.

Confirmatur exemplo Voti: nam si quis emittat votum non vouendi nisi consulto confessario, & ex nunc velit sua vota imposterum non fore valida nisi ea conditione posita: si Nihilominus immemor huius voluntatis voueat verè hoc votum non est validum, nisi eo esset affectu, vt etiam si recordaretur vellet valere, ergo pariter in casu nostro; Cardinalis de Lugo loco citato.

Colligitur quarto, Quando omnibus consideratis dubia res est, vel sub opinione, An Titio, vel Paulo profuerit Sacrificium, facile posse remedium adhiberi si offeratur à Sacerdote sequens Missa sub hac intentione E. g. Applico Missã pro altero ex illis, quibus eram obligatus, et cui satisfactum non fuit præcedẽti sacrõ; nã Deus, cui explorata sunt omnia, illi cui fructus defuit applicabit; Tambur. supra n. 9.

DVBIVM VIII.

De Alijs Requisitis ad Applicationem Remissiuè.

De Applicatione Missæ iterũ redibit sermo in tract de Sacrificio in Appendice vbi commodius reliqua explicabimus, quæ hic desiderati possunt.

Primo qualis intentio requiratur ad validam applicationem Sacrificij, vide in appendice tract. de sacrificio q. 2. punc. 10.

Secundo quando fieri debeat hæc applicatio, ibidem punc 11.

Tertio quid fiet de fructu sacrificij, si celebrans nemini applicet, ibidem punc. 12.

Quarto vtrum applicatio prædicta possit remitti in Deum, ibidem punc. 13.

Quinto Vtrum Applicatio illicita contra iustitiam vel obedientiam sit valida, ibidem punc. 14.

Sexto An prelatus habeat ius precipiendi Sacerdoti suo subdito missæ applicationem, ibidem punc. 15.

Septimo An Missa presens possit applicari anticipate pro illis, qui inposterum oblaturi sunt stipendia, eodem tract. de sacrificio q. 4. punc. 1. Difficultate 5.

SECTIO III.

De Conſecratione vtriuſque ſpeciei: Quoad eius effectum.

DE materia Vtriuſque conſecrationis, et conditionibus ad illam requiſitis, fusè diſputabimus in 3. par. cōment. tit. 2. 3. et 4. ſimiliter ibidem tit. 5. tractandum a nobis eſt de vtraque forma conſecrationis, nempe de eius eſſentia, & ſignificatione, aliiſque conditionibus. Tandem qualiter peccet Sacerdos, ſi in prolatione conſecrationis omittat verbum aliquod, vel etiam literam, ſiuè aliquid addat vel mutet, ſatis explicauimus in quæſt. Proœmiali ſec. 3. 4. & 5. Hic ſolum ad ornatum Rubricæ ſuperius explicatæ num. 5. aliqua ſelectiora explicabimus de effectu verborum conſecrationis, & quid propriè ipſa verba operentur.

DVBIVM I.

Quid operentur Verba conſecrationis circa vtramque ſpeciem.

RESpondeo per formam conſecrationis conficitur Sacramentum Euchariſtiæ; quia ex vi verborum destructa ſubſtantia panis & vini ponitur corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, et ſanguis ſub ſpeciebus vini, Ex Trid ſeſſ. 13. cap. 3. vt fuſius explicabimus p. 3. de defectibus tit V. ſec. 2. dub. 9.

DVBIVM II.

Quid per corpus intelligatur, cum dicitur poni corpus ſub ſpecie panis ex vi verborum.

RAtio dubitandi eſt, quia non videtur intelligi poſſe ſolam materiam primam, quia hæc non eſt Corpus: neque compoſitum ex materia et forma ſubſtantiali; quia ex cōmuni, et probabiliori ſententia in eodem compoſito non eſt niſi vnica forma ſubſtantialis, et conſequenter in homine ſola anima, quæ non ponitur ſub ſpecie panis ex vi verborum; ſed per concomitantiam, Ex Trid. ſupra cit. Quæritur ergo quidnam ponatur ex vi verborum ſub ſpecie panis, et quid nomine corporis intelligatur. Omiſſis aliorum opinionibus.

Reſpondeo abſolutè et directè ſub ſpeciebus panis poni ſolam materiam ex vi verborum, non autem formam aliquam ſubſtantialem.

Ponitur autem materia, non quoad nudam ſubſtantiam; ſed quantitate organizzata, et partibus æterogeneis conſtans, quæ per ſe ſunt de neceſſitate corporis organici, et ſic affecta venit nomine corporis humani.

Probatur primo quia non ponitur anima ex vi verborum, ſed per concomitantiam, vt expreſſit conc Trid. ſeſſ. 13. cap. 3. Præter animam vero, non datur alia forma ſubſtantialis in homine pertinens ad eius eſſentiam; vel ſubſtantiam ergo etc.

Probatur ſecundo quia etiam ex communi modo loquendi nomine corporis non intelligitur compoſitum ex materia, et forma ſubſtātiali, ſed pars contra diſtincta à forma, quæ eſt ſubiectum formæ cum ſuis diſpoſitionibus accidentalibus et neceſſarijs, vt ſit corpus organicum: ergo etiam in forma conſecrationis ly Corpus meum idem in rigore ſignificat Probatur Antecedens, quando enim dicimus homo conſtat ex anima, et ex corpore; ly corpus non includit animam, ſed contra diſtinguitur ab anima: ſicut quando dicimus de quolibet compoſito ſubſtantiali conſtat ex materia, et forma: Ita Gabriel lectione 42. in Canonem Miſſæ, Aegidius Maior, Marſilius, et alij, quos citat et ſequitur Bonacina, de Sacram. diſp. 4. quæſt. 3. punc. 5. propoſ 4. et Auerſa de Euchar. quæſt. 14. ſec 1 §. dicendum ergo ex quibus patet ad rationem dubitandi.

Colligitur primo in hoc Sacramento eſſe Corpus Chriſti verum, non tamen viuum ex vi preciſa verborum, neque mortuum ex vi verborum, ſed abſtrahens et preſcindens à viuo et mortuo, Ita DD. communiter apud Suar. de Sacram. diſp. 51. ſec. 4.; et apud Bonacinam ſupra, Non enim ex vi verborum eſt corpus Chriſti viuum: quia non ponitur anima ex vi ſignificationis ſed per concomitantiam, ex Trid ſupra, et multo minus ponitur mortuum, cum de facto ſit viuum: Itaque hæc propoſitio ex vi verborum in Sacramento eſt Chriſtus mortuus, nedum eſt falſa, ſed male ſonans, et pericoloſa in fide; quia ſenſus eſt poni formam cadaueris ex vi verborum, vel corpus cum diſpoſitionibus repugnantibus animæ, et ſic prolatis verbis, non eſſet ſtatim ibi Anima Chriſti, quod eſt hæreticum. Quamuis enim in hoc Sacramento, et ſacrificio repræſentetur mors Chriſti, non tamen in eo eſt Chriſtus mortuus; ſed de facto viuus, vide citatos DD.

Colligitur ſecundo: ſub ſpeciebus vini ex vi verborum non poni ſolam materiam primam ſanguinis, ſed etiam formam ſubſtantialem,

tialem, ex qua sanguis essentialiter constat: cum enim sanguis non sit animatus; sed alimentum proximum Corporis: cessat hic ratio difficultatis: quia non cogimur dicere poni ibi animam ex vi verborum, quod est falsum; sed aliam formam ab anima distinctam quod nullo modo repugnat verbis Trid. supra allatis.

DVBIVM III.

Vtrum sub speciebus vini ponatur totus sanguis Christi ex vi verborum.

RAtio dubitandi est, quia Christus in consecratione calicis dixit, Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur: ergo ille sanguis tantum, tunc ex vi verborum Christi positus fuit, qui reipsa in passione erat effundendus, & nunc ponitur solum effusus in passione; non vero pars illa, quæ fortè remansit intra venas, nisi per concomitantiam, atque ita opinati sunt aliqui apud Auersam de Euchar. quæst. 4. sec. 1. §. 4.

Respondeo ex vi verborum poni totum Christi sanguinem sub speciebus vini, sicut sub speciebus panis ponitur ex vi verborum totū, & integrum corpus: Tum quia Probabile est totum prorsus Christi sanguinem fuisse in passione effusum; Tum quia esto pars aliqua intra venas remanserit, Christus non addidit illam clausulam taxatiuè ad restringendam significationem precedentium verborum; sed demonstratiuè ad expressionem mysterij sacrificij Crucis, in cuius memoriam instituit hoc Sacrificium incruentum, Ita ex communi sententia Auersa loc. cit.

Colligitur si Christus aliquam particulam sui sanguinis reliquit in terris (de qua re est controuersia inter DD.) illam non reponi in Sacramento: quia illa deinceps habetur pro derelicta, & extranea Auersa supra.

DVBIVM IV.

De modo, quo Christus est totus in toto, & totus in qualibet parte Sacramenti,

RAtio dubitandi est quia Corpus Christi nedum est in Sacramento quoad esse substantiale: sed etiam cum omni dispositione, ac perfectione accidentali, quæ illi conuenit in se ipso, & in ordine ad se, vt docet D. Th. 3. par. quæst. 76. artic. 4. & alij communiter; consequenter est etiam in Sacramento cum sua quantitate & partium distinctione: sed essentiæ, & rationi quantitatis videtur repugnare hic modus essendi totus in toto, & totus in qualibet parte Sacramenti: quia sic non essent in corpore Christi partes extra partes, & conuenienti ordine inter se connexæ, sed omnes simul confusæ; ergo vel corpus Christi esset sine quantitate, quod est falsum; vel non potest esse totum in qualibet parte Sacramenti.

Respondeo: & Dico primo Certum est de fide Christum esse totum in toto, & totum in qualibet Sacramenti parte. Patet ex Concil. Trid. sess. 13 cap. 3 & Can. 3. vbi addit esse etiam totum in qualibet parte separatione facta. post consecrationem. Et ex cap. in singulis, & cap. vbi pars de Consec. dist. 2. & docet D. Th. quæst. 76. art. 2. & omnes Theologi communiter.

Dico secundo corpus Christi non est in Sacramento, veluti costrictum, & coarctatum, per condensationem partium, vel penetrationem earum in ordine ad se: quia hoc esset valde indecens. Et confirmatur: quia si conse craretur panis maioris molis quam sit corpus Christi in eo dici non posset extendi veluti per rarefactionem; ergo quando consecratur panis exiguus, vt fit communiter, non condensatur Corpus Christi, DD communiter apud Suar. disp. 52. sec. 2. & apud Auersam de Euchar. q. 4. sec. 1. §. ratione quoque.

Dico tertio corpus Christi est indiuisibiliter in singulis partibus Sacramenti per modum substantiæ, & eo modo quo existit anima rationalis in corpore: & Angelus in loco.

Probatur: quia ex vna parte non est impossibile communicari à Deo corpori quantitatiuo hunc modum presentiæ ad instar spiritus: nulla enim est implicantia; Ex altera parte hic modus est magis conueniens, et magis aptus ad explicandum hoc mysterium: ergo ita asserendum est cum D. Th. quæst. 76. artic. 3. et communi Theologorum sententia apud Suar supra, et apud Bonacinam loco supra citato.

Ad Rationem dubitandi respondetur de essentia et ratione quantitatis esse quidem extensionem partium in ordine ad se, quæ extensio est inseparabilis à ratione quantitatis; Extensionem vero partium in ordine ad locum non pertinere ad essentiam eiusdem quantitatis, quamuis naturaliter ex ea sequatur, et idcirco posse per diuinam potentiam impediri, et de facto impeditur in casu nostro, ita vt corpus Christi in Sacramento quamuis quantitatem retineat, careat tamen extensione in ordine ad locum; Doctores citati.

Colligitur primo. Corpus Christi in hoc Sacramento habere omnes suas partes distinctas, & ad inuicem suo ordine vnitas, ita vt caput sit immediatè vnitum collo non cruribus; & manus sint vnitæ brachijs non pectori, & sic de alijs; quia tamen caret extensione in ordine ad locum, potest totum esse indiuisibiliter etiam in puncto, DD. citati.

Colligitur secundo. Præsentiam sacramentalem Christi in qualibet hostia esse vnam actu, virtualiter tamen multiplicem, seu diuisibilem in plures; atque adeo quando frangitur hostia consecrata vna illa præsentia in duas, vel plures permutatur, iuxta numerum partium in quas diuiditur, & in singulis est totus Christus; ad quod explicandum afferri solet exemplum de speculo, in quo repræsentatur vnica imago vnius personæ præsētis, quod si frangatur, singulæ partes diuisæ totam illius imaginem repræsentant. Item in cap. vbi pars de consecrat. dist. 2. Comparatur hoc Sacramentum cum veteri manna, de quo neque qui plus colligebat, habebat amplius, neque minus qui minus parabat; quæ secundum aliqualem proportionem intelligi debent; videri possunt citati DD.

Colligitur tertio. Christum non contineri sub accidentibus panis, & vini tanquam subiectum illorum; quia accidentia prædicta non inhærent substantiæ Christi, neque quantitas panis quæ remanet est propria Christi. Rursus neque Christus est sub speciebus, seu in Sacramento, tanquam locatum in loco, quia locus est immobilis, & species mouentur; quāuis verè sit Christus in eo loco, & spatio vbi sunt species consecratæ, non tamen circumscriptiue, neq; propriè definitiuè, sicut species, sed per præsentiam sacramentalem, quæ diuersa est à præsentia naturali: verè autem est Christus sub speciebus tanquam contentum in suo continente modo singulari, & supernaturali, qui propriè dicitur sacramentalis DD citati.

DVBIVM V.

An præsentia sacramentalis Christi necessario præsupponat naturalem seu ipsum Christum existentem in propria specie.

RESpondeo, & dico primo, Præsentia sacramentalis non ita pendet à naturali, vt sine hac fieri aut conseruari non possit de potentia absoluta Dei. Probatur: quia nulla apparet repugnantia quare Deus conseruare non possit, vel etiam primo producere quodcumque corpus sub illo modo, quo nunc existit Corpus Christi in Eucharistia; vel cur à Deo fieri non potuerit huius Sacramenti mysterium ante Verbi Incarnationem ex visceribus Beatæ Virginis, per vnionem hypostaticam eiusdem Verbi cum humanitate alio diuerso modo ordinatam, ergo &c. ita Scotus in 4. dist. 10. quæst. 4. Gabriel, Soto, Ledesma, & alij apud Suar. de Euchar. disput. 47. sect. 2. quamuis contradicat Caietanus in 3. par. q. 76. art. 2.

Dico secundo, de facto iuxta præsentem institutionem Sacramenti, præsentia Sacramentalis Christi omnino pendet ex naturali, nec sine illa fieri aut conseruari potest, itaque necessario præsupponitur idem Christus præexistens naturali modo in se ipso.

Probatur primo. Ex forma verborum consecrationis, Hoc est Corpus meum, quę modus loquendi, idest in prima institutione, præsupponit ipsum Christum summum Sacerdotem præexistentem & loquentem, ac perficiētem consecrationem, & modò eumdem Christum præsupponit, in cuius persona Sacerdos tamquam Christi minister consecrat.

Probatur secundo. Ex dictis supra: quia licèt verba consecrationis non significent nisi Corpus Christi, in quod transubstantiatur panis, nihilominus sub speciebus panis adnectit & verè est Sanguis & anima, & diuinitas Christi ex vi naturalis illius connexionis, qua partes Christi Domini inter se copulantur; quia videlicet ponitur Corpus Christi secundùm quod in se ipso naturali modo existit, præter extensionem in ordine ad locum; quod vtique non sequeretur nisi ratione dependentiæ prædictæ: Vide DD. citatos, & Auersam de Euchar. q. 4. sect. 4. fine. Hæc satis sit attigisse circa huiusmodi quæstiones, quæ magis concernunt speculationem quàm praxim, ad quam præcipuè in hoc opere attendimus: plura videri possunt, & fusius explicantur apud citatos Auctores.

DVBIVM VI.

De Adoratione debita Sacramento Eucharistiæ.

HOc dubium addimus ad ornatum Rubricæ huius tituli 8. num. 5. vbi præcipitur vt Sacerdos prolatis verbis consecrationis genuflexus hostiam consecratam adoret, & populo adorandam ostendat; Quærimus ergo quo cultu adorari debeat.

Re-

Respondeo, & dico primo, Christus in hoc Sacramento eodem cultu, & non minori veneratione est adorandus, quàm si palam in propria specie conspiceretur: quia re vera idem Christus sub speciebus existit, qui & in Cælis regnat, ita definit. Trid. sess. 13. cap. 5. & Can. 6 & docent communiter DD. qui videri possunt apud Suar. disp. 65. sect. 1. tom. 3 in 3 p.

Dico secundo: Non solum Christus sub speciebus existens, sed etiam totum visibile Sacramentum, quod ex speciebus & Christo constituitur adorari debet; ita tamen vt primario, & per se Christus adoretur, secundario simul co adorentur species, quasi cum Christo coniunctæ.

Probatur: quia ex speciebus & Christo verè coalescit vnum compositum morale, nempè ipsum augustissimum Sacramentum; ergo vnico actu debet simul adorari, sic Trid. supra, & Ecclesia canens, Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui: Sic omnes Patres communiter apud Suar. supra.

Dico tertio. Hic actus adorationis tam interior, quàm exterior debet esse cultus latriæ perfectus, & absolutus, qualis debetur soli Deo, Patet: quia Christus in hoc Sacramento contentus, nedum est verus homo, sed & verus Deus in vnica persona subsistens; ergo adoratio non est, hic respectiua sicut adoratio Crucis E.g. sed absoluta, qualis debetur humanitati vt vnitæ Verbo, vt fusius explicat Suar. loco citato.

Colligitur primo, non oportere species adorare sub conditione si consecratæ sint, sufficit, enim certitudo moralis, & satis est conditionem habitu retinere, hoc est intendere verum Christum, & verum Sacramentum adorare: Si tamen ex circumstantijs occurreret probabilis ratio dubitandi, tunc posset adorari sub conditione, Suar. supra sec. 2.

Colligitur secundo, Quid sit dicendum ad eam quæstionem: An hæc adoratio cadat sub graui præcepto, & quando; Dicendum est enim cadere sub præcepto, quoties occurrit occasio in qua adorationem omittere censeretur, irreuerentia quædam, E.g Quoties hostia consecrata, publicè proponitur adoranda, & quis præsens est, vel eleuatur in missa, vel occurrit in via &c. Quia supposita fide, ipsa naturalis ratio dictat adorandum esse tunc Sacramentum, & oppositum non caret irreuerentia; Regulariter tamen omissio non pertingit ad peccatum mortale, secluso contemptu vel scandalo, propter materiæ leuitatem. Cæterum præceptum negatiuum non inferendi iniuriam, aut irreuerentiam positiuam huic Sacramento, obligat semper & ad semper sub peccato mortali, vt docent communiter DD. cum D. Thom. 3. par. q. 83. artic. 6. ad 7. Suar supra &c.

TITVLVS IX.

DE CANONE POST CONSECRATIONEM VSQVE AD ORATIONEM DOMINICAM.

1 REPOSITO Calice, & adorato, Sacerdos stans ante Altare, extensis manibus ante pectus, dicit secretò, Vnde & memores, &c. cum dicit, de tuis donis, ac datis, iungit manus ante pectus: & cum dicit, Hostiam † puram, Hostiam † sanctam, Hostiam † immaculatam, manu sinistra posita super Altare intra corporale, dextra signat ter communiter super Hostiam & Calicem, & semel super Hostiam tantum, & semel super calicem tantum, dicens, Panem † sanctum vitæ æternæ, & calicem † salutis perpetuæ, deinde stans vt prius extensis manibus prosequitur, Supra quæ propitio, &c. Cum dicit, supplices te rogamus, &c. inclinat se ante medium Altaris, manibus iunctis super illo positis: cum dicit: ex hac Altaris participatione osculatur Altare, manibus hinc inde super corporale positis, Cum dicit, Sacrosanctum Filij tui, iungit manus: & dextera signans semel super Hostiam tantum, & semel super calicem,

licem; ſiniſtra ſuper corporale poſita, dicit, Cor † pus, & Sanguinem ſumpſerimus, & cum dicit, omni benedictiones † cæleſti, ſeipſum ſignat à fronte ad pectus ſigno crucis, ſiniſtra poſita infrà pectus, & proſequitur, & gratia repleamur, Cum dicit, Per eumdem, iungit manus.

EXPLICATIO LITERALIS.

REpoſito Calice & adorato, proſequitur Sacerdos ſacram actionem Canonis, & facta reali & ſubſtantiali oblatione victimę per conſecrationem, eandem confirmat, & perficit repetita oblatione verbali, nempe oratione quæ incipit, vnde & memores, & alijs ſubſequentibus (quorum ſenſum infra explicabimus ſec. 2.) additis etiam ſacris ritibus in eumdem finem: quæ omnia accidentalem addunt perfectionem, & maiorem ornatum ſacrificio, qualis eum maximè decet, dum in Altari iam præſens eſt victima, ſeu hoſtia viuens ſancta, & Deo placens videlicet ipſe Chriſtus ſub accidentibus panis, & vini. Quoad ritus ergo de quibus nunc agimus.

Primo Sacerdos ſtans ante Altare, extenſis manibus ante pectus dicit, vnde & memores &c. Extenſio manuum, vt alias diximus, deſignat extenſionem manuum Chriſti in Cruce: Hoc autem poſt conſecrationem maximè locum habet, quando in miſſa expreſſius repreſentatur crucifixio eiuſdem Chriſti, ita Micrologus cap. 16. & D. Thom. 3 p q. 83. art. 5 ad 5. Non debent autem omnino extendi brachia, & manus extra pectus, & extra ſpatium quod corporali reſpondet: cùm id manifeſtè ſit cõtra hanc rubricam, quæ præcipit vt teneantur manus extenſæ ante pectus: quia ita debet Sacerdos his geſtibus paſſionem Chriſti repreſentare, vt ſimul ſit totus intentus in Chriſtum ſuper Altare & corporale poſitum, nempe interius corde, quod perpectus deſignatur, & exterius oculis ac manibus; cuius oppoſitum nonnulli faciunt, de quibus dicemus in dubijs ſec. 1. Tandem hic aduertendum, non eſſe incipiendam illam orationem, vnde & memores in ipſo actu genuflexionis & adorationis calicis, ſed poſtquam Sacerdos ſe erexerit: tùc enim ſtans & manibus extenſis vt ſupra, incipit vnde & memores.

2 Secundo, cum dicit de tuis donis &c. primo iungit manus ante pectus, deinde poſita manu ſiniſtra ſuper Altare intra corporale, ſignat ſuper oblata. De ſignis Crucis ſuper oblata videantur dicta præcedenti titulo initio Canonis i. litera num. 1. Hic autem maximè eſt aduertendum quando poſt conſecrationem ponenda eſt vel vtraque manus ſuper Altare, vel altera ſolum; non extra ſed intra corporale eſſe tenendam, vt ſæpius exprimitur in his rubricis, & notat Caſtaldus in Praxi lib. 2. ſec. 7. num. 1. Quod ita fieri præcipitur ob rationem ſupra inſinuatam, & nè fortè ſi caſu, vel aliqua ratione contingat diſiungi digitos, quibus tactum eſt Sacramentum, non cadat fragmentũ ſi quod fortè adhæſerit niſi ſuper corporale. Qua autem ratione Sacerdos, qui eſt miniſter & ſeruus Chriſti vti poſſit ſignis benedictionis ſuper oblata, in quibus poſt conſecrationem ipſe Chriſtus continetur, explicabimus in dubijs ſec. 2.

Tertio, cum dicit ſupplices Te rogamus &c. manus iunctas ſuper Altare ponit, videlicet ita vt digiti parui, dumtaxat frontem Altaris tangant ex regula generali ſupra tradita in Rubrica tit 4 num. 1. non tamen pollice dextero ſuper ſiniſtrum poſito in modum Crucis, ſed iunctis pollicibus & indicibus inuicem inter ſe: quia licèt quando manus iunctę ſuper Altare ponuntur, prior ille modus ſeruari debeat ex regula generali prædicta, nihilominus excipiuntur caſus iunctionis manuum poſt conſecrationem, Ex Rubr. tit 3 num. 1. & ratio eſt: quia poſt contactum hoſtiæ conſecratæ in reuerentiam Sacramenti nihil aliud præter hoſtiam, quando occurrit, tangi debet ipſis pollicibus & indicibus, niſi facta eorum purificatione poſt communionem, antea vero non diſiunguntur.

Quo ad reliqua nihil occurrit notatione peculiari indigens. Nam de inclinatione, oſculo Altaris, & ſignis Crucis patet ſignificatio ex alibi dictis.

2 Cum dicit, Memento Domine famulorum famularumque tuarum, &c. extenſis & iunctis manibus ante pectus, & vſque ad faciem eleuatis, & intentis oculis ad Sacramentum ſuper Altare, facit commemorationem fidelium Defunctorum, de quibus ſibi videtur, eodem modo vt dictum

eſt

est de commemoratione viuorum. Qua commemoratione facta, stans vt prius extensis manibus prosequitur, Ipsis Domine, & omnibus in Christo, &c. & in fine ad Per eumdem, iungit manus, & caput inclinat.

POst consecrationem fit commemoratio pro Defunctis: quia in consecratione repræsentatur mors Christi, vt supra dictum est, & post mortem anima eiusdem Christi descendit ad inferos ad liberandas animas piè defunctorum à Limbo & à Purgatorio: E contra pro viuis ante consecrationem, & antequam mors Christi repræsentetur; quia Christus ante mortem viuentium salutem signis, & prædicatione procurauit, pro omnibus tamen mortuus est. Constat autem huiusmodi consuetudinem orandi pro Defunctis in missa esse antiquissimam in Ecclesia, tum ex Liturgijs antiquis, tum ex Clemente lib 8. cap. 47. & testantur Chrysost. August. Cyrillus, & alij Patres hanc esse traditionem Apostolorum, vt videri potest apud Suar. disput. 83. sect. 2. §. prima pars to. 3. in 3. p.

Circa Ritus autem hic seruandos.

Primo Sacerdos cum dicit, Memento Domino &c. extensis, & iunctis manibus ante pectus &c. facit commemorationem fidelium Defunctorum, de quibus gestibus diximus supra in Memento pro viuis, cum hoc tamen discrimine, quod ibi tenentur oculi demissi, vel clausi ad vitandam mentis distractionem; hic vero intenti ad Sacramentum teneri debent; vt expressè præcipitur in hac rubrica: quia ex Christi præsentia maior deuotio excitatur.

Secundo, in Missali post illa verba, Famulorumque tuarum ponitur N. & N. vt possint nominari ad arbitrium Sacerdotis particulares defuncti, pro quibus orare intendit, de qua re & alijs ad hanc Defunctorum commemorationem spectantibus, dicemus in dubijs sect. prima.

Tertio, Notatur in hac rubrica, vt Sacerdos in fine ad, Per eundem Christum &c. Caput inclinet quod alias fieri nõ solet, nisi ad nomẽ Iesu. Quare autem hic singulariter præscribatur, etiam si nõ Iesus, sed Christus proferatur, non ita facile apparet. Gauantus hic putat inclinationem hanc præscribi, quia Sacerdos dicturus est statim Nobis quoque peccatoribus, quæ sunt verba maximæ humilitatis. Sed Pace tanti Viri, hoc minus apte dictum videtur; Si enim inclinatio fit in signum humilitatis: ergo ad illa verba quæ humilitatem important fieri præscribenda erat, non ad præcedentia, quæ non sunt humilitatis, sed nostræ gloriæ & exaltationis, videlicet Christum esse nostrum Dominum.

Quod sic explicatur: Gestus secundùm omnes, debet esse loquutioni conformis, seu verbis quæ simul cum gestu proferuntur: sed per hanc Auctorem inclinatio in casu nostro non est conformis verbis, cum quibus simul facienda præscribitur: ergo non est gestus aptus, & male sic præscriberetur, sed potius præscribi deberet facienda cum sequentibus, videlicet Nobis quoque peccatoribus, quod esset corrigere potius Rubricam, quam explicare.

Deinde vt euitet modicam difficultatem, incidit hic Auctor in alteram maiorem. Peto enim cum in Rubricis semper actus, seu gestus ordinetur faciendus simul cum verbis, quibus est conformis (vt legenti patet) cur in hoc casu singulari variatur stilus, & assignatur inclinatio verbis præcedentibus, quibus non congruit, non autem subsequentibus, quibus secundum ipsum maximè congruit: numquid aliquis error hic irrepsit? non equidem; sed potius commentator assignauit non causam pro causa.

Dicendum est ergo, inclinationem non correspondere sequentibus verbis, sed illis ad quę rubrica dicit esse facienda, videlicet Per eundem Christum Dominum nostrum, fit autem hoc loco inclinatio, & non in alijs, cum similia verba proferuntur ob peculiare mysterium spectans ad hanc orationem pro Defunctis, in qua sermo est de Christo in quo mortui qui escunt in illis verbis, & omnibus in Christo quiescentibus: quia Christus mortem nostrã moriendo destruxit, & sua morte mortem omnium superauit; vnde repræsentat sibi Sacerdos Christum morientem, Qui inclinato capite tradidit spiritum, & ad liberandos mortuos descendit, & ob hoc mysterium ad Christum caput inclinat, videlicet in memoriam, & venerationem illius gestus, quo Christus moriens, & ad liberandos mortuos descensurus, caput inclinauit. Eo autem gestu (inter alia) Christum significare voluisse animæ suæ descensum ad inferos pro mortuis liberandis, docent plures expositores: videri potest Cornelius à Lapide in Matth. cap. 27. vers. 50.

3 Cum dicit, Nobis quoque peccatoribus, vocem aliquantulum eleuat, & dextra manu pectus sibi percutit, sinistra posita super corporale, & prosequitur secretò, famulis tuis, &c. stans manibus extensis vt prius. Cum dicit. Per Christum Dominum nostrum: Per quem hæc omnia Domine semper bona creas, iungit manus ante pectus: deinde manu dextra ter signans communiter super Hostiam & Calicem, dicit; San † ctificas, viui † ficas, bene † dicis, & præstas nobis. Postea discooperit manu dextra calicem, & genuflexus Sacramentum adorat: cum se erigit, & reuerenter accipit hostiam inter pollicem & indicem dextræ manus, & cum ea super calicem, quem manu sinistra tenet circa nodum infra cuppam, signat ter à labio, ad labium, dicens: Per † ipsum, & cum † ipso, & in † ipso. Et similiter cum hostia signat bis inter calicem & pectus, incipiens à labio calicis, & dicit: est tibi Deo Pa † tri omnipotenti, in vnitate Spiritus † sancti. Deinde tenens manu dextra Hostiam super Calicem, sinistram calicem, eleuat eum aliquantulum, simul cum Hostia, dicens, omnis honor & gloria & statim vtrumque deponens, Hostiam collocat super corporale, & si opus sit, digitos extergit, vt supra, ac pollices & indices, vt prius iungens, calicem palla cooperit, & genuflexus Sacramentum adorat,

Facta commemoratione Defunctorum, quibus imploratur æterna requies & felicitas fit transitus ad viuentes & peccatores, de quibus meritò sollicita est Ecclesia, & per Sacerdotem pro illis orat, & postulat peccatorum veniam, & tandem consortium cum Sanctis, quorum hac occasione fit iterum commemoratio.

Quo ad Ritus autem, Primo Sacerdos dicēs Nobis quoq; peccatoribus &c vocem eleuat, & percutit sibi pectus, in signum videlicet cōtritionis, & detestationis peccatorum, & vt alios etiam excitet ad eūdem actum eliciendum vocem eleuat, Amalarius lib. 3. cap. 26. & latè explicat Durandus in rationali lib. 4. c. 46. num 1. & sequentibus.

Secundo, cum dicit. Per Christum &c. per quem hæc omnia, prius iungit manus ante pectus, Deinde ter signat &c. de quibus signis vide dicta supra tit. præcedenti in principio Canonis.

Tertio, præmissa adoratione hostiam reuerenter accipit, & cum ea super Calicem ter signat à labio ad labium &c. Vbi nota ex Castaldo in Praxi lib. 2. sec. 8. cap. 7. num. 2. vt magis decore fiant hæc signa, accipiendam esse hostiam non in medio inferioris partis, sed à latere aliquantulum infra medium, & recta linea à labio ad labium intra Calicem prius ter signum Crucis formari debet eadem hostia, deinde a labio calicis ad pectus ita protrahatur, vt rectam formet lineam, non extra sed intra corporalia; postea ipsam super calicem tenens, non vltra quatuor digitos subleuabit calicem cum eum; eleuat &c. Tandem hostiam collocat super corporale, & calicem palla cooperit, de quorum significatione dicemus inferius, dum de sensu mystico.

4 In missa solemni cum celebrans dicit, Per quem hæc omnia, &c. Diaconus facta Sacramento genuflexione, accedit ad dexteram Celebrantis, & quando opus est, discooperit Calicem, & cum Celebrante adorat: similiter cooperit, & iterum genuflectit. Cum incipit, Pater noster, idem vadit retro post Celebrantem, facta prius Sacramento genuflexione, vbi stat, dum dicitur Oratio Dominica.

EA quæ pertinent ad Diaconum in hac parte missæ, quando solemniter celebratur, clarè exprimuntur in litera, & videri possunt apud Castaldum in Praxi lib.1.sect.7.c.5.

SENSVS MYSTICVS.

IN commemoratione pro Defunctis, in fine, cum dicit Per eundem Christum &c. Sacerdos caput inclinat, quo gestu mysticè repræsentat Christum in hora mortis, quando inclinato capite tradidit spiritum, descensurus ad liberandos mortuos, Ex supra dictis.

Cum dicit Nobis quoque peccatoribus, sibi percutit pectus Sacerdos, & vocem eleuans, omnes inuitat ad percutienda similiter pectora sua, quo exprimitur factum Centurionis, & aliorum, qui cum illo erant ad spectaculum Crucis: nam timore perterriti reuertebantur percutientes pectora sua, Durandus in Rationali lib.4.cap.46.num.2.

In illis verbis, Per ipsum, & cum ipso triplici signo Crucis intra Calicem cum ipsa hostia, denotantur tres horæ, quibus Redemptor pependit viuus in Cruce; Duabus sequentibus extra calicem exprimitur diuisio, & separatio animæ Christi à corpore, Innocentius de mysterijs missæ lib.5. cap.9. D. Thom.3 par. q.83. art 5 ad 3, & communiter.

Mox eleuatur calix cum hostia, & statim deponitur, ad exprimendam depositionem Christi, eiusque sepulturam, Stephanus Eduensis de Sacram Altar. cap.17. Tandem superponitur calici palla, non solum ad cautelam, vt in præcedentibus, sed ad denotandum lapidem superpositum monumento, Innocent. supra cap.10. & Microl.cap.17.

DVBIA CONSCIENTIAE

SECTIO I.

Circa Ritus huius Tituli.

DVBIVM I.

An excusentur à culpa manus, & brachia latè extendentes post consecrationem.

HAec cæremonia fit post consecrationem præcipuè in repræsentationem Crucifixionis Christi, vt supra dicebamus cum D. Th. Circa vero modum est non modica varietas, communiter enim Sacerdos stans ante Altare dicit, vnde & memores &c. extensis manibus ante pectus, non extra, ficuti præscribitur in Rubrica: è contra plerique & manus & brachia latè extendunt extra pectus, Quæritur an hoc licitè fiat.

Respondeo, & dico primo, Sacerdotes, qui non vtuntur Missali Romano, sed alio diuersi ritus ipsis concesso à Sede Apostolica, licitè brachia extendunt iuxta ritum in suo Missali præscriptum.

Probatur: quia potest quilibet, imò tenetur missam recitare iuxta ritum propriæ Ecclesiæ, cuius est membrum, & iuxta regulas Missalis, quo tenetur vti, vt fusè probauimus p.1 tit.14 dub.3 ergo si in proprio Missali à Romano diuerso fieri præscribatur extensio brachiorum extra pectus, potest licitè, & tenentur sic brachia extendere, vt moris est apud Ambrosianos, & Dominicanos.

Dico secundo, Vtentes Missali Romano non excusantur à culpa (quæ communiter venialis est) extendendo manus, & brachia extra pectus, & extra spatium corporalis. Probatur: quia ritus Missalis Romani in actu celebrationis cadunt sub præcepto, vt sæpius diximus ex Bulla Pij V. initio eiusdem Missalis; ergo peccant qui eos non seruant; sed non seruatur ritus præscriptus in casu nostro eo modo, quo præscribitur: ergo peccatum committitur, quamuis leue ratione paruitatis materiæ. Hoc autem intelligitur, vt per se patet, si id fiat propria auctoritate, & absque concessione Sedis Apostolicæ, nam ex concessione speciali nulli dubium est id licitè fieri.

DVBIVM II.

An sit conuenienter institutum, vt Sacerdos post consecrationem signet super oblata, et Sacramentum.

RAtio dubitandi sumitur, Ex Apostolo ad Hebreos 7. vbi ait, sine vlla contradictione quod minus est à maiori benedicitur: sed Christus, qui est in hoc Sacramento post consecrationem, est multo maior Sacerdote, qui Christi seruus est, & minister. Inconuenienter ergo Sacerdos post consecrationem benedicit hoc Sacramentum Cruce signando, quod argumentum proponit D.Thom. q. 82. art.5. quarto loco.

Respondeo primo ex D.Thom, art.cit. ad 4. Quod Sacerdos post consecrationem non vtitur huiusmodi signis ad benedicendum, sed solum ad commemorandam virtutem Crucis, & modũ passionis Christi, sequitur Suar. disp.84. sec.1.

lis sacrificij quoad remissionem pœnarum, faciendam omnino esse ante consecrationem, etiam quando sacrificium pro Defunctis offertur, et saltem hoc tutius est. Ratio est: quia sacrificium operatur suum effectum statim, ac est essentialiter completum, nec potest suspendi effectus prædictus. Cum ergo iuxta communem & probabiliorem sententiã essentialiter compleatur consecratione vtriusque speciei; sequitur inualidè applicari eius fructum post consecrationem, nec satisfieri illis, pro quibus applicari debet. Et quamuis non desint opinantes sacrificium non compleri essentialiter, nisi in sumptione Sacramenti, quę fit à celebrante, & consequenter fore validam applicationem, quæ fit post consecrationem ante sumptionem Sacramenti; Nihilominus hoc est valdè incertum: non videtur autem licitum nec tutum satisfacere obligationi certæ, & liquidæ satisfactione incerta, & dubia, ita Diana p.10. tract. 12. resol. 17. Et nos infra etiam dicemus in tra. de Sacr. q. 2. punc. 11.

SECTIO II.

De Canone, & eius partibus, deque intellectu locorum difficilium eiusdem.

HActenus explicauimus ritus, qui in actione consistunt, & in recitatione Canonis seruari debent à Celebrante. Vt autem completa sit hæc tractatio de sacro Canone, qui est sacratior, & sublimior missæ pars, dicendum est in præsenti de sensu verborum ex quibus componitur, discurrendo per singulas eius partes, quod hoc loco præstamus in fine huius tituli 9. qui extenditur vsque ad orationem Dominicam exclusiuè, ad quam etiam et non vltra extenditur Canon propriè dictus, & completur in illis verbis, omnis honor & gloria, iuxta sententiam magis communem, quam defendimus in quæst. Procemiali sec. 3. punc 3. Confirmari id potest titulis Rubricarum huius partis de Ritu seruando &c. nam titulus 8. sic inscribitur, de Canone missæ vsque ad consecrationem, vbi in Rubrica nu. 1. declaratur Canonem incipere ab illis verbis, Te igitur &c. Deinde Titulus IX. sic inscribitur de Canone post Consecrationem vsque ad Orationem Dominicam, idest exclusiuè; deinde in sequentibus titulis nõ amplius fit mentio de Canone, sed Titulus X. inscribitur de Oratione Dominica, & alijs &c. ergo signum est partes Canonis compleri immediate ante orationem Dominicam, & deinde incipit alia pars missæ, quæ dicitur communio: quia ab Oratione Dominica, in qua petimus dari nobis panem quotidianum, præsertim panem cælestem in hoc Sacramento, incipit præparatio ad Communionem, vt ex D. Tho. & alijs probant Molfesius in sum. tra. 3. cap 11. nu. 65. & Suar. disput. 83. sect. 2. §. octaua pars, circa finem tom. 3 in 3. p.

Diuiditur autem Canon diuersimodè iuxta varia Auctorum placita in plures vel pauciores partes, vt videre est apud Durand. in Rationali lib. 4 cap 36. & Durantum lib. 2 cap. 33 sed ex communiori, & probabiliori sententia nouem assignantur illius partes, & totidem dubijs sequentibus, hanc sectionem absoluemus.

DVBIVM I.

De prima parte Canonis ab illis verbis Te igitur, vsque ad commemorationem viuorum.

IN prima parte Canonis fit oratio ad Patrem, per Iesum Christum. Vt dignetur acceptare, & benedicere munera, quæ offeruntur in præparationem sacrificij, & eiusdem sacrificij intuitu dignetur etiam sanctam Ecclesiam pacificare, & custodire. Dirigitur Oratio ad Patrem, iuxta formam à Christo traditam Io. 6 Si quid petieritis à Patre in nomine meo, nec propterea aliæ diuinæ personæ excluduntur, nam propter essentiæ vnitatem sub vna persona aliæ intelliguntur in his quæ de se communia sunt: His positis.

1 Prima difficultas est, cur in principio Canonis ponatur illa particula Igitur, quæ est illatiua, & ex quibus verbis inferatur hoc principium.

2 Respondeo inferri ex præfatione, eique consequenter annecti tamquam partem principalem suæ dispositioni; Siquidem præfatio est præparatio ad Canonem, qua excitantur omnes ad elauandum Corda sursum ad Deũ, eumque adorandum & glorificandum, vt sic magis dignè & deuotè concurrant ad offerendum sacrificium: quoniam ergo ipsa præfatio dirigitur ad Patrem, vt patet ex illis verbis Domine Sancte Pater omnipotens &c. cõgruè additur illatio illa, Te igitur Clementissime Pater. Est ergo sensus cùm præcipua adoratio, & supremus cultus latriæ consistat in oblatione sacrificij, Te Clementissime Pater supplices rogamus vti accepta habeas &c.

Secunda, difficultas emergit ex eo, quia eo tempore, quo fit hæc oratio, licet sit præsens materia remota sacrificij, videlicet panis, & vinum; Nihilominus cum adhuc non sit facta consecratio, nec Christus sit præsens, in congrue

gruè appellati videntur ea dona sancta sacrificia illibata, seu absque macula, & magis incongruè propter ea aliquid peti. Tandem ordinantur ad vnum sacrificium, ergo non rectè vocantur sacrificia in plurali.

Respondetur vocari sacrificia per anticipationem: quia sunt materia, ex qua conficiendum est sacrificium, & dicuntur sacrificia initiatiuè, quia præparantur in sacrificium.

In plurali etiam sic vocantur, non quia ordinentur ad plura sacrificia, sed propter distinctionem, & pluralitatem materiæ; quia panis & vinum antequam consecrentur sunt diuersę species substantiarum; sed vbi consecratio accesserit, non remanent eorum substantiæ, sed sola accidentia, ita vt continentia sint diuersa; sed vnicum est contentum. Dicuntur etiam sancta: quia Deo dicata, per quod acquirunt quoddam esse sacrum, & consequenter immaculatum, oppositum esse prophano, quod communiter non est immune ab aliqua labe, & macula. Tandem per hæc dona, vt nunc coram Deo proponuntur nihil postulatur, sed per sacrificium ad quod destinantur, & per Christum offerendum in eodem sacrificio: vide Stephanum Durantum lib. 2. cap 33. & Suar. disp. 83 sec. 2. §. prima ergo pars.

Tertia difficultas est de benedictione horū munerum, quam à Deo postulat Sacerdos illis verbis, vti accepta habeas, & benedicas: nam si nomine benedictionis intelligitur consecratio, vt communiter asserunt, superflue petitur: quia hæc non est tunc impetranda: sed infallibili lege ex efficacia verborum perficienda. Si vero intelligatur dedicatio materiæ ad sacrificium, hæc iam præcessit in oblatione, post Offertorium, nec aliud apparet quod postuletur.

Respondeo, per benedictionem intelligi consecrationem, ex D. Th. q. 83. art. 4.

Ad rationem vero dubitandi, Respondet idem S. Doctor ibidem ad 7. non superflue postulari, Primo quia impediri potest per intentionem Sacerdotis; Secundò vt noua ratione & titulo id promereamur: Tertio in his orationibus non tam postulari effectum consecrationis, quàm effectum Sacrificij in his, pro quibus offertur, & ita in hac oratione petit Sacerdos vt Deus acceptet & benedicat hæc dona ad totius Ecclesiæ fructum, & vtilitatem; ita Diu. Thom. supra, vide etiam Suar. loco citato.

DVBIVM II.

De secunda parte Canonis, à Verbis Memento Domine, vsque ad Communicantes.

HActenus orauit Sacerdos pro vniuersa Ecclesia, consequenter in hac secunda parte susceptos suos, vt loquitur Diu August. Epist. 59. q. 5. idest eos, quos commendatos suscepit, & pro quibus Sacrificium Dominicum offerre decreuit misericordissimæ offert Dei pietati.

Prima difficultas esse potest, circa illud verbum: Memento, quo minus rectè videtur vti Sacerdos, quasi in Deum obliuio possit cadere, cum omnia sint illi præsentia in sua æternitate.

Respondeo, Meminisse Dei idem esse ac adiuuare & misereri, ex August. lib. 11. Confess. in principio, vbi sic ait, nunquid Domine cū tua sit æternitas, ignoras, quę dico tibi? non vtique, sed effectum meum excito in te, & misericordias tuas super nos &c. Vide Stephanum Durantum lib. 2. cap 34. n. 1. & 2.

Secunda difficultas est circa illa verba, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium &c. An præter Sacerdotem, etiam circumstantes, vel alij verè dicantur offerentes hoc sacrificium.

Respondeo affirmatiuè, nempe præter sacerdotem, qui immediatè sustinens personam Christi per se primo offert, etiam alios verè dici offerentes, quamuis mediatè per Sacerdotem, & cum ipso Sacerdote: Primo quidem circumstantes, & assistentes missę, de quibus expresse loquitur celebrans: Ratio quia suo modo concurrunt ad sacrificium, & cooperantur consentiendo, confirmando, & approbando ea, quę fiunt & dicuntur à Sacerdote, cum quo communicant, & pręsertim ministri inseruientes celebranti, & respondentes nomine totius populi. Secundo etiam absentes, pręcipuè verò qui sunt causa vt missa celebretur oblatis eleemosynis, & stipendijs in eum finem: Et denique omnes fideles, quorum nomine offertur etiam sacrificium quamuis multo remotius hi dicantur concurrere, & offerre generali quadam ratione, vt patet ex verbis quæ dicuntur ad orationem, Hanc igitur videlicet oblationem seruitutis nostrę, sed & cunctę familię tuę &c. ita Innocentius lib. 2. de diuinis officij cap. 6. & Alcuinus, & alij apud Suar. disp. 77. sec. 3 & Auersam de sacrif. q. 11. sect 9. § tertio. An autem prędicti, & pręsertim assistentes & inseruientes lucrentur peculiarem fructum ex opere operato, præter meritum

titum ex opere operantis, satis probabile est lucrari, vt dicemus in tract. de Sacrificio q. 2. punct. 17.

Tertia difficultas: circa verba pro Redemptione animarum suarum, cum enim Redemptio iam facta sit in Cruce per Sacrificium cruentum, qua ratione modò eam petimus in hoc Sacrificio incruento.

Respondeo, nos non petere Redemptionem quoad sufficientiam in Cruce peractam, abundantissimè; sed quoad efficaciam, & applicationem fructuum passionis Christi, vt hic gratiam, & post mortem gloriam consequamur. Oramus autem primò, & principaliter pro salute animæ; Secundariò autem etiam pro incolumitate Corporis, vide Durantum de Ritibus lib. 2. cap. 34. num. 10. & Suar. disp. 83. sec. 2. §. secunda pars.

Quarta difficultas est, quæ sint illa vota, quæ dicuntur Deo reddere; qui hoc sacrificium offerunt.

Respondeo esse desideria, & sancta proposita colendi Deum, quæ implemus, & Deo reddimus, præcipuè hac oblatione Sacrificij incruenti, Dicimus autem ea potius reddere, quam donare Deo: quia per diuinam gratiā illa concipimus, & à Deo accipimus, & postmodum Deo ipsi offerimus, & reddimus quæ accepimus, ita ex D. August. Alcuino, & alijs docent Durantus, & Suar. locis citatis, & alij communiter.

DVBIVM III.

De Tertia parte Canonis ab illis verbis communicantes, vsque ad hanc igitur.

Facta commemoratione viuorum, qui sunt membra Ecclesiæ militantis, quorum necessitatibus, & periculis eadem Ecclesia subuenire intendit per sacrificium; congruè in hac tertia parte eiusdem Sacrificij oblationem dirigit ad Sanctos triumphantes cum Christo, non quasi eis sacrificium offerens, quod soli Deo debetur, nec quasi eorum necessitatibus volēs occurrere, qui nulla re indigent, & perfecta felicitate fruuntur; sed in eorum honorem, & venerationem memoriæ Sanctorum, quorum etiam patrocinium implorat.

Prima difficultas occurrit circa titulum, qui huic parti præponitur, videlicet infra actionem, cur hæc pars dicatur esse infra actionem, seu infra alias partes Canonis, & non potius inter partes Canonis, & alijs æqualis? Dicitur autem actio totus Canon, vt alias notauimus, veluti per Antonomasiam propter sacra mysteria, quæ in eo aguntur, præsertim ob consecrationem, in qua essentialiter consistit actio sacrificandi, & quia in eo præsertim agitur causa nostra cum Deo, vt cum alijs notat Durandus in Rationali lib. 4. cap. 35. num. 1. & ex eo Castaldus in Praxi lib. 2. sec. 8. cap. 6. n. 7.

Ad difficultatem respondet Castaldus supra melius fortè dici debere intra actionem; quia verè intra Canonem dicitur: sed non placet: Tum quia pluries recognitum fuit missale illo titulo manente immutato: Tum quia corpro iam Canone omnes aliæ partes dicuntur, & sunt intra Canonem, et superfluus esset hic titulus.

Respondeo ergo dupliciter. Primò huiusmodi titulum præponi huic parti, vt aduertat Sacerdos, eam non esse actionem seu orationem distinctam à præcedente, sed esse partem inferiorem seu posteriorem eiusdem, videlicet Et omnium circumstantium &c. nam alias ly communicantes non haberet aptum sensum, nisi connecteretur cum verbis præcedentibus, vt rectè notauit Bellarm. lib. 2. de Missa cap. 21. §. Prima igitur. Si ergo sumatur actio complete pro toto Canone; certum est hanc partem esse intra Canonem, non infra: Si verò sumatur partialiter pro præsenti actione, et oratione; hæc pars quæ incipit communicantes. dicitur infra actionem, idest, pars posterior eiusdem orationis, quatenus necessario dicit relationem ad priorem & præcedentem compartem. Sæpe etiam ly, infra ponitur pro intra.

Secundo respondeo, Saluo meliori iudicio, ideo dici hanc partem infra actionem: quia in Canone per se primò & principaliter fit repræsentatio passionis, & mortis Christi, & meriti eiusdem infiniti, quod Deo obtulit ad nostram redemptionem, & salutem, & per Christum, & eius infinita merita supplicamus Patrem, vt nobis opem ferat, & applicet per sacrificium Altaris ea, quæ nobis promeruit in Cruce; Quando ergo Ecclesia vult etiam repræsentare passiones, & merita Sanctorum, & ad eorum patrocinium recurrit, veluti descendit ad inferiorem gradum in hac parte, & idcirco dicitur esse infra actionem.

Secunda difficultas est circa verbum Communicantes, de qua Communione, & societate est sermo? Duplex enim communicatio, & societas considerari potest in Ecclesia militante, seu in viatoribus Christi fidelibus. Altera, inter se ad inuicem, qua vt membra eiusdem Ecclesiæ sub vno capite Christo vicissim se adiuuant, & fructus bonorum operum ad inuicem sibi ipsis communicant; vel simul vnanimes concurrunt ad opera diuini cultus: Altera cum Ecclesia triumphante, seu Beatis in

in Patria existentibus, quos veneramur in terris, et ad quos dirigimus petitiones et orationes, tanquam ad Patronos et Aduocatos nostros apud Deum, et è conuersò illi nos protegunt, et gratias à Deo impetrant, et sic nobiscum communicant; Quæritur ergo de quâ communione est hic sermo?

Respondeo sermonem hic esse de vtraque societate, & communione. Primo de communione fidelium, & membrorum Ecclesiæ militantis inter se, hæc namque pars Canonis cum præcedenti connectitur, ita vt sit sensus vbique reddunt vota sua æterno Deo, communicantes, seu simul conuenientes, & concurrentes ad idem sacrificium, & ad eamdem hostiæ oblationem; vnde qui sunt extra communionem Ecclesiæ seu ex communicati & infideles non possunt offere hoc sacrificium, aut concurrere cum Sacerdote ad eius oblationem, vt ex Odone, Innocentio, & alijs notat Durantus de ritibus lib. 2. cap. 35. n. 2. Secundo ly communicantes refertur etiam ad Communionem, & commercium cum sanctis & Beatis, quorum memoriam venerantes eorum præcibus muniri petimus diuinæ protectionis auxilio: vt ex sequentibus patet; Vide Suar. disp. 83. sec. 2. in secunda parte Canonis.

Tertia difficultas est in Canone agatur memoria de sanctis Martyribus tantum, non autem de Sanctis confessoribus.

Respondetur hoc fieri ad commendandam martirij dignitatem, in quo veluti quoddam sacrificium Deo offertur. & idcirco in oblatione veri Sacrificij merito fit mentio specialis Sanctorum martyrum. Ex D. August. lib. de Sanc. virginitate cap 45. Et quia martyres sanguinem fundendo, fuerunt veri imitatores passionis Christi, cuius in hoc sacrificio fit expressa repræsentatio, in primis autem fit memoria Beatæ Virginis, quæ est Regina Martyrum, & plusquam martyr; Ita Durantus supra, & Suar. loc cit.

DVBIVM IV.

De Quarta Parte Canonis Hanc Igitur Oblationem.

Post commemorationem Sanctorum, & honorem eis exhibitum, prosequitur Sacerdos suum principale intentum, videlicet munerum, seu Panis, & vini oblationem, vt magis ea disponat ad sacrificium, & petit, vt oblatio sit Deo accepta, & nobis proficua.

Prima Difficultas est circa pronomen Hanc oblationem &c. quo designatur præsens materia panis & vini, quæ præcisè non est apta ad placandum Deum, neque vt per ipsam aliquid petamus.

Respondeo Sacerdotem non offerre Panem & vinum sistendo in illis; sed vt materiam, ex quâ mox conficiendum est sacrificium, vnde nec aliquid per illam materiam, precisè petimus; sed potius Deum oramus vt illam oblationem ad exitum perducat, idest ad consecrationem, et veri sacrificij complementum quo placatus nobis postulata concedat vt supra etiam diximus; Vide Suar disp. 83 sec. 2. in 3. parte Canonis.

Dicitur autem hæc oblatio nostræ seruitutis Per Antonomasiam, illius scilicet quæ soli Deo debetur, et cultus latriæ appellatur.

Secunda difficultas Circa petitionem, & in Electorum tuorum iubeas grege numerari, quo tendat hæc petitio, cum electio æterna, sit, et decretum prædestinationis immutabile.

Respondeo nos hic petere à Deo consequutionem electionis, et eternam Beatitudinem, in qua numerus electorum congregandus est, hæc autem consequutio ex nostra libera cooperatione dependet, videlicet ab executione bonorum operum, quæ sunt media à Deo præordinata in eum finem, Dum ergo oramus, et petimus numerari in Græge electorum, gratiam à Deo postulamus, quæ necessaria est ad ea media exequenda, et finem consequendum.

Nec obstat diuinum decretum esse immutabile, quia potest esse mutatio ex parte nostra. Deus enim immutabiliter decreuit peccatores impenitentes damnare, et resurgentes à peccatis, atque iustos saluare. Vnde qui à peccato mortali ad iustitiã reuertitur, sententia salutis gaudet; quod si rursus à iustitia ad peccatum reuertitur, hoc ipso se subijcit sententiæ damnationis, quam iterum euitare potest resurgendo per gratiã. Hinc est illud Ambrosij nouit Deus mutare sententiam, si tu noueris mutare vitam, Non quia sit mutatio in Deo, sed quia nos mutabiles sumus, et Dei sententiam nec omnino effugere, nec mutare possumus; modo ad hanc partem eiusdem sententiæ deflectimus, modo ad alteram; vide Durantum in hanc partem Canonis lib. 2. de Ritibus cap. 36. fine Hæc enim attigisse sit satis, nam exacta huius rei explicatio pertinet ad tractatum de Prædestinatione.

DV-

DVBIVM V.

De quinta parte Canonis Quam oblationem, Benedictam, adscriptam.

IN hac parte sacerdos consecrationi iam proximus eandem oblationem panis et vini magis, ac magis Deo commendat, et petit vt ex pane fiat corpus, ex vino sanguis Christi. vel nobis sic fiat, idest ad profectum et bonum nostrum; sicut Pastoribus dictum est ab Angelis Natus est vobis Saluator, idest in vestram vtilitatem, & salutem.

Difficultas solum est de intelligentia illorum verborum, quæ obscuriora videntur, Benedictam, adscriptam, ratam rationabilem.

Respondeo Iuxta duplicem sensum supra insinuatum huius orationis, dupliciter etiam ea verba explicari à DD. Primo si referatur oratio ad ipsius materiæ consecrationem secundū se, sensus, verborum est, fiat hæc oblatio Benedicta per transmutationem materiæ in corpus, & sanguinem Christi. Illa enim est summa benedictio, & sanctificatio, vnde ipsa consecratio solet à Patribus benedictio, appellari. Adscripta idest annumerata in his quæ maximè Deo placent, Ita exponit Alcuinus cap. de celebrar. Missæ: solet enim dici Quis adscriptus inter amicos Regis, qui est ei carus; Item inter Heroes inter milites, qui in eorum numero computatur, & sic de alijs. Rata idest vera, & valida habens rationem veri sacrificij, quod fit per consecrationem, qua ipsa oblatio panis, & vini est vera oblatio Sacrificialis, seu verum sacrificium; qua ratione appellamus quodlibet Sacramentum Ratum, quod constat sua essentiali forma, & materia cum intentione ministri. Rationabilis idest rationalis hostia vt sumitur ex Clemēte lib. 2. cap. 24 quia per consecrationem fit vt iam non sint simplex panis & vinum ea quæ offeruntur, sed ipse Christus, qui non solum rationalis est; sed eterna sapientia, & ratio Item dicitur Rationalis hostia ad differentiam hostiarum, quæ in sacrificijs veteris legis offerebantur per sanguinem hircorum, & vitulorum, & aliorum animalium ratione carentium: In nouo autem testamento offertur sanguis Christi, & ipse Christus est victima. Deniqne fit acceptabilis hæc nostra oblatio per consecrationem, idest Deo gratissima, & maximè placens, non ex dignitate offerentium; sed ex re ipsa oblata, idest Christo, qui est terminus transubstantiationis, plura videri possunt apud Durantum de ritibus, & Suar. locis citatis, qui auctores citant in expositione singulorum verborum, ex quibus selectiora notauimus.

Quoad secundum sensum, idest si referatur hęc petitio, & oratio non simpliciter ad consecrationem materiæ secundum se, sed in ordine ad effectum, seu fructum, quem percipere desideramus ex ea; sic postulamus, vt hæc oblatio per consecrationem fiat benedicta, idest benedictionem Dei ita continens, vt eam cumulatissimè nobis conferat. Item petimus, vt fiat adscripta, idest per quam nos in Cœlo describamur. Rata, per quam in visceribus Christi censeamur, & vera eius membra. Rationabilis, per quam à bestiali sensu exuamur. Acceptabilis, per quam Deo acceptabiles reddamur. Hæc explicatio est secundum mentem D. Th. quæst. 83. art. 4. ad 7. & ijsdem ferè verbis ab eo traditur, & sumitur, ex cap. vtrum sub figura de consecr. dist. 2.

DVBIVM VI.

De sexta parte Canonis ab illis verbis Qui pridie etc. vsque ad illa Hac quotiescumque feceritis.

COmpleta Præparatione, seu dispositione materiæ per supplicationes, & orationes prædictas; deuenitur in hac parte Canonis ad ipsam consecrationem, qua perficitur sacrificium quoad suam essentiam, & fit realis transubstantiatio panis in Corpus Christi, & vini in sanguinem; de qua hoc loco nihil dicendum occurrit; quia de i psa forma consecrationis, & de sensu verborum eius ex professo dicturi sumus in 3 p. commentitulo V. de forma, de cuius effectu iam supradiximus titulo præcedenti, & plura etiam notauimus in quæstione prœmiali circa omissionem; additionem, & mutationem verborum eiusdem.

Difficultas solum occurrit; quia in hac parte aliqua referuntur de Christo, quæ in Euangelio non leguntur; qualia sunt eleuasse oculos in Cœlum, et dixisse in verbis calicis æterni testamenti misterium fidei; Quæritur vnde nam desumpta fuerint.

Respondeo ab Euangelistis non referri minutim omnia, quæ à Christo gesta, & dicta fuerunt, sed alia etiam ex Apostolis habita sunt, qui consortes Christi fuerunt, et præsertim quæ hic referūtur sine dubio ab Apostolis manarunt, & in Ecclesia Romana traditione retenta fuerunt, Ita D. Th. q. 83. art. 4. ad 2. et alij DD. communiter apud Durantum, et Suar locis supra citatis.

DV-

DVBIVM VII.

De septima parte Canonis ab illis verbis Vnde et memores, Vsque ad memento etiam Domine.

Ponderãda est hic differentia in gestibus et verbis Sacerdotis circa oblata ante et post consecrationem: Etenim post consecrationem statim tum hostiam, tum Calicem genuflexus adorat; Deinde verbis etiam dignissimis encomijs, laudat, dicens Hostiam puram, Hostiam Sanctam etc. et exprimit Sacerdos seu Ecclesia per sacerdotem, quod firmo corde credendum est, videlicet sub illis accidentibus iam non esse panem communẽ et terrenum; sed panem sanctum vitæ eternæ, et calicem salutis perpetuæ, et denique Sacrosanctum filij Dei corpus et sanguinem, quo omni benedictione cælesti, et gratia repleamur, non sic ante consecrationem: Et quamuis videatur hæc tripartita oratio, vna tamen est quasi continua, quæ illis verbis concluditur, Per eumdem Christum Dominum nostrum.

Prima Difficultas circa primam partem, cur dicat Sacerdos se Deo offerre de suis donis, ac datis?

Respondeo breuiter: quia Christus nobis à Deo Patre missus et datus est Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret prius in Redemptionem, postea in cibum in hoc Sacramento; Offert autem hæc dona Sacerdos in memoriam Passionis, Resurrectionis etc. Quia hæc omnia mysteria representantur in Missa, vt ex Cyrillo, Origene, et alijs notat Suar tom. 3 in 3 p. Disp. citata 83. sec. 2. cum Duranto supra.

Secunda Difficultas circa secundam partem est: quia non videtur Sacerdos congruè postulare, vt pater in filio suo complaceat, et eum sereno vultu respiciat; Siquidem Pater infinitè amat amore necessario suum filium, et in eo sibi complacet indipendenter à nostris orationibus. Item incongrua videtur cõparatio inter hoc sacrificium infinitæ dignitatis cum sacrificio Abelis, et Abrae etc. quia finiti ad infinitum nulla est proportio.

Respondeo Sacerdotem, seu Ecclesiam per illum non orare vt Pater sibi complaceat in suo filio absolutè, et in se, sed vt oblationem Corporis, et sanguinis Christi quatenus à nobis procedit acceptam habere dignetur, et nos offerentes propitio vultu aspiciat ratione rei oblatæ. Similiter hoc modo fit comparatio cum sacrificio Abelis, et aliorum, videlicet quantum ad fidem, & iustitiam offerentium, non quantum ad valorem ex parte rei oblatæ quia in hoc nulla est comparatio, sed infinita distantia, Ita DD. supra citati.

Tertia difficultas circa tertiam partem; Iube hæc perferri per manus Sancti Angeli in sublime Altare tuum &c. Quinam sit sensus horũ verborum?

Non defuerunt qui arbitrati sunt, verè per Angelos, qui huic sacrificio assistunt, deferri in Cœlum, species Sacramentales, & ipsum Corpus Christi secundum presentiam Sacramentalem, quod commentum merito reijcitur à D. Th. 3. p. quæst. 83. art. 4. ad 9 quia impertinens esset hæc delatio: Cùm in Cœlo non desinat esse Corpus Christi in propria specie: & insuper multiplicantur miracula absque causa, vt replicari debeant species sacramentales in Cœlo, et in terra: Certum est enim species non moueri ab Altari in quo per Sacerdotem fit sacrificium, Est ergo hæc valde crassa, et materialis interpetratio, Vt notat Suar. supra § Additur vltimo.

Respondeo ergo ex D. Th. loco cit. Non esse hæc verba materialiter intelligẽda de motu locali specierum, neque de Altari corporeo, quod sit in coelo; sed intelligi debere metaphoricè, et spiritualiter, videlicet vt nostra oblatio, et sacerdotis oratio Deo per Angelos presentetur, secundum illud Apoc. 8. Ascendit fumus incensorum de oblationibus Sanctorum de manu Angeli: vt sic Angelorum protectione adiuti apud Deum diuinam benedictionem consequamur. Altare ergo Dei in Cœlo nihil aliud est, quam Thronus Diuinæ Maiestatis; Dicuntur autem Vota nostra per Angelos deferri ante conspectum Dei non quia per illos innotescant ad Deum; sed quia et nostram imbecillitatem suis precibus adiuuant; et diuinam voluntatem super eis consulunt, vt ex D. August. Chrisost. et alijs notat Suar. supra.

DVBIVM VIII.

De Octaua parte Canonis à verbis memento Domine, vsque ad verba nobis quoque peccatoribus.

Ea quæ pertinent ad hanc partem explicauimus supra in hoc titulo 9. tum in littera n. 2. tum in dubijs sect. dub. 3. nec aliud addendum occurrit.

DVBIVM IX.

De Vltima Parte Canonis, à verbis Nobis quoque Peccatoribus, vsque ad orationem Dominicam.

IN hac vltima parte Canonis; vltimi finis adeptionem, nempe gloriam, & consortium cum Sanctis in Cœlo precatur Ecclesia, nobis etiam peccatoribus in hac vita degentibus, post similem petitionem Deo oblatam pro a[...]abus Purgatorij. Grandia enim & immensa dona sperare debemus ex vi huius sa[...]ij, & meritorum Christi, qui tanquam [...]tima Deo gratissima in eo offertur. Hac etiam occasione, Iterum fit commemoratio Sanctorum, quorum consortium petitur. Vbi notandum ante consecrationem fieri memoriam de Sanctis tanquam patronis, quorum meritis, & patrocinio possumus adiuuari: Hic autem post consecrationem, non de meritis, & patrocinio eorum, sed solum de præmio fit mentio: ob reuerentiam Christi præsentis in hoc Sacramento, & thesauri infiniti meritorum eius, tacentur merita Sanctorum, vix enim apparent in comparatione eorum, quæ nobis Christus promeruit; & per hoc Sacrificium vberrimè communicantur.

Prima difficultas hic occurrit circa prædictā [...]emoratione Sanctorum. Cur solus Ioannes in particulari nominetur, ceteri autem Apostoli solum in communi. Item non videtur hic seruari ordo ab Ecclesia consuetus, dum Stephanus ante Matthiam Apostolum nominatur, item Felicitas, & Perpetua ante Virg[...]es.

Respondeo ad Primum solius Ioannis nomē hic [...]peti, vel propter virginitatis prærogatiuam, vt vult Innocentius; vel melius meo iudicio, quia ceteri Apostoli tempore passionis, quæ repræsentatur in Canone relicto Christo fu[...]unt, & solus Ioannes stetit ad pedes Crucis.

Ad secu[...]dum respondet Suar. disp. 83 sec 2. §. octaua pars non oportere immorari in reddenda ratione de hac re, & similibus, quia sepè vel casu, vel ex aliqua peculiari deuotione possunt accidere: sed non placet. nec concedendum casu hoc accidisse, & retentum fuisse post plures Missalis recognitiones, præsertim cum Trid. sess. 22. capitulo 4. declaret in Canone nihil contineri, quod non pietatem redoleat. Omissis autem alijs rationibus, quæ videri possunt apud Bellarminum de Missa lib. 2. cap. 26. & apud eumdem Suarez supra, mihi dicendum videtur, hac forte ratione ab Ecclesia non seruari hic ordinem consuetū dignitatum, & graduum vbi Sanctos cōmemorat solum in ordine ad præmiū gloriæ qua fruuntur; quia hoc non datur à Deo secundum diuersitatem graduum, & dignitatum maiorum, vel minorum, sed iuxta proportionem laborum & meritorum, & gradus gratiæ & charitatis: potest autem fieri, vt maioris meriti, & Charitatis fuerit aliqua non virgo multis virginibus, & sic in Cœlo sit maior et similiter de alijs sanctorum ordinibus, et ideo non fuit sollicita Ecclesia hoc loco de seruando ordine alias consueto.

Secunda Difficultas est circa illa verba, non æstimator meriti, cum enim constet vt diximus Beatitudinem à Deo non dari nisi pro ratione meritorum, cur Sacerdos orat et dicit, vt Deus in admittendis hominibus ad Sanctorum consortium et gloriam non sit æstimator meriti?

Respondeo Ad obtinendum sanctorum cōsortium esse necessariam gratiam, et peccatorum veniam, quod totum Sacerdos petit in hac oratione, vt patet ex verbis, veniæ quæsumus largitor admitte: quamuis ergo Deus post collatam gratiam, et veniam peccatorum æstimet merita ad dandam gloriam, quæ verè datur vt præmiū, nihilominus gratiam, et veniam confert sine meritis nostris, atque adeo considerando aggregatum horum omnium bonorum, quod totum fundatur in gratia, et Dei benignitate; Deus dicitur non æstimator meriti.

Tertia Difficultas de sensu eorum quæ sequuntur, Per quem hæc omnia semper bona creas, et de horum connexione cum præcedētibus. Respondeo hæc adnecti cum præcedentibus, videlicet cum petitione Beatitudinis, et gloriæ, vt Deus nobis concedat gloriam Per eumdem Christum, per quem nos creauit, et redemit, et præsertim hoc Sacramētum instituit quo nutrimur in vitam æternā, hoc enim Christus per idem Sacramentū nobis præstat: loquitur ergo sacerdos de Sacramento Altaris, quod præsens habet, et sensus est per quem, idest per Christum hæc bona creas idest materiam huius Sacramenti, videlicet panem et vinum, Sanctificas consecratione, qua hic cibus sacer et sanctus efficitur, Viuificas, quia panis fit caro Christi, viua, et viuificatiua. Benedicis quia per consecrationem benedictionem, et efficaciam recipit ad spiritualia dona conferenda, et præstas nobis: quia totum hoc beneficium nobis per Christū collatum est. Ita ex Alcuino, Amalario, et alijs explicant Durantus de ritibus cap. 44. n. 10. Suar. loco citato et alij communiter: Nec obstat quod tunc quando hæc profert Sacer-

dos non sit in Altari substantia panis et vini, sed sola accidentia, quia sensus est, hæc à te per Christum creata erant panis et vinum, per consecrationem facta sunt sancta etc. loquitur autem per verba de præsenti, quia repræsentat sibi tempus consecrationis, vide Durantum infra.

Quarta difficultas est de sensu verborum, quæ in fine adduntur de eodem Christo Domino, Per ipsum, et cum ipso etc.

Respondeo præclaram hanc esse Canonis conclusionem in honorem, et gloriam Dei, vt moris est Ecclesiæ in fine orationum, et Psalmorum Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

Possunt autem referri hæc verba vel ad Christum vt Deum, vel ad eumdem Christum vt hominem.

Quoad primum est sensus, Per ipsum idest per Christum est tibi Patri honor, et gloria; Nam sicut Pater per verbum omnia creauit, ità per verbum glorificatur ab omnibus: Et quàuis hoc modo loquendi abusus sit Arius ad prauum sensum, nihilominus seclusa fraude hæreticorum, sensus est sincerus, et catholicus. Et cum ipso: quia Pater glorificatur simul cum Filio, qui est idem cum Patre in essentia, et Patri æqualis. Et in ipso: quia vt ait Ambrosius lib. 3. de Fide cap. 4. Cum Patre, et in Patre semper est Filius, et ideo cum ipso glorificatur tanquam æqualis, Et in ipso tanquam in imagine substantiali glorificatur Pater.

Quoad secundum possunt etiam illæ tres voces Christo etiam vt homini accomodari; Nam omnes fideles glorificant Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum Per Christum tāquam per Mediatorem; Cum ipso, quem nos imitamur vt exemplar, et in ipso idest in eo radicati, et fundati tanquam palmites in vite, et vniti tanquam membra cum nostro capite; Vide Durantum, et Suar. loc. cit.

TITVLVS X.

DE ORATIONE DOMINICA ET ALIIS VSQVE AD FACTAM COMMVNIONEM.

INter omnes Missæ partes præcipuum locū obtinent Canon, et Communio: Canon (quem iam explicauimus) dici etiam solet consecratio, quia omnes eius partes cōsecrationem concernunt, vt cum alijs notat Molsesius in summa tract. 3 cap 11 num. 7. Deinde ea pars, quæ immediatè sequitur ab Oratione Dominica vsque ad factam communionem, appellari solet communio ob similem rationē, videlicet quia omnia quæ in hac parte dicuntur, et fiunt ad ipsam communionem pertinent, vt cum D Thom. 3. par. q. 83. corporè notant idem Molsesius supra num. 8. et Suar. disp. 83 sec. 2. §. octaua pars circa finem, et alij communiter. Cum ergo essentia sacrificij consistat in consecratione, et complectatur communionem, seu Sacramenti sumptionem, quę fit à celebrante, velut partem essentialem, vel saltem vt partem integralem sacrificij, et absolutè necessariam ad eius complementum; Idcirco diximus has duas partes missæ inter omnes esse pręcipuas, et sacratissimas. Completo ergo Canone incipit ab Oratione Dominica pręparatio ad Communionem, Ex D. Thom. supra.

1 Celebrans coopertò Calice, adoratoque Sacramento erigit se, & manibus extensis hinc inde super Altare intra corporale positis, dicit intelligibili voce, Per omnia sæcula sæculorum, & cum dicit. Oremus iungit manus, caput Sacramento inclinans, Cum incipit Pater noster extendit manus, & stans oculis ad Sacramentum intentis prosequitur vsque ad finem. Responso à ministro, sed libera nos à malo, & à celebrante submissa voce, Amen, manu dextra, pollice, & indice non disiunctis, Patenam aliquantulum purificatorio extergens, eam accipit inter indicem & medium digitos, quam tenens super Altare erectam, sinistra super corporale posita, dicit secretò, libera nos quæsumus, &c.

EX-

EXPLICATIO LITERALIS

AB Oratione Dominica, vt supra dicebamus incipit præparatio ad Communionem; quia in ea petimus aduentum Regni Dei, & futuræ gloriæ, cuius in hoc Sacramento nobis pignus datur, & fit etiam petitio Panis quotidiani, præsertim Panis cælestis, qui in eodem Sacramento continetur.

Quoad Ritus autem seruandos, de quibus præcipuè hic agimus.

Primo, celebrans extensis manibus hinc inde, & super Altare intra corporale positis &c. ob rationem supra explicatam in principio Præfationis, videlicet; quia manus super Altare designant exercitium bonorum operum, ex Durando ibi citato, quibus hic ad communionem præparamur. Aliam rationem assignat idem Durandus lib.4.cap.47. quia inquit doctrina in quiete docenda est.

Secundo, dicit intelligibili voce, Per omnia sæcula sæculorum, vt populus ratificet quæ secreto peracta sunt, respondens Amen, vt tradit Innocentius lib.5.cap 12 & simul excitetur ad easdem petitiones faciendas, quæ continentur in Oratione Dominica, & ex institutione diuina promanant: quia hæc Oratio fuit à Christo instituta. Item dicitur intelligibili voce, quia publica & communis oratio est, vt ex Cypriano serm. 6. Notant Amalarius cap.9. & Durandus in Rationali lib.4. cap.47. & Durantus de ritibus lib.2.cap.46 n.4.

Tertio, Cum dicit Oremus, iungit manus, & caput Sacramento inclinat, quod ad deuotionem pertinet, & mentis collectionem, Ex alibi dictis, vt sic à Christo cui caput inclinat, spiritum bene orandi imperret.

Quarto, Cum incipit Pater noster, extendit manus, & stans oculis ad Sacramentum intentis prosequitur &c. Extensio manuum communis est omnibus orationibus, de qua diximus tit.5.num.1. dum de orationibus & collectis, & de hac extensione dum recitatur Oratio Dominica, asserit Durandus lib.4. cap.47 n.1. fieri ad ostendendum feruorem cordis, & rectam ad Deum intentionem. Ex cap. si quis vul dist 37. Insuper debet Sacerdos hic orare oculis ad Sacramentum intentis (quod sæpius præscribitur in rubricis post consecrationem) ob realem Christi præsentiam sub speciebus consecratis; vnde ob debitam reuerentiam erga tantam maiestatem conuenit, vt Celebrans sit totus in eam intentus, & omnium actus potentiarum in ipsum Christum præsentem dirigat, præsertim oculorum intuitum, quo & cordis intentio significatur, & mentis attentio, vt alibi supra notauimus.

Quinto, Responso à Ministro, Sed libera nos à malo; Celebrans submissa voce dicit Amen. Non à populo, sed à Sacerdore hic profertur Amen: Cũ enim ipse sit Mediator inter Deum & homines, quia eius est vota populi Deo offerre, & ipsius voluntatem populo annuntiare, Exod.19 magis hic congruit illud à Sacerdote proferri, à quo conuenit petita à Domino fuisse concessa affirmari, ita Durandus in rationali supra lib.4.cap.48. num.21. qui subdit secus esse in alijs orationibus, in quibus ly Amen potius exprimit affectum orantis, quàm conclusionem affirmantis; & idcirco dicitur à populo, seu à ministro nomine populi. Deinde dicitur sub silentio Amen à Sacrdote, in signũ, quod vult Dominus orantes latere, quod à Domino exaudici sint, ne postmodum tepescant, idem Durandus supra.

Sexto, Accipit Sacerdos patenam modo præscripto in rubrica, & dicit secreto, Libera nos quæsumus Dñe etc Pater. & accipit, quoad sensum literalẽ, quia mox debet ea seipsum signare, et reliqua peragere, de quibus in seqnẽtibus dicendum. Dicit verò secreto, Libera nos etc. vt sit discrimen inter Orationem Dominicam, quæ vt supra dicebamus publica, et communis oratio est; et ea quæ adduntur ab Ecclesia ad maiorem emphasim vltimę petitionis. Vide Durandum supra cap. 49. vbi mysticas addit significationes, et benè explicat quare tres tantum Apostoli hic nominantur, quæ ad vitandam prolixitatem omittimus.

2 Antequam Celebrans dicat, Da propitius pacem, eleuat manu dextra Patenam de Altari, & seipsum cum ea signat signo crucis dicens. Da propitius pacem in diebus nostris. Cum signat se, manum sinistram ponit infra pectus: deinde Patenam ipsam osculatur, & prosequens, vt ope misericordiæ tuæ, &c. submittit Patenam Hostiæ, quam indice sinistro accommodat super Patenam, discooperit calicem, & genuflexus Sacramentum adorat: tum se erigens, accipit Hostiam inter pollicem & indicem dextræ manus, & cum illis, ac pollice & indice sinistræ ma-

nus eam super calicem tenens, reuerenter frangit per medium, dicens: Per eumdem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, & mediam partem, quam inter pollicem & indicem dextræ manus tenet, ponit super patenam: de alia media, quam sinistra manu tenet, frangit cum pollice & indice dextræ manus particulam, prosequens, Qui tecum viuit & regnat, &c & eam inter ipsos dextræ manus pollicem & indicem retinens, partem maiorem, quam sinistra tenet, adiungit mediæ super patenam positæ, interim dicens, in vnitate Spiritus sancti Deus: ℟. Amen & cum ipsa particula signans ter à labio ad labium calicis, dicit, Pax Domini sit semper vobiscum. Responso per Ministrum, Et cum spiritu tuo, particulam quam dextra manu tenet, immittit in calicem, dicens secretè, Hæc commixtio, & consecratio Corporis, &c. Deinde pollices & indices super calicem aliquantulum tergit & iungit, calicem palla cooperit; & genuflexus Sacramentum adorat, surgit, & stans iunctis manibus ante pectus, capite inclinato versus Sacramentum dicit intelligibili voce, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, & dextra percutiens sibi pectus, sinistra super corporale posita, dicit, miserere nobis, & deinde non iungit manus, sed percutit sibi pectus, cum dicit secundo, miserere nobis, quod & tertio facit, cum dicit, dona nobis pacem.

Prius orat Sacerdos, seu Ecclesia per sacerdotem vt liberemur à malis, deinde orat pro pace, quæ tanquam finis consequitur victoriam malorum, & inimicorum. Consequimur autem pacem cum Deo liberati à peccatis, & cum hominibus liberati à perturbationibus, & bellorum strepitu, vide Durandum in Rationali libro tertio cap. 49. Circa ritus

Primo Sacerdos cum Patena seipsum signat &c. Dicens da propitius &c ad denotandum quod per virtutem Crucis idest per passionem, & mortem Filij reconciliamur Deo, Durandus supra cap. 50. n. 4. Adhibetur autem Patena ad hanc cæremoniam: quia Patena significat lapidem superpositum monumento, vt alibi diximus, & ideo mortis Christi memoriam excitat, qua redempti ab inimicis pacem adepti sumus. Improbat hic Castaldus in praxi lib. 2. sec 8. cap 7. num. 4. eos, qui perperam sustinebant non signo crucis, sed solum linea recta seipsum debere celebrantem signare; sed hoc commentum aperte falsitatis arguitur, Tum ex rubrica in qua apertè habetur formandum esse signum Crucis, Tum ex declaratione Sacræ Rituum Congregationis Die 13. Martij 1627.

Secundo celebrans Patenam ipsam osculatur: quia osculum est signum pacis, vt alibi diximus; & latè probat Suar. disp. 84. sec 1 § alia significatio, vnde & verbis & gestu pacem à Deo petit.

Tertio fit fractio hostiæ, quæ inter præcipuas Missæ cæremonias meritò habetur, & de ea latè tractat. Durandus in Rationali lib. 4. cap. 51, & D.Th. 3. par. quæst. 83, art. 5. ad 7. Placet expositio quam inter alias affert D. Th. supra ex Dionysio, fractionem hostiæ significare distributionem gratiarum procedentium ex passione Christi. Fit autem diuisio in tres partes ex eodem D Th. supra art. 5. ad 8. quia corpus Christi mysticum, nempe fideles triforme est, seu in triplici statu, In Cœlo, in Terra, in Purgatorio. Tandem vna ex tribus partibus hostię immmittitur in Calicem, & fit mixtio eius cum sanguine, quod ita explicat idē D. Th. supra art 5. ad 9. Videlicet per Calicem significari passionem Christi, & per particulam hostiæ in Calicem Missam significari illos, qui in hac vita sunt participes passionum Christi, & propter iustitiam patiuntur. Quatenus autem hæc cæremonia refertur ad Corpus Christi, iterum dicemus de ea separatim infra in sensu mystico, quamuis etiam iam adductæ mysticæ significationes sint: separari tamen non possunt à litera, quia signa prædicta

cta aliam significationem non habent nisi mysticam .

Controuersia hic est inter expositores ; vnde præcidenda sit tertia illa particula ? An à parte superiori , vel potius ab inferiori dimidiatè tam hostiæ,de qua commodius dicemus in dubijs sec 1.

Quarto sequitur Agnus Dei &c. vbi recolendum est iterum, quod supra notauimus , ea quæ dicuntur & fiunt ab oratione Dominica , & deinceps, ordinari ab Ecclesia in præparationem Communionis : quare sepius fit oratio pro pace : quia Eucharistia est Sacramentum pacis , & vnionis , seu consensionis animorum , & cor pacificum prærequirit in suscipientibus. Præcipuè autem in hunc finem , videlicet in præparationē ad communionem ordinatur trina hæc repetitio Agnus Dei , ex D Th. 3. p. quęst. 83. art 4 corpore , qua confitemur non iam nobis proponi ad manducandum Agnum materialem & terrenum , sicut in veteri lege : sed mysticum , & celestem , & verum Dei filium , Durandus in rationali lib.4 cap.52. Et quoniam vt ait Augustinus in psal. 78. Nemo Christi carnem manducat nisi prius adorauerit ; hac oratione & confitemur corpus Christi (qui est verus Dei Agnus) ibi esse presens , & adoramus , et nostrorum peccatorum conscij eius misericordiam imploramus . Quibus omnibus paulatim magis disponitur Sacerdos ad communionem , et sumptionem Sanctissimi Sacramenti vt bene inter alios notat Suar. disp. 83. sec. 2. circa finem , et colligi etiam potest ex Rubrica huius tituli infra n. 6 vbi similia verba prescribuntur dicenda , quando facienda est communio laicis, et alijs, nempè Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata etc. Ex quibus patet cur Sacerdos capite inclinato ea verba proferat , Cur pectus sibi percutiat , cur pacem petat , et sic de alijs Ritibus , qui exactissimè in ipsa Rubrica explicantur , nec alia expositione indigent . Ter autem repetitur , vel ob rationem vniuersalem perfecti numeri ternarij : vel ob triplicem finem explicatum quia fatemur Christi presentiam , cum adoramus , et veniam ab eo petimus ;

3 Tunc manibus innctis super Altare positis oculisque ad Sacramentum intentis , inclinatus dicit secretò , Domine Iesu Christe &c. Qua oratione finita , si est daturus , pacem osculatur Altare in medio ; & instrumentum pacis ei porrectum á Ministro iuxta ipsum ad dexteram , hoc est in cornu Epistolæ genuflexo , & dicit , pax tecum. Minister respondet , Et cum spirito tuo. Si non adsit qui huiusmodi instrumento pacem recipiat a celebrante, pax non datur , etiam si illius dati Missæ conueniat : nec osculatur Altare , sed dicta præmissa Oratione ; statim subiungit alias Orationes , vt in Ordine Missæ ,

PRosequitur Sacerdos præparationem ad sacram communionem tribus orationibus quas immediatè recitat post Agnus Dei, postulans primo Ecceclesię pacem. et deinde condignum Sacramenti fructum .

Ritus autem seruandi manifesti sunt .

Solum est aduertendum antiquitus à temporibus Apostolotum solitum fuisse inter fideles , etiam laicos ante communionem ad inuicem dari signum pacis per osculum oris , quę cæremonia fiebat etiam in preparationem ad communionem , Ex dictis supra cum D. Th. quæst. 83. art. 4 corpore ; eò quod hoc Sacramentum est vnitatis , et pacis , Postea verò ad vitandos abusus qui irrepserant , cautū fuit vt osculum non detur oris tactu , sed media imagine seu Tabella , quæ pacis appellatur , vt notat Baronius Anno 45. n. 26. et ex Gabriele , et alijs Suar. disp. 84. sec. 1 ¶. Alia significatio: vndè Rubrica hic præcipit , si non adsit qui huiusmodi instrumento pacem recipiat à Celebrante , pax non detur : Item in missis priuatis non datur modo pax nisi Prelatis , et personis valde insignibus , de qua re , et de cæremonijs in ea seruandis tractat Castaldus in Praxi lib. 2. sec. 2. cap. 3. num. 6. In Missis vero solemnibus datur pax Clero , modo infra prescripto. num. 8.

4 Si verò celebret pro Defunctis , non percutit pectus ad Agnus Dei , quia dicit , dona eis requiem , nec dicit primam Orationem , Domine

Iesu

Iesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis, &c. non dat pacem, sed dicit alias duas sequentes Orationes, Domine Iesu Christe fili Dei viui & Perceptio Corporis tui. Quibus Orationibus dictis, genuflectens Sacramentum adorat, & se erigens dicit secreto, Panem cælestem accipiam, &c. quo dicto, dextra manu accipit de patena reuerenter ambas partes hostiæ, & collocat inter pollicem & indicem sinistræ manus, quibus patenam inter eumdem indicem & medium digitos supponit, & eadem manu sinistra tenens partes huiusmodi super patenam inter pectus & calicem, parum inclinatus, dextra tribus vicibus percutit pectus suum, interim etiam tribus vicibus dicens voce aliquantulum eleuata. Dñe non sum dignus, & secretò prosequitur, vt intres, &c. Quibus tertiò dictis, ex sinistra accipit ambas partes prædictas hostiæ inter pollicem & indicem dextræ manus, & cum illa supra patenam signat seipsum signo crucis, ita tamen, vt hostia non egrediatur limites patenæ, dicens. Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen. & se inclinans, cubitis super Altare positis, reuerenter easdem ambas partes sumit: quibus sumptis, deponit patenam super corporale, & erigens se iunctis indicibus & pollicibus, ambas quoque manus ante faciem iungit, & aliquantulum quiescit in meditatione sanctissimi Sacramenti: Deinde depositis manibus dicit secretò, Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi, & interim discooperit calicem, genuflectit, surgit, accipit patenam, inspicit corporale, colligit fragmenta cum patena, si quæ sint in eo, patenam quoque diligenter cum pollice & indice dextræ manus super calicem extergit, & ipsos digitos, ne quid fragmentorum in eis remaneat.

EA quæ omitti debent in missis pro defunctis dicemus commodius in proprio loco infra titulo 13. modò prosequimur ea, quæ fieri & dici debent à Celebrante immediatè ante communionem.

Dictis ergo Orationibus vt supra, & in Ordine missæ præscriptis.

Primo Sacerdos genuflectens Sacramentum adorat, & se erigens dicit Panem cælestem accipiam &c. Adoratio hic signanter præscribitur tanquam actus proximè disponens ad communionem, Ex monito D. Augustini loco supra cit. in Psalm. 68. Nemo Christi carnem manducat, nisi prius adorauerit: Deinde surgens dicit Panem cælestem accipiam, ad explicandam famem, & feruens desiderium huius panis cælestis, quo mirificè disponitur anima ad percipiendam ex eo perfectam nutritionem, & pinguedinem spiritus, iuxta illud, Esurientes impleuit bonis Luc. 15. Vnde August. apud Rodriq. infra, Panis ille (inquit) esuriem quærit hominis interioris; nec expectat vt erectus ea verba proferat, sed dum surgit ea pronuntiat, vt feruentius desiderium exprimatur.

Secundo, accepta hostia modo in rubrica præscripto, ter dicit, Domine non sum dignus, tribus etiam vicibus percutiens pectus suum, & hic est secūdus actus deuotionis actualis, ex doctrina Sanctorum Patrum proximè disponens hominem ad sacram communionem, videlicet actus humilitatis, & reuerentiæ. Vnde August. serm. 74. de tempore, humilitate Centurio placuit, quanto humilior tantò capacior & plenior: colles enim aquam repellunt, valles implebuntur. Et Origenes hom. 6. in diuersos, Quando manducas & bibis Corpus & Sanguinem Domini sub tectum tuum ingreditur, & tu ergo humilians temetipsum imitare hunc Centurionem, & dicito Domine non sum dignus. Vide plura apud Durantum de Ritibus lib. 2. cap. 45. num. 11. & apud Molfesium in sum tract. 3. cap. 11. num. 70. Aduertit etiam Castaldus vt Sacerdos inclinatus dicat, Domine non sum dignus &c. sicut Rubrica præscribit,

bit, non pedem retrahens, quod rubrica non dicit, & plures ineptè faciunt.

Tertia, ex ſiniſtra accipit hoſtiam inter pollicem & indicem dextrę manus, & cum ipſa modo in Rubrica præſcripto ſignat ſeipſum ſigno Crucis. Monet autem Rubrica, vt lineæ Crucis ita formentur, vt hoſtia non egrediatur limites patenæ, quæ immota tenēda eſt: neque cum hoſtia ſeipſum tangere debet Sacerdos, quamuis in ordine ad ſeipſum, ideſt vt benedictionem accipiat, ſignum Crucis formet. Interim dicit Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat &c. hic eſt tertius actus deuotionis actualis, quo proximè diſponimur ad tanti Sacramenti dignam ſumptionem, nempè actus ſpei, & fiduciæ in Chriſtum, & virtutem paſſionis eius, quem & ſigno Cruci, & verbis exprimit Sacerdos, vt notat Durandus in Rationali lib.4. cap 54. nu. 11.

Ex quibus patet deuotionem actualem, quā Sancti Patres commendant, & exigunt in ſumptione Sacramenti Euchariſtiæ tres actus explicatos præcipuè complecti, videlicet vt accedamus ad communionem cum famæ, & deſiderio hujus melliflui cibi. Secundo cum reuerentia, & humilitate: Tertio cum ſpe, & fiducia in Chriſtum, qui ſe nobis tradit in cibum. Ex quibus actibus deinde (recepto iam Sacramento) aſſurgit communicans ad actus perfectiores charitatis, & inter amplexus puriſſimos cęleſtis Sponſi anima liquefacta trāſformatur in ipſum Chriſtum, iuxta illud D. Auguſt. lib. 10 Confeſſ cap. 19. loquens in perſona Chriſti. Ait, Cibus ſum grandium, creſce & manducabis me, nec tu me mutabis in te: ſed tu mutaberis in me: de qua actuali deuotione, & affectibus prędictis videri poſſūt Rodriq. in exercitijs perfectionis p 2 tra. 8 cap. 5. referens alias auctoritates Sanctorū Patrum, Durandus de Ritibus lib 2. cap. 55. Et Molfeſius ſum. tra. 3. cap. 8 n. 62 & 63.

Quarto, Poſt verba explicata, Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat &c. Se inclinans Sacerdos cubitis ſuper Altare poſitis, & Sacramentum ſumit. Præcipitur etiam ſupra tit. 8. num. 5. vt in actu conſecrationis Sacerdos cubitos ſuper Altare teneat, vt ea ſacra actio, quæ eſt eſſentialis ſacrificio maturius, & omnino ſuper Altare conſecratum perficiatur: Eadem ergo ratione idem pręcipitur hic in ſumptione, quæ etiam eſt pars eſſentialis ſacrificij, vel ſaltem integralis & complementum neceſſarium; vt notat Caſtaldus in Praxi lib. 2. ſec. 8. num. 8. & ex eo Gauantus hic.

Quinto, Poſt ſumptionem hoſtiæ aliquantulum quieſcit in meditatione Sanctiſſimi Sacramenti; & reliqua exequitur vt in Rubrica. Quies ſolet concedi corpori poſt refectionem corporalem ad meliorem concoctionem; et potiori ratione poſt ſumptionem ſpiritualis cibi quietæ meditationi vacandum eſt, ne calor deuotionis per diſtractionem tepeſcat, quod hic fit aliquantulum, et poſt miſſam prolixius; Vide Durandum in Rationali lib. 4. cap. 54. num. 10. et ſequentibus; Deinde dicit, Quid retribuam Domino &c. Genuflectit, et alia exequitur, de quibus commodius ſequenti num. dicemus.

5 Si vero adſint Hoſtiæ conſecratæ ſuper Corporale poſitæ pro alio tēpore conſeruandæ, facta prius genuflexione, reponit eas in vas ad hoc ordinatum, & diligenter aduertit, ne aliquod fragmentum, quantumcumque minimum, remaneat ſuper Corporale: quod ſi fuerit, accuratè reponit in Calicem. Poſt extersionem Patenæ iunctis pollicibus & indicibus Calicem, dextera manu infra nodum cuppæ accipit, ſiniſtra Patenam, dicens Calicem ſalutaris &c. & ſignans ſe ſigno Crucis cum Calice, dicit, Sanguis Domini noſtri &c. & manu ſiniſtra ſupponens Patenam Calici, ſtans reuerenter ſumit totum Sanguinem cum particula in calice poſita. Quibus ſumptis dicit ſecretò. Quod ore ſumpſimus, &c. & ſuper Altare porrigit calicem Miniſtro in cornu Epiſtolæ, quo vinum fundente, ſe purificat: deinde vino, & aqua abluit pollices & indices ſuper calicem, quos abſtergit purificatorio interim dicens, Corpus tuum Domine, quod ſumpſi. &c. Ablutionem ſumit, & extergit, os & calicem purificatorio: quo facto, purificatorium extendit ſuper calicem, & deſuper Patenam, ac ſuper Patena paruam pallam

& pll-

& plicato corporali, quod reponit in bursam, cooperit calicem velo, & bursam desuper ponit, & collocat in medio Altaris, vt in principio Missæ.

Post sumptionem sacræ hostiæ præcipitur in hac rubrica, vt colligantur fragmenta, si quæ sint in corporali, tum ex propria hostia Sacerdotis, vt numero præcedenti in fine; tum ex alijs minoribus, si quæ consecratæ sint pro communicaturis, vt in principio huius numeri.

Primo, ergo adhiberi debet accurata diligentia nè aliquod fragmentum quantumcumque minimum remaneat vt patet quia in quolibet minimo fragmento totus Christus continetur: Vnde grauis esset irreuentia aliquod ex illis relinquere cum periculo ne irreuerenter tractetur, vel etiam in locum prophanum decidat, & conculcetur: Minores verò hostiæ pro communicaturis in Pyxidem reponantur, quę post sumptionem Sanguinis intra Ciborium, seu Tabernaculum conseruandæ, debent recōdi, nisi tunc facienda sit communio vt infra.

Secundo, Præmissa diligentia prædicta circa fragmenta, & his in calicem immissis, accipit dextera manu calicem, & sinistra patenam dicens, calicem salutaris accipiam &c. Et signans se signo Crucis modo hic præscripto, stans sumit reuerenter totum sanguinem cum particula &c. Huic sumptioni sacratissimi Sanguinis Christi nōnullos actus deuotionis præmittit Sacerdos, similes iam explicatis in sumptione hostiæ, videlicet adorationem seu genuflexionem, signum Crucis &c. de quibus patet ex ibi dictis: Præsertim verò considerans infinitam Dei bonitatem, & liberalitatem erga vilem creaturam, cui post cælestem panem, etiam Sanguis Christi offertur bibendus, admirans prorumpit in actum gratitudinis & dicit. Quid retribuam Domino &c. de quibus verbis differit Durandus in Rationali lib. 4. cap. 54. & exprimuntur in Rubrica num. præced. Deinde prosequitur ex Rubrica hoc num. 5. Calicem salutaris accipiam &c. Quæ verba in obsequiū gratitudinis prolata ad duplicem calicem referuntur: Primo ad realem & præsentem Sanguinis Christi, quem reuerenter sumit ad complementum sacrificij, quod est sacrificium laudis, & gratiarum actionis. Secundo ad calicē mysticum passionis, seu tolerantiæ quarumuis passionum pro Christo, iuxta illud Matth. 20. Calicem quidem meum bibetis &c. Proponens etiam sanguinem suum daturum pro Christo, qui eius sanguinem bibit, sicuti ex D. August. & alijs notat Rodriq. loco supra cit. cap. 12. videlicet in gratiarum actionem pro tanto beneficio, & vitam & sanguinem, & totos nos ipsos debere nos Deo offerre.

Tertio, Post sumptionem Sanguinis, Calicē & se purificat Sacerdos, nè aliquid Sacramenti remaneat, vel intra calicem, vel intra os, & fauces, quod primo fit solo vino, deinde abluit digitos vino & aqua, & ablutionem sumit & tandem os & calicem purificatorio abstergit, interim dicens Orationes præscriptas. Sicuti distinctè exprimitur in ipsa Rubrica. Qualiter autem omnia prædicta cadant sub præcepto, in dubijs conscientiæ examinabimus.

Interim hæc breuiter aduertenda, vt secundum aliquos vinum pro calicis purificatione infusum sit eiusdem quantitatis, qua fuit vinū immissum ad consecrandum, quod tamen necessarium non est, quia leui agitatione calicis bene possunt colligi species quæ remanserunt, & sumi. Deinde monet rectè Castaldus in Praxi lib. 2. sec. 8. cap. 7. num. 11. Vt purificatio & ablutio sumatur per eandem partem calicis, per quam Sanguis Christi haustus est, vt sic melius absumantur omnes reliquiæ specierum, quod etiam habetur in quadam Epist. Pij V. ad Episcopum Terraconensem relata à Sirriano p. 1. Item ex eodem Castaldo tenendus est Calix super Altare in cornu Epistolæ, non autem extra dum minister vinum &c. infundit, neque digitis labia Calicis, vel oris sui à Sacerdote detergenda, quod parum periti indecenter agunt: curare potius debet nè dum ... tos purificatorio tergit corporale commacu... let gutta cadente ex digitis, quos ideò prius super labrum Calicis versus interiorem partem extergat, et deinde purificatorio exiccet.

Quarto, Tandem Sacerdos superimponit Calici Purificatorium, & patenam, et reliqua vt in principio missæ, et collocat in medio Altaris. An autem cooperiendus sit Calix in anteriori parte velo demisso, vt in principio missæ, in dubijs conscientiæ dicemus sec. 1.

6 Si qui sunt communicandi in missa, Sacerdos post sumptionem Sanguinis antequam se purificet, facta genuflexione ponat particulas conse-

cra-

cratas in pyxide, vel ſi pauci ſint communicandi, ſuper patenam, niſi à principio poſitæ fuerint in pyxide, ſeu alio calice. Interim Miniſter ante eos extendit linteum, ſeu velum album, & pro eis facit confeſſionem, dicens, Confiteor Deo, &c. Tum Sacerdos iterum genufle&#x;ctit, & manibus iunctis vertens ſe ad populum in cornu Euangelij, dicit, Miſereatur veſtri, & Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum veſtrorum, &c. & manu dextra facit ſignum crucis ſuper eos. Poſtea genuflectens, accipit manu ſiniſtra pyxidem ſeu patenam cum Sacramento, dextra vero ſumit vnam particulam, quam inter pollicem & indicem tenet aliquantulum eleuatam ſuper pyxidem ſeu patenam, & conuerſus ad ad communicandos in medio Altaris dicit: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Deinde dicit: Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ſad tantum dic verbo, & ſanabitur anima mea. Quibus verbis tertiò repetitis, accedit ad eorum dextram, hoc eſt, ad latus Epiſtolæ, & vnicuique porrigit Sacramentum, faciens cum eo ſignum crucis ſuper pyxidem, vel patenam, & ſimul dicens: Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam. Amen. Omnibus communicatis reuertitur ad Altare, nihil dicens: & non dat eis benedictionem, quia illam daturus eſt in fine miſſæ. Si particulæ poſitæ erant ſuper corporale, extergit illud cum patena, & ſi qua in eo fuerint fragmenta, in calicem immittit. Deinde dicit ſecretò, Quod ore ſumpſimus Domine, &c. & ſe purificat, dicens: Corpus tuum Domine quod ſumpſi. & alia facit vt ſuprà. Miniſter autem dextra manu tenens vas cum vino & aqua, ſiniſtra verò mappulam, aliquanto poſt Sacerdotem eis porrigit purificationem, & mappulam ad os abſtergendum.

QVando præter celebrantem alij ſunt communicaturi in miſſis priuatis miniſtrabitur illis hoc Sacramentum à celebrante, qui aſſumpto ſanguine antequam ſe purificet hoc munus exercere debet ſeruatis ritibus, qui hic clare, & diſtinctè præſcribuntur, nec alia indigent explicatione, de quibus diſertè etiam more ſuo agit Caſtaldus in praxi lib. 2. ſec. 14. cap 7. Ex quo nonnulla hic adnotabimus, quæ magis præ oculis haberi debent.

Primo ex rationabili cauſa differri poſſe cõmunionem ad finem miſſæ, vt expreſsè concedit Rituale Romanum Pauli V. de Sacramento Euchar. Videtur etiam cauſa rationabilis, ſi plures qui non ſunt communicaturi tedeat illius moræ præſertim quando multi ſunt communicandi, itaque præſtat communionem differre vſque ad finem miſſæ, vt tollatur ea occaſio tedij, vel impatientiæ. Et in hoc caſu dãda eſt benedictio à Sacerdote, quia non militat ratio rubricæ.

Secundo, Pro fœminis quoque dicendum eſſe, Domine non ſum dignus in genere maſculino, ne mutentur verba deſumpta ex Euangelio; vt expreſsè cauetur in Rituali Pauli V. item ea verba ſemper à Sacerdote miniſtrante dici debent, non autem à ſolis communicaturis tacente Sacerdote.

Tertio, Quando fit communio intra miſſam non datur benedictio etiam ſi miſſa ſit pro Defunctis, quamuis in fine miſſæ non detur: quia benedictio non congruit cum dicitur miſſa pro Defunctis.

Quarto, congruit omnino vt communicantibus detur ablutio, vt ſi fragmentum aliquod ori adhęſerit deglutiatur, nec cum ſaliua excreetur, quare intermitti non debet tum ob cautelam prædictam, tum ob reuerentiam Sacramenti, poſt cuius contactum decet ablutio etiam digitorum Sacerdotis. Alia quę ad hanc materiam pertinent explicabimus in dubijs ſec. 3.

7 S. in Altari remaneant particulæ in calice, seu in alio vase vsque ad finem missæ, seruentur ea, quæ in Feria quinta Cœnę Domini præscribuntur circa finem missæ.

Absoluta communione reponit Sacerdos Pyxidem in Tabernaculum cum debitis reuerentijs ante purificationē, vt notat Castaldus supra num 6. iuncto num. 4 Quod si in eo Altari vbi consecratæ fuerunt particulæ non sit Tabernaculum, & ibi remaneant particulæ consecratæ vsque ad finem missæ alio transferendæ: vel quacumque alia de causa remaneat in Altari Sanctissimū Sacramentum vsque ad finem missæ; præcipit hic Rubrica, vt seruentur ea quę in Feria quinta Cœnæ Domini præscribuntur &c videlicet, genuflectat Sacerdos quandocumque accedit ad medium Altaris, vel ab eo recedit ante Sacramentum; Et cum dicit Dominus vobiscum, non vertit se ad populum in medio Altaris, sed propè cornu Euangelij, nè terga vertat Sacramento, & eodem modo dat benedictionem in fine non perficiens circulum: quæ etiam seruantur quando celebratur missa in Altari, in quo est expositum Sanctiss. Sacramentum, vt notat Castaldus in praxi lib. secundo sec. 1. cap. 7. num. 18.

8 In missa solemni Diaconus stans retro post celebrantem, cum in oratione Dominica dicitur, Et dimitte nobis debita nostra. Facta ibidem genuflexione vadit ad dexteram celebrantis, & Subdiaconus circa finem Orationis Dominicæ, facta item genuflexione reuertitur ad Altare, & stans in cornu Epistolæ porrigit patenam Diacono, qui eam discooperit, & purificatorio abstergens dat celebranti, illius manum osculando, & quando opus est, discooperit, & cooperit calicem, & cum celebrante adorat. Subdiaconus reddita patena, & deposito velo, quod ab humeris eius pendebat, genuflectit, & descendit retro post celebrantem: & cum dicitur, Pax Domini, iterum genuflectens accedit ad sinistram celebrantis, & simul dicunt, Agnus Dei, deinde facta ibidem Sacramento genuflexione, redit post celebrantem. Diaconus verò à dextris genuflexus expectat pacem: & cùm celebrans osculatur Altare, ipse se erigens simul osculatur illud extra corporale, & à celebrante dicente, Pax tecum. complexus accipit pacem, sinistris genis sibi inuicem appropinquantibus, & ei respondet, Et cum spiritu tuo. Posteà iterum Sacramento in Altari adorato, vertit se ad Subdiaconum retro post celebrantem, & similiter dat ei pacem. Subdiaconus accepta pace à Diacono, & facta Altari genuflexione, comitatus ab Acolytho vadit ad chorum, & dat pacem primò cuiusque ordinis, dignioribus prius, deinde minus dignis, & reuersus ad Altare, facta genuflexione dat pacem Acolytho, qui ipsum comitauerat, qui & alijs Acolythis circa Altare dat pacem; deinde Subdiaconus vadit ad dextaram celebrantis, & quando opus est, discooperit calicem, accipit ampullam vini & infundit quando celebrans vult purificare. Diaconus post datam pacem Subdiacono vadit ad librum, & dum celebrans se communicat, stant ipse & Subdiac. profundè inclinati versus Altare.

DE Ritibus hic seruandis á Diacono & Subdiacono nihil, addendum occurrit. Videri potest Castaldus in Praxi lib. 1 sec. 7. cap. 1 & cap. 5. Circa ordinem dandi pacem legi etiam potest idem Castaldus lib 2 sec. 2, cap 3. Solùm hic aduerto quamuis laicis non nisi per instrumentum detur pax, seu per tabellam pacis, quæ osculanda porrigitur, ex dictis supra num. 3. Nihilominus cum ministris Altaris, & alijs Ecclesiasticis personis, qui sunt in Choro, et Altari assistunt retinetur mos, & ritus antiquus dandi pacem per amplexus, de quo ritu D. Chrysost. hom. 51. ad populú Antiochen. Alter inquit Alterum amplectitur, vt vnum multi fiamus. Item sinistris genis sibi inuicem appropinquantibus, quo significatur dari pacem ex corde, quod ad sinistram declinat: vel quia etiam in aduersis seruanda est pax.

9 In missa Pontificali, Assistens accipit, & defert pacem, vt in Cæremoniali habetur. Si in missa solemni fiat communio, omnia seruentur vt supra, sed prius communicet, & Diaconum, & Subdiaconum, deinde alios per ordinem: & Diaconus purificationem eis ministret. Interim à Choro cantatur Antiphona, quæ dicitur Communio.

IN Missa Pontificali circa modum, & ordinē dandi pacem seruari debent ea, quæ habētur in Cærem. Episcop. lib. 1. cap. 24 vt hic præcipit Rubrica. In qualibet vero Missa solemni quando facienda est communio seruari debent omnia prædicta num. 6 Et insuper ea, quæ hic præscribuntur. Pertinet autem ad Diaconum extrahere Pyxidem è tabernaculo, et confessionem facere pro omnibus sicuti, distinctè explicat Castaldus in Praxi lib. 2. sec. 14. cap. 7. num. 4.

SENSVS MYSTICVS.

FActa commemoratione Crucifixionis, et mortis Christi in fine Canonis illis signis, quæ fiunt ad verba. Per ipsum, et cum ipso etc. vt supra suo loco diximus in hac parte.

Primo loco recitatur Oratio Dominica septem petitionibus constans, in memoriam septem verborum, quæ dixerat Christus in Cruce, Durandus in Rationali lib. 4 cap. 37.

Secundo, Additur sub silentio, Libera nos quæsumus Domine etc. vt intelligamus liberatos Sanctos Patres à Limbo, quo secretó descenderat Anima Christi, Durandus supra cap 49.

Tertio representatur mysterium Resurrectionis Dominicæ per commixtionem hostiæ cum sanguine, præmissa fractione totius hostiæ in tres partes: quia facta prius separatione tum sanguinis à corpore, tum animæ ab eodem, iterum anima redijt ad sepulchrum, & vnita Corpori & Sanguini, Christus gloriosissimé resurrexit, vt ex Microl. cap. 18 & Amalar lib. 3. cap. 32. & communi sententiá notat Suar. disp. 84. sec. 1. § In solutione veró. Tria autem signa Crucis cum particulá supra Calicem; vel admonent de triduo mortis, Ex D. Thom 3 p q 83. art 6 vel de potentia totius Trinitatis in gloriosa Christi resurrectione, ex Innocentio de Mysterijs missæ lib. 5 c. 2.

Quarto, fit communio Cleri, & populi: quia Christus post resurrectionem comedens cum Apostolis, sumens reliquias dedit eis, Microl. cap. 20. Et interim dicitur Communio, qui est versus letitiæ: quia gauisi sunt Discipuli viso Dómino, Innocent. supra cap. 10. de alijs mysterijs diximus in expositione literæ.

DVBIA CONSCIENTIAE

SECTIO I.

De communione celebrantis, ac de Ritibus eam præcedentibus, & subsequentibus.

DVBIVM I.

Circa fractionem hostiæ, an particula sit præcidenda à parte superiori, an ab inferiori dimidiatæ iam Hostiæ.

Prima sententia sustinet præcidendam esse à parte superiori tanquam à nobiliori, ita Crassus lib. 2. cap 4. Petrus Ruiz in suo Cærem. cum alijs.

Secunda sententia probabilior & vsu recepta docet, præcidendam esse á parte inferiori: Tum quia ita colligitur ex Ordine Romano:

Tum quia ita commodius, & tutius fit ea fractio: Cum enim pars inferior magis sit intra Calicem, si ex ea resiliat aliquod fragmentū, certius est resilire intra Calicem vt decet, non extra. Neque obstat fundamentum primæ sententiæ, Tum quia gratis asseritur; Tum quia non datur in hostia pars alia nobilior, cum totus Christus sit in qualibet parte, ita Trimarchi in Cærem. quem citat & sequitur Niger in Addit. ad Ruiz p. 3. § 12 n. 7. Gauantus Comment. ad missale p. 2. tit 10. n. 2.

DVBIVM II.

Quo iure teneatur celebrans communicare, & sumere vtramque speciem consecratam.

CErtum est teneri Sacerdotem grauissima obligatione sumere in missa hoc Sacramentum sub vtraque specie, vt constat ex Trid. sess. 13. cap. 8 Vbi asserit hoc haberi ex traditione Apostolorum, & ex cap. nihil, & cap illud 7. q. 1. & ex cap. relatum de consecr. dist 2. & ex Rubricis de defectibus tit. 10. n. 4. Vbi dicitur, si quis extra huiusmodi casus necessitatis integra Sacramenta non sumpserit grauissimè peccat; & docent omnes DD. cum D Thom. 3. p. q. 82. art 4.

Difficultas solum est, an hoc præceptum sit Iuris diuini, vel tantùm Ecclesiastici.

Aliqui censent incertum esse, an hæc obligatio sit iuris diuini, vel solum Ecclesiastici: quia nec ex traditione Apostolica colligitur Ius diuinum, neque antiqui Canones hoc declararunt, ita Suar. tom. 3. in p. 3. disp. 75. sec. 5. § vna vero.

Respondeo nihilominus absolutè dicendū esse, sumptionem Sacramenti sub vtraque specie pro vt fit in missa à celebrante esse iure diuino preceptam, nec posse Ecclesiam in hac re dispensare.

Probatur: quia ex communissima DD sententia sumptio Sacramenti vel est de essentia sacrificij, vel saltem de integritate substantiali eiusdem, vt fusius diximus in tract. de sacrificio: ergo posito quod quis velit celebrare, & offerre sacrificium, tenetur iure diuino Sacramentum sumere. Probatur consequentia: quia eodem iure quo Christus sacrificium instituit, instituit etiam vt integrum, & perfectum offeretur, non mutilum & imperfectum & ex institutione hoc connaturaliter sequitur.

Confirmatur primo, quia idcirco Christus ipsemet sumpsit in vltima Cœna Sacramentū quoad vtramque speciem, vt id quod cæteris obseruandum mandabat, exemplo suo confirmaret, vt docet D. Tho. 3. p. q. 81. art. 1. & cum eo communiter.

Confirmatur secundo, quia ideo est tam necessaria sumptio Sacramenti, vt si celebrans fortè post consecrationem moriatur &c. debeat alius Sacerdos etiam non ieiunus supplere & sumere, vt habetur in Rubricis de defectibus: ergo signum est obligationem prædictam esse iuris diuini, & indispensabilem, ita Cardinalis de Lugo de Euchar disp. 19. nu. 76. Auersa de sacris quæst. 11 sec. 2. § quarto etiam Coninch. de Sacram. q. 82. num 95. Fagundez, Præcepto 1. lib. 3. cap. 5. num. 20. & communiter: nec obstat sæpe in Missa conseruari etiam hostias minores, quæ non sumuntur à celebrante, in quibus tamen Christus perfectè sacrificatur; Respondetur enim ad integritatem sacrificij pertinere sumptionem victimæ non quoad omnes partes materiæ continentis, sed Christi sub speciebus contenti. Circa alias verò species seruari debet vsus Ecclesiæ.

Colligitur sumptionem vtriusq; speciei Sacerdotis sacrificantis esse de iure diuino, sicut etiam est consecratio vtriusque speciei, quia saltem pertinet ad integritatem substantialem sacrificij; ita Auersa supra §. adhuc autem, & alij communiter, de qua quæstione iterum redibit sermo 3. p. tit. 10. n. 4.

DVBIVM III.

An teneatur celebrans sumere hostiam à se consecratam, vel possit relicta sua, aliam sumere præconsecratam.

E. G. Sacerdos deputatus ad consecrandam hostiam maiorem exponendam pro oratione solemni 40. horarum, eam ex obliuione non attulit ad Altare; sed suam hostiam tantum consecrauit, Quæritur an tempore communionis possit sumere particulam ex præconsecratis in Pyxide, & suam maiorem quam tunc consecrauit reseruare exponendam, dum non suppetit aliud remedium, & scandalum aliàs orietur.

Aliqui existimant id licitè fieri posse: quia verè dicitur participare de suo Sacrificio, dum participat de eodem Christo, qui idem est in omnibus hostijs, Ita Henriq. Fagundez, Bonacina disp. st. quæst. vltimæ punc. 2. quos refert Auersa de sacrificio quæst. 11. sec. 2. § 6. sumptio, et Diana infra.

Respondeo nihilominus teneri omnino celebrantem sumere hostiam à se consecratam, nec aliter satisfacere suæ obligationi, et inte-

integritati sacrificij. Ratio, quia aliæ hostiæ non pertinent propriè ad idem sacrificium; licet enim sub illis sit idem Christus, non tamen vt victima huius sacrificij.

Confirmatur: quia in rubricis de Defectibus iniungitur Sacerdoti, vt si fortè hostia à se consecrata dispareat, vel deprehendatur venenata, debeat aliam hostiam consecrare, et sumere, quod non opus esset si sufficeret ad perficiendum sacrificium sumere de particulis in alia missa consecratis, Ita Cardinalis de Lugo de Euchar. disp. 19. n. 76. Bartolomeus ab Angelo; Faustus, et alij, quos citant et sequuntur Auersa supra, et Diana p. 5. tract. 13. resol. 96 Adde Tambur. Opusc. de sacrif. lib. 2. cap. 5. 8. num. 17.

Colligitur si sacerdos consecrauerit in sua Missa consuetam hostiam maiorem, et insuper alias particulas posse licitè sumere ad perficiendum Sacrificium vnam ex particulis tunc à se consecratis, et maiorem hostiam reseruare exponendam; quia verè participat de sacrificio, ita Auersa, et Tambur. locis citatis. Addit Auersa si non consecrauerit alias hostias posse licitè prædictum sacerdotem sumere modicam partem suæ hostiæ maioris, et reliquam partem seruare exponendam.

Probatur: quia verè totum Christum sumit in qualibet modica parte, quod sufficit ad integritatem sacrificij. Ceterum hoc procederet si hostia prius non esset frangenda per medium, vt ex præcepto fieri debet; posita verò ea fractione non videtur decenter exponi posse, Itaque melius erit exponere paruam hostiam.

DVBIVM IV.

De modo sumendi sacram Hostiam.

RESpondeo circa modum sumendi Sacram Hostiam obseruanda esse, quæ monet Sapientissimus Durandus sacrorum Rituum accuratissimus explanator lib. 4. Rationalis cap. 54. num 14 his verbis sed nec Eucharistia sicut alius cibus est masticanda, sed discretè, moderatè ac leniter anterioribus dentibus tenenda, & lingua mollificanda, ne qua eius particula dentibus adhereat, & similia habet Henriq. lib 8 cap. 50

Aduertat ergo Sacerdos vt totam hostiam reuerenter traiiciat. & si quid dentibus, vel palato adhæserit, lingua non digito inde reuellat, quod si non possit, ne diu immoretur cum admiratione adstantium, sumat sanguinem, & ablutionibus traijciat, & quamuis non peccaret Sacerdos si digito vellet hostiam à palato diuellere, minus tamen decens id esse videtur: laico tamen id absolutè prohibitum est, qui tangere digitis non potest Sacramentum, sed is debet ablutionibus etiam iteratis illam extrahere, & deglutire, vt monet Henriq. supra.

DVBIVM V.

An ex Præcepto debeat prius sumi hostia, quam Sanguis.

RESpondeo Affirmatiuè, quarè hunc ordinem peruertere, esset graue peccatum saltem contra præceptum Ecclesiæ sicuti constat ex his rubricis, & communi Praxi. Imo videtur contra præceptum diuinum, quod colligitur ex facto Christi, & ex natura & significatione tum sacrificij, tum Sacramenti instituti per modum conuiuij perfecti sub speciebus cibi & potus, vt fusius explicauimus tum quoad consecrationem, tum quoad sumptionem in quæstione Proemiali sec. V punc. 6.

DVBIVM VI.

An Sanguis debeat totus sumi vnico haustu, vel pluribus.

PRima sententia est Gauanti in Rubricas Missalis par. 2 tit. 10. litera 1. qui censet pluries admonendum esse ori Calicem, & iterum atq; iterum hauriendum esse sanguinem, quia inquit hic modus aptior est ad reuerenter sumendam speciem; citat prose Durandum in Rationali lib. 4 cap. 54. qui num 12. sic habet, sed & sanguinem sumendo ter haurit Trinitatem designans &c.

Secunda sententia probabilior, & tenenda docet vnico haustu totum sanguinem esse sumendum, nec amplius lambendum calicem: nam si quid remanserit, ablutione & purificatione sumitur sic Castaldus in Praxi lib. 2. sec. 7. cap. 7. num. 9. citans Paris de Crassis.

Probatur vel trina sumptio sanguinis fieri debet ob mysterium, vel ob cautelam, vt totus sanguis absumatur, ita vt nihil prorsus remaneat, nec minima stilla: neutrum dici potest, ergo &c Probatur Minor non primum, quia id esset addere nouum ritum non præscriptum in rubricis contra Bullam Pij V. Et quidem in rubricis nihil prorsus dicitur de trina sumptione, Durandus autem loquitur de ritu antiquiori, qui modo cessauit, & tacitè prohibe-

Tum quia ita commodius, & tutius fit ea fractio: Cum enim pars inferior magis sit intra Calicem, si ex ea resiliat aliquod fragmentũ, certius est resilire intra Calicem vt decet, non extra. Neque obstat fundamentum primæ sententiæ, Tum quia gratis asseritur; Tum quia non datur in hostia pars alia nobilior, cum totus Christus sit in qualibet parte, ita Trimarchi in Cætem. quem citat & sequitur Niger in Addit. ad Ruiz p.3. § 12 n.7. Gauantus Comment. ad missale p.2. tit 10. n.2.

DVBIUM II.

Quo iure teneatur celebrans communicare, & sumere vtramque speciem consecratam.

CErtum est teneri Sacerdotem grauissima obligatione sumere in missa hoc Sacramentum sub vtraque specie, vt constat ex Trid. sess. 13. cap. 8 Vbi asserit hoc haberi ex traditione Apostolorum & ex cap. nihil, & cap illud 7. q. 1. & ex cap. relatum de consecr. dist 2. & ex Rubricis de defectibus tit. 10. n. 4. Vbi dicitur, si quis extra huiusmodi casus necessitatis integra Sacramenta non sumpserit grauissimè peccat; & docent omnes DD. cum D Thom. 3. p. q. 82. art 4.

Difficultas solum est, an hoc præceptum sit Iuris diuini, vel tantùm Ecclesiastici.

Aliqui censent incertum esse, an hæc obligatio sit iuris diuini, vel solum Ecclesiastici: quia nec ex traditione Apostolica colligitur Ius diuinum, neque antiqui Canones hoc declarant, ita Suar, tom. 3. in p. 3. disp. 75. sec. 5. § vna vero.

Respondeo nihilominus absolutè dicendũ esse, sumptionem Sacramenti sub vtraque specie pro vt fit in missa à celebrante esse iure diuino preceptam, nec posse Ecclesiam in hac re dispensare.

Probatur: quia ex communissima DD. sententia sumptio Sacramenti vel est de essentia sacrificij, vel saltem de integritate substantiali eiusdem, vt fusius diximus in tract. de sacrificio: ergo posito quod quis velit celebrare & offerre sacrificium, tenetur iure diuino Sacramentum sumere Probatur consequentia: quia eodem iure quo Christus sacrificium instituit, instituit etiam vt integrum, & perfectum offeretur, non mutilum & imperfectum & ex institutione hoc connaturaliter sequitur.

Confirmatur primo, quia idcirco Christus ipsemet sumpsit in vltima Cœna Sacramentũ quoad vtramque speciem, vt id quod cæteris obseruandum mandabat, exemplo suo confirmaret, vt docet D. Tho. 3. p. q 81. art. 1. & cum eo communiter.

Confirmatur secundo, quia ideo est tam necessaria sumptio Sacramenti, vt si celebrans fortè post consecrationem moriatur &c. debeat alius Sacerdos etiam non ieiunus supplere & sumere, vt habetur in Rubricis de defectibus: ergo signum est obligationem prædictam esse iuris diuini, & indispensabilem, ita Cardinalis de Lugo de Euchar disp. 19. nu. 76. Auersa de sacris quæst. 11 sec. 7. §. quarto etiam Conitch. de Sacram. q. 82. num 95. Fagundez, Precepto 1. lib. 3. cap. 5. num. 20. & communiter: nec obstat sæpe in Missa conseruari etiam hostias minores, quæ non sumuntur à celebrante, in quibus tamen Christus perfectè sacrificatur; Respondetur enim ad integritatem sacrificij pertinere sumptionem victimæ non quoad omnes partes materiæ continentis, sed Christi sub speciebus contenti. Circa alias verò species seruari debet vsus Ecclesiæ.

Colligitur sumptionem vtriusq; speciei Sacerdotis sacrificantis esse de iure diuino, sicut etiam est consecratio vtriusque speciei, quia saltem pertinet ad integritatem substantialem sacrificij; ita Auersa supra §. adhuc autem, & alij communiter, de qua quæstione iterum redibit sermo 3. p. tit. 10. n. 4.

DVBIUM III.

An teneatur celebrans sumere hostiam à se consecratam, vel possit relicta sua, aliam sumere præconsecratam.

E. G. Sacerdos deputatus ad consecrandam hostiam maiorem exponendam pro oratione solemni 40. horarum, eam ex obliuione non attulit ad Altare; sed suam hostiam tantum consecrauit, Quæritur an tempore communionis possit sumere particulam ex præconsecratis in Pyxide, & suam maiorem quam tunc consecrauit reseruare exponendam, dum non suppetit aliud remedium, & scandalum aliàs oriretur.

Aliqui existimant id licitè fieri posse: quia verè dicitur participare de suo Sacrificio, dum participat de eodem Christo, qui idem est in omnibus hostijs, Ita Henriq. Fagundez, Bonacina disp. 4. quæst. vltimæ punc 2. quos refert Auersa de sacrificio quæst. 11. sec. 2. § 6. sumptio, et Diana infra.

Respondeo nihilominus teneri omnino celebrantem sumere hostiam à se consecratam: nec aliter satisfacere suæ obligationi, et inte-

integritati sacrificij. Ratio, quia aliæ hostiæ non pertinent propriè ad idem sacrificium; licet enim sub illis sit idem Christus, non tamen vt victima huius sacrificij.

Confirmatur: quia in rubricis de Defectibus iniungitur Sacerdoti, vt si fortè hostia à se consecrata disparea t, vel deprehendatur venenata, debeat aliam hostiam consecrare, et sumere, quod non opus esset si sufficeret ad perficiendum sacrificium sumere de particulis in alia missa consecratis. Ita Cardinalis de Lugo de Euchar. disp. 19. n. 76. Bartolomeus ab Angelo; Faustus, et alij, quos citant et sequuntur Auersa supra, et Diana p. 5. tract. 13. resol. 96 Adde Tambur. Opusc. de sacrif. lib. 2. cap. 5. 8. num. 17.

Colligitur si sacerdos consecrauerit in sua Missa consuetam hostiam maiorem, et insuper alias particulas posse licitè sumere ad perficiendum Sacrificium vnam ex particulis tunc à se consecratis, et maiorem hostiam reseruare exponendam; quia verè participat de sacrificio, ita Auersa, et Tambur. locis citatis. Addit Auersa si non consecrauerit alias hostias possè licitè prædictum sacerdotem sumere modicam partem suæ hostiæ maioris, et reliquam partem seruare exponendam.

Probatur: quia verè totum Christum sumit in qualibet modica parte, quod sufficit ad integritatem sacrificij. Ceterum hoc procederet si hostia prius non esset frangenda per medium, vt ex præcepto fieri debet; posita verò ea fractione non videtur decenter exponi posse, Itaque melius erit exponere paruam hostiam.

DVBIVM IV.

De modo sumendi sacram Hostiam.

Respondeo circa modum sumendi Sacram Hostiam obseruanda esse, quæ monet Sapientissimus Durandus sacrorum Rituum accuratissimus explanator lib. 4. Rationalis cap. 54. num 14 his verbis sed nec Eucharistia sicut alius cibus est masticanda, sed discretè, moderatè ac leniter anterioribus dentibus tenenda, & lingua mollificanda, ne qua eius particula dentibus adhereat, & similia habet Henriq. lib 8 cap. 50

Aduertat ergo Sacerdos vt totam hostiam reuerenter traiiciat. & si quid dentibus, vel palato adhæserit, lingua non digito inde reuellat, quod si non possit, ne diu immoretur cum admiratione adstantium, sumat sanguinem, & ablutionibus traijciat, & quamuis non peccaret Sacerdos si digito vellet hostiam a palato diuellere, minus tamen decens id esse videtur: laico tamen id absolutè prohibitum est, qui tangere digitis non potest Sacramentum, sed is debet ablutionibus etiam iteratis illam extrahere, & deglutire, vt monet Henriq. supra.

DVBIVM V.

An ex Præcepto debeat prius sumi hostia, quàm Sanguis.

Respondeo Affirmatiuè, quarè hunc ordinem peruertere, esset graue peccatum saltem contra præceptum Ecclesiæ sicut constat ex his rubricis, & communi Praxi. Imo videtur contra præceptum diuinum, quod colligitur ex facto Christi, & ex natura & significatione tum sacrificij, tum Sacramenti instituti per modum conuiuij perfecti sub specie bus cibi & potus, vt fusius explicauimus tum quoad consecrationem, tum quoad sumptionem in quæstione Prœmiali sec. V punc. 6.

DVBIVM VI.

An Sanguis debeat totus sumi vnico haustu, vel pluribus.

Prima sententia est Gauanti in Rubricas Missalis par. 2 tit. 10. litera 1. qui censet pluries admouendum esse ori Calicem, & iterum atq; iterum hauriendum esse sanguinem, quia inquit hic modus aptior est ad reuerenter sumendam speciem; citat pro se Durandum in Rationali lib. 4 cap. 54. qui num 12. sic habet, sed & sanguinem sumendo ter haurit Trinitatem designans &c.

Secunda sententia probabilior, & tenenda docet vnico haustu totum sanguinem esse sumendum, nec amplius lambendum calicem: nam si quid remanserit, ablutione & purificatione sumitur sic Castaldus in Praxi lib. 2. sec. 7. cap. 7. num. 9. citans Paris de Crassis.

Probatur vel trina sumptio sanguinis fieri debet ob mysterium, vel ob cautelam, vt totus sanguis absumatur, ita vt nihil prorsus remaneat, nec minima stilla: neutrum dici potest, ergo &c Probatur Minor non primum, quia id esset addere nouum ritum non præscriptum in rubricis contra Bullam Pij V. Et quidem in rubricis nihil prorsus dicitur de trina sumptione, Durandus autem loquitur de ritu antiquiori, qui modo cessauit, & tacitè prohibe-

fuerunt hoc ipso quod non præscribitur, idest velle data opera ter sumere sanguinem per partes, ita vt prima vice sumatur tertia pars specierum, & sic de alijs, quod modo illicitum esset ex dictis. Dixi data opera, quia si ob tussim E.g. vel aliud impedimentum remanserit pars notabilis specierum, vtique deberet sumi ante purificationem sed hoc est per accidens.

Neque secundum: quia experientia constat etiam si pluries lambatur calix adhuc remanere aliquam stillam, & aliquem humorem, donec ablutione exhauriatur, & purificatorio tandem exiccetur & abstergatur Calix. Alioquin si nihil prorsus remaneret, frustra præciperetur ablutio, & purificatio Calicis: melius ergo & decentius est, vt vnico haustu sumatur totus sanguis, idest, quantum moraliter fieri potest, & deinde per ablutionem & purificationem reliquum exhauriatur, quod etiam post trinum haustum faciendum est, & hic est sensus germanus rubricæ præcipientis, vt totus sanguis primo sumatur, deinde infundatur vinum ad abluendum.

DVBIVM VII.

Quid agendum si particula hostiæ mixta cum sanguine remaneat in fundo Calicis.

Ratio dubitandi est; quia posito eo casu si dum sumitur sanguis, particula remaneat in calice, vel ea particula adducenda esset digito ad labium Calicis, et sumenda ante purificationem, et hoc non videtur admittendum, quia statim apparet indecens, et minus conueniens, vt multi DD. censent, et videri potest apud Suar. disp. 68. sec. 6. vel infundendum esset vinum, vt sic cum vino deglutiatur, et hoc videtur contra præceptum ieiunij præmittendi ante communionem: quia moraliter prius deglutitur aliqua pars vini, quo frangitur ieiunium naturale, quam particula hostiæ.

Respondeo posito casu (qui frequenter solet contingere) posse Celebrantem pro libito vti altero è duobus modis prædictis; melius tamen esse et decentius vt eligatur secundus modus, nempè vt infundatur vinum, et cum eo sumatur particula, quæ remansit in Calice.

Prima pars Probatur ex rubricis de Defectibus tit. 10. n. 8. vbi expresse ponitur alter è duobus modis, et arbitrio Sacerdotis relinquitur: Nec videtur concedendum priorem modum esse absolutè indecentem; quia hoc esset aliquam notam inurere auctoritati rubricarum.

Secunda pars Probatur: quia communi DD. calculo secundus modus est aptior, et decentior: ergo omnino preferendus, et in praxi eligendus.

Nec obstat præceptum ieiunij: quia solum eo præcipitur, vt quis accedat ieiunus ad integram communionem, et sumptionem Sacramenti absolutè; et per se. Quod si aliquid ex speciebus sumendum superfit tanquam circumstantia, et reliquiæ communionis iam inchoatæ; non obstat eidem precepto illud sumere simul cum vino, vel post aliquam vini partem iam haustam, non per se, et directè, sed in ordine Sacramentum, et ad decentius perficiendam, et complendam eiusdem Sacramenti suptionẽ vt fusius explicabimus sec. sequenti in qua dicemus de fragmentis decisis ex hostia consecrata, Ita Suar. loco cit. Sylvest. Victoria, Caietanus, Nauar, apud eundem Suar supra, Auersa de Euchar. q 8 sec. 9. Tambur. Opusc. de Sacrificio lib. 2. cap. 8. §. num 7. et Opusc. de Communione cap. 2. §. 8. num. 52. Cardinalis de Lugo. de Euchar. disp. 15. sec. 4. num 79.

DVBIVM VIII.

An & qualiter Ablutio Calicis, seu Purificatio cadat sub precepto.

De purificatione Patenæ, et collectione fragmentorum è corporali dicemus sec. sequenti dum de fragmentis. Quoad purificationem vero calicis.

Respondeo, et dico primo certum est purificationem Calicis absolutè cadere sub præcepto graui, consequenter eius omissionem forè peccatum mortale.

Probatur quia talis omissio cederet in grauem iniuriam Sacramenti: moraliter enim loquendo fieri non potest quin remaneat in calice aliqua stilla sanguinis, seu specierum consecratarũ, vel aliquis humor specierum consecratarũ, adhærens interioribus partibus Calicis: ergo nisi ablutione absumatur & purificatorio tandem extergatur & exiccetur; remaneret intra Calicem cum periculo nè postea irreuerenter tractetur, vel decidat in locum prophanum, vel saltem ipse Calix reponatur in loco minus apto, quam requirat præsentia tanti Sacramenti: cum totus Christus sit sub qualibet minima parte specierum, ita DD. communiter loco infra citando.

Dico

Dico secundo, Modus purificandi Calicem prius vino tantùm, deinde vino & aqua non videtur cadere sub præcepto tam graui, vt eius mutatio excusari non possit à peccato saltem mortali, vt probauimus in q. Proœmiali sec. 3. punc. 5. vbi citauimus DD. pro vtraque conclus. videnda sunt dicta ibi.

DVBIVM IX.

An detur præceptum ne celebrans expuat post communionem.

Eadem est quæstio de alijs communicantibus in missa, vel extra missam.

Prima sententia sustinet absolutè post susceptum Sacramentum teneri suscipientem per aliquod temporis spatium non expuere, seu pituitam non excreare per os, donec species sacramentales consumentur, ita Molfesius tom. tract. 3 cap. 8. num. 65. fauet Durandus in Rationali lib 4. cap. 42 num. 14. Vbi sic habet, Is qui communicauit, debet abstinere à sputo si absque violentia naturę potest: & idem repetit cap. 54 num. 14. Probat Molfesius ex cõmuni Praxi fidelium, & probari etiam posset ex periculo eijciendi in terram aliquod fragmentum hostiæ consecratæ cum iniuria Sacramenti.

Secunda, & vera sententia negat simpliciter hanc obligationem abstinendi à sputo secluso periculo eijciendi ex ore aliquod fragmentum, sed asserit esse magis congruũ & decens expectare aliquantisper, & non statim spuere ob maiorem reuerentiam Sacramenti: quia videlicet sputum transit per partes, quas tetigit Sacramentum, & videtur minus decens statim proijci & conculcandum.

Probatur hæc sententia: quia si extaret præceptum, vel esset iuris naturalis, aut diuini, vel Ecclesiastici neutrum dici potest, ergo: non primum: quia secluso periculo explicato, non videtur, irreuerentia statim spuere, præsertim quia verè nõ tangitur à manducantibus ipsum Corpus Christi immediatè; sed solũ tanguntur species, seu accidentia panis & vini, sub quibus continetur Christus, sed modo indiuisibili, & imperceptibili à sensibus corporeis. Neque secundum: quia nullibi extat in iure hoc præceptum, Ita Henriq. lib. 8. cap 39 num. 1. Marchinus de Sacram. Ordinis tract. 3 p. 3. cap. 3. fine, Tambur. Opusc. de communione cap. 3. §. 2. num. 2.

PRO RESOLVTIONE.

Respondeo, & dico primo, si sit periculum probabile eijciendi cum sputo fragmẽtum hostiæ consecratæ relictum in ore, est graue peccatum spuere: quia id fit cum graui irreuerentia Sacramenti contra ius naturale, vt per se patet; ita DD. vtriusque sententiæ relatæ, nec credo Auctores primæ sententiæ aliud velle.

Certè in Rituali Romano Pauli V. de Sacramento Euchar. sic habetur, Moneantur cõmunicantes ne statim expuant, neque de libro statim orationes recitent, nè Sacramenti species de ore decidant.

Colligitur. Si posito eo periculo non possit retineri, aut deglutiri sputum absque violentia naturæ; tunc non esse expuendum in terram, vel in locum indecentem: sed in aliquod vas decens, vt possint secerni fragmenta, si quæ fortè adsint, & sumi vel comburi, & in sacrarium proijci, vt in casu vomitus dicemus dũ de defectibus: & videri potest Molfesius loco cit. num. 66.

Dico secundo. Secluso eo periculo fragmenti relicti in ore seu palato, nulla est obligatio abstinendi à sputo, neque est peccatum statim spuere; sed expedit & decentius est aliquantisper abstinere si commodè fieri potest ad maiorem decentiam, vt patet ex dictis in secunda sententia.

Dico tertio. Ad cauendum periculum, & omnem perplexitatem post communionem sumenda est omninò purificatio, quæ celebrãtibus absolutè præcipitur in missa; Alijs vero communicantibus non Præcipitur, nisi videatur necessaria ad deglutiendum fragmentum relictum, alias consulitur. Sumpta vero purificatione, non erit illicitum statim spuere: quia cessat ratio indecentiæ.

Colligitur, Quid sit dicendum ad eam q. an liceat post communionem aromata ruminare ad euocandum flegma, idest eo tempore quo adhuc durant species in stomacho, de quo infra tit. 12. Dicendum est enim id licitum esse eodem modo ac diximus licitum esse spuere, videlicet quando moraliter non est timor remansisse in ore, vel palato aliquod fragmentum, & præsertim post purificationem: quia nulla apparet prohibitio in oppositum, Ita Tambur. supra §. 3. num. 3. Qui insuper probat ex eo quia nullum est periculum, ne cum flegmate possit eijci aliqua pars specierum, etiam si perseuerent incorruptæ in stomacho: Nam sputum ex capite tantum defluit in os, non vero ascendit è stomacho, ad quod adducit

cit auctoritate D. Gregorij id asserentis hom. 10. in lib. 1. Ezech.

Ceterum hoc fundamentum non videtur solidum: quia potest etiam flegma attrahi à stomacho in os, & vtroque modo per sputum expurgari medicorum iudicio; neque D. Gregor ius id negat, sed asserit descendere etiam ex capite. Fundamentum ergo esse debet; quia virius expultrix communiter loquendo, non reijcit cibum è stomaco (nisi per vomitum) de quo modo non loquimur, sed solum de flegmate, quod per sputum emittitur, & cessat periculum irreuerentiæ contra Sacramentum.

DVBIVM X.

Qualiter calix aptari debeat facta Communione Vtrum sit velo tegendus, & occultandus.

PRecipit hic rubrica num. 5. vt post purificationem superponatur Calici purificatorium, & patena cum palla; Item velum & bursa cum corporali, & ipse calix collocetur in medio Altaris vt in principio missæ. Hinc oritur dubium An sicut in principio missæ. collocatur Calix in medio Altaris coopertus in anteriori parte, velo demisso vsque ad planitiem Altaris; ita pariter sit velo tegendus post sumptionem Sacramenti & purificationem: vel potius debeat reflecti velum super bursam ita vt calix appareat.

Prima sententia sustinet tegendum esse Calicem velo demisso ita vt calix non appareat.

Probatur tum quia id manifestè colligitur ex rubrica: quia debet collocari vt in principio missæ sed in principio missæ totus calix tegitur velo quoad partem anteriorem; ergo &c. Tum ob mysterium: quia à principio Missæ vsque ad offertorium non repraesentatur manifestè passio Christi, sicut ab offertorio, & deinceps vsque ad communionem, quo tempore calix reuelatur & apparet: ergo finita ea repraesentatione in Sacramenti sumptione, iterum velari debet calix ne appareat sed vnde quaque occultetur, Ita Gauantus in rubricas Missalis parte 10. num. 5. litera c.

Secunda sententia probabilior docet Calicem esse quidem operiendum velo superposita bursa, vt rubrica precipit, non tamen esse velandum in parte anteriori, sed melius reflecti velum super bursam, ita vt Calix appareat.

Probatur primo quia post sumptionem Sacramenti & purificationem nullus est vlterior vsus Calicis, sed aptatur vt expeditius asportari possit à celebrante post missam. vnde in Missa solemni post purificationem statim à subdiacono remouetur ab Altari. Cum ergo sit accipiendus à celebrante, & asportandus calix non velo tectus in anteriori parte, sed apertus reflexo velo super bursam, meritò sic aptatur tunc in eum finem.

Probatur secundo Idcirco à principio missæ vsque ad offertorium tegitur, & velatur Calix vndequaque, quia illa pars missæ est missa etiam cathecumenorum, in qua fit instructio populi circa nonnulla mysteria fidei: alia autem magis abscondita & difficiliora passionis & mortis Christi per calicem significata, eisdem cathecumenis tunc absconduntur: quia minus sunt apti vel digni, vt ea participent, & ideo manet Calix velatus. Ceterum exclusis cathecumenis, post symbolum, & præsentibus solis fidelibus statim reuelatur calix; quia fideles sunt apti & digni quibus manifestentur ea mysteria, quæ deinceps repraesentantur, vt ex Suar. disp. 83. sec. 1. & alijs communiter dicemus in tract. de sacrificio: sed in casu nostro non militat hæc ratio, quia facta communione non sunt in Ecclesia cathecumeni, nec est cur fidelibus ea mysteria, quæ repraesentantur vsque ad finem missæ occultari debeant: ergo non est cur tunc Calix debeat totus cooperiri, & velari.

Ad opposita respondetur Ad primum Illam particulam Rubricę sicut in principio missæ non cadere supra modum, quo calix debet esse coopertus, sed solum supra locum, seu medium Altaris, in quo debet collocari: quare minus rectè infertur calicem esse velandum in anteriori parte: quod ex eo manifestè conuincitur; quia calix non eadem habet operimenta in principio missæ dum collocatur in medio Altaris, quæ in fine: siquidem in principio nec super eo est bursa, nec corporale, vt constat, quare nec velum posset decenter reflecti supra calicem, & ideo præter mysterium demittitur vsque ad pedem calicis ob maiorem decentiam, secus est in casu nostro, in quo satis decenter aptatur calix reflexa anteriori parte veli super bursam, & ideo diuersa est ratio.

Confirmatur: quia tit. 11. immediatè sequenti rubrica vtitur eodem modo loquendi circa missale, quod post communionem defertur per ministrum ad cornu Epistolæ, & collocatur inquit Rubrica, vt in introitu, & tamen minister in introitu, vel in principio missæ non collocat missale apertum in cornu Epistolæ, sed clausum, quia apertio pertinet ad sacerdotem: ergo sicut in hoc casu ly sicut in introitu non cadit super modum, quo debet collocari missale, sed solum supra locum, ita pariter in casu nostro de calice.

SECTIO II.

An fragmenta, seu Reliquiæ Sacramenti sumi debeant à Celebrante ieiuno.

DVBIVM I.

An Sacerdos possit reliquias sui sacrificij sumere non ieiunus, seu post ablutionem.

Quæstio est de reliquijs hostiæ, vel hostiarum etiam minorum, quæ tunc in ea missa consecratæ fuerunt, in qua sumuntur: nam de consecratis in alijs missis præcedentibus, siue ab eodem Sacerdote, siue ab alijs (quod materialiter se habet) dicemus dubio sequent.:

Respondeo affirmatiuè, simpliciter & absolutè loquendo de naturali ieiunio rigoroso, itaque etiam si celebrans ablutionem sumpserit licitè postea sumit reliquias prædictas.

Probatur: quia totius hostiæ & calicis sumptio cum ablutione subsequenti censetur vna moralis actio pertinens ad ipsam communionem decenter perficiendam: ergo satisfacit intentioni Ecclesiæ præcipientis ieiunium ante communionem, qui ad integram communionem accedit verè ieiunus, nullo prorsus gustato cibo, vel potu; nec violat idem præceptum si post aquam & vinum ablutionis aliquid Sacramenti sumat per modum circumstantiæ, & complementi eiusdem communionis.

Confirmatur: quia non potest conuenienter hoc spirituale conuiuium perfici sine ablutione seu purificatione, nec ablutio moraliter potest non præcedere sumptionem alicuius particulæ, quæ vel remaneat in Calice, vel hæreat dentibus, aut faucibus, vel in patena & corporali postmodum appareat: ergo si hæc deglutiat, aut sumat Sacerdos post ablutionem non violat præceptum Ecclesiæ, imò perficit communionem secundùm intentionem Ecclesiæ, quæ præcipit perficiendum esse sacrificium, & sumendum integrum Sacramentum eo modo, quo moraliter fieri potest.

Dixi in responsione Absolutè loquendo de naturali & rigoroso ieiunio; quia in toto progressu communionis, & spiritualis conuiuij debet communicans esse moraliter ieiunus vsque ad eius complementum, ita vt nihil interim sumat nisi in ordine ad traijciendum Sacramentum & eius reliquias, iuxta præscriptum & praxim Ecclesiæ, idest ablutionem & purificationem: Nam si quid aliud sumeret adhoc impertinens E. gr. Electuaria, vel quid simile, siue per modum refectionis, siue medicinæ, certè contra præceptum Ecclesiæ ageret, si postea sumeret fragmentum, vel reliquiam Sacramenti, & peccaret mortaliter.

Probatur: quia eatenus sumi possunt reliquiæ Sacramenti post ablutionem, quatenus ablutio pertinet ad ipsam communionem, & censetur componere vnicam actionem moralem cum illa, atque adeo censetur Sacerdos totam communionem peragere ieiunus, à principio quidem rigorosè, in progressu moraliter: At sumptio cibi, vel potus absque ordine ad Sacramentum & impertinens ad illud, non concurrit ad communionem tanquam pars illius, nec censeri potest eadem moralis actio cum illa, consequenter nec Sacerdos est moraliter ieiunus: ergo non potest tunc sumere si quid remanserit Sacramenti, sed potius illud seruare tenetur, quatenus fieri potest absque irreuerentia Sacramenti, de quo capite seu titulo, quo sumi potest Sacramentum à nō ieiuno simpliciter, alias dicemus dum de defectibus. Ita Caietanus, Syluest. Nauar. quos citant, & sequuntur Suar. disp.68. sec 7. Vasq. disp.211. num.51. Bonacina de Sacram. disp.4. q.6. punc.2. num.13 Auersa de Euchar. quæst.8. sec 9. Coninch. de Sacram. quæst.8. num.65. Cardinalis de Lugo de Euchar. disp. 15. sec.4. Tambur. Opusc. de commun. cap.2 §.8. nu 35. Layman. lib.5. tract.4. cap.6 num.22.

Colligitur primo, debere celebrantem, quantum fieri moraliter potest, omnino curare (vt colligat omnia fragmenta relicta in patena corporali, & in Calicem immittat ante sumptionem sanguinis, vt cum sanguine eas sumat, & nihil relinquat data opera sumendū post ablutionem, sicuti præscribitur in rubricis explicatis huius tit: quia sic melius satisfit intentioni Ecclesiæ, quæ pro communione per se præcipit ieiunium rigorosum, & contenta est ieiunio morali modo explicato, quo ad reliquias, quæ fortè & ex inaduertentia remaneant; Non damnarem tamen peccati mortalis eum, qui etiam ex notabili negligentia aliquod fragmentum non sumeret cum sanguine, sed cum ablutione, vel post ipsam; dūmodo nihil remaneat post missam cum iniuria Sacramenti: quia quoad reliquias sufficit, ieiunium morale. Ita colligitur ex Doctor. citatis.

Colligitur secundo. Quid sit dicendum quo ad obligationem, an celebrans nedum possit

licitè sumere prædictas reliquias modo explicato, sed etiam teneatur, ita vt non possit eas reseruare E g. intra Pyxidem, postea sumendas, vel ab ipsomet Sacerdote in alia missa, vel ab alio quando Pyxis erit purificanda.

Dicendum est enim posse eas reseruare absque peccato saltem mortali, si decenter id fieri possit, vt si celebret in Altari vbi asseruatur Sanctissimum Sacramentum: & ex rationabili causa, nullum videri peccatum id facere, quoad fragmenta, seu reliquias hostiæ; ita Vasq. supra num. 55

Probatur: quia licet teneatur Sacerdos integra Sacramenta sumere sub peccato mortali, vt habetur in Rubricis de defectibus ritul 10, num. 4, id tamen intelligitur de sumptione vtriusque speciei. Cęterum sicut potest celebrans dare partem suæ hostiæ tunc communicaturo, vel reseruare pro infirmo, vel alio, vt dicemus sec. sequenti, ita poterit reseruare fragmenta eiusdem hostiæ: quia ad integritatem sacrificij sufficit sumere totum Christum, & verè totus continetur in qualibet parte hostię, vt supra dicebamus cum Auersa, & alijs sec. præcedenti dub. 3. Dixi quoad reliquias hostię: quia nulla pars sanguinis reseruari posset absque peccato mortali: quia id esset contra intentionem, & praxim Ecclesiæ in re graui: nusquam enim sanguis asseruatur in Tabernaculo, nec ad alium vsum consecratur, nisi vt pars sacrificij præsentis, & vt totus sumatur à celebrante in eadem missa, vide Vasq. supra, & Suar. citata disp. 68. sec 6. §. ad primum, respondeo tom. 3. in 3. p.

Dicetis. Rubrica hic pręcipit vt tunc sumantur fragmenta, & in eadem missa: ergo non poterunt reseruari, absque graui peccato.

Respondeo Rubricam ita præcipere: quia communiter reseruari non possunt absque graui irreuerentia Sacramenti, præsertim cum celebratur in Altaribus, in quibus non asseruatur in suo Tabernaculo Eucharistia. Cęterum quando reseruari possunt decenter, & absque irreuerentia prædicta id non esset peccatum mortale ex dictis, esset tamen peccatum veniale contra rubricam id facere absque rationabili causa: quod si cum graui irreuerentia fieret esset peccatum mortale.

DVBIVM II.

An celebrans possit post ablutionem sumere reliquias consecratas, non in eadem missa, sed in præcedentibus.

CErtum est posse licitè eas sumere ante omnem ablutionem post sumptionem suæ hostiæ, vel etiam sanguinis, quando in omni rigore est ieiunus: quia nulla obstat prohibitio. Difficultas est post sumptam ablutionem: quia tunc in rigore non est simpliciter ieiunus.

Prima sententia ferè communis negat. Ratio est: quia eatenus potest Sacerdos non ieiunus sumere reliquias sui sacrificij, quatenus pertinent ad idem Sacrificium, & ad integritatem eiusdem communionis, ex dictis dubio pręcedenti: sed hæc ratio non habet locum in fragmentis relictis ex alio sacrificio, ergo &c.

Confirmatur: quia cùm prædicta fragmenta non pertineant ad integritatem eiusdem sacrificij, eiusdemque communionis, videntur per se sumi, non vt circumstantia communionis inchoatæ: ergo prærequirunt rigorosū ieiunium: quia in singulis fragmentis est totū Sacramentum, & totus Christus, ita Caietanus, Syluest. Nauar. Suar. Vasq. Bonacina citati in dubio pręcedenti; Et cum alijs communiter docet Diana 2. p. tract. 14. de celebrat. Missar. resol. 66. §. secundus casus. Quid autem fieri debeat de prædictis fragmentis iuxta hanc sententiam, dicemus in Coroll.

Secunda sententia affirmat eodem modo sumi posse à celebrante fragmenta relicta ex alio sacrificio pręcedenti, sicut ex suo, quod tunc perficit.

Probatur fragmenta relicta ex alio sacrificio pręcedenti hoc ipso quod sunt relicta, & non consumpta in eo, pertinent ad subsequens sacrificium, siue eiusdem, siue aliorum Sacerdotum, qui possunt & sæpe tenentur supplere defectus præcedentis sacrificij: vt constat ex Rubricis de defectibus in pluribus casibus ibi explicatis: ergo eadem est ratio de fragmentis, siue pręsentis, siue pręteriti sacrificij: Et quamuis in eisdem Rubricis hic casus non explicetur, à paritate rationis rectè infertur.

Confirmatur primo: quia omnes Sacerdotes sunt ministri eiusdem Christi, & sic habent relationem ad inuicem, & in omnibus hostijs consecratis, & eorum fragmentis idem

idem Christus continetur, & consequenter habent connexionem ad inuicem: ergo reliquiæ Sacramenti Sacrificij præcedentis verè pertinent saltem in directè ad integritatem Sacrificij sequentis, & potest subsequens Sacerdos supplere defectum sui prædecessoris, sumendo eas reliquias, etiam post ablutionē sicut poterat qui consecrauit: quia succedit in ius, quod ille habebat.

Confirmatur secundo, quia nisi ita dicamus, neque posset licitè celebrans sumere fragmenta prædicta ante ablutionem, quando in omni rigore est ieiunus, quod est falsum, & contra DD. Probatur sequela: quia si nullo modo nec indirectè pertinent ad integritatem præsentis sacrificij: ergo sumptio illorum esset noua, & distincta communio contra præceptum prohibens bis eodem die communicare: ergo sustendum est pertinere ad integritatem eiusdem communionis sacrificij præsentis: ergo eadem est ratio de illis, ac de fragmentis eiusdem sacrificij. Hanc sententiam defendunt Marchinus de Sacramento Ordinis tract. 3. p. 3. cap. 3. num. 10. quem refert Diana p. 6. tract. 6. res. 33. & Tambur. Opusc. de Commun. cap. 5. §. 8. n. 38 Castropalao apud Dianam p. 6 tr. 7. res. 37. cum alijs. Ex quibus satis probabilis videtur hæc opinio, & tuta in Praxi.

Colligitur primo, quando Sacerdos renouat Eucharist. & purificat Pyxidem; eum licitè posse fragmenta, quæ sunt in Pyxide cum ablutione sumere, & iteratis ablutionibus hoc munus perficere, non obstante quod sine frag. menta ex consecratis in alijs missis, Tum quia militat à fortiori ratio assignata: Est enim actio Sacerdotalis necessario pertinens non ad illud sacrificium, in quo fuerunt iam consecrata; sed ad hoc, in quo fit purificatio Pyxidis: Tum quia hoc munus purificandi Pyxidem non potest aliter decenter impleri nisi adhibitis iteratis purificationibus: nec enim possunt ea fragmenta in posterum commode asseruari: nec credo Auctores primæ sententiæ in hoc contradicere, vt videri potest apud Auersam de Euchar. q. 8 sect. 9. §. tertio conceditur, Tamburinum supra num. 37. qui ibi citat Henriq. & Fagundez: Vide etiam Dianam p 10. tract. 13. resol. 53.

Colligitur secundo, Quid sit agendum de fragmentis præconsecratis, posito quod quis velit adhærere primæ sententiæ neganti ea sumi posse post ablutionem: Dicendum est enim quando Sacerdos ea aduertit post sumptam purificationem, seruāda esse intra Pyxidem in Tabernaculo Sanctissimi Sacramenti, vel intra Calicem superposita patena, vel palla; aut tradenda esse consumenda ab alio Sacerdote mox celebraturo; quod si neutrum fieri possit, quia nec in ea Ecclesia est Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, nec alius Sacerdos est celebraturus; tunc debet ipsemet celebrans sumere quamuis non ieiunus ad cauendam irreuerentiam Sacramenti, quod omnes concedunt. Vnde sequitur quando fragmentum est paruum, eum regulariter loquendo debere statim sumi à celebrante, dum est in Altari etiam post ablutionem, quia minutiora fragmenta aliàs facilè deperduntur, non sine graui irreuerentia Sacramenti, ita cum Fagund. notat Tambur. supra n. 36. & 37. & Coninch de Sacram. q. 80. n. 68. dub. 3.

DVBIVM III.

An Reliquiæ Sacramenti, etiam grandiusculæ sumi possint à celebrante post ablutionem, & quid dicendum de integris formulis.

Prima sententia est Soti in 4. dist. 12. q. 1. artic. 8. qui censet si grandiusculæ sint, sumi non posse. Fundamentum videtur esse quia nō est licitum fragmenta sumere post ablutionem, nisi quia aliter non possunt decenter relinqui, & seruari, quod verū est de fragmentis minoribus, quatenus facilè deperdi possunt: sed fragmenta grandiuscula, & considerabilis quantitatis possunt decenter seruari E. g. in Pyxide, ergo &c. Hoc tamen fundamentum est falsum ex dictis supra, quia etiam si alias decenter seruari possint, nihilominus sumuntur, quatenus pertinent ad integritatem eiusdem Sacrificij: quare hæc sententia communiter non approbatur, quatenus asserit id esse illicitum.

Secunda sententia ferè communis docet, nō esse attendendā quantitatem, aut numerum, sed solum an sint reliquiæ præsentis Sacrificij, vel præteriti: Si enim sint reliquiæ etiam grandiores præsentis Sacrificij sumi poterunt post ablutionem; secus si sint Sacrificij præteriti ob rationes explicatas dub. 1. ita DD. citati eodē dub. 1. Addunt Suar. Auersa, Layman, & alij ibidem citati melius esse grandiores reliquias reseruare, quando commode id fieri potest.

Hanc doctrinam absolutè extendit etiam ad integras formulas in eodem Sacrificio consecratas Card. de Lugo de Euchar. disp. 15. sec. 4. num. 81. cui fauet Suar. citata disp. 68. sec. 6. dicens solum melius esse particulas grandiores seruare, præsertim si sit integra formula, vnde existimare videtur posse licitè etiam sumere integram formulam, quamuis melius sit

eam seruare, & eodem modo loquitur Auersa supra cum alijs.

Tertia sententia probabilior concedit cum secunda sententia posse sumi quælibet fragmenta; etiam grandiora post ablutionem, negat vero de integris formulis, & quoad hanc partem de integris formulis ita sustinet à fortiori Sotus supra, & tenet expressius quàm alij Tambur. Opusc. de communione cap. 2. §. 8. num. 38. dicens & rectè; id esse conforme vsui Ecclesiæ, & omnium Sacerdotum Praxi, & hanc sententiam tenere videntur communiter alij DD. supra cit. dubio 1. qui solum dicunt posse sumi fragmenta & nihil dicunt de integris formulis, quæ in rigore non dicuntur fragmenta. Ratio est, quia particulæ seu formulæ integræ præter hostiam maiorem non consecrantur à Sacerdote, vt ab eo consumantur, sed in vsum aliorum fidelium, & ex intentione Ecclesiæ ita consecrari debent; ergo quoad sumptionem non pertinent ad integritatem Sacrificij, sed vel distribui tunc debent, vel seruari postmodum distribuendæ: consequenter facultas sumendi reliquias sacrificij post ablutionem non extenditur ad formulas integras, sed ad alias quæ distribui non solent; ergo grauiter peccat Sacerdos si post ablutionem, quando in rigore non est omnino ieiunus integras formulas sumat, quas alias decenter seruare posset.

Confirmatur: quia Ecclesia temperauit illud præceptum ieiunij præmittendi ante communionem, vt possit decenter perfici Sacrificium, ne quid remaneat quod per se destinatum non est in alium finem, idest ad vsum fidelium, & non aliter, vt constat ex supra dictis: sed hoc locum habet in fragmentis, quæ distribui non solent populo, non verò in formulis integris: ergo in sumptione particularũ, quæ integrè manent seruandum est ieiunium in omni rigore.

PRO RESOLVTIONE.

Respondeo, & dico primo, Hæc tertia sententia vt tutior, & probabilior seruari debet in Praxi, & tanquam magis conformis vsui, & intentioni Ecclesiæ.

Probatur manifestè ex rubricis de defectibus tit. 7. Vbi num. 2. sic habetur, quod si deprehendat Sacerdos etiam post ablutionem reliquias relictas consecratas, eas sumat siue paruæ sint, siue magnæ: quia ad idem Sacrificium spectant: & statim subditur num. 3. *Si vero relicta sit hostia integra cõsecrata eam in tabernaculo cum alijs reponat, vel sequenti Sacerdoti relinquat &c* Itaque non videtur amplius de hac re dubitandum, & quamuis hæ rubricæ (vt alias diximus) non sint præceptiuæ, sed directiuæ; Nihilominus negari non potest ex intentione Ecclesiæ seruandam esse in Praxi nostram sententiam, & præferendam, vt probabiliorem.

Dico secundo, Illa facultas sumendi fragmenta siue parua, siue magna post ablutionem extendi probabiliter potest ad fragmenta siue præsentis Sacrificij, siue præteriti, vt constat ex dictis dub. 2.

Dico tertio, si formulæ integræ relictæ seruari non possint in Tabernaculo: quia vbi celebratur non est Tabernaculum pro asseruanda Eucharistia, neque relinqui possint Sacerdoti sequenti: quia non est alius, qui sit celebraturus; poterunt sumi ab eodem Sacerdote etiam post purificationem, quatenus opus est ad vitandam irreuerentiam Sacramenti; vt patet ex dictis in præcedentibus, & declaratur in Rubrica cit. num. 3.

DVBIVM IV.

Intra quod tempus reliquiæ Sacramenti consumi possint à Celebrante.

Respondeo ex communi sententia, quamdiu Sacerdos est in Altari potest eas sumere, etiam post ablutionem, quamuis ibi diu moratus fuerit dispensando Sacramentum:

Ratio, nam quandiu Sacerdos ab Altari nõ recessit, nondum censetur expleuisse ministerium suum, & adhuc continuatur vna moralis actio sacrificandi, Postquam verò ab Altari discessit, non potest amplius eas sumere in sacristia E g. nec alibi ob oppositam rationem: quia post discessum ab Altari censetur absolutum omnino sacrificium, & ministerium celebrantis, quod nonnisi in Altari perficitur: ergo non potest licitè eas sumere: Tum quia esset noua, & distincta communio eodem die prohibita: Tum quia post ablutionem non est ieiunus, & sic non potest nisi ad exactum cõplemẽtum sacrificij reliquias sumere, quod nõ habet locũ post discessum ab Altari; ita Suar. Villalobos, Coninch. Layman, & alij plures, quos citat & sequitur Diana 3. p. tract. 4. res. 45. Et alij supra citati communiter, cui sententiæ tamquam communi, & probabiliori adhæreo.

Non desunt tamen Auctores, qui probabiliter oppositum sentiunt, videlicet posse reliquias prædictas inuentas in Calice, vel Patena sumi etiam in sacristia, dum adhuc sacerdos retinet vestes sacras: quia adhuc ea sumptio censetur habere relationem ad actionem

nem sacrificandi, quæ nondum est perfectè consumata cum illis reliquiis inaduertenter relictis, eo quia ea, quæ in cōtinenti fiunt inesse videtur illecta &c. de rebus Creditis ita Granado Ioannes Baptista de Fabris, & Megalius, quos citat, & non improbat idem Diana p. 6. tract. 6. resol. 17. qui nouissimè par. 10. tract. 13. resol. 54. in fauorem eiusdem sententiæ adducit Laudrum, & Marcinum de Sancto Ioseph absolutè eam tenenentes, quare admitti potest vt probabilis.

Colligitur si prædictæ reliquiæ, post discessum ab Altari non possint seruari absque irreuerentia, eas posse sumi à Sacerdote non solum induto adhuc vestibus sacris, sed etiam si eas deposuerit vel tradi posse alicui ad communicandum disposito, quatenus opus est ad vitandam maiorem irreuerentiam, qui casus ab omnibus concedieñr Ex sepius dictis in hac sec. Vide Dianam p. 3. tract. 4. resol. 45. citata.

DVBIVM V.

Quid Agendum quando dubitatur de fragmento An sit reliquia hostiæ consecrata necne.

RESpondeo & dico primo si dubium sit rationabile, & ex sufficientibus motiuis ortum, & Sacerdos sit in Altari, debet illud fragmentum sumere post sumptionem sanguinis, vel etiam post ablutionem si ante non sumpserit. Probatur: quia in dubijs tutior pars est eligenda, hæc autem est pars tutior; ergo &c. Probatur minor: quia si fortè non sit consecratum, vel non verum fragmentum, sic obuiatur periculo fractionis ieiunij dum sumitur post integra Sacramenta, videlicet post sacram hostiam, & sanguinem: si autem sit consecratum vitatur irreuerentia, quæ oriretur illud relinquendo cum periculo nè deperdatur. & conculcetur, vel alias irreuerenter tractetur,

Si verò Sacerdos dum aduertit tale fragmētum non est in Altari, vel non sumpserit in Altari debet illud decenter seruare, vel alteri sacerdoti mox celebraturo tradere, vt post Sacramentum sumat, vt in simili supra diximus de fragmento; de quo constat fuisse consecratum: quod si amplius eo die non sit celebrandum pro sequenti die intra tabernaculum Sanctissimi Sacramenti à sacerdore absque stola, & luminibus custodiendum deferatur, consumendum vt supra: & vbi Eucharistia non asseruatur, intra corporalia loco decenti custodiatur ita Nauar.: Syuest: Henriq; & alij quos citat; & sequitur Bonacina de sacram. disp. 4. q. 6. punc. 2. num. 16 Castaldus in praxi lib. 1. sec. 14. c. 7. num. 16.

Dico secundo si dubium non sit rationabile, sed potius scrupulus deponi debet, & nihil de eo curandum est; sicut de scrupulis in alijs materijs docent communiter DD. sed remouendum esse & abstergenda patena, vel id in quo reperitur, dummodo prudenter iudicet non esse fragmentum, vel non esse consecratum, & oppositum non esse probabile; secus si iudicet opppositum esse probabile; quia in hoc casu fieri debet iuxta dicta in prima conclusione: nam ob summam reuerentiam, quæ debetur huic Sacramento eadem est ratio de dubio negatiuo, & positiuo.

Colligitur supradicta esse pre oculis habenda ab eo, cui onus incumbit purificandi Calices post omnes Missas, & reponendi in suo loco; quia sæpius contingit super patenam apparere quæ videntur fragmenta hostiæ, & re vera non sunt, sed potius furfures, seu excrementa capitis & barbæ, quæ facile decidunt & in patena apparent; vel Athoma quædam ex ijs quę perspiciuntur in Aëre illuminato, de quibus nihil curandum,

DVBIVM VI.

An reliquia Sacramenti, seu fragmenta possint dari laicis.

SEnsus quæstionis est: An possint dari laicis communicantibus in missa, vel extra: vt eas sumant post ablutionem eo modo, quo diximus sumi posse à celebrante.

Prima sententia affirmat post sumptam à laicis hostiam licitum esse dare illis fragmenta, vel simul cum ablutione, vel etiam paulo post ablutionem: fundamentum est, quia illa sumptio propter paruam moram censetur eadem actio moralis cum sumptione hostiolæ quam communicans ieiunus accepit, Ita Marchinus de Sacram ordinis tract. 3. par. 3. num. 16. quem sequitur Tamburinus opusc. de commun. cap. 2 §. 8. num. 43.

Secunda sententia communis & probabilior negat posse dari laicis post sumptam ablutionem, idest vt in alia ablutione, seu cum noua ablutione sumat reliquias consecraras. Ratio est, quia hoc non pertinet ad eorum ministerium; siquidem ea facultas competit solis Sacerdotibus in missa ad exactè explendum ea, quæ pertinent ad sacrificium; ergo laicus nihil Sacramenti potest sumere nisi in omni rigore sit ieiunus.

Con-

Confirmatur; quia communio laicorum censetur perfectè cõsumata in prima sumptione Sacramenti: ergo post primam sumptionem non potest iterum dari illis Sacramentũ, quod verè continetur in quolibet fragmento, etiam si ablutionem non sumpserint, nisi simul dentur fragmenta cum priori formula. Probatur Consequentia: quia non potest quis iterum eodem die communicare: secus est de Sacerdotibus, in quibus sumptio fragmentorum non est noua communio, sed consumatio cõmunionis, & sacrificij iam inchoati, &c. ergo multo minus licitum erit eas reliquias dare laicis post ablutionem. Alius casus esset, si eius, qui communicauit, adhæsisset palato hostiola; tunc enim licitum est ei, imò necessarium, iterum & iterum si opus sit ablutionem sumere, donec particula deglutiatur, vt omnes concedunt: neque enim licitum est laico eam digito à palato diuellere, neque in ea ablutione sumit iterum Sacramentum, sed adhibet medium necessarium, vel expediens, ad cõsumandam communionem inchoatam, ita Suar. Vasq. Auersa, Bonac. supra cit. cum alijs, quos citat & sequitur Diana p.6. tract.4. res 33. quibus consentit Coninch. de Sacram; q.80. art.8 num.70.

Pro resolutione Aduertendum, posse reliquias Sacramenti, seu fragmenta dari laico post sumptam hostiolam; vel in prima ablutione, vt simul & semel cum aqua, vel vino ea deglutiat; vel in secunda ablutione, quando in rigore non est ieiunus ob sumptam priorem ablutionem. Hoc posito.

Respondeo, & dico primo licitum est dare laicis communicantibus post sumptionem hostiolæ etiam fragmenta quæ remanserunt, licet inquam in prima solum ablutione, vt simul cum ablutione ea deglutiant, modo id statim fiat, seu absque mora notabili: quamuis aliqua pars liquoris prius traijciatur quàm Sacramentum, quod in fragmentis continetur.

Probatur: quia tota illa sumptio fit per modum vnius cum ipso Sacramento, & in ordine ad Sacramentum; ergo cum eandem sumptionem non præcesserit alius cibus, vel potus censetur fieri à ieiuno in omni rigore. Dixi Modo statim fiat, vt moraliter censeri possit eadem communio, non autem noua & distincta, quæ prohibita est eadem die.

Confirmatur; quia olim in Ecclesia Romana, quando dabatur laicis communio sub vtraque specie, miscebantur species vini consecrati, cum vino non consecrato, & dabatur omnibus de illo, consequenter singuli moraliter deglutiebant aliquam partem vini non consecrati, ante aliquas partes specierum consecratarum: nec ideo Ecclesia censebatur, recedere à sua consuetudine non dandi communionem nisi ieiunis, atque ita ex Ordine Romano cap. 4. testatur Card. de Lugo de Euchar. disp. 15. sec. 4. numer. 79. Item in Parasceue, Sacerdos sumit particulã hostiæ immissam in Calice cum vino non consecrato, & verè ieiunus sumit; ergo sumptio Sacramenti, quæ fit simul cum aliquo liquore per modum vnius, non obstat præcepto ieiunij necessario præmittendi ante communionem, ita Card. de Lugo l.c. Auersa de Euchar. q.8. sec 9. §. Tertio conceditur.

Neque huic conclusioni repugnant DD. cit. pro secunda sententia; quia ferè omnes solùm negant posse laicis dari fragmenta post ablutionem, non autem simul cum illa. Dixi fere omnes; quia Coninch. supra negat etiam posse dari simul cum ablutione. Alij vero quamuis expresse non concedant, non tamen id negant, vt legenti patebit.

Colligitur primo. Quando defertur Eucharistia infirmo (licèt ieiunus communicet ob deuotionem) & vna solum formula defertur; posse tunc Sacerdotem absque vllo scrupulo facta ablutione suorum digitorum, & vasis, in quo delatum fuit Sacramentum dare illam ablutionem infirmo cum fragmentis; si quæ forte remanserunt, ob rationem supra explicatã, & de hoc casu præcipuè loquuntur Auctores primæ sententiæ, & consentiunt Auctores secundæ sententiæ. Quoad primam ablutionem videtur hoc concedi in Rituali Romano Pauli V. de Communione infirmorum vbi sic habetur. Postea Sacerdos abluat digitos, & infirmo detur ablutio. Dixi videtur hoc concedi: quia in rigore ibi est sermo de ablutione digitorum, quæ fieri debet excusso prius fragmento in Pyxidem, vt constat ex eodem Rituali supra sub titulo Ordo ministrandi sacram cõmunionem: & conceditur vt sola ablutio digitorum, quæ fit ob reuerentiam contactus Sacramenti possit dari illis, qui tunc communicarunt: melius ergo probatur ratione, & auctoritate DD.

Colligitur secundo. Si infirmus deglutire non possit integram formulam modo consueto, posse illi dari modicam partem hostiæ cũ vino in cocleari. Vt ex Preposito, & alij docet Diana p.4. tract 4. resol 104 & Auersa supra, vt patet à fortiori ex dictis, & iterum docet Diana p.10. tra.16. res. 80. fine.

Colligitur tertio, quando communio laicorum fit in Ecclesia vbi asseruatur Eucharistia; quamuis licitè possint dari ijs, qui communicarunt fragmenta relicta statim & in prima ablutione modo supra explicato, consultius tamen esse ea seruare in Pyxide si communio fiat extra missam, vel sumi à celebrante quan-

du

do communio fit in Missa; quia id tutius videtur, & magis conforme Praxi Ecclesiæ.

Dico secundo Probabilius est non posse licitè dari laicis fragmenta prædicta post ablutionem semel ab illis sumptam ob rationes explicatas in secunda sententia, & communem DD. auctoritatem, quibus in hac parte adhærendum est.

DVBIVM VII.

Qualem diligentiam teneatur adhibere celebrans in colligendis fragmentis, & An ea, quæ remanent colligantur ab Angelis.

QVoad primum Respondeo tenetur celebrans adhibere diligentiam moraliter possibilem in colligendis fragmentis, qualis adhiberi solet à sacerdotibus pijs, & timoratis, & in rubricis præscribitur. Quod si eam omittat, & culpam latam aduertentec committat, peccat mortaliter.

Probatur quia in re magni momenti quilibet tenetur adhibere eam diligentiam, quam communiter periti eiusdem pcofessionis adhibere solent, presertim si ex omissione sequitur damnum, vel iniuria alterius: alias culpam latam dicitur committere, & peccat mortaliter vt tradunt communiter DD. agentes de culpa, Syluest. verbo culpa num. 1. & sequentibus, & alij summistæ eodem verbo culpa. Ita est in casu nostro: quia ex negligentia, seu omissione diligentiæ debitę oritur iniuria cōtra Sacramentum, si fortè aliquod fragmentum pereat cum periculo ne conculcetur, vel alias irreuerenter tractetur ergo &c. Dixi moraliter possibilem; quia nemo tenetur ad summam, vel methaphisicam diligentiam, sed moderatam, & moraliter possibilem, vt sæpius etiam diximus in quęst. Proœmiali sec. 2 & sequentibus.

Quoad secundum Respondeo verisimile est, & pietati conforme asserere colligi ab Angelis fragmenta, quæ remanent, presertim minutiora, quæ conspici non possunt, nec consequenter humana diligentia custodiri, & colligi.

Probatur quia moraliter certum est communiter sacrificio Missę plures Angelos assistere Sacramentum adorantes, & Christo Regi obsequium præstantes, sicuti varij sancti Patres liquido testantur, S. Ambrosius in cap. 1. Lucæ S. Chrysost. hom. 22. in Acta Apostol. & lib. 6. de Sacerdotio, & alibi sępe, D. Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 58. quos adducit Durantus de ritibus Eccles. lib. 2. cap. 42. num. 13. & alij ergo verisimile est eos non pati conculcari reliquias Sacramenti, pręsertim quando id præcaueri non potest morali diligentia celebrantis, ad quem pertinet: & tunc saltem Angelis id esse commissum à Deo vnde Tambur. Opusc. de Sarif. lib. 2. cap. 8. §. 8. num. 3. asserit si per accidens fragmentum deperdatur, Deo, & Angelis commendandum.

Non negamus autem sæpius permitti à Deo ex malitia vel negligentia humana irreuerenter tractari hoc Sacramentum; quæ tamen iniuria in diem vltionis à Deo reseruantur puniendæ, & in maiorem Christi gloriam conuertendæ; sed dicimus vbi non se immiscet malitia hominum, eas præcaueri ab Ab Angelis.

Confirmatur: quia S. Euthimius vidit frequenter Angelos vna secum in sacrificio Deo ministrantes, & sacra contrectantes, vt refert Cyrillus Eremita apud Durantum supra: ergo Angeli nedum assistunt sacrificio, sed etiam Sacramentum contrectant & sic colligunt reliquias in casu nostro.

Probatur secundo ex communi sensu fidelium, qui communiter id piè credunt, et prædicant.

DVBIVM VIII.

De modo purificandi Pyxidem quando renouatur Eucharistia.

PRimus modus est quem tradit Gauantus in Rubricas missalis p.2.tit.10.num.7.lit.p. fine, vbi sic ait: accidit etiam, quod purificanda sit Pyxis intra missam (qua de re nullibi agitur in Ritualibus libris) & eo casu purificabitur illa ante calicis purificationem, collectis nimirum in eius fundo fragmentis omnibus diligentissimè cum indice dextræ manus & cum eodem indice sumi poterunt admoto eodem linguæ, vel ad labium Pyxidis fragmentis deductis, & ore eidem admoto ita vt nullum remaneat fragmentum, deindè infundi potest paululum vini, quo circumacto intra pyxidem, & tergente in dice tota pars interior abstergatur; quo hausto exiccabitur Pyxis interior vndequaque purificatorio: non debet deinde vacua Pyxis tegi velo, sed panno lineo. Denique fiunt reliqua de more pro calicis purificatione.

Rationem ipse non reddit, sed probari posset; quia cum sint fragmenta non presentis, sed Preteriti sacrificij; non possunt sumi à celebrante nisi ieiuno in omni rigore, & consequenter ante ablutionem, ex dictis dub. 2. ex communi sententia: hoc posito non apparet qualiter sumi possint, nisi modo præscripto.

Ceterum hic purificandi modus non placet, nec admittendus videtur, vt potè minus decens. Et Primo illud quod dicitur vt digito linguæ admoto paulatim fragmenta intromittantur in os,& deglutiantur, statim apparet indecens: quia fragmenta non adherent digito, nisi madefacto saliua, atque adeo ritus consistit in eo, vt mediantè saliua colligantur sacra fragmenta; certè hic modus etiam in sumptione prophani cibi,& inter conuiuas mediocris conditionis inciuilis reputaretur.

Confirmatur; quia in casu supra explicato sec. 1. dub. 7. quando particula hostiæ remanet in fundo Calicis, non est adducenda digito ad labium Calicis ea particula: quia secundum multos DD. cum Suar. ibi citato hoc non careret indecentia, vel non est tam decens, sicut alter modus sumendi eam particulam cum vino infuso: cum tamen neque in eo casu lambēdus sit digitus, neque ille modus careat auctoritate: cum etiam proponatur in rubrica: ergo à fortiori admitti non debet prædictus modus purificandi Pyxidem in casu nostro, in quo plures circumstantiæ maioris indecentiæ concurrunt, & deest auctoritas Ritualium.

Secundo id quod dicitur ab eodem Auctore, vt deductis fragmentis ad labium Pyxidis, ex eadem Pyxide ore sumantur, est contra omnium praxim, nec caret periculo dispergendi, & deperdendi fragmenta: quia Pyxis cum habeat labrum valde patens est vas minus aptum, vt ex eo ori admoto sumantur fragmenta, vel ablutio.

Alio ergo modo diuerso, cultiori, & magis congruo ad reuerentiam Sacramenti vti debemus videlicet vt post sumptionem sanguinis colligantur fragmenta, & ex Pyxide in calicem mittantur; deinde infuso vino in ipsum calicem sumantur cum vino, & si opus sit purificari cum vino vel aqua Pyxidem, ea ablutio in calicem pariter est mittenda, & ex calice, non ex pyxide haurienda, quia calix est magis aptus ad tutius, & decentius sumenda tum fragmenta, tum ablutionem; quod si intra calicem adhuc remaneant fragmenta iterum est vinum, vel aqua infundenda,& sumenda. Tandem extergi debet purificatorio, tum calix tum Pyxis.

Probatur hic modus; tum ex impugnatione prioris assignati à Gauanto; tum auctoritate grauium DD. & Primo Cardinalis de Lugo de Euchar. disp. 15. sec. 4. num. 80. sic ait, Quando sacerdos purificat pyxidem solet post sumptum sanguinem vino abluere Pyxidem, illudque vinum cum reliquijs Sacramenti in calicem mittere pro ablutione prima facienda &c.

Secundo Egidius Coninch de Sacram. quæst. 88. num 70 reiecto, vt minus decenti illo ritu attrahendi digito particulam consecratam ad labrum calicis, subdit hæc verba, sequitur sacerdotem, qui inter celebrandum debet purgare ciborium, in quo sunt multæ reliquiæ ex hostijs ab alijs consecratis, debere primo eas, quas commodè potest sumere ante ablutionē infundendo eas calici consecrato, vt simul sumat cum sanguine, vel alio modo. (Certè non eo, quem reiecerat lambendo digitum) Deinde debere infundere vinum in ciborum, vt cum eo simul ipsas particulas sumat idque semel, ac sepius, prout est necessarium vt omnes sumat. Vbi nota secundum hunc Auctorem fragmenta debere immitti in Calicem, & non sumi ex Pyxide, quam ipse Ciborium vocat, & idem proportionaliter faciendum de ablutione, & subdit rationem; quia inquit, aliter non possunt hæ reliquiæ decenter absumi. Vnde ego infero non lambendo digitum, sed infuso prius vino, et simul eum vino decenter absumi fragmenta.

Tertio Auersa de Euchar q 8. sec. 9. §. tertio in fine Sic ait, et Sacerdos immediatè post sumptum Sacramentū potest in vinum infundere fragmenta relicta ex alijs missis, vt contingit in purganda Pyxide, et sic simul sumere: Omitto alios, breuitatis causa. communiter enim ita sentiunt DD. vt testatur Coninch supra his verbis, Ita communiter DD. et patet ex Praxi Ecclesiæ.

Ex quibus Infertur primo illum modum assumendi fragmenta lambendo digitum, non reputari decentem communiter à DD., alias non concederent sumi posse cum ablutione; quia vt supra vidimus ijdem DD. citati negant reliquias præteriti sacrificij sumi posse cum ablutione, vel post ablutionem, hic autem ideo concedunt, quia non apparet alius modus, qui verè sit decens.

Colligitur secundo præferendum esse ceteris illum modum, quem tradit Coninch. supra citatus dicens fragmenta ex Pyxide debere infundi in Calicem antequam sanguis sumatur, vt cum ipso sanguine simul sumantur, esse tamē probabile, quod alij DD. asserunt post sumptum sanguinem debere fragmenta infundi in Calicem, vt cum vino seu cum prima ablutione sumantur, et ea quæ insuper remanent cum secunda, vel tertia ablutione, prout est necessarium, vt omnes reliquias sumat.

Ad Rationem adductam pro prima sententia Respondetur posse fragmenta Pyxidis post ablutionem sumi: primo quia ex probabili sententia supra relata dub. 2. eadem est ratio de his, ac de fragmentis sacrificij presentis, quæ sumi possunt post ablutionem.

Secun-

Secundo, quia id est moraliter necessarium ad ea sumenda cum debita reuerentia, & decentia, & ideo non obstat præceptum ieiunij, quod enim est inductum in reuerentiam Sacramenti, non debet obligare contra reuerentiam Sacramento debitam, qua ratione vtuntur communiter DD. in hoc & similibus casibus, vt videre est apud Conineh. supra nu. 65. & apud Suar. disp. 68. sec. 6. fine to. 3. in 3. p.

SECTIO III.

De Communione fidelium, quæ fit à Sacerdote in Missa, vel extra Missam.

DVBIVM I.

Quibus competat Sacramentum Eucharistiæ dispensare.

Non loquimur hic de ministro conficiente hoc Sacramentum, constat enim solum Sacerdotem esse ministrum consecrationis; vt dicemus 3. p. tit. 1 de defectibus; sed loquimur de ministro dispensante: Quamuis enim in alijs Sacramentis non distinguatur vsus à eõ fectione, & idcirco semper est idem minister conficiens, & ministrans, seu applicans subiecto Sacramentum, quod conficit; In hoc autem Sacramento, quia distinguitur vsus à cõfectione; potest vnus conficere, & alter ministrare, seu dispensare. Hoc posito, est.

I. DIFFICVLTAS.

An solus Sacerdos possit Eucharistiam dispensare.

Respondeo, & dico primo. Minister proprius, & ordinarius, cui id per se competit ex officio est solus Sacerdos, Ita D. Tho. 3. p. q. 82. art. 3. quem sequuntur alij communiter Suar. disp. 72. sect. 2. Vasq. disp. 219. cap. 1. Bonacina disp. 4. de Euchar. q. 5. punct. 1. Auersa de Euchar. qu. 10. sec. 3. §. Tertio, cum alijs penes ipsos. Et patet ex cap. peruenit de consecr dist. 2. Trid. sess. 13. cap. 8. & declarat Ecclesia in hymno euius officium committi voluit solis Presbyteris &c. Ex quibus verbis colligitur id etiam pendere ex institutione Christi. Congruentia vero affertur à D. Tho. supra, quia sic postulat rectus ordo, & reuerentia Sacramenti, vt à nulla re contingatur, nisi consecrata, vnde corporale, & Calix consecrantur, & similiter manus Sacerdotum.

Dixi minister proprius, & ordinarius: quia ex causa necessitatis potest hoc officium committi Diacono, qui etiam ex vi suæ ordinationis est minister extraordinarius, non propriè & per se, sed in defectum Sacerdotis, & non nisi ex commissione, vt diximus supra dum de officio Diaconi Tit 6. dub. 2.

Dico secundo. Non omnis Sacerdos potest licitè hoc Sacramentum dispensare. Probatur: quia omnis Sacramentorum administratio requirit iurisdictionem, vt licitè fiat: ergo quamuis omnes Sacerdotes habeant potestatem Ordinis, sicut ad conficiendam, sic etiam ad dispensandam Eucharistiam, vlterius requiritur potestas iurisdictionis, vt licita sit dispensatio: Hæc autem iurisdictio propriè, & Iure ordinario residet in pastoribus Ecclesiæ, Episcopis videlicet, & Parochis, ad quos pertinet pascere oues suas præcipuè Sacramentis: In alijs vero non nisi per delegationem, seu com missionem eorum, qui sunt ordinarij pastores: ergo vt alij Sacerdotes, qui non sunt pastores animarum, licitè hoc Sacramentum dispensent, indigent necessariò delegatione, seu commissione prædicta alias grauiter peccant. Ita DD. supra citati, & alij communiter.

Colligitur primo. Minus rectè Gauantum in has Rubricas par. 2. tit. 10. num. 6. litera D. asserere, quemlibet Sacerdotem posse in missa aliqs communicare, & malè pro se citat Nauar. apertis verbis oppositum docentem: quia non quilibet Sacerdos habet iurisdictionem Nec fauet illi Tridentinum, quod in singulis missis optat adstantium communionem: quia desiderium Concilij supponit terminos habiles videlicet tum dispositionem debitam in suscipientibus; tum facultatem in dispensante, vt constat ex communi DD. sententia: quod si velit facilè præsumi posse eam facultatem, seu delegationem, vltrò concedimus, vt mox dicemus; sed ipse non ita explicat, sed absolutè loquitur.

Colligitur secundo. Sufficere licentiam probabiliter præsumptam, & quidem facilè eam præsumi potest; si quidem constat ex Praxi passim consentire Parochos vt hoc Sacramentum ab alijs Sacerdotibus ministretur. Cæterum absque licentia saltem præsumpta grauiter peccat ministrans Eucharistiam alienis ouibus: quia vsurpat Ius alienum, Ita DD. supra citat & alij communiter.

II. DIFFICVLTAS EST.

An Regulares possint in suis Ecclesijs, vel alibi Eucharistiam licitè dispensare.

Respondeo, & dico primo. Iure communi non possunt, vt patet ex dictis in prima difficult. Imò in Clemen. Religiosi de priuil. lata est excommunicatio contra Regulares præsumentes ministrare alienis ouibus Eucharistiam absque licentia Parochi.

Dico secundo. In vim priuilegiorum, quæ post dictam Clem. fuerunt Regularibus à Summis Pontificibus concessa, possunt modò Eucharistiam ministrare omnibus fidelibus excepto die Paschatis & articulo mortis, seu per modum Viatici, de qua re possunt videri Manuel tom. 1. q 42 art. 2. Portel. verbo Sacram. administratio. n 8. Suar. de Relig. to. 4. tract. 10. lib. 9. cap 3. Auersa de Euchar. q. 10. sec. 4. Miranda to. 1 q 42. art. 2.

Amplia primo. Vt in Ecclesijs Regularium possint etiam Sacerdotes sæculares de eorum licentia Eucharistiam ministrare quibuscumq; fidelibus, ex ijsdem priuilegijs, ita DD. citati, & Coninch. de Sacram. q 82. num. 31.

Amplia secundo. Vt possint Regulares etiã in alienis Ecclesijs hoc Sacramentum dispensare: quia priuilegia conceduntur personis, ita Io. de Cruce in Epitome lib 2. cap 6. dub. 5. Henriq. lib 8 cap. 55. num. 1. lit. C Expedit tamen id non fieri sine licentia Parochi, vel Præfecti Ecclesiæ.

Amplia tertio. Vt id possint regulares etiã in oratorijs & priuatis domibus, dum ibi celebrant, & addunt nonnulli non obstante Episcopi prohibitione, quod tamen non videtur admittendum ob reuerentiam, quæ debetur Episcopis, de qua re fusè tractat Diana p. 9. tract. 1 resol 8. p. 4 tract 4. resol. 14.

Limita primo, nisi in die Paschatis, quod ex communi sententia intelligitur non de die Paschatis materialiter, sed formaliter, idest de communione, quæ fit à fidelibus ad satisfacien dum præcepto: Cæterum si aliquis intra quindecim dies Paschales communicasset iam, vel communicare vellet in sua Parochia; possent Regulares ministrare Eucharistiam volenti communicare ex deuotione, non ad satisfaciendum præcepto, ita Miranda, Portel, Coninch. Auersa locis citatis, Suar. de Sacram. disp. 72. sec. 2. Bonacina de Euchar. disp. 4. q. 5. p. 1. num. 12. Layman. lib. 5. tract. 4. cap 7. nu. 4. Quamuis alij contradicant cum Nauar. sum. cap. 21. num 52.

Limitatur secundo, Nisi danda sit communio per modum Viatici, & quoties deferenda est infirmis Eucharistia ab Ecclesia ad eorum domos, quod certè non possunt facere Regulares, nisi sint Parochi. Quòd si deficeret Parochus, vel iniustè negaret communionem infirmo, quando vrget præceptum, & necessitas infirmi; Adhuc Nauar. Vbi supra negat posse ab alio Sacerdote deferri, & ministrari hoc Sacramentum. Sed melius alij affirmant, tam de Sacerdote sæculari, quam de regulari: quia præsumitur licentia Episcopi, vel Summi Pontificis, ita Suar. loco citat. Valentia, Vasq. Bordonus, & alij, quos citat & sequitur Auersa q. 10. sect. 9. §. Rursus, qui etiam addit posse etiam regulares, & debere ministrare Viaticũ secularibus infirmis, qui in eorum conuentibus conuiuebant, vt fusius tradunt citati Doctor.

III. DIFFICVLTAS.

An possit quis aliquando communicare seipsum?

Respondeo, & dico primo, Sacerdos extra missam non potest licitè communicare seipsum, posito quod habeat copiam alterius Sacerdotis, de cuius manu possit accipere, sed grauiter peccaret seipsum communicando. Probatur: quia tunc communicat more laicorum: ergo tenetur de manu Sacerdotis accipere Sacramentum ad instar aliorum fidelium, vt patet ex præcepto Ecclesiæ in citato cap. peruenit de consecr. dist. 2. & ex consuetudine Ecclesiæ, quæ vim legis habet, ita Suar. disp. 72. sec 3 Coninch. q. 82. nu. 24. Auersa de Euchar. q 10 sec. 3. circa initium, & alij communiter.

Dico secundo. Si Sacerdos ob debilitatem, vel aliud impedimentum celebrare non possit, nec habet copiam alterius Sacerdotis, potest licitè seipsum communicare, non solum in casu necessitatis, sed etiam causa solius deuotionis. Quod possit in casu necessitatis E. gr. ne sine Viatico decedat concedunt omnes: quia in Concil. Niceno 1. Can. 14. datur ea facultas etiam Diacono, nedum Sacerdoti. Quod verò id possit etiam causa deuotionis, Probatur: quia non extat ius in contrarium. Nec consuetudo Ecclesiæ censenda est adeo rigorosa vt in prædictis circumstantijs Sacerdotes excludat, qui aliás potestatem habent super Corpus Christi verum, & eorum manibus consignatum est.

Ca-

Cauendum est tamen scandalum si alij præsentes sint, qui de hac doctr. monendi essent, & seruandus etiam respectiuè ritus præscriptus ab Ecclesia in reuerentiam Sacramenti pro aliorum communione, ita Suar. supra, Vasq. disp. 219. cap. 1. Cardinalis de Lugo disp. 18. sec. 1. Auersa loco cit. Syluius, & alij, quos citat, & sequitur Diana p. 2. tract. 14. resol. 53. cōtra nonnullos oppositum docentes extra casum necessitatis, apud Dianam vbi supra.

Colligitur etiam Diaconum posse communicare seipsum in articulo mortis deficiente copia Sacerdotis, Ex Conc Niceno supra citat. & quoties in casu necessitatis idem Diaconus potest alijs ministrare Eucharistiam, vt notat Vasq. supra.

Dico tertio, laici, & clerici Diacono inferiores non possunt extra mortis articulum communicare seipsos, vt patet ex dictis diffi. cul. 1. In articulo autem mortis probabile est posse seclulo scandalo, & irreuerentia Sacramenti. Ratio est: quia & si Ecclesia id rigorosè prohibeat in cap. peruenit de consecr. dist. 2 hic tamen casus per Epicheiam censetur exceptus, nè tanto subsidio priuentur fideles: & afferri solet exemplum Reginę Scotię, quę martyrium subitura prius Eucharistiam, quam apud se habebat manibus suis sumpsit, quod communiter à Catholicis approbatum fuit, ità Suar. supra, Auersa loco citato sec. 3. Layman, Coninch & alij, quos citat, & sequitur Diana 3 par. tract. 4. de Sacrament. resolut 47. Quamuis multi contradicant apud Dianam supra.

Dixi cessante scandalo, & irreuerentia Sacramenti, quæ tenemur omnes vitare: quare non posset quis seipsum publicè communicare, nisi admonitis adstantibus de sua necessitate, nec posset secum deferre Eucharistiam extra Ecclesiam, quod nonnisi cum indecentia fieret, quare rarissimè potest contingere, vt id licitè fiat.

Colligitur in illis casibus, in quibus potest laicus seipsum communicare, potest etiam ab alio laico, etiam à fęmina accipere Sacramentum cum ijsdem circumstantijs, quare poterit laicus ei ministrare: quia militat eadem ratio, ita Auersa sec 3 citat. §. Quinto vlterius, & alij citati apud Dianam vbi supra; & par. 5. tract. 3. resol. 47.

DVBIVM III.

De suscipientibus Eucharistiam, seu quibus possit Sacerdos Eucharistiam dispensare:

Constat inter omnes, solos homines & non Angelos esse huius Sacramenti capaces. Item inter homines solos baptizatos, non alios posse Eucharistiam Sacramentaliter, & cum fructu suscipere, ex Regula generali: quia Baptismus est ianua aliorum Sacramentorum; & in particulari quoad hoc Sacramentum: quia non genitus non potest nutriri: ergo homo non regeneratus spiritualiter per Baptismum, non est capax nutrimenti spiritualis, quod per Eucharistiam datur, ita D. Thom. 3. p. q. 80 per totam, quem sequuntur communiter. His positis;

I. DIFFICVLTAS EST.

De pueris imbecillioris ætatis, an possit illis ministrari Eucharistia.

Resp. & dico primo. Paruulis ante vsum rationis non potest licitè ministrari, & præberi hoc Sacramentum, iuxtà præsentem Ecclesiæ consuetudinem, quamuis olim oppositum fuerit in vsu; Probatur: quia Ecclesiæ Romanæ consuetudo tradita iam in Rituali Romano vim habet præcepti prohibentis cōmunionem paruulis: ergo modo graue peccatum esset illos ad communionem admittere. Ratio vero prohibitionis fuit: quia in tanto paruulorum numero frequens esset periculum irreuerenter tractandi tantum Sacramentum. Deinde omnino decet hoc Sacramentum deuotè sumi ex pio affectu, & deliberato voluntatis desiderio percipiendi eius fructum, ita D. Th. 3 par. q. 80. art 9. Paludanus, Caet. Soto, Suar. disp. 62. sec. 3. & alij communiter.

Dico secundo. Pueri, qui ad annos discretionis peruenerunt, & rationis vsum adepti sunt, quod communiter contingit completo septennio, possunt quidem licitè admitti ad communionem: Nihilominus neque ipsi obligantur statim præcepto communionis, sicut obligantur præcepto confessionis. Neque Ministri Eucharistiæ tenentur illis præbere donec maturiorem discretionem adepti fuerint,

rint, & iudicio Confessarij simpliciter admissi fuerint ad participationem Eucharistiæ, excepto articulo mortis, de quo infra.

Quod possint admitti Probatur, quia nullum extat ius in contrarium, & consuetudo eos non statim admittendi arbirraria est, & ad maiorem decentiam pertinens. Deinde cum pueri post septennium obligentur præcepto confessionis, & audiendi sacrum supponuntur habere plenum rationis vsum, & satis cognoscere, quid sit missa, & quid ibi repræsentetur, & adoretur: ergo discernunt cibum illum sacrum, quem adorant ab alio communi: ergo habent etiam sufficientem discretionem, qua possint illum digne percipere, & consequenter possunt admitti, nisi per accidens timeatur periculum irreuerentiæ; Ita docent à fortiori qui sustinent nedum posse admitti, sed etiam prædictos pueros teneri præcepto communionis, & non posse eis denegari, ita; D. Antoninus, Paludanus, Tabiena, Ioannes Sancius, & alij, quos refert Diana p.3.tract.6.resol.70.quorum sententia communiter admittitur, vt possint, non tamen quod teneantur, vt videre est apud Auersam q.8. sec.2 §.ad præbendam, Tambur. Opusc.de commun.cap 4.§.2.n.6.

Secunda pars conclusionis, quod eadem communio puerorum non statim cadat sub obligatione post septennium, quamuis ijdem obligentur præcepto confessionis, patet ex communi consuetudine Ecclesiæ, qua satis declaratur eos non comprehendi sub præcepto ante ve communionis, donec sint maturioris ætatis & iudicij: & iudicio confessarij, vel parentum destinentur communioni. Ratio vero fuit summa reuerentia, quæ debetur huic Sacramento, cum feruore deuotionis percipiendo: quia vere est cibus grandium, vt ex August. supra dicebamus: Ita D.Thom. Alensis, Caetanus, Sotus, quos citat, & sequitur Suar.disp.70.sec.1 Granado, Palao, & alij apud Dianam supra resol.70. citata, Quamuis nonnulli dicant, nec etiam posse admitti, cuius tamen oppositum supra probauimus, ex communiori sententia.

Colligitur primo, Quæ regula seruari debeat à Confessarijs in admittendis huiusmodi pueris ad communionem, cum hoc relinquatur prudenti arbitrio eorumdem Confessariorum. Variant enim DD. Aliqui cum Caetano dicunt nō debere illis differri communionem vltra ætatem decem annorum; Alij cum Soto designant ætatē duodecim annorū, alij deniq; cum Viguerio significant debere expectari vsq; ad annos pubertatis, idest quatuordecim. Breuiter dicendum est ex supra dictis, posse licitè Confessarium id concedere pueris bonæ indolis à septennio vsque ad decimum annū, non tamen teneri: A decimo verò, vsque ad quartum decimum debere eos regulariter admittere, prout eorum capacitas, & habilitas videbitur exigere, & non vltra differre atque ita seruatur in Praxi, vide Auersam loco supra citato.

Colligitur secundo, postquam semel prædicti pueri admissi fuerint ad communionem prudenti iudicio Confessarij intra latitudinem ætatis explicatæ, eos teneri præcepto annuæ communionis, & debet illis administrari, quia impleta est conditio, quæ desiderabatur, vt sub eo præcepto comprehenderentur, ita DD.cit. communiter.

Dico tertio. In articulo mortis tenentur pueri communicare statim post septennium, si verè vsum rationis adepti fuerint, & eodem modo adstringuntur præcepto communionis, quo ligantur præcepto confessionis pro eodem articulo; quare tenentur etiam Parochi vtrumque Sacramentum illis administrare. Probatur: quia omne præceptum diuinum obligat indifferenter quoscumque rationis compotes, vt docent communiter DD. & latè confirmat Salas de legibus disp.14.sec.13 sed præceptum recipiendi Eucharistiam in articulo mortis est præceptum diuinum, vt communiter etiam fatentur DD. quod non pendet ex determinatione Ecclesiæ: ergo &c. Ita Caet. sum. verbo communionis minister, Suar disp.70.sec.1. Salas supra, Zambranus de mortis articulo c. 3. dub.2. Cardinalis de Lugo de Euchar disp. 13. sect.4. & alij, quos citat & sequitur Diana p.3. tra 6.resol.89.& p 5.tract.3.resol 44.& resol.85. & alij passim. Quare hæc sententia, quę fauet etiam animabus debet seruari in Praxi. Quia tamen non desunt DD. oppositum sentientes, videlicet pueros non teneri præcepto diuino communionis, nisi prius ritè admissi fuerint, præsertim Vasq.in 3.p.disp.214.cap.4. Ideo excusari possunt, tum pueri non recipientes Sacramentum in eo articulo; tum parochi non administrantes, quod non est consulendum.

Colligitur quid sit agendum, si dubitetur an puero in articulo mortis constituto sufficiens rationis lumen illuxerit, dicendum est enim posse iudicium ferri pro vtraque parte, atque adeo posse licitè præberi illi Viaticum; quia non constat de incapacitate, & in dubio inclinandum in fauorem animarum. Potest etiam eximi puer ab illa obligatione: quia non constat esse lege comprehensum, & in hoc dubio non tenetur quis seruare legem: quia possessio stat pro libertate, ita Card. de Lugo, & Possevinus, quos citat, & sequitur Diana p.5.tr.3. resol.44.

II. DIF-

II. DIFFICVLTAS.

An amentibus, & Phreneticis licitum sit Eucharistiam præbere.

Respondeo & dico primo. Perpetuo amẽtes, qui nunquam habuerunt vsum rationis excluduntur à communione, & participatione huius Sacramenti: quare nõ potest licitè illis Eucharistia ministrari, sicuti supra dicebamus de infantibus ante vsum rationis, ob similem Ecclesiæ prohibitionem, easdemque rationes & docent ijdem DD. in præcedenti Difficultate citati Conclus. 1. & omnes communiter.

Dico secundo. Illis, qui vsum rationis aliquando habuerunt, & postea in Amentiam, vel Phrenesim inciderunt, potest & debet præberi Eucharistia saltem in articulo mortis, si antea huius Sacramenti deuotionem ostenderint, nisi timeatur periculum irreuerentiæ. Ratio est: quia prædicti sunt capaces fructus Sacramenti, & præcedens deuotio, seu affectus ergo idem Sacramentum censetur sufficiens dispositio, & indicat consensum interpretatiuum aut voluntatem habitualem recipiendi illud, maximè tempore mortis: ergo potest, & debet illis præberi, ita D. Thom. q. 80. art. 9. Nauar. sum. cap. 26. D. Antoninus. Paludanus, alij, quos citat, & sequitur Suar disp. 69. sect. 3. Vasq. disp 213 cap. 3. Bonac. de Euchar disp 4. q. 6. punc. 1. Et inter Neothericos egregiè hanc rem pertractat, & explicat Diana p. 2. tract. 14. de celebr. missar. resol. 78. omnino videndus pro Praxi, & p. 5. tra. 3 resol 46.

Decisum etiam fuit in Concil. Carthag. 4. cap. 48. & alijs, & declaratur in Cathechismo & in Rituali Romano de Sacram. Euchar.

Dixi, saltem in articulo mortis: quia non desunt DD affirmantes posse etiam illis præberi Eucharistiam extra mortis articulum aliquoties, E. g. semel in anno, vel in præcipuis solemnitatibus, quando nullum timetur periculum irreuerentiæ (quod semper supponendum est). Quamuis non sit obligatio illis dandi, ità Angles &c. & Villalobos apud Dianam 2. p. tract. 14. citato, resol. 79 & Sancius in selectis, quem refert Auersa de Euchar. q. 8. sect. 1. §. quarto; quamuis nec Diana, nec Auersa id approbent, sed non videtur improbabile de illis, qui antea piam vitam duxerunt, & postea in amentiam inciderunt; de quibus loquitur Villalob. & approbat Tambur. Opusc de commun. cap. 4. §. 1. num. 4.

Dico tertio. Semifatuis, & Stolidis, seu debilem vsum rationis habentibus, potest, & debet ministrari Eucharistia, Tum in articulo mortis; Tum singulis annis in Paschate ad satisfaciendum præcepto, modò absit periculum irreuerentiæ.

Probatur: quia hi verè sunt capaces spiritualis fructus Eucharistiæ: ergo cum talis defectus illis imputari non possit ad peccatum, non est cur excludi debeant à communione. Ita D. Thom. 3. p. q. 80. art. 9. Henriq. lib 8. cap. 42 num. 3. Bonacina disp. 4. quæst. 6. punc. 1. nu 7. & alij communiter apud Dianam p. 2. tract. 14. resol. 79.

An autem prædicti possint frequentius admitti: iudicio Confessarij relinquitur, habito respectu ad eorum capacitatem, & ad reuerentiam Sacramenti. Certè nonnulli solent deuoti esse, & reuerenter se gerunt circa hoc diuinum Sacramentum, qui idcirco frequentius admitti possunt, videri possunt Diana supra resol 79. citata, cum alijs quos affert Salazar de frequenti communione, Tambur. loco citato, & Auersa quæst. octaua, sect. secunda, §. Insuper.

III. DIFFICVLTAS.

An possit ministrari Eucharistia existentibus in statu peccati mortalis.

Respondeo; & dico primo, non potest ministrari hoc Sacramentum peccatori publico, & manifestè Indigno: quarè arcendi sunt excommunicati, manifestè infames, meretrices, concubinarij, vsurarij, & alij eius generis publici peccatores: Tum quia minister Sacramenti tenetur ex officio non dare sanctum canibus Matth. 7 idest indignis, ne irrogetur Sacramento irreuerentia; Tum quia tenetur non cooperari peccato aliorum indigne communicantium, ita D. Thom. 3. p. q. 80. art. 6. Suar. de Sacram. disp. 67. Laymann. lib. 5. tract. 4. cap. 6. & fusè tradunt DD. de Sacram. in genere apud Bonac. disp. 1. de Sacram. q 6. punc. 6.

Dico secundo peccatores occulti, si occultè petant, & constet ministro eos non esse emendatos, repelli etiam debent non autem si publicè petant, & sine scandalo arceri non possint, ob præceptum naturale vitandi scandalum, & infamiam proximi, ita D. Th. in 4. dist. quæst. 1. art. 5. quæstiuncula 1. & DD. communiter, & declaratur in Rituali Romano de Sacram. Euchar. de qua re fusè tractant DD.

DD. de Sacram. in genere, nec propriè id pertinet ad nostrum institutum.

Dubitari hic solet à DD. An peccatori occulto præberi possit hostia non consecrata, si illi graue periculum immineat, nisi communicet, E. g. si vir iubeat vxorem communicare, & per se, vel per alium obseruat vt si viderit illam non communicare credat esse adulteram, nec illa possit moraliter in ea perturbatione disponi.

Prima sententia affirmat, modo ipse peccator de hoc fuerit præmonitus, & dummodo vitetur occasio Idolatriæ etiam materialis alijs adstantibus, proposita videlicet hostia consecrata dum dicit Ecce Agnus Dei &c. & postea Sacerdos accipiat non consecratam, & illi præbeat.

Probatur: quia licet fictio illa communiter sit illicita, & contra reuerentiam Sacramenti, Nihilominus posita vrgenti causa licitum videtur quadam æquiuocatione vti; hic autem adest sufficiens causa fictionis, & æquiuocationis ad vitandum sacrilegium ex vna parte, & tuendam famam, vel vitam peccatoris ex alia.

Confirmatur quia in aliis casibus admittitur ea fictio, & æquiuocatio, vt si penitens indispositus minetur mortem sacerdoti, nisi illum absoluat, poterit hic absolutionem proferre sine intentione, & sic in similibus casibus, qui videri possunt apud Dianam p. 3. tract. 6. resol. 83. & resol. 48. Et ideo hanc sententiam sustinent S. Bonauentura in 4. dist q. art. 2 q. vltima Albertus dist 13. art. 20. Angles in 4. quæst. de suscipientibus Euchar. diff 4 Villalobos tom. 1. trac 7. diff. 38 Ludouicus de San Joanne 1 p. sum. trac. de Euchar q 7 art. 8. diff. 4.

Secunda sententia communis, & probabilior negat cum D. Th. 3. p. quæst. 80. art. 6. vt videri potest apud Dianam supra resol. 83. citata, & apud Cardinalem de Lugo de Sacram. disp. 8. sec. 11. n. 188.

Probatur: quia fictio secũdum se illicita est, et mendacium continet, et in Sacram. magis est execrabilis, et contra virtutem religionis: ergo nisi maxima causa subsit excusari non potest à sacrilegio, sed non apparet sufficiens causa in casu nostro, ergo etc.

Probatur minor: quia communicans simpliciter potest se disponere si velit ad dignam cõmunionem, Primum Antecedens probatur, quia sacerdos minister Sacramenti vel verbis, vel facto ipso significat esse verum Christum, id quod re vera non est.

Probatur secundo quia datur occasio exterioris idolatriç materialis, quæ hadhibita quauis cautela euitari non potest, ergo etc. Probatur antecedens, quia ipsamet sumptio taliter facta censetur actus religionis, et cultus latriæ.

Confirmatur primo Ex cap. de homine de celebr. Missar. vbi habetur Sacerdotem celebrantem in peccato mortali grauius peccare, simulando consecrationem, quam si verè consecraret.

Confirmatur secundo facto ipsius Christi, qui Iudæ præbuit verum Sacramentum, nec voluit sacrilegium illud vitare dato pane non consecrato.

Colligitur primo non videri consulendam in praxi primam sententiam, vt conuinennt ea. quæ adduximus in fauorem secundæ opinionis, quod si sufficiat ad vitãdum periculum peccatoris, vt sacerdos simulet se consecratam hostiam in os eius immittere, nec verè immittat, sed potius demittat in Pyxidem, potius ita faciendum; nec id videri illicitum retenta mentaliter equiuocatione, videlicet, se vti eo signo non ad conferendum Sacramentum, sed ad repellendam vim iniustam proximo illatam, vel inferendam, Ita Henriq. lib 6. cap. 22., Ioannes Sancius disp. 35. n 3. qui tamen addunt non teneri sacerdotem ad hanc simulationem. Ceterùm si tale medium esset necessarium ad vitandum Sacrilegium ex vna parte, & ad consulendum famæ, vel vitæ proximi hic et nunc impotentis moraliter se disponere ad dignè communicandum; posito quod sit licitum, mihi videtur teneri Sacerdotem ex charitate eo vti remedio; quia charitas obligat ad succurrendum grauiter indigenti, quando absque proprio damno fieri potest.

Colligitur secundo hic obiter, posse quandoq simili modo, et sub æquiuocatione dari schedulam confessionis pœnitenti non absoluto, quando Scholares E g. vel filij familias coguntur confitdri, et nisi schedulam ostendant periculo infamiæ exponuntur, Ita Medina. lib. 2. sum. cap. 4. circa finem et Ioannes Sancius supra num. 9.

IV. DIFFICVLTAS.

De alijs impedimentis, quæ obstare possunt susceptioni Eucharistiæ, & dignæ administrationi:

Respondeo præter peccatum ex parte animæ, recensentur nonnulla à DD. quæ communioni obstant ex parte corporis, vt infirmitas E g. vomitus, vel tussis frequens cum periculo ne quid specierum eijciatur. Item fœditas quedam relicta ex præcedenti pollutione,

tione, etiam inuoluntaria, vel inuoluntaria, vel si voluntaria, per confessionem quoad culpam deleta, de quibus commodius agemus 3. p. dum de Defectibus dispositionis corporis.

Quaeri insuper hic solet, An sit prohibitum dare Euchatistiā Energumenis obsessis à Demone? Dicendum breuiter est, quicquid olim fuerit in vsu, nullam hodie extare prohibitionem, sed absolutè non esse illis denegandam ex hoc praeciso capite seclulo periculo irreuerentiae; quia hoc non est culpa, sed poena, quę potius energumenos tecurrere suadet ad hoc celeste subsidium, ita D. Th. 3. p. quaest. 80 art. 9. ad secundum quem sequuntur communiter DD. & fauet Ecclesiae Praxis; vide Suar. disp. 69. sec. 2. Vasq. disp. 212. cap. 4. Auersam q. 8 sec. 1. §. 5.

DVBIVM III.

De ritu communionis, & dispositione Ministri.

De hoc Ritu, quo fit communio in missa, diximus supra; hic loquimur de Ritu extra missam certum est autem teneri sacerdotes, sub peccato mortali ex genere suo in administratione, seu dispensatione huius Sacramenti seruare ritus ab Ecclesia praescriptos, vt constat ex Trid. sess. 7. de Sacramentis can. 13. & docent communiter DD. de Sacramentis in genere, & quoad ritus seruandos in administratione Eucharistiae etiam extra missam extat graue praeceptum in cap. sanè de celebr. Missarum sequitur vt explicemus in purticulari, quinam ritus cadant sub graui obligatione, & quorum omissio excusari possit à peccato mortali, vel veniali.

PRIMA DIFFICVLTAS.

An Sacerdos ministrans alijs Eucharistiam teneatur esse in statu gratiae.

Quaestio est non de suscipiente, sed solum de ministro: An ex vi praecisa huius ministerij quando Eucharistiam dispensat, teneatur esse in gratia, ita vt si habeat conscientiam peccati mortalis teneatur per confessionem, vel saltem qer contritionem se expiare.

Prima sententia communior affirmat, quia in omni ministro cuiuslibet Sacramenti status gratiae requiritur, vt tradunt communiter DD. de Sacram. in genere, & in casu nostro de ministro Euchatistiae docent Suar. disput. 72. sec 4. Coninch quaest. 64. art. 6. num. 35. Bonacina de Euchar. quaest. 5. punc. 2. & alij passim apud DD. citatos.

Secunda sententia satis probabilis sustinet non peccare mortaliter; ministrantem hoc Sacramentum in statu peccati mortalis.

Probatur; quia in hoc ministerio Sacerdos non conficit Sacramentum, sed solum applicat, & non est ita per se, & directè instrumentum Dei ad sanctificandum hominem sicut in alijs Sacramentis, quae simul conficiendo confert; sed solum se habet veluti in rebus naturalibus causa per accidens applicans actiua passiuis: ergo non ita grauiter obligatur esse in statu gratiae, sicut in administratione aliorum Sacramentorum; sed solum peccat venialiter ob indecentiam, Ita Vasq. disp. 136. num 38. Cardinalis de Lugo de Sacram. in genere disp. 8. sec. 9. num 155. Auersa de Euchar quaest. 10. sec. 5. §. 5. Diana p 2. trac. 14. resol. 23. & trac. 17. resol. 13. citans alios Doctores.

Colligitur primo nec peccare mortaliter Sacerdotem solum tangentem, vel deferentem hoc Sacramentum in statu peccati mortalis. vt patet à fortiori ex dictis, & docent idem DD. apud Auersam supra.

Colligitur secundo si Nihilominus minister huius Sacramenti sit irretitus aliqua censura: eum nedum peccare mortaliter, sed etiam irregularitatem incurrere; quia ratione censurae excluditur à tali ministerio ex graui praecepto, et sub pena irregularitatis, DD. communiter: vide Auersa supra §. 4.

II. DIFFICVLTAS.

De habitu, & dispositione corporis requisitis in Ministro Eucharistiae.

Respondeo et dico primo ministrans Eucharistiam extra Missam debet esse indutus superpelliceo et Stola, alias grauiter peccat. Probatur: quia vestes praedictae supra communes clericales districtè praecipiuntur, tanquam ritus grauis pertinens ad reuerentē, et decentem tractationem tanto Sacramento debitam, vt colligitur ex citato cap. sanè de celebr. missar. ex Rituali Romano de Sacram. Euchar. et Vniuersali Ecclesiae consuetudine, et docent expressè Suar. disp. 72. sec. 4. Grassis lib. 2. cap. 40. Fagundez praecepto 3. lib. 3. cap. 3. num. 9. Bonacina de Sacram. disp. 4. q. 5 punc. 2. n. 8. Auersa de Euchar. q. 10. sec. 5. §. 2.

Colli-

Colligitur non videri tamen damnandum peccati mortalis Sacerdotem deferentem Euchariſtiam ex vno Altari ad aliud ſine cotta, & ſtola: quia non miniſtrat Sacramentum, vnde non videtur ſub eo præcepto comprehendi hic caſus, vt cum Bordono, & Alijs docet Diana par. 10. trac. 13. reſol. 34.

Dico ſecundo debet Sacerdos accedere ad miniſtrandum hoc Sacramentum cum decenti compoſitione, & modeſtia. Item cum ea corporis munditia, quam naturalis ratio dictat & poſtulat reuerentia debita eidem Sacramento; Preſertim notatur in Rituali Romano loco ſupra citato, vt prius lauet manus: Prædictorum autem omiſſio communiter non excedit culpam venialem, vt alibi diximus de celebrando miſſam, niſi notabilis inde oriretur deformitas, vel irreuerentia contra Sacramentum, DD. citati.

Colligitur primo non opus eſſe, vt Sacerdos hoc Sacramentum miniſtrans ſit ieiunus: quia hoc nullo iure præcipitur, Bonacina loco citato num 6 cum alijs.

Colligitur ſecundo ſacerdotem deferentem Sacramētum ad infirmum non debere currere inſtante periculo infirmi: quia id fieri vix poſſet abſque irreuerentia Sacramenti, & periculo irriſionis; quamuis debeat in eo caſu feſtinanter progredi quantum decentia patitur, Ita Bonacina, Auerſa locis citatis. Tambur. Opuſc. de commun. cap 6 §. 1. num. 6 quamuis ex Alijs DD. oppoſitum doceat Diana p. 10 trac. 16. reſol. 80.

III. DIFFICVLTAS.

De ritibus qui conſiſtunt in verbis, & actionibus miniſtri, de adhibendis luminibus, de quealijs circumſtantijs extrinſecis.

Reſpondeo & dico primo præmittendam eſſe etiam extra Miſſam confeſſionem generalem à miniſtro: Item abſolutionem deprecatiuam, & alia quæ præſcribuntur in rituali eo modo quo ſupra dicebamus, quando fit communio in Miſſa cum ſignis crucis, genuflexionibus &c. vt patet ex communi praxi Eccleſiæ; Qui tamen Ritus non ita rigorosè præcipiuntur, vt ipſorum omiſſio ſecluſo ſcandalo, vel contemptu ſit peccatum mortale; ſed ſolum veniale: quia non opponitur notabiliter reuerentiæ debitæ Sacramento, ita Diana p. 10. trac. 16. reſol. 80. Suar. Fagundez, Auerſa locis citatis.

Colligitur primo ſacerdotem Chiragra laborantem, & pollice ac indice impeditum, non poſſe abſque peccato ſaltem veniali alijs digitis hoſtiam porrigere contra ritum Eccleſiæ, vt docent Diana, Bonacina, Auerſa, locis citatis, quod intelligitur niſi vrgeat grauis neceſſitas infirmi.

Colligitur ſecundo tempore peſtis non eſſe porrigendam hoſtiam in coeleari ad cautelam vitandi contagium contra conſuetum Ritum vnde merito prohibetur in actibus Mediolan. Eccleſiæ, & cum Alijs DD. docent Diana p. 4. tract. 4. reſol. 114. & p. 5. tract. 3. reſol. 50. & Auerſa ſupra quamuis enim id aliquando ſit licitum ob neceſſitatem infirmi, vel ob reuerentiam Sacramenti, vt dicebamus ſupra de fragmentis dandis laicò, non tamen ad cautelam miniſtri: quamuis non deſint oppoſitum ſentientes.

Colligitur Tertiò Euchariſtiam non eſſe deferendam ad infirmum, vt adoretur tantum: quia id prohibetur in Rituali Romano, & à ſacra Cōgregatione Cardinalium ex praxi Epiſcoporum, Gauantus in Enchiridion verbo Euch. num. 50. Sà verbo Euchar num. 6

Dico ſecundo Requiruntur lumina, ſeu Cerei accenſi etiam extra Miſſam Tum ſuper Altare; Tum aliud intortitium extra Altare, vt patet ex Rituali Rommano citato, & communi praxi quorum omiſſio non videtur graue peccatum ex Diana ſupra citata reſol. 80. & Alijs DD citatis; quod certum eſt de tertio lumine extra Altare, & niſi deferendum ſit Sacramentum extra Eccleſiam ad infirmos, in quo caſu maiori rigore præcipiuntur lumina citato cap. ſane de celebr Miſſar. et grauiter puniri tranſgreſſorem, quare ſupponi videtur grauis culpa, ita Bonacina, et Auerſa locis ſupra citatis, et cum alijs Tambur. Opuſc. de commun cap. 6. § 1 num. 6.

Dico Tertio quoad tempus, et locum teneri Sacerdotem ſeruare leges, et conſuetudinem Eccleſiæ. Ita vt grauiter peccet, ſi violet leges, prædictas in re graui, et ſolum venialiter in re leui, vt per ſe patet, et docent DD. ſupra citati communiter.

Colligitur primo peccare mortaliter ſacerdotem miniſtrantem Euchariſtiam tempore interdicti, vel in loco interdicto; quia violatur præceptum graue Eccleſiæ, vt docent communiter DD. de cenſuris, et de interdicto; quamuis autem extra tempus; et locum interdictum, et extra caſum infirmitatis non ſoleat Euchariſtia miniſtrari niſi in Eccleſia, non videtur tamen peccatum communionem alicui præbere in ſacriſtia: vel in ſimili loco, vbi quandoque decenter ſeruari ſolet ipſum Sacramentum; ſecus in loco prophano extra caſum infirmitatis.

Colli-

Colligitur secundo, omni tempore anni ministrari posse hoc Sacramentum; etiam in die Parasceue, seu Veneris Sancti; quamuis enim tunc non soleat ministrari, nulla tamen est prohibitio, ita Hurtadus de sacrif. disp 4. diff. 2. citans Suar. Vasq. Layman. Tambur. cum alijs Opusc. de commun. c. 6. §. 2. n. 4.

Colligitur tertio. Quamuis soleat Eucharistia ministrari manè, non esse tamen illicitum seclusо scandalo illam ministrare Vesperi, vel in tempesta nocte, etiam extra casum necessitatis; quia nulla obstat prohibitio, ita Sà verbo Euchar. Suar. disp. 69 sec. 4 Coninck. & alij apud Bonac. disp. 4. q. 7. pune 2. n. 14.

IV. DIFFICVLTAS,

De Ritu quoad species consecratas & modum eas porrigendi.

DIco primo laicis, & alijs etiam Sacerdotibus communicantibus more laicorum non est licitum ministrare Sacramentum sub vtraque specie, sed solum sub speciebus panis vnde oppositum esset graue peccatum contra rigorosum Ecclesiæ prohibitionem sub pœna excomm vt patet ex Conc. Constans. sess. 13. & ex Trid. sess. 21. cap 2.

Dubitant hic Doct. An Sacerdos dum celebrat possit ad communicandum laicum dare [illegible]i partem suæ hostię? Plures enim Doctor. negant; quia Sacerdos debet consumere totam materiam sacrificij, quam sibi destinauit sumendam, vt colligi videtur ex cap. relatum, & cap. comperimus de consecr. dist. 2. & fauet Rubrica de defect. Tit. 10. n. 3. sic tenet Graffis p. 1. lib. 2. cap. 33. Zambran. cap. 3. dub. 6. Zanardus p. 1. de Euchar cap 9 num. 15. & alij apud Doct. citandos in conclus.

Dico tamen secundo, hoc licitum esse si nō sit in promptu alia forma consecrata, nè communicanturus expectare cogatur. Probatur, quia re vera nulla extat de hac re prohibitio, nec sacrificium desinit esse perfectum propter talis particulę dispensationem, nec vlla imaginari potest irreuerentia contra Sacramentum, ita tenent D. Antoninus, Siluest. Paludanus, & plures alij, quos citat & sequitur eruditissimus Diana p. 1 tra. 14. resol 37 & p. 3. tra 4 resol 34. & p. 5 tra. 3. resol. 54. Et tandem latissimè p. 10 tra. 11 resol 70 cum Dicastillo, vbi declarat casus in particulari, & soluit opposita; re vera enim iura citata in oppositum de hac re non loquuntur.

Dico tertio. Quo ad modum porrigendi hostiam aduertere debet Sacerdos ne tangat digitis os communicantis, nè madefiant digiti, & illis postea adhæreat alia formula, & idcirco debet formulam accipere in extremitate, non in medio. Item supponat Pyxidem, vel patenam, nè casu aliquid specierum cadat in terram &c. similia, quæ ex Doct. colligit Diana p. 10. tra. 13. resol 34. §. Quero,

Peti hic posset quid agendum, si dum fit cōmunio aliqua hostia cadat in terram, vel super vestes communicantium? Verùm de hoc, & similibus casibus, fusè dicturi sumus 3. p. de defectibus Tit. 10. Interim placet examinare hoc solum dubium, nempè quid agendum, si dum fit communio religiosarum monialium casu aliquo formula consecrata cadat intra clausuram earum?

Certum est autem melius, & promptius remedium esse, vt ipsa monialis, cui ministrabatur communio, vel alia illam accipiat lingua, & communicet, atque ita consulentibus viris doctis seruatur in Praxi; Punctus difficultatis consistit in eo, si non sit v[illegible], quæ id exequatur, & lambat lingua.

Aliqui sentiunt non esse licitum, vt digitis accipiatur ab aliqua monialium, & Sacerdoti tradatur quia hoc est omnibus prohibitum exceptis Sacerdotibus: quare intrare debet statim Sacerdos, vt illam accipiat, & interim præcipere monialibus, vt illam in terra iacentem adorent accensis luminibus, videtur enim hic casus exceptus à præcepto clausuræ.

Cæterum hæc sententia non placet: Tum quia ingressus in monasterium strictius prohibetur, quam tactus hostiæ consecratæ in casu necessitatis: Tum quia esto licitus esset ingressus sine licentia, non careret irreuerentia sic relinquere hostiam in terra toto eo spatio, quo opus est vt Sacerdos à loco communionis se conferat intra claustrum ad locum, quo cecidit hostia.

Respondeo ergo, & dico quarto. Posito casu debet Sacerdos præcipere alicui ex monialibus vt hostiam reuerenter cum fragmentis si quæ deciderant eleuet super patenam median te palla, vel etiam carta munda & alba, & si aliter non potest manibus accipiat, & per candē fenestellam ei porrigat, quo facto signetur locus nè pedibus conteratur, & finita communione ab ijsdem monialibus terra radatur, & in sacrarij piscinam proijciatur: quia in his casibus eligendum est, quod minus irreuerentiæ continet & absque turbatione, & clausuræ violatione fieri decentius potest, vt fit modo prædicto. Nec obstat prohibitio tangendi Sacramentum; quia in casu necessitatis, & ne Sacramentum sit in loco indecenti, non solum permittitur, sed etiam præcipitur, ita Castaldus in Praxi lib. 2. sec. 14. c. 7. num. 15.

V. DIFFICVLTAS.

De Ritu ex parte suscipientium Eucharistiam.

DE dispositione communicantium. Tum quoad animam præuia cõfessione sacramentali; Tum quoad corpus per ieiunium, & munditiem à fœditate pollutionis &c. & de his similibus dicemus 3.p. de defect. plura enim communia sunt celebranti, & aliis fidelibus: hic breuiter annotabimus ea, quæ pertinent ad habitum, & externam corporis compositionem.

Primo dubitatur, an Sacerdos suscipiens Eucharistiam extra sacrificium gestare debeat stolam.

Respondeo decens omnino esse vt Sacerdos communicans superpelliceum habeat, & stolã coloris tempori conuenientis, vt notat Castaldus in Praxi lib. 2. sec. 14. cap 7 n 5. Omissionem tamen hujus Ritus, non esse peccatum saltem mortale; quia & si Orarium, seu stola præcipiatur sub pœna excomm. Sacerdoti communicaturo, etiam extra sacrificiũ, in c. Eccles. dist. 23. Nihilominus illi decreto contrario vsu jam abrogatum fuit saltem quoad eam grauẽ obligationem, ità Azorius, Pitigianus, Gauantus, quos affert, & sequitur Diana p. 2 tra. 14. resol. 20 Tambur. Opusc de commun. cap. 2. §. 4 Card. de Lugo de Euchar. disp. 20. n. 98. Bonac, de Sacram. disp 4 e. 6. punc. 2 & communiter.

Dubitatur secundo, an laicis sit licitum accedere ad Sacram. Ense, vel Pugione præcincti?

Respondeo, quoad Religiosos militares S. Ioannis, S. Iacobi, Alcantaræ &c. id esse omnino licitum. Siquidem hi portant arma tanquam habitum suæ religionis, & quidem in defensionem fidei, ita Io Sancius disp. 45. initio, sequitur Diana par. 3. tract. 2 resol. 30. Tambur. supra, & communiter.

Quoad alios verò fideles dicendum est, eos decentius arma deponere, nullũ tamẽ peccatũ committere per se loquendo, secluso scandalo vel contemptu, si armis præcincti accedant ad communionem: quia nullum extat ius id prohibens, & consuetudo deponendi arma ante confessionem, vel communionem ex deuotione orta est, & maiori decentia in signum supplicis venerationis DD. citati.

Dubitatur tertio, an peccent mulieres accedentes ad communionem cum pompa vestium, & curioso ornatu.

Responedeo, Seclusa praua circumstantia extrinseca eas non peccare si ornatè accedant iuxta Patriæ vsum: quia nulla extat de hac re prohibitio, vt supra dicebamus de armis virorum. Solent autem tum viri, tum mulieres Chiroteeas deponere in signum reuerẽntiæ, nõ autem ex obligatione, DD. supra cit. & præsertim Tambur.

Dubitatur quarto, De linteo ante communicaturos extendi solito, & de purificatione communicantium, an cadant sub præcepto.

Respondeo linteum præscribi in Rituali Romano Tit. de Euchar. nullam tamen imponi obligationem, sed ad solam decentiam id pertinere. Quoad purificationem verò dicendum est eam esse necessario adhibendam, quando periculum est ne fragmentum expuatur, alias minimè: semper tamen adhiberi decens est ad cautelam, & in Rituali supra præscribitur. An autem communicantes possint statim post cõmunionem expuere, videnda sunt supradicta de celebrante sec 1. dub. 9.

SECTIO IV.

De fructu proueniente ex sacra Communione.

EFfectus Eucharistiæ quatuor præcipuè numerantur. Primus & principalis est infusio gratiæ sanctificantis, Secundus est spiritualis refectio, seu delectamentum animæ, Tertius est præseruatio à peccatis, Quartus repressio fomitis, de quibus agit D Th 3. p. q 79. per totam, & declarat etiam Trid. sess 13 c. 2. can. 5. & 11 Primus effectus infusionis gratiæ sanctificantis est communis omnium Sacramentorũ, quæ vel conferunt primam gratiam vt Sacramenta, quæ dicuntur mortuorum, videlicet Baptismus, & Pœnitentia, vel augmentum gratiæ, vt Sacramenta viuorum, & præsertim Eucharistia, quæ instituta est vt cibus & nutrimẽtum animæ, & consequenter supponit manducantem habere vitam spiritualem, & ideo per se & directè instituta est ad augendam gratiam, non ad conferendam primam gratiam homini peccatori, sic scienter accedenti, cui potius nocet, Vnde Ecclesia Mors est malis vita bonis &c. Alij tres effectus pertinent ad gratiam Sacramentalem Eucharistiæ, & auxilia, quæ dicuntur actualia, quibus excitamur ad feruorem charitatis, & munimur contra tentationes &c. Videri potest D Th. supra. His positis, in quibus omnes conueniunt, examinabimus breuiter nonnulla dubia in gratiam & Solamen communicantium, remittentes alia ad Scholasticos.

DV-

DVBIVM I.

An Eucharistia conferat interdum primam gratiam.

ALiqui DD. absolutè negant: quia cibus, & potus non habent vim reuocãdi mortuum ad vitã, nec quicquam prosunt mortuo: cum igitur Eucharistia instituta sit per modũ cibi spiritualis; repugnat eius naturæ, & institutioni conferre primam gratiam, & peccatores vita spirituali carentes iustificare, & ad vitam renouare, ita D. Bonauentura, Gabriel, Alensis, Gerson, quos citat & sequitur Vasq in 3 p. disp. 205. cap. 4. & 5. & in eandem sententiã magis propendet Cardin. de Lugo de Euchar. disp. 12. q. 1.

Respondeo tamen cum communi & probabiliori sententia, per accidens fieri posse, vt hoc Sacramentum conferat primam gratiam peccatori accedenti bona fide, & præmissa saltem attritione.

Probatur: quia omnia Sacramenta conferunt gratiam sanctificantem non ponentibus obicem. Sed accipiens bona fide, idest inculpabiliter ignorans se esse in statu peccati, & attritione præmissa, non ponit obicem gratiæ: ergo &c. Probatur minor: quia posita attritione ille est capax gratiæ, vt patet in Baptismo & Pœnitentia, & posita bona fide non peccat actu: ergo &c. Accedit specialis ratio in Eucharistia, in qua Christus ipse continetur fons omnis gratiæ, & speciali modo repræsentat meritum passionis, quæ est omnium peccatorum remedium, ita D. Thom. 3. p. q. 79. art. 3. Caet, Siluius, Nugnus, Coninch. ibidem Suar. disp 63. sec. 1 Diana p. 3 tra. 6. resol. 98. & alij plures, quos citant.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ. Respondetur Eucharistiam institutam quidem esse per modum cibi, sed cum excessu supra cibum corporalem, vnde non valet in omnibus comparatio: Certè alimentum corporale non semper adauget alitum, sed solum vsque ad certam ætatem & mensuram; Cum tamen hoc Sacramentum semper augeat gratiam absque vllo termino. Item mortuus spiritualiter non in omnibus assimilatur mortuo corporaliter, qui nihil agere potest, cùm tamen mortuus spiritualiter possit, & debeat per auxilia gratiæ exercere actus salutares, quibus ad vitam redeat: Vide citatos DD.

Colligitur: posse dari casum in quo quis accedens ad communionem neque obtineat gratiam, neque peccet, si videlicet bona fide accedat in statu peccati mortalis, & absque attritione: quia bona fide & ignorantia inuincibili excusatur à peccato, & ex defectu attritionis est incapax gratiæ, & remissionis peccati obliti; ita cum alijs Diana loco cit.

DVBIVM II.

An Sacerdotes sumentes Eucharistiam sub vtraque specie consequantur maiorem gratiam, quam laici communicantes sub vna tantum specie.

COntrouersia non modica est de hac re inter DD. & valida suppetunt argumenta pro vtraque parte; quorum discussio ad speculationem magis pertinet, quàm ad praxim cui attendimus: ideo omisso difficultatum examine ad vitandam prolixitatem.

Respondeo probabiliorem esse sententiam negatiuam D. Thom. 3. p. q. 80. art 2. ad 3. Probatur: quia vel reciperent maiorem gratiam ex parte Symboli, vel ex parte rei contentæ; neutrum dici potest, ergo: Probatur minor: non enim prius, nam seclusa re contenta Symbolum non causat gratiam: non posterius: quia eadem res continetur, videlicet idem Christus sub singulis speciebus: ergo &c. Vide Dianam p. 3. tract. 6. resol. 97. & p. 5. tract. 13. resol 29. Vbi refert DD. pro vtraque parte.

DVBIVM III.

An, & qualiter Eucharistia remittat peccata venialia, & pœnas temporales.

NOn loquimur de peccatis mortalibus, quæ non nisi per accidens remitti possunt per hoc Sacramentum, vt patet ex dictis dub. 1. Sed de venialibus, quæ possunt per se remitti ex directa institutione eiusdem Sacramenti, vt docent D Thom. 3. p. q. 79. art. 4. & expositores communiter & declaratur in Trid. sess. 13. cap. 2. illis verbis, quo liberamur à culpis quotidianis, & à mortalibus præseruamur. Difficultas est: de modo, quo peccata venialia per Eucharistiam deleantur. Ad euidentiam.

Aduertendum breuiter est ex D. Thom. supra, dupliciter deleri posse venialia, quoad maculam virtute Sacramenti, Primo immediatè, E.g. per infusionem gratiæ, quatenus gratia sanctificans opponitur maculæ eorumdem

peccatorum præsupposita sola negatione affe- ctus actualis ad ipsa peccata. Vel secundo mediatè, excitando videlicet charitatis feruorem, qualis requiritur ad obtinendam eorũ remissionem; Primus modus inducit remissionem ex opere operato, Secundus magis pertinet ad opus operantis. Hoc posito,

Aliqui sustinent non remitti ea peccata per Eucharistiam, nisi posteriori modo; quia ex Concilijs & communi sensu DD. non remittuntur peccata, nisi præcedat in voluntate aliqua detestatio, vel displicentia eorumdem: ergo prærequiruntur auxilia actualia, quibus excitetur voluntas ad eam displicentiam, & sic voluntas deordinata rectificetur.

Respondeo nihilominus probabilius esse remitti immediatè primo modo explicato, ita D. Thom. supra, Suar. in Commen. eiusdem articuli, & disp. 63, sec. 10. Henriq lib. 8. cap. 34. num. 5. Ioannes Sanchez disp. 22. num. 8. Bonac. de Sacram. disp. 4. q. 4. punct. 1. cum alijs, quos citant.

Probatur primo, quia hic modus magis cõgruit verbis Concil. Trid. supra, & Sanctorum Patrum apud Suar loco citat. Indicant, enim remissionem propriè ex opere operato.

Probatur secundo quia idem modus magis congruit institutioni huius Sacramenti; quippe institutum fuit per modum cibi, & nutrimenti, quo restaurantur deperdita: Cum ergo per venialia semper in nobis aliquid deperdatur interni vigoris, & tepescat deuotio, rectè infertur hoc Sacramentum propriè, & per se institutum fuisse à Christo vt nutrimentum spirituale, ad reparandum id, quod deperditur per venialia, & ad restaurandum vigorem prædictum.

Ad fundamentum primæ sententiæ Respondetur ad remissionem venialium non requiri necessariò formalem, & explicitam detestationem eorum, sed sufficere virtualem, quæ contineri videtur in pia volitione communicandi, dummodo voluntas nec actu, nec virtualiter adhæreat obiecto illicito eorum peccatorum, quorum remissionem per communionem consequitur.

Quoad secundam partem dubij propositi de pœna temporali.

Respondeo hoc Sacramentum institutum fuisse ad remittendas pœnas temporales, quatenus habet rationem Sacrificij, & sic directè & ex opere operato hunc effectum causare in illis, pro quibus sacrificium offertur, vt fusius dicemus in tract. de sacrificio. Cæterum quatenus habet rationem Sacramenti non causat in communicantibus hunc effectum directè, & ex opere operato; sed indirectè, quatenus illos excitat ad feruorem charitatis, & ad actus pios, quibus remissionem prædictam merentur ex opere operantis; Ratio est, quia hic effectus non potest aliter colligi ex institutione Eucharistiæ quatenus est Sacramentum, sic enim ad nutriendum, non ad satisfaciendum est institutum: neque Concilia, vel Patres huius effectus meminerunt, ita D. Thom. Suar. Bonacina, loc. cit. Coninch q. 79. n. 56. Auersa de Euchar. q. 7. sec. a §. Tertio.

DVBIVM IV.

Vtrum Eucharistia prosit etiam corporibus dignè communicantium.

RESpondeo, & dico primo. Hoc Sacramentum causat in corporibus dignè sumentium nonnullos salutares effectus, saltem indirectè & mediatè, videlicet mediante gratia, quam causat in anima, & per quamdam redundantiam ipsius gratiæ ex anima ad corpus, ita D. Thom supra q. 79. art. 1. ad 3. Probatur: quia ex feruore charitatis, quem operatur, sequitur in corpore quædam cordis iubilatio, vultus lætitia, oculorum modestia, linguæ refrenatio, maturitas in gestibus, & totius corporis reformatio, sicuti ex Cypriano, Chrysost. & alijs PP. fusius declarant Suar. disp. 64. sec. 1. & sequentibus, Cardin. de Lugo de Euchar. disp. 12. sec. 5. & alij expositores D. Th. communiter.

Dico secundo, etiam immediatè, & directè Eucharistia causat in ijs, qui dignè communicant effectum corporalem roboris, & vigoris ordinati ad finem spiritualem, diminuendo fomitem, & ardorem concupiscentiæ, vt corpus subdatur spiritui: Hoc autem partim fit Dæmones reprimendo, & fugando, partim sedando humores, & mitigando ardorem mediantibus auxilijs ad id accomodatis.

Probatur: Tum Sanctorum Patrum testimonijs apud Suar. supra, Tum à contrario: quia hoc Sacramentum causare solet in carne indignè sumentium infirmitates & imbecillitatẽ, vt constat ex Apostolo, propter quod multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi; & in Iudam post bucellam intrauit Sathanas: ergo nil mirum si in eis qui dignè sumunt, causet vires & robur in ordine ad finem spiritualem, Doct. supra cit.

Colligitur: esse valde probabile hoc Sacramentum conferre interdum salutem corporis reducendo infirmum ad statum pristinæ valetudinis, vbi saluti animæ expedierit: iuxta piam nonnullorum opinionem, quam approbat Suar. supra sec. 1. siue hoc fiat immediatè

ad

ab ipso Sacramento modo supernaturali, siue excitando alios ad applicandam aliquam causam naturalem, ex qua talis effectus sequatur: sicut asserunt Doct. de extrema Vnctione, cui certum est hunc effectum competere.

Dico tertio. Hoc Sacramentum tribuit iustis, & prædestinatis peculiare ius ad resurrectionem corporum suo tempore: quare virtute huius Sacramenti debetur illis hæc resurrectio speciali titulo, & meliori modo, videlicet maiori splendore & gloria accidentali. Probatur ex verbis Christi Io. 6. Qui manducat meam carnem &c. habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Quod etiam auctoritate Sanctorum Patrum, & congruentijs fusius explicant Doct. supra cit. & præsertim Cardinalis de Lugo supra, quatenus videlicet ratione coniunctionis carnis Christi cum carne digne sumentis fit aliquo modo vna caro, & ideo tanquam carni Christi debetur resurrectio.

Dico quarto. Hoc Sacramentum non causat vnionem physicam, & materialem inter Corpus Christi, & corpus suscipientis, vt minus probabiliter aliqui volunt; sed vnionem mysticam, & moralem per affectum amoris, & coniunctionem gratiæ, & quatenus sua reali præsentia sanctificat corpora nostra, & quodammodo suum corpus reputat, Doct. supra cit.

DVBIVM V.

Qualiter Eucharistia sit pignus gloriæ, & nobis prosit ad consequendam vitam æternam.

Respondeo, & dico primo, Eucharistia est medium efficacissimum ad consequendam vitam æternam, seu beatitudinem & gloriam: vnde merito adeptio gloriæ dicitur effectus Eucharistiæ, ita D.Thom. 3 p. q 79. art. 2. & expositores communiter Cardinalis de Lugo de Euchar disp. 12. sec. 4. n. 89. Auersa de Euch. q. 7. sec. 2. §. 6.

Probatur primo, ex verbis Christi Io 6. Qui manducat hunc panem viuet in æternum.

Probatur secundo. Quia Eucharistia non solum dat gratiam, quæ est semen gloriæ, & iua ad illam: qua ratione adeptio gloriæ potest tribui omnibus Sacramentis; sed etiam cum gratia dat auxilia ad perseuerandum, & præseruat à peccatis mortalibus. Ex Trid. sess. 13. c. 2. Ergo supra alia Sacramenta speciali modo concurrit adhuc effectum adeptionis gloriæ, quę connexionem necessariam habet cum perseuerantia finali.

Confirmatur: quia sicut cibus naturalis ordinatur ad perducendum hominem ad statum naturalem, & perfectum corporis; ita hic cibus spiritualis ordinatur ad perducendum fideles ad statum supernaturalem, nedum inchoatiue per gratiam; sed etiam perfectum & consumatum per gloriam, in cuius figuram datus fuit Eliæ 3. Reg. 19. Panis subcinericius, vt in fortitudine cibi illius ambularet vsque ad montem Dei: Vide plura apud Doct. cit.

Dico secundo. Proprijssime etiam Eucharistia dicitur pignus gloriæ, vt patet ex Trid. supra cit. & ex Antiphona, qua vtitur Ecclesia in officio, & administratione huius Sacramenti, Primo, quia sicut pignus solet esse maioris, vel æqualis valoris cum re quæ promittitur, & postea est reddenda; ita cum per hoc Sacramentum promittatur nobis gloria à Deo ex dictis supra, & in eodem Sacramento contineatur realiter ipse Christus verus Deus & homo infiniti valoris & dignitatis, longe superans excellentiã nostræ beatitudinis formalis, & eiusdem omnino excellentiæ, & bonitatis cum obiecto nostrę beatitudinis, quod est idem Deus, merito Eucharistia nedum est medium ad consequendam gloriam, sed pignus eiusdem gloriæ, quod nobis in communione datur.

Secundo dicitur pignus in ratione signi, quia peculiari modo significat statum beatitudinis: sicut enim in Cælo Deus seipsum exhibet fruendum, & beatos ad suam mensam habet sedentes, quorum cibus, & obiectum beatitudinis est ipsa diuinitas; ita per hoc Sacramentum seipsum fidelibus dat in cibum in mensa Altaris, & ideo conuiuium Altaris est veluti experimentum & seu pignus conuiuij cęlestis, quod sub velamine præfigurat: vnde Ecclesia in quadam oratione sic ait. Fac nos diuinitatis tuæ sempiterna fruitione repleri, quam pretiosi corporis & sanguinis tui temporalis perceptio præfigurat. Vide Card. de Lugo disp. 12. citata sec. 4. & Ludouicum de Ponte de hoc Sacram.

Tertio Eucharistia est pignus futuræ gloriæ: quia per gratiã dat Ius ad gloriam, sed multo securius & efficacius, quàm cætera Sacramenta, vt supra dicebamus, ob auxilia quæ simul confert ad perseuerandum in gratiam, & in præseruationem à peccatis mortalibus.

Dicetis: ergo dignè communicantes iam sunt certi de sua salute, & consequtione beatitudinis: Resp. Absolutè & simpliciter nego: quia possunt voluntariè cedere illo iure, seu illud abijcere per peccatum mortale: secundùm quid & ex parte Sacramenti, atque eius efficaciæ concedo: Deinde nemo potest esse certus se dignè communicare.

DV-

DVBIVM VI.

Qualis dispositio sit necessaria ad consequendos prædictos effectus: præsertim An requiratur deuotio actualis in suscipiente.

PRæmittendum vt certum ad consequendam gratiam, & alios effectus Sacramenti ex opere operato requiri necessario, vt quis verè sacramentum recipiat, & deglutiat, nec sufficere desiderium, quod appellant communionem spiritualem tantum, non verò Sacramentalem, quia promissio effectus Sacramentalis non est facta desiderio, sed manducationi, vt cum D. Th 3. p. quæst 80. art. 1. ad 3. docent communiter DD. Vnde etiam sequitur, si quis diu retineat species in ore, donec ibi corrumpantur, vel eijciat priusquam deglutiat, eum non recipere fructum Sacramenti: quia verè non manducauit: secus esset si postquam deglutiuit euomeret, nam hic prius verè manducauit, ita DD communiter apud Bonacinam de Sacram. disp. 4. quæst. 4. punc. 2. & Cardinalem de Lugo de Euchar disp. 12. sec. 2. & Auersam quæst 7. sec. 4. hoc posito controuersia est de dispositione requisita ex parte suscipientis: videlicet vltra statum gratiæ, & præuiam confessionem sacramentalem, de qua infra dum defectibus dispositionis animæ; An aliud requiratur.

Prima sententia sustinet ad consequendos effectus Eucharistiæ nedum secundarios, sed etiam primarium gratiæ habitualis, necessario requiri in suscipiente deuotionem actualem, videlicet attentionem ex parte intellectus, seu considerationem rei contentæ in hoc Sacramento, & pios affectus ex parte voluntatis, E g. desiderij, & amoris, humilitatis, & reuerentiæ &c.

Probatur primo quia hoc Sacramentum confert gratiam per modum nutrimenti; ergo sicut ad percipiendum nutrimentum ex cibo corporali requiritur vt manducans concurrat suo actu vitali caloris naturalis: ita ad percipiendum nutrimentum gratiæ ex hoc cibo Spirituali requiritur ex parte manducantis calor deuotionis actualis per pios affectus, qui præsupponunt attentionem.

Probatur secundo à posteriori: quia innumeri Sacerdotes E. g. quotidie celebrant, & quidem in statu gratiæ, vt supponimus, & tamen non recipiunt quotidie augmentum gratiæ: certè non alia ratione nisi quia tepidè celebrant, & absque deuotione actuali: ergo ad consequendum effectum gratiæ requiritur necessario actualis deuotio. Antecedens probatur: quia si qualibet sumptione Sacramenti augeretur quotidie gratia, quilibet Sacerdos intensissimam gratiam & charitatem haberet, quæ feruentissimos gigneret actus; cum charitas otiosa esse non possit; hoc tamen est contra experientiam: Hanc sententiam sustinent Durandus, D. Antonius, Bonau. Alensis, Syluest verbo Euchar. 4. num. 4. Petrus soto sec. 13. de Euchar. & præsertim defendit Caiet. in 3. p. quæst. 79 art. 8. qui infert posse dari statum medium in homine iusto communicante, ita vt nec nouam gratiam recipiat, nec priorem amittat; quia sic communicando cum voluntaria distractione non peccat mortaliter, sed solum venialiter, quod tamen non videtur consequenter dici: quia ponere obicem gratiæ in receptione Sacramenti ex communi sententia est peccatum mortale.

Secunda sententia communis & longè probabilior, docet non esse necessariam deuotionem actualem ad consequendum augmentum gratiæ habitualis, sed solum ad consequendos alios effectus secundarios; videlicet refectionem spiritualem ex actuali feruore Charitatis, & auxilia actualia, quæ tunc solent per Sacramentum conferri. Probatur hæc secunda pars quia distractio præsertim voluntaria directè opponitur prædictis auxilijs.

Deindè probatur prima pars, de qua est controuersia: quia Sacramenta vim habent conferendi gratiam ex opere operato cunctis non ponentibus obicem: sed iustus etiam carens actuali deuotione non ponit obicem gratiæ habituali, ergo &c Probatur minor: quia Concil. Trid sess. 13. cap 7. ex Apost. 1. Corinth. 11. ad percipiendam Eucharistiam cum fructu gratiæ solum requirit, vt habens conscientiam peccati mortalis prius confessione sacramentali se expiet. ergo non est necessaria alia dispositio. Probatur consequentia, nam alioquin insufficiens, & manca fuisset doctrina tam Apostoli, quam Concilij, si quidem omittebant aliam dispositionem necessariam.

Confirmatur: quia phreneticis & amentibus, qui prius habuerunt vsum rationis, datur Eucharistia, saltem in articulo mortis, & tamen sunt incapaces actualis deuotionis: ergo sine actuali deuotione verè Sacramentum confert suum primarium effectum, alioquin frustra daretur freneticis; ergo sicut in phreneticis sufficit voluntas præcedens; quæ est præcedens deuotio, ita pariter in alijs qui sunt sui compotes, Ita D. Th. 3. p. quæst. 79. art. 8. quem sequuntur communiter expositores in eumdem locum D. Th. Syluius, Nugnius Suar. Vasquez & alij apud Bonacinam. de Eucharistia disput. 4. quæst. 4. punc. 1. n. 3

Ad

Ad Argumenta primæ sententiæ Respondetur ad primum, negando consequentiam: Ratio disparitatis est, quia cibum materialem nos ipsi conuertimus in nostram substantiam, & idcirco opus est nostra actione: secus est in cibo spirituali Eucharistiæ, qui conuertit nos in suam naturam, & habet se per modum agentis, non per modum patientis, vt supra dicebamus cum D. Augustino.

Ad secundum negandum est antecedens; verè enim augetur quotidie gratia & charitas in illis, qui quotidie communicant in statu gratiæ, non apparet autem illud augmentum propter prauas aliquas inclinationes, quas ipsi retinent, & quibus non opponuntur habitus infusi, & ideo non mutantur sensibiliter in modo viuendi. Ceterùm aliunde conijci potest efficacia frequentia communionis, si diu perseuerent in gratia vitantes omnia mortalia, quia certè Eucharistia maximè præseruat ab illis.

Colligitur quid sit dicendndum ad eam quæstionem An peccata venialia, quæ committuntur in susceptione Eucharistiæ impediant eiusdem Sacramenti effectum, Aliqui enim affirmant non solum de distractione voluntaria cum DD. primæ sententiæ, sed etiam de quolibet peccato veniali impatientiæ, vel negligentiæ &c. Ceterùm dicendum est non impedire effectum primarium gratiæ habitualis, impedire tamen actualem feruorem charitatis, & auxilia actualia ex suprà dictis, Ita DD. secundæ sententiæ. An autem quodlibet peccatum veniale tunc commissum ratione circumstantiæ talis temporis contrahat nouâ malitiam venialem contra reuerentiam Sacramenti, aliqui negant, Alij probabilius affirmant cum Layman lib. 5 tract. 4. cap. 6. Auersa de Euchar. quæst. 7. sec. 5. §. præterea, qui alios citant.

Dubitari etiam hic solet, An durantibus speciebus sacris in stomacho, communicans acquirat maiorem gratiam, si interim melius disponatur, de qua re dicemus Tit. sequenti dub. 4.

DVBIVM VII.

Quæ frequentia communionis consulenda sit.

CErtum est per se loquendo quotidianum vsum Eucharistiæ perfectiorem esse, quã rarum, vt constat ex Trid. sess. 22. cap. 6. vbi sic ait, Optaret sancta Synodus vt in singulis missis fideles adstantes Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione cõmunicarent, quod non optaret Concilium si perfectius esset abstinere. Quæstio igitur est non de frequentia communionis secundum se sed respectu talis indiuidui, vel talis generis personarum: quippe sępè contingit aliquid esse secundum se perfectius, & tamen huic vel illi non expedire. E.g. perfectior est virginitas & cælibatus, quam nuptiæ, & tamen huic, vel illi sępe magis expediunt nuptiæ, quoniam ex Apost. melius est nubere quam vri, sensus igitur quæstionis est: An hæc maior perfectio quotidianæ communionis sit indifferenter omnibus expediens, & vtilior, & per consequens omnibus consulenda, vel econtra aliquibus melius sit abstinere, & rarius communicare.

Prima sententia sustinet indifferenter, esse vtiliorem, & consulendam omnibus existentibus in gratia.

Probatur; quia hoc Sacramentum confert omnibus iustis augmentum gratiæ, robur, medicinam, & antidotum, quo à mortalibus præseruantur, Cum ergo melius sit hęc bona procurare, & quotidie augere quam eorum carentiam, sequitur melius & vtilius esse omnibus iustis indifferenter quotidie communicare, quam abstinere quandoque.

Confirmatur ex vsu nascentis Ecclesię quãdo omnes indifferenter quotidie communicabant. Item quia Eucharistia vocatur panis quotidianus, vt multi patres exponunt in oratione Dominica, & videri potest apud Cornelium à lapide in ea verba eiusdem Dominicę orationis; Hanc sententiam præsertim defendit Ioannes Sancius in selectis disp. 32. & sequentibus, vbi plures alios citat.

Opposita tamen sententia est communis & vera, videlicet non omnibus indifferenter expedientem esse, aut consulendam nimis frequentem communionem.

Probatur primo ex parte ipsius admirabilis Sacramenti, cui summa reuerentia debetur: quia ad dignè communicandum, & absque nouo peccato veniali requiritur nedum munditiesà culpis mortalibus; sed etiam à venialibus, seu ab affectu et complacentia circa obiecta illorum, quę frequenter et deliberatè committuntur. Et insuper actualis deuotio saltem quatenus excludit voluntariam distractionem, vt patet ex dictis dubio precedenti; sed hæc dispositio non reperitur indifferenter in omnibus, etiam alioquin iustis, et timoratę cõscientiæ ob curam rerum secularium, quibus communiter laici sunt implicati: ergo non omnibus indifferenter est expediens quotidiana cõmunio, nec consulenda; quippe plures committent nouam culpam venialem contra reuerentiam

rentiam tanto Sacramento debitam, quod potius dissuadendum, quam consulendum. Hanc autem culpam facilè quis euitabit rarius communicando; & per aliquod spatium à curis prædictis vt orationi vacet, & cum debita dispositione accedat.

Confirmatur: quia huius reuerentiæ causa, sæpè moderatur Ecclesia vsum Eucharistiæ præferens venerationem Sacramenti vtilitati & fructibus communicantium: ergo quando periculum est prædictæ irreuerentiæ potius dissuadenda est quam consulenda communio. Antecedens probatur ex eo, quod Ecclesia prohibuit binam communionem eodem die, vt notat Gabriel in Canonem sec. 87 Item prohibuit communionem infantibus, quibus Eucharistia gratiam augeret. Imo nec datur Eucharistia pueris doli capacibus ante maturiorem vsum rationis, nisi in articulo mortis Item iure antiquo per sacros Canones prohibebatur communio post copulam carnalem etiam licitam, & modo saltem consulitur abstinentia etiam post pollutionem inuoluntariam, ex qua sequitur mentis euagatio, vt suo loco dicemus p. 3.

Probatur secundo ex parte communicantium, & vtilitatis eorum: quia effectus Eucharistiæ etiam ex opere operato maior vel minor est iuxta maiorem vel minorem dispositionem sumentis; ergo respectu multorum melius & vtilius erit nonnunquam abstinere, vt cum maiori deuotione & maiori fructu postea communicent. Probatur consequentia: quia certè qui communicaret quotidie tepidus, & varijs curis distractus, & culpis venialibus voluntariè irretitus, minimum fructum ex communione reciperet, si tamen interdum abstineat, vt discat tantum Sacramentum quum reuereri, se purgare, & feruorem deuotionis concipere, maiorem fructum ex vna communione percipiet, quam ex multis indeuotè perceptis, vt expressè docet D. Bonauentura in 4. dist. 12. par. 2. art. 2. quæst. 2.

Tertio probatur auctoritate Sanctorum Patrum, quos afferunt DD. citandi, & ad vitandam prolixitatem satis hic erit verba D. Th. in medium proferre, qui 3. p. quæst. 80. art. 10. sic ait, circa vsum huius Sacramenti duo possunt considerari, vnum ex parte ipsius Sacramenti cuius est virtus hominibus salutaris, & ideo vtile est quotidie sumere ipsum, vt homo quotidie eius fructum percipiat &c. alio modo, potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur vt cum magna deuotione, ac reuerentia ad hoc Sacramentum accedat: & ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inueniat laudabile est quod quotidie sumat. Et post pauca subdit; sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta huius deuotionis occurrunt propter corporis indispositionem vel animæ, non est vtile Omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere; & ideo hanc sententiam defendunt D. Th. & D. Bonau. locis citatis, Caietanus, vterque Sotus, Syluest, Medina, Suar, quos citat, & sequitur Cardinalis de Lugo de Euchar. disp. 17. sec. 1. & Bonacina de Sacram disp. 4. q. 7. punc. 2. num. 16.

Ad Argumentum primæ sententiæ Respondetur Quoad augmentum gratiæ maiorem fructum consequi eum, qui rarius, & magis reuerenter, & deuotè accedit eo qui frequentius, & tepidè, vt patet ex dictis in secunda probatione nostræ sententiæ. Ad alios verò effectus auxiliorum actualium, & preseruationis à futuris culpis requiri deuotionem actualem, qua plerique carent dum communicant, & ideo non est illis consulenda eius frequentia.

Ad Confirmationem Respondetur cum D. Bonauentura supra. illis qui in se sentiunt feruorem primorum fidelium nascentis Ecclesiæ vtilius esse communicare quotidie secus tepidis & negligentibus. Item Eucharistia dicitur panis quotidianus secundum se, & supposita debita dispositione proportionata reuerentiæ debitæ tanto Sacramento, secus respectu illorum, qui minus sunt dispositi. Ex dictis.

Colligitur Primo determinationem maioris, vel minoris frequentiæ sacræ communionis relinquendam esse iudicio prudenti confessarij, ne in re tam graui quis vel excedat, vel erret, vel à Demone decipiatur & quidem doctrina communis est apud Sanctos, & spirituales viros, in rebus ad spiritum profectum pertinentibus debre quemlibet parere Patris spiritualis consilio & directioni, nec proprio iudicio fidere: quod etiam certius est in casu Eucharistiæ, quam Christus noluit laicos habere nisi per manus Sacerdotum, qui sunt dispensatores mysteriorum Dei, præcipuè confessarij, qui & iudices sunt, & medici animarum, vide Fagundez præcept. lib. 3. cap. 7. et alios supra citatos.

Colligitur secundo vt confessarij possint singulis in particulari proportionatam frequentiam huius Sacramenti præscribere, debere perpendere vitæ genus, & occupationes singulorum, et fieri certi de dispositione cum qua accedunt ad communionem, et examinare fructum quem inde percipiunt: nam si ex frequentia crescat reuerentia erga Sacramentum et feruor charitatis poterunt concedere maiorem frequentiam: è contra negare ex contrarijs effectibus: communiter autem videtur conuenire DD. vt concedi possint communio

munio hebdomadaria omnibus fidelibus timoratæ conscientiæ etiam imperfectis, & in peccata venialia voluntaria sæpius labentibus: quia Eucharistia est moraliter necessaria ad conseruatione gratiæ, & ad vitanda mortalia: Alijs vero superioris gradus, qui mortificationi, & studio orationis mentalis vacant, pluries in hebdomada, bis vel ter concedi poterit. Tandem quotidiana, selectioribus dũtaxat, qui omnino abiectis rerum terrenarum curis, soli Deo vacant, & quorum conuersatio in Cœlis est, qui suæ carni bellum indixerint, & iustitiam esuriant & sitiant, præcipuè, si huius panis cœlestis vehementem famem & magnum desiderium conceperint. Vide Blosium in Monili cap 6 & DD. supra citatos.

Colligitur tertio à Doctrina supra tradita in secunda sententia explicata, excipiendos esse Sacerdotes, quibus consulitur quotidie celebrare, quia eos ipsemet status separat à curis secularibus; item sunt ministri Christi, & mediatores inter Deum & hominem, & insuper sunt ministri ab Ecclesia deputati, vt eius nomine Deum populo cõcilient; quare eiusdem Ecclesiæ sanctitas reddit eos magis aptos celebrationi. Et tandem quia ex sacrificio multiplex fructus promanat in bonum totius Ecclesiæ, & fidelium, tum viuorum tum defunctorum: tenentur tamen ipsi suo muneri se reddere aptos, alioqui si ex frequentia aduertant in se minui reuerentiam erga Sacramentum & repescant, melius facient si quandoq; abstineant vt illos admonet D. Bonau. de Profectu Religiosorum lib 2. cap. 27. Alensis p. 4. q. 11. memb: 2. art 4. §. 1. & alij supra cit.

Colligitur quarto. Quid sit dicendum ad eam quæstionem, an Confessarius possit in pœnitentiam iniungere cessationem, & abstinentiam à communione: Negat Sancius in Selectis disp. 33. & disp. 28. & 29 & docet non teneri confitentes obedire: quia cessatio à bono opere nullius est meriti, & satisfactionis, nec punitiua peccatorum, præsertim communio in sententia eiusdem auctoris semper est maioris vtilitatis, quàm eius omissio, vt fusius videri potest apud Dianam par. 3. tract. 4. re. sol. 115.

Ceterùm dicendum est posse prudenter hãc cessationem quandoque iniungi, quamuis debeant confessarij in hac re esse valde circumspecti, & potius consulere quam præcipere, quando pœnitens liber est à peccato mortali vt supponimus. Ratio vero est: quia interdũ potest esse maius bonum, & magis vtile ad profectum animæ abstinere aliqua vice à communione, quàm ad eam accedere, vt constat ex supradictis. Cum ergo possit confessarius in satisfactionem iniungere, quod melius est poterit etiam abstinentiam communionis aliquando præcipere.

Confirmatur; quia hoc etiam fieri solet ab Ecclesia dum per censuras priuat fideles bonis spiritualibus, & prohibet illis vsum Sacramentorum ad correctionem: ergo &c. ita Salazar quem citat, & sequitur Diana supra, Cardinalis de Lugo de Euchar. disp 25. num. 65. Rodriq. Molina, & alij, quos affert & sequitur Auersa de Sacrament. Pœnitent. quæstione 13. sect. 3.

TITVLVS XI.

DE COMMVNIONE, ET ORATIONIBVS POST COMMVNIONEM DICENDIS.

1 Celebrante purificato, dum Calicem collocat in Altari, liber Missalis defertur per ministrum ad cornu Epistolæ, & collocatur vt in introitu: Ipse autem minister genuflectit iuxta cornu Euangelij, vt in principio Missæ, deinde celebrans stans iunctis manibus legit Antiphonam, quæ dicitur Communio, qua lecta, iunctis item manibus ante pectus vadit ad medium Altaris, & eo osculato vertit se ad populum à manu sinistra ad dexteram, & dicit Dominus vobiscum; & per eandem viam redit ad librum, dicit Orationes post Communionem, eisdem modo, numero, & ordine, vt supra dictæ sunt Collectæ. Quibus finitis, claudit librum, & iungens manus ante pectus, reuertitur ad medium Altaris, vbi eo

osculato vertit se ad populum, dicit vt supra. Dominus vobiscum, quo dicto, stans iunctis manibus ante pectus versus populum, dicit si dicendum est, ite missa est, & per eandem viam reuertitur ad Altare. Si verò non sit dicendum, dicto Dominus vobiscum, reuertitur eodem modo per eandem viam ad medium Altaris, stans versus ad illud iunctis ante pectus manibus dicit Benedicamus Domino. In Missis autem Defunctorum eodem modo stans versus Altare dicit Requiescant in pace:

EXPLICATIO LITERALIS.

PRimo in hac rubrica præscribitur vt celebrante purificato, liber Missalis deferatur per ministrum ad cornu Epistolæ, vbi Sacerdos recitaturus est orationes post communionem. Ratio literalis est: quia in cornu Epistolæ tanquam in parte minus digna Altaris leguntur partes missæ magis accidentales, & inferioris ordinis; vt sunt illæ, quæ præcedunt primum Euangelium, & sequuntur sumptionem Sacramenti, in qua completur substantialiter sacrificium: Econtra in cornu Euangelij, & in medio Altaris, tanquam in partibus dignioribus recitantur etiam partes digniores Missæ, et perficiuntur Ritus pertinentes ad substantiam sacrificij, vel proximius ad eam accedentes. Ratio vero mystica translationis Missalis in fine missæ à cornu Euangelij ad cornu Epistolæ est, quia in fine mundi populus Hæbreorum recepturus est Euangelium vt dicemus infra in sensu mystico.

Secundo celebrans lecta Antiphona, quæ dicitur communio (de qua re diximus p 1. Tit. 13. num. 1.) recitat orationes post communionem. quibus sicut oportet Deo gratias agit ob insigne donum Sacramenti, quod recepit & sumpsit: quæ orationes non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectant, & idcirco per se loquendo melius est, vt communio populi intra missam statim post communionem celebrantis fiat, sicut notatur in Rituali Romano Pauli Quinti Tit. de Eucharistia. Fit etiam hæc gratiarum actio ad imitationem Christi, qui post cœnam hymnum dixit. Vnde Chrysostomus hom 32. in Mattheum, gratias egit & hymnum dixit postquam dedit, vt & nos hoc ipsum faciamus: hinc etiam hæc pars missæ dicitur Gratiarum actio, vt ex communi sententia notat Molfesius in sum. tract. 3. cap. 11. num. 73. Vide etiam durandum lib. 4. cap 57.

Ritus autem qui hic seruari debent à celebrante, quoad actiones, ijdem ferè sunt cum illis, qui fiunt in primis orationibus, de quibus suo loco diximus.

Tertio, ipsemet celebrans finitis orationibus claudit librum sicut in principio ipse aperuit, in quo repræsentat Christum, qui aperit & nemo claudit, claudit, & nemo aperit, Apocal 3. Quod tamen in missis solemnibus exequitur per Diaconum: quia Christus etiam explicationem sacræ Scripturæ commisit Apostolis, & prædicatoribus verbi Dei Finitis autem orationibus cum sua conclusione, & non ante claudendus est liber, vt rectè notat Castaldus in Praxi lib. 2. sect. 8. cap. 8. num. 2 neque prius Sacerdos accedere debet ad mediū Altaris, neque transeundo verba conclusionis proferre.

Quarto, iterum dicit Dominus vobiscum; quia Christus post resurrectionem bis legitur discipulos salutasse, dicens Pax vobis, Ioann. 20 in signum duplicis pacis vitæ præsentis per gratiam, & futuræ per gloriam, ita Durandus lib. 4 cap. 57. num 4. vel etiam dici potest, quod bis salutat populum in fine missæ, videlicet & manentem in Ecclesia & mox egressurum, nè discedens longe fiat à Deo, & sic Dominus custodiat eiusdem populi introitum, & exitum, Psalm. 20.

Quinto, dimittens populum dicit, Ite missa est, versus eundem populum: quia eum alloquitur, Microlog. cap. 45. vel quando omittitur Ite missa est, dicit versus Altare, Benedicamus Domino: quia in Altari Dominus peculiari modo adest, ex eodem Microlog. & pariter versus Altare in missis Defunctorum dicit. Requiescant in pace: quia a Domino, petit defunctis pacem. De hoc autem triplici modo, quo finitur missa, diximus par. 1. Tit. 13. & videri potest Durandus capitulo 57. citato num. 4.

2 In quadragesima autem à Feria quarta Cinerum vsque ad Feriam quartam maioris hebdomadæ, in feriali Officio postquam celebrans dixit

Ora

Orationes post communionem cum suis solitis conclusionibus, antequam dicat, Dominus vobiscum, stans in eodem loco ante librum dicit. Oremus, Humiliate capita vestra Deo, caput inclinans, & extensis manibus subiungit eadem voce, Orationem super populum. ibidem positam: qua finita osculatur Altare, & vertens se ad populum dicit, Dominus vobiscum, & alia vt suprà.

IN missis quadragesimalibus monetur populus à celebrante, vt se humiliet, & sic veniam peccatorum consequi mereatur: quia tempus quadragesimale peculiariter est pœnitentiæ destinatum, & additur noua oratio super populum vltra numerum alias præscriptum; quia eo tempore ieiunijs, & pœnitentiæ destinato, item prædicationi Verbi Dei, & alijs bonis operibus, diabolus ardens inuidia, magis ac magis fideles impugnat, sicut Christū ieiunantem variè tentauit: ac idcirco Ecclesia per Sacerdotes præmunit suos milites armis humilitatis, & diuina protectione ea peculiari oratione, vt fusius explicat Durandus in Rationali lib. 9. cap. 28 n. 7. & seqq.

3 In missa solemni Diaconus defert librum Missalis ad cornu Epistolæ, deinde vadit retro post celebrantem; Subdiaconus verò vadit ad cornu Euangelij, vbi calicem mundat, aptat cum purificatorio, patena & palla cooperit, plicat corporale, reponit in bursam, & illam ponit super calicem coopertum velo, quem collocat in Altari, vel super credentia vt prius: postea redit ad locum suum retro post Diaconum: qui cum dicit, Ite missa est, cum celebrante vertit se ad populum & in Quadragesima dicto per celebrantem. Oremus. Diaconus in cornu Epistolæ vertens se ad populum, iunctis manibus dicit vt suprà, Humiliate, &c. quo dicto vertit se versus Altare à tergo celebrantis, & celebrans dicit Orationem super populum.

DIaconus defert librum missalis, Subdiaconus vero mundat, & aptat calicem, vterque ex vi proprij muneris, vt patet ex materia, quæ traditur in ordinatione: nam Diaconatus materia est traditio libri Euangeliorū, nempè missalis cum impositione manuum: Subdiaconatus verò materia præcipua est traditio Calicis vacui cum patena vacua; hinc cura libri missalis spectat magis ad Diaconum quàm ad Subdiaconum, & cura calicis vacui propriè pertinet ad Subdiaconum.

Obijci potest: quia delatio missalis à cornu Epistolæ ad cornu Euangelij potius committitur Subdiano Ex Tit. 6. supra nu. 5. & ex Tit. sequenti n. 7 ergo etiam delatio missalis in casu nostro committi deberet eidem Subdiacono.

Respondetur ad officium Subdiac. pertinere immediatè subordinari Diacono, et ei seruire præsertim legenti Euangelium, vnde Subdiaconus librum sustentat dum Euangelium cantatur à Diacono: hinc ob subordinationem quam habet legenti Euangelium committitur ei cura deferendi Missalis, tunc solum quando immediatè legendum est Euangelium etiam à Sacerdote. Ceterùm in reliquis cura libri Missalis spectat ad Diaconum: qui solus libro assistit, dum celebrans ex eo praces recitat, et in omnibus ipse Diaconus immediatè ministrat Sacerdoti vt rectè hic notat Ganantus.

Reliqua manifesta sunt; spectat enim ad dignitatem solemniter celebrantis, vt per Diaconum dicatur Ite Missa est, et humiliate capita vestra, quuando dici debet,

SENSVS MYSTICVS.

DElatio missalis in fine Missæ à cornu Euāgelij ad cornu Epistolæ, significat quod in fine mundi reliquiæ Israel saluæ fient: quippè vt alias diximus dignior pars Altaris, seu cornu Euangelij significat populum gentilem, apud quem Euangelium et Christi fides maximè dilatata est: econtra cornu Epistolæ signi-

ficat populum iudaicum. Prædicatio autem Christi incepit à Iudeis, et transiuit ad gentes et idcirco Missa inchoatur in cornu Epistolæ, sed statim fit transitus ad cornu Euangelij: quia autem iterum in fine mundi prædicatio fidei; seu Christus rediturus est ad Iudæos: ad hoc significandum, iterum in fine missæ defertur Missale ad cornu Epistolę, et illuc redit Sacerdos, vt susius explicat Durandus in Rationali lib. 6. cap. 57. num. 1. et 3. et est communis sententia Patrum, D. Gregorij hom. 22. in Euangelia, D. Hieronymi lib. 1 comment. in cap. 2. Matthęi, et aliorum. quos sequuntur communiter DD.

DVBIA CONSCIENTIAE.

De Gratiarum actione debita post Communionem.

Occasione orationum, quæ in gratiarum actionem post sumptionem Sacramenti præscribuntur ab Ecclesia dicendæ à celebrante in Missa, et immediatè post Missam, examinare hic opere pretium videtur naturam, et conditiones eiusdem actus gratitudinis, qui dicitur gratiarum actio in ordine ad hoc singulare donum Sacramenti Eucharistiæ nobis à Deo collatum.

DVBIVM I.

An Gratiarum actio post communionem cadat sub obligatione, & qualis sit hæc obligatio.

PRæmittendum ex D. Th. 2. 2. q. 106. art. 1. gratitudinem esse virtutem, quæ respicit debitum ortum ex beneficio nobis collato, vt illi aliquo modo satisfaciat: quippe recta ratio dictat debere nos esse gratos erga benefactores, aliquid rependendo eisdem in compensationem: alias ingratitudinis notam incurrimus. Est autem triplex officium gratitudinis triplicem actum dictans in eo qui beneficium recipit. Primus est beneficij æstimatio, et benigna acceptatio; secundus est gratiarum actio, seu benevola protestatio gratiæ acceptæ cum laude, & quadam sui demissione ad ipsum benefactorem directa, quę est quædam beneficij compensatio, qua honoratur benefactor; Tertius actus est repensio, seu retributio pro sua facultate, quia vicissim beneficium rẽ, vel obsequio redditur. Hinc prætermissio prædictorum actuum ad ingratitudinem pertinet: & multo magis ingratus est, qui nedum omittit officia prædicta, sed malum pro bono reddit, qui est pessimus & supremus gradus ingratitudinis. His positis.

Respondeo, & dico primo gratiarum actio post acceptum à Deo beneficium, præsertim post hoc insignẽ donum, quod in communione recipimus, est debita seu cadit sub obligatione: sicut etiam quilibet ex actibus gratitudinis iam enumeratis. Probatur nam quilibet ratione præditus tenetur operari secundum regulas virtutum, et rectę rationis: in hunc enim finem ipsum lumen, & dictamen rationis Deus nobis indidit; sed recta ratio & virtus gratitudinis dictat gratiarum actionem post acceptum beneficium, et reliquos actus supra descriptos: ergo quilibet ad eos tenetur et obligatur, consequenter eorum omissio est peccatum, Ita D. Th. supra et recte cum alijs explicat Lessius lib. 2. de Iustitia cap. 47. dub. 1. et sequentibus.

Dico secundo omissio gratiarum actionis secluso contemptu non est peccatum mortale sed veniale, etiam in casu nostro post communionem. Probatur: quia debitum gratiarum actionis vniuersaliter loquendo non est debitum legale, seu strictum, sed morale & decentiæ; cum enim Deus nouerit imbecillitatem, & vanitatem sensus nostri; noluic hæc strictè imperare (& si iustissimè potuisset) sed solum vt necessaria ad decentiam per lumen naturale præscripsit, & declarauit: ergo omissio prædicta non est peccatum mortale sed veniale quia non opponitur graui, & strictæ obligationi, sed leui: hoc autem peccatum veniale facilius contingit in omissione gratiarum actionis, quam aliorum actuum gratitudinis: quia ipsa gratiarum actio est omnibus facilis, & statim fieri debet, ita Lessius citato cap. 47. num. 14 & 18.

Dico Tertio Omissio gratiarum actionis ex contemptu est peccatum mortale ex genere suo; Probatur: quia posito contemptu committitur peccatũ formalis ingratitudinis, quod grauem continet offensam contra benefactorem Ex D Th. 2. 2. q. 107. art 2 ad 1. Caet ibidem, & in sum. verbo ingratitudo, quos citat, & sequitur Lessius supra num. 16. Dicitur autem contemnere benefactorem, qui vel deridet beneficiũ vt vile, & probro dignũ, vel sinistrè interpretatur animum benefactoris ne videatur ei aliquid debere.

Dixi esse peccatum mortale ex genere suo, quia ratione paruitatis materiæ, & exigui beneficij potest in hoc contingere peccatum veniale; vel secundo ex imperfectione actus;

sed

seu ex inaduertentia, quod secundum potest habere locum in casu nostro de communione, non autem primum cum constet beneficium esse insignè, vide Lessium num. 16 citato.

DVBIVM II.

Vtrum satisfiat debito prædicto gratiarum actionis eisdem orationibus, quæ post Communionem recitantur in Missa.

Sensus quæstionis est, An celebrans, & alij qui communicant intra missam, quibus sunt communes orationes illæ quæ ex præscripto Ecclesiæ, post communionem recitantur in missa, An inquam censeantur satisfecisse debito gratitudinis, ita vt nec venialiter peccent, si non addant alias priuatas gratiarum actiones sed statim abeant ad sua negotia.

Respondeo satisfieri per se loquendo, & posita debita attentione Probatur: quia Iure naturali non est definita qualitas, vel duratio gratiarum actionis post acceptum beneficium: sed prudentis arbitrio æstimanda est: ergo in casu nostro post communionem æstimari potest sufficiens illa, quæ fit ex præscripto Ecclesiæ, & eius nomine.

Dixi primo per se loquendo, idest secluso scandalo, etiam leui, vel alia praua circumstantia: nam qui aduertunt sacerdotem post Missam, vel alios post communionem non se conferre ad orationem, nec alias gratias reddere, sed statim abire, scandalizari solent, quamuis leniter; itaque ratione praui exempli solet hic interuenire peccatum veniale, vel si quis statim post communionem nugis, & scurrilitati se se dedat, peccat: Tum ratione praui exempli; Tum ob Irreuerentiam contra Sacramentum, sed venialiter solum communiter loquendo.

Dixi secundo posita debita attentione, idest etiam interna ad orationes prædictas: nam si vel celebrans recitet eas orationes cum voluntaria distractione, vel alij qui communicarunt assistant voluntariè distracti: Certum est non satisfieri debito gratitudinis. Ratio est: quia & si Ecclesia non non præcipiat actus internos sed externos, & possit eius præcepto satisfieri sola recitatione externa, & quoad externum actum deuota; Nihilominus non potest eodem modo satisfieri præcepto diuino. vel iuris naturalis, quod dictat actum veræ virtutis etiam quoad actus internos, vt alias probauimus p. 1. tit. 16. Dub.

Colligitur quando orationes prædictæ recitantur: vel auscultantur distractè, & postea omittitur vlterior gratiarum actio committi duplex peccatum veniale ab illis qui communicarunt, alterum irreuerentiæ contra virtutem religionis ratione distractionis in oratione, Alterum ingratitudinis ob omissionem gratiarum actionis, vt patet ex dictis.

DVBIVM III.

De modo agendi gratias post communionem.

Qvamuis vt supra dicebamus ad vitandā notam & peccatum ingratitudinis sufficere videantur pro gratiarum actione orationes ab Ecclsia præscriptæ quæ recitantur in missa; nihilominus non ita rigidè, et illiberaliter cū Deo agendum est post tantum beneficium acceptum, vt velint Sacerdotes contenti esse solum offensam in Deum, & positiuam notam ingratitudinis euitare: sed totis viribus conari debent, etiam post missam feruentissimas, quas possunt tanto benefactori, & hospiti gratias agere & retribuere: vt sic Deo ipsi magis placeant, & vberiores fructus ex Sacramento percipiant: eo vel maximè, quod (vt infra dicemus dubio sequenti) ad maiorem deuotionis feruorem crescat etiam iugiter, & augeatur in nobis gratia, quamdiu species Sacramentales intra communicantium viscera perdurant: quare opportunum hic videtur in gratiam Sacerdotum explicare modum excitandi in nobis actus gratitudinis, quos ex D. Th. supra explicauimus Hoc posito.

Respondeo, & dico primo, Quoad primum actum gratitudinis, qui est beneficij æstimatio, hic excitari sic poterit.

Primo considerando excellentiam ipsius doni secundum se; siquidem omnem vincit admirationem Christum seipsum nobis donare in cibum, corpus videlicet & sanguinem suum cum anima, & diuinitate coniuncta: quæ si quis attentè consideret & expendat, abyssum beneficiorum inueniet.

Secundo considerandum est, hoc immensum beneficium præstitum indigno, & ingrato, & supplicio dignum.

Tertio consideranda maiestas, & sublimitas conferentis: quo enim maior est, qui beneficium confert, eo pluris æstimatur beneficium.

Tandem considerandus affectus, quo Christus hoc beneficium nobis parauit & confert, desiderio inquit desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequā patiar, & cum dilexisset suos in finem dilexit eos Ioan. 13. hæc moti-

motiua ex Alberto, et alijs fusius explicat Lessius lib. 2. de Iustitia cap. 36. quod est de gratitudine, num. 13. & sequentibus.

Dico secundo circa secundum actum gratiarum actionis eum debere esse feruentissimũ, & ex intimo cordis affectu manantem: Siquidem diligenter perpensis motiuis supra explicatis intelliget homo infinita quadam obligatione, & immenso debito se Deo obstringi ad perpetuam, & humillimam gratiarum actionem.

Primo ergo quantum quisque potest, tantum audeat laudando, & benedicendo Deum, glorificet eum, & exaltet: sic Ecclesia quantum inquit &c. quia maior omni laude, nec laudare sufficis.

Secundo Imparem se homo aduertens ad tanti beneficij compensationem, desideret & peret à Deo sibi tradi Vniuersa corda siue quæ in Cœlo, siue quæ in terra ipsi Deo accepta sunt; vt immensam gratitudinem è tot cordibus resultantem eidẽ suo Deo vno corde rependat.

Tertio inuitet omnes Spiritus Cælestes, & singulos Angelorum Choros, & Sanctorum ordines ad laudandum, & glorificandum Deum pro tãto beneficio, quorum laudibus suas exiles associet; illud pronuntiando, cum quibus, & nostras voces, vt admitti iubeas deprecamur, vt fusius cum alijs explicat Rodriq. in in exercitijs perfectionis p. 2. trac. 8. cap. 7.

Dico tertio Quoad tertium actum gratitudinis, qui est repensio, seu redditio beneficij, eo quo possumus obsequio: certum esse ratione huius beneficij debere nos vitam nostram diuino obsequio penitus consecrare, & eius honorem omni industria promouere. Siquidem virtus gratitudinis postulat, vt nedum æquale aliquid reddamus benefactori, sed etiam plusquam sit acceptum, vt pluribus probat Lessius supra citatus ex D. Th. & alijs: quod cum nobis sit impossibile erga Deum, conari debemus, vt quantum possumus retribuamus.

Modus autem formandi hunc affectum talis esse potest, vt gratiarum actioni adnectamus multiplicem oblationem offerendo Deo propriam personam, & vitam in eius obsequium, omnes item cogitationes, verba & opera ad maiorem Dei gloriam tunc dirigendo cum proposito in toto vitę progressu hæc exequẽdi

De alijs actibus, & affectibus exercendis, tum ante tum post communionem videri potest Rodriq: loco citato.

DVBIVM IV.

Quam vtilis, et proficua sit deuota gratiarum actio post communionem, et de augmento gratiæ durantibus sacris speciebus in stomacho.

PRæmittendum gratitudinem vniuersaliter & per se loquendo maximam præstare vtilitatem: quippe in eos, qui grati animi sunt libentius beneficia conferuntur: & beneuola protestatio prioris gratiæ acceptæ, seu gratiarum actio solet esse benefactori incentiuũ noui beneficij conferendi: præsertim Deo pijssimo benefactori: sicut e contrario ingratitudo & Deum, & hominem à collatione gratiarum auertit, sicuti sancti Patres communiter testantur. Gratiarum cessat discursus, inquit Barnardus serm. 1. in cap. ieiunij, vbi recursus non fuerit: & fidelis in modico censetur dignus munere ampliori. Hoc posito. Loquendo de gratiarum actione, & alijs pijs affectibus, qui exercentur post communionem, Difficultas est, An si per illos melius communicans disponatur, & crescat deuotio interim dum species Sacramentales durant in stomacho, an inquam nouum consequatur augmentum gratiæ ex opere operato, vltra meritum ex opere operantis.

Prima sententia negat, Probatur primo à priori, quia cetera Sacramenta semel tantum conferunt gratiam ex opere operato, Iuxta proportionem dispositionis, quam tunc habet recipiens: ergo idem dicendum de Eucharistia.

Confirmatur: quia promissio gratiæ facta est solum manducationi huius Sacramenti, non autem retentioni ergo &c.

Probatur secundo à posteriori, & absurdo quia inde sequeretur vtilius esse sumere hostiam consecratam grandiorem, quam minorem, vel plures particulas simul, quam vnam tantum, vt diutius durent species in stomacho & sic maior fructus percipiatur: & hinc sequitur superstitiones illæ, quæ iudicio Inquisitorum merito puniuntur in illis Sacerdotibus, qui suis deuotis plures formulas tribuunt ita Sotus, Ledesma, & alij, quos citat & sequitur Bonacina de Sacram. disput. 4. quæst. 4. punc. 4.

Secunda sententia probabilior affirmat. Probatur quia toto illo tempore, quo durant species in stomacho Sacramentum manet actualiter applicatum sumenti, & ex se habet vim conferendi gratiam; ergo toto eo tempore iuxta

iuxta mensuram dispositionis habet conferre gratiam: ergo si crescat dispositio confert nouum augmentum gratiæ.

Confirmatur: quia si ab initio fuisset melior dispositio, Sacramentum tunc maiorem dedisset gratiam: ergo quamdiu durat, si perficiatur & crescat dispositio confert maiorem gratiam iuxta mensuram dispositionis, Ita Maior, Paludanus, Gabriel, Suar. de Sacram. disp. 63, sec. 7. Cardinalis de Lugo de Euchar. disp. 12. sec. 2. Nugnus, Coninch, & alij, quos affert Diana p. 3. tract. 6. resol. 96.

Ad opposita respondetur ad primum Reliqua Sacramenta consistere infieri, & in actione transeunti, nec habere esse permanens, ideo nil mirum si semel tantum conferant gratiam in instanti, in quo perficiuntur, & statim esse desinunt: secus est in Eucharistia, quæ habet esse permanens: deinde nil mirum si hoc Sacramentum quod excellentius est maiorem habeat, & excellentiorem virtutem operandi. vide Suar. Supra.

Ad confirmationem Respondetur promissionem gratiæ factam esse manducanti, nec restrictam fuisse ad solum actum sumendi seu deglutiendi Sacramentum: quamuis hic verè sit conditio necessaria applicans ipsum sacramentum: sed merito extendi debet ad totum tempus, quo permanent species consecratæ, posita tamen dispositione sumentis, quæ si augeatur, augetur etiam effectus sacramenti ex opere operato.

Ad secundum respondetur negando sequelam simpliciter: & per se loquendo: nam effectus non augetur præcisè propter diuturniorem præsentiam, sed propter meliorem dispositionem recipientis; vnde si tota illa dispositio in vno instanti haberetur, simul totus obtineretur effectus; Duratio ergo per accidens potest esse vtilis ex defectu dispositionis præuiæ: vnde merito superstitiosum putatur plures vel maiores hostias dare communicanti, vel id procurari à communicante, videlicet vt maior hostia illi detur, quasi duratio per se conferat ad augmentum gratiæ: Item hoc punitur tanquam alienum à consuetudine, & ritu Ecclesiæ, à qua id censetur prohibitum ob periculum errandi; sicut ergo punitur qui bis communicat eodem die: quia id prohibitum est ab Ecclesia, ita pariter in casu nostro: vide Suar. supra, & Dianam resol. 96. citata.



DVBIVM V.

An sit contra gratitudinem omne peccatum quod ipsa die communionis committitur, vel contrahat nouam malitiam in confessione exprimendam.

Aliqui simpliciter affirmant; Tum quia peccatum mortale ipsa die commissum grauiter opponitur virtuti gratitudinis, quia post tantum beneficium redditur Deo malum pro bono: Tum quia est contra reuerentiam Sacramento debitam, & illi diei, seu tempori specialiter destinato ad cultum, & obsequium Dei: ergo peccatum mortale eo die commissum contrahit duplicem malitiam explicatam, consequenter illa circumstantia temporis est necessario explicanda in confessione, quod etiam aliqui asserunt de quolibet peccato mortali commisso in die festo, præsertim solemni saltem ratione irreuerentiæ, sicuti referunt Cardinalis de Lugo de pænitentia disp. 16. num. 522. & sequentibus, Auersa de Sacram pœnitentiæ quæst. 10. sec. 11. §. Circumstantia quando.

Alij contra simpliciter negant, Tum quia non constat de speciali prohibitione, quæ obliget sub peccato mortali; Tum quia illa malitia ingratitudinis qua Deo redditur malum pro bono est generalis circumstantia omnium peccatorum: semper enim Deus nobis beneficia confert, & ideo omne peccatum est ingratitudo in Deum, quæ imbibitur in ipsa ratione peccati, nec est necessarium eam in confessione explicare: nec pro die communionis est specialis prohibitio, quæ nouam malitiam mortalem inducat. Hanc etiam sententiam referunt DD. supra citati; & loquens de ipsa die communionis tenet expresè Tamburrinus Opusc. de commun. cap. 3. §. 5. Ceterum media via incedendum est vndè.

Respondeo, & dico primo peccatum mortale post communionem perpetratum non continet nouam malitiam mortalem ingratitudinis distinctam ab ea quæ generaliter imbibitur in omni peccato, quatenus est contra Deum summum nostrum benefactorem, quāuis eam aggrauet: proinde non est necessario in confessione exprimenda: sed consultius est eam exprimere: Probatur: quia peccatum ratione talis circumstantiæ diei communionis non opponitur diuersæ virtuti sed eidem gratitudini, quæ vniuersaliter prohibet reddi benefactori malum pro bono: ergo non contra-

trahit diuersam specie malitiam, ita colligitur ex regulis gratitudinis, & peccatorum quæ illi opponuntur, quas explicat Lessius lib. 2. citat. cap. 47. dub. 3.

Limitatur conclusio, nisi quis eadem communione vel simili beneficio data opera vteretur tamquam medio, vel instrumento, aut motiuo peccandi, quod pertineret ad ingratitudinem formalem, quæ est peccatum mortale ex genere suo, vt suprà dicebamus: hoc enim esset abuti, & vituperare ipsum beneficium, vide Lessium suprà.

Dico secundo. Quoad malitiam irreuerentiæ erga Sacramentum, ita distinguendum est Primo si quis committat peccatum mortale immediatè post communionem, seu durantibus adhuc speciebus Sacramenti in stomacho, & consequenter reali præsentia Christi; Dicendum est tale peccatum contrahere nouam malitiam irreuerentiæ mortalis oppositam reuerentiæ debitæ Sacramento, & reali præsentiæ Christi Domini, necessario in confessione explicandam. Ratio est: quia ex communi prudentium iudicio hæc irreuerentia notabilis est, & greuem præsefert deformitatem: Hinc Sacerdos si immediatè ab Altari post celebrationem iret ad fornicandum, vel mollitiem committeret, & quid simile, teneretur eam circumstantiam in confessione explicare: idéque dicendum est de alijs communicantibus similia peccata perpetrantibus durantibus speciebus sacramentalibus, ità Cardinalis de Lugo, & Auersa supra, & clarius Suar. de Euchar. disp 63. sect. 7. in Respons. ad 3

Secundo. Si quis post celebrationem, vel communionem ipso die committat peccatum mortale remotius a communione, & consumptis iam speciebus, non videtur ex circumstantia temporis induci nouam malitiam mortalem: consequenter eam circumstantiam nó esse necessario explicandam in confessione; sed solum ex consilio; quia tunc non videtur irreuerentia notabilis, sed leuis & venialis, quæ est communis sententia, vt videri potest apud DD. citatos.

TITVLVS XII.

DE BENEDICTIONE IN FINE MISSAE, ET EVANGELIO SANCTI IOANNIS.

1 Dicto ite missa est, vel benedicamus Domino, vt supra, celebrans ante medium Altaris stans iunctis manibus super eo, & capite inclinato, dicit secretò, Placeat tibi sancta Trinitas, &c. quo dicto, extensis manibus hinc inde super Altare positis, ipsum in medio osculatur: tum erigens se, adhuc stans versus illud, eleuat ad cœlum oculos & manus, quas extendit, & iungit, caputque Cruci inclinans, dicit voce intelligibili; Benedicat vos omnipotens Deus, & iunctis manibus ac demissis ad terram oculis, vertens se ad populum à sinistro latere ad dextrum, extensa manu dexra, iunctisque digitis, & manu sinistra infra pectus posita, semel benedicit populo, dicens, Pater, & Filius † & Spiritus sanctus. ℟. Amen: & circulum perficiens accedit ad cornu Euangelij, vbi dicto, Dominus vobiscum, & ℟. Et cum Spiritu tuo, pollice dextro signans primùm signo Crucis Altare seu librum in principio Euangelij, deinde frontem, os, & pectus, dicit, Initium sancti Euangelij secundum Ioannem, vel sequentia sancti Euangelij, vt dictum est in Rubricis generalibus, & ℟. Gloria tibi Domine, iunctis manibus legit Euangelium, in principio, vel aliud vt conuenit. Cum dicit, Et verbum caro factum est, genuflectit versus cornu Euangelij & surgens prosequitur vt prius: quo finito, minister stans à parte Epistolæ respondet, Deo gratias.

Si

2 Si celebrans in Altari vertit faciem ad populum, non vertit se, sed stans vt erat, benedicit populo vt suprà in medio Altaris deinde accedit ad cornu Euangelij, & dicit Euangelium sancti Ioannis.

3 Si celebrauit coram Summo Pontifice, Cardinale, & Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo in prouincia, ciuitate, vel diœcesi sua existente, celebrans dicto, Placeat tibi sancta Trinitas, &c. dicit Benedicat vos omnipotens Deus, & conuertens se ad Summum Pontificem genuflexus, ad Cardinalem verò & Legatum, vel alium ex supradictis Prælatis, capite inclinato quasi licentiam benedicendi petens, prosequitur pater, & Filius ✝ & Spiritus Sanctus, benedicens astantes a parte vbi non adest Pontifex, Cardinalis Legatus, aut Prælatus prædicti, Si autem celebrauit coram Patriarcha, Archiepiscopo & Episcopo extra eorum prouinciam, ciuitatem, vel diœcesim constitutis, eis absque alio respectu, & ceteris qui intersunt, more consueto benedicit:

4 Si autem celebrauit pro Defunctis, dicto Placeat tibi Sancta Trinitas, vt suprà, & osculato altari accedit ad cornu Euangelij, & dicit Euangelium S. Ioannis, prætermissa benedictione, quæ in missis Defunctorum non datur.

5 Finito Euangelio in fine Missæ, si celebrauit coram summo Pontifice, Cardinale, Legato sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo, couertit se ad illum coram quo ex prædictis celebrauit, & facit reuerentiam conuenientem. Si non celebrauit coram aliquo prædictorum, huiusmodi reuerentiam prætermittit.

6 Quibus omnibus absolutis, extinguuntur per ministrum candelæ, interim Sacerdos accipit sinistra Calicem, dextram ponens super bursam, ne aliquid cadat, descendat ante infimum gradum Altaris, & ibi in medio vertens se ad illud, caput inclinat, (vel si in eo est tabernaculum sanctissimi Sacramenti genuflectit) & facta reuerentia, accipit biretum a ministro, caput cooperit, ac præcedente eodem ministro, eo modo quo venerat, redit ad Sacristiam. interim dicens Antiphonam, Trium puerorum, & Canticum benedicite, Si verò sit demissurus paramenta apud Altare vbi celebrauit, finito Euangelio prædicto, ibidem illis se exuit & dicit Antiphonam, Trium puerorum cum Cantico, & alijs Orationibus, vt suo loco ponuntur.

7 In Missa solemni Celebrans eadem voce, & modo quo in missis priuatis, semel tantum benedicit populo, nisi sit Episcopus: & dicto Euangelio secundum Ioannem, vel alio vt supra, ministrante Subdiacono, librum si opus est, discedit cum ministris ordine, & modo quo venerat.

8 Episcopus autem ter benedicit populo, etiam in Missis priuatis, vt in cæremoniali hebetur.

EXPLICATIO LITERALIS.

DE Benedictione in fine missæ, & Euangelio S. Ioannis, satis diximus p. 1. Tit. 13. num. 2 Vbi in Rubricis generalibus agitur de ijsdem partibus missæ: item de reuerentijs exhibendis à celebrante, Tum Summo Pontifici; Tum Cardinalibus, & Episcopis in sua Diœcesi diximus in simili hac p. 2. Tit 2. num. 2. in litera, & in dubijs Conscientiæ, quæ in eisdem locis videri poterunt. Solùm hic adnotabimus nonnulla, quæ adduntur in his Rubricis, ad maiorem explicationem.

Primo, Celebrans dicto Ite missa est &c quo significat finem, & complementum sacrificij, dicit orationē Placeat tibi sancta Trinitas &c. qua petit, vt fructus Sacrificij non pereat ex nostra culpa, & ex defectibus in eo offerendo commissis, sed iugiter tum in ipso offerente; Tum in ijs pro quibus oblatum est perseueret; Molfesius sum. tra. 3. cap 11. n. 73.

Secundo, Osculatur Altare in signum reuerentiæ, & sicut in principio missæ statim celebrans in ipso Altaris ingressu illud osculatur, quasi in salutationem, ita nunc discessurus ab Altari idem prius osculatur, quasi licentiam petens. Eodem etiam osculo significat Sacerdos se omnibus præmissis deuoto assentire affectu, Durandus in Rationali lib. 3. c. 59. n. 8.

Tertio lecturus Euangelium S. Ioannis &c. signat primo, vel Altare, si nolit vti libro, vel folio in quo scriptum sit Euangelium, vel librum si eo vti velit in principio Euangelij, quod arbitrio Sacerdotis relinquitur in his Rubricis num. 1 Quod si in Altari sit expositum Sacramentum, non signat Altare, vt colligitur ex Rub. proprijs missæ fer. 5. in Cœna Domini. Deinde signat seipsum in fronte, ore, & pectore, vt supra dictum est in primo Euangelio. Cum dicit, Et Verbum caro factum est, genuflectit versus cornu Euangelij, vt adoret Incarnat. Mysterium.

Quarto, Finito Euangelio. Respondetur Deo gratias, vt gratiarum actio cuncta concludat. Ex August. epist. 59 & ex Dionysio, & alijs notat Suar. disp. 83 sec. 1 Insuper ad differentiam primi Euangelij, quod prædicationem Christi significat, & ideo in fine dicitur Laus tibi Christe; Hoc autem vltimum prædicationem Apostolorum Ex Ruiz in suo Cerem. ideo hic dicitur Deo gratias.

Quinto notatur in his Rubr. nu 5. vt finito Euangelio in fine missæ celebrans faciat reuerentiam Summo Pontifici si coram eo celebrauit, vel Cardinali, vel Episcopo in sua Diœcesi, non autem alijs, cōsequenter nec Episcopis extra suam Diœcesim, nec alijs Prælatis inferioribus fit ea reuerētia, & multo minus Principibus secularibus: nihilominus Castaldus in Praxi lib. 2 sec. 2. cap. 4. num. 8. oppositum docet, videlicet decens esse, vt fiat reuerentia, Tum Episcopo extra propriam Diœcesim; Tū magno Principi, vel Principissæ, quare dici potest illis non esse debitam prædictam reuerentiam ex vi Rubricæ, cæterum non prohiberi, & sic permitti posse, quod probabile videtur, & vsus confirmat.

Sexto, Candelæ extingui non debent nisi omnibus absolutis, idest finito Euangelio vt notatur in Rubricá n. 7. An autem peccet qui paulo ante extinguit, In dubijs conscientiæ dicemus.

Septimo, Tandem descendens Sacerdos ab Altari, atque sacris se vestibus exuens recitat Hymnum trium puerorum, Benedicite omnia opera &c cum sua Antiphona, quæ in festis duplicibus duplicatur, & dicitur in gratiarum actionem, vt per se patet, quam sæpius commendat Ecclesia, nè tanto muneri desit Sacerdos post hæc Mysteria sacratissima, & nobis saluberrima Dei dona: de qua re videri possunt Durandus Suar. Molfesius loc cit. & de obligatione dicemus in dubijs. Cur autem in fine addatur oratio *S. Laurentij*? Dicendum breuiter est: quia huius sacrificij fuit insignis minister, & Diaconus S. Sixti, & hac ratione est specialis Aduocatus offerentium sacrificiū ad impetrandam puritatem, & nè exurantur flamma vitiorum: eò vel maximè quia eius oratio concordat cum prima oratione, qua idem effectus ex Sacrificio postulatur, & specialiter congruit hymno recitato trium puerorum, quibus mitigauit Deus flammas ignium.

Sensus mysticus Benedictionis in fine missæ, & Euangelij S. Ioannis explicatus à nobis fuit p. 1. Tit. 13, post literam,

DVBIA CONSCIENTIAE

De fine missæ, & de actionibus, quæ vel fieri debent post missam, vel censentur prohibitæ.

DVBIVM I.

An Benedictio in fine Missæ, & Euangelium S. Ioannis cadant sub præcepto.

RAtio dubitandi est: quia dictis orationibus post communionem, & Dñs vobiscū censetur cōpleta missa, & omninò absolutū sacrificiū: sicut manifestè significatur illis verbis

Ite

Ite missa est, quibus datur adstantibus licentia discedendi. ergo id quod fit & dicitur postea non pertinet ad integritatem missæ. neque propriè est pars illius;sed additur ex super erogatione, & ex consilio, non autem ex præcepto.

Respondeo, & dico primo, Benedictio cadit sub præcepto. Tum ex parte celebrantis, qui tenetur eam impartiri in fine missæ; Tum ex parte adstantium: hi enim quando tenentur ex præcepto interesse sacro tenentur etiā interesse benedictioni. Probatur: quia Concil. Agathense cap.47. prohibet populum egredi ante benedictionem Sacerdotis, & idem habetur in Concil. Aurelianensi & in Concilio Arelatensi 3. apud Suar. disp.83.sect.1. & in cap.cum ad celebrandum de consecr.dist.1 Ergo Benedictio prædicta cadit sub obligatione cum præcedenti oratione Placeat, qua petitur à Deo efficacia benedictionis eiusdem, & præcedit vt dispositio benedictionem: quia tamen est leuis materia eius omissio, secluso scandalo non excedit culpam venialem, neq; ex parte celebrantis, neque ex parte adstantium.

Ad rationem dubitandi respondetur illis verbis Ite missa est significari esse proximum tempus discedendi: quia non remanet nisi benedictio, & Euangelium, siue dicamus benedictionem esse partem missæ, quod probabilius est, siue partem superadditam Missæ, sed ex præcepto, vt constat ex allatis Concilijs.

Dico secundo Quoad Euangelium S. Ioannis probabilius est esse partem integralem Missæ & consequenter cadere sub præcepto, vt diximus quæstione Procemiali sec.3, punc.5. ob rationem ibidem allatam.

DVBIVM II.

An peccet Qui extinguit, vel præcipit extingui candelas in missa, non adhuc finito Euangelio S. Ioannis.

PRoponitur hoc dubium ad explicationem Rubricæ huius tituli num. 7. vbi sic habetur quibus omnibus absolutis extinguuntur per ministrum candelæ

Certum est autem esse peccatum veniale vtramque candelam extinguere nondū finito vltimo Euangelio, quod vt diximus est pars missæ non ex vi præcisa Rubricæ, quæ non videtur præceptiua ex alibi dictis sed ex præcepto iuris communis, quo requiruntur necessario lumina, dum recitatur Missa, vt explicauimus p.1. tit. 20. de Altari & eius ornatu: vnde sequitur hunc defectum vtriusque luminis esse peccatum mortale quoad partem notabilem Missæ, veniale autem quoad modicam partem ratione paruitatis materiæ Quæstio igitur est de extinctione alterius candelæ, quę fieri solet circa finem prædicti Euangelij.

Placet huic dubitationi satisfacere ipsis verbis Patris Diana p. 10. tract. 11. resol. 20. vbi proposito eodem dubio sic ait, affirmatiuè respondet Franciscus de Nigro de ordine celebrandi Missam p. 3 §. 11. quæst. 3. vbi sic ait: Querens. an sit peccatum saltem veniale extinguere candelām ex parte Epistolę, antequam explicet Euangelium S. Ioannis? Aliqui ministri vel auari vel pigri extinguunt alteram candelam, sed vt ait Pater Trimarchi peccant saltem venialiter (modo non reperiatur in ijs crassa ignorantia) quia Pij V. constitutione vetitum est in celebratione Missæ alios vsurpare cęremonias, nisi quæ eius mandato pręscriptę sunt atque æditę, ita ille. Sed cum In medio Euangelij S. Ioannis Clerici soleant extinguere dictum lumen, vt possint postea statim alterum extinguere nè sacerdos cogatur illos expectare; ideo puto in tali casu nullum adesse peccatum veniale, quia parum pro nihilo reputatur: nec Bullam Pij V. transgreditur, vt vult Nigrus. Et quidem si aliqui penes Leandrum de Sacram. tom. 2 tract.8. quæst. 10. asserunt nullum esse peccatum celebrare extra necessitatem cum vnico lumine; vel ad summum, vt vult Hurtadus, Fagundez, & alij, quos citat et sequitur Leander loco cit. esse tantum peccatum veniale; certè durum videtur dicere cum Nigro, Clericum qui extinguit lumen à Parte Epistolæ non adhuc finito Euangelio S. Ioannis peccare venialiter Hactenus Diana cui subscribo.

DVBIVM III.

Vtrum post Missam teneatur Sacerdos ex præcepto recitare hymnum trium puerorum, vel ad alias gratiarum actiones depositis sacris vestibus.

RAtio dubitandi quoad hymnum prędictum est: quia in Concilio Toletano 4. cap. 13. præcipitur illius recitatio, Imo, & sub pœna excommunicationis, vt ex Radulpho propos. 23 refert Gauantus hic: nihilominus.

Respondeo, et dico primo non tenentur Sacerdotes Hymnum prædictum recitare ex pręcepto: quare ommittentes nō peccant: decet tamen omnino illum non omittere. Pro-

baturs quia iure communi non extat tale præceptum, Rubricæ autem sunt directiuæ in hac parte, non præceptiuæ: ergo solem ex consilio dicuntur, non ex præcepto, vt supra dicebamus de psalmis præscriptis in præparationem Missæ; & docent in simili Suar. disp. 82, in proœmio, Molfesius, cum alijs in sum, trac. 3. cap. 11. in fine.

Ad rationem dubitandi Respondetur in Cōcilio Toletano latum fuisse præceptum decantandi hymnum trium puerorum in omni Missarum solemnitate, qui ritus postea in desuetudinem abijt, nec hodie obseruatur, vt notat Suar. disp. 83, sec. 1. §. de secunda verò parte circa finem; consentit Gauantus supra nunc autem secreto dicitur ex vi Rubricæ, quæ directiua est.

Dico secundo depositis sacris vestibus solent communiter sacerdotes aliquantulum priuatim orare, & gratias Deo agere, quod decet omnino; hoc tamen non cadit sub obligatione; quia nullibi constat de præcepto, vt patet etiam ex dictis Tit. præcedenti in dubijs de gratiarum actione.

DVBIVM IV.

An sacerdos post Missam teneatur lauare manus.

CErtum est ex decentia id esse omnino seruandum post sacras vestes depositas, quod & communis praxis piorum Sacerdotum confirmat, & docet Durandus in Rationali lib. 1. cap 45. Hoc autem vt patet, non fit ad tollendam aliquam maculam; quia potius ex contactu Sacramenti nouum quoddam esse sacrum manibus celebrantis adhæret: sed potius ad quasi deponendum illud esse sacrū, priusquam sacerdos manibus tractet alias res prophanas: sicuti corporalia lauantur ab aliquo ministro in sacris constituto, priusquam dentur laicis dealbanda, & aptanda; Vndè sicut lotio corporalium in piscinam sacrarij proijci debet ad maiorem reuerentiam Sacramenti quod tetigerunt, ita pariter aqua ablutionis manuum Sacerdotis in locum mundū, & separatum effluere debet, vt communiter seruatur, & docet Innocentius III. de mysterijs Missæ lib. 6. cap. 8. Hoc posito. Difficultas est, An qui celebrauit teneatur ex præcepto lauare manus post missam, & consequenter An peccet id facere omittens.

Respondeo cum Diana p. 10. tract. 12. resol. 19. vbi circa finem resolutionis sic ait, sed quid dicendum de manuū lotione post Missam? Ad hoc dubium sic respondet Nigrus in addit ad Ruiz p. 3. § 1. num. 5. An celebrans explicita missa teneatur lauare digitos? Auctor noster Gauantus, Sperellus, & Castaldus affirmant; & ita vtuntur non pauci viri graues; alij vero negant, & fundantur quia ablutio ista post Missam non præcipitur sicut iubetur antequam celebrans induat se vestimentis Sacerdotalibus; ego sequor vsum affirmatiuum, ita ille. Sed ego puto, quod talis lotio si omittatur, non constituat peccatum veniale; quia lotio ante Missam præcipitur non autem post missam. Vide etiam ea quæ nos supra diximus de lotione manuum ante missam Tit. 1, sec. 1. dub. 5.

DVBIVM V.

An Peccet qui post Missam vel communionem statim ad prandium accedit, vel alias comedit, vel bibit.

RAtio dubitandi est; Tum quia videtur contra reuerentiam Sacramenti, præsertim durantibus speciebus sacris, statim alios cibos in stomachum ingerere, miscendos cum speciebus Eucharistiæ: Tum quia obstat Capitulum: Tribus gradibus de consecr. dist. 2. vbi ei qui mane sumpsit Eucharistiam præcipitur ieiunium vsque ad sextam, & ei qui sumpsit idem Sacramentum hora tertia, vel quarta, idem precipitur vsque ad vesperam.

Respondeo, & dico primo non esse peccatum mortale mox comedere post communionem secluso scandalo, vel contemptu: Probatur; quia Canon allegatus iam est vsu abrogatus, vt notat D. Th. 3. p quæst. 80. art. 6. & cum eo DD communiter infra cirandi, nec constat de alio præcepto. Deinde neque id est contra reuerentiam Sacramenti in rigore: quia posita Christi dignatione species Eucharistiæ miscentur etiam cum alijs humoribus, qui sunt in stomacho sumentium absque irreuerentia, Ita D. Th. supra, Sotus Valentia, Henriq. Villalobos, & alij quos affert, & sequitur Diana 3. p. tract. 4. resol. 44. fine.

Dico secundo in Rigore loquendo nec videri peccatum veniale; quia secluso contemptu hoc nulli præcepto aduersatur, Ita Suar. disp. 68. sec. 4. fine, Tambur. opusc. de commun. cap. 3. §. 1 num. 1 & cum alijs Bonacina de Euchar. disp. 4. quæst. 6. punc. 2. nu. 25. & colligitur etiam ex D. Chrysostomo hom. 37. in 1. ad Corinth.

Dico tertio ob maiorem decentiam & reuerentiam Sacramenti abstinendum est per aliquod spatium ab alijs cibis communibus ex consi-

consilio, vt monet D.Thom. supra, quem sequuntur DD.communiter: sicut etiam à qualibet prophana occupatione, quia tunc decet soli Deo vacare.

Limitatur tamen nisi causa rationabilis subsit, sicut E.g. apud Regulares, illi qui faciunt vltimum sacrum solent statim cum alijs prandere, & pergere ex præcepto regulæ ad primã mensam, in qua habetur sacra lectio, seruatur silentium, & debita moderatio: vndè meritò hic censetur adesse causa rationabilis: quia abest omnis immodestia dedecens sacra cõmunione refectum, quod secus est communiter in mensis, & conuiuijs secularium.

DVBIVM VI.

An post missam, vel communionem licitum sit prouocare vomitum, et declaratur quamdiu species durent in stomacho.

CErtum est regulariter loquendo & extra casum vrgentissimę necessitatis non esse licitum prouocare vomitum sumpta communione, nisi certum sit consumptas iam esse species Eucharistiæ; alioquin grauis fieret iniuria Sacramento, ac proindę grauiter peccaret voluntariè euomens. Itaque videndum est primo quamdiu durent species sacramentales in stomacho, & quando possit quis esse certus eas consumptas esse.

Prima sententia refertur, & approbatur à Card. de Lugo de Euchar. disp. 10. sec. 3. nu. 54. Vbi sic ait, Ego certè peritissimos in hac Romæ Vrbe medicos consului, & post rem diu & accuratè cogitatam, perdoctus vir & clarissimus medicus Ioannes Manelphus in Romana Sapientiæ Accademia publicus Philosophiæ professor censuit particulam cõmunem, quæ laicis ad communionem dari solet, regulariter & de mediocri stomacho loquendo, alterari & corrumpi in horæ minuto, hoc est in sexagesima horæ parte: quod multis argumentis probare conatus est: Præsertim quia iuxta medicorum placitum calor naturalis singulis horis duas vncias cibi solidi potest consumere, vt resoluit Marsilius Cagnatus lib. 2. de sanitate tuenda cap 18. & probat ex vsu veterum, qui die vna 48. vncias cibi solidi sumere solebant, vt singulis horis duæ vnciæ correspônderent, quas vna hora stomachus potest concoquere: sicut certo spatio temporis certa etiam instrumẽto mensura pristrino molitur. Facta ergo proportione, & comparatione illius particulæ ad duas vncias, quarũ non est sexagesima pars, videtur quòd in vno minuto consumpta sit. Adde exemplum externæ coctionis; nam si hostia illa in olla aquæ ebullientis ponatur, statim alteratur, & consumitur: ergo calor animalis qui potentior videtur esse ad substantialem mutationem, poterit eadem facilitate & breuitate species trãsmutare. Hæc ille; cuius sententiæ alij ferè accesserunt. Vnde loquendo de Sacerdote, qui maiorem hostiam accipit & vini species, dicebant in semiquadrante horæ species non cõtinere amplius Corpus & Sanguinem Christi; quam doctrinam si quis ad quadrantem velit extendere, videtur iam extra omne prorsus dubium, aut periculum se constituere. Hactenus de Lugo.

Secunda sententia probabilior sustinet non posse in hoc assignari certam regulam, aut determinatum spatium temporis, præsertim tam minimum, & intra quadrantem, vt asserit prima sententia, sed maius spatium requiri, vt quis possit esse moraliter certus consumptas iam esse species sacramentales, consideratis viribus, & calore naturali cuiusque.

Probatur: quia cum vis, seu facultas concoctrix pendeat à robore, & calore stomachi, idque in varijs personis pro circumstantiarum varietate sit varium: sequitur maius vel minus etiam temporis spatium in varijs personis esse necessarium ad consumptionem prædictam, & in multis qui debilioris sunt complexionis vel infirmi maius spatium decurrere eo, quod assignatur a prima sententia.

Confirmatur: quia testantur fide digni infirmos post horæ dimidium, & aliquanto plus sacramentales species euomisse, ita Ioannes Sancius in Selectis disp. 38 num. 2 Tambur. Opusc. de communione cap. 3. §. 4.

Colligitur primo, licitum esse post horam à sacra communione vomitum prouocare, communiter & regulariter loquendo: quia hoc spatium videtur sufficiens, posita ea modica specierum quantitate, in qua sumitur Sacramentum à Sacerdotibus; cum autem multo minor sit quantitas, in qua sumitur à laicis, videtur in illis sufficere spatium horæ dimidiæ, nisi quis valdè sit debilis, vel infirmus, ita Sancius, & Tambur. supra cit. Vide etiam Dianam par. 5. tract. 3. resol. 55 Vbi refert vnicam horam esse sufficiens spatium. Quod si quis aliunde sit certus ex viribus sui stomachi, vel experientia aliundè habita, intra minus spatiũ in ipso fieri consumptionem specierum, poterit etiam intra minus spatium hoc facere.

Colligitur secundo, in casu veneni licitum esse euomere statim à communione, videlicet si mo-

si moneretur quis species à se sumptas fuisse veneno infectas, ne calix vitæ verti in mortem videatur. Vt in simili dixit D. Thom. 3. p. q. 83 art. 6. ad 3. & docet Tambur. supra; & ratio est: quia necessitas vrgentissima vitandi mortem excusat ab irreuerentia materiali, nec imputatur: quia moraliter vitari non potest: quid autem tunc agendum de speciebus, explicabimus p. 3. Tit. 10. num. 14.

TITVLVS XIII.

DE HIS, QVAE OMITTVNTVR IN MISSA PRO DEFVNCTIS.

1 In missa pro Defunctis ante confessionem non dicitur Psalmus, iudica me Deus, sed pronunciata Antiphona, Introibo ad Altare Dei, & responso à ministro, Ad Deum qui lætificat, &c. dicitur ℣. Adiutorium nostrum, & Confessio, cum reliquis vt suprà. Cum celebrans ad Altare incipit, Introitum, non signat se, sed manu dextera extensa, facit signum crucis super librum, quasi aliquem benedicens. Non dicitur, Gloria Patri, sed post Psalmum repetitur, Requiem æternam, nec dicitur Gloria in excelsis, nec Alleluia, nec Iube Domine benedicere, nec Dominus sit in corde meo, nec osculatur librum in fine. Non dicitur Credo, non benedicitur aqua in calicem fundenda; dicitur tamen Oratio, Deus qui humanæ substantiæ, &c. Cum lauat manus, in fine psalmi, Lauabo inter innocentes, non dicitur, Gloria Patri, Ad Agnus Dei, non dicitur, miserere nobis, cuius loco dicitur, dona eis requiem, nec tertiò, dona nobis pacem, cuius loco dicitur, dona eis requiem sempiternam, neque percutitur pectus. Non dicitur prima Oratio ante communionem, scilicet, Domine Iesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis, &c. nec datur pax. In fine non dicitur, Ite missa est, nec Benedicamus Domine, sed Requiescant in pace. Et non datur benedictio, sed dicto Placeat, & osculato Altari, dicitur vt suprà, In principio erat Verbum, &c. Alia omnia vt in alijs Missis.

EXPLICATIO LITERALIS:

Ex triplici capite omittuntur nonnulla in missis Defunctorum.

Primo, Ratione significationis gaudij & lætitiæ, seu consolationis cuiusdam, quæ non congruit dolentibus de proximorum transitu, & cruciatu in Purgatorio: vt docent Alcuinus cap. de exequijs mortuorum. Amalarius lib 3. cap 44. Vgo Victorinus de missæ obseruat. lib. 3. cap. 37.

Secundo, Omittuntur ea quæ pertinent ad festiuam solemnitatem: quia in ritibus festiuis est etiam quędam hilaritas minus congruens missis pro Defunctis, quæ sunt mœroris & luctus; Et docet cum alijs Durandus in Rationali lib 7. cap. 35. & alibi sæpè lib. 4. cap. 51. & cap. 53.

Tertio, Ob specialem applicationem fructus sacrificij, & precum, seu orationum, quæ in missis pro Defunctis potius dirigenda sunt ad animas purgatorij, quàm ad viuentes: Quasi inquit Hugo Victorinus supra, magis Defunctorum quam nostri memores indulgeri eisdē Deum precamur. Hinc omittuntur nonnullæ preces, quæ proprius pertinent ad viuentes, & viatores, & commutantur in alias pro Defunctis.

Ex primo capite omittuntur primo Psalmus Iudica me Deus, in quo sunt aliqui versus lætitiæ, vt Confitebor tibi in cithara, Secundo omittitur Gloria Patri &c. Tertio, omittitur Gloria in excelsis Deo, Alleluja, & alia similia.

Ex secundo capite, non dicitur Iube Domine benedicere ante Euangelium, nec Sacerdos osculatur librum in fine, non dicitur Credo, nec datur benedictio in fine missæ, & similia omittuntur.

Ex tertio cap. Cum Sacerdos incipit introitum non signat se, sed facit signum crucis super librum, quasi benedicens defunctos, & dirigens ad eos illas preces, quas legit ex libro. Ad Agnus Dei non dicitur Miserere nobis, sed Dona eis requiem &c. Et in fine missæ nō dicitur; Ite missa est &c. sed Requiescant in pace, & sic de similibus. Tandem non benedicitur aqua, quia hac benedictione significatur iustificatio viatorum, animæ verò purgatorij iustæ sunt. Huclamus de cerem. missæ.

2 In missa solemni non incensatur altare ad introitum; & Subdiaconus finita epistola non osculatur manum celebrantis, nec benedicitur: Diaconus non petit benedictionem, nec osculatur celebrantis manum: non tenentur luminaria ad Euangelium, nec portatur incensum sed duo tantùm Acolythi sine candelabris stant vnus à dextris, & alter à sinistris Subdiaconi tenentis librum Euangeliorum. Non incensatur liber, nec in fine celebrans, nec defertur liber Euangeliorum osculandus. Oblata & altare incensantur vt supra: incensatur solus celebrans; & non incensantur alij. Subdiaconus non tenet patenam post celebrantem, sed tempore eleuationis Sacramenti genuflexus in cornu epistolæ illud incensat. Ministri cum aliquid porrigunt celebranti, in hac Missa non osculantur eius manum, neque rem, quæ porrigitur.

EX dictis num. præcedenti manifestè colligitur Ratio, cur in missa solemni pro Defunctis omittatur incensatio Altaris ad introitum. Item cur omitti debeant benedictiones, oscula, & similes ritus, qui indicant solemnitatem & lætitiam, vt patet ex dictis in primo, & secundo capite. Incensantur tamen oblata, vt præparentur ad consecrationem, & in eumdem finem incensatur Altare, & solus celebrans, non tamen incensantur alij. Subdiaconus non tenet patenam, quæ solemnitatis indicium est: & tandem ministri cum aliquid porrigunt celebranti, nō osculantur eius manum, nec rem quæ porrigitur: quia oscula hæc indicant hilaritatem quandam & oblectamentum, & idcircò omittuntur ex dictis supra in primo capite.

3 Si distribuendæ sunt candelæ, distribuantur post epistolam, & accendantur ad euangelium, ad eleuationem Sacramenti, & post missam, dum fit absolutio: Si habendus est sermo, habeatur finita missa ante absolutionem.

DIstribuuntur candelæ in missis pro Defunctis, & accenduntur ad significandū animas viuere, vt latè explicat Stephanus Durantus de Ritibus Ecclesiæ lib. 1. cap. 23. nu. 15. & diutius tenentur accensæ: quia excitant ad considerationem pœnarū, & flammarum purgatorij, & ad ferenda feruentius suffragia pro animabus quæ ibi cruciantur: de qua rè diximus in hac 2. par. Tit. 8. num. 8. Si habendus est sermo habeatur finita missa, non post Euangelium: quia non solet explicari Euangelium, sed virtus & meritum Defuncti pro quo celebratur, & ideo fit extra missam; de qua re videri potest Stephanus Durantus de ritibus lib. 1 cap. 23. citato.

4 n. Finita Missa, si facienda est absolutio, celebrans retrahit se ad cornu epistolæ, vbi exuitur casula; & deposito manipulo, accipit pluuiale nigrũ. Subdiaconus medius inter duos Acolythos cum candelabris accensis, defert crucem sicut in processionibus, præcedentibus duobus alijs Acolythis, vno cum Thuribulo & nauicula incensi, alio cum vase aquæ benedictæ, & aspersorio: sequitur celebrans, facta prius altari reuerentia, & Diaconus à sinistris eius. Subdiaconus cum cruce sistit se ad pedes tumuli, seu lecticæ mortuorum contra altare, medius inter dictos Acolythos tenentes luminaria. Celebrans verò ex alia parte in capite loci inter altare & tumulum, aliquantum versus cornu epistolæ, ita vt crucem Subdiaconi respiciat: à sinistris eius Diaconus, & propè eum alij duo Acolythi deferentes Thuribulum, & vas aquæ benedictæ. Interim cantatur, ℞. Libera me Domine, & circa illius finem celebrans ponit incensum in Thuribulum, benedicens illud more solito, ministrante Diacono nauiculam; finito Kyrie eleison, incipit intelligibili voce, Pater noster, & secretè prosequendo reliqua, accipit aspersorium de manu Diaconi, & facta Altari reuerentia, comitante eodem Diacono à dextris, & tenente fimbriam anteriorem pluuiali, circuens tumulum, aspergit illum aqua benedicta, & ter à sinistra. Cum transit ante crucem, profundè inclinat, Diaconus vero genuflectit: posteà de manu eiusdem Diaconi accipit Thuribulum, & eodem modo quo asperserat, incensat. Et rediens ad pristinum locum, Diacono tenente librum, junctis manibus dicit;

Describuntur hic exactissimè Ritus seruandi in absolutione ad tumulum, quos etiam explicat Castaldus in Praxi lib. 2. sec. 9. cap. 5. breuiter nonnulla hic adnotabimus.

Primo, Quamuis ante recognitionẽ missalis dubitatum fuerit an esset benedicendũ Thus pro adolendis Defunctis; eò quia omittuntur in missis Defunctorum aliquæ benedictiones, nihilominus post recognitionem missalis auctoritate Vrbani VIII. cessat hæc dubitatio: quia in nouis Missalibus in hac Rubrica expressè habetur esse benedicendum illis verbis, imponit incensum in Thuribulum benedicens illud more solito: videlicet signo Crucis, & oratione, Ab illo benedicaris &c. Ratio est: quia hæc incensatio præsertim fit ad effugandos dæmones, quem effectum nonnisi ratione benedictionis operari potest, ex Duranto de ritibus Ecclesiæ lib. 1. cap. 9. ministri tamen non osculãtur manum celebrantis ex regula generali, quæ traditur in his Rubricis num. 2.

Secundo, Præter finem prædictum expellẽdi Dæmones, adhibetur etiam incensum in exequijs mortuorũ, tum ad significandũ quod Defunctis prodest oratio, quæ per incensum significatur; Tum ad honorem eorum qui nos præcesserunt in signo fidei, vt probat Baron. anno 34 num. 312.

Tertio, Finita incensatione Diacono sustinente librum celebrans dicit Versus, & Orationem prout in Missali: communiter autem dicitur oratio, Absolue, quæ post has rubricas in Missali habetur, potest etiam dici Oratio quæ dicta est in missa, vt notat Castaldus supra num. 11. Vbi etiam rectè asserit in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum dicendam esse orationem fidelium, Deus &c. sicut etiam in obitu Summi Pontificis, Cardinalis, vel Episcopi dici debere proprias orationes in Missali suis locis assignatas; quamuis aliqui contradicant contendentes dicendam semper hic esse orationem Absolue, sed immeritò; quia magis congruit oratio propria quando hæc habetur: & sententiæ Castaldi fauet Rituale Romanum Titulo de exequijs absente corpore defuncti; Vbi post orationem Absolue, sic habetur, vel dicatur Oratio quæ dicta est in missa, vel alia conueniens.

An autem quando dicenda est missa pro Defunctis, omitti debeant Psalmi cum precibus dici solitis pro preparatione sacerdotis

ante

ante missam. Item oscula Crucis in Amictu, Manipulo, & Stola cum Sacerdos se induit, & de alijs, mox dicemus in dubijs conscientię.

DVBIA CONSCIENTIAE

DVBIVM I.

Vtrum ante missam de Requiem dici debeant preces in missali assignatæ pro præparatione Sacerdotis celebraturi, videlicet, Antiphona ne reminiscaris cum Psalmis.

RAtio dubitandi est; quia hæ preces prohibentur dici ab Episcopo ante missam Defunctorum: ergo etiam ab alijs; cum non appareat ratio discriminis. Antecedns patet ex cærem. Papæ lib.2. sec.2 cap.26. & 28. & ex cærem. Episc. lib.2. c.11.

Prima sententia est Gauanti in Rubricas huius tituli nu 1. vbi asserit omitti quidem posse m etiam dici, & hoc remitti arbitrio Sacerdotum.

Hæc tamen sententia neque satis explicatur ab eius auctore, nec satisfacit quæstioni; Siquidem punctus quæstionis in eo consistit, An sit discrimen inter missas de requiem, & alias in ordine ad præparationem, & preces ante missam pręmittendas: ita vt preces huiusmodi non congruant ante missas pro Defunctis, quę tamen ante alias missas dici pręscribuntur in Rubricis de Ritu seruando &c. Tit 1. nu.1. Si enim non congruunt, ergo dici non debent, & sic nedum possunt, sed debent omitti. Si verò congruunt, ergo non possunt omitti, loquendo ex vi rubricæ prędictæ, quę absolutè præscribit esse premittendas.

Deinde vel illa prohibitio facta Episcopo eō prehendit etiam alios Sacerdotes, vel minime; si comprehendit, ergo nedum possunt sed debent omitti; si non comprehendit, ergo non possunt omitti, sed standum est Rubricæ, quæ simpliciter præscribit esse dicendas à Sacerdote celebraturo.

Tandem non est quæstio, an ea Rubrica circa præparationem Sacerdotis celebraturi sit præceptiua, vel directiua; conuenimus enim communiter esse directiuam, & sic remitti arbitrio Sacerdotum eam præparationem: sed quæstio in pręsenti est, an ea Rubrica extendatur ad missam de requiem, & vtrum data opportunitate, ad satisfaciendum Rubricæ dici debeant ante missas huiusmodi pro Defunctis, cui quęstioni non satisfacit hic Auctor.

Secunda sententia sustinet eas preces simpliciter non esse dicendas tum quia prohibentur dici ab Episcopo, ergo etiam ab alijs; Tum quia psalmi habent gloria Patri, qui est versus lętitiæ, & solemnitatis, & ideo non congruit Missis de requiem ex supradictis, Ita Franciscus de Nigro de ordine celebrandi missam p. 3. §. 22. num. 1. quem refert Diana p 10 trac. 12. resol. 20. §. Nota hic obiter.

Hæc etiam sententia displicet: Primo quia prohibitio quæ fit Episcopis non extenditur ad alios Sacerdotes, vt infra explicabimus, vnde non rectè infertur præparationem ad missam præscriptam sub illis precibus omittendam esse ab omnibus; secundo quia eædem preces neque sunt pars missæ, aut officij defunctorum, neque suffragia pro defunctis; sed ad alium finem diriguntur vt infra, ergo ex eo quod habeant Gloria Patri, non sequitur omitti debere ante Missas de requiem, sicut nec sequitur pręmittendum non esse matutinum cum laudibus officij currentis & de die quamuis psalmi concludantur eodem versu. Tandem esto ille versus omitti deberet, non sequitur debere etiam omitti psalmos cum sequentibus orationibus: quia in ipsa Missa de requiem omittitur Gloria patri in psalmo Lauabo, non tamen ipse psalmus omittitur.

Tertia & vera sententia docet pręparationem ad missam, seu preces, de quibus est quęstio, dicendas esse ante missas de requiem, ęque ac ante alias missas, excepto illo casu de quo est sermo in Cæremoniali Papę supra citato: Adde & in Cęremoniali Episcoporum lib. 2 cap. 11.

Probatur primo, ex Rubrica Missalis de ritu seruando in celebratione missæ Tit. 1. nu. 1. Vbi absolutè & simpliciter pręscribitur ea pręparatio his verbis, Orationes inferius positas pro temporis opportunitate dicat, nulla facta exceptione: ergo etiam ante missas de requiem præmittenda est præparatio.

Confirmatur primo, quia in eisdem Rubricis quando aliquid est omittendū in missis pro Defunctis, semper & distinctè notatur, & in hoc vltimo Titulo quem explicamus, ex professo & exactissimè notantur ea, quæ omitti debent in missis pro Defunctis; Nec vmquam dicitur eam præparationem esse omittendam à Sacerdotib Episcopo inferioribus: ergo manifestè sequitur non esse omittendā: alias hæc Rubrica esset manca, & diminuta, cum in ea tradantur regulæ vniuersales ab omnibus seruandæ: item quia vbi non reperitur posita exceptio, non est recedendum à regula, l. in præuarleationis §. vlt. ff. de præuaricatione.

Confirmatur secundo, quia in cęremonialibus citatis fit exceptio quoad solos Cardinales, & Episcopos non in qualibet missa Defunctorum, sed solum in missa Pōtificali & solemni: ergo eadem præparatio nunquam omitti debet à Sacerdotibus Episcopo inferioribus, neque ab Episcopis in missis priuatis; sed standum regulę gen. rubr prędictę Probatur cōsequentia ex communi axiomate, quod exceptio firmat regulam in contrarium l. quęsitum, §. denique, ff. de fundo instrumentorum, quam explicat Card. Tuschus lit. E concl 422.

Probatur secundo finis dictæ præparationis & præcum quæ dicendæ præscribuntur ante Missam, est vt disponatur Sacerdos ad dignè, & competenter offerendum sacrificium, & sumendum Sacramentum, ad quem obtinendum imploratur Dei auxilium, & gratia Spiritus Sancti, vt patet ex psalmis præscriptis, & orationibus sequentibus: hic autem finis æque militat in Missis de requiem, ac in alijs, quia idem Sacrificium offertur, & idem Sacramentum sumitur, & pariter sacerdos indiget diuino auxilio, & assistentia Spiritus Sancti ergo etiam ante missas de requiem præmitti debent illę præces, nec fingi potest ratio in contrarium.

Ad rationem dubitandi respondetur in cæręm. cit. non prohiberi simpliciter preces illas tanquam incongruas pro missis de requiem; sed solum sub illis circumstantijs, quibus dici solent ab Episcopis ante alias missas Pontificales, & in Sede Pontificali adiuuantibus Canonicis & alijs ministris, & sub illis ritibus, qui indicant festiuam solemnitatem, & hilaritatem quandam, quæ non congruit missis Defunctorum ex supra dictis: & ideo tunc omittuntur, hoc est immediatè ante missam, & publicè in Ecclesia. Cæterum si Episcopus illas secreto, & antequam ad locum publicum accedat deuotè recitaret, melius faceret: Cum ergo ratio prędictę exceptionis non habeat locum in alijs Sacerdotibus, neque extra circumstantias explicatas, non debent ab illis omitti. Adde in cęremon. Papę lib. 2. cit. sec 2 c. 26. sic haberi, nec Cardinalis celebraturus consueuit dicere psalmum. Quàm dilecta cum alijs, quæ verba non indicant absolutam prohibitionem vt referunt Auctores primæ, & secundę sententię: sed esto continerent ea prohibitio nullo modo extendi debet ad alios Sacerdotes, nec ad missas priuatas de requiem, quæ ab alijs Episcopis dicuntur.

Colligitur ex dictis; in missis de requiem nullo modo posse omitti post finem Canticū trium puerorum cum sua Antiphona, & alijs precibus in Missali prescriptis: quia neque vllibi excipiuntur pro missis Defunctorum: quare seruanda est regula generalis rubricæ Tituli præcedentis, num. 7. quæ simpliciter præscribit immediatè post missam esse dicendas in gratiarum actionem, Vt benè notat Gauantus in eandem Rubricam litera I.

DVBIVM II.

An Sacerdos celebraturus missam de requiem omittere debeat oscula Crucis in Amictu, Manipulo, & Stola quando se induit vestibus sacris.

Prima sententia est Francisci de Nigro dubio pręcedenti citati, qui sustinet debere omittere, Probat: Tum quia prohibentur oscula rerum in missa solemni pro Defunctis; Tum quia Sacerdos non osculatur librum etiā in missis priuatis Defunctorum, nec osculatur ampullas.

Secunda, & vera sententia docet non esse omittenda. Probatur quia ex Regula generali osculari debet Sacerdos signum Crucis in prædictis vestibus induendis, nec vllibi excipitur hic ritus pro missis Defunctorum, ergo etiam in missis de requiem seruari debet, Probatur consequentia: quia vbi non reperitur posita exceptio non est recedendum à regula generali ex dictis dubio præcedenti in prima probatione tertiæ sententiæ, quæ etiam probant id quod intendimus in hoc casu.

Ad fundamentum primæ sententiæ Respondetur in Missis pro Defunctis, etiam solemnibus non prohiberi omnium rerum oscula, sed ea tantum quæ indicant peculiarem solemnitatem, & signum hilaritatis, quæ non congruit missis pro Defunctis: constat enim celebrantem sæpius osculari Altare, quia Christum significat, & osculum fit in signum submissionis. non in signum hilaritatis; quæ ratio militat etiam in casu nostro de osculo Crucis in prædictis vestibus, & ideo omitti non debet, atque ita communiter seruatur, & docet Diana par. 10. tract. 12. resol. 20 fine, vbi citat Gauantum, & testatur de praxi communi

DVBIVM III.

An eo tempore, quo fit absolutio ad Tumulum si eleuetur Sacramentum in aliquo Altari, debeant omnes genuflectere etiam celebrans.

PRima sententia est Ganandi in rubricas huius tituli 13. fine; qui sustinet neque celebrantem, neque ministros debere genuflectere, ne inquit sacra interrumpatur actio, hæc tamen sententia nec est absolutè vera; quia ea adoratio per genuflexionem tunc debetur etiam à Celebrante, & ministris vt mox dicemus, neque ratio adducta quadrat: Tum quia sępè non est opus interrumpere sacram illam actionem, E.g. dum cantatur Responsorium possunt omnes genuflectere & simul prosequi Responsorium iam cęptum sic genuflexi; non enim sunt incompossibiles hæ duæ actiones ad inuicem: Tum quia etiam si opus sit illam interrumpere, vt si contingat fieri eleuationem dum celebrans circuit Tumulum aspergendo vel incensando; nihilominus interruptio non est inconueniens sed debita, quia vrget præceptum maioris momenti.

Secunda & vera sententia docet debere omnes genuflectere, etiam celebrantem cum suis ministris excepto Subdiacono tenente Crucem, & Ceroferarijs, vel nisi celebrans tunc actu dicat orationem absoluè vel aliam eius loco.

Probatur in eo casu quando eleuatur Sacramentum in Missa iure naturali debetur adoratio eidem Sacramento, & cadit sub præcepto vt fusè probauimus supra in hac secunda p. tit. 9. sec. 3. dub. 6 quę adoratio debet esse latriæ, & per genuflexionem ex consueto more Ecclesiæ: ergo peccaret Celebrans cum alijs si illam omitteret in casu nostro.

Neque excusatur idem celebrans, eo quia sit indutus vestibus sacris, quia in his rubricis de ritu seruando &c. Tit. 2. num. 2. præcipitur vt si Sacerdos vestibus sacris indutus dum procedit ad celebrandum transeat ante Altare, vbi celebratur missa, & eleuatur Sacramentum, præcipitur inquam vt genuflectat, & illud adoret, neque ante surgat quam celebrans deposuerit Calicem super corporale: ergo idē est afferendum in casu nostro; quamuis celebrans loco Planetæ sit Pluuiali indutus; non enim ratione Pluuialis omittenda est genuflexio. Nam E. g. in Processione quæ fit Sabbato Sancto cū Arundine &c. ad illa verba Lumen Christi omnes genuflectunt, etiam celebrans Pluuiali indutus, vt docet Castaldus in praxi lib. 4. sec 8. cap. 2. & fatetur Gauantus in Rubricas Missalis p. 4 Tit. 10. n. 5. lit. R.

Neque secundo excusatur Celebrans ab adoratione Sacramenti & genuflexione, eo quia assistit sacræ functioni diuersæ, videlicet absolutioni ad Tumulum, etiam si actu illum aspergat, vel incenset. quia obligatio continuandi hanc functionem est longè inferioris ordinis & momenti, quam adorandi Sacramentum tempore eleuationis, quæ supposita fide est iuris naturalis, & magis vrget ob realem præsentiam Christi in Echaristia; quæ tunc exponitur adoranda, quam continuatio aspersionis: ergo adoratio præferri debet, interrupta alia functione. Probatur consequentia: quia concurrentibus duobus præceptis ad inuicem incompossibilius præferri debet illud, quod maius est & potioris iuris, vt ex communi sententia probat Sanchez in sum. lib. 1. cap. 10. num. 16.

Limitatur Primo concl. vt supra dicebamus nisi celebrans actu dicat orationem tunc enim non debet genuflectere, sicut nec Minister tenens librum, quamuis ceteri genuflectant: Ratio est, quia in obseruatione pręcepti inferioris concurrunt quandoque tot circumstantię, vt merito præferri debeat alteri præcepto maiori simul incompossibili, cuius omissiō proinde tunc non censetur culpabilis, vt probat Sanchez loco citato: Ita est in casu nostro, quia celebrans dum dicit orationem, semper stare debet & non genuflectere ex communi ritu Ecclesiæ. Item oratio prædicta, quæ pro complemento officij dicitur,, peculiarem attentionem requirit, & moraliter non est capax interruptionis: quarè excusatur celebrās tunc à genuflexione, de qua est quæstio, nec omissio censetur continere irreuerentiam cōtra Sacramentum; Secus est in alijs partibus eiusdem officij.

Limitatur secundo. In Subdiacono sustinēte Crucem & Ceroferarijs, qui genuflectere non debent: Ratio est quia in his magis consideratur res illa quam tenent, quam personarum conditio & natura: & ideo tunc illis non congruit genuflexio, vt in simili diximus de tenente librum Euangelij & Ceroferarijs, qui dum legitur Euangelium non genuflectunt ad verba, Et procidentes adorauerunt, & similia, quamuis cæteri omnes genuflectant: Huic sententiæ sic explicatæ fauet Castaldus in Praxi lib. 2. sec. 1. cap. 4 nu. 2. Quamuis enim hanc quæstionem in terminis non agitet, docet tamen cum eleuatur Sacramentum omnes adstātes genuflectere debere, & cum defertur per Ecclesiam omnes etiam adstantes in Choro

eadem obligatione teneri.

Colligitur: non esse admittendum quod docet Gauantus supra, omittendum esse in hoc casu pulsationem campanulæ à ministro in elenatione Sacramenti: quia id est contra regulã generalem Missalis supra Tit. 8. num 6. neque ponenda est exceptio ex nostro arbitratu, præsertim cum adoratio debeatur ab assistentibus tumulo, vt probauimus.

DVBIVM IV.

An absolutio ad Tumulum post missam solemnem Defunctorum cadat sub pracepto.

PRæmittendum: ex duplici præsertim titulo oriri posse obligationem exequendi hanc functionem ad tumulũ in Ecclesijs Collegiatis & similibus, in quibus est competens Sacerdotum & ministrorum numerus. Primo ex lege Ecclesiastica, quæ illam præcipiat tanquam ritum necessarium missæ solemni adnexum, quando celebratur pro Defunctis.

Secundo ex lege iustitiæ, seu ex vi stipendij accepti, vel legati relicti sub eo onere, vt post missam fiat absolutio ad Tumulum, hoc posito.

Respondeo, & dico primo ex vi præcisa legis Ecclesiasticæ, & rubricarum Missalis Absolutio prædicta non cadit sub præcepto. Probatur: quia ex rubricis iam explicatis huius Tituli num 4. Vbi sermo est de hac absolutione, ibi non præcipitur, sed solum præscribuntur ritus seruandi si facienda sit; verba autem rubricæ sunt, finita missa si facienda est Absolutio, celebrans retrahit se &c. Vbi vt patet nõ imponitur obligatio; sed dicitur si facienda est, idest vel voluntariè à Collegialibus, vel ex obligatione aliundè orta: nec alibi in rubricis, vel iure Canonico imponitur de hac re præceptum.

Dico secundo Si datum fuerit stipendium, & acceptatum sub hoc expresso onere, vt post missam fiat absolutio ad tumulum, vel relictum fuerit legatum sub eodem onere; Absolutio proculdubio cadit sub præcepto. Probatur: quia ex conuentione, seu pacto oneroso nascitur obligatio iustitiæ adimplendi onus promissum, quæ obligatio grauis est ex genere suo, & sub peccato mortali, vt per se constat, sicut enim obligatio dicendi vel cantandi missam ratione stipendij accepti grauis est, & sub peccato mortali, ita pariter obligatio recitandi officium, vel exequendi similem functionem.

An autem posita hac obligatione semper peccent mortaliter Collegiales Ecclesiæ, & in primis Rector, ad quem pertinet cura, vt his Ecclesiæ obligationibus satisfiat, an inquam sit peccatum mortale omittere absolutionem post missam, pendet ex pacto inito & quantitate stipendi accepti, vel portione legati, quæ respondet oneri prædicto vltra missam imposito: Si enim valdè sit tenuè & improportionatum, & non attingens quantitatem notabilem requisitam ad furtũ mortale non videtur inducta obligatio grauis, & sub p. m. (nõ loquimur hic de missa, circa quam standum est decretis Sacræ Congregationis de celebratione missarum; sed de officio absolutionis ad Tumulum) quia non censentur ministri Ecclesiæ voluisse tam rigorosè se obligare. Si vero stipendium sit congruum, & attingens quantitatem notabilem, dicendum est omissionem fore grauem contra iustitiam cum obligatione sarciendi damnum, quod inde oritur in detrimentum defuncti: quia alias Collegiales prædicti sibi vsurparent quantitatem notabilem stipendij absque titulo, quod est contra iustitiam.

Colligitur primo, si non fuerit assignatum stipendium distinctum, quod directè & per se correspondeat prædictæ functioni absolutionis ad tumulum, sed absolutè pro missa addita expressione eiusdem absolutionis tanquam accessoriè ad missam; non videri peccatum mortale illius omissionem post missam: quia inde non videtur sequi damnum graue animæ defuncti, cum absolutio consistat in vnico Responsorio cum paucis versiculis, & oratione, nec retinetur stipendium sine titulo, quia absolutè & simpliciter datur pro missa, & secundum quid pro Responsorio ad tumulum.

Colligitur secundo, omissionem prædictam semper esse peccatum veniale, nisi aliqua iusta causa intercedat: quia obligatio extenditur etiam ad absolutionem prædictam: cum autem peccatum veniale sit contra iustitiam, ex ea oritur obligatio restituendi: & sarciendi damnum quamuis leue, alijs suffragijs æquiualentibus, vt constat ex generali doctrina, quam tradunt DD. de restitutione.



COM-

COMPENDIVM.

Ritus seruandi in celebratione Missarum.

Tradere solet plerosque integri alicuius voluminis lectionis, vel studij: qui tamen eiusdem materiæ compendiariam explicationem libenter percurrunt. Vt ergo non desim breuitatis amatoribus, ea quæ fusius in hac secunda parte; de ritibus missæ tradidimus, Compendio hic adnotamus, partium eiusdem missæ ordinem seruantes, & rubricarum Missalis.

De præparatione Sacerdotis celebraturi.

Ante missam (præter confessionem sacramentalem, de qua infra dicendum est) hæc debent à Sacerdote præmitti. Primo Matutinum cum laudibus. Secundo Præparatio in Missali præscripta constans ex quinque psalmis cum sua Antiphona, Versiculis, & Orationibus. Deinde consultius est, vt etiam ante missam commemorationem agat eorum, vt orum sanctorum, pro quibus orare, & sacrificium offerre intendit, vt breuius in ipsa missa id exequatur in memento vnico contextu. Tertio missam perquirat Sacerdos, & signaculis in missali suis locis disponat. Quarto lauet manus, & Calicem preparet.

Quibus ita dispositis accedit ad paramenta, & se illis induit, dicens ad singula singulas orationes præscriptas & Crucem osculans in Amictu, Manipulo, & Stola.

De ingressu Sacerdotis ad Altare.

Sacerdos sacris paramentis indutus accessurus ad Altare accipit manu sinistra Calicem, quem portat eleuatum ante pectus, manu dextera bursam super Calice tenens, & facta reuerentia imagini principali quæ est in Sacristia, procedit capite cooperto oculis demissis incessu graui &c. Transiens ante Altare maius capite cooperto faciat ad illud reuerentiam, si ante locum Sacramenti genuflectat, nec caput alicui detegat, nisi contigerit eum transire ante Altare vbi celebratur missa, in qua eleuatur, vel tunc ministratur Sacramentum; in quo casu genuflectere debet, & detecto capite illud adorare.

Cùm peruenerit ad Altare caput detegit, Birretum ministro porrigit, & Altari profunde inclinat: Si autem in eo sit Tabernaculum Sanctissimi genuflectit. Statim ascendit ad medium Altaris, ibi ad cornu Euangelij sistit Calicem, extendit corporale in medio Altaris, & super illud Calicem velo coopertum collat demisso velo vsque ad planitiem Altaris, Bursam vero gradui Altaris admouet in cornu Euangelij: tunc absque alia reuerentia accedit ad cornu Epistolæ, Missale super cussino aperit, & redit ad medium Altaris. Vbi facta Cruci reuerentia vertens se à cornu Epistolæ (idest facie conuersa ad cornu Epistolæ) descendit post infimum gradum Altaris.

De Principio Missæ, & Confessione facienda.

Sacerdos stans in medio iunctis manibus ante pectus conuersus ad Altare, facta prius Altari profunda reuerentia, vel genuflexione, si ibi seruatur sanctissimum sacramentum, erectus incipit missam, & dicit In nomine Patris &c. Producens super se signū Crucis; tum iunctis manibus ante pectus pollice dextro super sinistrum posito per modum Crucis, prosequitur reliqua. Ad Gloria Patri caput cruci inclinat, cum dicit adiutorium nostrum, producit super se signum Crucis. Deinde profundè inclinatus dicit Confiteor &c. stans inclinatus donec à Ministro dictum sit Misereatur. Cùm dicit mea culpa ter pectus dextera manu percutit, sinistra infra pectus posita. Aliqui ad verba vobis fratres, & vos fratres caput vertunt ad ministrum, quod tamen in ritu Missalis non habetur, & ideo melius hic gestus omittitur à celebrante. Cùm incipitur à ministro Cōfiteor Celebrans se erigit; cū dicit Indulgentiam &c. producit super se signum Crucis. Deinde iunctis manibus stans inclinatus prosequitur, Deus tu conuersus &c. Et cum dicit Oremus, extendit & iungit manus.

De Introitu vsque ad Orationes.

Dum dicit Aufer à nobis &c. Celebrans iunctis manibus ascendit ad medium Altaris, & ibi inclinatus manibus item iunctis super eo positis, ita vt digiti parui frontem Altaris tangant, quod semper seruatur cum manus iunctæ super Altare ponuntur, secreto dicit Oramus te Domine &c. Et cum dicit Quorum reliquiæ &c. osculatur Altare in medio, manibus extensis super eo positis æqualiter hinc inde.

Oscu-

Osculato Altari accedit ad cornu Epistolæ, & producens sibi signum Crucis incipit intelligibili voce Introitum missæ, & prosequitur iūctis manibus, Ad Gloria Patri caput inclinat versus Crucē,& repetit Introitum absque nouo signo Crucis: tunc iunctis manibus accedit ad medium Altaris, quo cum peruenerit, & non prius dicit alternatim cum ministro Kirie &c. si dicendum sit Gloria in excelsis ad verbum Gloria manus extendit, ad verbain excelsis, eas eleuat vsque ad humeros, cum dicit Deo, manus iungens caput cruci inclinat: tunc erectus stans iunctis manibus ante pectus prosequitur vsque ad finem, cum dicit adoramus te, Gratias agimus, ad verba Iesu Christe, & suscipe deprecationem caput Cruci inclinat. Tandem ad verba cum Sancto Spiritu &c. se ipsum signat.

De Orationibus.

Dicto Hymno Gloria in excelsis Deo, vel eo omisso si non sit dicendum, celebrans osculatur Altare vt supra, tum manibus ante pectus iunctis & demissis ad terram oculis vertit se ad populum, & extendens & iungens manus dicit Dominus vobiscum, & iunctis. vt prius manibus reuertitur ad librum, vbi eas extendens & iungens, caputque cruci inclinans dicit Oremus. Tum extensis manibus ante pectus, ita vt palma vnius manus respiciat alteram dicit orationē, cum dicit Per Dominum nostrum iungit manus, cum nominatur Iesus caput versus Crucem inclinat, & iunctas manus tenet vsque ad finem. Si aliter concludat oratio qui tecum, vel qui viuis non sit alia terminatio, sed ad verba in vnitate, iunguntur manus.

De Epistola, & alijs vsque ad Offertorium.

Epistola legitur positis super librum, vel super Altare manibus; ita vt palmæ librum tanga nt, & eodem modo dicitur Graduale &c. Quibus finitis accedit Celebrans ad medium Altaris, ibique stans iunctis manibus eleuatisque ad Deum oculis, & statim demissis profundè inclinatus, non tangens Altare, dicit secretò Munda cor meum, & Iube Domine, non Domne &c. Ad Euangelium Dicto Dominus vobiscum pollice dexteræ manus signo Crucis signat primo librum super principio Euangelij, manu sinistra super librum posita: postea seipsum in fronte, ore & pectore, manu sinistra posita infra pectus dicens sequentia Santi Euangelij &c. Tunc iunctis iterum manibus stans prosequitur Euangeliū, quo finito eleuans parumper librum osculatur principium Euangelij, dicens per euangelica dicta &c. non signans librum. Dicto Euangelio accedit ad medium Altaris, vbi incipit Credo (si dicendum sit) eleuans, & extendens manus, & ad illa verba In vnum Deum iungit manus, & caput Cruci inclinat, & erectus stans iunctis manibus prosequitur vsque ad finem. Ad verba Iesum Christum, & ad illa simul adoratur caput Cruci inclinat, cum dicit, Et Incarnatus est genuflectit vsque ad ea & homo factus est, cum dicit Et vitam venturi seculi amen, signat se.

De offertorio, & alijs vsque ad Canonem.

Post Symbolum, vel si non sit dicendum, post Euangelium osculato Altari, & dicto more solito Dominus vobiscum, & oremus; stans in medio Altaris dicit iunctis manibus Offertorium: Deinde discooperit Calicem, et reposito velo plicato extra corporale propè gradum Altaris sistit Calicem ad cornu Epistolæ, et amota palla accipit Patenam cū hostia, & ambabus manibus atque ad pectus eam eleuatam tenens oculis ad Deum eleuatis & statim demissis dicit suscipe Sancte Pater &c. Quo dicto Patenam vtraque manu tenens cum ea facit signum Crucis super corporale, et deponit hostiam circa medium anterioris partis corporalis ante se, & patenam aliquantulum subtus corporale, quam abstersо Calice cooperit Purificatorio.

Deinde accedit ad cornu Epistolæ accipit Calicem, & sinistra tenens illius nodum accipit ampullam vini, & ponit vinum in Calicem, nihil dicens, Deinde producit signum Crucis super ampullam aquæ, et dicit Deus qui humanæ substantiæ et accepta ampulla infundit parum aquæ in Calice et prosequitur, dicens Da nobis per huius aquæ, et vini etc. Tunc accedit ad medium Altaris, quo cum peruenerit, et non prius accipit calicem et ipsum ambabus manibus eleuatum tenens; videlicet cum sinistra pedem, et cum dextera nodum infra cuppam dicit Offerimus etc. Interim semper tenens oculos eleuatos, seu intentos ad Deum, Cuppa autem Calicis non excedat oculos; qua oratione finita facit signū Crucis cum Calice super corporale, et ipsum in medio post hostiam collocat, et palla cooperit. Deinde iunctis manibus super Altare posi-

positis aliquantulum inclinatus dicit secreto in spiritu humilitatis &c Postea erectus eleuans oculos, manusque expandens, & statim iungenes ante pectus dicit veni Sanctificator &c, cum dicit & benedic signat manu dextera communiter super hostiam & Calicem, sinistra posita super Altare. Tum iunctis manibus accedit ad cornu Epistolæ, vbi stans ministro aquam fundente lauat extremitates digitorum vtriusque pollicis & indicis interim dicens psalmum lauabo; statimque manus tergit (non antemos, & labia, vt aliqui inepte faciunt) & iunctis manibus reuertitur ad medium Altaris, interim psalmum prædictum absoluens; & decet vt Gloria Patri dicatur in medio Altaris inclinato capite, si illum dum lauat & tergit manus non compleuerit.

Stans Sacerdos ad medium Altaris; antequam incipiat orationem suscipe Sancta Trinitas, oculos ad Deum eleuat, & statim demittit manibusque iunctis super Altare aliquantulum inclinatus: dicit secreto orationem, suscipe sancta Trinitas; qua dicta, manibus hinc inde extensis et super Altare positis osculatur illud in medio. Tum iunctis manibus ante pectus, demissisque oculis ad terram vertit se ad populum, & versus eum extendens, & iungens manus dicit intelligibili voce Orate fratres, et secreto prosequens reliqua perficit circulum reuertens iunctis manibus à manu dextra ad medium Altaris. Post responsionem Ministri dicit submissa voce Amen: Mox dicit orationem, vel orationes secretas sine oremus, eas autem dicit manibus extensis cum solitis inclinationibus, vt [illegible] in primis orationibus.

Cum peruenerit ad conclusionem vltimæ secretæ, ad verba per omnia sæcula sæculorum. eadem verba pro initio Præfationis Pronuntiat intelligibili voce depositis super Altare manibus hinc inde extensis: Cùm dicit sursum corda Eleuat manus vsque ad pectus; cum dicit Gratias agamus etc iungit manus: Cùm dicit Deo nostro oculos eleuat, et statim Cruci caput inclinat, post ministri responsionem eleuatis, & extensis manibus vsque ad pectus prosequitur Præfationem: Cùm dicit Sanctus, iungit manus, et caput inclinat, Cùm dicit Benedictus qui venit etc. erigit se et signum Crucis sibi producit.

De Canone Missæ, vsque ad Consecrationem.

Sacerdos inceptutus Canonem, stans vt supra ante medium Altaris, primo eleuat manus, et oculos ad Deum, et sine mora deuote demissis, manibus iunctis, & super Altare positis profundeque inclinatus incipit canonem dicens, Te igitur etc. vbi aduertendum omnes prædictos gestus debere præcedere prolationem eorumdem verborum Te igitur, nec prius incipienda quam manus positæ sint super Altare, et à Sacerdote profunde inclinato, Ex Rubricis de ritu Tit. 8. n. 1. et prosequendo Canonem peculiari aduertentia, et diligentia debet celebrans pronuntiare verba, et exequi gestus videlicet oscula, signa Crucis, inclinationes, genuflexiones, manuum extensionem, et coniunctionem, eo præciso tempore: et modo, quo exactè et distinctè notantur suis quibusque locis in ipso canone in ordine Missæ, quæ ideo superfluum esset hic repetere, cum legenti Canonem sint ob oculos: vndè pauca hic aduertemus, quę ibi non exprimuntur.

Primo Aduertimus in memento pro viuis tenendos esse oculos demissos vel etiam si placet clausos sed, in memento pro mortuis intentos esse debere ad Sacramentum: sicut etiam fieri semper debet post consecrationem, quoad eius fieri potest.

Secundo ad hanc igitur oblationem non esse disiungendos pollices, nec infra palmas tenendos sed supra, pollice dextero super sinistro in modum Crucis posito: Palmæ autem, sint apertæ versus ac supra Calicem, et hostiā, vsque ad verba Per Christum Dominum nostrum.

Tertio Sacerdos cū peruenerit ad illa verba Qui pridie quam pateretur, antequam accipiat hostiā extergit si opus fuerit digitos super corporale, et leuiter premens hostiam pollice manus sinistræ, vt ex altera parte eleuetur; eam accipit pollice et indice manus dextræ, et statim pollice etiam et indice sinistræ manus eam tenens, dicit Accepit Panem etc.

Quarto eum celebrans profert verba consecrationis, cubitos teneat super Altare positos ex rubricis de Ritu, ob rationem suo loco explicatam. Antequam autem eadem verba proferat, assuescat habere intentionem actualem. et actum voluntatis explicitum eliciat consecrandi iuxta Ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quamuis enim sufficiat intentio Virtualis; Nihilominus curare debet Sacerdos, vt etiam actualem intentionem adhibeat, Ex rubricis de defectibus Tit. 7. n. 4.

Quinto Ad eleuationem eum Sacerdos ostēdit hostiam populo adorandam eleuet quantum commodè potest, intentis in eam oculis. quod et in eleuatione Calicis facit, et sola manu dex[illegible]ra hostiam reponit super corporale Reliqua notantur in ord. Missæ in ipso Canone,

Sexto reposita hostia super Corporale, & adorato Sacramento, tunc, & non prius discooperit Calicem in quem si opus sit extergit digitos. Cùm dicit accipiens & hunc præclarum Calicem, ambabus manibus accipit eum, & aliquantulum eleuat, & statim deponit. Cùm dicit tibi Gratias agens, caput inclinat, et reliqua obseruans vt notantur in canone, cubitis super Altare positis, et capite inclinato profert verba consecrationis Sanguinis, et reliqua pariter obseruat, vt in ipso Canone notantur.

De Canone post consecrationem vsque ad orationem Dominicam.

IN hac parte Canonis distinctè notantur Ritus à Celebrante seruandi, signationes Crucis, extensione, et iunctione manuum, genuflexionibus etc. Addimus hæc pauca.

Primo non esse incipienda Illa verba vnde et memores: nisi reposito Calice, et adorato Sacramento, seu facta genuflexione: cùm autem fiunt benedictiones super oblata, et manus sinistra ponenda est super Altare, semper intelligitur intra corporale, nec vnquam manus extra corporale esse debent à consecratione vsque ad communionem inclusiue.

Secundo cum ad illa verba Omni benedictione etc. se signat Sacerdos, sinistram ponit infra pectus, nec debet se tangere pollice, et indice vnitis, quod etiam aduertere debet dū dextera sibi percutit pectus, vt se tangat alijs digitis liberis, non autem pollice, et indice, quibus nihil debet tangere, nisi Sacramentum.

Tertio ad per ipsum etc. accipiatur hostia non à parte inferiori, sed à latere aliquantulum infra medium, vt aptius cum ipsa signa efformentur, ter à labio ad labium calicis, non tamen tangendo ipsum Calicem, et sic de alijs signis, quæ recta linea fieri debent, absque hostiæ inclinatione. Alia seruentur prout notantur in ipso Canone.

De oratione Dominica, & alijs vsque ad Communionem.

ADorato Sacramento stans Sacerdos et manibus extensis hinc inde super Altare intra corporale positis, dicit Per omnia sæcula sæculorum; et Cum dicit oremus iungit manus, et caput Sacramento inclinat. Cùm dicit Pater noster, extendit manus, et alia seruantur vt expressè notantur in ipso ordine missæ.

Hostiæ diuisio à summo deorsum, paulatim tamen & ita leniter fieri debet, vt fragmentum extra Calicem exiliat, & hæc eadem ratione particula præcidenda est non à parte superiori, sed ab inferiori dimidiatæ iam hostiæ. Agnus Dei ter dicitur, vt notatur in Ordine missæ, & dum dicit Miserere nobis, percutiens Sacerdos sibi pectus dextera, sinistram ponit super corporale, & deinde non iungit manus, sed iterum percutit sibi pectus cum dicit secundo Miserere nobis, quod & tertiò facit cum dicit Dona nobis pacem. Deinde manibus iunctis super corporale positis, oculisque ad Sacramentum intentis, inclinatus dicit orationes ante communionem.

Dictis orationibus & adorato Sacramento, Sacerdos vtramque hostiæ partem supra patenam tenet inter pollicem & indicem, & Calicem, parum inclinatus dicens, Domine non sum dignus, & percutiens sibi pectus, interim non retrahens nequè remouens pedes, vt multi aptè quidam faciunt, sumit Sacramentum, cubitis super Altare positis, atque alia diligenter seruat prout notantur in Ordine missæ.

Post collectionem fragmentorum, & extersionem patenæ iunctis pollicibus & indicibus Calicem dextera manu infra nodum cuppæ accipit, sinistra vero patenam, dicens calicem salutaris &c. & signans se signo Crucis cum calice, dicit Sanguis Domini nostri &c. & manu sinistra supponens patenam calici reuerenter sumit totum sanguinem cum particula: & alia exequitur, vt in Ordine missæ.

Sumpta prima purificatione deponit Sacerdos patenam super corporale, & accipiens ambabus manibus calicem, tenens pollices & indices super ore eiusdem calicis procedit ad cornu Epistolæ, & super Altare in extrema eius parte, non autem extra, super calicem pollices & indices tenens vino & aqua abluit, & in medium rediens purificatorio digitos abstergit cauens ne gutta aliqua super corporale cadat, & sumit ablutionem supponens calici manu sinistra purificatorium, & eodem extergit os & calicem: quo facto purificatorium extendit super calicem, & desuper patenam; & reliqua exequitur, vt notantur in Ordine missæ.

De Orationibus post Communionem & reliquis vsque ad finem.

COllocato calice in medio Altaris celebrās accedit ad librum in cornu Epistolæ, & lecta iunctis manibus communione redit ad medium Altaris, & eo osculato vertit se ad populum, & dicit Dominus vobiscum, Deinde redit ad librum, & recitat orationem, vel oratio-

ctiones eodem modo & ordine, quo in principio dictæ sunt Collectæ; Quibus finitis claudit librum, reuertitur ad medium Altaris, vbi eo osculato vertit se ad populum, & dicit versus populum, Ite missa est, & per eandem viã reuertitur ad Altare Quando vero dicendum Benedicamus Domino, dicitur non versus populum, sed versus Altare. Dicto Placeat &c. pro vt in Ordine missæ, Sacerdos extensis manibus hinc inde super Altare positis, ipsum in medio osculatur, & stans versus illud eleuat ad cœlum oculos & manus, quas extendit & iungit, caputque cruci inclinans, dicit Benedicat vos Omnipotens Deus; Deinde vertens se ad populum manu dextra benedicit populo, sinistra infra pectus posita dicens Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & circulum perficiens accedit ad cornu Euangelij, legit Euangelium In principio, vel aliud vt conuenit, productis signis crucis super librum & seipsum, vt in primo Euangelio, non tamen osculatur in fine, nec prius petitur benedictio.

Quibus omnibus absolutis Sacerdos accipit calicem, descendit ante infimum gradum Altaris, & ibi in medio vertens se ad illud caput inclinat, vel si in eo seruatur Sanctissimum Sacramentum genuflectit; Deinde & nõn prius caput cooperit, & eodem modo quo venerat, redit in Sacristiam, interim dicens Antiphonam Trium puerorum cum Cantico, pro vt Missali.

Ea quæ omitti debent in missa pro Defunctis notantur simul in Rubricis vltimo loco explicatis Tit. 13. nec aliud occurrit addendum; Sed hic esto finis huius Secundæ Partis. Ad laudem Dei, & Virginis Deiparæ, atque Beati Caietani.





PARS TERTIA COMMENTARIORVM

In Tertium Ordinem Rubricarum Missalis Romani.

De Defectibus in celebratione Missarum occurrentibus.



TITVLVS I.

DE DEFECTIBVS IN GENERE, ET SPECIATIM DE DEFECTIBVS ORDINIS SACERDOTALIS.

1 SACERDOS celebraturus, omnem adhibeat diligentiam, ne desit aliquid ex requisitis ad Sacramentum Eucharistiæ conficiendum: Potest autem defectus contingere ex parte materiæ consecrandæ, & ex parte formæ adhibendæ, & ex parte ministri conficientis. Quidquid enim horum deficit, scilicet materia debita, forma cum intentione, & Ordo sacerdotalis in conficiente, non conficitur Sacramentum. Et his existentibus, quibuscumque alijs deficientibus, veritas adest Sacramenti. Alij verò sunt defectus, qui in Missæ celebratione occurrentes, etsi veritatem Sacramenti non impediant, possunt tamen aut cum peccato, aut cum scandalo contingere.

EXPLICATIO LITERALIS.



IN hac rubrica tria potiſſimũ notantur. Primo declaratur obligatio Sacerdotis cauendi defectus, qui poſſunt in miſſa occurrere. Secundo traditur diuiſio ipſorum defectuum in eos, qui veritatem Sacramenti impediunt, & a Theologis appellantur ſubſtantiales: & eos, qui non impediunt Sacramenti veritatem,& dicuntur accidentales. Tertio fit mentio de Ordine Sacerdotali requiſito in conficiendo ſacrificium, & Sacramentũ, de cuius Ordinis defectibus non ponitur infra ſpecialis titulus, ſicut de alijs; & ideo hoc loco agendum nobis eſt de defectibus occurrentibus in Ordine ſacerdotali poſtquam aliqua dixerimus de prædicta obligatione, & diuiſione defectuum in genere. Vnde diuidimus in duas Sectiones explicationem Dubiorũ circa hanc rubricam,in quarũ prima agemus de defectibus in genere,nempe de eorum natura, deque obligatione illos præcauendi; in ſecunda de Ordine ſacerdotali ac defectibus circa illum contingentibus.

DVBIA CONSCIENTIAE

SECTIO I.

De defectibus in genere, & de obligatione illos cauendi, & ſupplendi.

DVBIVM I.

Quid & quotuplex ſit Miſſæ defectus.

RESpondeo defectus eſt carentia alicuius requiſiti ad ritam & validam celebrationem miſſæ. Diuiditur in ſubſtantialem, & accidentalem: ſubſtantialis opponitur ſubſtantiæ, ſeu eſſentiæ ſacrificij, quia priuat ſacrificium parte eſſentiali, & ideo remanet irritum, & inualidum. Oritur autem ex triplici capite vt hic notatur, nempe vel ex parte materiæ conſecrandæ, vel ex parte formæ adhibendæ, vel ex parte miniſtri conficientis. Ratio eſt quia ſacrificium miſſæ cõſiſtit eſſentialiter in conſecratione diſtincta Sacramenti Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie: ergo ad ſubſtantiam ſacrificij eadem neceſſario exiguntur, quæ ſunt neceſſaria ad conficiendum Sacramentum Euchariſtiæ: ſed ad conficiendum hoc Sacramentum ſicut etiam in alijs concurrunt neceſſario materia, & forma, & intentio miniſtri legitimi, vt patet ex Concil. Florent. in decreto Eugenij, & docent communiter Theologi cum D. Thom 3. parte quæſt. 60. ergo defectus circa prædicta ſunt contra ſubſtantiam Sacramenti, & ſacrificij, Suar.tom.3. in 3.p.diſp.85 in principio, Garzias de Sacerdotio trac.3. difficul 9. initio Defectus accidentalis eſt carentia alicuius requiſiti, non ad eſſentiam ſacrificij, ſed ad ornatum, vel ad integritatem; ſpectat autem ad integritatem ſũptio Sacramenti; ritus autem, & cæremoniæ communiter ſpectant ad ornatum, & decentiam ſacrificij: de ſingulis autem defectibus tam ſubſtantialibus quam accidentalibus ſigillatim infra dicendum eſt iuxta ordinem in his rubricis præſcriptum.

DVBIVM II.

De obligatione cauendi, & ſupplendi defectus ſubſtantiales in genere.

RESpondeo & dico primo, Sacerdos celebraturus tenetur ſub peccato mort. præcauere defectus ſubſtantiales ſacrificij miſſæ, E g ſi ante inchoatam miſſam præuideat non adeſſe vinum, & fore, vt non poſſit haberi opportuno tempore:tenetur abſtinere à celebratione & grauiſſimum ſacrilegium committeret ſi vellet conſecrare in vna tantum ſpecie. Ratio eſt manifeſta: quia irritare Sacramentum vel ſacrificium eſt graue ſacrilegium contra reuerentiam Deo debitam, & ſacratiſſimo huic myſterio: ſed deficiente altera ex duplici ſpecie & materia, ſacrificium eſt irritum, vt ſupra ſuo loco ex communi DD. ſententia probauimus vel ſaltem eſt mutilum, & non integrum: ergo &c. ita D Thom.q 83 ar.6 & communiter. Vnde ſequitur etiam ſi Sacerdos ſit ſuper Altare, & in progreſſu aduertat ante cõſecrationem hoſtiæ defectum prædictum, & impotentiam ſupplendi. eum non poſſe licite conſecrare hoſtiam; quia vt diximus hoc eſt intrinſecè malum; ſed teneri diſcedere ab Altari,cauendo ſcandalum quantum fieri poteſt, Suar diſp 85.ſec.1. Auerſa q.11.ſec.16.

Dico ſecundo, Si defectus præuiſus non fuerit: ſed aduertatur in ipſo actu celebrationis poſt cõſecrationem,tenetur Sacerdos omnino ſupplere ſub pec. mot. vt in exemplo poſito

sito tenetur vinum procurare, & consecrare antequam viterius progrediatur idemque dicendum, de defectu formæ, intentionis &c. ne sacrificium sit irritum, vel mutilum: ergo si potest perficere, & supplere defectum tenetur sub pec. mor. D Thom. art. 6. cit Suarez loco cit. Angelus Tabiena siluest quos cit. & sequitur Bonacin. disp. 4. quæst. vlt. punc. 10 Auersa supra & comm.

Quid vero faciendum sit si vinum haberi non possit & iam consecrata sit hostia, dicemus infra suo loco. Interim monendi sunt sacerdotes de eo quod ex Nauar. Siluio & alijs notat Diana p. 2. trac. 14. res. 70. fine. in his casibus non esse scrupulis inherendum: sed faciendum quod tunc melius videtur; quodcumque enim bona fide tunc fit; coram Deo benefactum censetur.

DVBIVM III.

De obligatione cauendi, & supplendi defectus accidentales in genere.

Respondeo, & dico primo teneri sacerdotem sub pec. mor. ex genere suo adhibere moralem diligentiam vt huiusmodi defectus caueat. Probatur tenetur perfecte, & integre hoc sacrum ministerium perficere iuxta ritus Missalis, vt late probauimus q. procemiali sec 2. ergo tenetur etiam præcauere defectus obstantes, vt in hac rubrica notatur & colligitur ex D Thom. q. 83. ar. 6. Vide Suar tom. 3. in 3 p. disp 85 sec. 2. Auersam q. 11 sec. 16.

Difficultas est verum præuiso defectu sit potius omittenda Missa quam celebranda cum tali defectu, E. g. si non possit haberi aqua cum vino miscenda, vel desit aliqua ex vestibus. Item si hostia non sit omnino integra, vel vinum aliquantulum acidum, ita tamen vt certum sit esse verum vinum, de quibus suo loco in particulari dicemus. Nunc ad generalem doctrinam.

Distinguendum est; si defectus præuideatur ante inchoatam missam cum impotentia illum cauendi, regulariter loquendo potius omittenda est missa, quã cum tali defectu dicenda. Non enim sacra actio exerceri debet indebito modo: id enim est contra reuerentiam Deo & sacris ministerijs debitam. Dixi Regulariter loquendo: quia si ex omissione missæ sequeretur scandalum, vel simile graue incommodum, E. g. in maxima solemnitate, & defectus esset rei leuis; permitti poterit vt missa dicatur, & tunc non imputabitur ad culpã, vt in exemplo hostiæ aliquantulum fractæ, vel vini veri quidem sed non omnino sinceri; ita Suar. sup. sec. 2 cit.

Si autem defectus cum impotentia non fuerit præuisus ante missã sed aduertatur in progressu eiusdem missæ; seruanda erit regula, quã tradit D. Thom 3 p. q. 83. ar. 6. ad 2 nempe, si defectus aduertatur post consecrationem etiã solius hostiæ, E. g. si sacerdos recordetur se non esse ieiunum prosequenda erit missa, quia sacrificium substantialiter inchoatum non debet relinqui imperfectum ob ritum accidentalem. Quod si aduertatur defectus ante consecrationem & cæremonia grauis sit: omittẽdum potius erit sacrificium quã indebito modo conficiendum: nisi graue scandalum timeretur: in dubio autem & graui perplexitate, seu difficultate eligendum erit quod habet minus periculi, & minus malum putatur, Ita D. Thom. supra; Vide etiam Suar. disp 84. sec. 2. in fine. Quomodo autem hæc regula sit applicanda particularibus casibus, dicemus infra dum de ipsis defectibus singillatim.

Dico secundo, circa supplendos defectus accidentalis postquam commissi sunt in ipso actu celebrationis dico inquam, eos non esse supplendos regulariter loquendo resumendo omissa, & iterando præpostero ordine quod prius dicendum, vel faciendum erat, vt in his regulis Missalis insinuatur titulo 5. de defectu formæ, & in particulari suo loco explicabimus, ita D Thom q. 83. ar. 6. ad 5. Suar. disp. 85. sec. 2. concl. 2. & comm.

Ratio vero est quia ex vna parte ritus non pertinent ad substantiam sacrificij sed ad ornatum. Ex alia parte non conferunt ad ornatum, neque ad significationem sibi propriam, quãdo non dicuntur, vel fiunt suo loco, & tempore, sed potius perturbant: ergo potius omitti debent. Dixi Regulariter quia si in aliquo casu aliter statuatur in rubricis, vt de miscenda aqua cum vino etiam immediate ante cõsecrationem calicis, quando suo tempore non fuit apposita; seruandum erit quod rubricæ præscribunt. Vide Suar. sec. 2. cit.

Similiter si paulo post aduertat se prætermisisse aliquam ex præcipuis partibus, vt Euangelium inchoato Symbolo, vel offertorio, deberet suo ordine reassumere: quia minus malum id est quando incontinenti fit, quã illud omittere: semper tamen in supplendis his defectibus accidentalibus eligendum est, quod minus potest offendere populum vt supra dicebamus cum D. Tho. Suar. sup. Tambur. opus de sacrif. lib. 2. c. 5. §. 2. n. 23. Auersa q 11. sec. 16.

SE-

SECTIO II.

De Ordine Sacerdotali deque eius defectibus.

DVBIVM I.

Vtrum solus Sacerdos possit conficere sacrificium & Sacramentum Eucharistiæ.

Respondeo affirmatiuè, nempè solos sacerdotes sacrificium missæ validè offerre posse, & non alios; idemque dicendum de Sacramento Eucharistiæ est de fide ex Trident. sess. 22. cap. 1. Probatur conficere sacrificium, & Sacramentum Eucharistiæ est opus omnino supernaturale: ergo non potest validè fieri nisi per potestatem supernateralem à Deo acceptam, vt est auctor donorum supernaturalium; sed soli Sacerdotes eam potestatem supernaturalem à Deo accipiunt: ergo &c. Probatur minor Luc. 22. Cum enim Christus hoc Sacramentum consecrasset loquens cum Apostolis dixit, Hoc facite in meam commemorationem quibus verbis illis præcepit, vt facerent quod ipse fecerat, & consequenter dedit illis potestatem offerendi sacrificium, & conficiendi Sacramentum consecrando eos Sacerdotes. Rursus eam potestatem dedit solis Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus, quia illis solis, & non omnibus fidelibus dedit præceptum consecrandi: ergo soli sacerdotes habent potestatem consecrandi, & offerendi sacrificium; non autem alij fideles, ita D Tho. 3. par. quæst 82. art. primo & expositores communiter.

Colligitur primo, quamuis omnes Catholici aliqua ratione dicantur offerre sacrificium per sacerdotes quatenus sacerdos hoc sacrificium offert nomine totius Ecclesiæ tanquam eius legatus, minus tamen propriè, & remotè dicuntur offerre: Sacerdotes autem propriè, & per se verè offerunt, vt ministri ipsius Christi ad hanc effectum consecrati.

Colligitur secundo, eum qui inualidè suscepit ordinem sacerdotalem: si celebrare præsumat, vel tentet: nihil omnino efficere: quia perinde se habet, ac ordinatus non fuisset, & vere non est sacerdos. Vnde videndum est in sequentibus dubijs ex quibus defectibus ordo sacerdotalis fit irritus & inualidus. Possunt autem hi defectus similiter occurrere vel ex parte materiæ, vel ex parte formæ, vel ex parte ministri conferentis ordines, vel tandem ex parte ipsius suscipientis; de quibus omnibus breuiter agendum est quatenus pertinent ad nostrum institutum.

DVBIVM II.

Vtrum Angelus possit conficere Eucharistiam, et sacrificium.

Ratio dubitandi est, quia quicquid potest minister inferior, potest & superior, sicut quicquid potest Diaconus, potest & sacerdos: Sed Angeli sunt superiores ministri in ordine Hierarchico, idest supra homines, & sacerdotes, vt patet per Dionysium de cœlesti Hierarchia: ergo cum homines idest sacerdotes possint conficere hoc Sacramentum, multo magis Angeli.

Proponit hanc quęstionem D. Th. de omnibus Sacramentis in genere 3 p. quæst. 74 art. 7 cuius doctrinam breuiter afferemus, & inde colligendum erit quid sentiendum in particulari de Eucharistia, & sacrificio.

Respondeo, & dico primo Angeli non possunt conficere Sacramenta de lege ordinaria, atque adeo minister cuiuslibet Sacramenti necessario debet esse homo. Probatur: quia Sacramenta habent vim suam ex Institutione Christi, qui solos homines Instituit Sacramentorum ministros: ergo hæc potestas non competit Angelis, sed solis hominibus. Antecedens Probatur: Ex omnibus scripturis vbi Sacramenta instituuntur, aut ministrorum eorundem fit mentio: Item constat ex communi sensu Ecclesiæ; sic autem placuit Christo Domino: quia Sacramenta vim habent à passione, quam sustinuit Christus secundum quod est homo: & ideo voluit homines, non Angelos eorum ministros instituere, sicut in remedium hominum, non Angelorum ea instituit, Ita D Thomas art. 7. citato in corpore, & ibi expositores.

Dico secundo de Potentia Dei absoluta, seu ex commissione Dei extraordinaria posse Angelum esse ministrum Sacramentorum, seu conficere quodlibet Sacramentum, probatur: quia sicut Deus potest suo arbitrio quęcumque effectum Sacramentorum conferre alia ratione, & præter legem ordinariam; ita potest præter legem ordinariam alijs etiam committere Ministerium Sacramentorum, D. Thom. loco citato, & expositores communiter.

Colligitur primo ad rem nostram posse Angelos ex commissione Dei extraordinaria conficere Sacramentum Eucharistiæ, & Sacrificium,

cium; quia potest Deus in sua lege dispensare: de lege tamen ordinaria hoc solis hominibus competit, non tamē omnibus, sed promotis ad gradum Sacerdotalem. vnde est illud Apost. ad Hæbr. 5. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, vt offerat Sacrificia &c. quem locum allegat S. Th. ibidem, atque idem dicendum de alijs Sacramentis.

Colligitur secundo si bonus Angelus aliquod Sacramentum alicui conferret, habendum esse omnino ratum; quia certum est illum hoc non facturum nisi ex auctoritate & commissione Dei: sicut quædam Templa dicuntur Angelico ministerio consecrata, D. Th. ibidem, sic etiam Nicephorus lib 11. cap. 2. refert Sanctum Amphilochium per Angelos ordinatum Episcopum.

E contra si Diabolus aliquod Sacramentum conferret nulla ratione esse ratum habendum; quia est pater mendacij, & non est verisimile hoc vnquam à Deo ei committi, D. Th. ibidem.

Colligitur Tertio quid sit dicendum de Sanctis, & Beatis, qui sunt in Cœlo. Dicendum est enim animas separatas non posse conficere Sacramenta: quia non sunt homines, & quāuis retineant Characterem, quia tamen hoc non sufficit sine organo corporeo, quo vox humana, vel alia actio vitalis, qua constituendum est Sacramentum exerceri possit: ideo &c, Quod si assumant corpus non vere humanum, sed composi um ex aëre, quale assumi solet ab Angelis neque poterunt; quia neque tunc sunt veri homines. Tandem si resumant corpus proprium, sed gloriosum probabilius est non posse ex lege ordinaria conficere, & ministrare Sacramenta (quamuis D. Th. oppositum insinuet) Ratio est: quia sicut Sacramenta instituta sunt pro solis hominibus viatoribus, ita etiam eorum ministri instituti sunt soli viatores; alias sequeretur damnatum Sacerdotem post resurrectionem posse vere consecrare, & remittere peccata, si apta materia illi offeretur, atque adeo retinere veram potestatem in corpus Christi verum et mysticum, et alia similia sequerentur, satis absurda. D. autem Thomas re vera id non asseruit, quamuis nec negauerit, sed transire permisit, quia non erat necessarium negare ad solutionem argumenti; vide Cardinalem de Lugo de Sacram. disp. 8. sec. 1.

Ad Rationem dubitandi initio positam Respondet D. Th. ad 1. quod illud quod faciunt homines inferiori modo idest per sensibilia, communiter loquendo, faciunt Angeli superiori modo, inuisibiliter purgando, illuminando etc. non tamen vniuersaliter, Insuper maior propositio est vera de ministris subordinatis in eodem genere, non verò simpliciter nam homines sunt superiores volucribus, et tamen volare non possunt. Falsum est ergo Creaturas superiores ordinis posse quicquid possunt inferiores.

DVBIVM III.

De defectu ordinis Sacerdotalis ratione materiæ non integra.

Supponendum, materiam Præsbiteratus in ordine ad potestatem consecrandi integrari ex traditione Patenæ cum Hostia, & calicis, cum vino; eo quia sacrificium Missæ consistit in consecratione vtriusque speciei: non loquimur hic de impositione manuum, & de potestate absoluendi à peccatis: quia non spectant ad nostrum institutum. Quærimus ergo vtrum si ordinando in sacerdotem tradantur vasa sacra absque altera specierum E.g. tradatur Calix vacuus, cui per incuriam non fuerit appositum vinum,, vtrum in hoc casu ordo Sacerdotalis sit validus nec ne,

Prima sententia docet ordinem esse inualidum. Probatur quia vtraque pars materiæ spectat ad essentiam Sacrificij; ergo etiam spectat ad essentiam sacræ ordinationis sacerdotis consequenter ex defectu alterius sacra ordinatio est innalida, & ille re vera non fit Sacerdos.

Probatur secundo potestas consecrandi traditur respectiuè per traditionem materiæ; ergo deficiente altera ex speciebus, ordinatus non acquirit potestatem consecrandi illam speciem, quæ defuit in ordinatione: ergo non potest offerre sacrificium quod essentialiter consistit in consecratione distincta vtriusque speciei, ita Ledesma in summ. de Sacram. ord. cap 3. Io: de cruce de Sacram. ord. dub. 2. Villalobos, & alij apud Dianam 3 p. trac. 4. resol. 186 Garzias de Sacerd. trac 1. diffic. 1. dub. 7. num 8. dicens, ordinem esse necessario iterandum.

Secunda sententia opposita sustinet traditionem vasis cum altera specierum esse materiam sufficientem ordinis sacerdotalis, nec opus esse interatione.

Probatur quia non datur potestas in vnam speciem, & non in alteram ob connexionem necessariam; quam habent ad inuicem: certum est autem per traditionem patenæ cum hostia conferri ordinando potestatem consecrandi hostiam, & conficiendi corpus Christi Domini: quia id significant verba formæ Sacra-

cramenti ordinis ergo etiam confertur potestas conficiendi Sanguinem seu consecrandi Calicem, Ita Henriquez, Bonac. Filiucc. Hobonus, & alij. quos citat, & sequitur Diana loco citato res. 186. Hæc secunda sententia speculatiuè loquendo est probabilior: ceterum vtrum sit iterandus ordo infra dicemus.

Ad opposita respondetur ad primum negando antecedens: nam ad essentiam materiæ sufficit qualibet species disiunctiuè itaut altera subsequens spectet solum ad integritatem.

Ad secumdum respondetur per traditionem cuiuslibet partis materiæ cum debita forma tradi essentialem potestatem consecrandi vtramque partem: significari autem expressius, & perfici characterem tradtione alterius.

DVBIVM IV.

Vtrum si vasa in quibus traditur materia Præsbiteratus, nempe calix et Patena non sint consecrata, ipse ordo Sacerdotalis sit validus.

Ratio dubitandi est, quia ordo subdiaconatus est inualidus si pro materia tradatur Calix non consecratus, vt tenent fere communiter DD. apud Dianam par. 19. trac. 11. resol. 9.

Respondeo nihilominus ordinem Sacerdotalem esse validum, iuxta probabiliorem sententiam, & speculatiuè loquendo:

Probatur quia materia consecranda à sacerdote est panis, & vinum in quocumque vase sit: secus est de subdiaconatu: quia officium Subdiaconi est tractare vasa sacra: non autem alia non consecrata. Ita DD. communiter apud Dianam supra. Dixi speculatiuè loquendo: quia cum opposita sententia sit etiā probabilis; sic ordinatus non est tutus in praxi, sed iterum sub conditione ordinari debet: ex infra dicendis & docet idem Diana par. 10 trac. 15. res. 20. 5. ex his circa finem.

DVBIVM V.

Vtrum ex defectu contactus materia ordo Sacerdotalis sit inualidus.

Aduertendum est distingui hic à DD. duplicem contactum phisicum & moralem; contractus phisicus est qui fit propria, & reali sensatione, quando inter tangibile, & organum tactus nihil mediat. Moralis est contract. improprius, & putatiuus consistens in aliquo signo tangendi, E. g. extensio manus versus materiam quæ tangi dicitur: sicut dicimus alicuius manum osculari, quando signum osculi exhibemus, quamuis cum effectu, & re ipsa manum non osculemur. Hoc posito:

Primo est certum in hac quæstione contactū phisicum, & proprium materiæ singulorum ordinum esse necessarium saltem necessitate præcepti: quia sub peccato mor præcipitur ab Ecclesia, ne Sacramentum exponatur periculo irritationis, vt constat ex cap. Presbiter de Sacramentis non iterandis. Item constat ex pontificali, & ex communi vsu Ecclesiæ. Est igitur quæstio vtrum contactus phisicus sit etiam necessarius necessitate medij ad valorem Sacramenti.

Secundo est ferè certum communiter inter DD. ad valorem ordinis Sacerdotalis non esse necessarium contactum immediatum hostiæ, seu panis; sed sufficere contactum patenæ super qua hostia continetur: sicut etiam per omnes sufficit contactus Calicis in quo continetur vinum, Est igitur quæstio vtrum sit necessarius contactus phisicus, vel sufficiat moralis.

Prima sententia sustinet requiri necessario contactum phisicum ad valorem cui uslibet ordinis, & præcipue ordinis Sacerdotalis. Probatur primo ex parte ministri conferentis ordines est absolute necessarius contactus phisicus in traditione materiæ vt omnes concedunt: ergo et etiam necessarius ex parte suscipientis in acceptatione eiusdem materiæ, & potestatis, quæ illi traditur Probatur consequentia quia traditio, & acceptatio sunt correlatiua & habent proportionem ad inuicem.

Probatur secundo in Sacramento Baptismi, confirmationis, & alijs est necessarius contactus physicus, & physica ablutio, Vnctio &c. ergo etiam ad valorem Sacramenti ordinis requiritur contactus physicus; nam alias non verificarentur in rigore verba formæ accipe hoc, vel illud Ita Caietanus, Coninch, Marchinus, & alij, quos citat, & sequitur Garzias de Sacerdotio tract 1. diff 1. dub. 8.

Secunda sententia probabilior docet sufficere contactum moralem. Probatur primo quia neque ex concilijs, neque ex decretis Summorum Pontificum probari potest necessitas contactus physici

Probat. 2. Si esset necessarius contactus physicus, maximè propter acceptationem porestatis spiritualis significatæ simbolo externo materiæ: sed hoc est falsum: quia ad veram acceptationem non requiritur contactus physicus rei quæ acceptatur, sed sufficit signum consensus, vt patet ex communi vsu in alijs donationibus & acceptationibus ergo &c.

Pro-

Probatur tertio: nam aliàs sequeretur paruulos, qui vsu rationis carent inualide ordinari, quod repugnat communi sententiæ, Ita Sotus, Victoria, Henriquez, Vasquez, Molsesius, & alij apud Dianam 2.p. trac 2. Miscellan. res.3 & p.3. trac.4. res. 185. Vtrum autem ex hac sententia sequatur non opus esse iterare ordinem, dicemus inferius.

Ad opposita respondetur ad primum negãdo consequentiam quamuis enim traditio, & acceptatio sint correlatiua, non tamen sunt eiusdem rationis sed diuersæ.

Ad secundam partem negatur consequentia ratio discriminis est, quia in Baptismo verba formæ diriguntur ad actionem determinatã circa personam, quæ baptizatur tanquam circa passum: cum ergo actio sit phisica requiritur etiam passio phisica, & contactus phisicus. In Sacramento vero Ordinis diriguntur verba ad determinãdam intentionem ordinati, quæ potest ab eo significari nedum tactu, sed etiam alijs signis.

Super est vnica difficultas; vtrum ad valorem ordinis sacerdotalis vel saltem ad satisfaciendum præcepto opus sit tangere immediate tum calicem tum patenam, vel sufficiat tãgere solum calicem, cui superposita est patena cum hostia. Respondeo ratione præcepti secundum omnes opus esse tangere immediatè tum calicem tum patenam, quia ita præscribitur in Pontificali Cæterum ad valorem ordinis probabile est sufficere contactum solius calicis, quia secundum communem vsum & conceptum hominum tactus ille extenditur etiam ad patenam superpositam; quamuis grauiter peccaret qui voluntariè nollet patenam tangere; ita Sotus, Siluester, Ledesma, Coninch. quos citat, & sequitur Diana 3. par. tr.4 res.186.& p 6.tract.8 res.16

Colligitur, non esse audiendos eos, qui sentiunt ad valorem ordinis esse tangendam immediatè ipsam hostiam: quia sufficienter tangitur in suo continente ex supradictis.

DVBIVM VI.

Vtrum in ordinatione Sacerdotum sit de necessitate Sacramenti, vt materia in suis vasis porrigatur immediatè ab Episcopo.

RAtio dubitandi esse potest: quia in cæteris ordinibus sufficere videtur vt materia tradatur ab Episcopo per Archidiaconum, vt docet Sà verbo ordo num. 5. ergo idem dici potest de ordine Presbyteratus.

Respondeo nihilominus ex communi sententia affirmatiuè, alias ordinatio erit nulla, & inualida.

Probatur: quia de omnibus ordinibus id manifestè colligitur: Tum ex iure communi in cap. Subdiaconus dist.23. Tum ex Pontificali Romano, vbi semper habetur, vt ipsemet Episcopus porrigat materiam ordinandis, vt aduertit Caietanus tom.1. Opusc. tract.11.

Probatur secundo, ratione: quia in Sacramentis consistentibus in vsu, idem est aliquem esse ministrum Sacramenti, & per seipsum applicare materiam, & formã suo subiecto, quippe administratio Sacramentorum huiusmodi consistit formaliter in tali applicatione: vt patet in Baptismo, Confirmatione, & extrema Vnctione: Sed ordinatio, seu collatio ordinum est Sacramentum consistens in vsu, & per se patet: ergo &c. Constat autem Episcopum esse ministrum proprium Sacramenti Ordinis: ergo de necessitate huius Sacramenti est vt idem Episcopus nedum proferat formam; sed etiam per se ipsum applicet materiam suscipientibus ordines.

Nec obstat in Sacramento Pœnitentiæ ipsũ pœnitentem subministrare materiam confessionis: quia hoc Sacramentum singulariter institutum fuit per modum iudicij, ad quod requiritur accusatio & confessio rei, & ideo est diuersa ratio. Cæterùm in alijs militat ratio adducta, ita Siluest. Suar. Bonacina, Escobar. Isambert, & alij communiter; quos citat & sequitur Diana p.10. trac 15. res. 13.

Ad rationem dubitandi respondetur etiam in alijs ordinibus esse de necessitate Sacramẽti, vt materia porrigatur immediatè ab Episcopo ex communi sententia, & quoad ordines maiores, præsertim quoad sacerdotium id esse certum, vnde idem Sà eximit sacerdotium.

Colligitur, si quis susceperit ordinem, præsertim sacerdotalem porrecta materia non ab Episcopo, sed ab Archidiacono vel alio, eum teneri iterum suscipere eundem ordinem, vel absolutè quia ex communi sententia talis ordinatio fuit simpliciter inualida, vel saltem sub conditione: quia saltem est satis dubia, vt vult Auersa de Sacramento Ordinis quæst. 2. sect. 2.



DVBIVM VII.

De coexistentia materiæ cum forma Ordinis Sacerdotalis Vtrum illius defectu ordo sit inualidus.

E.G Si Episcopus non proferat verba formæ eo præciso tempore, quo ordinandi tangunt materiam; sed vel paulo ante, vel post.

Prima sententia sustinet verba formæ esse proferenda eo præciso tempore, quo tangitur materia, ita vt simul & physicè coëxistant, alias ordinem esse inualidum.

Probatur primo, quia alias non verificantur verba formæ Accipe potestatem &c. quia traditio habet connexionem cum acceptatione, & contactu.

Probatur secundo, quia in Pontificali id expressè ordinatur, & statuitur, & colligitur etiam ex cap vltimo de Sacramentis non iterandis: ergo signum est esse absolutè necessarium, ita Caietanus to.1.opusc.trac.26. Nauar. in Manuali c.22.n.17.

Secunda sententia opposita, est longe probabilior, quæ docet sufficere coexistentiam, & simultatem moralem, ita vt non intercedat mora notabilis inter contactum materiæ, & prolationem formæ. Probatur: quia significatio est quid morale, ergo morali modo determinanda est, consequenter non opus est in casu nostro coexistentia physica.

Confirmatur: quia in ordinatione Subdiaconorum statuitur in Pontificali, vt successiuè ordinandi accedant ad tangendum calicem, quando multi sunt, vnica prolata forma super omnes: in quo casu non adest simultas illa & coexistentia physica: iam enim prolatio phisicè completa est quando vltimi accedunt, & nihilominus certum est sacrum ordinem esse validum: ergo pariter in casu nostro, ita Garzias de Sacerdotio tractat. 1. difficult. 1. dub 7. cum Marchino, Fornario, & alijs, quos citat & affert declarationem S. Congregationis in fauorem huius secundæ sententiæ. Vide etiam Diana p.5. tra.13, ref 48. vbi agit vtrum in hoc casu debeat iteri ordo, de qua quæst. nos infra tractabimus.

DVBIVM VIII.

Vtrum ex defectu intentiones Episcopi conferentis ordines Sacerdotium sit inualidum.

CErtum est in hac quæstione quando constat Episcopum noluisse aliquem ordinare: quia hoc declarauit vel in ipso actu sac. Ordinationis, vel postea, certum est inquam illum inualidè suscepisse Ordinem, quia intentio ministri est absolute necessaria ad valorem cuiuslibet Sacramenti. Difficultas est quando dubitatur de intentione Episcopi cōferentis ordines, vt sæpius dubitatum fuit de illis, qui furtiue accedunt. Ratio dubitandi est quia ante collationem ordinum ab Episcopo, vel eius officiali fit publica protestatio, qua declaratur Episcopum nolle ordinare eos qui accedunt ad ordines cum aliquo impedimento Ex.g nolle ordinare irregulares, carentes patrimonio: vel literis dimissorijs. Item non examinatos nec descriptos à Notario. Quæritur vtrum si nihilominus quispiam furtiuè accedat cum aliquo ex prædictis impedimentis suscipiat validè ordinem, præsertim sacerdotalem de quo loquimur.

Prima sententia sustinet in prædicto casu accedentem furtiuè non esse ordinatum, vel saltem ordinationem esse dubiam, & necessario iterandam.

Probatur: quia intentio ministri est absolutè necessaria: vt diximus, & ea deficiente ordo est inualidus: sed in casu nostro vel absolutè defuit intentio, vt constat ex protestatione iam facta, vel de ea intentione rationabiliter dubitatur: ergo vel ordo est absolutè inualidus, vel saltem dubius, & consequenter iterandus. Posset autem adiri Episcopus, & peti ab eo vt suam intentionem declaret: quod si nō potest hoc fieri debet iterari Ordo, ita Villalobos trac. 18. diff. 9. Card. Lugo de Sacram. disp. 8. sec. 7. n. 119.

Secunda sententia probabilior sustinet ordinem esse validum nec opus esse iteratione, sed absolutione à censuris, de quibus modò non loquimur: Fundamentum est quia non obstante protestatione, vel edicto præsumitur Episcopus habere intentionem ordinandi singulos accedentes. Probatur primo: quia illa protestatio generalis solet fieri ad terrorem, ne indigni accedant: posito autem quod aliquis indignus accesserit Episcopus absolute intendit conferre ordines ad cauenda grauiora absurda.

Probatur secundo; quia non potest Episcopus licitè punire peccatores occultos in ea actione publica, sed furtiuè accedentes sunt peccatores occulti, saltem respectu Episcopi; ergo non potest licitè Episcopus publicè eos punire; consequenter non præsumitur nolle eos ordinare.

Confirmatur: quia non obstante ea protestatione solet Episcopus absoluere præsentes ordinandos à qualibet excommunicatione, & dispensare cum illis in irregularitate ad hunc effectum &c. ergo absolutè intendit eos ordinare.

Tandem quia non obstante protestatione prædicta applicat singulis materiam & profert absolute formam dicens, Accipe potestatē &c. non autem sub conditione si es dignus, vel non intrusus: ergo præsumitur in Episcopo verè intentio conferendi ordines præsertim sacerdotium, ita Nauarrus lib.1. consiliorum de temporibus ordinationum cons. 8. Marchinus de Sacramento Ordinis trac.1.p.2 c. 11. Vgolinus, Grassis, Rodriq. & alij, quos citat, & sequitur Garzias tra.1. de Sacerd. diff.1.dub.13.p.4. qui asserunt non esse necessario iterandum ordinem, & ita iudicasse Magistros Salmaticenses contra Complutenses. Sed de iteratione infra: vide etiam Dianam p.5. trac.13.res.66.

Ex dictis patet, ad fundamentum primæ sententiæ nempe ex ea protestatione non colligi defectum intentionis; quia fit ad terrore. Vel explicanda est protestatio de illis, quos nouit Episcopus illis impedimentis laborare, non vero quos ignorauerit, ita Præpositus in 3.p. q. vnica dub.17.

DVBIVM IX.

Vtrum ex defectu licentiæ seu consensus proprij Episcopi sacra Ordinatio sit inualida.

EXemp.gr si quis ordinetur Presbyter ab Episcopo alieno contra voluntatem proprij Episcopi sine literis dimissorijs, vel cum literis falsis.

Respond. & dico primo, ordinationem esse validam, & imprimere characterem. Probatur quia valor sacramentorum pendet ex Christi institutione nec potest irritari à Prælatis, posito quod concurrant essentialia; nempe materia forma & intentio ministri conferentis. Ita est in casu nostro: quia proprius Episcopus non est minister conferens, vt supponimus; ergo &c. Ita Doct. communiter apud Garz. loc. cit. in fine præcedentis dubij num.32.

Dico secundo, suscipiens furtiuè ordinem sacrum peccat mort. & incurrit suspensionem ex cap. veniens de eo qui furtiue &c. Quod si Episcopus, vt fieri solet fulminauerit excommunicationem latæ sententiæ contra furtiue accedentes incurrit etiam excommunicationem Garz. loco sup. cit. qui addit incurrere etiam irregul.

Colligitur Ordinationem simoniacam vel aliàs sacrilegam, & quouis graui delicto fœdatam, esse validam & characterem imprimere si concurrant essentialia modo supra explicato: quia irritari non potest aliquo iure humano: quas autem pœnas incurrant simoniaci prædicti, tum ordinantes, tum ordinati spectat ad trac. de simonia.

DVBIVM X.

Vtrum ex defectu consensus Superioris regularis sacra ordinatio religiosorum sit inualida.

RAtio dubitandi est, quia religiosus subditus ex vi voti obedientiæ caret velle & nolle, ita vt omnes actus contra voluntatem superioris, vel sint irriti, vel irritabiles eiusdem superioris arbitrio etiam vota Deo facta: ergo ordinatio in casu nostro erit inualida: quia religiosus suscipiens ordinem non potuit valide consentire.

Prima sententia sustinet ordinationem esse inualidam in casu posito, ita nonnulli Canonistæ quos taciro nomine citat. Garz. de Sacerd. tra.1.diff.1.dub.13.p.4.

Probatur primo, à pari. Applicatio Missæ sacerdotis religiosi contra voluntatem superioris est inualida, vt docent multi DD. quos infra citabimus in appendice sec.2.punc. ergo pariter voluntas suscipiendi ordines contra voluntatem superioris est inefficax, & inualida: quia in vtroque casu præualet voluntas superioris.

Probatur secundo, Absolutio Confessarij Regularis suspensi à suo Prælato est omnino irrita, saltem respectu regularium; ergo etiam susceptio ordinis.

Opposita tamen sententia est communis & vera, nempe religiosum in casu posito peccare mortaliter, Ordinationem tamen esse absolute validam, & non iterandam.

Probatur: quia valor sacramentorum non pendet a voluntatem Prælatorum Ecclesiæ, sed est inuariabilis ex Christi institutione; posita debita materia, forma, & intentione ministri, & ex parte suscipientis priuato eius consensu; sed in casu nostro concurrunt omnia prædicta; ergo nequit impediri à voluntatem Prælati.

Confirmatur. Si sacerdos regularis cele. bret contra expressam voluntatem superioris conficit Sacramentum: ergo si subditus regularis suscipiat ordinem contra voluntatem superioris ordinatio erit valida.

Probatur secundo, Dominium superioris regularis in subditum non est maius eo, quod habet pater in filium, vel dominus in seruum: sed si filius initietur ordine sacro contradicente patre, ordinatio est valida: ergo pariter in casu nostro, ita DD. communiter apud Garziam loco supra cit.

Ad opposita respondetur ad primum, negando antecedens: deinde esto antecedens sit verum: quia non ita constat de institutione Christi circa applicationem sacrificij, verum sit independens à voluntate prælatorum, sicut constat de valore sacramentorum; negatur consequentia.

Ad secundum consequentia pariter est falsa: quia potestas iurisdictionis potest suspendi à Prælatis à quibus etiam confertur, non autem potestas ordinis, vel effectus ordinationis.

DVBIVM XI.

Vtrum ex defectu consensus ipsius ordinati sit inualida ordinatio.

Exemp. gr. si quis ordinetur per vim, & metum.

Respondeo, & dico primo, quando suscipiens ordinem est absolutè inuitus, & nullo modo consentit, ordinatio est inualida: Ratio, quia ex communi Doctor sententia, vt adultus validè baptizetur & alia Sacramenta recipiat, requiritur eiusdem consensus, & intentio recipiendi Sacramenta: ergo idem dicendum de Sacram. Ordinis. Sicut etiam Deus non iustificat adultum sine eius consensu ex suaui dispositione prouid. diuinæ.

Probatur secundo, ex cap. Maiores de Baptismo, cuius verba sunt: ille verò qui nunquam consentit, sed potius contradicit, nec rem nec characterem suscipit Sacramenti Siluest. verb Ordo 4. num 1. Henriq. de Sacram. c 14. § 3. Coninch. de Sacram. disp. 20. dub vlt. & communiter DD Nec est simile de infantibus qui cum libertate careant & consequenter consensu, supplet pro ipsis Ecclesia.

Dico secundo quando suscipiens ordinem non est absolutè inuitus, sed secundum quid: quis ordinatur per metum: aliàs non suscepturus ordinem; tunc ordinatio est absolutè valida ob consensum absolutum, & simpliciter voluntarium. Vnde tenetur ipse suscipiens ad obseruantiam eorum quæ iure diuino sunt adnexa ordini; non verò ad ea, quæ sunt adnexa iure Ecclesiastico si metus grauis sit, & cadens in constantem virum: Consequenter nõ tenetur ad votum castitatis, & potest contrahere matrimonium sine dispensatione; quia metus iure Ecclesiastico irritat votum, ita Soto, Nauar. Tabien. apud Filiuc. trac. 9. c. 4. n. 74 Diana p. 3. tra 4. res. 193.

DVBIVM XII.

An promotus per saltum ad ordinem Presbyteratus sit valide ordinatus.

Exemp. gr. Si quis ordinetur sacerdos non suscepto diaconatu.

Respondeo & dico primo: Ordinatus per saltum est valide ordinatus. Probatur: quia singuli ordines sunt specie distincti, & vnus nõ pendet essentialiter ab alio, nisi quoad debitum ordinem: ergo positis necessarijs requisitis materia, forma, & intentione, qualibet S. ordin. imprimit characterem independenter ab alia: ita DD. communiter apud Garziam de Sacerdotio trac. 1. diff. 1. dub. 13. p. 3. Non loquimur hic de ordine Episcopatus, qui inualide susciperetur ante sacerdotalem: quia Episcopatus includit essentialiter sacerdotium, & illud perficit.

Dico secundo Promotus per saltum remanet ipso facto suspensus ab administratione ordinis male suscepti Doctor. communiter apud Dianā p. 5. trac. 10. res. 27. Potest tamen Episcopus cum eo dispensare, primo vt prætermissum ordinem suscipiat: secundo vt in ordine male suscepto ministret: tertio vt ad superiores ascendat, quamuis delictum sit publicum ex Trid. sess 23. de reformatione c. 14. Cum hac limitatione dummodo in male suscepto ordine vel in prætermisso non ministrauerit: quia tunc fit irregularis, cum quo non dispensat Episcopus saltem quando delictum est publicum: Vide Dianam supra.

DVBIVM XIII.

An promotus ad Sacerdotium ante legitimam ætatem valide ordinetur.

Est autem ætas legitima annus vigesimus quintus inchoatus ex Tridentin sess. 23. cap. 12.

Respondeo & dico primo, sic promotus valide

fide ordinatur. Probatur quia iure diuino non est præscripta ætas determinata ad susceptionem ordinum, sed solum iure Ecclesiastico; Ergo defectus ætatis non obstat valori ordinis, quamuis peccet qui ante legitimam ætatem ordinatur Probatur consequentia, quia valor ordinationis pendet ex sola institutione diuina: non vere ab Ecclesia Ita eum D. Th. in 4. dist. 25. quæst. 2. art 2. & 3. par. quæst. 39 art. 2. docent communiter DD.

Dico secundo qui bona fide sic ordinatur credens rationabiliter se habere legitimam ætatem E. g. ob errorem parentum in supputandis annis, non peccat neque suspensionem incurrit: vnde si bona fide durante celebret non fit irregularis. Quod non peccet, probatur quia ad peccatum requiritur voluntarium, & aduertentia; sed in casu nostro deest aduertentia ergo &c. Rursus hinc sequitur, illum non incurrere suspensionem latam contra præsumentes promoueri ante legitimam ætatem; quia suspensio fertur in pœnam delicti, & præsumptionis prædictæ; sed in casu nostro non adest delictum: ergo &c.

Tandem non incurritur irregularitas: quia celebrans bona fide durante non violat suspensionem quam non incurrit; ergo &c. Ita Suar. de censuris disp. 31. sec. prima Præpositus in 3. par. trac. de Sacramento ord dub. 17. Tolet. l. 1, cap 25. & alij communiter apud Dianam p. 3. trac. 4. resol. 182. & 193

Dico tertio qui bona fide suscepit Ordinem ante legitimam ætatem, si postea detecto errore celebret peccat mortaliter, quia transit in malam fidem; non tamen incurrit irregularitatem. quod peccet mortaliter: Probatur, quia violat legem Ecclesiasticam in materia graui, qua prohibetur exercitium ordinis male suscepti Quod autem non incurrat irregularitatem, probatur; quia cum a principio non incurrerit suspensionem, non est cur incidat in irregularitatem; vide Dianam loco supra citato.

Colligitur prædictum ordinatū peccare mortaliter celebrando vsque ad complementum legitimæ ætatis. Ceterum completa ætate eum licite celebrare absque alia dispensatione quia vt diximus eum non incurrerit suspensionem, neque irregularitatem; nullum habet impedimentum super quo dispensetur cum eo: DD supra citati.

Dico quarto qui mala fide suscipit Sacerdotium, vel alium ordinem ante legitimam ætatem peccat mortaliter contra prohibitionem Ecclesiæ, & incurrit pœnam suspensionis ab executione saltem eiusdem ordinis sic male suscepti: consequenter si illum exerceat fiit irregularis; Ita DD. communiter ex varijs decretis Summorum Pontificum, & aliqui volunt suspensionem intelligendam esse ab executione etiam aliorum ordinum; vide Dianā p. 3. trac. 4 res 182. & Garziam de Sacerdotio trac. 1. diffic. prima dub. 3 punc 1.

Dubium hic emergit verum in ætate requisita ad ordines detur paruitas materiæ; E. g. complet quis 24. annum paulo post meridiem, quæritur an excusetur à peccato mortali si suscipiat Sacerdotium pauló ante meridiem, vel vnica hora ante legitimam ætatem.

Prima sententia docet illum excusari ratione paruitatis materiæ: Primo nā quod parum distat nihil distare videtur. Secundo quia in moralibus parum pro nihilo reputatur: ergo nec peccat mortaliter in casu nostro, nec consequenter suspensionem incurrit ita Ledesma, & Villalobos apud Dianam 2. par. tract. 2. miscel. res. 29.

Opposita tamen sententia est communis & vera quam defendit idem Diana p. 5 trac. 5. resol. 17. cum Pontio, Henriquez, & aliis quos citat, & Garzias loco supra citato, qui dicit esse certam.

Probatur quia requiritur annus vigesimus V. saltem inceptus: sed non potest dici inceptus quando nondum est completus 24 ergo &c. Completo autem 24. anno, & cæpto 25. etiam per horam potest quis licite ordinari: quia verum est eum attigisse annum vigesimū quintum: quippe dies cæptus in fauorabilibus habetur pro completo, lege qua ætate ff. de testamentis.

Ad oppposita respondetur ad primum illud axioma habere locum vbi tempus non est iure præfinitum: secus in casu nostro, vel in casu professionis regularium, & similibus &c.

Ad secundum respondetur primo vt supra ad primum argumentum; secundo respondetur, illud Axioma esse, verum, quando ex minuto temporis non pendet tota impletio præcepti, secus si pendeat; E. g. Ante mediam noctem vigiliæ immediatæ sequentis licitum est commedere carnes. & tamen immediate postquam sonuit hora prædicta, vel datum est signum mediæ noctis peccat mortaliter comedens carnes, vide Dianam supra.

Dicetis, quid si quis dubitet an complenerit annum 24. quia scit diem natiuitatis non autem horam.

Respondetur, non posse licite ordinari; quia in dubijs tutior pars est eligenda. Item in dubijs melior est conditio possidentis: possessio autem in casu nostro stat pro lege, & præcepto, quod certum est obligare ergo &c. Bonac. tom. 3. de censuris in particulari disp 3. quæst. 2.

q. 2. punc. 1. num. 4. & Garzias supra eum alijs quos citant.

DVBIVM XIV.

Vtrum ex defectu scientiæ sac. Ordinatio sit inualida, vel illicita.

PRæmittendum est, posse aliquem dici inhabilem ad ordinem dupliciter, nempè vel ad substantiam Ordinis si sit incapax characteris, vt E.g. est fœmina, & non baptizatus; vel solum ad executionem & exercicium ordinis ob impotentiam physicam, vt si quis sit mutus, priuatus manibus &c. vel ob impotentiam moralem, ob indecentiam &c. Præmittendum secundo: aliquem esse posse illiteratum, primo absolutè, & simpliciter si penitus ignoret literas, & legere nesciat, secundo respectiuè & secundum quid: quia caret scientia per sacros Canones requisita ad singulos ordines. His positis.

Respondeo, & dico primo, illiteratus quicunque, validè suscipit ordinem, etiam sacerdotalemquamuis illicitè suscipiat, & mor. pecc. Probatur primum; quia nullo iure idiota, seu illiteratus est simpliciter incapax, seu nullo iure declaratur incapax ordinis, & sacri characteris: ergo valide ordinatur. Quod autem peccet mortaliter probatur: quia eum facultas operandi fit propter vsum, qui est inhabilis ad vsum est etiam indignus facultate, & meritò ab ea repellitur: sed illiteratus est inhabilis ad vsum ordinis præsertim sacri, ergo est etiam indignus, & meritò prohibetur ordinem suscipere: consequenter peccat mortaliter suscipiendo. Et quidem omnino illiteratus est iure naturali inhabilis: illiteratus vero secundum quid seu respectiue est inhabilis iure Canonico, & dicitur propriè irregularis, vt constat ex cap. Præcipimus dist. 34 quod est D. Gregorij, capit finali de temporibus ordinationum in 6. capit. illiteratos dist. 36. quod est Gelasij, & probant latè Sotus in 4. dist 26. q. 1. ar. 4. Suar de Censuris disp. 51 sec 1. Sanch. conf moral. l 7 c. 1. dub 45. vnde superest explicandum quis nam defectus scientiæ in particulari hanc irregularitatem inducat, & quid operetur vnde.

Dico secundo ad primam Tonsuram requiritur vt initiandus sciat prima fidei rudimenta & insuper legere, & scribere. Ad Minores ordines vt intelligat linguam latinam. Ad Subdiaconatum & Diaconatum, vt bene intelligat quæ legit & sciat ea quæ pertinent ad proprium officium. Denique ad Presbyteratum, vt vltra iam dicta, sciat docere populum necessaria ad salutem, idest sciat explicare symbolum, & Decalogum. Item sciat necessaria ad administrationem sacramentorum de quibus omnibus constat ex Conc. Trid. sess 23 c 4 & c. 11. & sequentibus vbi prædicta expressè habentur, & docent communiter Doct. Suar. Sanch. locis cit. Molfes. summa tract. 2. cap. 13. Coninch. de Sacrament. disp. 20. dub. 10. & communiter.

Colligitur primo carentes prædicta scientia esse irregulares, nec posse respectiuè admitti ad ordines priusquam addiscant scientiam singulis proportionatam.

Colligitur secundo peccare mor. eos qui mala fide accedunt ad suscipiendos ordines aduertendo se esse irregulares ob defectum scientiæ supra explicatæ Dixi eos qui mala fide accedunt: quia ignorans inuincibiliter irregularitatem huiusmodi, & obligationem quæ ex ea consurgit, remittens se iudicio Episcopi, & examinatorum, excusatur bona fide, vt eum alijs docet Suar. disp 51. sec 1. n. 8.

Colligitur tertio, Illiteratos prædictos etiã bona fide ordinatos manere suspensos ab executione ordinum, suspensione inclusa in ipsa irregularitate, qua prohibetur ordinum executio, & vsus: quare peccant mortaliter si postquam hoc impedimentum aduerterint ordines exerceant: quia non requiritur delictum in ipsa susceptione, eò quia est irregularitas ex defectu, non ex delicto. Ita Suar. Molfes. locis sup. cit. & alij communiter. Limitatur tamen quoad ordines, vt non peccent mortaliter exercentes actus minorum ordinum eo modo, quo exerceri solent à laicis E.g ministrare sacerdoti in missa, recitare officium cum alijs, vt fit in confraternitatibus laicorum, imò & baptizare in necessitate absque solemnitate de qua re videri potest Filliuceius tract. 19. cap. 3. num 67.

Colligitur quarto, Sacerdotes de quibus præcipuè loquimur, si nec mediocriter linguã latinam intelligant manere irregulares, etiam si bona fide ordinati fuerint: ac proinde si postquam aduerterint hoc impedimentum celebrent, pecc mor. toties quoties ob rationes explicatas. Et quidem non sine graui indecentia & scandalo nonnulli sacerdotes verba sacra in Altari potius mandunt, & degluciunt, quam pronuntient, dictiones interrumpunt & lacerant, & omnẽ sensum confundunt. Monendi sunt ergo à Confessarijs vt abstineãt, præcipuè si sint in mala fide, vel suis Prælatis denontiandi, vt ipsi prouideant; Doct. sup. cit.

Dico tertio, Episcopus non potest absolutè loquendo, dispensare super hac irregularitate ex defectu scientiæ; consequenter non potest

absque

absque pecc. mor. admittere illiteratos ad ordines. Probatur: quia hæc irregularitas inducta est iure communi Summorum Pontificum, & Conciliorum, super quo iure non potest Episcopus qui est inferior dispensare, nisi talis facultas sit illi concessa, sed nullibi est cõcessa: ergo &c. Quamuis enim ex Triden. sess. 24. cap. 6. possit Episcopus dispensare in irregularitate; loquitur tamen Concilium de irregularitate occulta ex delicto; at irregularitas prædicta non est ex delicto, sed ex defectu: & communiter non est defectus occultus; sed patens & manifestus, ita Suar. Molfesius locis cit. Sanch. in opusc. l. 6. c. 13 num. 9. Sayr. de Censuris lib. 6. cap. 15. & communiter. Dixi Absolute loquendo, quia dubium est vtrum possit dispensare quoad ordines minores, vt infra.

Colligitur primo, peccare mor. Episcopum etiam si conferat primam Tonsuram, vel quatuor minores ordines illis, qui carent scientia requisita per Tridentinum modo supra explicato, & docent Tabiena verbo Episc. q. 17. Siluest. eodem q 9. Nauarr. summa latina cap. 25. num. 68 Guttierez, & alij apud Sanch. supra num. 5. Atque idem dicendum de examinatoribus approbantibus indignos & inhabiles; quia infideliter dona Dei dispensant, & in re graui in iniuriam Ecclesiæ irrogant; ita cum alijs Quintanad. Theolog. moral. tract. 6. sing. 14. Imo Episcopus ordinans illiteratum incurrit suspensionem à collatione ordinum per annum ex cap. nullus de temporibus ordinationum.

Colligitur secundo, teneri Episcopum sub peccato mor. diligenter examinare per se, vel per deputatos eos qui petunt admitti ad ordines: Quia alias exponitur periculo errandi, & admittendi inhabiles & irregulares, ita alijs cit. Sanch. opusc. l. 7 c. 1. dub. 45. supersunt nonnullæ difficultates.

Prima difficultas, vtrum quandoque possit Episcopus dispensare cum illiteratis quoad ordines minores, admittendo eos qui linguam non intelligunt, vel crasso modo intelligunt. Ratio dubitandi est, quia in Trid. sess. 23. c. 9. hoc videtur committi arbitrio Episcopi illis verbis, Minores ordines eis, qui saltem linguã latinam intelligunt per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire videretur conferantur. Vbi vtrumque videtur comitti arbitrio Episcopi nempe dispensatio in interstitijs, & super intelligentia linguæ latinæ.

Prima sententia affirmat posse Episcopum dispensare quando est spes futuri profectus, E. gr. cum puero qui modicam scientiam habet, & aliàs est bonæ indolis & pro ætate docilis, vel cum cantore insigni, & similibus. Ita Menoch. lib 2. de arbitrarijs centuria 5. casu 425. Garzias de Sacerd. tra. 1. diff. 1. dub. 13. punc. 2. Innoc Rebuf. Turrecrem & alij quos citat Sanchez loc. sup. cit. num 13 vbi dicit hanc sententiam esse valde probabilem ob rationem dubitandi supra explicatam.

Secunda sententia probabilior docet non dari ibi arbitrium Episcopis super intelligentiam linguæ latinæ, sed tantum quoad interstitia, & sic non posse Episcopum dispensare cum illiteratis, neque quoad ordines minores quod non obscurè colligitur ex cap. sequentibus eiusdem Concilij in quibus sæpe committitur Episcopo dispensatio super interstitijs, non vero super scientia, sic Nauarrus cap. si quando de rescriptis excep. 13. Salzedo. Diaz quos citat, & sequitur Sanch. opusc. l. 7. cap. 1. dub. 45. num. 14.

Secunda difficultas, vtrum Summ. Pontifex possit dispensare cum illiteratis.

Respondeo, & dico primo, non potest Sum. Pont dispensare cũ illiteratis omnino & simpliciter vt suscipiant, vel exerceant ordines ad quorum ministeria sunt absolutè inhabiles: quia hoc est contra ius diuinum naturale, vt patet ex supradictis & docent Suar. Sanch. Molfes. & alij communiter locis sup. cit.

Dico secundo, potest tamen Summus Pontifex dispensare cum illiteratis secundum quod qui sunt simpliciter habiles, & secundum quid inhabiles, quatenus carent ea scientia, quæ solo iure Canonico requiritur ad ordines; non autem iure naturali. Probatur quia Summ. Pontif. potest dispensare in iure Canonico, vt omnes fatentur. Sic solet dispensare vt aliqui promoueantur ad Episcoparum, quamuis non sint Theologi, nec Doct. vt requiritur per Tridentinum; modò aliàs sint præditi sufficienti prudentia, & scientia pro gubernatione Ecclesiæ: quia in reliquis possunt supplere per alios, Doct. supra cit.

Tertia difficultas, vtrum in illis casibus in quibus potest absolute Sum. Pontifex dispensare cum illiteratis quoad ordines sacros; possit etiam quandoque ex grauissima causa dispensare etiam Episcopus: E. g. si quis sit prorsus linguæ latinæ ignarus, nihilominus bene legit, & cantat, & in officijs diuinis atque ordinum functionibus est satis peritus, queritur vtrum possit Episcopus cum eo dispensare vt fiat Sacerdos pro Ecclesia alicuius oppidi, cui nemo est qui velit inseruire, vnde populus caret Sacramentis.

Prima sententia negat, Ita DD. communiter supra citati pro 3. conclusione qui absolutè docent, & absque limitatione Episcopum dispensare non posse cum illiteratis ad ordines sacros.

Sc-

Secunda sententia affirmat posse dispensare ex vrgentissima causa, vt in exemplo posito. Probatur: quia licet non possit Episcopus regulariter loquendo dispensare in lege concilij Generalis; potest tamen in casu magnæ necessitatis vt docent plures Doctores apud Sanchez de matrimonio l. 2. disput. 4. sed in casu nostro vt supponimus vrget grauis necessitas: ergo &c.. Et ideo posse Episcopum in prædicto casu dispensare. tenet Quintanaduennas Theolog. moral. trac. 6. sing. 13. citans Viualdum, & addens hanc Episcopi facultatem potius dicendam esse ad declarandum per epicheiam mentem Conc. Trid. quam quoad dispensandum Vtrum autem hæc sententia sit probabilis alijs iudicandum relinquimus.

Tertia sententia media docet posse Episcopum siue per dispensationem, siuè per interpretationem admittere in casu posito ad Sacerdotium non quidem omnino imperitum, & linguæ latinæ prorsus ignarum, sed eum, qui prima rudimenta eiusdem linguæ didicit, & eam crasso modo intelligit ob rationem secundæ sententiæ. Ita nonnulli DD. quos referunt Emanuel Rodriquez tom. 1 quæst. 24. art. 7. & Leander de Sacramentis disp. 7. quæst. 6. & Quintanaduennas loco citato, Quæ sententia videtur probabilis si non sit recursus ad sum. Pont. quod si possit ad sedem Apostolicā recursus fieri, necessario ita seruandum erit.

Quarta difficultas, vtrum cum religiosis sit mitius procedendum in hac materia, & possint regulares admitti ad ordines sac. & si linguam latinam non intelligant, vel parum intelligant.

Prima sententia docet posse etiam ad Sacerdotium admitti regularem qui bene legit, & cantat, quamuis parum intelligat linguam latinam: modo sciat in quo consistat substantia Sacramentorum, præsertim Eucharistiæ, ritum sacrificij, & ceremonias necessarias Probatur primo, quia ordinatio regularium non dirigitur ad curam animarum, ratione cuius maior scientia requiritur in Sacerdotibus viuentibus extra Claustra: Tum quia defectus scientiæ regularium facilius suppletur commu nicatione assidua cum alijs religiosis doctis, qui statim corrigunt imperitorum errores,

Probatur secundo ex capitulo Nullus de temporibus ordinationum in sexto vbi illiteratus tonsurari prohibetur nisi in religionem intret: vndè apertè colligitur minorem scientiam requiri quoad ordines suscipiendos in religiosis quam in secularibus.

Probatur tertio, quia decreta concil. Trid. de scientia requisita ad ordines sacros non sunt in eo rigore vsu recepta quin liceat ea mitius interpetrari: siquidem communiter in promouendis ad præsbiteratum, non exigitur tanta scientia, qua possint docere populum, cum hoc potius pertineat ad Parochos, quam ad simplices sacerdotes: ergo nihil mirum si quoad regulares licitum sit eadem decreta multo mitius interpetrari: ita præcipuè Villalobos tom. 1 trac. 21. dub. 33. & docent etiā Henriquez, Porrel. & alij, quos citat, & sequitur Diana p. 2. trac. 2. Miscel. resol. 31. et p. 4. trac. 2. resol 74. & Garzias sup. dub. 13. punc. 2.

Secunda sententia probabilior docet nōn minus requiri in regularibus promouendis ad ordines quam in alijs præcipuè quoad intelligentiam linguæ latinæ. Probatur primo quia Tridentinum absolutè & simpliciter de omnibus loquitur, & non distinguit: ergo neque nos distinguere debemus Secundo quia necessitas intelligendi linguam latinam fundatur in iure naturali dictanti inordinatum esse & valde turpe legere & non intelligere: & ideo neminem esse admittendum ad munus recitādi, & legendi præsertim auctoritatiuè ea, quæ non intelligit, & preces ad Deum porrigere, quas non percipit.

Tandem quia religiosi diuino cultui specialiter addicti, debent perfectius exequi ea, quæ pertinent ad exercitium ordinum, & sacrum ministerium: ergo potius requiritur in eis maior scientia quam inferior ea, quæ est necessaria secularibus ita Petrus Iedesma tom. 1. trac. de Sacram. ordinis c 7. Lezzana summa tom. 1. cap. 14. fine, Quintanaduennas loco supra citi sing 9. Riccius, Bonacina, & alij apud Dianam locis citatis.

DVBIVM XV.

Vtrum ad Sacerdotium prærequiratur necessario confirmatio.

RESpondeo & dico primo ad valorem ordinis Sacerdotalis non est necessaria confirmatio: consequenter non confirmatus validè suscipit sacerdotium. & alios ordines. Ratio: quia licet Sacramentum ordinis, vt sit validum præsupponat baptismum tanquam ianuam omnium Sacramentorum, non est tamen necessario connexum cum Sacramento confirmationis: quia non est vnde colligatur ea connexio, iam DD. infra citandi.

Dico secundo non peccat mortaliter qui promouetur ad Sacerdotium ante confirmationem, Imo nec peccat mortaliter si celebret nodū confirmatus; probatur quia nullibi reperitur præceptum graue obligans absolutè ad suscipiendū sacram. Confirmationis neque ad

ad illud suscipiendum ratione subordinationis cum Sacramento ordinis. Quamuis enim Tridentinum sess. 23. cap. 4. exigat confirmationem pro susceptione ordinum. non tamen vtitur verbis rigorosi præcepti: vnde sequitur solum venialiter peccare tum ordines suscipientem, tum exercentem ante confirmationem contra regulam à Tridentino præscriptam, non vero mortaliter nec consequẽter vllam censuram incurrere; Ita Coninch de Sacramentis disp. 20 dub. 10. Zambranus, Molfesius, Reginaldus, & alij, quos citat & sequitur Diana 2. p. trac. 2 miscel. res. 4. & 3. p. trac. 4. resol. 24.

Colligitur Episcopum conferentem ordines nondum confirmatis, solum venialiter peccare ob eandem rationem, Doctores citati.

DVBIVM XVI.

Vtrum sacra Ordinatio Sacerdotum in casu dubij sit necessario reiteranda.

SEnsus quæstionis est, quid sit agendum id supradictis casibus quando sunt oppositæ opiniones probabiles circa valorem ordinis Sacerdotalis. Vtrum teneatur dubitans, iterum ordinari, et idem quæritur de alijs ordinibus.

Pendet autem ex parte solutio huius dubij ex illa quæstione vtrum in susceptione, & administratione Sacramentorum licitum sit vti opinione probabili relicta certa, vel probabiliori; & vtrum posita opinione probabili, Sacramentum censendum sit validum, de qua Sanchez summa lib. 1. cap. 9. num 32. Diana 2. p. trac. 13. resol. 2 & p. 3 trac. 4. resol. 185 & sequent, qui citant alios DD. præcipua autem difficultas est vtrum sic promotus in opinionum diuersitate teneatur iterum promoueri sub conditione, & interim abstinere à celebratione: vel possit licitè celebrare iudicando se valide suscepisse Sacerdotium ex probabili doctrina asserentium Ordinationem fuisse validam, quamuis alij negent. In qua re duo sunt certa.

Primo certum est in dubio propriè dicto. quod vocant negatiuum: nempe quando aliquis est anceps ob oppositas hinc inde rationes, manens veluti in equilibrio, ita vt pro neutra parte possit ferre iudicium determinatum an valide susceperit ordinem nec ne: In hoc inquam casu certum est suscipiendum esse iterum & de nouo ordinem sub conditione. & interim abstinendum omnino esse ab eius exercitio, & præsertim à celebratione Missæ in casu nostro. Probatur: quia alias exponeretur manifesto periculo irritationis Sacrificij, & Sacramenti Eucharistiæ, & in hoc casu habet locum illa regula In dubijs tutior pars est eligenda: poterit autem iterum ordinari secreto ad vitandum scandalum, Ita DD. communiter quos infra citabimus.

Secundo est certum, quando non vrget verum, & rationabile dubium, sed potius scrupulus seu timor, & suspicio ex leuibus orta indicijs, quia non recordatur quis an tetigerit vasa sacra &c. tunc nullo modo debere ordinem iterari, sed potius deponendum esse scrupulum, & libere posse hanc scrupulosum, celebrare reiecto timore: quia in re nullum est impedimentum. Regulariter autem Sacerdotes timoratæ conscientiæ potius agitantur scrupulis in hac materia, quam veris dubijs: quia tot adhiberi solent diligentiæ tum ab Episcopo ordinante, tum à magistro cæremoniarum, & alijs ministris; vt difficile eueniте possint defectus obstantes valori ordinis: Ita Bardi de conscientia dub, & DD. communiter infra citandi.

Tota igitur difficultas est in opinionum diuersitate pro valore ordinis suscepti; vtrum in eo casu possit Sacerdos Celebrare innixus opinioni probabili, quæ sustinet ordinem fuisse validum, vel teneatur abstinere ratione opinionis oppositæ, vsque dum iterum promoueatur sub conditione, quæ opinio tutior est?

Prima sententia absolutè docet in Sacramentorum susceptione, & administratione semper esse necessario amplectendam partem certam, & tutam, in qua nullum est periculum irritandi Sacramentum, nec esse licitum sequi opinionem oppositam minus tutam, quantumuis speculatiuè probabilem: quę cum non tollat omnino periculum irritandi Sacramentum non est practicè probabilis. Probatur quia hoc est discrimen inter iudicium de iure, videlicet quando dubitatur an aliquid sit licitum nec ne et iudicium de facto, videlicet an res hoc modo facta valeat nec ne. Quod prius iudiciũ dicit ordinẽ ad operantem, atque ita si sit probabile tollit omne periculũ malitię: quia operans prudenter se gerit, consequenter non peccat, etiã si opinio illa esset falsa à parte rei. Cæterum iudicium de facto dicit ordinẽ ad rem ipsam secundũ sua constitutiua essentialia, quæ variari non possunt ad diuersitatem opinionũ; ergo opinio probabilis circa factum non tollit periculum irritationis; quia si à parte rei opinio est falsa, irritum est quod fit non obstante probabili opinione. Hinc sequitur opinionem probabilem in hoc secundo casu non excusare à peccato, Ita Petr Soto lib. de institia Sacerdotum lec. 2. de Eucharistia, Suarez in 3. par. tom. 4. disput 26. sec. 6. & tom. 3. disp 11.

disp. 11. sec. 4. Valentia, Henriquez, Castro, quos citat, & sequitur Machado in prolugomenis tom. 1. ar. 5.

Cum ergo in casu nostro agatur de iudicio facti, verum collatio Ordinis fuerit valida nec ne, consequenter verum celebraturus habeat potestatem consecrandi nec ne, non erit ei licitum celebrare exponendo Sacramentum periculo irritationis, etiam si habeat opinionem probabilem pro valore suæ ordinationis, sed tenebitur partem tutam eligere, iterum suscipiendo sacerdotium sub conditione: & idem dicendum est secundum Doct. citatos de quolibet alio ordine & administratione cuiuslibet Sacramenti. Secunda sententia directè opposita sustinet quando opinio affirmans collationem ordinis fuisse validam est vere probabilis, tunc promotum ad eum ordinem & ad sacerdotium esse tutum in conscientia, & posse licite eundem ordinem exercere, nec teneri propter opinionem negantem iterum promoueri. Hanc sententiam sequitur Garzias de sacerdotio trac. 1. diff. 1. dub 13. punc 4 vbi agens de furtiue promotis dicit eos non teneri iterum promoueri, & subdit rationem vniuersalem, quia inquit quando adest probabilitas de validitate ordinis non est cur ordo sit iterandus, & citat pro se Marchinum & alios, Docet etiam Marchantius in Tribun. Sacram. tom. 3. p. 1. tra. 6 tit 2. quæst 3 Corall. 2. in casu calicis vacui, & contactus moralis. Citari etiam possunt pro hac sententia omnes illi Doct. qui in casibus particularibus in quibus est controuersia an ordo sit validus nec ne absolute affirmant, ob probabilem opinionem pro valore ordinis, ordinatum esse tutum in conscientia, nec teneri iterum promoueri, vt de illis qui non adhibuerunt contactum physicum, sed solum morale, docent Filiuccius tract. 9. cap. 2. num. 45. & Diana p. 3. tract. 4. resolut. 185. cum alijs quos citant. Et quando non fuit appositum vinum in calice non esse iterandum sacerdotium, docent Henriquez lib 10. cap 1. quem citat, & sequitur Diana sup. res. 186. Filiuc. sup. num. 35. Et in casu calicis, & patenæ non consecratæ, docet Gesualdus Theolog. moral. tractat. 31. cap. 3. numero sexto, citans pro se Fornarium, & alios.

Addunt tamen & recte huius sententiæ auctores, peccare mortaliter conferentes, & suscipientes ordines iuxta opinionem probabilem contra vsum Ecclesiæ, omissa tutiori secundum praxim Ecclesiæ, non ex defectu opinionis: sed quia fit contra præceptum Ecclesiæ, vel contra consuetudinem vim legis habentem. Nihilominus post factum non temarere obligationem iterandi ordinem: sed posse ordinatum licitè exercere actus sui ordinis.

Probari potest primo, hæc sententia: quia sequens opinionem probabilem prudenter operatur & non peccat: sed in casu nostro qui vtitur ordine suscepto sequitur opinionem probabilem, quæ docet ordinem esse validum, & se habere potestatem eo vtendi: ergo, &c.

Nec obstat periculum irritationis Sacramenti vel actus ordinis si fortè illa opinio à parte rei sit falsa: quia non tenemur omne periculum vitare; sed eligere modum administrandi, qui prudenter putatur sufficiens, alias graue onus imponeretur sacramentorum ministris.

Probatur secundo, Ad validam administrationem Sacramenti Pœnitentiæ requiritur duplex potestas, ordinis, & iurisdictionis. Quo posito sic argumentantur. Non peccat sacerdos vtens iurisdictione probabili in administratione Sacramenti Pœnitentiæ; ergo nec peccat si potestas ordinis pariter sit probabilis & non omnino certa. Idemque dicendum in vsu aliorum sacramentorum ob similem rationem. Nec obstat quod iurisdictio possit suppleri ab Ecclesia non vero suppleri potest potestas ordinis: quia non est certum suppleri iurisdictionem, & sic non vitatur omne periculum irritationis: ergo non est obligatio vitandi omne periculum vt supra dictum est.

Tertia sententia media, quam omnino veram existimo sic distinguit: si loquamur de ordine Sacerdotali & Episcopali dicendum est in prædictis casibus & similibus quando sunt opiniones pugnantes circa valorem ordinis, necessario iterandam esse sacram ordinationem sub conditione, & interim abstinendum esse à celebratione, secus de alijs ordinibus inferioribus.

Probatur primo. quia ex inualiditate ordinis Sacerdotalis, sequuntur grauissima incommoda tum contra reuerentiã Sacramenti: tum præcipuè contra bonum animarum; quia non conficitur Sacramentum Eucharistiæ, neque sacrificium, sicque fideles communicando non reciperent verum Sacramentum, nec consequerentur fructum sacrificij, nec valide absoluerentur in Sacramento Pœnitentiæ: ergo ne dum virtus religionis; sed etiam charitas omnino obligaut ad cauenda ea pericula & tollendam dubietatem iterata susceptione sacerdotij. Probatur consequentia; quia charitas obligat ad vitanda huiusmodi damna, præsertim spiritualia quo-

quoties fieri poteſt.

Eadem autem eſt ratio de ordine Epiſcopali, vt per ſe patet ex cuius valore pendet etiã valor ordinis ſacerdotalis in alijs.

Probatur ſecundo. Quando dubitatur de valore Baptiſmi, eſt obligatio grauis, & ſub peccat. mor. iterum illum ſuſcipiendi, vel conferendi ſub conditione, etiam ſi incertitudo naſcatur ex opinionum diuerſitate, vt docent communiter Doctor. apud Coninch. de Sacramentis quæſt 66. art. 9 dub primo, & Quintanadueñas Theologiæ moral. tract. 1. ſing 1. numero vndecimo: quia ſi forte prior baptiſmus fuiſſet innalidus, ſequitur damnum irreparabile, quod refici non poteſt per alia Sacramenta, ſed in caſu noſtro militat ſimilis ratio: quia ſi ordo ſacerdotalis eſt inualidus ſequuntur damna grauiſſima, vt ſupra, & abſque remedio: ergo &c. & ideo hanc ſententiam tenent Quintanadueñas loco ſupra citato, tractatu primo, ſing 10. qui meritò numero octauo, infert teneri prædictos abſtinere ab exercitio ordinis Sacerdotalis, vel Epiſcopalis, quouſque per nouam ordinationem ſint certi de ſuo ordine ad vitanda animarum pericula. Tenent etiam Granado in tertiam partem de Sacramentis controuerſ. 9. diſput 6. Diana par. 5. tract. 13. reſol. 57. Eſcobar. in Theolog. moral. tract. 7. exam. 8. nu. 46. Lezzana ſumma verb. ordines ſacri num. 20. P. Theſaurus in prax S. Pœnitentiar. verb. ordo cap. 7. dicens ſic practicari in S. Pœnitentiaria Romana.

Quoad ordines inferiores Diaconatus &c. Probatur eadem ſententia, quod non ſit obligatio eos iterandi in ſimilibus caſibus, tum quia non habent adnexum aliquem actum abſolutè neceſſarium ad ſalutem fidelium ex cuius defectu ſequatur notabile detrimentum animabus. Tum quia ordo ſacerdotalis eminenter continet alios inferiores, quorum defectus ſufficienter ſuppleri poſſunt per ſacerdotalem poteſtatem: ergo non eſt cur ordinati ſint obligandi ad illorum iterationem, quando pro ſe habent opinionem verè probabilem.

Ad oppoſita reſpondetur ad primum, non teneri nos vitare omne periculum irritationis Sacramenti ſumma diligentia, ſed ſufficienter & mediocri in alijs Sacramentis; quia tamen Sacramentum Euchatiſtiæ eſt ſumma venerarione tractandum, maior circa illud requiritur diligentia: & ſimiliter ad vitanda animarum pericula requiritur etiam ſumma diligentia circa ordinem ſacerdotalem, & Sacramentum Baptiſmi, vt ſupra diximus.

Ad argumenta ſecundæ ſententiæ reſpondetur ad primum, verum eſſe eum qui ſequitur opinionem probabilem non peccare ex vi præciſa opinionis probabilis, vel quando eſt practicè probabilis: ſed fieri poſſe, vt peccet ex vi præcepti interdicentis vſum talis opinionis vt in caſu noſtro, & ex virtute charitatis, qua tenemur vitare pericula animarum: vnde tunc illa opinio non eſt practicè probabilis.

Ad ſecundum reſpondetur eſſe moraliter certum Eccleſiam ſupplere iuriſdictionem in caſu dubij, & oppoſita ſententia minimum habere probabilitatis: in quo caſu nulla eſt habenda ratio de tali opinione.

Colligitur primo, eum qui in ſacro ordine tetigit patenam quamuis non tetigerit hoſtiã, poſſe tuta conſcientia exercere ordinem ſacerdotalem: ſimiliter Religioſum ordinatum contra voluntatem Prælati non debere iterũ promoueri; quia ordinario fuit valida in vtroque caſu, & opiniones oppoſitæ parum habent probabilitatis, Vide Doct. citat. ſupra in proprijs locis.

Colligitur ſecundo, non debere Epiſcopos in adminiſtratione Sacramenti Ordinis proteſtari ſe non habere intentionem ordinandi furtiuè accedentes, vel alias impeditos, ob perplexitates quæ inde oriuntur vt ſupra diximus. Vide Dianam parte quinta, tractat. 13. reſol. 66.

Colligitur tertio, quid agendum ſi alicui ſacerdoti poſt inchoatam miſſam ſuperueniat dubium de ſua ordinatione. Dicendum eſt enim ante conſecrationem omittendam ab eo ſacrum, ſecus poſt conſecrationem vt explicauimus ſupra p. 2 Tit. 3. ſec. 2. dub 6. loquimur autem de vero dubio; nam de ſcrupulo nulla eſt ratio habenda,

TITV-

TITVLVS II.

DE DEFECTIBVS MATERIAE.

1 Defectus ex parte materiæ possunt contingere, si aliquid desit ex ijs, quæ ad ipsam requiruntur. Requiritur enim vt sit panis triticeus, & vinum de vite: & vt huiusmodi materia consecranda in actu consecrationis sit coram Sacerdote.

EXPLICATIO LITERALIS.

Materia remota Eucharistiæ, ex qua conficitur hoc Sacramentum duplex est, nempè panis & vinum: vnde nonnulla requiruntur ex parte materiæ, quæ sunt vtrique cōmunia, tam pani quam vino. Secundo Alia requiruntur, quæ pertinent solum ad panem. Alia denique sunt propriæ conditiones vini, & idcirco sub triplici titulo agitur in his Rubricis de materia eiusdem Sacramenti Eucharistici. In hoc titulo tractatur de vtraque materia coniunctim, & de præsentia materiæ cōsecrandæ coram Sacerdote, quæ est vtrique communis. In duobus vero sequentibus agitur separatim, tum de pane, tum de vino, quē ordinem seruat etiam D Tho. circa eandem materiam 3 par. q 74. Nos igitur remittentes ea, quæ sunt propria singulis materijs in titulos sequentes proponemus hic dubia, quæ sūt vtrique materiæ communia, diuidentes eadem in duas sectiones, in quarum prima varias difficultates ad vtramque materiam spectantes examinabimus. In secunda resoluemus eas, quæ pertinent ad præsentiam vtriusque materiæ coram Sacerdote, quæ singulariter in hac rubrica proponitur.

SECTIO I.

De duplici materia remota Sacramenti Eucharistiæ in communi.

DVBIVM I.

Vtrum Panis, et Vinum sint materia propria huius Sacramenti.

Respondeo affirmatiuè, & est conclusio de fide definita in Concil. Florent. in Decreto Eugenij, in Lateranensi; in cap. Firmiter, in Trid. sess. 13. 21. 22 & alijs Ratio potissima est voluntas & institutio ipsius Christi, quæ constat ex facto eiusdem Christi in vltima Cœna.

Congruentias verò affert optimè D. Thom. q 74. ar. 5. quem sequuntur communiter. Prima est ex parte vsus; quia hoc Sacramentum ordinatur ad nutrimentum spirituale animarum: ergo conuenienter fuit institutum in illis rebus, quibus magis communiter homines nutriuntur; vt ex materiali & sensibili corporis alimento, spiritualem cibum & potum animæ intelligeremus. Sicut in Baptismo significatur spiritualis animæ ablutio à peccato per sensibilem ablutionem corporis Item in cibo & poto perfecta animæ refectio repræsentatur.

Secunda est ex parte passionis ipsius Christi, in cuius memoriam institutū fuit. Sicut enim tunc effusus fuit Sanguis è Corpore Christi; ita nunc seorsim consecratur, & sumitur panis in Sacramentum Corporis, & vinum in Sacramentum Sanguinis.

Tertia ex parte effectus, qui singulis confertur; homo enim constat ex anima & corpore, & hoc Sacramentum valet ad salutem animæ & corporis: Tum quia ex redundantia gratiæ ab anima ad corpus minuitur fomes & concupiscentia, & corpus spiritui subditur; Tum quia valet ad gloriam animæ, & resurrectionem corporis eiusque immortalitatem, Io. 6. & ideo offertur Corpus Christi sub speciē panis pro salute Corporis; & Sanguis sub speciebus vini pro salute animæ: quod solum per quandam accommodationem accipiendum est, sicut dicitur Leuit. 17. quod anima carnis in sanguine est: nam cum sub vtraque specie sit totus Christus, sub vtraque specie confert ad tutamentum animæ & corporis.

Quarta denique quantum ad effectum respectu totius Ecclesiæ, quæ ex tot fidelibus adu-

adunatur, ſicut panis conficitur ex diuerſis granis, & vinum ex diuerſis & multis racemis; hęc D.Th. & communiter DD.

DVBIVM II.

De connexione vtriuſque materiæ in ordine ad Sacramentum An poſſit conſecrari vna ſine altera.

RESpondeo, & dico primo, poteſt valdè conſecrari vna materia ſine altera, conſequenter conſecratio vtriuſque non eſt de neceſſitate Sacramenti, eſt concluſio certa, quam docet D.Thom. quæſt. 77 art. 6. Vbi cõfutat quoſdam oppoſitum ſentientes, & ſequitur communiter Theologi, Durandus, Paludanus, Alenſis, Soto apud Suar. diſp. 43. ſect. 2. Coninch de Sacram. quæſt 76 ar 6. Auerſa de Euchar. quæſt 2, ſec 1 Diana par. 10. tract. 16. reſol. 62.

Probatur ex eodem D.Thom. loco cit. quia facta conſecratione panis, ſub illius ſpeciebus verè Chriſtus exiſtit, anteaquam conſecretur Calix; quod patet. Tum ex veritate formæ, quæ aſſerit ibi Corpus Chriſti eſſe in eodem inſtanti quo ipſa completur. Tum ex vſu Eccleſiæ, nam corpus offertur adorandum ante conſecrationem Calicis: ergo non eſt neceſſaria connexio inter has duas materias in ordine ad cõficiendum ſimpliciter Sacramentum. Probatur conſequentia: quia facta conſecratione vnius ſpeciei; quacumque ratione contingat non conſecrari aliam, ſiue per ignorantiam, ſiue per malitiam Sacerdotis, remanet verum Sacramentum, quam rationem affert etiam D Bernardus ad hoc probandum Epiſt. 69. ad Guidonem & clare inſinuat Trid. ſeſſ. 13 cap. 3.

Diceris. Si Sacerdos à principio intendat conſecrare vnam ſpeciem & non aliam, habet intentionem oppoſitam inſtitutioni Chriſti, & intentioni Eccleſiæ: ergo ex defectu legitimæ intentionis nihil omnino efficit.

Reſpondeo Diſtinguendo antecedens, habet intentionem oppoſitam inſtitutioni Chriſti, quoad valorem ſacrificij, & licitam conſecrandi rationem concedo, vt infra dicemus quoad valorem Sacramenti ſimpliciter nego: nam ex poteſtate à Chriſto accepta quoties miniſter intendit efficere quod verba ſignificant circa ſubiectam materiam; illa intentio ſufficit ad effectum; quamuis ex alio capite abutatur ſua poteſtate, & peccet contra præceptum Chriſti, vel Eccleſiæ circa licitum modum operandi.

Colligitur: Si quis Sacerdos conſecraret ſolum calicem, vel prius calicem, quàm panem conſecrationem fore validam: quia ex dictis vna conſecratio non pendet ab alia: grauiſſimè tamen peccaret vel inuertendo ordinem, vel ſolum calicem conſecrando, vt mox dicemus, Doct cit.

Dico ſecundo. De neceſſitate præcepti eſt vt non conficiatur hoc Sacramentum in vna ſola ſpecie prętermittendo aliam, ita D. Tho. ſupra ar. 1. ad 2. & omnes Theologi; Ratio eſt quia in Euchariſtia reperitur nedum ratio Sacramenti; ſed etiam ſacrificij, & Chriſtus inſtituit vt non niſi offerendo ſacrificium conficiatur hoc Sacramentum, vt patet ex illis verbis Hoc facite in meam commemorationem. Ad valorem autem & integritatem ſacrificij neceſſario requiritur vtriuſque ſpeciei conſecratio, vt dicemus infra de ſacrificio, in appendice huius operis.

Colligitur: hoc præceptum non eſſe ſolum humanum & eccleſiaſticum, ſed per ſe & primario eſſe præceptum diuinum ipſius Chriſti, conſequenter in nullo vnquam caſu poſſe licitè fieri conſecrationem in vna ſolum ſpecie, ſed fore immane ſacrilegium, ita. Doct. ſupra citat. & alij apud Suar. diſput. 43. ſection. 2. 3. & 4.

An autem ex diſpenſatione Summi Pontificis id poſſit eſſe licitum, dicemus in Appendice de ſacrificio.

DVBIVM III.

Vtrum Panis & Vinum conſecrari poſſint in qualibet magna quantitate.

EXemp. gr. An poſſit conſecrari ingens cumulus panis, & integrum vini dolium, aut tota cella vinaria.

Aduertendum quæſtionem agitari poſſe in duplici ſenſu Primo quid validè poſſit fieri. Secundo quid poſſit fieri licitè & conuenienti modo. De vtroque breuiter dicemus.

Reſpondeo, & dico primo, poteſt conſecrari Tum panis Tum vinum in quauis magna quantitate, ita vt conſecratio ſit valida, poſita tamen morali & ſufficienti præſentia, de

de qua infra, ita D. Thom. 3. par. quæst. 74. articul. secundo, & Opuscul. 19. cap. quinto, Caietan. & alij interpretes ibidem, Suarez, disp. 43. sec. 8. Coninch. de Sacram. quæst. 74. art. 2. & comm.

Probatur; quia Sacerdotibus indefinitè, & absque limitatione datur potestas consecrandi verum panem & vinum; sed quantumcumque sit multum panis, aut vini, semper est verus panis, & verum vinum: ergo semper potest validè consecrari, nec est vnde possit fieri limitatio vel ex parte potestatis ministri, vel ex parte materiæ; sed solum ex parte præsentiæ, quæ requirit limitatam distantiam. Plura hic tradunt Doctor. circa casus potius imaginarios, quam in Praxi contingentes, qui possunt apud illos videri à curiosis.

Dico secundo, vt consecratio licitè fiat, & sine peccato seruandum esse vsum Ecclesiæ, vt ea solum quantitas hostiarum consecretur, quæ moraliter deseruire possit ad vsum fidelium, & decenti modo conseruari, & absque periculo corruptionis, Ita Doctor. citati, præsertim Suarez, & Coninch. locis cit.

Probatur: Tum quia oppositum fieret præter finem, & contra reuerentiam huic Sacramento debitam: consequenter posita graui irreuerentia, graue peccatum committeretur; Tum quia operari contra Ritum Ecclesiæ in re graui est peccatum mortale, præsertim circa hoc Sacramentum omnium excellentissimum. Ad quod etiam requiruntur plures circumstantiæ obligantes sub peccato mortali, nempè vt panis sit azymus, vt collocetur super corporale, & super Aram cõsecratam, & similiter pro vino requiritur Calix consecratus, de quibus alibi dicemus.

Colligitur grauiter peccaturum Sacerdotem, qui ingentem quantitatem materiæ consecraret. Exempli gra. mille ingentes panes, vel si Sacerdos qui inter barbaros habitaret, vbi non sunt nisi duo, vel tres fideles vellet simul duo, vel tria millia hostiarum consecrare, quia non possent decenter consumi à tot paucis, quamuis validè consecraret. Ex supra dictis, Doctores citati, & Bonacina disput. quarta, de Euchariit. quæst. 2. punc. 5.

DVBIVM IV.

Vtrum Panis, et Vinum in quauis parua quantitate consecrari possint.

ADuertendum primo materiam Sacramento aptam debere esse sensibilem: Tum quia Sacram est signum sensibile; Tum peculiariter, quia in hoc Sacramento Eucharistiæ opus est vt sit demonstrabilis per pronomen Hoc, vel Hic in forma consecrationis contentum. Hoc posito, Agendum est de termino paruitatis. Tum in ordine ad solum valorem consecrationis; Tum in ordine ad consecrationem licitè, & conuenienti modo exercitam.

Aduertendum secundo, Nos hic non disputare. An tota hostia, omnesque particulæ totius panis quantumcumque paruæ verè cõsecrentur: de hoc enim nullus Catholicorum dubitat, cum sit apertè definitum in Trident. sess. 13. cap. 4. & can. 3. & 4 sed quæstionem esse vtrum huiusmodi particulæ minimæ possint separatim consecrari, & idem est de guttulis vini: His positis.

Respondeo, & dico primo, Quoad consecrationem validam, potest validè consecrari quælibet particula panis quantumuis minima modo sensibilis sit, & idem dico de qualibet vini guttula, ita D Thom. q. 74. art. 2. & omnes commun. apud Doct. cit. dubio præcedenti, conclus. prima.

Probatur eadem ratione: quia sacerdotibus confertur absolutè, & indefinitè potestas consecrandi verum panem, & verum vinum: ergo quilibet sacerdos potest valide consecrare panem & vinum in qualibet minima quantitate: quia non est vnde possit fieri limitatio ex hoc capite, vel enim in illis particulis minimis cõseruatur vera substantia panis & vini; & tunc habetur vera materia consecrationis, & sic positis conditionibus de quibus infra, valida erit consecratio; vel non conseruatur vera substantia panis, & tunc non sumus in casu, quia solum loquimur de particulis veri panis & vini. Vtrum autem dari possit tam minima quantitas sub qua conseruari non possit panis vel vinum, est alia quæstio Philosophica, quæ ad hunc locum non spectat.

Dixi Modò sensibilis sit: quia alias non posset verificari forma, qua per pronomen Hoc demonstratur, & designatur aliquid sensibile, vt omnes communiter docent, vnde consecrari non possunt particulæ ita exiguæ, quæ ideo sunt inuisibiles.

Diffi-

Difficultas est hic primo an materia debeat esse sensibilis ipsimet consecranti? An vero sufficiat esse sensibilem respectu alterius, qui habet visum magis acutum

Variant in hac re DD. & aliqui censent materiam debere esse sensibilem ipsimet consecranti: quia ipse debet vti pronomine Hoc, Ita Vasq. disp. 171. cap 2. n 13.

Alij contra in aliud extremum declinant, asserentes sufficere si materia sit sensibilis secundum speciem suam, ceterum non opus esse, vt in indiuiduo sit sensibilis, vel vt a quoquam visu percipi possit, etiam si acutissimo oculo polleat; sicut conseruari potest corpus Christi sub minutissima specie post consecrationē etiamsi ob exiguitatem à nemine videri possit, Ita Sotus in 4. dist. 9. quæst. 4. art. 2. Valentia tom. 3. disp. 6. quæst. 2. punc. 2.

Sed neutra sententia videtur vera: non prima, Cum enim dico hoc est tale quid, per hæc verba significo me aliquid demonstrare non mihi (nec enim nobis ipsis solemus aliquid demonstrare) sed alteri: vnde opus non est, vt ego rem illam aliquo sensu percipiam, sed vt alter percipere possit, dummodo ego certus sim de existentia, & præsentia illius rei vel per reuelationem, vel per attestationem alicuius, de cuius testimonio dubitari non possit. Nec opus est, vt aliquis de facto audiat, & rem illam percipiat. sed sufficit vt verba mea sint vere significatiua, & enunciatiua, vt si aliquis me audiret loquentem, posset facile percipere rem illam, quam demonstro.

Confirmatur quia omnes concedunt cæcū valide consecrare, certus aliunde de existentia, & præsentia panis.

Secunda item sententia est contra communem, & falsa etiam videtur: quia secundum communem loquendi modum per particulā Hoc demonstratur aliquid sensibile singulare. & in indiuiduo, quod facilè sensibus obijci potest: ergo non potest cadere nisi super aliquid sensibile in indiuiduo: non autem secundum suam speciem tantum: Ad id autem quod dicitur de fragmento insensibili, quod separari contingit ab hostia iam consecrata, patebit ex dicendis in sequenti difficultate.

Tertia ergo, & vera sententia docet, materiam consecrandam debere esse sensibilem in indiuiduo, si non eidem Sacerdoti, saltem alijs sensu, & oculis valentibus: quia alioqui demonstrari non potest per particulam hoc, vt patet ex dictis. Ita maior in 4. dist. 10. quæst. 1. Suar. disp. 43. sec. 8. Coninch. quæst. 64. art. 2 dub. 2. Cardinalis de Lugo de Euchar. disp. 4 sec. 4. n. 115. Layman lib. 5. trac. 3 cap. Auersa de Euchar. quæst. 2. sec. 2. & communiter.

Difficultas est secundo An si tam modica particula ab hostia consecrata separetur, quę separata non sit sensibilis; An inquam conseruetur ibi corpus Christi, supponendo conseruari adhuc accidentia panis: Ratio dubitandi est, quia de ratione Sacramenti est, vt sit signum sensibile.

Respondeo dato casu verè in tali particula permaneret corpus Christi, quamdiu permanent accidentia, & quamdiu sub eis permaneret substantia panis si ad esset: quia corpus Christi succedit loco panis, ergo quamdiu permaneret substantia panis tandiū permanet corpus Christi, hæc est enim regula generalis sumpta ex concilijs, & Patribus.

Nec obstat quod illa particula separata consecrari non posset extra totum: quia plus requiritur ad acquirendum, quam ad retinendum: sicut anima separata cōseruat characterem Sacramentalē, non tamen sic separata potest illū acquirere, Ita Suar. Coninch. de Lugo Layman, Auersa locis citatis, & communiter.

Ad rationem dubitandi respondetur ad Rationem Sacramenti non requiri necessario vt materia saltem in facto esse, possit actu percipi sensu: sed vt sit signum per se, & ex natura sua sensibile, quamuis per accidens, & ex defectu alicuius conditionis sentiri, et videri non possit. Item sufficit si saltem per Dei potentiam fieri possit, vt quis illam videat, secus est de Sacramento in fieri, quod demonstrari necessario debet, vt supra.

Nec item obstat quod modicissima panis mica moraliter manducari non potest, nec impercepti bilis gutta vini potari, cum tamen de ratione huius Sacramenti sit esse cibum: non inquam obstat quia satis est panem & vinum esse materiam cibi & potus: licet per accidens non possit tam parua quantitas applicari ad vsum, sed vnita cum alijs partibus posset vtique.

Dico secundo Vt consecratio licitè fiat, et absque peccato, non sufficit quælibet particula hostiæ seu panis idemque de vino, sed seruari omnino debet consuetudo, et ritus Ecclesiæ, qui nec sine peccato omitti potest, nec in alium nouum mutari, vt definitur in Trid. sess 7. Can. 13 vnde in re graui certum est obligare sub peccato mortali. Ritus autem Ecclesiæ requirit, vt consecretur in Missa hostia maior ad vsum Celebrantis, & ad vsū fidelium simul consecrentur aliæ minores hostiæ, quando Alij communicaturi sunt, quæ etiam debent esse conuenientis magnitudinis, & figuræ iuxta consuetum morem Ecclesiasticum. Ex quibus.

Colligitur Primo non posse licitè, et absque peccato mortali consecrari à Sacerdote

sola

sola fragmenta absque vlla hostia ex consuetis; Tum quia modicum fragmentum quamuis satis sensibile non est aptum ad ritus, & cæremonias exercendas in missa, E g. vt exponatur populo adorandum Sanctissimum Sacramentum in eleuatione, vt frangatur in plures partes, quando fieri debet commixtio cum sanguine, & sic de alijs: Vnde certum est hoc fore graue sacrilegium. Similiter minuta fragmenta non possunt conuenienti modo applicari ad vsum fidelium; ergo &c.

An autem modica & minuta fragmenta licitè possint, & debeant consecrari simul cum hostia maiori, & alijs minoribus hostijs, quando sunt in Altari tempore consecrationis, diximus Tit.7. de defectu intentionis.

Similiter, an possit Sacerdos consecrare minorem hostiam pro se ipso, vel è contra maiorem pro communicaturo, diximus qu: Proœmiali sec.5.punc.4.

SECTIO II.

De præsentia materiæ consecrandæ coram Sacerdote.

DVBIVM I.

An materia consecranda debeat necessario esse præsens sacrificanti.

RESpondeo affirmatiuè. Probatur primo, ex forma consecrationis: quia illa pronomina Hoc, vel Hic posita in forma ex vi suæ significationis designant rem præsentem. Probatur secundo, ex traditione & vsu Ecclesiæ: & quia aliàs possem Ego hic existens consecrare panem apud Indos, quod est ridiculū. Tandem ratio potissima, & à priori desumitur ex institutione Christi, qui consecrauit materiam præsentem, & non dedit potestatem Apostolis, & Sacerdotibus faciendi, nisi quod ipse fecit, ita D.Tho.in 4 dist.11.q.2.ar 1 Durandus ibid.q.6.Palud.q.1.ar.3.Soto dist.9 q.1. Suar.disp.43.sec.5.Layman.lib.5. trac.4 cap.2. n.10. & alij communiter, quos citant, nec vllus de hac re dubitat.

Colligitur materiam debere præexistere formæ, nec fore validam consecrationem materiæ, quæ inchoata forma nondum erat præsens, quia non fuit demonstrata per pronomen Hoc; Henriq.lib.8.c.14.Dicastillo trac.4.disp.2 dub.2.Bonac.disp.4.q.2.punc.6.fine.

DVBIVM II.

Qualis præsentia materiæ exigatur ad validam consecrationem.

CErtum est, vt consecratio licitè fiat & absque peccato mortali materiam debere esse super Altare coram Sacerdote, & super Aram & corporale, imò & maiorem hostiam debere esse in manibus Sacerdotis, vt suis locis explicauimus. Quæstio ergo hic est de præsentia necessaria ad valorem consecrationis.

Respondeo, & dico primo. Vt materia sit consecrabilis debet esse sensibiliter præsens consecranti, nec sufficit esse præsentem intellectui aut imaginationi tantùm. Probatur: Tum quia propriè, & in rigore pronomina Hoc, & Hic posita in forma consecrationis designant, rem præsentem sensibus, & in casu nostro debent in propria significatione vsurpari; Tum, quia per formas aliorum Sacramētorum habentes similes, vel æquiualentes terminos designatur materia, vel subiectum sensibiliter præsens, vt Baptizo te, Signo te, Absoluo te, &c.

Nec obstat quandoque eodem pronomine Hoc, vel Hic interdum designari aliquid præsens solum imaginationi, vel intellectui; E. g. si loquaris de homine qui proximè antea erat præsens & iam abijt, potes dicere hic homo est sapiens: Non inquam obstat, quia in hoc & similibus casibus non demonstratur subiectū per solum pronomen, sed per adiunctas circumstantias, & in ordine etiam ad discursum auditorum. Cæterum in consecratione per ly Hoc, & Hic designatur materia independenter à circumstantijs, & ab omni alio nutu, vel signo: ergo necessario præsupponitur materia absolutè, & sensibiliter præsens, ita Suar. disp. 43. sec.5. De Lugo de Encharist.disp.4. sec 7. Auersa.de Euchar.q.2 sec.2 Layman. cum alijs citatis dub. præcedenti, & omnes communiter.

Difficultas hìc emergit. An Sacerdos debeat fieri certus de hac præsentia materiæ per actualem sensationem, & quo sensu debeat eam percipere. An visu vel tactu, vel aliquo alio. Quidam aiunt necessarium esse vt materia manibus teneatur à Sacerdote: quia ita videtur Christus fecisse, quos benè impugnat Suar. loc cit. Alij contendunt debere vel visu vel alio sensu, actu percipi à Sacerdote, quos supra reiecimus sectione prima, dubio 4. difficul.1.

Respondeo ex communi sententia non esse

esse necessariam actualem sensationem circa materiam consecrandam; sed satis esse si vere sit præsens & exposita, seu obuia sensibus, ita vt possit ferri actualis sensatio in eam: Et aliũde certus sit Sacerdos de tali præsentia, ita Card. de Lugo, & Auersa locis citatis, Dicastillo de Sacram. tract. 4. disp. 2. dub 11. & alij communiter. Ratio: quia hoc sufficit vt demonstrari possit per pronomen Hoc, vel Hic, vt fusius explicauimus dub. 4. citato, diff. 1. Nil autem refert quo sensu in particulari percipi possit; communiter tamen DD. dicunt debere materiam esse visibilem; quia commun. visu præsertim certius & melius rerum præsentia comprobatur: quamuis non sufficiat ad realem præsentiam rem aliquam esse intrà sphæram oculi & visus, cum hic feratur in obiecta longissimè distantia: quippe ad præsentiam requiritur etiam propinquitas, vt mox dicemus.

Dico secundo, vt materia consecranda verè sit præsens, debet esse propinqua sacrificanti, seu requiritur, vt non sit nimis distans etiam si oculus videri possit, ita Durand. Suar. & com. Doct. locis cit.

Probatur: Tum quia res nimis distans simpliciter dicitur absens: Tum quia res nimis distantes potius designantur pronomine illud, quàm Hoc. Tandem quia & si res valde distans dici possit aliquo modo præsens, non tamen in ordine ad operationem; sed potius ad cognitionem: In casu autem nostro requiritur præsentia in ordine ad operationem.

Difficultas est quantam oporteat esse hanc propinquitatem. Quidam aiunt debere materiam esse ita propinquam, vt extensione manus tangi possit, quamuis non sit necessarium vt actu tangatur, Ita Paludanus: alij, vt Viguerius dicunt necesse esse, vt verba formæ, seu halitus Sacerdotis possint peruenire vsque ad materiam: quæ friuola sunt, & absque fundamento, et merito ab omnibus reijciuntur, vt videre est apud Suar. supra, & apud Dicastillum trac. 4. disp. 2. dub. 11. qui bene addit esse reprehensione dignos, qui hostiam & vinum inhalant, quod potius indecentiam præseferr, & risum mouet, quam deuotionem ad eum actum requisitam. Alij tandem assignãt mensuram passuum, & docent intra decem passus valide consecrari materiam, quod si distet viginti passibus consecrationem fore dubiam. Distantiam vero per triginta passus esse nimiam, & insufficientem ad præsentiam necessariam, ita cum alijs Bonacina de Euchar. disp. 4. q. 2. punc. 6. num 11. quem refert etiam Auersa de Euchar. quæst. 2. sec. 2. & Dicastillo supra.

Dicendum est tamen ex communi DD. sententia, non posse designari certam, & determinatam mensuram aut regulam, sed consideratis circumstantijs id esse definiẽdum. Imò Deo soli hoc notum esse, docent Durandus, Paludanus, et alij, quos citat et sequitur Suar. supra, De Lugo, Dicastillo, et alij communiter. quare in praxi pars tutissima eligenda, et seruandus omnino est ritus, et vsus Ecclesiæ, qui quoad debitum modum consecrandi non potest omitti sine peccato, vt initio notauimus.

DVBIVM III.

Vtrum possit valide consecrari materia existens à tergo, seu retrò.

Respondeo, et dico primo, Simpliciter, et absolutè consecrari non potest nisi materia posita coram Sacerdote, & in conspectu, non vero à tergo Probatur: quia materia existens à tergo non potest propriè, & in rigore designari pronomine, Hoc, simpliciter prolato, & absque alio adiuncto, ita D Thom. in 4. dist. 11. q 2. art. 2. Paludanus, Soto, Victoria, Ledesma, & alij, quos citat, & sequitur Suar. disp. 43. sec. 5. Dicastillo dub. 11. citato. Auersa de Eucharist. quæst. 2. sec. 2. Layman. lib. 5. tract. 4. cap. 2. nu. 10. & alij communiter, quos citant.

Dico secundo. Si hostia sit à tergo, & Sacerdos eam manu teneat, vel digito demonstret, aut simili signo indicet, Probabile est validè consecrari: quia ex circumstantijs adiunctis aliquo modo consecrans ad eam se conuertit, & censetur sufficienter illam demonstrare; Ita Maior. 4 dist. 11. q. 2. art. 3. Dicast de Sacram. trac. 4. disp. 2. dub. 11. num. 192. & inclinat Suar. supra, quamuis sub formidine. Quarè certum est non posse licitè sic materiam cõsecrari. Tum ratione dubij, Tum quia est contra vsum Ecclesiæ, Doct. cit & clare habetur in hac rubrica his verbis, sit coram Sacerdote.

DVBIVM IV.

An possit consecrari hostia existens post parietem.

Respondeo negatiuè ex communi sententia. Probatur: quia paries interiectus tollit moralem, & sensibilem rei præsentiam: ergo non potest validè consecrari, nec designari pronomine Hoc.

Con.

Confirmatur: quia nemo dicit posse validè consecrari hostiam existentem in alio cubiculo, quia non sufficienter ostenditur per ly. Hoc: Quod autem diximus de pane, idem dicendum de calice, seu vino; ita Doct. cit. dub. præcedenti, Card. de Lugo disp. 4. sec. 7 Auersa q. 2. sec. 2. Layman supra cum alijs communit. quos citant.

DVBIVM V.

An possit consecrari hostia clausa in Tabernaculo, seu arca Altaris.

QVæstio est de Tabernaculo, seu sacrario, in quo asseruari solet Santissimum Sacramentum: An si formulæ consecrandæ intra illud reponantur, & tempore consecrationis sit clausum, consecrari possint, si sacerdos ad illas dirigat suam intentionem.

Respondeo, Probabilius esse consecrari non posse ob defectum præsentiæ. Probatur: quia Tabernaculum in casu nostro æquiparatur par uo cubiculo, in quo manet Christus sub speciebus non expositus sensibus, non autem vasi continenti species: ergo sicut consecrari non potest hostia in alio cubiculo existens, vt supra dicebamus dubio præcedenti, quia deest præsentia moralis; ita nec hostia clausa in Tabernaculo prædicto, ita Pasqualigus quæstionum Moralium Centuria prima, quæst. 30. latè probant, & soluens obiectiones, Auersa de Euchar. q. 2. sec. 2. fine. Cardinalis de Lugo de Euchar. disp. 4. sec. 7. num 123. Vbi ait valdè dubium esse. An possit consecrari, contra Leandrum, & alios apud Dianam par. 9. tract. 8. resol 65. fine. Certum est autem peccare mortaliter Sacerdotem sic consecrantem contra Ritum Ecclesiæ, & ratione dubij sumendas esse illas hostias post sumptionem sanguinis.

DVBIVM VI.

An validè, et licitè consecrentur hostiæ clausæ in Pyxide.

REspondeo, & dico primo, eas validè cōsecrari. Probatur: quia sufficit præsentia moralis, & vt more communi designari possit materia per pronomen Hoc: sed ita est in casu nostro: quia proximum continens non tollit præsentiam moralem rei, quam continet & totum illud per modum vnius designatur: ergo &c.

Confirmatur quando consecrantur multæ hostiæ cumulo super corporali posito; plures ab alijs teguntur & non apparent, & nihilominus certum est omnes consecrari: quia satis sunt præsentes ratione totius cumuli: ergo pariter in casu nostro, quia sunt præsentes ratione continentis, ita de Lugo, & Auersa loc. cit. dubio præcedenti, Dicastillo trac. 4. disp. 2. dub. 11. num. 193 Layman. lib. 5. trac. 4. cap. 3. n. 10. cum alijs, quos citant Suar. disp 43. sec. 5 §. secundo quæret, & Coninch. qu. 74 art. 2. dub. 1. num. 23.

Dico secundo, teneri Sacerdotem discooperire Pyxidem, & remouere operculum ante consecrationem, & similiter calicem, iuxta Ritum Ecclesiæ, vt suo loco diximus. An autem grauiter peccet, si non discooperiat; Dicendum videtur id non fore peccatum mortale: quia certum est consecrari, & DD dicunt melius esse vt discooperiantur: Vide Auersam supra.

DVBIVM VII.

An hostiæ latentes sub mappa Altaris vel sub corporali valide consecrentur.

REspondeo, & dico primo. Si hostiæ sint velo coopertæ vel mappa, ita vt velum habeat rationem continentis validè consecrātur: quia non est maior ratio de velo, ac de vase, vel pyxide: ergo sicut vas non tollit præsentiam moralem, ita nec velum, ita Suar. Dicastillo, Auersa locis cit. prae. dubio.

Dico secundo. Si mappa, vel linteum non habeant rationem continentis hostias, quia ad alium finem sunt destinatæ & positæ in Altari, vt sunt mappæ, quæ communiter ponuntur ad operiendum Altare & Aram, non vero propter hostias; non possunt validè consecrari hostiæ sub ipsis latentes, vel sub corporali: quia non sunt moraliter præsentes: Probatur, quia non possunt designari immediatè, in se, quia non apparent, seu non sunt sensibus expositæ: neque possunt designari ratione continentis, quia mappæ tunc non habent rationem continentis; ergo &c. Ita Layman loco sup. citat. Coninch. de Sacram q. 74. ar. 2 dub. 1. n. 23. Pasqualigus quæstionum moral. Centuria 1. q. 30. Quamuis non desint oppositum sentientes, vt Candidus, Capsensis apud Pasqualig. sup.

TITVLVS III.

DE DEFECTV PANIS.

1 Si panis non sit triticeus, vel si triticeus, admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate, vt non maneat panis triticeus, vel sit alioqui corruptus, non conficitur Sacramentum.

EXPLICATIO LITERALIS.

POst defectus vtriusque materiæ in communi, seu coniunctim, de quibus dictũ est in tit. præcedenti; conuenienti ordine sequitur explicatio defectuum in particulari, Tum panis in hoc titulo; Tum vini in sequenti: quia consecratio panis præcedere debet; Atque ante omnia num. 1. hic declaratur panem debere esse triticeum, alias non confici Sacramentum: quare conditio illa, vt sit de tritico, non solum est de necessitate præcepti: sed etiam de necessitate Sacramenti. vt patet ex Concil. Florent. in Decreto Eugenij, vbi definitur materiam Eucharistiæ esse panem triticeum. Rationem autem assignat D Tho. 3. par. q. 74. art. 3. his verbis; Ad vsum sacramentorum assumitur talis materia, quæ communius apud homines in talem vsum venit: communius autem homines pane triticeo vtuntur: qui etiam panis magis confortat hominem, & ita conuenientius, significat effectum huius Sacramenti. Deinde additur eodem numero, Si panis sit confectus partim ex tritico, partim ex granis alterius generis, sed in tanta quantitate vt non maneat panis triticeus, nec conficitur Sacramentum: cuius rationem reddit idem D.Thom. supra art. 3. ad 3 quia talis permixtio speciem mutat, quod intellige saltem moraliter: quia ille panis absolutè non est triticeus. Tandem si panis triticeus sit corruptus, non est consecrabilis; quia per corruptionem desinit esse panis.

2 Si sit confectus de aqua rosacea, vel alterius distillationis. dubium est an conficiatur.

VT Panis sit consecrabilis, & apta materia Sacramenti confici debet ex farina triticea vt supra dicebamus, & conglutinari in massam per veram, & naturalem aquam, non vero per aquam artificialem: quia alias non esset verus panis vsualis, qualis ex institutione Christi requiritur pro materia huius Sacramenti, vt docet D.Thom. q. 74. citata, ar. 7. ad 3. & Theologi communiter. Vnde excluditur hic panis confectus de aqua rosacea, vel alterius distillationis, quia consecratio vel esset irrita, vel saltem valde dubia. Quod si parum extranei liquoris admisceretur, id quidem non impediret quo minus ille panis censeatur vsualis, & ideo non esset contra Sacramenti veritatem; esset tamen illicitum contra huius materiæ puritatem, vt infra dicemus in dubijs Conscientiæ.

3 Si cœperit corrumpi, sed non sit corruptus, similiter si non sit azymus, secundum morem Ecclesiæ Latinæ, conficitur, sed conficiens grauiter peccat.

COrruptio Panis sicut & aliarum rerum incipit ab alteratione accidentium, qua paulatim destruuntur propriæ qualitates panis, & his tandem destructis perit ipsa substantia panis, quæ est corruptio substantialis, & fit transitus in aliam speciem; quando ergo panis est substãtialiter corruptus nõ cõficitur Sacramentum, vt dictum est n. 1. quando vero non est corruptus substantialiter, sed per alterationem, & mutationem saporis, & similiũ qua-

qualitatem est in via ad corruptionem, conficitur quidem Sacramentum, sed conficiens grauiter peccat, vt etiam expresse docet D. Thom. qu. 74. art. 3 ad 4. & rationem reddit; quia id est contra reuerentiam Sacramenti. Similiter apud latinos panis de necessitate præcepti debet esse azymus, vnde consecrans in pane non azymo peccat mortal. vt declarat hic Rubrica, et docet D. Thom supra art. 4 ex cap literas de celebr. missar. Quid autem facere debeat Sacerdos si in Altari aduertat ante consecrationem panem vel non esse azymũ, vel in via ad corruptionem, inferius explicabimus in dubijs conscientiæ.

4 Si celebrans ante consecrationem aduerterit Hostiam esse corruptam, aut non esse triticeam, remota illa Hostia, aliam ponat, & facta oblatione, saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco, vbi desiuit.

Hostia corrupta, vel non triticea non est consecrabilis ex supra dictis: quarè si Sacerdos hoc aduertat ante consecrationem, remota illa hostia debet aliam ponere, aliàs grauissimè peccaret. Ratio est; Tum quia velle conficere Sacramentum contra institutionẽ Christi est immane sacrilegium; Tum quia offerretur Deo falsum sacrificium, Tandem cum Sacramentum fit irritum, significatio formæ esset falsa, cum graui irreuerentia contra ipsam rem, seu formam sacramentalem, & contra Christum eius auctorem, & principalem offerentem; necessario ergo ponenda est alia hostia, quæ sit vera materia Sacramenti, & facta oblatione prosequenda est missa, &c. Hinc apparet oblationem, quæ est præparatio materiæ sacrificandæ, nunquam esse pœnitus omittendam, cùm sit grauis cæremonia: sufficit autem oblatio mente concepta extra proprium locum absque eleuatione, vel signo Crucis, nè perturbetur ordo missæ. Quid autem agendum si non possit haberi alia hostia, dicemus infra dub. sec. 2. dub. 1.

5 Si id aduerterit post consecrationem, etiã post illius Hostiæ sumptionem, posita alia, faciat oblationem, vt suprà, & à consecratione incipiat, scilicet ab illis verbis, Qui pridie quam pateretur, & illam priorem si non sumpsit, sumat post sumptionem Corporis & Sanguinis, vel alij sumendam tradat, vel alicubi reuerenter conseruet. Si autem sumpserat, nihilominus sumat eam, quam consecrauit: quia præceptum de perfectione Sacramenti maioris est ponderis, quàm quòd à ieiunis sumatur.

Tenetur etiam iure diuino celebrans aliã Hostiam ponere, & consecrare si post consecrationem aduertat priorem hostiam esse corruptam, vel non triticeam: quia prior consecratio fuit inualida, vndè sacrificium remaneret irritum, vel mutilum contra ius diuinum: faciat ergo oblationem veræ materiæ vt supra, saltem mente conceptam, & eam cõsecret incipiendo ab illis verbis. Qui pridie, &c. quamuis enim non sint de essentia consecrationis, nisi quatuor verba. Hoc est corpus meum, nec alia antecedentia sint absolutè necessaria, vt immerito opinatus est Scotus in 4. dist. 8. q. 2. artic. 2. Nihilominus conducunt ad clariorem sensum verborum essentialium, quę Sacerdos profert ir persona Christi, ad quod tamen sufficit sola intentio Sacerdotis, vt notauit D. Thom. q. 78. art. 1. ad quartum. Post communionem vero debet etiam Sacerdos sumere illam priorem Inualidè consecratam, si non sumpserat &c. Ratio est: vel quia acquisiuit quoddam esse sacrum per oblationem, & consecrationem quamuis inualidam: vel quia fieri potest, vt re vera non sit omnino corrupta, & ibi sit Corpus Christi, & nihilominus etiam in hoc casu consecrari debet alia hostia, quando periculum est in eo dubio, nè sacrificium remaneat irritum. Si autem sumpserat, nihilominus sumat eam, quam postea consecrauit, ob rationem assignatam in Rubrica, quæ est D. Thom. q. 83. art. 6. ad 4.

6 Quod si hoc contingat post sumptionem Sanguinis, apponi debet rursus nouus panis, & vinum cum aqua, & facta prius oblatione, vt supra, Sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis, Qui pridie, ac statim sumat vtrumque, & prosequatur Missam: ne Sacramentum remaneat imperfectum, & vt debitus seruetur ordo,

Diuersus supplendi modus assignatur in hac Rubrica, quando defectus hostiæ deprehenditur post sumptionem Sanguinis ab eo, qui numero præcedenti explicatus est, quando deprehenditur idem defectus ante sumptionem sanguinis, in quo casu solus panis cōsecrari debet. Ceterum post sumptionem sanguinis debet de nouo consecrari, non solum nouus panis, sed etiam vinum cum aqua ex doctrina D. Thom. q.83. art.6. ad 4. qui loquitur quando deprehenditur defectus vini post sumptionem corporis, & docet vtramque speciem esse rursus consecrandam, & à fortiori in hoc casu: Ratio D. Thom. quæ etiam in Rubrica assignatur est, vt debitus seruetur ordo.

Hic autem ordo considerari potest, vel primo in ordine ad consecrationem vtriusque speciei, vt prius consecretur corpus, deinde sanguis, nam alias non significaretur effusio sanguinis à corpore; quia vt sanguis effundatur, necesse est, vt corpus præexistat; ergo in casu nostro non debet consecrari sola hostia; quia consecraretur post sanguinem, & inuerteretur ordo, sed ad seruandum debitum ordinem debet iterum consecrari vinum in sanguinem. Cæterum hæc ratio conuinceret idē quoque faciendum esse, quando deprehenditur defectus post consecrationem sanguinis ante sumptionem, cuius oppositum diximus.

Vel secundo potest considerari debitus ordo, quoad ritus Canonis extra consecrationem: siquidem in verbis & signis occurrunt multa dicenda & fienda, non solum circa corpus, sed etiam circa sanguinem, quę debito modo perfici non possent deficiente altera ex speciebus, & de hoc ordine loquitur D. Thom. supponens eos ritus esse repetendos, quod tamen modò locum non habet; quia secundum Rubricas repeti non debent.

Vera igitur ratio esse videtur, vt seruetur debitus ordo saltem in sumptione, qua tandem perficitur sacrificium, quoad integritatem, & percipitur effectus effusionis sanguinis, qui sequi debet consecrationem, & immolationem corporis: quando ergo cognoscitur defectus hostiæ antè sumptionem sanguinis, non opus est noua consecratione vini; quia & si non seruatus sit debitus ordo in consecratione, suppletur ille defectus in sumptione: dum prius sumitur corpus, deinde sanguis: quando verò cognoscitur post sumptionem sanguinis, cum non possit debitus ordo aliunde suppleri, debet iterum consecrari tum hostia, tum vinū. An verò hoc cadat sub præcepto, vel possit sacerdos sequi oppositam opinionem consecrando solam hostiam, & non vinum. explicabimus in dub. conscientiæ.

7 Si Hostia consecrata dispareat, vel casu aliquo, vt vento, aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, & nequeat reperiri; tunc altera consecretur, ab eo loco incipiendo, Qui pridie quam pateretur, facta eius prius oblatione, vt supra.

Dupliciter potest hostia consecrata disparere, nempe vel casu aliquo, vt vento, &c. Ita vt nequeat reperiri, & tunc ex probabiliori & tutiori Doct. sententia debet alia hostia consecrari & sumi, vt hic præscribitur propter complementum, & integritatem sacrificij. Vel secundo mutari potest, vel disparere miraculosè & diuina virtute, & tunc non est obligatio aliam hostiam consecrandi; sed consilium ex D. Thom. q.82. art. 4. ad 3. quia casus miraculosi non comprehenduntur sub legibus. vt fusius dicemus in dubijs conscientiæ. Deus etiam interdum hæc miracula operatur, nè indignus Sacerdos Sacramentum sumat, & in correctionem. Ex multis vero miraculis, quæ in ecclesiasticis historijs narrantur, Placet hic vnum referre ad instructionem Sacerdotum. Narrat Petrus Cluniacensis lib.1 de miraculis cap 2. & ex eo Rodriquez in exercitijs perfectionis p.2.trac.8 cap 4. Sacerdotem quendam Theutonicum sacrum fecisse in peccato mortali, qui tamen antea piè vixerat,

xerat, & Deo carus fuerat: & idcirco Deum voluisse paternè illum corripere: tempore ergo sumptionis ex eius manibus hostia disparuit, & deinde pariter sanguis è Calice: obstupuit ille, sed non resipuit, iterumque, ac tertio, non præmissa debita confessione celebrauit, & iterum, ac tertio simili euentu à Deo monitus est. Tandem in se reuersus grauique timore correptus suum Episcopum adijt, & eius pedibus obuolutus narrauit ex ordine quæ acciderant, multisque lachrymis, & seria confessione, ac pœnitentia, sua peccata deleuit. Postmodum obtenta celebrandi venia ad Altare sacrificaturus accessit, ac tempore sumptionis mirabiliter apparuerunt illi tres illæ hostiæ, quæ antea disparuerant, & in calice reperit totam illam quantitatem sanguinis, qua priuatus fuerat ac recentèr sumpsit, innumeras Deo gratias agens, vitamque suam ad normam componens, religiosissimè in posterum vsque ad finem vixit. Raro autem hæc signa eueniunt, sæpius autem Deus indignè sumentes in æternum punituros reseruat: quia iudicium sibi manducant, & bibunt &c.

DVBIA CONSCIENTIAE

Dubia huc spectantia in duas sectiones diuidemus; in prima agemus de conditionibus panis, vt sit apta materia consecrationis. In secunda explicabimus modum supplendi defectus, qui circa hanc partem possunt occurrere in celebr. missæ.

SECTIO I.

De Conditionibus panis consecrabilis.

Panis est compositum artificiale constans ex granis, quæ generali appellatione frumenta dicuntur, quamquam enim frumenti vox per antonomasiam triticum significet, tamen generaliter comprehendit omnia semina, quæ habent culmum & aristas, & grana sine siliquis. Ad panem ergo primo requiritur aliquod genus frumenti, seu grani. Secundo oportet vt granum in farina reducatur. Terrio, Deinde vt in massam aliquo liquore conglutinetur, quæ tandem massa igne cocta statum panis acquirit. Est autem panis commune, & principale hominum alimentum, & adhibetur vt comes aliorum ciborum: cum ergo in Sacramento Eucharistiæ debeat corpus Christi ex pane confici, vt constat ex dictis in litera, examinandum est cuius naturæ; & qualitatis oporteat esse hunc panem. discurrendo per singulas conditiones prædictas.

DVBIVM I.

Ex quo grano oporteat esse confectum panem consecrabilem.

Respondeo, vt panis sit materia sufficiens huius Sacramenti debet omnino fieri ex tritico, seu debet esse panis triticeus, alias consecratio non erit valida. Est conclusio certa, ita vt sine erroris periculo negari non possit, & eam docent D.Thom.q 74.art 3. D.Bonauent. Scotus, Riccardus, Innocent. & communiter apud Suar. disp 44.sec.1.Vasq Valentia, Henriq. apud Bonacin. de Euchar. disp.4. quæst 2. punc. 1. Cardin. de Lugo de Euchar. disp.4.sec.1.Auersa de Euchar.q.2.sec.3.& colligitur manifestè ex Concil. Flor. vt supra dicebamus in expositione literæ.

Colligitur primo, Panem confectum ex grano, vel semine, de quo certum est non esse triticum certum etiam esse, non esse materiã sufficientem huius Sacramenti: consequenter panis confectus ex hordeo, millio, oriza, vel ex grano indico, & similibus, non est consecrabilis: quia grana prædicta non sunt triticũ, vt constat ex colore, figura, sapore, & alijs proprietatibus, & effectibus, neque panis ex illis confectus absolute panis dicitur, sed cum addito panis hordeaceus, neq; absolutè est vsualis, Doct. cit.

Colligitur secundo à fortiori neque esse cõsecrabilem panem confectum ex arborum fructibus, vt ex castaneis, siliquis, & similibus, similiter nec ex leguminibus, E.g. ex fabis &c. quia euidens est neque fructus arborum, neque legumina esse tritieum, neque ex illis cõfici panem communem & vsualem, Doctor. supra cit.

Colligitur tertio. Quid sit dicendum de siligine, spelta, & farre: nam S.Thomas sup ar.3. quem plures sequuntur affirmat siliginem esse veram speciem tritici & consequenter aptam materiam Sacramenti, negat de spelta & farre. Aliqui de his omnibus affirmant. Alij negant quæ opinionum diuersitas orta est ex diuersa acceptione horum nominum

Dicendum est ergo si hæc nomina significẽt quædam frumentorum genera valde deteriora tritico quæ italicæ ijsdem ferè nominibus nuncupantur, & siligo selica, seu segala etiã dicũtur, dicendum est in quam non esse materiã aptam

aptam huius Sacramenti, seu panis consecrabilis: quia non pertinent ad genus tritici, vel hoc est valde dubium & quamuis interdũ gignantur ex tritico, id tamen contingit quando ob prauitatem soli vel aliam prauam dispositionem triticum ipsum degenerat, & conuertitur in aliud deterius frumenti genus, idemque dicendum de auena, in quam etiam triticum degenerat & pariter de tipha & alijs similibus,

Quod si prædicta nomina aliter vsurpentur sicut alicubi vsurpari solent, vt significent speciem tritici electi quam Plinius lib 18. cap.8. delitias tritici vocat & siliginem etiam appellat, italice appellatur grano gentile, e grano bianco, & Hispanicè candeal; tunc nulli dubium est esse aptam materiam panis consecrabilis: quia ex omni vero tritico conficitur panis cõmunis & vsualis, qui est vera materia huius Sacramenti, cauenda est tamen æquiuocatio, ita Suar. Card, de Lugo, Auersa supra citati.

Colligitur quarto, ex solo illo frumento cõfici materiam certam huius Sacramenti, quod à peritis in qualibet regione certo iudicatur esse triticum, etiam si triticum sit genus, & sub se contineat plures species veri tritici, hoc enim non facit ad rem dummodo sit verum triticum. Coninch loc. c. cum alijs comm.

Colligitur quinto, quoties granum aliquod tale est vt merito de eo dubitetur an sit triticũ nec ne, et in vera acceptione est de hoc opinionum diuersitas, vt dicebamus de spelta, de farre etc. etiam panem ex eo confectũ esse materiam dubiam Sacramenti nec posse licitè in eo confici. Ratio quia absque necessitate non est licitum exponere Sacramentũ periculo irritationis. Cum autem Sacramentum Eucharistiæ ex vna parte sit summa veneratione dignum, ex alia verò parte non sit Sacramentum necessitatis simpliciter, nulla videtur posse occurrere causa moraliter sufficiens, ad conficiendum illud in materia dubia, ita ex Alano lib.1. de Euchar cap. 11. docet Suar disp. 44. sec. 1. §. Tertio sequitur Bonac. disp. 4. q. 2. punct 1, num. 2. vbi citat. Coninch. et alij communiter.

DVBIVM II.

Vtrum Admixtio alieni frumenti in Pane consecrando obstet valori consecrationis

RESpondeo, & dico primo, Panis confectus ex diuersis frumentis, seu granis verè triticeis, idest quæ omnia continentur sub genere tritici, quamuis inter se specie differant est apta & sufficiens materia Sacramenti. Probatur quia ex omni triticeo conficitur panis communis & vsualis, ergo panis confectus ex quocumque tritico, siue vnius, siue plurium specierum veri tritici est apta materia Sacramenti: quia singulæ partes sufficiunt, etiam si demus inter se specie differre, & triticum esse genus, ita D.Thom. quæst 74. art.3 ad 2. & 3. Suar. disp.44 sec 1. §. Quarto sequitur, Auersa de Euchar. quæst. 1. sec. 3. Coninch. qu. 74. artic. 3.

Dico secundo si fiat mixtio tritici cum frumentis diuersi generis, quæ non sint triticum, distinguẽdum est: si enim fiat modica admixtio alieni frumenti, ita vt maior pars cum notabili excessu sit triticea; dicendum est panem inde confectum esse sufficientem, & aptã Sacramenti materiam: alias panis confectus ex tritico male purgato, non esset materia sufficiens, quod est aperte falsum Ratio verò est: quia illa maior pars adiuncta contusione, & coctione censetur alias particulas trahere ad suam speciem, & ideo mixtum est absolutè panis triticeus. Quòd si demus particulas alterius frumenti non conuerti in substantiam tritici, non recipient consecrationem: quia separari possent, & non retinerent consecrationem: ergo solæ partes triticeæ consecrantur, ita Auersa loco supra citato, nec dissentit Suar. supra cum Aliis. Quod si fit magna permixtio, dicemus concl. sequenti.

Dico tertio, si pars triticea sit minor vel æqualis, panis indè cõfectus non erit sufficiens materia Sacramenti, Ita D Th.q.74.art.3.ad 3. Suar. Auersa locis supra citatis. Bonacina supra. vbi citat. Vasq. Viualdum, Graffis, & alios.

Probatur: quia vel fit perfecta mixtio. & sic maior pars trahit minorem in suam speciem: vel sit æqualis, & tunc probabilius est vtramque partem corrumpi, & fieri vnum tertium distinctum. Vel solum fit mistio imperfecta per iuxta positionem, et tunc quamuis ibi sint partes triticeæ, non videtur panis ille consecrabilis; quia nõ habet absolutè denominationem Panis triticei, vel saltem dubium est, an consecrari possit, quoad partes triticeas, et ideò non potest licitè consecrari propter confusionem, et periculum irritationis Sacramenti.



DV-

DVBIVM III.

De Farina triticea necessaria ad Panem consecrabilem, deque eius conditionibus.

DEscendimus paulatim ad explicandas conditiones panis triticei, & modum, quo confici debet, vt sit apta materia huius Sacramenti.

Respondeo, & dico Primo, Triticum in suis granis integrum, quacumque etiam ratione coctum, nō est apta materia huius Sacramenti, sed opus est vt in farinam redigatur, & rursus conglutinetur in massam, vt inde Panis conficiatur. Est conclusio certa apud omnes, & docet D.Thom.q.74.art.7 ad 3. Paludanus, Soto, Siluest. Alanus, & alij quos citat, & sequitur Suar. disp.44.sec.2. Auersa de Euchar. q.2. sec.3. & communiter.

Probatur: quia ex supradictis materia huius Sacramenti, est solus panis triticeus communis, & vsualis: sed triticum in suis granis integrum, non est panis, etiam si sic integrum quocumque modo coquatur: ergo &c. Rursus sola farina etiam per se cocta non est panis: ergo nec sola farina, quamuis cocta est consecrabilis: sed debet rursus conglutinari in massam, vt inde panis conficiatur, adhibitis etiam reliquis conditionibus necessarijs, de quibus infra DD.citati.

Dico secundo, Panis confectus ex furfure tritici non est apta materia Eucharistiæ; sed debet esse confectus ex farina deducta ex medulla tritici. Explico: Triticum enim constat ex medulla, & cortice, vndè per molæ contusionem resoluitur in farinam, & furfur: farina deducitur, ex medulla, furfur ex cortice. Hoc posito, Probatur conclusio, panis confectus ex furfure non est panis communis, & vsualis hominum; sed fieri solet ad vsum canum, ergo panis ex furfure non est apta materia Sacramenti: superest ergò vt solus panis confectus ex farina deducta ex medulla tritici sit apta materia huius Sacramenti: & huic doctrinæ aptari potest illud Psalm. 147. Et Adipe frumenti satiat te: DD. suprà citati, & Cardinalis de Lugo disp. 4. sec. 4 num. 64. Auersa, quæst.2 sec.3. §. Tertio certum est.

Colligitur si cōficiatur panis ex farina mixta cum furfure illum fore materiam sufficientem Sacramenti, & totus panis transubstantiatur in Corpus Christi, quando longè maior est medulla & farina, quàm cortex & furfur, & sepè cum ea permixtione confici solet panis vsualis omnino tamen curandum est, vt in reuerentiam Sacramenti, conficiatur panis consecrandus ex pura farina eiecto furfure, & diligentius expurgata, quàm fiat pro pane consueto hominum. Vide citatos DD.

DVBIVM IV.

De liquore necessario ad conficiendum panem consecrabilem.

COnstat ex supra dictis ad conficiendum panem debere farinam triticeam coagmentari, et conglutinari in massam, ad quod opus est aliquo liquore. Quærimus ergo quonam liquore hæc coagmentatio fieri debeat vt panis sit consecrabilis.

Respondeo, vt panis sit consecrabilis enim, debere esse conglutinatum ex farina triticea, & sola naturali aqua, non autem aqua artificiali, vel alio liquore, ita D.Thom.q.74. art.7. ad 3. Paludnus, Alanus, Sotus, Angelus, Silnest, apud Suar. disp.44 sec.2 Cardinalis de Lugo de Euchar. disp.4. sec.1 Auersa supra Bonacina dispnt.4. q.2. punc.1 & communiter. Probatur: quia sola aqua naturalis ingreditur compositionem panis communis, & vsualis, quo vtuntur homines, vt sit comes aliorum ciborum: alias non censetur panis, sed aliud genus cibi, vel placentæ: ergò sola aqua naturalis sufficit, et est necessaria ad conficiendum panem consecrabilem. Probatur consequentia: quia materia Sacramenti est panis communis, & vsualis non verò placenta etc.

Colligitur primo Si farina triticea conglutinetur in massam lacte, vel melle, vel oleo, vel alio huiusmodi liquore, compositum indè resultans non fore verum panem, nec cōsequenter aptum consecrationi, sed potius dicitur placenta Doct. cit.

Colligitur secundo, idem quoque dicendū esse si farina subacta sit, & conglutinata cum aqua rosacea, aut alia simili artificiali, vel cū succis herbarum: quia non est verus panis vsualis, nisi qui ex sola aqua naturali componitur: quare omnes reijciunt sententiam Caietani, qui putauit ex farina, & aqua rosacea fieri panem eiusdem speciei cum alio communi: nam quicquid sit de specie physica, satis est illum panem non esse vsualem, consequenter non esse materiam à Christo exigitam pro hoc Sacramento, DD.citati, & in Rubrica sup. n.2. dicitur dubium esse an conficiatur Sacramentum.

Colligitur tertio, Quid sit dicendum si coagmentatio fiat partim ex aqua naturali, partim

rum ex rosacea; vel alio liquore. Dicendum est enim vt supra de permixtione granorum diuersi generis; si enim maior pars, vel ferè æqualis sit alieni liquoris, panis indè confectus non erit apta materia Sacramenti; si verò è contra maior pars sit aqua naturalis, & parum aliquid alieni liquoris misceatur, non tolleret veram rationem panis, nec proinde vitiaret materiã Sacram. quoad valorem consecrationis: esset tamen illicitum hoc facere contra puritatem materiæ huius Sacram. An autem sit peccatum mort vel veniale, prudenti arbitrio iudicandũ erit, considerata quantitate liquoris admixti, Suarez suprà, Viualdus, Sylvester, Armilla, Molfesius, Toletus, & Alij, quos citat, & sequitur Bonacina de Eucharistia disp 4 q.3. punc.1. num.4 Diana par.9. tract.8. resol.58.

Colligitur quartò, Si cum aqua naturali, vel massa prædicta admisceatur aliquid salis, non inde vitiari materiam Sacramenti: quia panis vsualis cum sale confici solet, In Ecclesia tamen Latina id fieri non debet, propter ea quæ infra dicemus de pane azymo; Secus esset de admixtione piperis, butyri, casei, & similium: nam hæc admixtio in notabili quantitate esset contra substantiam Sacramenti, quia non fieret panis vsualis, sed placenta; in minima verò quantitate, non esset contra substantiam Sacramenti sed contra puritatem materiæ; & vix excusari potest à peccato mortali propter indecentiam, Suarez supra.

Colligitur quinto, Panem confectum ex farina triticea, & aqua maris esse materiam sufficientem, & aptam consecrationi: quia aqua maris est vera aqua naturalis, teste D. Thom. quæst.74. art.7. ita contrà Fagundez, Diana, par.9. tract.8. resol.58.

DVBIVM V.

An & qualiter massa triticea debeat esse igne cocta, vt sit panis consecrabilis.

Respondeo, & dico primo, massa coagmentata ex farina tritici, & aqua naturali debet esse necessariò igne concocta, vt sit apta materia huius Sacramenti, consequẽter massa cruda non est materia sufficiens: est communis sententia DD Probatur: quia massa cruda non est panis, nec cibus homini aptus, Ita D. Thom. in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 1. quæst. 3. ad 3 Caet. & Alij Tomistæ, Suar. disp 44 sect 2. Coninch quæst. 74. art. 3. Auersa quæst. 2. sect. 3. Bonac. disp. 4. quæst. 2. punct. 1. & aliquos citant. Nec refert quod Scotus in 4 dist. 11. quæst 6 putauit massam crudam non differre specie ab ipso pane, Nam D. Th. quæst 75. art. 6 oppositum significat, sed quicquid sit de hoc, sufficit ad eam excludendam non habere rationem cibi: in re enim morali, attendi potius debet conditio materiæ vsualis ad cibum hominum, quàm ratio physica, & quid dictaris specifice.

Dico secundò, de necessitate materiæ huius Sacramenti est, vt panis solo igne sit assus, seu coctus. Probatur: quia alioqui non erit verus, & vsualis panis, sed aliud genus cibi; DD. sup citati.

Colligitur primo, neque laganum, seu massam aqua elixam esse consecrabilem, neque pultes, vel placentam, aut quid simile; quia non sunt panis vsualis Doct cit.

Colligitur secundo, massam oleo, aut butyro frixam in sartagine, aut simili liquore concoctam, non esse materiam huius Sacramenti, ob eandem rationem DD. cit.

Colligitur tertio, non referre quoad valorem consecrationis, quod panis assetur siuè in furno, siue sub cineribus, siuè intra vas fictile, dummodo puro igne coquatur: quia his modis non fit mixtio alicuius liquoris, neque impeditur vera concoctio, sed solum est varietas in proximo continente, seu in modo applicandi ignem, & ideo non impeditur quin sit verus panis. Dixi quoad valorem consecrationis; quia quoad licitum vsum debet omnino adhiberi in sacrificio panis coctus instrumento ferreo purus, & candidus, & sub forma, & figura consueta in Ecclesia ad maiorem decentiam sacrificij, Doct. cit.

Colligitur quarto, si panis vsualis debito modo coctus, rursus madefiat, & digitis comprimatur, vt videatur iterum reduci in massã adhuc esset materia sufficiens ad valorem Sacramenti: quia prædicta mutatio neque variat substantiam physicam panis, neque formam eius artificialem, seu esse morale panis, quamuis grauiter peccaret, qui tali materia vteretur in sacrificio propter grauem irreuerentiam, & recessum ab vsu, & ritu Ecclesiæ, Suar. & Auersa locis cit.

DVBIVM VI.

Vtrum panis confectus ex amylo sit materia sufficiens huius Sacramenti.

Pendet decisio huius dubij ex ea, quæstione an amylum, seu amidum, vel amylon, fiat ex tritico substantialiter immutato, & corrupto, vel ex tritico solum accidentaliter immu-

mutato, & permanente in sua substantia. Certum est enim verum triticum alteratum resolui in amidum. Certum est etiam si per eam resolutionem triticum substantialiter corrumpitur, non posse ex eo fieri panem consecrabilem: quia triticum corruptum, vel panis corruptus, non est verus panis, vt dicebamus in expositione literæ, n.1.

Prima sententia sustinet Panem confectum ex amido esse materiam sufficientem huius Sacramenti quoad valorem, non quoad licitum vsum. Probatur: quia amidum est materia verè triticea, & solum accidentaliter immutata: potest etiam redigi in massam per aquam naturalem, & igne assari: ergo nihil ei deest, quo minus sit materia sufficiens valori Sacramenti, ita Paludanus 4 dist.11.q.1.art.4. concl. 5. quem sequitur Bonacina de Sacram. disp.4.q.2.punc.1.n 8.

Secunda sententia communis & probabilior negat esse materiam aptam consecrationis, etiam quoad valorem. Probatur: quia ex ea resolutione verè corrumpitur triticum: ergo &c. Antecedens probatur, quia ex multiplici alteratione, quæ interuenit in ea resolutione corruptio indicatur; Primo enim contunditur triticum diuerso modo, ac cum ex eo fit farina, deinde illi miscetur aqua, & postea lactens humor colatur. Tandem exiccatur vehementi calore solis; Hæc autē multiplex actio magnum est indicium corruptionis, ita D.Tho. q.74.ar 3. ad 4. Scotus, Victoria, Siluest. Ledesma, & alij, quos citat, & sequitur Suar.disp.44. sec.2 fine, Conincb. q.74. art.3.n.54 Auersa q.2. sec.3.

Colligitur primo, Amidum crudum, seu nō coctum igne absque vlla controuersia nō esse materiam aptam huius Sacramenti: quia esto esset materia triticea & non corrupta, sicut farina vel massa, adhuc sine coctione ignis, non est panis, Suar.loc.cit.

Colligitur secundo. Si amidum reducatur in massam, & igne coquatur adhuc illud non esse materiam sufficientem, neque consecrabilem: quia probabilius est non esse materiā triticeam, sed corruptam, seu generatam ex tritico corrupto Doct. secundæ sententiæ.

Colligitur tertio, fore graue sacrilegium cōsecrare panem confectum ex amido in omniū sententia: quia saltem est materia dubia, & exponeretur periculo veritas Sacramenti, ita omnes supra cit.

Confirmatur: quia etiā si forte non sit trāsmutatio substantialis in resolutione tritici in amidum, nihilominus tanta est moraliter, vt ex vario vsu, & sapore apparet; vt panis ex eo confectus non sit panis vsualis, neque aptus ad consecrationem, Auersa sup.

DVBIVM VII.

An Panis elixus, & in iusculum redactus sit materia consecrabilis.

HVic dubitationi placet satisfacere verbis eruditissimi P Dianæ, qui sic eam resoluit parte 9 tract.9.resol.58.

Quoad secundum respondeo. Iusculum panis cocti non esse materiam consecrabilem. Primo quia licet olim fuerit panis assatus, nūc tamen est panis elixus, in quo fieri non potest consecratio, vnde quis inualidè consecraret in his, qui Italicè dicuntur vermicelli, tagliarini, marcheroni, Secundo & melius quia agente igne & aqua: panis ille effectus est quoddam mixtum artificiale, & quid diuersum à pane vsuali, vnde non dicitur simpliciter panis, ita vt multi asserant non posse sumi in collatione serotina ieiunij; nec votum ieiunandi in pane & aqua adimpleri, si sumeretur iusculum panis cocti. Tertio mustus est materia consecrabilis, si tamen coquatur non erit postea materia sufficiens consecrationis sanguinis: ergo &c.

Nec obstat dicere, quod mica panis madefacta, & digitis compressa, & facta quasi massa cruda sit materia consecrabilis, vt tradit Card. de Lugo de Sacram. Euchar. disp.4.n.5. Hurtadus disp.1 diff 3. Ochagauia tract.1. q.5.n.15. & alij, quia per talem mutationem nullo modo amisit coctionem, aut esse panis: ergo &c. Non inquam hoc obstat, primo quia multi negant talem materiam esse consecrabilem, ita Trullench.de Sacram.lib.2.cap.1.dub.1.num.8. & Fagundez in præcept.3. Eccles. lib.2. cap.1. n.12. docet quod tanta potest esse compressio, vt panis vsualis non sit, nec materia consecrabilis: imò & vt speciem panis mutet iterum in massam. Respondeo secundo esse disparem rationem inter vtrumque casum: nam mica panis madefacta calore tantùm digitorum, difficile potest in massam crudam transmutari: sed in nostro casu ex potentia, & vi ignis agentis, panis ille verè efficitur quoddam mixtum artificiale, diuersum quid à pane vsuali, vnde vulgo vocatur Minestra: ergo nō erit amplius materia consecrationis corporis. Si tamen omnia supradicta viris doctis non placebunt, eis libenter ad hæream, & sufficiet mihi illis materiam speculandi præbuisse; Hactenus Diana.

Difficultas est hic primo an materia debeat esse sensibilis ipsimet consecrāti; An vero sufficiat esse sensibilem respectu alterius, qui habet visum magis acutum

Variant in hac re DD. & aliqui censent materiam debere esse sensibilem ipsimet consecranti: quia ipse debet vti pronomine Hoc, Ita Vasq. disp. 171. cap 2. n 13.

Alij contra in aliud extremum declinant, asserentes sufficere si materia sit sensibilis secūdum speciem suam, ceterum non opus esse, vt in indiuiduo sit sensibilis, vel vt a quoquam visu percipi possit, etiam si acutissimo oculo polleat; sicut conseruari potest corpus Christi sub minutissima specie post consecrationē etiamsi ob exiguitatem à nemine videri possit, Ita Sotus in 4. dist. 9. quæst. 4. art. 2. Valentia tom. 3. disp. 6. quæst. 2. punc. 2.

Sed neutra sententia videtur vera: non prima, Cum enim dico hoc est tale quid, per hæc verba significo me aliquid demonstrare non mihi (nec enim nobis ipsis solemus aliquid demonstrare) sed alteri: vnde opus non est, vt ego rem illam aliquo sensu percipiam, sed vt alter percipere possit, dummodo ego certus sim de existentia, & præsentia illius rei vel per reuelationem, vel per attestationem alicuius, de cuius testimonio dubitari non possit. Nec opus est, vt aliquis de facto audiat, & rem illam percipiat. sed sufficit vt verba mea sint vere significatiua, & enunciatiua, vt si aliquis me audiret loquentem, posset facile percipere rem illam, quam demonstro.

Confirmatur quia omnes concedunt cæcū valide consecrare, certus aliundè de existentia, & præsentia panis.

Secunda item sententia est contra communem, & falsa etiam videtur: quia secundum communem loquendi modum per particulā Hoc demonstratur aliquid sensibile singulare, & in indiuiduo, quod facilè sensibus obijci potest: ergo non potest cadere nisi super aliquid sensibile in indiuiduo: non autem secundum suam speciem tantum: Ad id autem quod dicitur de fragmento insensibili, quod separari contingit ab hostia iam consecrata, patebit ex dicendis in sequenti difficultate.

Tertia ergo, & vera sententia docet, materiam consecrandam debere esse sensibilem in indiuiduo, si non eidem Sacerdoti, saltem alijs sensu, & oculis valentibus: quia alioqui demonstrari non potest per particulam hoc, vt patet ex dictis. Ita maior in 4. dist. 10. quæst. 1. Suar. disp. 43. sec. 8. Coninch, quæst. 64. art. 2 dub. 2 Cardinalis de Lugo de Euchar. disp. 4 sec. 4. n. 115. Layman lib. 5. trac. 3 cap. Auersa de Euchar. quæst. 2. sec. 2. & communiter.

Difficultas est secundo An si tam modica particula ab hostia consecrata separetur, quæ separata non sit sensibilis; An inquam conseruetur ibi corpus Christi, supponendo conseruari adhuc accidentia panis: Ratio dubitandi est, quia de ratione Sacramenti est, vt sit signum sensibile.

Respondeo dato casu verè in tali particula permaneret corpus Christi, quamdiu permanent accidentia, & quamdiu sub eis permaneret substantia panis si ad esset: quia corpus Christi succedit loco panis, ergo quamdiu permaneret substantia panis tandiù permanet corpus Christi, hæc est enim regula generalis sumpta ex concilijs, & Patribus.

Nec obstat quod illa particula separata cōsecrari non posset extra totum: quia plus, requiritur ad acquirendum, quam ad retinendum: sicut anima separata cōseruat characterem Sacramentalē, non tamen sic separata potest illū acquirere, Ita Suar. Coninch, de Lugo Layman, Auersa locis citatis, & communiter.

Ad rationem dubitandi respondetur ad, Rationem Sacramenti non requiri necessario vt materia saltem in facto esse, possit actu percipi sensu: sed vt sit signum per se, & ex natura sua sensibile, quamuis per accidens, & ex defectu alicuius conditionis sentiri, et videri non possit. Item sufficit si saltem per Dei potentiam fieri possit, vt quis illam videat, secus est de Sacramento in fieri, quod demonstrari necessario debet, vt supra.

Nec item obstat quod modicissima panis mica moraliter manducari non potest, nec imperceptibilis gutta vini potari; cum tamen de ratione huius Sacramenti sit esse cibum: non inquam obstat quia satis est panem & vinum esse materiam cibi & potus: licet per accidens non possit tam parua quantitas applicari ad vsum, sed vnita cum alijs partibus posset vtique.

Dico secundo Vt consecratio licitè fiat, & absque peccato, non sufficit qualibet particula hostiæ seu panis idemque de vino, sed seruari omnino debet consuetudo, et ritus Ecclesiæ, qui nec sine peccato omitti potest, nec in alium nouum mutari, vt definitur in Trid. sess 7. Can. 13 vnde in re graui certum est obligare sub peccato mortali. Ritus autem Ecclesiæ requirit, vt consecretur in Missa hostia maior ad vsum Celebrantis, & ad vsū fidelium simul consecrentur aliæ minores hostiæ, quando Alij communicaturi sunt, quæ etiam debent esse conuenientis magnitudinis, & figuræ iuxta consuetum morem Ecclesiasticum. Ex quibus.

Colligitur Primo non posse licitè, et absque peccato mortali consecrari à Sacerdote

sola

sola fragmenta absque vlla hostia ex consuetis; Tum quia modicum fragmentum quamuis satis sensibile non est aptum ad ritus, & cæremonias exercendas in missa, E g. vt exponatur populo adorandum Sanctissimum Sacramentum in eleuatione, vt frangatur in plures partes, quando fieri debet commixtio cum sanguine, & sic de alijs: Vnde certum est hoc fore graue sacrilegium. Similiter minuta fragmenta non possunt conuenienti modo applicari ad vsum fidelium; ergo &c.

An autem modica & minuta fragmenta licitè possint, & debeant consecrari simul cum hostia maiori, & alijs minoribus hostijs, quando sunt in Altari tempore consecrationis, dicemus Tit.7. de defectu intentionis.

Similiter, an possit Sacerdos consecrare minorem hostiam pro se ipso, vel è contra maiorem pro communicaturo, diximus qu: Proœmiali sec.5.punc.4.

SECTIO II.

De præsentia materiæ consecrandæ coram Sacerdote.

DVBIVM I.

An materia consecranda debeat necessario esse præsens sacrificanti.

Respondeo affirmatiuè. Probatur primo, ex forma consecrationis: quia illa pronomina Hoc, vel Hic posita in forma ex vi suæ significationis designant rem præsentem, Probatur secundo, ex traditione & vsu Ecclesiæ, & quia aliàs possem Ego hic existens consecrare panem apud Indos, quod est ridiculū. Tandem ratio potissima, & à priori desumitur ex institutione Christi, qui consecrauit materiam præsentem, & non dedit potestatem Apostolis, & Sacerdotibus faciendi, nisi quod ipse fecit, ita D.Tho.in 4 dist.11.q.2.ar.1 Durandus ibid q.6.Palud.q.1.ar.3.Soto dist.9 q.1. Suar.disp.43.sec.5.Layman.lib.5. trac.4 cap.2. n.10. & alij communiter, quos citant, nec vllus de hac re dubitat.

Colligitur materiam debere præexistere formæ, nec fore validam consecrationem materiæ, quæ inchoata forma nondum erat præsens, quia non fuit demonstrata per pronomen Hoc; Henriq.lib.8.c.14.Dicastillo trac.4 disp.2 dub.2.Bonac.disp.4.q.2.punc.6.fine.

DVBIVM II.

Qualis præsentia materiæ exigatur ad validam consecrationem.

Certum est, vt consecratio licitè fiat & absque peccato mortali materiam debere esse super Altare coram Sacerdote, & super Aram & corporale, imò & maiorem hostiam debere esse in manibus Sacerdotis, vt suis locis explicauimus. Quæstio ergo hic est de præsentia necessaria ad valorem consecrationis.

Respondeo, & dico primo. Vt materia sit consecrabilis debet esse sensibiliter præsens consecranti, nec sufficit esse præsentem intellectui aut imaginationi tantùm. Probatur: Tum quia propriè, & in rigore pronomina Hoc, & Hic posita in forma consecrationis designant, rem præsentem sensibus, & in casu nostro debent in propria significatione vsurpari; Tum, quia per formas aliorum Sacramētorum habentes similes, vel æquiualentes terminos designatur materia, vel subiectum sensibiliter præsens, vt Baptizo te, Signo te, Absoluo te, &c.

Nec obstat quandoque eodem pronomine Hoc, vel Hic interdum designari aliquid præsens solum imaginationi, vel intellectui; E. g. si loquaris de homine qui proximè antea erat præsens & iam abijt, potes dicere hic homo est sapiens: Non inquam obstat, quia in hoc & similibus casibus non demonstratur subiectū per solum pronomen, sed per adiunctas circumstantias, & in ordine etiam ad discursum auditorum. Cæterum in consecratione per ly Hoc, & Hic designatur materia independenter à circumstantijs, & ab omni alio nutu, vel signo: ergo necessario præsupponitur materia absolutè, & sensibiliter præsens, ita Suar. disp. 43. sec.5. De Lugo de Eucharist. disp.4. sec 7. Auct.la.de Euchar.q.2 sec.2 Layman. cum alijs citatis dub. præcedenti, & omnes communiter.

Difficultas hic emergit. An Sacerdos debeat fieri certus de hac præsentia materiæ per actualem sensationem, & quo sensu debeat eam percipere. An visu vel tactu, vel aliquo alio. Quidam aiunt necessarium esse vt materia manibus teneatur à Sacerdote: quia ita videtur Christus fecisse, quos benè impugnat Suar. loc cit. Alij contendunt debere vel visu vel alio sensu, actu percipi à Sacerdote, quos supra reiecimus sectione prima, dubio 4. difficul.1.

Respondeo ex communi sententia non esse

esse necessariam actualem sensationem circa materiam consecrandam; sed satis esse si vere sit præsens & exposita, seu obuia sensibus, ita vt possit ferri actualis sensatio in eam: Et aliũde certus sit Sacerdos de tali præsentia, Ita Card. de Lugo, & Auersa locis citatis, Dicastillo de Sacram. tract. 4. disp. 2. dub 11. & alij communiter. Ratio: quia hoc sufficit vt demonstrari possit per pronomen Hoc, vel Hic, vt fusius explicauimus dub. 4 citato, diff. 1. Nil autem refert quo sensu in particulari percipi possit; communiter tamen DD. dicunt debere materiam esse visibilem; quia commun. visu præsertim certius & melius rerum præsentia comprobatur: quamuis non sufficiat ad realem præsentiam rem aliquam esse intrà sphæram oculi & visus, cum hic feratur in obiecta longissimè distantia: quippe ad præsentiam requiritur etiam propinquitas, vt mox dicemus.

Dico secundo, vt materia consecranda verè sit præsens, debet esse propinqua sacrificanti, seu requiritur, vt non sit nimis distans etiam si oculus videri possit, ita Durand. Suar. & com. Doct. locis cit.

Probatur: Tum quia res nimis distans simpliciter dicitur absens: Tum quia res nimis distantes potius designantur pronomine illud, quàm Hoc. Tandem quia & si res valde distans dici possit aliquo modo præsens, non tamen in ordine ad operationem; sed potius ad cognitionem: In casu autem nostro requiritur præsentia in ordine ad operationem.

Difficultas est quantam oporteat esse hanc propinquitatem. Quidam aiunt debere materiam esse ita propinquam, vt extensione manus tangi possit, quamuis non sit necessarium vt actu tangatur, Ita Paludanus: alij, vt Viguerius dicunt necesse esse, vt verba formæ, seu halitus Sacerdotis possint peruenire vsque ad materiam: quæ friuola sunt, & absque fundamento, et merito ab omnibus reijciuntur, vt videre est apud Suar. supra, & apud Dicastillum trac. 4. disp. 2. dub. 11. qui bene addit esse reprehensione dignos, qui hostiam & vinum inhalant, quod potius indecentiam præsefert, & risum mouet, quam deuotionem ad eum actum requisitam. Alij tandem assignãt mensuram passuum, & docent intra decem passus valide consecrari materiam, quod si distet viginti passibus consecrationem fore dubiam. Distantiam vero per triginta passus esse nimiam, & insufficientem ad præsentiam necessariam, ita cum alijs Bonacina de Euchar. disp. 4. q. 2. punc. 6. num 11. quem refert etiam Auersa de Euchar. quæst. 2. sec. 2. & Dicastillo supra.

Dicendum est tamen ex communi DD. sententia, non posse designari certam, & determinatam mensuram aut regulam, sed consideratis circumstantijs id esse definiẽdum. Imò Deo soli hoc notum esse, docent Durandus, Paludanus, et alij, quos citat et sequitur Suar. supra, De Lugo, Dicastillo, et alij communiter. quare in praxi pars tutissima eligenda, et seruandus omnino est ritus, et vsus Ecclesiæ, qui quoad debitum modum consecrandi non potest omitti sine peccato, vt initio notauimus.

DVBIVM III.

Vtrum possit valide consecrari materia existens à tergo, seu retrò.

Respondeo, et dico primo, Simpliciter, et absolutè consecrari non potest nisi materia posita coram Sacerdote, & in conspectu, non vero à tergo. Probatur: quia materia existens à tergo non potest propriè, & in rigore designari pronomine Hoc, simpliciter prolato, & absque alio adiuncto, ita D Thom. in 4. dist. 11. q 2. art. 2. Paludanus, Soto, Victoria, Ledesma, & alij, quos citat, & sequitur Suar. disp. 43. sec. 5. Dicastillo dub. 11. citato. Auersa de Eucharist. quæst. 2. sec. 2. Layman. lib. 5. tract. 4. cap 2. nu. 10. & alij communiter, quos citant.

Dico secundo. Si hostia sit à tergo, & Sacerdos eam manu teneat, vel digito demonstret, aut simili signo indicet, Probabile est valide consecrari: quia ex circumstantijs adiunctis aliquo modo consecrans ad eam se conuertit, & censetur sufficienter illam demonstrare; Ita Maior. 4 dist. 11. q. 2. art. 3. Dicast. de Sacram. trac. 4. disp. 2. dub. 11. num. 192. & inclinat Suar. supra, quamuis sub formidine. Quarè certum est non posse licitè sic materiam cõsecrari. Tum ratione dubij, Tum quia est contra vsum Ecclesiæ, Doct. cit & clare habetur in hac rubrica his verbis, sit coram Sacerdote.

DVBIVM IV.

An possit consecrari hostia existens post parietem.

Respondeo negatiuè ex communi sententia. Probatur: quia paries interiectus tollit moralem, & sensibilem rei præsentiam: ergo non potest validè consecrari, nec designari pronomine Hoc.

Con.

Confirmatur: quia nemo dicit posse validè consecrari hostiam existentem in alio cubiculo, quia non sufficienter ostenditur per ly. Hoc: Quod autem diximus de pane, idem dicendum de calice, seu vino; ita Doct. cit. dub. præcedenti, Card. de Lugo disp. 4. sec. 7 Auersa q. 2. sec. 2. Layman supra cum alijs communit. quos citant.

DVBIVM V.

An possit consecrari hostia clausa in Tabernaculo, seu arca Altaris.

QVæstio est de Tabernaculo, seu sacrario, in quo asseruari solet Santissimum Sacramentum: An si formulæ consecrandæ intra illud reponantur, & tempore consecrationis sit clausum, consecrari possint, si sacerdos ad illas dirigat suam intentionem.

Respondeo, Probabilius esse consecrari non posse ob defectum præsentiæ. Probatur: quia Tabernaculum in casu nostro æquiparatur par uo cubiculo, in quo manet Christus sub speciebus non expositus sensibus, non autem vasi continenti species: ergo sicut consecrari non potest hostia in alio cubiculo existens, vt supra dicebamus dubio præcedenti, quia deest præsentia moralis; ita nec hostia clausa in Tabernaculo prædicto, ita Pasqualigus quæstionum Moralium Centuria prima, quæst. 30. iatè probant, & soluens obiectiones, Auersa de Euchar. q. 2. sec. 2. fine. Cardinalis de Lugo de Euchar. disp. 4. sec. 7. num 123. Vbi ait valde dubium esse. An possit consecrari, contra Leandrum, & alios apud Dianam par. 9. tract. 8. resol 85. fine. Certum est autem peccare mortaliter Sacerdotem sic consecrantem contra Ritum Ecclesiæ, & ratione dubij sumendas esse illas hostias post sumptionem sanguinis.

DVBIVM VI.

An validè, et licitè consecrentur hostiæ clausæ in Pyxide.

RESpondeo, & dico primo, eas validè cōsecrari. Probatur: quia sufficit præsentia moralis, & vt more communi designari possit materia per pronomen Hoc: sed ita est in caso nostro: quia proximum continens non tollit præsentiam moralem rei, quam continet & totum illud per modum vnius designatur: ergo &c.

Confirmatur quando consecrantur multæ hostiæ cumulo super corporali posito; plures ab alijs teguntur & non apparent, & nihilominus certum est omnes consecrari: quia satis sunt præsentes ratione totius cumuli: ergo pariter in casu nostro, quia sunt præsentes ratione continentis, ita de Lugo, & Auersa loc. cit. dubio præcedenti, Dicastillo trac 4. disp. 2. dub. 11. num. 193 Layman. lib 5. trac. 4 cap. 3. n. 10. cum alijs, quos citant Suar. disp 43. sec. 5 §. secundo quæret, & Coninch. qu. 74 art. 2. dub. 1. num. 23.

Dico secundo, teneri Sacerdotem discooperire Pyxidem, & remouere operculum ante consecrationem, & similiter calicem, iuxta Ritum Ecclesiæ, vt suo loco diximus. An autem grauiter peccet, si non discooperiat; Dicendum videtur id non fore peccatum mortale: quia certum est consecrari, & DD dicunt melius esse vt discooperiantur: Vide Auersam supra.

DVBIVM VII.

An hostiæ latentes sub mappa Altaris vel sub corporali validè consecrentur.

RESpondeo, & dico primo. Si hostiæ sint velo coopertæ vel mappa, ita vt velum habeat rationem continentis validè consecrātur: quia non est maior ratio de velo ac de vase, vel pyxide: ergo sicut vas non tollit præsentiam moralem, ita nec velum, ita Suar. Dicastillo, Auersa locis cit. præc. dubio.

Dico secundo, Si mappa, vel linteum non habeant rationem continentis hostias, quia ad alium finem sunt destinatæ & positæ in Altari, vt sunt mappæ, quæ communiter ponuntur ad operiendum Altare & Aram, non vero propter hostias; non possunt validè consecrari hostiæ sub ipsis latentes, vel sub corporali: quia non sunt moraliter præsentes: Probatur, quia non possunt designari immediatè, in se, quia non apparent, seu non sunt sensibus expositæ: neque possunt designari ratione continentis, quia mappæ tunc non habent rationem continentis; ergo &c. Ita Layman loco sup. citat. Coninch. de Sacram q. 74. ar. 2. dub. 1. n. 22. Pasqualigus quæstionum moral. Centuria 1. q. 30. Quamuis non desint oppositum sentientes, vt Candidus, Capsensis apud Pasqualig. sup.

qualitatem est in via ad corruptionem, conficitur quidem Sacramentum, sed conficiens grauiter peccat, vt etiam expresse docet D. Thom. qu.74.art.3 ad 4. & rationem reddit; quia id est contra reuerentiam Sacramenti. Similiter apud latinos panis de necessitate præcepti debet esse azymus, vnde consecrans in pane non azymo peccat mortal. vt declarat hic Rubrica, et docet D.Thom supra art.4 ex cap literas de celebr. missar. Quid autem facere debeat Sacerdos si in Altari aduertat ante consecrationem panem vel non esse azymũ, vel in via ad corruptionem, inferius explicabimus in dubijs conscientiæ.

4 Si celebrans ante consecrationem aduerterit Hostiam esse corruptam, aut non esse triticeam, remota illa Hostia, aliam ponat, & facta oblatione, saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco, vbi desiuit.

Hostia corrupta, vel non triticea non est consecrabilis ex supra dictis: quarè si Sacerdos hoc aduertat ante consecrationem, remota illa hostia debet aliam ponere, aliàs grauissimè peccaret. Ratio est; Tum quia velle conficere Sacramentum contra institutionẽ Christi est immane sacrilegium; Tum quia offerretur Deo falsum sacrificium, Tandem cum Sacramentum fit irritum, significatio formæ esset falsa, cum graui irreuerentia contra ipsam rem, seu formam sacramentalem, & contra Christum eius auctorem, & principalem offerentem; necessario ergo ponenda est alia hostia, quæ sit vera materia Sacramenti, & facta oblatione prosequenda est missa, &c. Hinc apparet oblationem, quæ est præparatio materiæ sacrificandæ, nunquam esse pœnitus omittendam, cùm sit grauis cæremonia: sufficit autem oblatio mente concepta extra proprium locum absque eleuatione, vel signo Crucis, nè perturbetur ordo missæ. Quid autem agendum si non possit haberi alia hostia, dicemus infra dub.sec.2.dub.1.

5 Si id aduerterit post consecrationem, etiã post illius Hostiæ sumptionem, posita alia, faciat oblationem, vt suprà, & à consecratione incipiat, scilicet ab illis verbis, Qui pridie quam pateretur, & illam priorem si non sumpsit, sumat post sumptionem Corporis & Sanguinis, vel alij sumendam tradat, vel alicubi reuerenter conseruet. Si autem sumpserat, nihilominus sumat eam, quam consecrauit: quia præceptum de perfectione Sacramenti maioris est ponderis, quàm quod à ieiunis sumatur.

Tenetur etiam iure diuino celebrans aliã Hostiam ponere, & consecrare si post consecrationem aduertat priorem hostiam esse corruptam, vel non triticeam: quia prior consecratio fuit inualida, vndè sacrificium remaneret irritum, vel mutilum contra ius diuinum: faciat ergo oblationem veræ materiæ vt supra, saltem mente conceptam, & eam cõsecret incipiendo ab illis verbis. Qui pridie, &c. quamuis enim non sint de essentia consecrationis, nisi quatuor verba. Hoc est corpus meum, nec alia antecedentia sint absolutè necessaria, vt immerito opinatus est Scotus in 4. dist.8. q.2. artic.2. Nihilominus conducunt ad clariorem sensum verborum essentialium, quę Sacerdos profert in persona Christi, ad quod tamen sufficit sola intentio Sacerdotis, vt notauit D.Thom.q.78. art.1. ad quartum. Post communionem vero debet etiam Sacerdos sumere illam priorem inualidè consecratam, si non sumpserat &c. Ratio est: vel quia acquisiuit quoddam esse sacrum per oblationem, & consecrationem quamuis inualidam: vel quia fieri potest, vt re vera non sit omnino corrupta, & ibi sit Corpus Christi, & nihilominus etiam in hoc casu consecrari debet alia hostia, quando periculum est in eo dubio, nè sacrificium remaneat irritum. Si autem sumpserat, nihilominus sumat eam, quam postea consecrauit, ob rationem assignatam in Rubrica, quæ est D.Thom.q.83.art.6. ad 4.

6 Quod si hoc contingat post sumptionem Sanguinis, apponi debet rursus nouus panis, & vinum cum aqua, & facta prius oblatione, vt supra, Sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis, Qui pridie, ac statim sumat vtrumque, & prosequatur Missam: ne Sacramentum remaneat imperfectum, & vt debitus seruetur ordo.

Diuersus supplendi modus assignatur in hac Rubtica, quando defectus hostiæ deprehenditur post sumptionem Sanguinis ab eo, qui numero præcedenti explicatus est, quando deprehenditur idem defectus ante sũptionem sanguinis, in quo casu solus panis cõsecrari debet. Ceterum post sumptionem sanguinis debet de nouo consecrari, non solum nouus panis, sed etiam vinum cum aqua ex doctrina D. Thom. q. 83. art. 6. ad 4. qui loquitur quando deprehenditur defectus vini post sumptionem corporis, & docet vtramque speciem esse rursus consecrandam, & à fortiori in hoc casu. Ratio D. Thom. quæ etiam in Rubrica assignatur est, vt debitus seruetur ordo.

Hic autem ordo considerari potest, vel primo in ordine ad consecrationem vtriusque speciei, vt prius consecretur corpus, deinde sanguis, nam alias non significaretur effusio sanguinis à corpore; quia vt sanguis effundatur, necesse est, vt corpus præexistat: ergo in casu nostro non debet consecrari sola hostia; quia consecraretur post sanguinem, & inuerteretur ordo, sed ad seruandum debitum ordinem debet iterum consecrari vinum in sanguinem. Cæterum hæc ratio conuinceret idẽ quoque faciendum esse, quando deprehenditur defectus post consecrationem sanguinis ante sumptionem, cuius oppositum diximus.

Vel secundo potest considerari debitus ordo, quoad ritus Canonis extra consecrationem: siquidem in verbis & signis occurrunt multa dicenda & fienda, non solum circa corpus, sed etiam circa sanguinem, quę debito modo perfici non possent deficiente altera ex speciebus, & de hoc ordine loquitur D. Thom. supponens eos ritus esse repetendos, quod tamen modò locum non habet; quia secundum Rubricas repeti non debent.

Vera igitur ratio esse videtur, vt seruetur debitus ordo saltem in sumptione, qua tandem perficitur sacrificium, quoad integritatem, & percipitur effectus effusionis sanguinis, qui sequi debet consecrationem, & immolationem corporis: quando ergo cognoscitur defectus hostiæ antè sumptionem sanguinis, non opus est noua consecratione vini; quia & si non seruatus sit debitus ordo in consecratione, suppletur ille defectus in sumptione: dum prius sumitur corpus, deinde sanguis: quando vero cognoscitur post sumptionem sanguinis, cum non possit debitus ordo aliunde suppleri, debet iterum consecrari tum hostia, tum vinũ. An verò hoc cadat sub præcepto, vel possit sacerdos sequi oppositam opinionem consecrando solam hostiam, & non vinum. explicabimus in dub. conscientiæ.

7 Si Hostia consecrata dispareat, vel casu aliquo, vt vento, aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, & nequeat reperiri; tunc altera consecretur, ab eo loco incipiendo, Qui pridie quam pateretur, facta eius prius oblatione, vt supra.

Dupliciter potest hostia consecrata disparere, nempe vel casu aliquo, vt vento, &c. Ita vt nequeat reperiri, & tunc ex probabiliori & tutiori Doct. sententia debet alia hostia consecrari & sumi, vt hic præscribitur propter complementum, & integritatem sacrificij. Vel secundo mutari potest, vel disparere miraculosè & diuina virtute, & tunc non est obligatio aliam hostiam consecrandi; sed consilium ex D. Thom. q. 82. art. 4. ad 3. quia casus miraculosi non comprehenduntur sub legibus. vt fusius dicemus in dubijs conscientiæ. Deus etiam interdum hæc miracula operatur, nè indignus Sacerdos Sacramentum sumat, & in correctionem. Ex multis vero miraculis, quæ in ecclesiasticis historijs narrantur, Placet hic vnum referre ad instructionem Sacerdotum. Narrat Petrus Cluniacensis lib. 1 de miraculis cap 2. & ex eo Rodriquez in exercitijs perfectionis p. 2. trac. 8 cap 4. Sacerdotem quendam Theutonicum sacrum fecisse in peccato mortali, qui tamen antea piè vixerat,

xerat, & Deo carus fuerat: & idcirco Deum voluisse paternè illum corripere; tempore ergo sumptionis ex eius manibus hostia disparuit, & deinde pariter sanguis è Calice obstupuit ille, sed non resipuit, iterumque ac tertio, non præmissa debita confessione celebrauit, & iterum, ac tertio simili euentu à Deo monitus est. Tandem in se reuersus grauique timore correptus suum Episcopum adijt, & eius pedibus obuolutus narrauit ex ordine quæ acciderant, multisque lachrymis, & seria confessione, ac pœnitentia sua peccata deleuit. Postmodum obtenta celebrandi venia ad Altare sacrificaturus accessit, ac tempore sumptionis mirabiliter apparuerunt illi tres illæ hostiæ, quæ antea disparuerant, & in calice reperit totam illam quantitatem sanguinis, qua priuatus fuerat ac reuerenter sumpsit, innumeras Deo gratias agens, vitamque suam ad normam componens, religiosissimè in posterum vsque ad finem vixit. Raro autem hæc signa eueniunt, sæpius autem Deus indignè sumentes in æternum puniturus reseruat: quia iudicium sibi manducant, & bibunt &c.

DVBIA CONSCIENTIAE

Dubia huc spectantia in duas sectiones diuidemus; in prima agemus de conditionibus panis, vt sit apta materia consecrationis. In secunda explicabimus modum supplendi defectus, qui circa hanc partem possunt occurrere in celebr. missæ.

SECTIO I.

De Conditionibus panis consecrabilis.

Panis est compositum artificiale constans ex granis, quæ generali appellatione frumenta dicuntur, quamquam enim frumenti vox per antonomasiam triticum significet, tamen generaliter comprehendit omnia semina, quæ habent culmum & aristas, & grana sine siliquis. Ad panem ergo primo requiritur aliquod genus frumenti, seu grani Secundo oportet vt granum in farina reducatur. Tertio, Deinde vt in massam aliquo liquore conglutinetur, quæ tandem massa igne cocta statum panis acquirit. Est autem panis commune, & principale hominum alimentum, & adhibetur vt comes aliorum ciborum: cum ergo in Sacramento Eucharistiæ debeat corpus Christi ex pane confici, vt constat ex dictis in litera, examinandum est cuius naturæ, & qualitatis oporteat esse hunc panem discurrendo per singulas conditiones prædictas.

DVBIVM I.

Ex quo grano oporteat esse confectum panem consecrabilem.

Respondeo, vt panis sit materia sufficiens huius Sacramenti debet omnino fieri ex tritico, seu debet esse panis triticeus, alias consecratio non erit valida. Est conclusio certa, ita vt sine erroris periculo negari non possit, & eam docent D.Thom. q. 74. art. 3. D. Bonauent. Scotus, Riccardus, Innocent. & communiter apud Suar. disp. 44. sec. 1. Vasq. Valentia, Henriq. apud Bonacin. de Euchar. disp. 4. quæst. 2. punc. 1. Cardin. de Lugo de Euchar. disp. 4. sec. 2. Auersa de Euchar. q. 2. sec. 3. & colligitur manifestè ex Concil. Flor. vt supra dicebamus in expositione literæ.

Colligitur primo, Panem confectum ex grano, vel semine, de quo certum est non esse triticum certum etiam esse, non esse materiã sufficientem huius Sacramenti: consequenter panis confectus ex hordeo, millio, oriza, vel ex grano indico, & similibus, non est consecrabilis: quia grana prædicta non sunt triticũ, vt constat ex colore, figura, sapore, & alijs proprietatibus, & effectibus, neque panis ex illis confectus absolute panis dicitur, sed cum addito panis hordeaceus, neq; absolutè est vsualis, Doct. cit.

Colligitur secundo à fortiori neque esse cõsecrabilem panem confectum ex arborum fructibus, vt ex castaneis, siliquis, & similibus, similiter nec ex leguminibus, E.g. ex fabis &c. quia euidens est neque fructus arborum, neque legumina esse triticum, neque ex illis cõfici panem communem & vsualem, Doctor. supra cit.

Colligitur tertio. Quid sit dicendum de siligine, spelta, & farre: nam S.Thomas sup. ar. 3. quem plures sequuntur affirmat siliginem esse veram speciem tritici & consequenter aptam materiam Sacramenti, negat de spelta & farre. Aliqui de his omnibus affirmant. Alij negant quæ opinionum diuersitas orta est ex diuersa acceptione horum nominum

Dicendum est ergo si hæc nomina significẽt quædam frumentorum genera valde deteriora tritico, quæ italicæ ijsdem ferè nominibus nuncupantur, & siligo selica, seu segala eriã dicũtur, dicendum est in quam non esse materiã

aptam

aptam huius Sacramenti, seu panis consecrabilis: quia non pertinent ad genus tritici, vel hoc est valde dubium & quamuis interdũ gignantur ex tritico, id tamen contingit quando ob prauitatem soli vel aliam prauam dispositionem triticum ipsum degeneret, & conuertitur in aliud deterius frumenti genus, idemque dicendum de auena, in quam etiam triticum degenerat & pariter de tipha & alijs similibus.

Quod si prædicta nomina aliter vsurpentur sicut alicubi vsurpari solent, vt significent speciem tritici electi quam Plinius lib 18. cap. 8. delicias tritici vocat & filiginem etiam appellat, italice appellatur grano gentile, e grano bianco, & Hispanicè candeal; tunc nulli dubium est esse aptam materiam panis consecrabilis: quia ex omni vero tritico conficitur panis cõmunis & vsualis, qui est vera materia huius Sacramenti, cauenda est tamen æquiuocatio, ita Suar. Card. de Lugo, Auersa supra citati.

Colligitur quarto, ex solo illo frumento cõfici materiam certam huius Sacramenti, quod à peritis in qualibet regione certo iudicatur esse triticum, etiam si triticum sit genus, & sub se contineat plures species veri tritici, hoc enim non facit ad rem dummodo sit verum triticum. Coninch loc. c. cũm alijs comm.

Colligitur quinto, quoties granum aliquod tale est vt merito de eo dubitetur an sit triticũ nec ne, et in vera acceptione est de hoc opinionum diuersitas, vt dicebamus de spelta, de farre etc. etiam panem ex eo confectũ esse materiam dubiam Sacramenti nec posse licitè in eo confici. Ratio quia absque necessitate non est licitum exponere Sacramentũ periculo irritationis. Cum autem Sacramentum Eucharistiæ ex vna parte sit summa veneratione dignum, ex alia verò parte non sit Sacramentum necessitatis simpliciter, nulla videtur posse occurrere causa moraliter sufficiens, ad conficiendum illud in materia dubia, ita ex Alano lib. 1. de Euchar cap. 11. docet Suar disp. 44. sec. 1. §. Tertio sequitur Bonac. disp. 4. q. 2. punct 1, num. 2. vbi citat. Coninch, et alij communiter.

DVBIVM II.

Vtrum Admixtio alieni frumenti in Pane consecrando obstet valori consecrationis

RESpondeo, & dico primo, Panis confectus ex diuersis frumentis, seu granis verè triticeis, idest quæ omnia continentur sub genere tritici, quamuis inter se specie differant est apta & sufficiens materia Sacramenti. Probatur quia ex omni tritico conficitur panis communis & vsualis, ergo panis confectus ex quocumque tritico, siue vnius, siue plurium specierum veri tritici est apta materia Sacramenti: quia singulæ partes sufficiunt, etiam si demus inter se specie differre, & triticum esse genus, ita D. Thom. quæst 74. art. 3 ad 2. & 3. Suar. disp. 44 sec 1. §. Quarto sequitur, Auersa de Euchar. quæst. 1. sec. 3. Coninch. qu. 74. artic. 3.

Dico secundo si fiat mixtio tritici cum frumentis diuersi generis, quæ non sint triticeum, distinguẽdum est: si enim fiat modica admixtio alieni frumenti, ita vt maior pars cum notabili excessu sit triticea: dicendum est panem inde confectum esse sufficientem, & aptã Sacramenti materiam: alias panis confectus ex tritico male purgato, non esset materia sufficiens, quod est aperte falsum. Ratio verò est: quia illa maior pars adiuncta contusione, & coctione censetur alias particulas trahere ad suam speciem, & ideo mixtum est absolutè panis triticeus. Quòd si demus particulas alterius frumenti non conuerti in substantiam tritici, non recipient consecrationem: quia separari possent, & non retinerent consecrationem: ergo solæ partes triticeæ consecrantur, Ita Auersa loco supra citato, nec dissentit Suar. supra eum Alijs. Quod si fit magna permixtio, dicemus concl. sequenti.

Dico tertio, si pars triticea sit minor vel æqualis, panis indè cõfectus non erit sufficiens materia Sacramenti, Ita D Th. q. 74. art. 3. ad 3. Suar. Auersa locis suprà citatis, Bonacina suprà, vbi citat. Vasq. Viualdum, Graffis, & alios.

Probatur: quia vel fit perfecta mixtio. & sic maior pars trahit minorem in suam speciem: vel fit æqualis, & tunc probabilius est vtramque partem corrumpi, & fieri vnum tertium distinctum. Vel solum fit mistio imperfecta per iuxta positionem, et tunc quamuis ibi sint partes triticeæ, non videtur panis ille consecrabilis; quia nõ habet absolutè denominationem Panis triticei, vel saltem dubium est, an consecrari possit, quoad partes triticeas, et ideò non potest licitè consecrari propter confusionem, et periculum irritationis Sacramenti.



DV-

DVBIVM III.

De Farina triticea necessaria ad Panem consecrabilem, deque eius conditionibus.

DEscendimus paulatim ad explicandas conditiones panis triticei, & modum, quo confici debet, vt sit apta materia huius Sacramenti.

Respondeo, & dico Primo, Triticum in suis granis integrum, quaecumque etiam ratione coctum, nō est apta materia huius Sacramenti, sed opus est vt in farinam redigatur, & rursus conglutinetur in massam, vt inde Panis conficiatur Est conclusio certa apud omnes, & docet D.Thom.q 74.art.7 ad 3. Paludanus, Soto, Siluest Alanus,& alij quos citat,& sequitur Suar. disp.44.sec.3 Auersa de Euchar. q 2. sec.3. & communiter.

Probatur: quia ex supradictis materia huius Sacramenti, est solus panis triticeus communis, & vsualis: sed triticum in suis granis integrum, non est panis, etiam si sic integrum quocumque modo coquatur: ergo &c Rursus sola farina etiam per se cocta non est panis: ergo nec sola farina, quamuis cocta est consecrabilis: sed debet rursus conglutinari in massam, vt inde panis conficiatur, adhibitis etiam reliquis conditionibus necessarijs, de quibus infra DD.citati.

Dico secundo, Panis confectus ex furfure tritici non est apta materia Eucharistiae; sed debet esse confectus ex farina deducta ex medulla tritici. Explico: Triticum enim constat ex medulla,& cortice, vndè per molae contusionem resoluitur in farinam, & furfur: farina deducitur, ex medulla, furfur ex cortice. Hoc posito, Probatur conclusio, panis confectus ex furfure non est panis communis, & vsualis hominum; sed fieri solet ad vsum eanum, ergo panis ex furfure non est apta materia Sacramenti: superest ergò vt solus panis confectus ex farina deducta ex medulla tritici sit apta materia huius Sacramenti: & huic doctrinae aptari potest illud Psalm. 147. Et Adipe frumenti satiat te: DD. suprà citati, & Cardinalis de Lugo disp. 4. sec. 4 num. 64. Auersa, quaest.2 sec.3. §. Tertio certum est.

Colligitur si cōficiatur panis ex farina mixta cum furfure illum fore materiam sufficientem Sacramenti, & totus panis transubstantiatur in Corpus Christi, quando longè maior est medulla & farina, quàm cortex & furfur, & sępè cum ea permixtione confici solet panis vsualis omnino tamen curandum est, vt in reuerentiam Sacramenti, conficiatur panis consecrandus ex pura farina eiecto furfure, & diligentius expurgata, quàm fiat pro pane consueto hominum. Vide citatos DD.

DVBIVM IV.

De liquore necessario ad conficiendum panem consecrabilem.

COnstat ex supra dictis ad conficiendum panem debere farinam triticeam coagmentari, et conglutinari in massam, ad quod opus est aliquo liquore Quaerimus ergo quonam liquore haec coagmentatio fieri debeat vt panis sit consecrabilis.

Respondeo, vt panis sit consecrabilis eum, debere esse conglutinatum ex farina triticea, & sola naturali aqua, non autem aqua artificiali, vel alio liquore, ita D.Thom.q.74. art.7. ad 3. Paludanus, Alanus, Sotus, Angelus, Siluest, apud Suar. disp.44 sec.2 Cardinalis de Lugo de Euchar.disp.4.sec.1 Auersa supra Bonacina dispnt.4. q.2. punc.1 & communiter. Probatur: quia sola aqua naturalis ingreditur compositionem panis communis, & vsualis, quo vtuntur homines, vt sit comes aliorum ciborum: alias non censetur panis, sed aliud genus cibi, vel placentae: ergò sola aqua naturalis sufficit,et est necessaria ad conficiendum panem consecrabilem. Probatur consequentia: quia materia Sacramenti est panis communis, & vsualis non verò placenta etc.

Colligitur primo Si farina triticea conglutinetur in massam lacte, vel melle, vel oleo, vel alio huiusmodi liquore, compositum indè resultans non fore verum panem, nec cōsequenter aptum consecrationi, sed potius dicitur placenta Doct. cit.

Colligitur secundo, idem quoque dicendū esse si farina subacta sit, & conglutinata cum aqua rosacea, aut alia simili artificiali, vel cū succis herbarum: quia non est verus panis vsualis, nisi qui ex sola aqua naturali componitur: quare omnes reijciunt sententiam Caietani, qui putauit ex farina, & aqua rosacea fieri panem eiusdem speciei cum alio communi: nam quicquid sit de specie physica, satis est illum panem non esse vsualem, consequenter non esse materiam à Christo exigitam pro hoc Sacramento, DD.citati, & in Rubrica sup. n.2. dicitur dubium esse an conficiatur Sacramentum.

Colligitur tertio, Quid sit dicendum si coagmentatio fiat partim ex aqua naturali, partim

tim ex rosacea; vel alio liquore. Dicendum est enim vt suprà de permixtione granorum diuersi generis; si enim maior pars, vel ferè æqualis sit alieni liquoris, panis indè confectus non erit apta materia Sacramenti: si verò è contrà major pars sit aqua naturalis, & parum aliquid alieni liquoris misceatur, non tolleret veram rationem panis, nec proinde vitiaret materiã Sacram. quoad valorem consecrationis: esset tamen illicitum hoc facere contra puritatem materiæ huius Sacram. An autem sit peccatum mortale vel veniale, prudenti arbitrio iudicandũ erit, considerata quantitate liquoris admixti, Suarez suprà, Viualdus, Sylvester, Armilla, Molfesius, Toletus, & Alij, quos citat, & sequitur Bonacina de Eucharistia disp 4 q.2. punc. 1. num.4 Diana par.9. tract.8. resol.58.

Colligitur quartò, Si cum aqua naturali, vel massa prædicta admisceatur aliquid salis, non inde vitiari materiam Sacramenti: quia panis vsualis cum sale confici solet, In Ecclesia tamen Latina id fieri non debet, propter ea quæ infra dicemus de pane azymo; Secus esset de admixtione piperis, buturi, casei, & similium: nam hæc admixtio in notabili quantitate esset contra substantiam Sacramenti, quia non fieret panis vsualis, sed placenta; in minima verò quantitate, non esset contra substantiam Sacramenti sed contra puritatem materiæ; & vix excusari potest à peccato mortali propter indecentiam, Suarez supra.

Colligitur quinto, Panem confectum ex farina triticea, & aqua maris esse materiam sufficientem, & aptam consecrationi: quia aqua maris est vera aqua naturalis, teste D. Thom. quæst.74. art.7. ita contra Fagundez, Diana par.9. tract.8. resol.58.

DVBIVM V.

An & qualiter massa triticea debeat esse igne cocta, vt sit panis consecrabilis.

RESpondeo, & dico primo, massa coagmentata ex farina tritici, & aqua naturali debet esse necessariò igne concocta, vt sit apta materia huius Sacramenti, consequẽter massa cruda non est materia sufficiens: est communis sententia DD Probatur: quia massa cruda non est panis, nec cibus homini aptus, Ita D. Thom. in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 1. quæst. 3. ad 3 Caet. & Alij Tomistæ, Suar. disp 44 sect 2. Coninch quæst. 74 art. 3. Auersa quæst. 2. sect. 3. Bonac. disp. 4. quæst. 2. punct. 1. & aliquos citant. Nec refert quod Scotus in 4 dist. 11. quæst 6 putanit massam crudam non differre specie ab ipso pane. Nam D. Th. quæst 75. art.6 oppositum significat, & ad quicquid sit de hoc, sufficit ad eam excludendam non habere rationem cibi; in re enim morali, attendi potius debet conditio materiæ vsualis ad cibum hominum, quàm ratio physica, & quid ditatis specificæ.

Dico secundò, de necessitate materiæ huius Sacramenti est, vt panis solo igne sit assus, seu coctus. Probatur: quia alioqui non erit verus, & vsualis panis, sed aliud genus cibi; DD. sup citati.

Colligitur primo, neque laganum, seu massam aqua elixam esse consecrabilem, neque pultes, vel placentam, aut quid simile, quia non sunt panis vsualis Doct cit.

Colligitur secundo, massam oleo, aut butiro frixam in sartagine, aut simili liquore concoctam, non esse materiam huius Sacramenti, ob eandem rationem DD. cit.

Colligitur tertio, non referre quoad valorem consecrationis, quod panis assetur siuè in furno, siue sub cineribus; siuè intra vas fictile, dummodo pure Igne coquatur: quia his modis non fit mixtio alicuius liquoris, neque impeditur vera concoctio, sed solum est varietas in proximo continente, seu in modo applicandi ignem, & ideo non impeditur quin sit verus panis. Dixi quoad valorem consecrationis; quia quoad licitum vsum debet omnino adhiberi in sacrificio panis coctus instrumento ferreo purus, & candidus, & sub forma, & figura consueta in Ecclesia ad maiorem decentiam sacrificij, Doct. cit.

Colligitur quarto, si panis vsualis debito modo coctus, rursus madefiat, & digitis comprimatur, vt videatur iterum reduci in massã adhuc esset materia sufficiens ad valorem Sacramenti: quia prædicta mutatio neque variat substantiam physicam panis, neque formam eius artificialem, seu esse morale panis, quamois grauiter peccaret, qui tali materia vteretur in sacrificio propter grauem irreuerentiam, & recessum ab vsu, & ritu Ecclesiæ, Suar. & Auersa locis cit.

DVBIVM VI.

Vtrum panis confectus ex amylo sit materia sufficiens huius Sacramenti.

PEndet decisio huius dubij ex ea, quæstione an amylum, seu amidum, vel amylon fiat ex tritico substantialiter immutato, & corrupto, vel ex tritico solum accidentaliter immu-

mutato, & permanente in sua substantia. Certum est enim verum triticum alteratum resolui in amidum. Certum est etiam si per eam resolutionem triticum substantialiter corrumpitur, non posse ex eo fieri panem consecrabilem: quia triticum corruptum, vel panis corruptus, non est verus panis, vt dicebamus in expositione literæ, n.1.

Prima sententia sustinet Panem confectum ex amido esse materiam sufficientem huius Sacramenti quoad valorem, non quoad licitum vsum. Probatur: quia amidum est materia verè triticea,& solum accidentaliter immutata: potest etiam redigi in massam per aquam naturalem, & igne assari: ergo nihil ei deest, quo minus sit materia sufficiens valori Sacramenti, ita Paludanus 4 dist.11.q.1.art.4. concl. 5. quem sequitur Bonacina de Sacram. disp.4.q.2.punc.1.n 8.

Secunda sententia communis & probabilior negat esse materiam aptam consecrationis, etiam quoad valorem. Probatur: quia ex ea resolutione verè corrumpitur triticum: ergo &c. Antecedens probatur, quia ex multiplici alteratione, quæ interuenit in ea resolutione corruptio indicatur; Primo enim contunditur triticum diuerso modo, ac cum ex eo fit farina, deinde illi miscetur aqua, & postea lactens humor colatur. Tandem exiccatur vehementi calore solis; Hæc autẽ multiplex actio magnum est indicium corruptionis, ita D.Tho. q.74.ar 3. ad 4. Scotus, Victoria, Siluest. Ledesma, & alij, quos citat, & sequitur Suar.disp.44. sec.2 fine, Coninch. q.74. art.3.n.54 Auersa q.2. sec.3.

Colligitur primo, Amidum crudum,seu nõ coctum igne absque vlla controuersia nõ esse materiam aptam huius Sacramenti: quia esto esset materia triticea & non corrupta, sicut farina vel massa, adhuc sine coctione ignis, non est panis,Suar.loc.cit.

Colligitur secundo. Si amidum reducatur in massam, & igne coquatur adhuc illud non esse materiam sufficientem, neque consecrabilem: quia probabilius est non esse materiã triticeam, sed corruptam, seu generatam ex tritico corrupto Doct. secundæ sententiæ.

Colligitur tertio,fore graue sacrilegium cõsecrare panem confectum ex amido in omniũ sententia: quia saltem est materia dubia, & exponeretur periculo veritas Sacramenti, ita omnes supra cit.

Confirmatur: quia etiã si forte non sit trãsmutatio substantialis in resolutione tritici in amidum, nihilominus tanta est moraliter, vt ex vario vsu, & sapore apparet; vt panis ex eo confectus non sit panis vsualis, neque aptus ad consecrationem, Auersa sup.

DVBIVM VII.

An Panis elixus, & in iusculum redactus sit materia consecrabilis.

HVic dubitationi placet satisfacere verbis eruditissimi P Dianæ, qui sic eam resoluit parte 9 tract.9.resol.58.

Quoad secundum respondeo. Iusculum panis cocti non esse materiam consecrabilem. Primo quia licet olim fuerit panis assatus,nũc tamen est panis elixus, in quo fieri non potest consecratio, vnde quis inualidè consecraret in his, qui Italicè dicuntur vermicelli, tagliarini, maccheroni, Secundo & melius quia agente igne & aqua: panis ille effectus est quoddam mixtum artificiale, & quid diuersum à pane vsuali, vnde non dicitur simpliciter panis, ita vt multi asserant non posse sumi in collatione serotina ieiunij; nec votum ieiunandi in pane & aqua adimpleri, si sumeretur iusculum panis cocti. Tertio mustus est materia consecrabilis, si tamen coquatur non erit postea materia sufficiens consecrationis sanguinis: ergo &c.

Nec obstat dicere, quod mica panis madefacta, & digitis compressa, & facta quasi massa cruda sit materia consecrabilis, vt tradit Card. de Lugo de Sacram. Euchar.disp.4.n.5. Hurtadus disp.1 diff 3. Ochagauia tract.1. q.5.n.15. & alij, quia per talem mutationem nullo modo amisit coctionem, aut esse panis: ergo &c. Non inquam hoc obstat,primo quia multi negant talem materiam esse consecrabilem, ita Trullench.de Sacram.lib.2.cap.1.dub.1.num.8. & Fagundez in præcept.3. Eccles. lib.2. cap.1. n.12. docet quod tanta potest esse compressio, vt panis vsualis non sit,nec materia consecrabilis: imò & vt speciem panis mutet iterum in massam. Respondeo secundo esse disparem rationem inter vtrumque casum: nam mica panis madefacta calore tantùm digitorum, difficile potest in massam crudam transmutari: sed in nostro casu ex potentia,& vi ignis agentis, panis ille verè efficitur quoddam mixtum artificiale, diuersum quid à pane vsuali, vnde vulgo vocatur Minestra: ergo nõ erit amplius materia consecrationis corporis. Si tamen omnia supradicta viris doctis non placebunt, eis libenter ad hæream, & sufficiet mihi illis materiam speculandi præbuisse; Hactenus Diana.

DVBIVM VIII.

An hostia rubea confecta cum cinnabrio sit materia consecrabilis.

PRima sententia affirmat, quoad valorem consecrationis, non quoad licitum vsum. Probatur: quia modica permixtio alienæ materiæ cum vera materia Sacramenti non obstat valori eiusdem Sacramenti; vt supra sæpius diximus cum D.Thom. q. 74. art.3 ad 3. sed ita est in casu nostro: quia cinnabrium valde modicum apponi solet in confectione hostiarum, quibus vtimur in literis obsignandis; ergo &c. neque etiam color rubeus obstare potest: quia est quid valdè accidentale. Ita Perez apud Dianam p.7. tra.12. resol 8.

Opposita sententia est probabilior, nempè hostias prædicto modo compositas cum cinnabrio, non posse validè consecrari, vel saltem esse materiam dubiam.

Probatur: quia per talem mixtionem materia illa quamuis triticea extrahitur à ratione panis vsualis, & ad alium vsum valdè diuersū destinatur, nempè ad sigillandas literas: ergo non est materia Sacramenti, vel merito dubitari potest. Neque obstat identitas specifica cum alijs hostijs quoad substantiam physicam: sufficit enim diuersitas moralis quoad conditionem materiæ vsualis ad cibum hominum; ita Card. de Lugo de Euchar. disp.4. sec.1. n 4. & Diana supra. Ad argumentum respondetur maiorem esse veram, quando per admixtionē non extrahitur materia à ratione Panis &c.

DVBIVM IX.

De Pane azymo, & fermentato, deque vtriusque necessitate in ordine ad hoc Sacramentum.

PAnis vsualis dupliciter confici potest, vel cum admixtione fermenti, & tunc dicitur panis fermentatus, vel sine fermento, & tunc dicitur panis azymus. Notum est autem Ecclesiam latinam in conficiendo hoc Sacramento vti pane azymo; E contrà Ecclesiam Græcam vti fermentato. Circa necessitatem vero vtriusque ritus fuerunt varij errores. Aliqui ex Græcis dixerunt ritum conficiendi in fermentato esse necessarium, nedum necessitate præcepti, sed etiam Sacramenti; ita vt inualidè conficiatur in azymo. Alij contra opinati sunt in solo azymo posse confici Sacramentum, nec sufficere panem fermentatum ad eius valorem: qui error tribuitur Armenis. Alij existimarunt panem azymum non esse quidem de necessitate Sacramenti, nihilominus simpliciter, & omnibus esse de necessitate præcepti, ita vt peccent Græci conficiendo in fermentato, quæ omnia & similia partim continent hæresim, partim manifestum errorem, & confutantur communiter à Theologis, vt videre est apud Suar. disp.44. sec.3. Nos autem his omissis quæ ad nostrum institutum non pertinent, explicabimus quæ necessaria sunt.

Respondeo, & dico primo, certum est de fide, vtrumque panem sufficere ad valorem consecrationis, consequenter mixtionem fermenti nec esse per se necessariam, neque contrariam veritati Sacramenti. Patet: quia ita definitum est in Concilio Florent. in decreto Eugenij, constat etiam ex Concil. Trid. sess.13. ex cap. ad abolendam de hæreticis; item ex Epist. Leonis IX. ad Michaelem, & docet D.Thom. q.74. art 4 & omnes Scolastici; constat etiam ex Praxi Ecclesiæ Catholicæ tum Latinærum Græcæ: & quia Ecclesia Romana permittit, & approbat pro ipsis Græcis eorum ritum. Ratio denique est: quia vterque panis siue azymus, siue fermentatus est verus panis, et talis absolutè appellatur, sic ue in veteri, siue in nouo testamento.

Dico secundo, Ritus consecrandi in pane azymo, est magis conueniens, ita D. Thom. art.4 cir.er omnes DD. latini. Probatur primo, et principaliter ex facto Christi, qui verè consecrauit in pane azymo: instituit enim et confecit Sacramentum prima die azymorum, quod tamen immerito negant Græci opinantes Christum anticipasse esum agni paschalis vna die ante tempus in lege præscriptum. Cæterum Christus in esu Agni voluit legem illā implere: ergo non est verisimile contra legem anticipasse tempus, et esto anticipasset probabilius est manducasse agnum cum pane azimo iuxta præceptum legis: nec apparet ratio cur in eo ritu dispensare voluerit.

Probatur secundo, congruentijs, quas affert D.Thom. supra art. 4. Tum quia fermentum habet aliquid corruptionis, Vnde Apost. ad Galat. modicum fermentum totam massam corrumpit: ergo magis conuenit panis azimus ad Sacramentum Corporis Christi, quod sine corruptione conceptum est; Tum etiam quia panis azimus magis competit sinceritati fidelium, quæ requiritur ad vsum huius Sacramenti; Vnde Apost. 1 Corinth.5. Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azimi etc.

Dico

Dico tertio, Tam Latini, quam Græci nedum licitè possunt, sed etiam tenentur sub præcepto suæ propriæ Ecclesiæ ritum respectiuè seruare: consequenter latini consecrare tenentur in azymo sub peccato mortali; Et Græci in fermentato. Probatur: Tum quia hoc expressè præcipitur à Concil. Floren. in literis vnionis, & à Pio V. constit 12. Tum quia quisque tenetur sub peccato mortali suæ propriæ Ecclesiæ consuetudinem seruare in re graui, hæc autem consuetudo in vtraque Ecclesia vt grauissima habetur.

Confirmatur; quia hoc non pertinet ad Schysma Græcorum, sed ad eorum ritum concessum, & iniunctum etiam ijs qui cum Catholica Ecclesia communicant, ita D. Thom. supra Caiet. Soto, & communiter apud Suar. disp.44.sec.3.tom.3.in 3.p.

DVBIVM X.

An Sacerdos Latinus existens inter Græcos debeat celebrare in fermentato, et quid de Græco inter latinos.

QVæstio est de Latinis peregrinantibus, & transeuntibus per regiones & loca Græcorum, & de Græcis per loca Latinorum, vbi non habent proprias Ecclesias, quem ritum obseruare debeant.

Prima sentẽtia sustinet debere singulos seruare ritum loci per quem transeunt, atque adeo Latinos transeuntes per loca Græcorum teneri celebrare in fermentato, & è contra Græcos in azymo in locis latinorum, & peccare si aliter faciant. Fundamentum est: quia multi putant generaliter aduenas & peregrinos obligari ad seruandas leges illius loci, per quem transeunt, vt in casu nostro tenet Ledesma in 4 p 1.q.15.art.4.dub 2.

Secunda sententia docet liberum cuique esse vnum, vel alterum ritum seruare: quia possunt peregrini, quamuis non teneantur se conformare ritibus, & consuetudinibus locorum per quæ transeunt, secluso scandalo, ita Suar.disp.44. sec.3. Fagundez in Præcepta Eccles. Præcept 3 lib.2.cap.2. Siluius, Coninch. Filiuc. & aliquos citat. & sequitur Diana p.3 tra.6.resl.99.

Tertia sententia docet teneri tam Græcos quam Latinos peregrinantes, semper & vbique seruare morem suæ Patriæ & Ecclesiæ, & non loci, per quem transeunt, vt colligitur ex dispositione Leonis IX. in Epist.cit. ad Michaelem: quia rituum nouitas, & mutatio posse in casu nostro esse causa committendi defectus in missa, quicquid sit de alijs legibus, & consuetudinibus, ita Vasq in 3 p.disp.174 c.3. & Auersa q.2 sec.4.

Respondeo, & dico primo, quando Sacerdos Latinus peregrinando transit per loca & regiones Græcorum, vbi sunt Templa Latini ritus, tenetur Latino ritu, & in azymo celebrare, si eligat celebrare in prædictis Templis Latinorum, & idem dicimus de Sacerdote Græco, qui per transitum reperitur in regione Latinorum, vbi sunt Templa Græcis concessa, vt possint suum ritum seruare: tunc enim tenetur singuli suum ritum seruare, nec est licitum variare. Ratio est: quia singuli respectiuè perindè se habent, ac si in proprijs regionibus, & Ecclesijs versarentur, nec est ratio variandi. Ideo enim propriæ Ecclesiæ singulis destinantur, vt docet Leo IX. in Epist. ad Michaelem, & docent Suar. Coninch. Auersa, Diana locis citatis, & communiter: Monent tamẽ prædicti Doct. non licere Sacerdoti Latino in propria regione moranti consecrare in fermentato, etiamsi celebrare velit in aliqua Ecclesia Græcorum, quæ ibi existat vt supra, quãuis in ea Græci ritus seruentur à Græcis: quia illud est quasi priuilegium solis Græcis ibi cõcessum: quamuis Bonac.disp.4 qu.2 punc.1. num. 12. existimet probabile id esse licitum; sed immeritò contra communem, & contra ea quæ diximus dubio præcedenti, concl 3. similiter probabilius esse, nec Græcis in propria regione existentibus licitum esse celebrare in azymo, etiãsi celebrare velint in aliquo Templo Latinorum ibidem existente: quia non licet recedere à consuetudine vniuersali propriæ patriæ, ita Coninch. supra: quamuis oppositum doceat Nugnus in 3.p.q.74.art.4.conclus.6. & quidem facilius excusari potest Græcus recedens à more Ecclesiæ Græcæ, quæ est pars; quam Latinus à more Ecclesiæ Latinæ, quæ est caput.

Dico secundo, Sacerdos latinus transiens per Græciam, & in Templis Græcorum celebrans potest consecrare vel ritu Græcorum in fermentato, vel ritu latinorum in azymo, pro vt ei libuerit: & idem est de Sacerdote Græco transeunte per loca latinorum. Probatur: quia ex opinione valdè probabili, & ferè communi potest quilibet transiens per aliquem locum se accomodare eiusdem loci consuetudinibus; sed non tenetur; ergò &c. Ita DD.citati pro secunda sententia, cui in hac parte adhærendum est.

Ampliatur primo, etiamsi in Græcia sint aliqua Templa latini ritus: quando enim latinus non celebrat in illis, quæ pro latinis sunt destinata, sed in Templis Græcorum potest more Græcorum celebrare in fermento: quia

ratio adducta id conuincit, & DD. absolutè asserunt posse in Templis Græcorum Sacerdotem latinum sequi eorum ritum in eorumdem regione; Idemque asserendum de Sacerdote Græco peregrinante per loca latinorum, eum posse in Ecclesijs latinis celebrare in azymo,

Ampliatur secundo, quoad aliam partem, nempè posse vtrumque seruare suum propriū ritum, non solum si in alieno solo moretur per transitum, & breui tempore; sed etiam tempore notabili, & maiori parte anni. Ratio est, quia quicquid sit de alijs cōsuetudinibus; quo ad ritum celebrandi ità est introducta consuetudo, vt possit suas quisque missas patrio more celebrare; ex eo quia difficile esset Græco ceremonias latinas ediscere, & è contra Sacerdori latino ritus græcos apprehendere, & melius expeditiusque suo quisque ritu celebrat, ita Suar. Coninch. Auersa, & alij supra citati.

Dico tertiò, si Sacerdos latinus se transferat in Græciam animo perpetuò ibi manendi, seù domicilium ibi figat, aut è contra Græcus in regionem latinorum vbi non habet proprias Ecclesias, tenetur vterque celebrare iuxta ritum Ecclesiæ, & regionis, in qua sedem, & domicilium fixit. Ratio quia iam est membrum, & pars illius nouæ Ecclesiæ; ergo tenetur seruare leges, & consuetudines eiusdem, cuius est membrum æquè ac Alij ciues, & incola, Ita Suar. Coninch. Auersa, & alij supra citati.

Colligitur Quid sit dicendum de Communione laicorū, asserendum est enim proportionaliter non posse latinos licitè communicare nisi in azymo, neque Græcos nisi in fermentato, iuxta morem suæ patriæ, & in proprijs Tēplis, non vero in alienis, dum sunt in patria, vt ex Suar. & alijs notat Diana resol. 99. citata fine; ex rationabili tamen causa posse Græcos inter latinos cōmorantes relictis suis Ecclesijs communicare in azimo, nè priuentur Indulgentia E.g. concessa communicantibus in aliquo Templo latinorum, neque enim ita rigorosè ritus Prædictus obligat quoad communionem laicorum, sicut quoad consecrationem, & missæ celebrationem, vt fusius explicat Tambur. opusc. de communione cap. 2. §. 9. n. 10.

DVBIVM XI.

An in casu necessitatis licitum sit consecrare in fermentato.

E.G. ad communicandum infirmum, alias moriturum sine viatico; loquimur autem inter latinos, qui arctiori vinculo tenentur consecrare in azimo, & de Græcis etiam aliquid in fine dicemus.

Respondeo negatiuè simpliciter loquendo, nec etiam ad dandum viaticum morituro.

Probatur: quādo ritus missæ sunt grauissimi, & strictissimi Iuris, non est licitum eos omittere, vel mutare propter necessitates priuatas, præsertim non extremas: quia reuerentia tanti Sacramenti, & bonum publicum religionis, & Ecclesiæ in obseruantia grauissimarum consuetudinum, merito præferri debet bono priuato, etiam spirituali fidelium; sed hic ritus consecrandi solum in azimo est grauissimus, & strictissimi Iuris: quia fundatur in facto ipsius Christi; & ex alia parte necessitas morituri non est extrema: quia hoc Sacramentum non est necessarium necessitate medij: ergo &c.

Confirmatur: quia in simili necessitate non est licitum celebrare absque vestibus sacris, vel sine Altari, aut penitus sine lumine: ergo neque sine pane azimo, qui est ritus grauissimus. Ita Suar. de Euchar. disp. 44. sec. 3. fine, Layman. Io. de la Cruz. Villalobos, & alij apud Dianam p. 3. tract. 6 resol. 99. Tambur. opusc. de Euchar cap. 3. § 9. n. 3, & communiter. Nec obstat primo in simili necessitate, secundum multos, posse fieri Sacrum à Sacerdote non ieiuno: quia in ieiunio facilius dispensatur, vt suo loco dicemus.

Nec obstat secundo, præceptum communionis in articulo mortis esse Iuris diuini, atque adeo præferendum videri præcepto conficiendi in azimo, quod est præceptum Ecclesiasticum; quia illud præceptum diuinum est affirmatiuum, quod non obligat pro semper, sed quādo seruari potest cum debitis circumstantijs absque violatione grauissimæ consuetudinis, & ritus Ecclesiæ, nè aperiatur via negligendi ritus graues, & indignè tractandi hoc Sacramentum, quod summa reuerentia dignissimum est; Vide Suar. supra.

Colligitur primo probabile nihilominus esse, posse licite consecrari in fermentato ad vitandam mortem ab aliquo comminatam, non in contemptum Ecclesiæ, sed ob alium finem indifferentem, vt in simili diximus de Altari: quia est necessitas extrema, nec leges Ec-

Ecclesiasticæ obligant cum tanto dispendio.

Colligitur secundo, hic obiter, non esse licitum ad dandum viaticum moriruro consecrare materiam dubiam, de qua est controuersia, An sit materia sufficiens Sacramenti, vt E g. panem ex amido, vel confectum ex aqua rosacea &c. quamuis liceret eam sub conditione consecrare ad vitandam mortem comminatam, non in contemptum Ecclesiæ, sed ob alium finem indifferentem, vt supra, Ita cum alijs Diana p. 2. tract. de opinione probabili resol. 2. Coninch q. 60 n 82 Io. Sanchez disp. 44. n. 12. Trullench. de Sacram. lib. 1. cap. 2. Diana iterum p. 3. tract. 6. resol. 48. fine.

Colligitur tertio, In Ecclesia Græca posse licitè Sacerdotem Græcum consecrare in azimo ad communicandum infirmum; quia minus est recedere à consuetudine partis, quàm à consuetudine capitis, id est Ecclesiæ Romanæ quæ est caput, Suar. supra, Tambur cum alijs.

SECTIO II.

De supplendis defectibus Panis,

DVBIVM I.

Quid agere debeat Sacerdos, quando in Altari aduertit hostiam esse corruptam, vel non triticeam.

Certum est ex dictis in expositione literæ teneri Sacerdotem hostiam illam ineptam remouere, & aliam ponere, & consecrare, nè Sacrificium sit mutilum, vel imperfectum, quod est intrinsecè malum. Difficultas hic examinanda est, quid si haberi non possit alia hostia, vel haberi non possit absque graui scandalo, & offensione populi missæ adstantis.

Respondeo, & dico primo. si Sacerdos hûc defectum aduertat ante consecrationem sanguinis, & non possit haberi alia hostia apta, debet omittere Sacrificium, nec potest licitè vlterius progredi ex quacumque causa necessitatis.

Probatur: quia ex vna parte non potest cõsecrare illam hostiam ineptam, nec validè nec licitè; esset enim falsa significatio formæ, & Sacramẽtum irritum contra institutionem Christi, & contra reuerentiam Sacramenti: ergo in nullo casu hoc licet. Probatur consequentia: quia est intrinsecè malum. Ex alia vero parte, numquam est licitum consecrare vnam speciem absque alia: quia hoc esset offerre Sacrificium mutilum contra Christi institutionem, & contra Ius naturæ, & pariter est intrinsecè malum; ergo posito, quod non possit haberi hostia, non potest consecrari solum vinum, consequenter omittendum est in eo casu Sacrificium, Ita fere communiter DD. Vide Suar disp. 43. sec. 4. & disp. 85. sec. 1.

Dico secundo, si Sacerdos aduertat hunc defectum post consecrationem sanguinis, nec possit haberi alia hostia, debet prosequi missam, & absoluere, prætermittendo verba, & signa, quæ pertinent ad species panis, & idem dicendum si post consecrationem hostiæ, non posset haberi vinum, vt habetur in his rubricis de defectibus tit. 4. de defectu vini n. 8. Ratio est: quia & si in hoc casu Sacrificium sit mutilum, & imperfectum, non potest Sacerdoti talis defectus imputari: quia vt supponimus, neque antea præuidit, neque postquã præuidit potest cum vitare. Quod si præuidisset defectũm alterius speciei, grauiter peccaret consecrando alteram; teneretur tamen prosequi missam, vt supra, & conteri de suo peccato; Ita DD communiter Suar disp. 85 sec 1. Auersa de Euchar. q. 11. sec. 16. & a ij quos citant,

Dico tertio, si sit periculum grauis scandali in quærenda specie, cuius defectus in missa deprehenditur, siue panis siue vini; tenetur Sacerdos obuiare scandalo, quoad fieri potest, instruendo populum, & deinde omnibus modis procurare speciem quæ defecit, & consecrare, nè Sacrificium remaneat imperfectũ, etiam si scandalum remouere non potuerit, & facta sit consecratio alterius speciei,

Probatur; quia minus malum est scandalum illud permittere, quàm relinquere Sacrificium imperfectum; ergo tenetur Sacerdos potius supplere defectum Sacrificij, quam obuiare scandalo: Probatur antecedens, quia præmissa diligentia, Scandalum, quod sequi potest, potius est fictum, & passiuum quàm verum, vel actiuum, & ideo non imputandum Sacerdoti: Defectus vero Sacrificij verè illi imputatur, quando suppleri potest, & non suppletur: ergo ad vitandum tale scandalum non potest relinqui Sacrificium imperfectum; ita Vasq. disp. 223. n. 29 Auersa de Sacrif. q. 11. sec. 16 §. sexto, contra Adrianum in 4. q. 6. de Euchar. §. pro responsione, cui adhærer Bonacina de Euchar. disp. 4. q. vltima punc. 6. n 3. cum alijs, quos citat Gauantus in Rubr. miss. p. 3. tit. 4. n. 8 lit. V,

Obijciunt aduersarij: quando concurrunt duo præcepta incompossibilia, debet seruari illud, quod est potioris iuris, & strictius obligat; sed præceptum vitandi scandalum est iuris naturalis, & fortius obligat præcepto diuino

no positiuo perficiendi Sacrificium: ergo &c.

Respondeo concessa maiori, nego minorem: Tum quia posita institutione diuina Sacrificij, est contra Ius naturale illud mutilare, & dimidiare, vt supra dicebamus concl. 1 Tum quia Ius naturale vitandi scandali intelligi debet de vero scandalo & actiuo, non autem de ficto, & passino, vt in casu nostro. Quod si ante missam praeuideatur defectus, & difficultas habendi speciem quae deficit cum periculo scandali pusillorum, debetet missa omitti: quia non mutilatur sacrificium, & vrget obligatio vitandi scandalum.

DVBIVM II.

An si defectus hostiae deprehendatur post sumptionem sanguinis debeat ex praecepto consecrari nedum nouus & verus panis, sed etiam vinum.

SVpponimus hic defectum contigisse circa panem tantùm, & consecratum fuisse verum vinum. Certum est autem necessariò; & iure diuino consecrandum esse nouum panem, ne Sacrificium maneat imperfectum: quippe consecratio panis corrupti, vel non triticei fuit inualida. Quaestio ergo est, An rursus debeat consecrari nouum vinum, non obstante quòd prius aliud vinum validè consecratum fuerit.

Prima sententia affirmat. Probatur primo: quia si in hoc casu sola hostia consecraretur, inuerteretur ordo necessariò requisitus in consecratione vtriusque speciei: quia scilicet consecraretur corpus, post sanguinem, hoc autem est absurdum, & contra Mysterium effusionis sanguinis à corpore, quòd ibi repraesentatur: deber enim corpus praeexistere, vt possit ex eo sanguis effundi.

Probatur secundò: quia sumpto sanguine, quoad illum transijt, & omninò, desijt actio consecrandi: ergò vt possit postea corpus consecrari, debet iterum sanguis consecrari, nè offeratur vna species sine alia.

Probatur tertiò: quia sic faciendum esse apertè statuitur in his rubricis num. 6. vt supra vidimus; à quibus non licet recedere, hanc sententiam tenet à fortiori D. Thom. quaest. 83. art. 6. ad 4. & dicit esse probabiliorem, Suar. disp. 85. sect. 1. §. atque ex his, & docet hoc cadere sub praecepto, Gauantus in Rubricam citatam num. 6.

Secunda sententia probabilior docet non oportere in dicto casu consecrare nouum vinum, neque hoc cadere sub precepto; Imò melius & conuenientius esse solum panem consecrare, & consecratum statim sumere.

Probatur primo: ex Iure communi cap. 1. & 3 de Sacramentis non iterandis, vbi traditur regula vniuersalis, nempè in talibus casibus nihil esse iterandum, sed tantùm supplendum, quod incautè fuerat, praetermissum.

Probatur secundò: quia si fit de nouo consecratio vtriusque speciei, de nouo conficitur integrum Sacrificium: ergò non perficitur prius inchoatum, sed eo relicto imperfecto, aliud distinctum offertur. Probatur consequentia: nam posita noua consecratione vtriusque speciei hoc Sacrificium habet suas partes essentiales completas: ergò non est capax vlterioris partis essentialis, nec potest cum eo vniri prior consecratio vini: ergò prior consecratio remanet sola, & imperfecta absque sua comparte. Econtra per consecrationem, & sumptionem alterius speciei tantùm quae sola deerat, perfectè completur & integratur Sacrificium, quod inchoatum & dimidiatum erat.

Confirmatur: quia hic modus est magis commodus, & expeditus, & minus expositus periculo scandali, vel admirationis populi: ergò praeferendus, Ira Angelus Verbo Missa num. 17. Scotus, Nauarr. Henriq. & Alij plures, quos citat, & sequitur Aueria q. 11. de Sacrif. sect. 16. §. Attamen.

Ad Opposita Respondetur. Ad Primum Retorquendo primo Argumentum nam etiam si aduerteretur defectus ante sumptionem sanguinis, inuerteretur hic ordo, & nihilominus tunc non est opus noua consecratione vini, nec in Missali praescribitur: ergò non obstat necessitas illius ordinis. Deindè Respondeo inuersionem illius ordinis, & consecrationem corporis post consecrationem sanguinis esse graue peccatum, si voluntariè fiat, & absque vrgenti necessitate, secus verò si fiat ex necessitate ad supplendum defectum quia nec ille ordo est de essentia Sacrificij vt fatentur DD primae sententiae; neque inuersio eiusdem potest imputari ob rationes allatas: sufficienter etiam repraesentatur mystica mactatio, & effusio sanguinis, dum ponitur corpus seorsum à sanguine.

Ad secundum Respondetur negando antecedens: quamdiù enim Sacerdos est in Altari, actio sacrificandi perseuerat moraliter, vndè suppleri debet defectus alterius speciei.

Ad tertium Respondetur Regulas in Missali appositas sub his titulis de Defectibus, solum esse instructiones doctrinales, non verò speciales constitutiones inducentes aliquam obligationem supra doctrinam, in qua fundantur, vt alibi diximus, & fatetur Suar. supra

pra loco citato. Imò in Missali nooo in simili casu de Defectu vini tit.4.num.5. habetur posse consecrari solum vinum absque hostia, vt mox dicemus.

Colligitur primo. Quid sit dicendum si sumpto corpore aduertat Sacerdos defectum vini in Calice, idest non fuisse appositum vinum sed aqnam, vel acetum: Nam D.Thom. cum Alijs docet consecrandam esse nouam hostiam. & deindè vinum cum aqua. Ceterum dicendum est probabilius esse solum vinum consecrari debere, & sumi, quod etiam D.Thom. vt æquè probabile docet in 4. dist. 11. in expositione literæ circa finem, & patet à fortiori ex dictis: quia hic non militat ratio inuersionis ordinis: cùm sanguis consecretur post corpus, & ita docent communiter DD. quos citat, & sequitur Suar. citata disp 85.sec. 1. Auersa loco citato, Diana par.2, tract.14. resol. 70. quod hic adnotauimus nè iterum cogamur repetere quæ ad hanc quæstionem pertinent in sequenti titulo de Defectibus vini.

Colligitur secundo Si in prædictis, & similibus casibus Sacerdos ob inconsiderationem, & perturbationem non perficiat Sacrificium, excusari à peccato saltem mortali, quia non est peccatum nisi voluntarium, vt ex Nauarr. Syluio, & Alijs docet Diana par.2. tract.14. resol 70. fine, & Suat. supra, nec teneretur supplere post notabile spatium, vt mox dicemus.

DVBIVM III.

Quid Agendum si Sacerdos non aduertat defectum, nisi post notabile spatium.

EG. Si Sacerdos completa iam Missa, vel etiam depositis vestibus, ab aliquo moneatur hostiam non fuisse triticeam, vel vinum non fuisse de vite, Vtrum reuertidebeat ad Altare suppleturus defectum.

Respondeo, & Dico primo. Si Defectus deprehenditur antequam Missa sit absoluta, & quamdiù Sacerdos est in Altari, suppleri debet, & perfici Sacrificium modo supra explicato, vt patet ex dictis.

Dico secundo. Si cognoscatur defectus absoluto iam Sacro, & postquam Sacerdos ab Altari discessit, tunc nullatenus suppleri debet, nec fieri vlterior consecratio. Probatur: quia iam actio esset omnino distincta, nec coniungeretur moraliter cum priori ad vnum Sacrificium integrandum: ergò esset noouum & distinctum Sacrificium, vel inchoatio Sacrificij, distincti. Hoc autem non solum fieri non decet; sed nec licitè fieri potest, quia Sacerdos ille non est ieiunus.

Confirmatur: quia in his rubricis tit.4 de Defectu vini num 8. notatur, quod si expectando aliqnandiù haberi possit materia apta imperfectum; ergò si esset nimis expectandum, non posset perfici sacrificium, certè non alia ratione, nisi quia non esset vnica actio moraliter, ita Coninch. de sacram. quæst. 83. art.6. nom.280. Suar. disp 85. sect.1. §. ad primam confirmationem, Auersa de Sacrif. quæst.11. sect. 16. §. Quinto.

DVBIVM IV.

Quid Agendum si contingat defectus in vtraque specie.

EG. Si nec panis fuerit triticeus, nec vinum de vite.

Respondeo; & dico primo si Sacerdos hoc aduertat ante consecrationem, & expectando aliquandiù possit habere materiam aptam, quoad vtramque speciem, expectare debet, & consecrare in materia apta; si autem non possit habere vtramque: omittenda erit Missa ex supra dictis, & docent DD. citati in fine precedentis dubij.

Dico secundo. Idem omninò dicendum, si hoc aduertat Sacerdos post consecrationem inualidam vtriusque speciei Probatur quia in hoc casu non vrget preceptum supplendi defectum: quia sacrificium non est simpliciter inchoatum, nullaque peracta eius pars: sed quicquid fieret, esset inchoare ex tunc sacrificium, Ita Auersa quæst.11 sect.16. § quarto, Bonacina disp 4. quæst. vltima punct 10. num. 6. Alios citans. Vtrum autem in hoc casu melius sit expectare materiam consecrandam vel Missam omittere, prudenti arbitrio relinquitur id enim faciendum, quod magis expedire videbitur ad vitandum scandalum, & offensionem populi.

Dico tertio; Si hoc aduertat post sumptionem vtriusque materiæ ineptè, & inualidè consecratę, non tenetur, nec potest veram materiam consecrare, non tenetur ex supra dictis, quia non est inchoatum prius sacrificium nec etiam potest Sacrum inchoare; quia non est ieiunus, nec vlla vrget necessitas. Suar. disp 85. sect. 1. Bonacina de Sacram. disp. 4. quæst. vltima punct. 10. Auersa supra, & com-

communiter. Poterit ergò Sacerdos ad vitandum scandalum recitare orationes post communionem, omissis quantum fieri potest verbis, quæ perceptionem Sacramenti significant, & data benedictione legere Euangelium S. Ioannis more solito.

DVBIVM V.

Quid Agendum in dubio defectus substantialis panis, vel vini.

Hic est casus omissus in his rubricis de materia in quibus præscribitur modus supplendi defectum, quando Sacerdos fit certus de eo, nihil autem definitur in casu dubij si post consecrationem Sacerdos non certò deprehenderet, sed dubitaret de aliquo huiusmodi defectu substantiali materiæ. Nihilominus tit. 5. de defectibus formæ num. 2. traduntur regulæ seruandæ in casu dubij circa formam, ex quibus colligi potest, quid etiam sit agendum in dubio circa materiam. Ratio autem hic dubitandi est: quia non videtur in hoc casu consecrandam esse nouam materiam absolutè; quia fieri potest vt prior materia fuerit validè consecrata, nec idem Sacrificium est capax duplicis consecrationis absolutè ex alibi dictis: Nec etiam consecranda videtur noua materia sub conditione: quia si ante sumptionem deprehenderetur defectus, sciri non posset quænam ex duabus esset consecrata, & quæ potius adhibenda in ritibus exequendis: Item quę prius sumenda, ne frangatur ieiunium.

Pro Resolutione aduertendum: dubium prædictum circa defectum substantialem materię, esse posse vel negatiuum, si pro neutra parte possit ferri iudicium determinatum, sed hæreat intellectus in equilibrio: vel potest esse dubium positiuum, quod confunditur cum iudicio probabili, vt si Sacerdos iudicet probabiliter panem consecratum fuisse verum panem, sed cum formidine oppositi, vel vtramque partem oppositam iudicet probabilem. His positis.

Respondeo, & Dico primo. Si dubium prędictum occurrat ante consecrationem tenetur Sacerdos sub peccato mortali remota illa materia dubia pane vel vino, aliam consecrare, præsertim si dubium sit negatiuum.

Probatur: quia aliàs exponitur Sacrificium & Sacramentum periculo irritationis, quod esse graue sacrilegium. Item est contra reuerentiam Sacramenti vti ea materia dubia, & indecenti, Ità docent DD. communiter de pane confecto aqua rosacea, vel simili modo vt notauimus in dubijs præcedentis sectionis.

Confirmatur quia in Rubricis huius tituli 3. declaratur quod si panis non sit corruptus, sed cœperit corrumpi, conficiens grauiter peccat, & docent communiter DD. ergò à fortiori in casu nostro, quando dubium est. An panis sit corruptus, grauiter peccat conficiens.

Dixi præsertim si dubium sit negatiuum: quia si sit probabile panem nec esse corruptum, nec in via ad corruptionem, seù aliàs materiam esse aptam, quamuis eum formidine oppositi; aliqui excusant à peccato tunc conficientem deposito dubio, cui sententiæ fauet Tambur. de Sacrif. lib. 2. cap 8. §. 6. num. 6. & probari posset ex doctrina, quam tradunt nonnulli, posse licitè confici, & administrari Sacramenta secundum opinionem probabilem, etiam relicta probabiliori, & tutiori modò non sit ab Ecclesia prohibita, vt videri potest apud Sanchez sum. lib. 1. cap. 9. n. 32. Cęterùm quicquid sit de hac doctrina in genere, mihi videtur, non esse licitum in casu nostro absque necessitate consecrare in materia quę probabiliter est inepta; quamuis etiam oppositum sit probabile, quando absque notabili incommodo alia materia haberi potest, ob summam reuerentiam quę supra alia Sacramenta debetur Sacratissimę Eucharistię.

Colligitur: si dubium occurrat ante Missam nullo modo inchoandum erit Sacrum, quia hoc à fortiori probant rationes supra allatæ.

Dico secundo: si dubium negatiuum occurrat post consecrationem an materia consecrata fuerit apta necnè, Idem omnino agendum ac diximus faciendum esse, quando constat materiam fuisse ineptam in dubijs pręcedentibus primo, & secundo. Cum hoc tamen discrimine, quòd quando constat de defectu substantiali Sacerdos debet iterum consecrare nouam materiam absolutè, in casu autem nostro non absolutè, sed sub conditione, nec remouenda est prior materia de qua dubitatur, an fuerit valide consecrata nec nè.

Probatur: quia tenetur Sacerdos Iure diuino conficere Sacrificium Integrum & perfectum: ergò saltem probabiliter iudicare debet Sacrificium quod offert esse tale, aliàs valdè imprudenter operaretur, & contra reuerentiam Sacramenti & sacrificij: quia tunc periculum irritationis, vel mutilationis est euidens, & manifestum: sed posito dubio negatiuo, nec quidem probabiliter iudicare potest sacrificium quod offert esse integrum: ergò, &c. Supponimus autem dubium esse rationabile, & ex sufficientibus inditijs ortum.

Rursus

Rursus: posito quòd teneatur consecrare nouam materiam, non potest absolutè id facere ex dictis in ratione dubitandi: ergò sub conditione, nec inde sequitur aliquid absurdum vt dicemus in responsione ad rationem dubitandi: hanc sententiam docet Auersa de Sacrif. quæst. 11. sect. 16. §. secundo si Sacerdos, & videtur communis.

Confirmatur ex Rubrica de defectibus formæ tit. 4. num. 2. vbi habetur, si Celebrans valdè probabiliter dubitet se aliquod essentiale omisisse, iteret formam sub conditione: Valdè autem probabiliter dubitat qui ex rationabilibus inditijs ita dubitat vt perplexus remaneat, nec possit formare determinatum iudicium pro valore Sacramenti: ergo pariter in casu nostro consecranda erit noua materia sub conditione.

Dico tertio. Quando dubium est positiuū, & incidit post consecrationem, quia nempe Sacerdos probabiliter iudicat materiam fuisse aptam, quamuis dubitet de opposito; in hoc inquam casu debet dubium deponere, & prosequi Sacrum, nihil iterando.

Probatur: quia in his dubijs ea pars est eligenda in qua minus est inconueniens: sed minus inconueniens est in hoc casu deponere dubium, & prosequi sacrum, quàm iterum consecrare: ergò, &c. Probatur minor: quia ex noua consecratione turbatur Sacrificium, eiusque ordo; quod est certum & graue inconueniens, et ideò fieri non debet absque graui necessitate: In hoc autem non vrget grauis necessitas; ergo non debet fieri noua consecratio, et minus malum videtur prosequi probabiliter integrum Sacrificium, quam illius ordinem certò turbare.

Dices: exponitur Sacrificium periculo irritationis, vel mutilationis, quod est maius inconueniens; ergò, etc. Probatur antecedens quia est etiam probabile illam materiam nō esse aptam; ergò probabiliter Sacrificium non est integrum.

Respondeo negando esse maius inconueniens: quia cum sit etiam probabile Sacrificium fore integrum, hoc sufficit ad deponendum dubium In illis angustijs, & non debet eligi turbatio sacrificij certa ad obuiandum periculo incerto; secus est quando aduertitur defectus ante consecrationem, quia non turbatur Sacrificium quòad essentialia, cùm non sit inchoatum, & ideo preferri debet periculum probabile mutilationis Sacrificij, turbationi accidentali, quæ ex remotione materię dubiæ oriri possit.

Confirmatur ex Rubricis de Defectibus formæ titulo quinto numero secundo vbi dicitur non esse iterandam formam consecrationis, nisi celebranti certò constet se omisisse aliquid eorum, quæ sunt de necessitate Sacramenti, vel valdè probabiliter dubitet, &c. In casu autem nostro vt supponimus, non constat celebranti materiam esse ineptam, nec valdè probabiliter dubitat: quia potest ferri iudicium determinatum pro sufficientia materiæ, & valore Sacramenti, qua ratione valdè minuitur dubium: ergò nihil iterandum.

Huic sententiæ maximè fauet D Thom. qu. 83. art. 6. ad 5. vbi solùm dicit, si certificetur Sacerdos se aliquid omisisse eorum quæ sunt de necessitate Sacramenti, &c. reiterentur, &c. ergò quando probabiliter iudicat nihil fuisse omissum, nihil est iterandum, & DD communiter docent dubia huiusmodi esse deponenda, idest si probabiliter fieri potest, & prosequendum Sacrum, vt videri potest apud Tambur Opusc. de Sacrif lib 2. citato, cap. 8. §. 5. num. 6. & apud Auersam loco supra citato.

Ad rationem dubitandi quæ procedit contra secundā conclusionem, Respondetur satis est si sciatur alteram ex duabus hostijs esse consecratam, & ritus exerceri posse altera ex illis ad libitum Sacerdotis, & quòad sumptionem sumi posse vtramque simul. Nec obstat fractio ieiunij: quia magis vrget, & preferri debet præceptum integritatis Sacrificij; vt cum D. Thom. quæst. 83. art. 6. ad 4 docent communiter DD. vtraque etiam sumi potest ante sanguinem, vt seruetur debitus ordo quia cessat præceptum ieiunij ratione necessitatis.

DVBIVM VI.

Quid Agere debeat Sacerdos si in Altari aduertat panem esse fermentatum.

Respondeo, & dico primo. Si aduertat hunc defectum ante consecrationem, tenetur eo remoto aliam hostiam panis azymi ponere, & consecrare: patet ex dictis supra sect. præcedenti de pane azymo, non enim Sacerdoti latino est licitū nisi in azymo cōficere.

Difficultas est si haberi non possit panis azymus, & inchoatum sit sacrum, an teneatur Sacerdos potius Sacrum omittere, quàm consecrare in fermentato.

Respondeo simpliciter & per se loquendo in hoc & similibus casibus, quando defectus est in Ritu, vel circumstantia valdè graui, potius omittendum Sacrum, quàm cum tali defectu prosequendum: quia tenetur Sacerdos perfectè hoc ministerium exequi: Dixi per se

loquendo: quia si ex omissione Sacri timeretur infamia, vel graue scandalum, prosequendum esset Sacrum, quia præcepta positiua non obligant cum tanto rigore & incommodo: hęc regula sumitur ex D. Thom. quæst. 83. art. 6. ad 2. & docent communiter DD, vt videri potest apud Suar. disp. 84. sect. 2. Vide dicta quæst. Procemiali sect. 3. punct. vlt.

Dico secundo: si Sacerdos hunc defectum aduertat post consecrationem debet prosequi & absoluere Sacrum, non quærendo alium panem. Quoties enim Sacrificium est substantialiter inchoatum post consecrationem alterius speciei, non debet propter accidentalem ritum imperfectum dimitti, D. Thom. loc. cit. & communiter Suar. suprà, Auersa quæst. 11; sect. 16. §. rursus.

De alijs defectibus accidentalibus dicemus tit. 10. vt si hostia inueniatur fracta, vel musca ceciderit in Calicem, &c.

SECTIO I.

De Apparitionibus præsertim miraculosis, quæ in Eucharistia contingunt.

Tangitur in rubricis huius tituli num 7. casus, in quo disparear hostia consecrata diuina virtute, seu miraculo, Vndè congruum videtur hic generatim examinare mutationes, & apparitiones, quæ in Eucharistia contingere possunt, præsertim miraculo

Præmittendum est autem vt certum, negari non posse quin sepius apparitiones, & miracula prædicta acciderint: quia vel in Altari visus est puerulus, aut caro, vel sanguis ad confirmandam Christi præsentiam sub speciebus sacramentalibus, vel ad recreandos deuotos. Ad confundendum etiam infideles, vel terrendos peccatores indignè accedentes. Eucharistia interdum versa est in lapidem in ore indignè sumentis, interdum in cineres, & similia, quę & similia referunt graues Auctores, Paschasius in lib. de Euchar. cap. 14. Cyprianus lib. de lapsis. Chrisost. lib 6. de Sacerdotio, & alij plures, vt constat ex historijs Ecclesiasticis His positis dubitatur in particulari, vt infrà.



DVBIVM I.

An Apparitiones prædictæ semper à Deo procedant, vel quandoque sint illusiones.

Respondeo posse apparitiones huiusmodi causari vel diuina virtute seù miraculose à Deo, vel arte & illusione Demonis, vel deniq; ex debilitate imaginationis in quibusdā

Patet à simili de alijs apparitionibus, quæ in varijs materijs prouenire solent, vel à bono spiritu, vel à malo, de quibus tractant DD. in materia de discretione spirituum.

Ad discernendum verò an visio quæ apparet, diuina sit, vel illusio Demonis, aut propriæ imaginationis, prudenter consideranda sunt, & fructus visionis, & dispositio videntis & aliæ circumstantiæ occurrentes, Suar. de Sacram. disp 55. sect. 1. initio.

Quando autem à Deo procedunt ordinari solent ad confirmandam fidem de reali presentia Christi in hoc Sacramento, vel ad veram consolationem piorum fidelium, vel ad correctionem eorum, qui indignè ad tantum Sacramentum accedunt.

DVBIVM II.

Quid sit id, quod videtur in apparitionib. prædictis, quādo a Deo procedunt.

E G. Quando in Altari, vel in manibus Sacerdotis apparet Christus in forma paruuli, vel caro, aut sanguis.

prima sententia sustinet videri ipsum Christum in propria specie, & veram eius carnem, vel sanguinem (nam prò vt est sacramentaliter in Eucharistia est inuisibilis) videtur ergò in propria specie.

Probatur primo: quia hoc non est impossibile, siquidem vt docent ferè communiter Theologi, potest idem Corpus, etiam quantitatiuo modo esse in pluribus locis, et consequenter vidxri: ergò non obstante quod Christus existit, et videtur in Cœlo, potest etiam in propria specie, et extensiuo modo esse in Altari, et ibi videri. Item potest corpus gloriosum se se pro vt voluerit humanis sensibus manifestare in maiori, vel minori quantitate, et secundùm vnam partem, et non secundum aliam;

Probatur secundo: quia si hic modus est possibilis, videtur etiam conuenientior Primo quia hęc ostensio precipue fit, vel in testimo-

ftimonium veritatis, & realis præsentiæ Christi in Sacramento, vel in singularem fauorem & consolationem alicuius iusti: ad vtrumque autem finem magis expedit, vt id quod videtur sit ipse Christus in propria specie: Tum quia veritatem confirmare oportet veris, & non tantùm apparentibus indicijs, & signis, in quibus esset quædam deceptio; Tum quia iusto non esset vera consolatio rem tantùm apparentem videre, & non veram Christi carnem: Tandem quia aliàs daretur occasio quędam idolatriæ, adorandi videlicet vt carnem Christi quæ verè non est; Ità Alensis, Gabriel, Palarius, quos citat, & ex parte sequitur Coninch. de Sacram. quæst. 76. art. 8. dub. 1.

Communis, & vera sententia docet in huiusmodi apparitionibus non videri Christum in se, nec eius carnem, & sanguinem, sed solùm aliquid, quod ea repræsentat, Ità D. Th. quæst. 76 art. 8. quem sequuntur ferè omnes DD. apud Suar disp 55. sect. 2. tom. 3. in 3. P.

Ratio præcipua D. Th. est: quia videtur indecens Christum in propria specie attrectari, & palpari à mortalibus, & eorum sensibus subiacere, & includi in Pyxide, &c.

Insuper probatur: quia caro Christi in se gloriosa est, & immortalis, nec subiacet alterationi, denigrationi, & multo minus corruptioni; sed caro quæ apparet, & aliquando apparuit in Eucharistia tractu temporis conseruata in Pyxide visa est denigrari, tabescere, & corrumpi; ergo dicendum est, non fuisse nec vnquam esse carnem Christi in se eam, quæ apparet, & videtur.

Ad opposita Respondetur ad primum: Concedendo id esse possibile: quia tamen minus decens est carnem vel sanguinem Christi in propria specie ibi esse, & humanis sensibus subiectam; ideo negandum est de facto id quod apparet, & videtur esse Christum in propria specie.

Ad secundum negandum est id esse conuenientius: & ad primam Probationem Respondetur posse etiam rectè, & sępe decentius veritatem confirmari signis apparentibus; vt si Angelus loco Dei appareat, & in persona Dei loquatur; quod sępè legimus factum in veteri testamento; neque ibi est vlla deceptio, quando totum ordinatur ad veritatem aliquam significandam, ex D. Thom. suprà, sicut non decipit Pictor, qui florem tam perfectè depingit vt verus appareat, secluso mendacio, & animo decipiendi.

Ad secundum Respondetur Ad fauorem & consolationem iustorum sufficere illud signũ extraordinarium diuini amoris per imaginẽ Christi miraculosam, sicut quando Christus loquitur per imaginem suam.

Ad tertium Respondetur Adorationem non sistere in eo, quod sensibiliter apparet; sed per illud transit ad verum Christi corpus, aut in Sacramento latens, aut in propria specie existens in Cœlo.

Colligitur ex dictis: In huiusmodi apparitionibus id quod videtur non solum non esse carnem, aut sanguinem Christi in propria specie; Verum etiam nec esse veram carnem, aut verum sanguinem, sed colore tantum, aut figura eum referre: quia indecens videtur vt ibi sit caro animalis vel etiam alicuius hominis: vbi autem in hæreant accidentia carnis, vel sanguinis, quæ ibi apparent, in sequenti dubio explicandum est.

DVBIVM III.

Quibus modis fieri contingat apparitiones prædictas.

Respondeo ex D. Thom. q. 86 citata art. 8. corpore, Dupliciter contingere. Primo per solam mutationem potentiæ nostræ visiuæ, ità vt neque in Sacramento, neque in aëre circumstanti aliqua fiat mutatio, Deo imprimente in oculis intuentium speciem ræpresentatiuam Christi absque mutatione facta ex parte obiecti, vel Sacramenti; & hoc modo credendum est eas contingere, quando Christus, sic apparet alicui, & non omnibus; & quando breui transitu apparet.

Secundo modo per immutationem obiecti, idest accidentium hostiæ consecratæ; quia ibi efficitur color, & figura carnis, vel sanguinis, & adhærent ipsis met speciebus sacramentalibus, seu quantitati hostiæ.

Addi potest Tertius modus per immutationem Corporis circumstantis ipsum Sacramentum, siue per formationem corporis ex aere circumstante, quando id quod apparet est multò maioris molis ipsa hostia, vt quando apparet puer, vel copia sanguinis: nec enim semper apparitio pueri dici debet facta per solam immutationem visus, Nam interdũ puer apparens se tangendum, & palpandum præbuit, sicut ex Paschasio narrat Gabriel loco suprà citato. Verisimile est autem his duobus modis posterioribus frequentius fieri has apparitiones; quia sunt magis reales, & nulla in sensu est deceptio; quia verè videt aliquod corpus, talem aut talem figuram referens In primo autem modo quamuis nullum fit mendacium, vt optimè docet D. Thom. ex Augustino; sensus tamen aliquo modo decipitur; quia videtur sibi aliquid videre, cùm re verà ex parte obiecti non adsit, sed ad aliam veri-

tatem indicandam refertur, quæ fictio, vel simulatio non est mendacium, ex D.Thom. suprà sed veritatis signum.

DVBIVM IV.

Vtrum Quando apparitio fit per immutationem specierum Sacramentalium, Corpus Christi adhuc sub ijs sacramentaliter permaneat.

E G. Quando fit mutatio accidentium panis in accidentia carnis, & sanguinis, & apparet in Sacramento caro vel sanguis, Queritur, An sub illis accidentibus sit Christus sacramentaliter, sicut erat ante mutationem sub accidentibus panis.

Prima sententia absolutè negat, Ità Dur. in 4. dist. 10. quæst. 4. num. 10. Probat quia sub speciebus sic mutatis, non potest conseruari substantia panis, quæ diuersas requirit dispositiones à substantia carnis; ergò nec conseruatur corpus Christi: patet consequentia, quia tandiù manet Christus sub speciebus Eucharistiæ, qamdiù sub illis conseruaretur substantia panis, cuius loco succedit, vt omnes concedunt.

Secunda sententia affirmat Christum manere sub speciebus sacramentalibus, etiam facta mutatione accidentium, & qualitatum, nempè coloris, figuræ, &c. Dummodo eadem quantitas perseueret.

Probatur: quia quantitas est veluti basis, & primum fundamentum specierum panis; ergò quamdiù illa manet, Christi etiam præsentia conseruatur, hæc videtur opinio D.Thom. quæst. 76. art. 8. & in 4. dist. 10. quæst. 1. art. 1. quæstiuncula 2. & eam defendunt Capreolus, Palud. Caiet. Vasq. & alij quos citat, & sequitur Auersa de Euchar. quæst. 4. sect. 8. Ceterùm media via incedendum videtur.

Respondeo, & dico primo. Quando mutatio fit in qualitates omninò alienas tum ab accidentibus panis; tum ab accidentibus, & qualitatibus carnis, quæ possunt esse apta ad repræsentandum carnem Christi in huiusmodi apparitionibus, Certum videtur non manere corpus Christi sub speciebus sacramentalibus sic mutatis, E.g. quando Eucharistia vertitur in lapidem in ore indignè sumentis, vel in cineres, & similia.

Probatur quia per talem mutationem destruuntur omninò qualitates, & dispositiones quæ necessariæ sunt vt sub illis conseruari possit substantia panis: ergo tùnc desinit ibi esse Corpus Christi. Probatur consequentia: quia est regula communis & certa apud Theologos, tamdiu sub speciebus conseruari Corpus Christi, quamdiu sub illis conseruaretur substantia panis, & sumitur ex D.Thom. q. 77. art. 4.

Confirmatur: quia hoc est magis conforme fini talium mutationum, videlicet ad confundendum peccatorem, vel infidelem, & significandum Christum ab eo fugere propter infidelitatem, vel impuritatem eius, ita Suar disp. 45. sec. 1. Coninch. q. 76. art. 8. dub. 2.

Dico secundo, Quando Sacramentum videtur verti in puerum, aut carnem & sanguinem, regulariter loquendo, adhuc manet ibi Christus sacramentaliter. Probatur: quia nō videtur credibile ea miracula, quæ fiunt ad ostendendam veritatem præsentiæ Christi in hoc Sacramento destruere ipsam præsentiam tunc quando maximè Christus se manifestat præsentem, ita Suar. sec. 3. Coninch. loco citat. Card de Lugo de Euchar. disp. 10. sec. 3. fine, & alij communiter.

Nec obstat, quòd non videntur manere species panis. Respondetur enim vere tunc non destrui qualitates, & accidentia necessaria ad conseruationem substantiæ panis: quamuis fiat mutatio quoad colorem, & figuram, quæ sunt accidentia communia, nec obstant temperamento requisito ad formam panis: ergo nec desinit ibi præsentia sacramentalis Christi.

Confirmatur ex consuetudine Ecclesiæ, quę hostias consecratas mutatas in colore carneo; & sanguineo diu conseruat, & veneratur vt verum Eucharistiæ Sacramentum.

Dixi Regulariter, quia interdum in re quæ apparet, nō est verisimilè adesse accid... ia necessaria panis, consequenter nec ibi esse Corpus, vel Sanguinem Christi; E.g. quando ex hostijs confossis emanat sanguis, & etiam in terram decidit absque mutatione accidentiū ipsius hostiæ: quamuis enim in hostia vere sit Corpus Christi, nihilominus non est, cur dicamus sub eo humore, qui effluit contineri Corpus, vel Sanguinem Christi, Item certum videtur illum Sanguinem non elici ex venis Corporis Christi existentis in Sacramento, aut in cœlo: est ergo solum aliquis humor Sanguini simi is à Deo subitò vel creatus, vel ex materia adiacente productus. Secus est quando mutantur accidentia ipsius calicis, & apparet sanguis. Tandem quando Sacramentum mutatum in colore carneo &c. tam longo tempore conseruatur, vt species corrūpantur, definit ibi esse Corpus Christi, sicut defineret esse substantia panis, si sub illis esset: & tunc certum est

etiam

etiam non esse adhibendam venerationem, quæ vero Sacramento debetur, sed quæ dari potest signo, seu vestigio Corporis Christi, quod ibi fuit, vide citatos Doct.

DVBIVM V.

Quid agendum sit quando apparent prædictæ mutationes in Eucharistia.

RESpondeo, & dico primo, Quando fit mutatio in speciebus consecratis, & ibi apparet, caro, vel sanguis, non debet sumi Sacramentum ita mutatum, sed asseruari, ita D.Thom. q 82. art.4. ad 3. ex cap. de hac de consecr. d.2. & patet ex vsu Ecclesiæ, & communi DD. sententia.

An autem sit præceptum nè sub specie carnis, & sanguinis sumatur Sacramentum. Aliqui affirmant, Tum ex consuetudine prædicta; tum ob indecentiam, vel periculum nauseæ, & vomitus; & docet Auersa de Euchar q.4. sec. 8. fine. Alij negant latum esse præceptum ab Ecclesia, seu prohibitionem: & ideo si minister nullum haberet horrorem, nec timeret periculum vomitus posset sumere, ita Suar. disp.54. sec.4. vtrumque videtur probabile: melius est tamen non sumere, sed ritum Ecclesiæ sequare, præsertim cum sit sub opinione an ibi perseueret Corpus Christi, quando perpetua est mutatio.

Dico secundo, Si species redirent ad propriam formam panis vel vini debet sumi, sicut aliæ consecratæ: quia tunc non est dubium ibi contineri Corpus Christi sacramentaliter, in quo omnes conueniunt.

Difficultas præcipua hic est, quando in ipsa celebratione accidit talis mutatio, quid agere debeat Sacerdos. Aliqui asserunt teneri Sacerdotem nouam materiam consecrare, & sumere, seruata illa, in qua accidit miraculum: quia ex præcepto diuino Sacerdos tenetur sumere Sacramentum sub vtraque specie ob integritatem sacrificij, ita D.Antoninus 3.p. tit. 16. cap.6. § 5 & colligitur ex rubrica supra num.7. & inclinat Suar. disp 85 sec. 1.§.Quarto potest. Alij negant hoc esse præceptum; sed solum consilium. Itaque potest Sacerdos consecrare nouam materiam & sumere, non tamen tenetur; quia cum Christus tunc constituat Sacramentum in eo statu, vt sumi non possit, videtur dispensare in lege, qua præcipitur sumptio, ita D. Thom. loco supra cit. & Caietanus ibidem, Siluester verbo Eucharistia 3. in fine, Soto cum alijs: quos citat Coninch. de Sacram. q 76. art.8. dub 2. & videtur communis. Vnde.

Dico tertio, Si miraculosa mutatio in vtraque specie contingat tunc non vrgere præceptum nouam materiam consecrandi, & sumendi. Probatur; quia in eo casu non potest impleri tale præceptum respectu eiusdem sacrificij quoad species consecratas, quia sumi non possunt, vt supponimus. Consecrare autem de nouo vtramque speciem, non esset prius sacrificium consumare, & perficere; sed aliud omnino distinctum offerre, quod ex vi prioris consecrationis non est præceptum: ergo simpliciter non tenetur Sacerdos iterum consecrare, ita Suar disp.55, sec.4 fine, Auersa de Euchar. quæst.4 sec.8. fine, & communiter. Insuper mihi videtur in hoc casu nec posse licitè de nouo consecrari vtramque speciem, quia non potest quis eodem die bis celebrare neque eo miraculo in hoc præcepto dispensatur.

Dico quarto. Si mutatio in vna sola specie contingat, probabilius est non esse præceptum; sed solum consilium talem speciem iterum consecrare, vt probat argumentum supra explicatum in secunda sententia relata, & docet D.Thom. cum alijs ibi cit.



TITV-

TITVLVS IV.

DE DEFECTV VINI.

1 Si vinum sit factum penitus acetum, vel penitus putridum, vel de vuis acerbis, seu non maturis expressum, vel ei admixtum tantum aquæ, vt vinum sit corruptum; non conficitur Sacramentum.

EXPLICATIO LITERALIS.

VT materia calicis sit consecrabilis, & transsubstantiari possit in Sanguinem Christi, debet esse vinum de vite, ex dictis titul.2. num. 1. & colligitur ex facto Christi, Matth.26. & Lucæ 21. ibi ex hoc genimine vitis, & definitur in Conc. Lateran. cap. firmiter de Summa Trinitate, in Florent. & alijs, vnde est de fide: Hinc fit alios liquores non procedentes ex vite, non esse materiam sufficientem huius consecrationis, vt fusius dicemus in dubijs. Insuper quia ex vite procedere possunt alij liquores, qui non sint verum vinum; sequitur nec eos esse aptam materiam consecrationis. Videlicet: quia vel sunt aliquid antecedens, vel consequens formam vini, non vero propriè vinum. Prius enim vitis producit agrestam, & liquor ex ea expressus non est vinum, sed quid antecedens formam vini. Insuper verum vinum ex vuis maturis expressum per corruptionem mutatur, & transit in acetum, vel alium liquorem putridum: & neutrum eorum est verum vinum, sed quid consequens formam pereuntem vini. His positis, Dicitur primo, in hac rubrica ex vino penitus aceto, vel putrido, & corrupto non confici Sacramentum. Ratio est clara: quia tunc non retinet formam vini, seu non est verum vinum, atque adeo nec apta materia consecrationis, & docet D. Thom. q.74. art.5. ad 1. & omnes Theologi communiter. Secundo dicitur neque confici Sacramentum ex vino, seu liquore expresso ex agresta, seu vuis acerbis, & immaturis. Rationem reddit D. Thom. supra ad 3. quia liquor inclusus in agresta est in via ad generationem, & ideo nondum habet speciem vini; & propter hoc non potest de ea confici hoc Sacramentum.

2 Si vinum cœperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantum acre, vel mustum de vuis tunc expressum, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua rosacea, seu alterius distillationis; conficitur Sacramentum, sed conficiens grauiter peccat;

MVtatio, seu transitus vini in acetum incipit ab alteratione accidentium, qua paulatim destruuntur accidentia propria vini, & introducuntur qualitates aceti: quæ alteratio, & accidentalis mutatio requirit tempus longius, vel breuius iuxta vini conditiones, & causas extrinsecas alterationis: interim manet forma vini quousque destructis dispositionibus necessarijs vini, & introductis dispositionibus aceti fit in instanti substantialis mutatio vini in acetum. Toto ergo illo tempore, quo vinum alteratur, & paulatim acescit vsque ad vltimum instans, quo substantialiter mutatur, & fit penitus acetum, si consecretur, conficitur quidem Sacramentum, vt dicitur in hac rubrica: quia retinet formam vini; sed conficiens grauiter peccat propter irreuerentiam, quæ fit Sacramento adhibendo vinum semicorruptum, quoad qualitates, & docet D.Th. q.74. ar.5. ad 2.

Secundo, similiter si vinum fuerit aliquantulum acre conficitur Sacramentum, sed illicitè, & cum graui peccato. Aliqui putant idem esse hoc quod dicitur aliquantulum acre, & quod prius dicitur si cœperit acescere, sed esset superflua additio: melius ergò videtur dicendum hic distingui saporem acrem ab acido, & in rigore Medicorum iudicio distinguitur vnus sapor ab altero. Vinum ergo acidū dicitur quod est in via ad corruptionem, &

tranſitum in acetum; Vinum autem aliquantulum acre dicitur quod fuit expreſſum ex vuis maturis quidem, ſed non perfectè maturis, & aliquantulum acerbis, vnde eſt verum vinum, ſed aliquantulum acre, & eſt imperfectum, non quia ſit in via ad corruptionem, ſed ob imperfectam, ſeu non omnino maturam generationem: eſt ergo valida conſecratio, quia illud eſt verum vinum: eſt illicita: quia vinum eſt imperfectum, conſequenter contra reuerentiam Sacramenti, quia imperfecta materia adhibetur ad eius vſum. Ex quibus concluditur adhibendum eſſe vinum abſolutè perfectum, & omni vitio carens, ita vt dubitari non poſſit eum vel eſſe immaturum, vel in via ad corruptionem, vt nedum ſacrificium vlli periculo exponatur, ſed ex omni parte ſit purum, & illibatum.

Tertio, validè conſecratur muſtum, ſeu vinum de vuis recenter expreſſum, ſed illicitè, & cum graui peccato: quia licet ſit verum vinum, nihilominus eſt impurum, & feculentũ, & ideò indecens, quod totum adnotauit D. Thom. q 74 art 5. ad 3. ex declaratione Iulij Papæ cap. cum omne crimen de conſecr. diſt. 2. Vbi tamen conceditur vt vrgente neceſſitate poſſit conſecrari muſtum.

Quarto, declaratur eſſe peccatum mortale non admiſcere aquam vino conſecrando contra graue præceptum Eccleſiæ, de quo conſtat ex Trid. ſeſſ. 22. cap. 7 & Can. 9 vt fusè probauimus ſupra p 2 tit. 7. ſec. 2. dub. 5. Contra quod præceptum grauiter etiam peccat, qui non miſcet vino aquam naturalem, quæ ſola miſceri præcipitur, ſed roſaceam, vel alterius diſtillationis; & docent D. Thom. q. 74. art. 7. ad 3. & alij communiter.

3 Si celebrans ante conſecrationem Sanguinis, quamuis poſt conſecrationem Corporis, aduertat, aut vinum, aut aquam, aut vtramque non eſſe in calice; debet ſtatim apponere vinum cum aqua, & facta oblatione vt ſupra, conſecrare, incipiendo ab illis verbis. Simili modo, &c.

4 Si poſt verba conſecrationis aduertat vinum non fuiſſe poſitum, ſed aquam; depoſita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in calice, & conſecret, reſumendo a verbis prædictis, Simili modo.

EX dictis præcedenti titulo de defectu panis in expoſitione literæ nu. 4 & 5 ſatis conſtat ratio eius, quod hic præſcribitur faciendum à celebrante, quando enim vel nõ eſt in Altari materia conſecranda, vel materia non eſt apta, tenetur Sacerdos veram materiam apponere, nè falsò proferatur forma conſecrationis ſuper nullam, vel ineptam materiam, & nè ſacrificium ſit irritum, vel mutilum, etiam ſi hunc defectum aduertat poſt conſecrationem inualidam ſolius aquæ, quæ eſt materia inepta. Sicut autem in ſimili caſu defectus hoſtiæ debet præmitti oblatio ſaltem mente concepta, antequam noua materia conſecretur; ita pariter in hoc caſu, & ſicut ibi incipiendum eſt ab illis verbis, Qui Pridie quam pateretur, ita in his caſibus de defectu vini incipiendum, vel reſumendum eſt ab illis verbis, Simili modo, ob ſimiles rationes ibidem explicatas: Tandem ſicut ibi hoſtia inualidè oblata, vel conſecrata ſeruari debet, & ſumi poſt ſumptionem corporis & ſanguinis: ita pariter hic, aqua vel ſimilis materia inepta inualidè oblata, & conſecrata ob eandem rationem ſeruari, & eodem modo ſumi debet.

5 Si hoc aduertat poſt ſumptionem Corporis, vel huiuſmodi aquæ; apponat aliam Hoſtiam iterum conſecrandam, & vinum cum aqua in calice, offerat vtrumque, & conſecret, & ſumat, quamuis non ſit ieiunus. Vel, ſi miſſa celebretur in loco publico, vbi plures adſint, ad euitandum ſcandalum poterit apponere vinum cum aqua, & facta oblatione, vt ſupra, conſecrare, ac ſtatim ſumere, & proſequi cetera.

QVando deprehenditur prædictus defectus vini post sumptionem corporis, proponitur hic duplex modus supplendi Primus est vt consecretur de nouo alia hostia, & vinum cum aqua, & vtrumque sumatur, etiā si Sacerdos non sit ieiunus ob sumptionem aquæ, quę loco vini per errorem fuerat consecrata secundum opinionem D.Thom. q.83. art.3.ad 4.Secūdus modus est,vt solum vinum quod defuerat consecretur cum aqua, & statim sumatur, qui modus aptior est, & expeditior, præsertim cum in hoc casu non inuertatur ordo consecrationis, vt patet ex dictis de defectu Panis num. 6. & quamuis in rubrica hic dicatur, vt seruetur hic modus, quando missa celebratur in loco publico ad vitandum scandalum. Nihilominus ex communi Doct. sententia seruari potest simpliciter etiam si nullus adsit, nec vrgeat necessitas vitandi scandali, vt diximus tit. præced. in dub. conscientiæ sec.2. dub.3. Corall.1.

6 Si quis percipiat ante consecrationem, vel post consecrationem, totum vinum esse acetum, vel alias corruptum, idem seruetur quod supra, ac si deprehenderet non esse positum vinum, vel solam aquam fuisse appositam in calice.

RAtio patet ex dictis, siue enim locō vini fuerit apposita aqua in calice, siue acetum, in idem enim recidit, quia vtrumque est materia inepta; idcirco idem seruari debet, vt supra ad supplendum defectum substantialem.

7 Si autem celebrans ante consecrationem calicis aduertat non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, & proferat verba consecrationis. Si id aduertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti.

SI defectus consistat in omissione solius aquæ, & hoc aduertat Sacerdos antè consecrationem calicis, tenetur statim eam ponere, & proferre verba consecrationis: quia mixtio aquæ, quamuis non sit de necessitate Sacramenti, est tamen de necessitate præcepti: Cùm ergo posita aduertentia possit tunc adimpleri, sic debet omnino fieri: & quamuis tam breui tempore non possit conuerti in vinum, hoc non obstat: quia miscetur ob mysterium fusionis aquæ simul cum sanguine è latere Christi. Si verò id aduertat Sacerdos post consecrationem calicis, nullo modo tunc apponenda est aqua: nam ex vna parte non est de necessitate Sacramenti, vt hìc dicitur: Et ex alia tunc illa cæremonia non habet locū vt instituta est, Suar. disp.85. sec.1. & nos fusius 2.p.tit.7.sec.2.dub.7.

8 Si materia quæ esset apponenda, ratione defectus vel panis, vel vini, non posset vllo modo haberi: si id sit ante consecrationem Corporis, vlterius procedi non debet: si post consecrationem Corporis, aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius speciei, altera iam consecrata; tunc si nullo modo haberi possit, procedendum erit, & missa absoluenda, ita tamen vt prætermittantur verba & signa quæ pertinent ad speciem deficiētem. Quod si expectando aliquamdiu haberi possit, expectandum erit, ne sacrificium remaneat imperfectum:

Explicatio huius rubricæ patet ex dictis tit. præcedenti in dubijs conscientiæ sec. 2. dub. 1. vbi rationes adduximus.

DVBIA CONSCIENTIAE

DVBIVM I.

Quale Vinum consecrari possit.

Respondeo solum vinum de vite esse aptā materiam consecrationis sanguinis, vt patet ex dictis in expositione literæ. Rationem verò reddit D.Thom. q.74 art.5. Tum quia ad materiam Sacramenti assumitur id quod propriè & communiter habet talem speciem: propriè autem vinum dicitur, quod de vite sumitur: Alij verò liquores non dicūtur vinum, nisi cum addito & impropriè; Tum quia vinum vitis magis est accomodatum ad significandum effectum huius Sacramenti, qui est spiritualis letitia: quia scriptum est vinum lætificat cor hominis: hæc D.Th.

Colligitur primo, Quicquid non procedit ex vite, non esse materiam sufficientem huius Sacramenti, consequenter excluditur Sicera, Ceruisia, vinum ex moris, ex malis granatis, ex palmis, vel factum ex alijs fructibus, aut radicibus: quia non sunt verum vinum, neque absolutè dicuntur vinum, sed impropriè, vel cum addito vinum denominantur. ita Henriq. lib 8. cap. 12. Suar. disp. 45. sec 1. Bonacina de Sacram. disp. 4 q 2. punc. 2. Card. de Lugo de Euchar disput. 4. sec. 1. num. 8. cum alijs, quos citant.

Colligitur secundo, neque omnem liquorem, siue fuc cum vuarum vitis esse materiam sufficientem huius consecrationis, si nondum peruenerint ad formam substantialem vini, vel illam amiserint: quia non sunt verum vinum, sed aliquid antecedens, vel consequens formā vini, & hac ratione in expositione literæ exclusimus succum agrestē, & acetum; excluditur etiam sapa, idest mustum valdè decoctū: quia iam non est vinum, neque materia potus, sed condimentum ciborum, ita Henriq supra, Fagundez præcep. 3. Eccles. lib 2, cap. 3 Cardinalis de Lugo supra, Auersa de Euchar qu. 2. sec. 5.

Colligitur tertio. Quodcumque vinum de vite, & ex vuis maturis expressum, esse materiam sufficientem validè consecrationis, siue sit album, siue rubrum, aut nigrum: quia est verum vinum vsuale. Quicquid sit, vtrum differant specie physica nec nè: hæc enim quæstio ad rem non pertinet. Certum est enim materiam huius consecrationis esse vinum de vite, quod si est genus habens sub se plures species, hæ omnes sunt materia consecrabilis, si autem est species infima, & diuersa vina solum accidentaliter differunt, diuersitas accidentalis multò minus obstare, ita Suar. Fagundez, Auersa, locis cit. Vasq. 3. p. disp. 175. nu. 5, & alij communiter. Addit bene Auersa etiam si plura ac varia vina simul misceantur, illud mistum fore sufficientem materiam consecrationis: quia est verum vinum de vite; secus si alij liquores extranei misceantur, prȩsertim in quantitate notabili, vt infra.

DVBIVM II.

An mustum sit materia consecrabilis.

Aliqui recentiores dubitant; quia nec videtur verum uinum, vel saltem non vsuale: quia regulariter eo non utimur ad potum, quousque sit defecatum, & statum uini acquirat.

Communis & uera sententia docet sufficere quidem ad ualorem consecrationis, quamuis illicitè adhibeatur. Probatur: quia solum accidentaliter differt à uino, quatenus minus perfectum, & defecatum, & simpliciter bibitur ut uerum uinum: quamuis non ita communiter Videtur etiam id definitum in cap. cū omne crimen de consecr. dist. 2. Vbi dicitur si necesse fit posse botrum exprimi, & aquā misceri, & sanguinem Domini confici, ita D. Th. q. 74. art 5 & expositores communiter Suar. disp. 45. sec. 1. Auersa quæst. 2. de Euchar sec. 5. Card. de Lugo de Euchar. disp. 4. sec. 1. n. 9 cum alijs illicitè tamen adhibetur propter imputiratem, unde secluso casu necessitatis esset peccatum mortale consecrare mustum, ex cit. DD.

Colligitur idem dicendum de uino impuro & turbido ob eandem rationem, DD. cit.

DVBIVM III.

De vino aqua mixto, vel confecto cum aqua, vtrum sit apta materia consecrationis.

Solet in aliquibus locis fieri uinum cum infusione aquæ in musto, uel in racemis, antequam exprimantur. Quæritur, an ualidè & licitè consecrari possit.

Respondeo distinguendo, si parum aquæ multo musto infundatur, certum est fieri uerum uinum, consequenter ualidè, & licitè cō-

 sec rati

secrari potest. Probatur: quia est vinum vsuale, & in multis locis vbi prædicto modo solet confici vinum vix aliud reperitur, ita Vasq. disp. 175. supra citata num. 8. Nec alij negant. Si verò infundatur aqua in quantitate notabili, ex circumstantijs iudicandum erit an valeat vel liceat consecratio; videlicet ex vigore vini & proportione aquæ. Si enim illa potio retineat vini substantiam, ita vt dubitari non possit esse verum vinum, erit valida & licita consecratio, quia aqua absorbetur à vino: secus si vinum sit tenue, quia interdum poterit esse materia dubia ad valorem ob periculum corruptionis vini: interdum vero illicita quoad vsum, ob irreuerentiam admixtionis materiæ superfluæ & contra vsum Ecclesiæ, ita Henriq. lib. 8. cap. 12. Filiucius tract. 4. num. 87. Vasq. supra, Auersa q. 2. de Euch. sec. 5. Suar. disp. 45. sec. 1. qui ait semper esse peccatum mortale in hac materia consecrare propter dubium, & irreuerentiam, sed loquitur de lora de qua est diuersa quæstio, vt patebit ex infra dicendis: quia lora est simpliciter aqua, quoad substantiam, & parum de vino participat.

DVBIVM IV.

De Lora, seu Vappas, an possit ualide consecrari.

Lora fit ex aqua infusa in vinacea, seu vuas iam expressas, quæ secum trahit vini reliquias in vinaceis relictas, colorem & aliquem saporem vini; vulgo dicitur acquarello.

Respondeo, simpliciter, neque licitè, neq; validè posse loram consecrari. Probatur: quia simpliciter non habet vini substantiam, neque potest vocari vinum, vt patet ex Plinio lib. 4. cap. 10. ergo non est apta materia consecrationis, consequenter graue sacrilegium esset eam consecrare: quia non conficitur Sacramentum. Ita Siluest. verbo Euchar. 1. n. 4. Cardinalis de Lugo disp. 4. sec. 1. n. 9. Bonac. disp. 4. q. 2. punc. 2. num. 7. & DD. communiter dub. præced. citati.

Quod si infundatur aqua in vuas non omnino expressas, & aqua non sit tanta vt superet succum vuarum, esset alia quæstio, de qua diximus dubio præced. de vino confecto cum admixtione aquæ.

DVBIVM V.

An mulsum, seu mellitum consecrari possit.

Mulsum est vinum melle conditum, vel etiam saccharo, butyro, vel alijs aromatibus, & floribus conditum, & decoctum, & fit ad delitias.

Respondeo, & dico primo, non potest consecrari mulsum neque licitè, neque validè. Probatur: quia vt fieri solet per decoctionem mutat speciem, & non est absolutè vinum; saltem non est moraliter vinum, quoad communem vsum. Ita Fagundez præcept. 3. Eccles. lib. 2. cap. 3. Henriquez lib. 8. cap. 12. & communiter.

Confirmatur: quia Sapa, seu mustum coctum communiter excluditur à materia Sacramenti, quia transit moraliter in aliam speciem: ergo à fortiori mulsum.

Dico secundo, si fiat absque decoctione per infusionem vini, quod sæpius colatur linteo aromatibus pleno, & appellari solet Claretum, est materia dubia; vnde graue sacrilegium esset illud consecrare. quia ex vna parte non videtur amittere substantiā vini: Ex alia vero non videtur vinum vsuale propter admixtionem cum alijs succis, Petrus de Ledesma to 1. sum. tract. de Euchar. cap 4. concl. 13. Auersa q. 2. de Euchar. sec. 5. hinc fit, & indicat Suar. disp 45. sec. 1. § Tertio sequitur.

Colligitur vniuersaliter vinum alijs succis imbutum, esse materiam dubiam, & illicitè consecrari: tanta enim potest esse mixtio, vt nullum, aut dubium reddat Sacramentum. Quod si modicum quid alieni liquoris admisceatur erit validum Sacramentum, sed grauiter peccat conficiens propter irreuerentiam, vt in simili diximus de tritico admixto cum granis alienæ materiæ; DD. sup cit.

DVBIVM VI.

An succus uuarum inclusus in ipsis uuis consecrari possit.

Quæstio est de vuis integris, nondum expressis.

Prima sent. sustinet vuas integras posse validè consecrari, quamuis non licitè. Probatur: quia mustum expressum: & non expressum sunt eiusdem speciei: ergo si expressum potest validè consecrari, idem dicendum de non ex-

expresso, & in vuis incluso: non est tamen licitum quia id prohibetur in cap. dicimus de consecr. dist. ita Aliqui apud Riccardum in 4. dist. 11. art. 2. q. 5 ad 3. quam sententiam ipse Riccardus non improbabilem putat.

Communis tamen, & vera sententia absolutè negat, etiam quoad valorem, ita D.Tho. q.74. ar. 5 ad 3. & alij omnes cit. in dubijs præcedentibus. Ratio breuiter est: quia siue succus vuarum ante expressionem differat spe cie a vino siue minimè, certè dum est in eo statu, non est potus sed cibus, non enim dicimur vuam potare, sed manducare: ergo non potest in eo statu validè consecrari. Probatur consequentia: quia ad validam consecrationem requiritur vinum simpliciter potabile, vt patet ex verbis Christi bibite ex hoc omnes, vnde prima opinio non videtur probabilis.

Nec obstat vinum congelatum esse consecrabile vt infra, cum tamen in eo statu non sit potabile. Respondetur enim vinum illud per se quidem esse potabile, quamuis per accidens adsit illud impedimentum, ratione cuius commodè potari non potest, tamen sugendo potari potest; & etiam si comminutū deglutiatur, potius se habet vt potus, quam vt cibus, vnde non soluit ieiunium ecclesiasticum, sicut vua, quæ per se habet rationem cibi.

Aliam rationem afferunt nonnulli, quia succus vuarum non est demonstrabilis per pronomen Hic, quæ tamen non videtur satis probare intentum: vel enim dicunt non esse demonstrabilē tamquam quid potabile, & tunc non affertur noua ratio, sed est eadem cum prima iam explicata: vel dicunt absolutè non esse demonstrabilem, & videtur falsum: quia si quis diceret. Hic est cibus validus, idest succus sub cortice, certè verum diceret de succo, non de cortice, vel semine. Alijs etiam argumentis impugnatur hæc ratio, quæ videri possunt apud Vasq. disp. 175. cap 2.

DVBIVM VII.

An vinum imbibitum in offa panis sit consecrabile.

Circa hoc dubium sunt pugnantes hinc inde sententiæ. Aliquibus affirmantibus, alijs mordicus negantibus, qui videri possunt apud Dianam p.9. tra 8. resol.65. & ad vitandam prolixitatem eas omittimus.

Respondeo probabilius mihi videri posse quidem validè consecrari, sed non licitè.

Probatur prima pars: quia vinum intra poros, seu foramina panis adhuc est verum vinū & quasi in vasculis, seu receptaculis, sicut etiā quando est imbibitum in spongia: ergo est sufficiens materia consecrationis. Probatur consequentia: quia si vascula similia fierent ex metallo, vel alia materia non combustibili, quæ haberent similes cauitates, certè valeret consecratio vini, imbibiti in cauitatibus ergo &c.

Nec obstat, quod vinum potius tunc habere videtur rationem comestibilis; quia hoc est per accidens & ratione alterius, non per se: illud enim vinum secundum se est quid potabile. Secus est de vua, quæ secundum se & absolutè est cibus: ita Dicast. de Sacram. tom. 1. tr. 4. disp. 2. dub 5 n. 91 & alij.

DVBIVM VIII.

An vinum congelatum possit validè consecrari.

Prima sententia negat. Probatur primo. Quia vinum dum congelatur, videtur sub stantialiter mutari: ergo &c.

Secundo, esto retineat vini substantiam, nihilominus in tali dispositione non est materia potabilis: ergo sicut vua integra non est apta consecrationi, ita non est consecrabile vinum congelatum.

Tertio, vinum resolutum in vaporem non est consecrabile: ergo nec induratum in glaciem.

Quarto, Aqua congelata non est idonea ad Baptismum; ergò nec vinum congelatum ad Eucharistiam. Hanc sententiam sequuntur Alanus, Armilla, Henriq. Ledesma, Nugnus apud Dianam p.3. tr 6. resol. 100.

Secunda sententia communis, & probabilior affirmat. Probatur ex principijs oppositis. Primo: quia vinum per congelationem non mutatur substantialiter: ergo non est cur non possit ex hoc capite consecrari. Antecedens probatur: Tum à pari de aqua, oleo, & similibus liquoribus, qui per congelationem non mutantur quoad substantiam; Tum maximè iudicio peritorum, & ex sensu Ecclesiæ: quia si post consecrationem accidat congelatio, adhuc permanet ibi Sanguis Christi, vt planè supponitur in his rubricis de defectibus tit. 10 num. 11. vbi dicitur Inuoluatur Calix pannis calefactis vt assumatur, neque opus esse aliud vinum consecrare, vt malè sentit Alanus supra, & similiter si vinum congelatum liquefiat, potest validè consecrari.

Probatur secundo, Quia vinum congelatum quamuis in actu secundo non sit potabile, id tamen est per accidens, & nihilominus natu-

ta sua est potabile: ergo potest esse materia proxima consecrationis. Probatur consequẽtia: quia hæc non consistit in vsu Sacramenti, sicut aqua in Baptismo; sed est materia ex qua conficitur Sacramentum permanens, quod postea ad vsum reducitur, & possunt facile spe cies liquefieri: ergo ad consecrationem sufficit vinum per se & natura sua potabile. Hanc sententiam sequuntur Angelus, Suar. Sotus, Laiman, Coninch. Siluius, & alij plures apud Dianam supra, & sequitur ipse Diana.

Ad opposita ad primum, & secundum patet ex dictis.

Ad tertium negatur consequentia. Ratio disparitatis est; quia vapor vini non reducitur ad potum, & facilè perdit formam vini rarefactis partibus: Tum quia per aerem dispersus non est demonstrabilis per pronomen Hic.

Ad quartum patet etiam ex dictis, negandam esse consequentiam: quia materia baptismi est ipsa actualis ablutio, cui non est apta aqua congelata. Cæterùm Eucharistiæ materia non est ipsa actualis potatio, sed vinū per se potabile, ex quo sanguis conficitur.

An autem licitè etiam consecrari possit vinum congelatum, dicemus commodius tit. 10. num. 11.

Dubitari insuper potest hic: An sit licitum vinum consecrandum vel datá opera frigefacere, E g. tempore æstiuo niue admota, vel tepefacere hyeme. Respondetur breuiter, hoc secundum se non esse malum, neque prohibitum; vnde ex circumstantijs, præsertim ex fine iudicandum erit. An sit illicitum, nec nè. Si enim fiat ad inducendum nouum ritum, facilè culpa esse poterit mortalis; si vero fiat ad gustus delectationem, non excedet culpā venialem. Licitè verò fiet ne hyeme congeletur vinum, aut nè corrumpatur, vel euanescat æstate, ita Tambur opusc. de sacrif lib. 2. cap. 4. num. 2. & nos in simili diximus de aqua infundenda in Calicem p. 2. tit. 7 dub. 5. sec. 2.

DVBIVM IX.

An Vinum igne distillatum, vulgo acquauite possit validè consecrari.

Ratio dubitandi est: quia vinum sic distillatum, & in aquam vitæ redactum, nedum non perdit formam substantialem vini, Imo perfectiori modo retinet, & conseruat, vt patet ex eius vigore, & efficacia, est enim flos vini: Item est potabile, ergo est apta materia consecrationis. Nihil ominus.

Respondeo negatiuè. Probatur primo quia probabilius videtur non retinere formam vini, sed transmutari in mixtum nobilius ex causis vniuersalibus, vt contingit in mineralibus, & alijs per alchimiam confectis: ergò non est apta materia consecrationis. Antecedēs probatur: quia per distillationem dissoluuntur partes substantiales vini extractis partibus igneis, & aereis ab alijs crassioribus, & aqueis, quæ ad vini substantiam pertinent: ergò non remanet idem mixtum, nec eadem forma substantialis Vt patet à simili in distillatione florum, & herbarum.

Probatur secundo, quia quicquid sit An physicè sit vinum, certum est moraliter, & quoad vsum humani potus, nec esse vinum vsuale, quo communiter vti solemus ad bibendum; sed potius est medicamentum & ad alios vsus diuersos destinatum: ergò non est apta materia consecrationis, vt patet à simili de Sapa &c. non inueni DD. hanc quæstionem tractantes, credo tamen neminem sentire oppositum.

Ad rationem dubij patet ex dictis, vinum per distillationem perdere suam formam, & transmutari in aliud mixtum perfectius.

DVBIVM X.

An succus elicitus ex vuis passis sit materia consecrationis.

Negatiuè Respondendum videtur primo quia vuæ passæ differunt specie, saltem morali ab vuis recentibus, nec absolutè denominantur vuæ nec habent eumdem vsum: ergò etiam succus earum specie morali differt à vino, consequenter non est materia consecrationis.

Secundo mustum valdè decoctum, quod dicitur Sapa ex communi DD sententia non est apta materia consecrationis: ergò nec succus elicitus ab vuis passis, præsertim si prius aqua elixentur, vt vuæ passæ euadant, quia pariter est succus decoctus igne, & Sole.

Tertio quia non solet elici succus ab vuis passis, nisi prius copia aquæ illis super infusa, sicut fit lora ex aqua vinaceis infusa: sed lora non est apta materia consecrationis: vt supra dictum est: ergò neque succus ex vuis passis elicitus.

Affirmatiuæ tamen sententiæ adhæret Sapientissimus Diana p. 3. tract. 12. resol. 8. cum Amico tom. 7. disp 16. sec. 3.

Probatur primo, quia vinum eò securius, & per-

perfectius vinum est quo exprimitur ex vuis magis purgatis, & maturis: sed vuę passę sunt magis purgatæ ab humore aqueo, & perfectius maturatæ: ergò succus ex illis elicitus nedum est verum vinum, sed perfectius, & generosum.

Probatur secundo, quia fama est, Catholicos in Ethyopia tale vinum de facto consecrare, & ita testatur Fugundez præcept 3. Eccles. lib 2. cap. 3. & certè negari non potest quin Praxis piorum, & Catholicorum sit validum argumentum veræ consecrationis, & ideo hæc sententia sanè intellecta satis probabilis videtur, vt patebit ex solutionibus argumentorũ; Ad maiorem tamen explicationem mihi distinguendum videtur, & media sententia eligenda.

Respondeo, & dico primo, si vua non sit nimis exiccata, neque elixa, vel cocta; sed modicum passa, sicut est vua pensilis diu conseruara, succus ex ea elicitus est apta materia consecrationis. Hanc conclusionem probant Argumenta secundæ sententiæ, nec illi obstãt argumenta principio posita.

Dico secundo, succus expressus ex uua passa ualde sicca, uel etiam elixa, præsertim si exprimi non possit nisi copia aquæ super infusa, non uidetur apta materia consecrationis. Probatur argumentis primæ sententiæ.

Ad argumenta secundæ sententiæ, quatenus huic obstant.

Respondetur ad primum maiorem esse veram de vuis maturis, & concoctis virtute plantæ, seu vitis & solis, non autem de maturitate per decoctionem ignis.

Ad secundum respondetur, Praxim illam intelligendam iuxta dicta in prima conclusione.

Ad argumenta primæ sententiæ quatenus obstant primæ concl respondetur ad primum Antecedens esse verum de vuis passis nimis exiccatis, vel decoctis, seu elixis, non vero de vua pensili, vel modicum passa.

Ad secundum respondetur non militare contra nostram primam conclusionem, sed confirmare secundam.

Ad tertiam respondetur, si opus sit notabili quantitate aquæ, concedo totum, neque in hoc sensu admittenda est secunda sententia, neque à suis Auctoribus sic defenditur. Si autem modica aqua admisceatur, nihil obstat veræ materiæ consecrationis, vt supra dicebamus de vino confecto cum admistione aquæ:

* * *

DVBIVM XI.

An vinum miraculosum immediatè à Deo productum sit apta materia consecrationis.

Ratio dubitandi est: quia materia Calicis est solum vinũ de vite, sed non esset de vite in casu nostro; ergo nec apta materia calicis.

Respondeo, posse validè, & licitè consecrari. Supponimus autem produci à Deo vinum eiusdem naturæ & essentiæ, ac vinum vitis, & discrimen esse tantùm in modo productionis, vt contigit in nuptijs Canæ Galileæ.

Probatur primo, illud vinum est apta materia consecrationis, quod propriè habet talem speciem, qua differt ab alijs liquoribus, qui non sunt vinum, & nonnisi impropriè possunt appellari vinum. Item illud vinum est materia Sacramenti, quod habet proprietates, quibus magis est accomodatum ad significandum effectum huius Sacramenti: Sed vinum miraculosè productum, E g in Nuptijs Canæ Galileæ propriè habet talem speciem, & proprietates æque ac vinum vitis; ergo &c.

Probatur secundò. Quia legitur in Historijs Ecclesiasticis, interdum, fuisse de cęlo ab Angelis allatam materiam vtriusque consecrationis, vtique à Deo immediatè productã ad conficiendum sacrificium, vt in Vita Sancti Clementis refert Ludouicus Granata in Symbolo Fidei p. 2.

Item in Historijs Fratrum Minorum Cappuccinorum, & alijs legitur sæpius à Deo multiplicatum fuisse in dolijs vinum destinatum ad vsum sacrificij; ergo non est dubitandum vinum miraculosum esse materiam aptam Eucharistiæ, Ita docet Henriq. lib. 8. cap 12 quem sequitur Gauantus in has rubricas de defectibus tit. 4. num. 1 Quamuis oppositum sentire videatur Card. de Lugo de Euchar. disp 4. sec. 4 num. 53 Vbi asserit vinum alio modo productum, quàm ex vite: non esse materiam per se consecrationis, vnde aqua infusa calici esto conuertatur in vinum, hoc tamen secundum se & solitariè consideratum, non est materia consecrationis: quia non est vinum de vite, sed alio modo productum, & solum posse esse materiam, quatenus mixtum cum vino de vite ex pars illius poculi. Hæc tamen sententia est contra communem. Posita enim conuersione in verum vinum sentiunt omnes esse materiam per se, & non solum commateriam, sicut est aqua manens aqua secundum pro-

tatem indicandam refertur, quæ fictio, vel simulatio non est mendacium, ex D.Thom. suprà sed veritatis signum.

DVBIVM IV.

Vtrum Quando apparitio fit per immutationem specierum Sacramentalium, Corpus Christi adhuc sub ijs sacramentaliter permaneat.

E G. Quando fit mutatio accidentium panis in accidentia carnis, & sanguinis, & apparet in Sacramento caro vel sanguis, Quæritur, An sub illis accidentibus sit Christus sacramentaliter, sicut erat ante mutationem sub accidentibus panis.

Prima sententia absolutè negat, Ità Dur.in 4. dist 10. quæst.4. num.10. Probat quia sub speciebus sic mutatis, non potest conseruari substantia panis, quæ diuersas requirit dispositiones à substantia carnis: ergò nec conseruatur corpus Christi: patet consequentia, quia tandiù manet Christus sub speciebus Eucharistiæ, qamdiù sub illis conseruaretur substantia panis, cuius loco succedit, vt omnes concedunt.

Secunda sententia affirmat Christum manere sub speciebus sacramentalibus, etiam facta mutatione accidentium, & qualitatum, nempè coloris, figuræ, &c. Dummodo eadem quantitas perseueret.

Probatur: quia quantitas est veluti basis, & primum fundamentum specierum panis: ergò quamdiù illa manet, Christi etiam præsentia conseruatur, hæc videtur opinio D.Thom. quæst.76. art.8. & in 4. dist.10. quæst.1. art.1. quæstiuncula 2. & eam defendunt Capreolus, Palud. Caiet. Vasq & alij quos citat, & sequitur Auersa de Euchar. quæst.4. sect.8. Cæterùm media via incedendum videtur.

Respondeo, & dico primo. Quando mutatio fit in qualitates omninò alienas tum ab accidentibus panis; tum ab accidentibus, & qualitatibus carnis, quæ possunt esse apta ad repræsentandum carnem Christi in huiusmodi apparitionibus, Certum videtur non manere corpus Christi sub speciebus sacramentalibus sic mutatis, E.g. quando Eucharistia vertitur in lapidem in ore indignè sumentis, vel in cineres, & similia.

Probatur quia per talem mutationem destruuntur omninò qualitates, & dispositiones quæ necessariæ sunt vt sub illis conseruari possit substantia panis: ergo tunc desinit ibi esse Corpus Christi. Probatur consequentia: quia est regula communis & certa apud Theologos, tamdiu sub speciebus conseruari Corpus Christi, quamdiu sub illis conseruaretur substantia panis, & sumitur ex D.Thom.q.77. art.4.

Confirmatur: quia hoc est magis conforme fini talium mutationum, videlicet ad confundendum peccatorem, vel infidelem, & significandum Christum ab eo fugere propter infidelitatem, vel impuritatem eius, ita Suar disp. 45.sec.1.Coninch.q.76.art.8.dub.2.

Dico secundo, Quando Sacramentum videtur verti in puerum, aut carnem & sanguinem, regulariter loquendo, adhuc manet ibi Christus sacramentaliter. Probatur: quia nō videtur credibile ea miracula, quæ fiunt ad ostendendam veritatem præsentiæ Christi in hoc Sacramento destruere ipsam præsentiam tunc quando maximè Christus se manifestat præsentem, ita Suar.sec.3 Coninch.loco citat. Card. de Lugo de Euchar.disp.10.sec.3.fine, & alij communiter.

Nec obstat, quód non videntur manere species panis. Respondetur enim vere tunc non destrui qualitates, & accidentia necessaria ad conseruationem substantiæ panis: quamuis fiat mutatio quoad colorem, & figuram, quæ sunt accidentia communia, nec obstant temperamento requisito ad formam panis: ergo nec desinit ibi præsentia sacramentalis Christi.

Confirmatur ex consuetudine Ecclesiæ, quæ hostias consecratas mutatas in colore carneo; & sanguineo diu conseruat, & veneratur vt verum Eucharistiæ Sacramentum.

Dixi Regulariter: quia interdum in re quæ apparet, nō est verisimilè adesse accidentia necessaria panis, consequenter nec ibi esse Corpus, vel Sanguinem Christi: E.g. quando ex hostijs confossis emanat sanguis, & etiam in terram decidit absque mutatione accidentiū ipsius hostiæ: quamuis enim in hostia vere sit Corpus Christi, nihilominus non est, cur dicamus sub eo humore, qui effluit contineri Corpus, vel Sanguinem Christi. Item certum videtur illum Sanguinem non elici ex venis Corporis Christi existentis in Sacramento, aut in cœlo: est ergo solum aliquis humor Sanguini similis à Deo subitò vel creatus, vel ex materia adiacente productus. Secus est quando mutantur accidentia ipsius calicis, & apparet sanguis. Tandem quando Sacramentum mutatum in colore carneo&c.tam longo tempore conseruatur, vt species corrūpantur, definit ibi esse Corpus Christi, sicut desineret esse substantia panis, si sub illis esset: & tunc certum est etiam

etiam non esse adhibendam venerationem, quæ vero Sacramento debetur, sed quæ dari potest signo, seu vestigio Corporis Christi, quod ibi fuit, vide citatos Doct.

DVBIVM V.

Quid agendum sit quando apparent prædictæ mutationes in Eucharistia.

Respondeo, & dico primo, Quando fit mutatio in speciebus consecratis, & ibi apparet, caro, vel sanguis, non debet sumi Sacramentum ita mutatum, sed asservari, ita D.Thom. q 82. art.4. ad 3. ex cap. de hac de consecr. d.2. & patet ex vsu Ecclesiæ, & communi DD. sententia.

An autem sit præceptum nè sub specie carnis, & sanguinis sumatur Sacramentum. Aliqui affirmant, Tum ex consuetudine prædicta; tum ob indecentiam, vel periculum nauseæ, & vomitus, & docet Auersa de Euchar q.4. sec 8. fine Alij negant latum esse præceptum ab Ecclesia, seu prohibitionem: & ideo si minister nullum haberet horrorem, nec timeret periculum vomitus posset sumere ita Suar. disp.54. sec.4. vtrumque videtur probabile; melius est tamen non sumere, sed ritum Ecclesiæ seruare, præsertim cum sit sub opinione an ibi perseueret Corpus Christi, quando perpetua est mutatio.

Dico secundo, Si species redirent ad propriam formam panis vel vini debēt sumi, sicut aliæ consecratæ: quia tunc non est dubium ibi contineri Corpus Christi sacramentaliter, in quo omnes conueniunt.

Difficultas præcipua hic est, quando in ipsa celebratione accidit talis mutatio, quid agere debeat Sacerdos. Aliqui asserunt teneri Sacerdotem nouam materiam consecrare, & sumere, seruata illa, in qua accidit miraculum: quia ex præcepto diuino Sacerdos tenetur sumere Sacramentum sub vtraque specie ob integritatem sacrificij, ita D.Antoninus 3.p. tit. 16. cap.6. § 5 & colligitur ex rubrica supra num.7. & inclinat Suar. disp 85 sec. 1.§. Quarto potest. Alij negant hoc esse præceptum; sed solum consilium. Itaque potest Sacerdos consecrare nouam materiam & sumere, non tamen tenetur; quia cum Christus tunc constituat Sacramentum in eo statu, vt sumi non possit, videtur dispensare in lege, qua præcipitur sumptio, ita D. Thom. loco supra cit. & Caietanus ibidem, Siluester verbo Eucharistia 3. in fine, Soto cum alijs quos citat Coninch. de Sacram. q 76. art.8. dub.2. & videtur communis. Vnde.

Dico tertio, Si miraculosa mutatio in vtraque specie contingat tunc non vrgere præceptum nouam materiam consecrandi, & sumendi. Probatur; quia in eo casu non potest impleri tale præceptum respectū eiusdem sacrificij quoad species consecratas, quia sumi non possunt, vt supponimus. Consecrare autem de nouo vtramque speciem, non esset prius sacrificium consumare, & perficere: sed aliud omnino distinctum offerre, quod ex vi prioris consecrationis non est præceptum: ergo simpliciter non tenetur Sacerdos iterum consecrare, ita Suar disp.55. sec.4 fine, Auersa de Euchar. quæst.4 sec.8. fine, & communiter. Insuper mihi videtur in hoc casu nec posse licitè de nouo consecrari vtramque speciem, quia non potest quis eodem die bis celebrare neque eo miraculo in hoc præcepto dispensatur.

Dico quarto. Si mutatio in vna sola specie contingat, probabilius est non esse præceptum; sed solum consilium talem speciem iterum consecrare, vt probat argumentum supra explicatum in secunda sententia relata, & docet D.Thom. cum alijs ibi cit.



TITV-

TITVLVS IV.

DE DEFECTV VINI.

1 Si vinum sit factum penitus acetum, vel penitus putridum, vel de vuis acerbis, seu non maturis expressum, vel ei admixtum tantum aquæ, vt vinum sit corruptum; non conficitur Sacramentum.

EXPLICATIO LITERALIS.

VT materia calicis sit consecrabilis, & transsubstantiari possit in Sanguinem Christi, debet esse vinum de vite, ex dictis titul.2. num. 1. & colligitur ex facto Christi, Matth.26. & Lucæ 21. ibi ex hoc genimine vitis, & definitur in Conc. Lateran. cap. firmiter de Summa Trinitate, in Florent. & alijs, vnde est de fide: Hinc fit alios liquores non procedentes ex vite, non esse materiam sufficientem huius consecrationis, vt susius dicemus in dubijs. Insuper; quia ex vite procedere possunt alij liquores, qui non sint verum vinum; sequitur nec eos esse aptam materiam consecrationis. Videlicet: quia vel sunt aliquid antecedens, vel consequens formam vini, non vero proprie vinum. Prius enim vitis producit agrestam, & liquor ex ea expressus non est vinum, sed quid antecedens formam vini. Insuper verum vinum ex vuis maturis expressum per corruptionem mutatur, & transit in acetum, vel alium liquorem putridum; & neutrum eorum est verum vinum, sed quid consequens formam pereuntem vini. His positis, Dicitur primo, in hac rubrica ex vino penitus aceto, vel putrido, & corrupto non confici Sacramentum. Ratio est clara: quia tunc non retinet formam vini, seu non est verum vinum, atque adeo nec apta materia consecrationis, & docet D. Thom. q.74. art.5. ad 1. & omnes Theologi communiter. Secundo dicitur neque confici Sacramentum ex vino, seu liquore expresso ex agresta, seu vuis acerbis, & immaturis. Rationem reddit D Thom. supra ad 3. quia liquor inclusus in agresta est in via ad generationem; & ideo nondum habet speciem vini; & propter hoc non potest de ea confici hoc Sacramentum.

2 Si vinum cœperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantum acre, vel mustum de vuis tunc expressum, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua rosacea, seu alterius distillationis; conficitur Sacramentum, sed conficiens grauiter peccat.

MVtatio, seu transitus vini in acetum incipit ab alteratione accidentium, quia paulatim destruuntur accidentia propria vini, & introducuntur qualitates aceti: quæ alteratio, & accidentalis mutatio requirit tempus longius, vel breuius iuxta vini conditiones, & causas extrinsecas alterationis: interim manet forma vini quousque destructis dispositionibus necessarijs vini, & introductis dispositionibus aceti fit in instanti substantialis mutatio vini in acetum. Toto ergo illo tempore, quo vinum alteratur, & paulatim acescit vsque ad vltimum instans, quo substantialiter mutatur, & fit penitus acetum, si consecretur, conficitur quidem Sacramentum, vt dicitur in hac rubrica: quia retinet formam vini; sed conficiens grauiter peccat propter irreuerentiam, quæ fit Sacramento adhibendo vinum semicorruptum, quoad qualitates, & docet D.Th. q.74 ar 5. ad 2.

Secundo, similiter si vinum fuerit aliquantulum acre conficitur Sacramentum, sed illicitè, & cum graui peccato. Aliqui putant idem esse hoc quod dicitur aliquantulum acre, & quod prius dicitur si cœpetit acescere, sed esset superflua additio: melius ergò videtur dicendum hic distingui saporem acrem ab acido, & in rigore Medicorum iudicio distinguitur vnus sapor ab altero. Vinum ergo acidū dicitur quod est in via ad corruptionem, & tran-

transitum in acetum; Vinum autem aliquantulum acre dicitur quod fuit expressum ex vuis maturis quidem, sed non perfectè maturis, & aliquantulum acerbis, vnde est verum vinum, sed aliquantulum acre, & est imperfectum, non quia sit in via ad corruptionem, sed ob imperfectam, seu non omnino maturam generationem: est ergo valida consecratio, quia illud est verum vinum: est illicita, quia vinum est imperfectum, consequenter contra reuerentiam Sacramenti, quia imperfecta materia adhibetur ad eius vsum. Ex quibus concluditur adhibendum esse vinum absolutè perfectum, & omni vitio carens, ita vt dubitari non possit eum vel esse immaturum, vel in via ad corruptionem, vt nedum sacrificium vlli periculo exponatur, sed ex omni parte sit purum, & illibatum.

Tertio, validè consecratur mustum, seu vinum de vuis recenter expressum, sed illicitè & cum graui peccato: quia licet sit verum vinum, nihilominus est impurum, & feculentũ, & ideò indecens, quod totum adnotauit D. Thom. q 74 art 5. ad 3. ex declaratione Iulij Papæ cap. cum omne crimen de consecr. dist. 2. Vbi tamen conceditur vt vrgente necessitate possit consecrari mustum.

Quarto, declaratur esse peccatum mortale non admiscere aquam vino consecrando contra graue præceptum Ecclesiæ, de quo constat ex Trid. sess. 22. cap. 7 & Can. 9 vt fusè probaui in mus supra p 2 tit. 7. sec. 2. dub. 5. Contra quod præceptum grauiter etiam peccat, qui non miscet vino aquam naturalem, quæ sola misceri præcipitur, sed rosaceam, vel alterius distillationis; & docent D. Thom. q. 74. art. 7. ad 3. & alij communiter.

3 Si celebrans ante consecrationem Sanguinis, quamuis post consecrationem Corporis, aduertat, aut vinum, aut aquam, aut vtramque non esse in calice; debet statim apponere vinum cum aqua, & facta oblatione vt supra, consecrare, incipiendo ab illis verbis. Simili modo, &c.

4 *Si post verba consecrationis aduertat vinum non fuisse positum, sed aquam; deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in calice, & consecret, resumendo a verbis prædictis, Simili modo.*

Ex dictis præcedenti titulo de defectu panis in expositione literæ nu. 4 & 5 satis constat ratio eius, quod hic præscribitur faciendum à celebrante, quando enim vel rō est in Altari materia consecranda, vel materia non est apta, tenetur Sacerdos veram materiam apponere, ne falsò proferatur forma consecrationis super nullam, vel ineptam materiam, & nè sacrificium sit irritum, vel mutilum, etiam si hunc defectum aduertat post consecrationem inualidam solius aquæ, quæ est materia inepta. Sicut autem in simili casu defectus hostiæ debet præmitti oblatio saltem mente concepta, antequam noua materia consecretur; ita pariter in hoc casu, & sicut ibi incipiendum est ab illis verbis, Qui pridie quam pateretur, ita in his casibus de defectu vini incipiendum, vel resumendum est ab illis verbis, Simili modo, ob similes rationes ibidem explicatas: Tandem sicut ibi hostia inualidè oblata, vel consecrata seruari debet, & sumi post sumptionem corporis & sanguinis: ita pariter hic, aqua vel similis materia inepta inualidè oblata, & consecrata ob eandem rationem seruari, & eodem modo sumi debet.

5 Si hoc aduertat post sumptionem Corporis, vel huiusmodi aquæ; apponat aliam Hostiam iterum consecrandam, & vinum cum aqua in calice, offerat vtrumque, & consecret, & sumat, quamuis non sit ieiunus. Vel, si missa celebretur in loco publico, vbi plures adsint, ad euitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua, & facta oblatione, vt supra, consecrare, ac statim sumere, & prosequi cetera.

Quan-

QVando deprehenditur prædictus defectus vini post sumptionem corporis, proponitur hic duplex modus supplendi Primus est vt consecretur de nouo alia hostia, & vinum cum aqua, & vtrumque sumatur, etiã si Sacerdos non sit ieiunus ob sumptionem aquæ, quę loco vini per errorem fuerat consecrata secundum opinionem D.Thom. q.83. art.3. ad 4. Secũdus modus est, vt solum vinum quod defuerat consecretur cum aqua, & statim sumatur, qui modus aptior est, & expeditior, præsertim cum in hoc casu non inuertatur ordo consecrationis, vt patet ex dictis de defectu Panis num. 6. & quamuis in rubrica hic dicatur, vt seruetur hic modus, quando missa celebratur in loco publico ad vitandum scandalum. Nihilominus ex communi Doct. sententia seruari potest simpliciter etiam si nullus adsit, nec vrgeat necessitas vitandi scandali, vt diximus tit. præced. in dub. conscientiæ sec.2. dub.2. Cotall.1.

6 Si quis percipiat ante consecrationem, vel post consecrationem, totum vinum esse acetum, vel alias corruptum, idem seruetur quod supra, ac si deprehenderet non esse positum vinum, vel solam aquam fuisse appositam in calice.

RAtio patet ex dictis, siue enim locó vini fuerit apposita aqua in calice, siue acetum, in idem enim tecidit, quia vtrumque est materia inepta; idcirco idem seruari debet, vt supra ad supplendum defectum substantialem.

7 Si autem celebrans ante consecrationem calicis aduertat non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, & proferat verba consecrationis. Si id aduertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti.

SI defectus consistat in omissione solius aquæ, & hoc aduertat Sacerdos antè consecrationem calicis, tenetur statim eam ponere, & proferre verba consecrationis: quia mixtio aquæ, quamuis non sit de necessitate Sacramenti, est tamen de necessitate præcepti: Cùm ergo posita aduertentia possit tunc adimpleri, sic debet omnino fieri: & quamuis tam breui tempore non possit conuerti in vinum, hoc non obstat: quia miscetur ob mysterium fusionis aquæ simul cum sanguine è latere Christi. Si verò id aduertat Sacerdos post consecrationem calicis, nullo modo tunc apponenda est aqua: nam ex vna parte non est de necessitate Sacramenti, vt hic dicitur: Et ex alia tunc illa ceremonia non habet locũ vt instituta est, Suar. disp.85. sec.1. & nos fusius 2.p. tit.7. sec.2. dub.7.

8 Si materia quæ esset apponenda, ratione defectus vel panis, vel vini, non posset vllo modo haberi: si id sit ante consecrationem Corporis, vlterius procedi non debet: si post consecrationem Corporis, aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius speciei, altera iam consecrata; tunc si nullo modo haberi possit, procedendum erit, & missa absoluenda, ita tamen vt prætermittantur verba & signa quæ pertinent ad speciem deficiẽtem. Quod si expectando aliquamdiu haberi possit, expectandum erit, ne sacrificium remaneat imperfectum:

Explicatio huius rubricæ patet ex dictis sit. præcedenti in dubijs conscientiæ sec. 2. dub. 1. vbi rationes adduximus.

DVBIA CONSCIENTIAE

DVBIVM I.

Quale Vinum consecrari possit.

Respondeo solum vinum de vite esse aptã materiam consecrationis sanguinis, vt patet ex dictis in expositione literæ. Rationem verò reddit D.Thom. q.74 art.5. Tum quia ad materiam Sacramenti assumitur id quod propriè & communiter habet talem speciem: propriè autem vinum dicitur, quod de vite sumitur: Alij verò liquores non dicũtur vinum, nisi cum addito & impropriè; Tum quia vinum vitis magis est accomodatum ad significandum effectum huius Sacramenti, qui est spiritualis letitia: quia scriptum est vinum lætificat cor hominis; hæc D.Th.

Colligitur primo, Quicquid non procedit ex vite, non esse materiam sufficientem huius Sacramenti, consequenter excluditur Sicera, Ceruisia, vinum ex moris, ex malis granatis, ex palmis, vel factum ex alijs fructibus, aut radicibus: quia non sunt verum vinum, neque absolutè dicuntur vinum, sed impropriè, vel cum addito vinum denominantur. ita Henriq. lib 8.cap.12. Suar.disp.45.sec 1.Bonacina de Sacram.disp.4 q 2.punc.2. Card. de Lugo de Euchar disput.4. sec.1. num.8. cum alijs, quos citant.

Colligitur secundo, neque omnem liquorem, siue suc cum vuarum vitis esse materiam sufficientem huius consecrationis, si nondum peruenerint ad formam substantialem vini, vel illam amiserint: quia non sunt verum vinum, sed aliquid antecedẽns, vel consequens formã vini, & hac ratione in expositione literæ exclusimus succum agrestæ, & acetum; excluditur etiam sapa, idest mustum valdè decoctũ: quia iam non est vinum, neque materia potus, sed condimentum ciborum, ita Henriq supra, Fagundez præcep.3. Eccles. lib 2.cap.3. Cardinalis de Lugo supra, Auersa de Euchar qu.2. sec.5.

Colligitur tertio. Quodcumque vinum de vite, & ex vuis maturis expressum, esse materiam sufficientem validè consecrationis, siuè sit album, siue rubrum, aut nigrum: quia est verum vinum vsuale. Quicquid sit, vtrum differant specie physica nec nè: hæc enim quæstio ad rem non pertinet. Certum est enim materiam huius consecrationis esse vinum de vite, quod si est genus habens sub se plures species, hæ omnes sunt materia consecrabilis, si autem est species infima, & diuersa vina solum accidentaliter differunt, diuersitas accidentalis multò minus obstare, ita Suar. Fagundez, Auersa, locis cit. Vasq.3.p.disp.175.nu.5. & alij communiter. Addit bene Auersa etiam si plura ac varia vina simul misceantur, illud mistum fore sufficientem materiam consecrationis: quia est verum vinum de vite; secus si alij liquores extranei misceantur, prçsertim in quantitate notabili, vt infra.

DVBIVM II.

An mustum sit materia consecrabilis.

Aliqui recentiores dubitant; quia nec videtur verum uinum, vel saltem non usuale: quia regulariter eo non utimur ad potum, quousque sit defæcatum, & statum uini acquirat.

Communis & uera sententia docet sufficere quidem ad ualorem consecrationis, quamuis illicitè adhibeatur. Probatur: quia solum accidentaliter differt à uino, quatenus minus perfectum, & defæcatum, & simpliciter bibitur ut uerum uinum: quamuis non ita communiter Videtur etiam id definitum in cap. cũ omne crimen de consecr.dist.2 Vbi dicitur si necesse sit posse botrum exprimi, & aquia misceri, & sanguinem Domini confici, ita D. Th. q. 74. art 5 & expositores communiter Suar. disp.45.sec.1. Auersa quæst.2. de Euchar. sec.5. Card. de Lugo de Euchar. disp.4.sec.1.n.9 cum alijs illicitè tamen adhibetur propter impuritatem, unde secluso casu necessitatis esset pecãtum mortale consecrare mustum, ex cit. DD.

Colligitur idem dicendum de uino impuro & turbido ob eandem rationem, DD.cit.

DVBIVM III.

De vino aqua mixto, vel confecto cum aqua, vtrum sit apta materia consecrationis.

Solet in aliquibus locis fieri uinum cum infusione aquæ in musto, uel in racemis, antequam exprimantur. Quæritur, an ualidè & licitè consecrari possit.

Respondeo distinguendo, si parum aquæ multo musto infundatur, certum est fieri uerum uinum, consequenter ualidè, & licitè cõ-

secrari potest. Probatur: quia est vinum vsuale, & in multis locis vbi prædicto modo solet confici vinum vix aliud reperitur, ita Vasq. disp. 175. supra citata num. 8. Nec alij negant, Si verò infundatur aqua in quantitate notabili, ex circumstantijs iudicandum erit an valeat vel liceat consecratio; videlicet ex vigore vini & proportione aquæ. Si enim illa portio retineat vini substantiam, ita vt dubitari non possit esse verum vinum, erit valida & licita consecratio, quia aqua absorbetur à vino: secus si vinum sit tenue, quia interdum poterit esse materia dubia ad valorem ob periculum corruptionis vini: interdum vero illicita quoad vsum, ob irreuerentiam admixtionis materiæ superfluæ & contra vsum Ecclesiæ, ita Henriq. lib. 8. cap. 12 Filliucius tract. 4 num. 87. Vasq. supra, Auersa q. 2. de Euch. sec 5. Suar. disp 45. sec. 1. qui ait semper esse peccatum mortale in hac materia consecrare propter dubium, & irreuerentiam, sed loquitur de lora de qua est diuersa quæstio, vt patebit ex infra dicendis: quia lora est simpliciter aqua, quoad substantiam, & parum de vino participat.

DVBIVM IV.

De Lora, seu Vappas, an possit ualide consecrari.

Lora fit ex aqua infusa in vinacea, seu vuas iam expressas, quæ secum trahit vini reliquias in vinaceis relictas, colorem & aliquem saporem vini; vulgo dicitur acquarello.

Respondeo, simpliciter, neque licitè, neq; validè posse loram consecrari. Probatur: quia simpliciter non habet vini substantiam, neque potest vocari vinum, vt patet ex Plinio lib. 4: cap. 10. ergo non est apta materia consecrationis, consequenter graue sacrilegium esset eam consecrare: quia non conficitur Sacramentum. Ita Siluest. verbo Euchar. 1. n. 4. Cardinalis de Lugo disp 4. sec. 1. n. 9 Bonac. disp. 4. q. 2. punc. 2. num 7. & DD. communiter dub. præced. citati.

Quod si infundatur aqua in vuas non omnino expressas, & aqua non sit tanta vt superet succum vuarum, esset alia quæstio, de qua diximus dubio præced. de vino confecto cum admixtione aquæ.



DVBIVM V.

An mulsum, seu mellitum consecrari possit.

Mulsum est vinum melle conditum, vel etiam saccharo, butyro, vel alijs aromatibus, & floribus conditum, & decoctum, & fit ad delitias.

Respondeo, & dico primo, non potest consecrari mulsum neque licitè, neque validè. Probatur: quia vt fieri solet per decoctionem mutat speciem, & non est absolutè vinum, saltem non est moraliter vinum, quoad communem vsum. Ita Fagundez præcept. 3 Eccles. lib. 2. cap. 3. Henriquez lib. 8. cap. 12. & communiter.

Confirmatur: quia Sapa, seu mustum coctum communiter excluditur à materia Sacramenti, quia transit moraliter in aliam speciem: ergo à fortiori mulsum.

Dico secundo, si fiat absque decoctione per infusionem vini, quod sæpius colatur linteo aromatibus pleno, & appellari solet Claretum, est materia dubia; vnde graue sacrilegium esset illud consecrare, quia ex vna parte non videtur amittere substantiã vini: Ex alia vero non videtur vinum vsuale propter admixtionem cum alijs succis, Petrus de Ledesma to 1. sum. tract. de Euchar. cap 4. concl. 13. Auersa q. 2. de Euchar. sec. 5. hinc fit, & indicat Suar. disp 45. sec. 1. § Tertio sequitur.

Colligitur vniuersaliter vinum alijs succis imbutum, esse materiam dubiam, & illicitè consecrari: tanta enim potest esse mixtio, vt nullum, aut dubium reddat Sacramentum. Quod si modicum quid alieni liquoris admisceatur erit validum Sacramentum, sed grauiter peccat conficiens propter irreuerentiam, vt in simili diximus de tritico admixto cum granis alienæ materiæ; DD. sup. cit.

DVBIVM VI.

An succus uuarum inclusus in ipsis uuis consecrari possit.

Quæstio est de vuis integris, nondum expressis.

Prima sent. sustinet vuas integras posse validè consecrari, quamuis non licitè. Probatur: quia mustum expressum: & non expressum sunt eiusdem speciei: ergo si expressum potest validè consecrari, idem dicendum de non ex-

expresso, & in vuis inclusso: non est tamen licitum quia id prohibetur in cap. dicimus de consecr. dist. Ita Aliqui apud Riccardum in 4. dist. 11. art. 2. q. 5 ad 3. quam sententiam ipse Riccardus non improbabilem putat.

Communis tamen, & vera sententia absolutè negat, etiam quoad valorem, ita D. Tho. q. 74. ar 5 ad 3. & alij omnes cit. in dubijs præcedentibus. Ratio breuiter est: quia siue succus vuarum ante expressionem differat spe cie a vino siue minimè, certè dum est in eo statu, non est potus sed cibus, non enim dicimur vuam potare, sed manducare: ergo non potest in eo statu validè consecrari. Probatur consequentia: quia ad validam consecrationem requiritur vinum simpliciter potabile, vt patet ex verbis Christi bibite ex hoc omnes, vnde prima opinio non videtur probabilis.

Nec obstat vinum congelatum esse consecrabile vt infra, cum tamen in eo statu non sit potabile. Respondetur enim vinum illud per se quidem esse potabile, quamuis per accidens adsit illud impedimentum, ratione cuius commodè potari non potest, tamen fugendo potari potest; & etiam si comminutū deglutiatur, potius se habet vt potus, quam vt cibus, vnde non soluit ieiunium ecclesiasticum, sicut vua, quæ per se habet rationem cibi.

Aliam rationem afferunt nonnulli, quia succus vuarum non est demonstrabilis per pronomen Hic, quæ tamen non videtur satis probare intentum: vel enim dicunt non esse demonstrabilē tamquam quid potabile, & tunc non affertur noua ratio, sed est eadem cum prima iam explicata: vel dicunt absolutè non esse demonstrabilem, & videtur falsum: quia si quis diceret. Hic est cibus validus, idest succus sub cortice, certè verum diceret de succo, non de cortice, vel semine. Alijs etiam argumentis impugnatur hæc ratio, quæ videri possunt apud Vasq. disp. 175. cap 2.

DVBIVM VII.

An vinum imbibitum in offa panis sit consecrabile.

Circa hoc dubium sunt pugnantes hinc inde sententiæ. Aliquibus affirmantibus, alijs mordicus negantibus, qui videri possunt apud Dianam p. 9. tra 8. resol. 65. & ad vitandam prolixitatem eas omittimus.

Respondeo probabilius mihi videri posse quidem validè consecrari, sed non licitè.

Probatur prima pars: quia vinum intra poros, seu foramina panis adhuc est verum vinū & quasi in vasculis, seu receptaculis, sicut etiā quando est imbibitum in spongia: ergo est sufficiens materia consecrationis. Probatur consequentia: quia si vascula similia fierent ex metallo, vel alia materia non combustibili, quæ haberent similes cauitates, certè valeret consecratio vini, imbibiti in cauitatibus ergo &c.

Nec obstat, quod vinum potius tunc habere videtur rationem comestibilis; quia hoc est per accidens & ratione alterius, non per se: illud enim vinum secundum se est quid potabile. Secus est de vua, quæ secundum se & absolutè est cibus: ita Dicast. de Sacram. tom. 1. tr. 4. disp. 2. dub 5 n. 91 & alij.

DVBIVM VIII.

An vinum congelatum possit validè consecrari.

Prima sententia negat. Probatur primo. Quia vinum dum congelatur, videtur substantialiter mutari: ergo &c.

Secundo, esto retineat vini substantiam, nihilominus in tali dispositione non est materia potabilis: ergo sicut vua integra non est apta consecrationi, ita non est consecrabile vinum congelatum.

Tertio, vinum resolutum in vaporem non est consecrabile: ergo nec induratum in glaciem.

Quarto, Aqua congelata non est idonea ad Baptismum; ergò nec vinum cōgelatum ad Eucharistiam. Hanc sententiam sequuntur Alanus, Armilla, Henriq. Ledesma, Nugnus apud Dianam p. 3. tr 6. resol. 100.

Secunda sententia communis, & probabilior affirmat. Probatur ex principijs oppositis. Primo: quia vinum per congelationem non mutatur substantialiter: ergo non est cur non possit ex hoc capite consecrari. Antecedens probatur: Tum à pari de aqua, oleo, & similibus liquoribus, qui per congelationem non mutantur quoad substantiam; Tum maximè iudicio peritorum, & ex sensu Ecclesiæ: quia si post consecrationem accidat congelatio, adhuc permanet ibi Sanguis Christi, vt planè supponitur in his rubricis de defectibus tit. 10 num. 11. vbi dicitur Inuoluatur Calix pannis calefactis vt assumatur, neque opus esse aliud vinum consecrare, vt malè sentit Alanus supra, & similiter si vinum congelatum liquefiat, potest validè consecrari.

Probatur secundo, Quia vinum congelatum quamuis in actu secundo non sit potabile, id tamen est per accidens, & nihilominus natu-

ra sua est potabile: ergo potest esse materia proxima consecrationis. Probatur consequẽtia: quia hæc non consistit in vsu Sacramenti, sicut aqua in Baptismo; sed est materia ex qua conficitur Sacramentum permanens, quod postea ad vsum reducitur, & possunt facile species liquefieri: ergo ad consecrationem sufficit vinum per se & natura sua potabile. Hanc sententiam sequuntur Angelus, Suar. Sotus, Laiman, Coninch. Siluius, & alij plures apud Dianam supra, & sequitur ipse Diana.

Ad opposita ad primum, & secundum patet ex dictis.

Ad tertium negatur consequentia. Ratio disparitatis est; quia vapor vini non reducitur ad potum, & facilè perdit formam vini rarefactis partibus; Tum quia per aerem dispersus non est demonstrabilis per pronomen Hic.

Ad quartum patet etiam ex dictis, negandam esse consequentiam: quia materia baptismi est ipsa actualis ablutio, cui non est apta aqua congelata. Cæterùm Eucharistiæ materia non est ipsa actualis potatio, sed vinũ per se potabile, ex quo sanguis conficitur.

An autem licitè etiam consecrari possit vinum congelatum, dicemus commodius tit. 10. num 11.

Dubitari insuper potest hic: An sit licitum vinum consecrandum vel datâ opera frigefacere, E g. tempore æstiuo niue admota, vel repefacere hyeme. Respondetur breuiter, hoc secundum se non esse malum, neque prohibitum; vnde ex circumstantijs, præsertim ex fine iudicandum erit An sit illicitum, nec nè. Si enim fiat ad inducendum nouum ritum, facilè culpa esse poterit mortalis; si vero fiat ad gustus delectationem, non excedet culpã venialem. Licitè verò fieret ne hyeme congeletur vinum, aut nè corrumpatur, vel euanescat æstate, ita Tambur. opusc. de sacrif. lib. 2. cap. 4. num. 2. & nos in simili diximus de aqua infundenda in Calicem p. 2. tit. 7 dub. 5. sec. 2.

DVBIVM IX.

An Vinum igne distillatum, vulgo acquauite possit validè consecrari.

Ratio dubitandi est: quia vinum sic distillatum, & in aquam vitæ redactum, nedum non perdit formam substantialem vini, Imo perfectiori modo retinet, & conseruat, vt patet ex eius vigore, & efficacia, est enim flos vini: Item est potabile, ergo est apta materia consecrationis. Nihil ominus.

Respondeo negatiuè. Probatur primo quia probabilius videtur non retinere formam vini, sed transmutari in mixtum nobilius ex causis vniuersalibus, vt contigit in mineralibus, & alijs per alchimiam confectis: ergò non est apta materia consecrationis. Antecedẽs probatur: quia per distillationem dissoluuntur partes substantiales vini extractis partibus igneis, & aereis ab alijs crassioribus, & aqueis, quæ ad vini substantiam pertinent: ergò non remanet idem mixtum, nec eadem forma substantialis Vt patet à simili in distillatione florum, & herbarum.

Probatur secundo, quia quidquid sit An physicè sit vinum, certum est moraliter, & quoad vsum humani potus, nec esse vinum vsuale, quo communiter vti solemus ad bibendum; sed potius est medicamentum & ad alios vsus diuersos destinatum: ergò non est apta materia consecrationis, vt patet à simili de Sapa &c. non inueni DD. hanc quæstionem tractantes, credo tamen neminem sentire oppositum.

Ad rationem dubij patet ex dictis, vinum per distillationem perdere suam formam, & transmutari in aliud mixtum perfectius.

DVBIVM X.

An succus elicitus ex vuis passis sit materia consecrationis.

Negatiuè Respondendum videtur primo quia vuæ passæ differunt specie, saltem morali ab vuis recentibus, nec absolutè denominantur vuæ nec habent eumdem vsum: ergò etiam succus earum specie morali differt à vino, consequenter non est materia consecrationis

Secundo mustum valdè decoctum, quod dicitur Sapa ex communi DD sententia non est apta materia consecrationis: ergò nec succus elicitus ab vuis passis, præsertim si prius aqua elixentur, vt vuæ passæ euadant, quia pariter est succus decoctus igne, & Sole.

Tertio quia non solet elici succus ab vuis passis, nisi prius copia aquæ illis super infusa, sicut fit lora ex aqua vinaceis infusa: sed lora non est apta materia consecrationis, vt supra dictum est; ergò neque succus ex vuis passis elicitus.

Affirmatiuæ tamen sententiæ adhæret Sapientissimus Diana p. 3. tract. 12. resol. 8. cum Amico tom. 7. disp 16. sec. 3.

Probatur primo, quia vinum eò securius, & per-

perfectius vinum est quo exprimitur ex vuis magis purgatis, & maturis: sed vuę passę sunt magis purgatæ ab humore aqueo, & perfectius maturatæ: ergò succus ex illis elicitus nedum est verum vinum, sed perfectius, & generosum.

Probatur secundo, quia fama est, Catholicos in Ethyopia tale vinum de facto consecrare, & ita testatur Fugundez præcept 3. Eccles. lib 2. cap. 3. & certè negari non potest quin Praxis piorum, & Catholicorum sit validum argumentum veræ consecrationis, & ideo hæc sententia sanè intellecta satis probabilis videtur, vt patebit ex solutionibus argumentorũ; Ad maiorem tamen explicationem mihi distinguendum videtur, & media sententia eligenda.

Respondeo, & dico primo, si vua non sit nimis exiccata, neque elixa, vel cocta; sed modicum passa, sicut est vua pensilis diu conseruata, succus ex ea elicitus est apta materia consecrationis. Hanc conclusionem probant Argumenta secundæ sententiæ, nec illi obstát argumenta principio posita.

Dico secundo, succus expressus ex uua passa ualde sicca, uel etiam elixa, præsertim si exprimi non possit nisi copia aquæ super infusa, non uidetur apta materia consecrationis. Probatur argumentis primæ sententiæ.

Ad argumenta secundæ sententiæ, quatenus huic obstant.

Respondetur ad primum maiorem esse veram de vuis maturis, & concoctis virtute plantæ, seu vitis & solis, non autem de maturitate per decoctionem ignis.

Ad secundum respondetur, Praxim illam intelligendam iuxta dicta in prima conclusione.

Ad argumenta primæ sententiæ quatenus obstant primæ concl respondetur ad primum Antecedens esse verum de vuis passis nimis exiccatis, vel decoctis, seu elixis, non vero de vua pensili, vel modicum passa.

Ad secundum respondetur non militare contra nostram primam conclusionem, sed confirmare secundam.

Ad tertium respondetur, si opus sit notabili quantitate aquæ, concedo totum, neque in hoc sensu admittenda est secunda sententia, neque à suis Auctoribus sic defenditur. Si autem modica aqua admisceatur, nihil obstat veræ materiæ consecrationis, vt supra dicebamus de vino confecto cum admistione aquæ:

DVBIVM XI.

An vinum miraculosum immediatè à Deo productum sit apta materia consecrationis.

Ratio dubitandi est: quia materia Calicis est solum vinũ de vite; sed non esset de vite in casu nostro; ergo nec apta materia calicis.

Respondeo, posse validè, & licitè consecrari. Supponimus autem produci à Deo vinum eiusdem naturæ & essentiæ, ac vinum vitis, & discrimen esse tantùm in modo productionis, vt contigit in nuptijs Canæ Galileæ.

Probatur primo, illud vinum est apta materia consecrationis, quod propriè habet talem speciem, qua differt ab alijs liquoribus, qui non sunt vinum, & nonnisi impropriè possunt appellari vinum. Item illud vinum est materia Sacramenti, quod habet proprietates, quibus magis est accomodatum ad significandum effectum huius Sacramenti: Sed vinum miraculosè productum, E g in Nuptijs Canæ Galileæ propriè habet talem speciem, & proprietates æque ac vinum vitis; ergo &c.

Probatur secundò. Quia legitur in Historijs Ecclesiasticis, interdum, fuisse de cęlo ab Angelis allatam materiam vtriusque consecrationis, vtique à Deo immediatè productã ad conficiendum sacrificium, vt in Vita Sancti Clementis refert Ludouicus Granata in Symbolo Fidei p. 2.

Item in Historijs Fratrum Minorum Cappuccinorum, & alijs legitur sæpius à Deo multiplicatum fuisse in dolijs vinum destinatum ad vsum sacrificij: ergo non est dubitandum vinum miraculosum esse materiam aptam Eucharistiæ. Ita docet Henriq. lib. 8. cap 12 quem sequitur Gauantus in has rubricas de defectibus tit. 4. num. 1 Quamuis oppositum sentire videatur Card. de Lugo de Euchar. disp 4. sec. 4 num. 53 Vbi asserit vinum alio modo productum, quàm ex vite: non esse materiam per se consecrationis, vnde aqua infusa calici esto conuertatur in vinum, hoc tamen secundum se & solitariè consideratum, non est materia consecrationis: quia non est vinum de vite, sed alio modo productum, & solum posse esse materiam, quatenus mixtum cum vino de vite ex pars illius poculi. Hæc tamen sententia est contra communem. Posita enim conuersione in verum vinum sentiunt omnes esse materiam per se, & non solum commateriam, sicut est aqua manens aqua secundum pro-

probabilem sententiam nonnullorum, de qua re suo loco diximus.

Ad rationem dubitandi initio positam respondetur solum vinum de vite esse materiam consecrationis specificatiuè, non reduplicatiuè, idest solum vinum illius speciei, quod naturaliter ex vite tantum procedit. Quod si alio modo produci potest vinum eiusdem omnino speciei, & earumdem proprietatum, non est cur excludatur: quod ergo dicitur de vite ponitur vt inditium veri vini, non tanquam conditio sine qua non,

DVBIVM XII.

De casibus, in quibus fit uera consecratio Vini, sed illicite, & cum peccato.

Constat ex supra dictis si vinum cepetit acescere, vel fuerit aliquantulum acre, vel mustum tunc de vuis expressum, confici Sacramentum, sed conficientem grauiter peccare, vt expressè habetur in his rubricis nu. 1. Et similiter si vinum sit impurum, vel turbidum, vel cum admistione alieni liquoris, vel congelatum, vt patet ex dictis.

Difficultas hic præcipuè examinanda est: an si vinum ceperit acescere, & non sit in potestate Sacerdotum aliud vinum apponere; quia superior vel minister ad quem pertinet, tale vinum præcipit apponi vel ob auaritiam, vel quia decipitur: sicut præsertim inter regulares contingere potest, quia subditi non sunt proprij iuris, & monito superiore nihil proficiunt. Quæritur, an Sacerdotes subditi, quibus constat vini defectus, teneantur potius omittere sacrum, ad vitandum peccatũ mortale, vel possint licitè celebrare, ita vt solus superior peccet, qui potest & debet huic vitio occurrere.

Respondeo, & dico primo. Si defectus sit talis, vt dubium sit an illud sit verum vinum, vel potius acetum, non potest licitè Sacerdos celebrare, sed grauiter peccat. Probatur: quia exponere sacrificium periculo irritationis, est intrinsecè malum; & patet ex dictis tit. præc. de defectu panis sec. 2. dub. 5.

Dico secundo, si certum sit esse verum vinum, sed aliquantulum acidum, vel acre, & vrgeat necessitas celebrandi, seu non possit Sacerdos absque nota omittere sacrum: vt inter regulares contingit, qui secundum regulã celebrare tenentur, nec est in eorum potestate aliud vinum habere, non peccant subditi eo vino vtentes ad vsum sacrificij. Probatur: quia cùm defectus sit leuis, nec obstans valori sacrificij, non tenetur Sacerdos cum notabili incommodo illud vitare & quamuis sit contra reuerentiam sacrificij, ea tamen irreuerentia non imputatur ipsi celebranti, sed Superiori vel Ministro, qui est causa voluntaria illius, ita Coninch q. 74. n. 122. Vbi ait peccat consecrãs vinum acescens; secus esset quando non esset notabiliter acidum, & esset aliqua necessitas tali vino vtendi, consonat Fagundez præcep. 3. lib. 2. cap. 3. num. 3. & patet ex dictis q. Proœmiali sec 3. de omissione rituum punc. 7. vide ibi dicta.

Colligitur. Idem à fortiori dicendum de celebratione cum vestibus, vel vasis immundis, non ex propria culpa Sacerdotis, ita Layman. lib. 5. tract. 5. cap. 6. num. 15. qui sic ait, Sacerdos subditus si superiorem vt vasa mundari curet admonuerit, nihilque effecerit excusatur propter sacrificandi necessitatem, consonat Tambur. Opusc. de sacrif. lib. 1. cap. 3. §. 1. num. 1.

DVBIVM XIII.

De modo supplendi defectus circa materiam vini occurrentes.

Respondeo defectus occurrentes circa hanc materiam calicis eodem modo supplendos esse, ac similes in materia panis, de quibus diximus tit. præcedenti sec. 2. Et patet etiam ex rubricis de defectu uini, quas in litera explicauimus; Breuiter præcipua hic indicabimus.

Primo, si Sacerdos defectum uini aduertat ante consecrationem corporis, & non possit haberi uerum uinum, omittendum est sacrificium ut diximus tit. preced sec. 2. dub. 1. Si autem hoc aduertat post consecrationem corporis, tenetur Sacerdos omnibus modis procurare; ut afferatur aliud uinum, quod si haberi non possit prosequendum erit sacrificium, ut ibidem explicauimus.

Secundo, si percipiatur defectus uini post sumptionem corporis, uel etiam aquæ loco uini appositæ, tenetur Sacerdos consecrare nouum uinum, non autem aliam hostiam, ex dictis supra tit. 3 sec. 2. dub. 2.

Tertio, si Sacerdos moneatur de hoc defectu post notabile spatium, & absoluto iam sacro, nihil est supplendum, ex dictis dicta sec. 2 dub. 3. Quid uerò Agendum si defectus sit dubius, diximus ibid. dub 5.

Tandem difficultas peculiaris circa uini defectum est, quid si Sacerdos errorem deprehendat, uidelicet se loco uini pósuisse aquam

in

in calicem, vel acetum, quid inquam si hoc aduertat in ipso actu sumptionis, quando illum liquorem in ore habet, sed non dum traiecit; an possit deglutire, & deindè nouum vinum consecrare: vel debeat proijcere in aliquod vas, vt possit deindè ieiunus sumere sanguinem consecrandum. Ratio dubitandi est: quia tenetur vitare fractionem ieiunij, quantum fieri potest ante sumptionem corporis, & sanguinis Christi: sed potest vitare in casu nostro expuendo, & proijciendo illum liquorem antequam traijciat: ergo tenetur, & ita tenent Angelus, Syluest. & alij apud Suar. loco citando.

Respondeo posse aquam illam, vel acetum deglutire, & postea verum vinum consecrare, & sumere, Ratio est: quia tunc non potest moraliter fractionem ieiunij euitare: ergò non tenetur, nec illi imputatur quod postea sumat sanguinem non ieiunus. Antecedens probatur: Tum quia difficile est in eo casu nihil traijcere, tum quia est indecens, præsertim intra Calicem proijcere, vel expuere, tum denique quia potest subesse periculum eijciendi aliquod fragmentum hostiæ assumptæ, ita Suar disp. 85. sec. 1 Coninh de Sacram. q. 83. art. 6. n. 280 Auersa de Euchar q. 8. sec 9. initio, & cõmuniter.

DVBIVM XIV.

Vtrum vino consecrando debeat misceri aqua, & qualiter.

De hac admixtione, deque eius circumstantijs dictum est abundè in 2. p tit. 7. in dub sec. 2. videri possunt ibi dicta.

TITVLVS V.

DE DEFECTV FORMAE.

1 Defectus ex parte formæ possunt contingere, si aliquid desit ex ijs quæ ad integritatem verborum in ipsa consecratione requiruntur. Verba autem consecrationis, quæ sunt forma huius Sacramenti, sunt hæc: Hoc est enim corpus meum, & Hic est enim Calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Si quis autem aliquid diminueret, vel immutaret de forma consecrationis Corporis, & Sanguinis, & in ipsa verborum immutatione verba idem non significarent, non conficeret Sacramentum. Si verò aliquid adderet quod significationem non mutaret, conficeret quidem, sed grauissimæ peccaret.

EXPLICATIO LITERALIS.

Forma Sacramenti Eucharistiæ consistit in verbis consecrationis à Christo Domino institutis, quæ in hac rubrica referuntur: cum autem essentia, & anima verborum in significatione consistat: quandò fit mutatio in alia verba quæ idem nõ significant, non conficitur Sacramentũ: quia mutata significatione mutatur essentia formæ, & non profertur ea quæ est instituta à Christo, In qua est vis, & efficacia conficiendi Sacramentum, sed alia ex proprio arbitrio, quæ nullam vim habet, & ideo non conficitur Sacramentum. Quod si ponerentur aliâ verba synonima, & eiusdem significationis, conficeretur quidem Sacramentũ: quia verba formaliter sunt eadem, & mutatio solum est materialis, & accidentalis, sed peccaret grauissimè Sacerdos: quia est ingens temeritas in re tam sacra Ecclesiæ ritum variare contra grauem præceptum eiusdem Ecclesiæ: quæ omnia docet D. Thom. 3 p. q. 60. art. 8. & cum eo omnes DD. communiter. Quæ autem immutatio censenda sit essentialis, seu substantialis in particulari, quæ verò solum accidentalis, in dubijs conscientiæ explicabimus.

Si

2 Si celebrans non recordetur se dixisse ea quæ in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certò ei constet, se omisisse aliquid eorum quæ sunt de necessitate Sacramenti, id est, formam consecrationis; seu partem, resumat ipsam formam, & cetera prosequatur per ordinem. Si vero valdè probabiliter dubitat se aliquid essentiale omisisse, iteret formam saltem sub tacita conditione. Si autem non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat: sed procedat vlterius.

Ex cò precisè quòd Sacerdos non recordatur se dixisse quæ necessaria sunt ad consecrationem, nihil repetere tenetur, sed potest tuto prosequi eas partes ad quas peruenerat, vt expresse docet D. Thom 3.p. quæst. 84 art. 6. ad 5. vbi rationem reddit, quia qui multa dicit, non recolit omnium quæ dixit, nisi fortè in ipsa actione per actum reflexum consideret ea quæ dixit, aliàs præterita actio facillimè e memoria labitur Si tamen Sacerdoti certò constet se aliquid necessarium omisisse, debet resumere ipsam formam, sicuti docet idem D.Thom loco citato, nè Sacrificium,& Sacramentum sit irritum. Vndè autem debeat resumere patet ex rubrica de materia duplici tit. precedenti, idest forma consecrationis panis resumenda est ab illis verbis, Qui Pridie, &c. Et forma consecrationis vini ab illis verbis, Simili modo. Eadem enim est ratio ex D.Thom. supra, ex cuius doctrina communiter desumptæ sunt huiusmodi Regulę de Defectibus. Tertiò si Sacerdos valdè probabiliter dubitet se aliquid essentiale omisisse iteret formam sub conditione. Quid sit autē valdè probabiliter dubitare? Respondetur id contingere, quando ex aliqua positiua ratione & non leui fundamento oritur motiuum dubitandi, E g. quia interruptus fuit ordo verborum magno aliquo strepitu facto in Ecclesia, vel simili casu turbatus est Sacerdos: debet autem esse valdè probabilis ratio dubitandi, quæ non sinat deponere dubium rationabiliter: tunc autem repetenda est forma non absolutè sed sub conditione, saltem mente retenta; quia sic suppletur defectus, nè Sacramentum sit irritum, & vitatur periculum iterandi consecrationem super materiam consecratam, Vide Suar. disp.81. sect 1. & Nos fusius dicemus in dubijs conscientiæ sect.2. Tandem si ea quę omissa sunt,& à fortiori, de quibus est dubium, an sint omissa, non sunt de necessitate Sacramenti, nihil est repetendum; quia non debet immutari ordo Sacrificij propter accidentalia, vndè melius est prosequi, vt docet D. Thom. art.6. citato ad 5.

DVBIA CONSCIENTIAE

SECTIO I.

De Pertinentibus ad essentiam & significationem formæ consecrationis.

DVBIVM. I.

De Essentia consecrationis panis, in quibus verbis consistat.

Respondeo. Forma consecrationis panis qua ex pane conficitur corpus Christi, consistere in his quatuor verbis, Hoc est corpus meum. Ita D.Thom 3.p. quæst.78 art.1. & 2. & alij DD communiter.

Probatur: nam illa est forma huius Sacramenti, quam Christus instituit, & qua ipsemet consecrauit, vt definit Concil. Flor. sed Christus illis verbis consecrauit, & præcepit vt Apostoli, & successores consecrarent, vt constat ex Euangelistis, & ex Apost. 1. ad Corinth. 11. et ex perpetua Ecclesiæ traditione, et praxi: ergò, etc.

Suadet etiam ratio: quia hæc sola verba significant veritatem huius mysterij, videlicet præsentiam Christi, et conuersionem panis in corpus Christi: ergò hęc sola verba sunt necessaria, et sufficiunt ad essentiam huius formæ quæ essentialiter in significatione consistit.

Colligitur primò: verba præcedentia videlicet, Qui Pridie quàm pateretur, &c. non esse de necessitate consecrationis, aut eius valoris, vt contra Scotum docet D.Thom supra & communiter Alij DD. quia non sunt necessaria ad significationem conuersionis panis in corpus Christi. Nec obstat ratio Scoti in 4. dist.8. quæst 2 art 2. quia non præmissis illis verbis, non significatur sufficienter verba consecrationis proferri in persona Christi, nec illud pronomen Meum referretur ad corpus Christi

Christi, sed potius ad corpus Sacerdotis loquentis. Respondetur enim, vt minister loquatur in persona Christi satis esse intentionem ipsius ministri loquentis in persona Christi: sicut in Tragedia E G. non est opus, vt repræsentās Regem dicat in actu signato ego loquor in persona Regis, sed absolutè proferr verba Regis in actu exercito.

Colligitur secundo particulam Enim non pertinere ad essentiam formæ, neque ad Sacramenti necessitatem; sed solum ex necessitate præcepti proferri debet: quandoquidem fine ea veritas, & presentia corporis Christi plenè significatur: sicut enim illa verba Accipite, & manducate, non pertinent ad essentiam formæ, cùm solum contineant præceptum Apostolis impositum circa sumptionem Sacramenti; ita nec particula Enim, qua redditur causa eiusdem præcepti, Accipite, &c Ita Coninch quæst.78. num 37 Suar.disp.59. sect. 1. Layman lib.5. tract.4. cap.3. num.2. et alij communiter.

DVBIVM II.

De Essentia Consecrationis Calicis, in quibus verbis consistat.

Certum est apud omnes verba simpliciter necessaria ad essentiam, & valorem huius formæ esse saltē hæc, hic est Calix sanguinis mei vel Hic est Sanguis meus; quia sunt verba instituta á Christo in hunc finem, & ad significationem huius misterij absolutè necessaria, vt patet ex dictis de forma Cōsecrationis panis.

Difficultas inter Catholicos est, An etiam illa verba quæ adijciuntur, Videlicet, Noui, & æterni testamenti cum sequentibus, vsque ad Remissionem peccatorum, an inquam sint essentialia, & necessaria ad valorem consecrationis.

Prima sententia simpliciter affirmat, ita D Thom. 3.p. quæst.78 art.7. & communiter Thomistæ, præsertim antiquiores, quos refert Suar. disp.60. sect. 1.

Probatur primo. Quia Sacerdos ex præscripto Ecclesiæ eodem ritu tenens in manibus Calicem hæc omnia verba profert, & omnia similibus charecteribus maiusculis notantur in Missali: ergò signum est omnia pariter ad essentiam formæ pertinere.

Probatur secundò. Quia in Concil. Flor. Decreto de Sacramentis, & in cap. Cùm Marthæ de Celebr. Missar. illa omnia verba ponuntur pro forma, ergò, &c.

Probatur tertio. Quia si illa verba non sunt necessaria, non apparet cur magis in consecratione Calicis explicetur effusio sanguinis, quàm in consecratione corporis.

Secunda sententia recentiorum Thomistarū sustinet, illa verba non esse quidem de essentia formæ, esse tamen de integritate substantiali eiusdem, sicut digitus non est de essentia hominis, est tamen de substantia, & integritate eiusdem; sicut etiam ly Ego, & ly A peccatis tuis in forma absolutionis; quia non requiruntur necessariò ad conficiendum Sacramentum; quando tamen dicuntur verè concurrunt, Ita Soto, Ledesma, & alij apud Suar. supra § Quinta ergò opinio; quibus ex parte accedit Cardinalis de Lugo de Euchar. disp. 11. sect.4 num.89. ob rationes primæ sententiæ.

Tertia sententia communis, & probabilior docet, prædicta verba Noui, & æterni testamenti, &c. non esse de essentia consecrationis, neque de integritate substantiali eiusdem, sed solùm de necessitate præcepti; itaque essentialis forma verborum, quibus sanguis Christi conficitur, in his solis verbis consistit, Hic est Calix sanguinis mei.

Probatur: quia hæc sola verba sufficienter, & plene significant conuersionem vini in sanguinem Christi, eiusque realem præsentiam: ergò hæc sola verba pertinent ad essentiam, & substantiam formæ; reliqua verò accidentaliē adijciuntur. Probatur consequentia ex Trid. sect.13. cap 4 vbi conuersionem vini in sanguinem colligit ex significatione, & veritate verborum Christi; sed hæc verba, Hic est sanguis meus antecedenter ad verba sequentia significant presentiam sanguinis, et consequenter efficiunt, antequam alia verba proferantur, ergò alia verba accidentaliter adijciuntur.

Confirmatur: quia neque apud Euangelistas, neque in Liturgijs Græcorum, Ethiopum etc. verba illa Aeterni et Mysterium fidei reperiuntur; non est autem credibile Euangelistas non tradidisse omnia verba essentialia consecrationis, aut Græcos, et Aethiopes Catholicos inualidè consecrare, et hoc tolerari à Sede Apostolica Romana: Ita cum Magistro in 4. dist.8. docet D.Bonau. Gabriel, et alij, Bellarm Valentia, Suar. Vasq et alij innumeri, quos citat, et sequitur Layman lib 5. tract.4. cap.3 et Auersa de Euchar. quæst.4. sect.3.

Ad opposita Respondetur ad primum negando consequentiam; siquidem particula Enim, etiam notatur literis maiusculis, et eodem ritu profertur, licèt non sit essentialis: quare autem sic proferantur, et describantur Ratio est quia pertinent ad eandem orationē, seu propositionem à Christo prolatam, & continent mysteria sacratissima.

Ad secundum Respondetur Poni pro forma

ma, non tamquam partes essentiales, sed accidentales, quod ex significatione colligitur.

Ad tertium Respondetur Rationem illius additionis esse quia magis aptus est sanguis. effusus ad repræsentandam passionem, quam corpus.

Colligitur primo esse nihilominus graue peccatum mortale aliquod illorum verborum, voluntariè omittere, de quibus est controuersia. Tum contra graue præceptum Ecclesiæ; Tum quia cùm opposita sententia sit probabilis, omittens aliquod ex illis verbis exponit se aliquali periculo non consecrandi, Ità Suar. disp 4. quæst.3. punct.2. Fagundez Præcepto 3. lib.2. cap 7. num.3. et alij communiter.

Colligitur secundò non debere consecrantem habere intentionem consecrandi illis solis verbis, Hic est Calix Sanguinis mei, quæ tantum diximus ex communi sententia pertinere ad essentiam formæ; quia opinio D.Tho. est etiam probabilis. Item non debere habere intentionem proferendi alia, tanquam essentialia: quia vtrumque est sub opinione: sed intentio debet esse generalis faciendi, quod facit Ecclesia, & quòd Christus instituit: sic enim nulli periculo se exponit; Ità Valentia tom.4. disp 6 quæst 6 punc.1. Henriquez lib.8. cap.17. num 4. Filliuccius tract 4. num 115. & alij.

Colligitur tertiò verba præcedentia. Simili modo postquam cenatum, &c. non pertinere ad essentiam, neque ad valorem consecrationis; nec particulam Enim, eiusdem formæ, vt docent communiter, & constat ex dictis de forma consecrationis panis. Tandem nec pertinere ad essentiam verba sequentia, Hæc quotiescumque feceritis, &c. quia solùm continent præceptum, & potestatem consecrandi, DD. citati communiter.

DVBIVM III.

Quisnam sit verus, & proprius sensus verborum vtriusque consecrationis.

Ratio dubitandi præcipuè est circa significationem pronominis Hoc in forma consecrationis panis, & pronominis Hic in in consecratione Calicis; & Difficultas est quia vel tale pronomen demonstrat aliquid, quod est tunc quando profertur illa particula, & sic propositio in fine erit falsa; quia tunc est panis, & de pane non verificatur quod sit corpus Christi: Item panis desinit esse in fine pro positionis. Vel secundò demonstrat aliquid quod tunc non est, sed erit in fine, & sic erit etiam falsa propositio: quia signum demonstratiuum ex vi sua dicit rem tunc præsentem, quando profertur: & propositio affirmatiua de subiecto non supponente est falsa.

Respondeo duplici modo probabilius explicari sensum verborum vtriusque formæ.

Primus est huiusmodi, videlicet pronomen Hoc sumi adiectiuè non substantiuè; nec aliquid continere ex parte subiecti præter se ipsum, & demonstrare prædicatum, nempè corpus Christ, pro vt in fine prolationis est præsens accidentibus panis; itaque sensus est, Hoc quod significatur præsens his accidentibus est corpus meum: idemque seruata proportione dicendum de consecratione Calicis.

Probatur primo. hic modus explicandi: quia in propositionibus practicis, & effectiuis subiectum si sit pronomen demonstratiuum, refertur immediatè ad prædicatum, seù demonstrat prædicatum, E.g. si quis describendo circulum, dicat Hic est circulus: Verba autem consecrationis sunt effectiua.

Probatur secundo ex ipso tenore verborum, quo pronomina conueniunt cum prædicatis genere, numero, & casu, quod propriè seruatur in adiectiuis.

Neque ex dictis sequitur propositionē esse identicam: nam in subiecto confusè tantum significatur, quod in prædicato ponitur distinctè sic explicant Maior. Maldonatus, & alij, quos sequitur Vasquez disp.202. cap.4. Filliuccius tract.4.n.102.

Nihilominus præferri debet, & vt aptior admitti secundus modus explicandi D.Thom. 3.p. quæst.78. art 5 quem sequuntur communiter; ly Hoc sumi substantiuè pro eo, quod continetur confusè sub accidentibus, seù speciebus, pro vt est quid commune tam panis, quàm corpori Christi, idest indiuiduum vagum entis, vel substantiæ determinandum per prædicatum in fine prolationis, & interim significatio manet suspensa: est ergo sensus, Id quod continetur sub his accidentibus, Est corpus meum.

Probatur: quia si sumatur adiectiuè, vt immediatè significat corpus Christi, esset propositio identica, & nugatoria, vel parum apta: ergò, &c.

Quamuis autem D.Thom. loquatur de consecratione panis, pariter dicendum est, etiam pronomen Hic in forma Calicis sumi posse substantiuè, idest hæc res, seù substantia contenta in Calice est sanguis, &c. quod si sumatur adiectiuè subintelligitur, hic liquor, hic potus est sanguis, seù Calix sanguinis mei: Vide Suar. disp.58. sect. 3.

Ad ra-

Ad rationem dubitandi Respondetur ly Hoc posse sumi dupliciter, vel pro indiuiduo determinato, & tunc significat rem præsentem quando illa vox profertur: vel pro indiuiduo indeterminato, & tunc significat rem presentem, non tunc precisè, sed quando determinatur per prædicatum, & ipsa significatione efficitur: vt in exemplo posito de conficiente circulum, & simul dicente Hic est circulus: Non est ergo propositio de subiecto non supponente, sed [illegible] supponente pro indiuiduo vago sub certis, & determinatis accidentibus, quæ tunc sunt quando pronomen Hoc profertur, quod sufficit ad veram demonstrationem, etiam ad sensum, & vt propositio cadat super materiam sensibilem.

Ex dictis patet verus sensus etiam consecrationis Calicis quoad verba essentialia. Quo ad alia verò quæ eidem formæ adnectuntur, Dicendum est aptissimè addi ad magis explicandam vim, & efficaciam sanguinis Christi. Illis ergo verbis, Noui, & æterni testamenti significatur legem Euangelicam, quæ est nouum testamentum confirmatam esse Christi sanguine, Ex Apost. ad Hebr. 9. quod testamentum dicitur æternum, ob æternam hæreditatem, quæ nobis eò promittitur: testamentum enim est dispositio hæreditatis: & quia vsque in finem Mundi non est immutandum, ad differentiam veteris testamenti, quod erat temporale, & aliquando mutandum.

Dicitur secundo: Mysterium fidei: quia Mysterium nostræ redemptionis, quod in sanguine proponitur, nec sensu nec intellectu possumus naturaliter deprehendere, sed sola fide debemus credere.

Dicitur tertio. Qui pro vobis, & pro multis effundetur, &c. quia Christi sanguis non solùm pro illis, qui erant præsentes in Cœna, aut pro Iudeis; sed pro omnibus omninò hominibus effundendum erat. Aut si ea verba referantur ad libationem, & effectum sacrificij incruenti, sic significatur hoc sacrificium, non tantum prodesse presentibus; sed etiam alijs fidelibus, Vide D. Tho. quæst. 78. art. 3.

DVBIVM IV.

Quænam verborum omissio, additio, & mutatio in his formis sit contra earum substantiam, & qualiter sint prohibita.

Respondetur de his fusè à nobis dictum fuisse in quæstione Proœmiali, nempè de omissione, & de peccatis quæ in ea contingunt sect. 3. punct. 4. De additione sect. 4. punct. 1. De mutatione sect. 5. punct. 1. Videri possunt ibi dicta.

DVBIVM V.

Vtrum forma Consecrationis sit de essentia Sacramenti Eucharistiæ.

Certum est de fide formam consecrationis esse de necessitate huius Sacramenti, quod non nisi verbis consecrationis conficitur, quibus fit admirabilis transubstantiatio panis in corpus Christi, & vini in sanguinem, vt patet ex Concilio Florentino in decreto vnionis, & Tridentino sessione decima tertia capite quarto, & Canone quarto, & docet Diuus Thomas quæstione septuagesima octaua, articulo primo & sequentibus, et docent Patres, et Doctores omnes. Difficultas consistit in eo, vtrum verba consecrationis sint forma intrinseca, et essentialiter constitutiua Sacramenti, vel solùm causa extrinseca efficiens Sacramentum.

Prima sententia sustinet, Verba consecrationis non esse formam constitutiuam Eucharistiæ, nec formaliter includi in Sacramento: sed esse causam efficientem, seu actionem, qua conficitur Sacramentum.

Probatur: quia Sacramentum Eucharistiæ est quid permanens, et diù conseruatur post consecrationem: ergo non potest intrinsece constitui per verba consecrationis, quæ statim desinunt. Neque enim potest dari constitutum absque suo essentiali constitutiuo; hoc ergò Sacramentum constituitur ex speciebus panis, et corpore Christi, quæ permanent, non ex forma transeunte. Ità Scotus, Gabriel, Ledesma, Victoria, et alij, quos refert Suarez disputatione quadragesima secunda, sectione secunda, et defendunt Vasquez disputatione centum sexaginta septem, Coninch quæstione sexaginta, articulo sexto, dubio vnico, et alij.

Secunda sententia probabilior, docet verba consecrationis intrinsecè constituere Sacramentum Eucharistiæ, quatenus sacramentaliter informant species consecratas, et cum illis moraliter coniunguntur.

Probatur primò, quia Sacramenta nouæ legis constant rebus, tanquam materia, & ver-

bis tanquam forma, vt patet ex Concil. Flor. in Decreto vnionis, & docet D.Thom. qu.60. art. 6. & communiter DD. nec excipiunt ab hac regula Sacramentum Eucharistiæ: ergo sicut in alijs Sacramentis, verba sunt forma essentialis intrinseca, & constitutiua, ita pariter in hoc Sacramento.

Probatur secundo: quia species solæ non sunt sufficienter signum sensibile Christi, & consequenter nec gratiæ: si quidem sunt quid indeterminatum, sunt ergo signum Christi, & gratiæ prout consecratæ & informatæ verbis consecrationis. ergo verba consecrationis verè sunt de essentia Sacramenti, ita Marsilius, & alij, quos citant, & sequuntur Card. de Lugo de Euchar. disp.1. sec.4. Auersa de Euchar. q.1. sect. 8.

Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur verba consecrationis quamuis physicè non permaneant, permanere tamen moraliter, quamdiu durant species consecratæ: tandiu enim durat significatio verborum. Siquidem species non significant sensibiliter Christum, & consequenter gratiam, quæ datur per Christum in hoc Sacramento, non inquam significant, nisi pro vt consecratæ sunt, ac subinde quatenus moraliter substant verbis consecrationis, quæ præcesserant: nec in his compositis moralibus maior vnitas, vel propinquitas requirenda.

Confirmatur: quia in Sacramento Pœnitentiæ, quando datur absolutio præcessit confessio, & physicè non est: ergo non requiritur coëxistentia physica ambarum partium, sed sufficit moralis.

Dicetis: saltem requiri coëxistentiam moralem, vt non sit nimia distantia temporis inter materiam, & formam: Vnde in Baptismo, si post ablutionem per notabile spatium differatur prolatio formæ, Baptismus non est validus: quia non coniungitur moraliter materia cum forma. Respondetur hoc pendere ex varia natura sacramentorum: in Baptismo maior propinquitas, & coniunctio requiritur; quia forma significat actualem ablutionem, vnde perit significatio per notabilem interruptionem. Cæterum in Eucharistia significatio formæ permanet quamdiu species durant: ergo tamdiu moraliter permanet forma, ad quam dicunt habitudinem species consecratæ: totum hoc ergo pendet ex significatione formæ.

Colligitur primo, essentiam Eucharistiæ nō consistere in sola forma consecrationis: quia Sacramenta constant nedum ex forma; sed etiam ex materia; DD. supra cit.

Colligitur secundo, neque totam essentiam Eucharistiæ consistere in solis speciebus consecratis: quia eædem species realiter erant ante consecrationem, & non erant Sacramentum. Item sola materia absque forma non est integrum Sacramentum. Quod si dicas species prout consecratas esse totum Sacramentum, iam reduplicas formam consecrationis: quia non sunt consecratæ, nisi quatenus substant verbis consecrationis. Deinde nec sunt totum Sacramentum vt mox dicemus.

Colligitur tertio, neque saluari essentiam Eucharistiæ in speciebus, & verbis consecrationis excludendo ab essentia Eucharistiæ præsentiam Christi: quia species, & verba præscindendo à præsentia Christi, non sunt signū gratiæ sanctificantis animā, quod requiritur ad essentiam Sacramenti; signum autem gratiæ, seu virtus conferendi gratiam in hoc Sacramento est solus Christus realiter præsens: ergò realis præsentia Christi maximè constituit essentiam huius Sacramenti; quamuis nō sola, vt dicemus contra aliquos, qui dicunt esse totum Sacramenti, non Sacramentum.

Colligitur quarto. Essentiam huius Sacramenti non consistere adæquatè in sola præsentiā Christi. Probatur: quia de ratione Sacramenti est, vt sit sensibile signum, sola autem præsentia Christi non est per se sensibilis. Item Christus continetur in hoc Sacramento: ergo oportet assignare id, in quo contineatur.

Colligitur quinto, essentiam Eucharistiæ adæquatè consistere simul in speciebus, verbis & præsentia Christi. Probatur; quia de ratione Sacramenti sunt materia, forma, & virtus collatiua gratiæ; in hoc autem Sacramento species sunt materia, verba sunt forma, & Christus hic se habet vt virtus collatiua gratiæ, vt apertè docet D. Thom. 3.p.q.73. art.1. ad 2. in quo hoc admirabile Sacramentum longè supereminet alijs: nam in alijs vis collatiua gratiæ, est quid creatum physicum, vel morale, & instrumentum principalis virtutis, quæ residet in Christo; in hoc Sacramento voluit ipsemet Christus præsens realiter adesse in solatium animarum, vt spiritualis dulcedo in suo fonte gustaretur.

Colligitur sexto, Eucharistiam ex dictis posse definiri hoc modo; Est Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini consecratis ad spiritualem animarum refectionem diuinitus institutum.

DV-

DVBIVM VI.

An verba consecrationis proferantur à Sacerdote materialiter seu recitatiuè, uel formaliter, & enuntiatiuè.

PRæmittendum: tunc proferri verba recitatiuè, & materialiter tantùm, quando referuntur tamquam ab alio dicta, vt communiter fit ab historicis, nec loquens intendit ipse aliquid affirmare, vel negare. E contra enuntiatiuè, & formaliter proferuntur verba, quando per verba ipse loquens intendit aliquid affirmare, vel negare. Hoc posito.

Prima sententia sustinet verba consecrationis recitatiuè tantum, & materialiter proferri à Sacerdote, non enuntiatiuè.

Probatur prima pars; quia verba antecedētia, Accipite & manducate, Accipite, & bibite, recitatiuè solum proferuntur à Sacerdote, vt patet ex contextu. Qui pridie quam pateretur &c. Quibus historicè refert quæ Christus gessit, & dixit: ergo etiam verba ipsa consecrationis, quæ similiter referuntur vt dicta à Christo. Probatur consequentia: quia etiam verba consecrationis reguntur ex participio Dicens, est enim sensus, Christus accepit panem, & præcepit Discipulis vt manducarent dicens, Hoc est Corpus &c. manifestum est ergò verba consecrationis dici recitatiuè à Sacerdote. Quod autem non dicantur enuntiatiuè.

Probatur: quia pugnare videntur hi duo modi proferendi ad inuicem: aliud est enim referre verba prout ab alio dicta: Aliud verò intendere certam significationem tanquam proprijs suis verbis, ita Maior, Durandus, Catherinus, quos citat, & sequitur Salmeron. com. 9. in Euang. tract. 13. Nec sequitur inquinur Sacerdotem non consecrare: quia sicut potuit Christus communicare virtutem consecrandi verbis etiam nihil significantibus, potuit etiam communicare prædictis verbis recitatiuè solum prolatis.

Secunda sententia extremè opposita sustinet verba consecrationis proferri tantū enuntiatiuè à Sacerdote, non autem recitatiuè, quòd proferantur enunciatiuè, Probatur: quia Sacerdos loquens in persona Christi, serio affirmat rem illam, quam ipsemet Sacerdos manibus tenet esse Corpus Christi: ergo enuntiatiuè profert. Patet consequentia ex dictis; qui enim intendit suis verbis aliquid affirmare, enunciatiuè ea profert.

Confirmatur primo: quia si tantum recitatiuè proferret, non requireretur materia præsens: quia non cadorent verba super materiam præsentem, sed super illam quam Christus tunc in vltima cœna habebat in manibus; sed, hoc est falsum; certum est enim requiri omnino materiam præsentem, super quam cadunt verba consecrationis, & de qua affirmat Sacerdos eam conuerti in Corpus Christi: ergo verba consecrationis proferuntur enuntiatiuè.

Confirmatur secundo, quia in virtute huius affirmationis fit Christus præsens accidentibus illius materiæ, quæ præsens est Sacerdoti: ergo negari non potest quin Sacerdos verè hoc affirmet. Probatur antecedens: quia verba consecrationis ideo efficiunt & causant suum effectum, quia significant: sed causant Christi præsentiam; ergo eam significant; ergo proferuntur significatiuè, seu enuntiatiuè. Quod autem non proferantur simul recitatiuè probatur eodem argumēto suprà relato: quia hi duo modi videntur pugnare ad inuicem, ita D. Bonau. Marsilius, Gabriel, & alij, quos sequitur Vasq. 3. p. disp. 200. cap. 2.

Communis tamen & vera sententia docet, proferri vtroque modo recitatiuè & significatiuè, ita D Tho. 3. p. q. 78. art. 5. quem sequuntur communiter Nugnus, Bellarm. Valentia, Suar. & alij apud Bonac. disp. 4 qu. 3. punc. 3. Probatur argumentis vtriusque sententiæ relatæ, quatenus prima sententia euidenter probat pronuntiari recitatiue, & secunda pronuntiari enunciatiue; ergo vtroque modo proferuntur à Sacerdote; quia rationes pro vtraq; parte sunt conuincentes. Superest probandum posse vtroque modo proferri, & nullam esse in hoc repugnantiam, in quo discrepamus à prædictis sententijs. Probatur ergo: potest E. g. Discipulus sentire, & affirmare quod dixit Magister, rursus potest illud asserere ijsdem verbis, quibus à Magistro illud affirmatum fuit; ergo potest referendo verba magistri simul idipsum ipse asserere, E. g Magister dixit, & ego dico cœlum est incorruptibile: ergo non repugnat eadem verba simul recitatiue, & enunciatiue proferre. Et quamuis Sacerdos in casu nostro in actu signato non exprimat se affirmare circa materiam præsentem id quod Christus dixit circa materiam, quam tunc habebat in manibus, id tamen exprimit in actu exercito intendens nomine Christi, & in persona Christi idem facere & dicere, quod ipse Christus tunc fecit & dixit. Ex quibus patet ad fundamentum vtriusque extremæ sententiæ, quatenus nostræ contradicit.

Colligitur primo, Sacerdotem in tantum conficere Sacramentum conuertendo panem in

in corpus Christi, in quantũ profert verba cõsecrationis formaliter & significatiue, & non in quantum recitatiue refert; quia verba efficiunt, quod significant, & ex vi significationis efficiunt ita DD. citati pro secunda, & tertia sententia.

Colligitur secundo, Si Sacerdos adhærens primæ sententiæ intenderet proferre verba consecrationis recitatiue tantum, Nihilominus adhuc consecraret ob generalem intentionem faciendi quod Christus instituit, in qua virtualiter includitur intentio proferendi formaliter, & enunciatiue. Quod si expresse excluderet prolationem formalem & significatiuam, etiam si necessaria esset ex institutione Christi, vere non consecraret, vel manifesto periculo se exponeret non consecrandi, & graue sacrilegium committeret, ita Suar. & alij cit. pro tertia sententia.

DVBIVM VII.

A quo proferri debeant verba consecrationis, vt sint efficacia.

Respondeo certum esse de fide, non posse efficaciter proferri nisi à Sacerdote legitime ordinato. Patet ex dictis Tit. 1. huius tertiæ partis sec. 2. dub. 1. vbi dub. 2. ostendimus neque Angelos habere hanc potestatem consecrandi de lege ordinaria.

Difficultas primo est, an saltem in casu necessitatis, vel ex dispensatione Summi Pontificis possit ab alio, quam à Sacerdote confici Sacramentum Eucharistię.

Respondeo negatiue, quod est certum de fide; quia Concilia definiunt Sacerdotem nedum esse ministrum ordinarium consecrationis, sed etiam necessarium iure diuino, in quo non potest Summus Pontifex dispensare. Vide Suar. disp. 61 sec 3. to. 3. in 3 p.

Secunda difficultas, vtrum verba consecrationis sint efficacia, etiam si proferantur à Sacerdote peccatore existente in peccato mortali, vel Hæretico, vel Schismatico.

Respondeo affirmatiue posita legitima intentione; quamuis graue sacrilegium prędicti committant. Ratio est; quia per characterem qui in ordinatione confertur datur potestas consecrandi; hic autem non deletur per peccatum mortale, neque per hęresim; ergo &c. Vide Suar. loco cit.

DVBIVM VIII.

An plures formæ possint concurrere ad consecrationem eiusdem materię.

Mouetur hoc dubium propter consuetudinem Ecclesię in ordinatione Sacerdorum, tunc enim nouiter ordinati concelebrant cum Episcopo ordinante, & eandem hostiam consecrant, eundemque calicem.

Aliqui improbant prędictam consuetudinem, pręsertim Durand. in 4. dist. 13. q. 3. n. 10. quia oporteret omnes simul in eodem instanti verba complere, quod est moraliter impossibile. Quod si non compleant in eodem instanti, vt communiter contingit; sequitur primo aliquos verba proferre super materiam iam consecratam; quod vanum est, & sacrilegum. Item facile fieri potest, vt aliquis Sacerdos verba absoluat ante Episcopum principaliter celebrantem, & sic Episcopus ipse non consecraret, quod est absurdissimum. Cęterum hæc Durandi censura merito ab alijs reprehenditur tamquam temeraria: cum sit contra consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, quæ errare non potest.

Respondeo, & dico primo, Si contingat plures Sacerdotes simul in eodem instãti verba consecrationis absoluere; simul omnes cõficiunt Sacramentum, & eandem materiam consecrant.

Probatur: quia non est maior ratio de vno quam de alio, nec dici potest nullus, vel vnus solus consecrare, ita D. Thom. q. 82. ar. 2 & DD. comm. apud Suar. disp 61. sec. 4. to. 3. in 3. p.

Dico secundo, Illi qui non simul verba cõplent, non consecrant, sed ille solum Sacerdos consecrationem perficit, qui primus verba absoluit; patet quia efficacia verborum est infallibilis posita materia præsenti, & intentione consecrandi; est communis Doct. sententia Suar. supra Vasq. disp. 218. cap. 3. Cardinalis de Lugo disp. 11 sec. 8. Coninch. q. 82 n 12. alij, quos citant. Eam tamen intentionem absolutã habere non debet, nisi Episcopus principaliter celebrans, vt mox dicemus.

Dico tertio, Sacerdotes nouiter ordinati concelebrantes cum Episcopo debere verba proferre formaliter quidem cum intentione tamen consecrandi, si contingat ea complere simul cum Episcopo; alioquin si antea vel postea absoluant, intentio debet esse non cõsecrandi, sed materialiter tantùm recitandi in signum acceptę potestatis; vel melius, debent habere intentionem proferendi verba

secun-

secundum voluntatem Ecclesiæ. Probatur: quia sic vitantur omnia incommoda supra allata, ita Suar. supra, Caiet. Layman. Henriq. & alij, quos citat, & sequitur Diana 3. par. tractat. 4. resol. 50.

DVBIVM IX.

De efficacia formæ consecrationis, et quid operentur eius verba circa utramque speciem.

Respondeo, & dico primo, per formam consecrationis ritè prolatam verè conficitur Sacramentum Eucharistiæ; totaq; substantia panis & vini destructa ponitur Corpus Christi sub speciebus panis, & sanguis sub speciebus vini. Est de fide ex Trid. sess. 13. cap. 3. & 4. & explicant DD. communiter, vide Suar. disp. 61. sec. 1. Ratio est: quia verba consecrationis, quibus in vltima cœna Christus vsus est, & quotidie Sacerdotes in missa in persona Christi vtuntur, operatoria sunt eius quod significant: sed Christus apertis verbis significauit id quod porrigebat Apostolis esse suum corpus, & sanguinem: ergo virtute verborum vtriusque consecrationis, quod antea erat panis & vinum, verè fit corpus, & sanguis Christi; cumque ipse Christus commiserit Apostolis, & successoribus, vt idem facerent quod ipse tunc fecit, sequitur ex vi eorumdem verborum pariter fieri conuersionem panis in corpus Christi, & vini in sanguinem, quæ transubstantiatio dicitur ex Tridentino supra, cap. 4.

Neque huic veritati obstat modus existendi sacramentaliter sub speciebus absque partiū extensione in ordine ad locum: quia prædicta extensio potest per diuinam omnipotentiam separari à substātia corporea: sicut enim virtute diuina fieri potest, vt duo corpora se mutuo penetrent, & sint in eodem loco, sicuti notum est Christum Dominum ex vtero illæso prodijsse; ita etiam fit, vt partes omnes corporis Christi in hoc Sacramento sine extensione sint.

Neque secundo obstat, idem corpus esse in pluribus locis: quia per diuinam omnipotentiam potest replicari idem corpus, eiusque præsentia multiplicari; Vnde Christus Dominus simul habet suam præsentiam connaturalem in cœlo, & plurimas sacramentales in terra, per quas totus est in tota hostia, & totus in qualibet eius parte.

Dico secundo: Totus Christus est sub speciebus panis, & totus etiam sub speciebus vini cum hoc tamen discrimine, quod sub specie panis ex vi præcisâ verborum est tantum corpus, & sub speciebus vini ex vi verborum est tantùm sanguis. Nam id dicitur esse ex vi verborum, quod præcisè per verba significatur & requirur ad veritatē eorumdē verborū Cęterū per concomitantiā sub speciebus panis est etiam sanguis, & sub speciebus vini etiam corpus, & sub vtrisque anima, id est ratione connexionis, qua partes Christi Domini inter se copulantur, & ad inuicem post resurrectionem separari non possunt. Quod totum de fide est definitum in Trid. sess. 13. cap. 3. Vbi consequenter additur adesse quoque sub vtraque specie Diuinitatem propter admirabilem illā eius cum corpore & anima Christi hypostaticam vnionem.

Difficultas hic primo est: An personalitas Diuina Christi sit in hoc Sacramento ex vi verborum, vel per concomitantiam.

Respondetur breuiter, esse per concomitantiam; quia corpus non significat directè subsistentiam, nec item sanguis, & colligitur ex Trid. supra, & docet D. Thom q. 72. art. 1. ad 11 & communiter alij Doct. Suar. disp. 51. sect. 6. Coninch. quæst. 76. num. 27. cum alijs, quos citant.

Difficultas secunda, An Sanctiss. Trinitas sit speciali modo in hoc Sacramento.

Respondetur affirmatiuè, non quod per consecrationem incipiat ibi absolutè esse; quia necessario est semper vbique propter immensitatem; sed incipit ibi esse nouo titulo, ita vt si fieri posset vt Deus & Sanctissima Trinitas non esset vbique, tamen necessario esset sub hoc Sacramento, & vbicumque esset humanitas Christi: quia vbi est verbum, ibi est tota Trinitas: si quidem Personæ diuinæ à se mutuo separari non possunt, ratione vnius essentiæ, & diuinitatis: vide cit. Doct.

SECTIO II.

De supplendis defectibus Formæ.

Certum est teneri celebrantem supplere omnes defectus substantiales, nè sacrificium, & Sacramentum sit irritum, vt sæpius diximus: & consequenter si contigerit defectus contra substantiam, & significationem formæ, omnino supplendus erit, ex D. Thom. q. 83. art. 6. & communiter. Vt possit autem suppleri oportet vt Sacerdos comperiat, et aduertat ipsum defectum: quod tripliciter contingere

tingere potest. Primo si celebranti certo constet se defectum commisisse circa formam. Secundo si dubitet an illum commiserit nec nè, nec possit probabiliter indicare non fuisse commissum. Tertio si pro vtraque parte habeat iudicium probabile, de quibus omnibus agendum est, et tandem aliqua dicemus de defectibus accidentalibus.

DVBIVM I.

Quid agendum quando certo constat commissum fuisse defectum substantialem circa formam consecrationis.

Respondeo, & dico primo: si per errorem omissa fuit forma consecrationis vel panis vel calicis, statim ac aduertitur hic defectus suppleri necessariò debet, & proferri integra forma omissa super suam materiam. Probatur quia est defectus substantialis, ergò necessariò supplendus, nè Sacrificium remaneat irritum, vel mutilum. Ità D Thom. supra citatus, & communiter, & constat ex hac rubrica de defectibus formæ num. 2.

Colligitur primo: etiam si vnicum solum verbum omissum fuerit ex illis, quę pertinent ad essentiam formæ, nihilominus repetendam esse integram formam. nec satis esse repetere, seù proferre solum verbum omissum: quia hoc non reddit integrum sensum formæ necessariò ad conficiendum Sacramentum, vt patet ex eadem rubrica, vbi dicitur si partem formæ omisit resumat ipsam formam, non dicit partem solùm omissam, & docent Suar. disp. 85. sect. 1 Auersa de Euchar quæst. 11. sect. 16. & communiter.

Colligitur secundo: idem omnino dicendum si talis facta est mutatio in verbis consecrationis, quæ necessarium formæ sensum abstulerit: quia destructa significatione destruitur forma, & perindè est, ac si non fuisset prolata, Suar suprà, & commúniter DD.

Colligitur tertiò. Idem quoque dicendum etiam si defectus fuerit voluntarius, & ex malitia Sacerdotis: qui si resipiscat & eum pœniteat culpæ commissæ, sicut tenetur, tenebitur etiam supplere defectum substantialem, & omissam formam reassumere, Suar. & Auersa locis citatis. Gauantus in hanc rubricam num. 1,

Dico secũdo sola forma quæ fuit omissa resumi debet nõ autẽ repetẽda sunt intermedia, quæ pertinent ad ritus accidentales sed prosequatur Sacerdos deinceps ab eo loco vbi desiuit, ex regula D. Th. quæst. 83. art. 6. nè turbetur ordo sacrificij, et dicitur etiam in hac rubrica.

Debet autem resumi forma consecrationis panis ab illis verbis, Qui Pridie; et forma Calicis ab illis verbis, Simili modo, vt constat ex rubricis de defectibus materiæ tit 3. et 4 propter expressiorem Christi commemorationem, et modum proferendi consecrationem in persona ipsius Christi An autem hoc cadat sub præcepto? negat Suar. suprà sect. 1. § sed quæres tandem: quia sola verba essentialia formæ sufficiunt ad supplendum defectum, nè sacrificium sit mutilum, quod satis probabile est: quia non cadit sub præcepto, nisi quod est necessarium ad supplendum defectum, et aliàs hæ rubricæ non sunt præceptinæ, vt alibi diximus. Certum est autem multò melius esse incipere prout in rubrica præscribitur.

Dubitari hic potest. Quid si per errorem Sacerdos super hostiam proferat formam consecrationis sanguinis, omissa forma propria consecrationis panis: et statim, vel post eleuationem hostiæ non consecratæ hunc errorem aduertat: an facta consecratione hostiæ teneatur iterum proferre consecrationem sanguinis super Calicem? Ratio dubitandi est, quia tunc quando primo protulit formam sanguinis Calix cum vino erat præsens: ergò fuit consecratus.

Respondeo teneri iterum proferre eandem formam super calicem: Ratio est, quia non fuit consecratus Calix ex defectu intentionis, quæ ita explicari debet; vt nolit Sacerdos, confundere ordinem sacrificij, nec recedere à ritu graui Ecclesiæ: consequenter eum nolle consecrare Calicem nisi post consecrationem panis: debet ergò repetere prædictam formã saltem sub conditione mentali. Tandem aduertendum si eleuata fuerit hostia non consecrata, eam non esse eleuandam post consecrationem ad cauendum scandalum.

Dico tertio, si contingat huiusmodi defectum cognosci post sumptionem speciei, non ritè consecratæ iterari debet consecratio, apposita noua materia quæ non fuit consecrata, vt diximus de defectibus materiæ: quia eadem est ratio ineptæ materiæ, & materiæ sine forma.

Similiter si deprehendatur defectus alterius formæ post sumptionem vel corporis, vel sanguinis ritè consecrati; iteranda est forma omissa, vel inualidè prolata, vt per se patet: In vtroque autem casu non oportebit vtramque consecrationem repetere, si in altera tantum defectus acciderit, vt in simili dictum est de defectibus materiæ, est enim eadem proportio, Suar. citata disp. 85. sect. 1. §. secundo etiam, Gauantus in hanc rubricam de defectibus formæ.

Dico

n Dico quarto, si defectus accidisset in vtraque consecratione: quia in vtraque omissum est aliquod verbum substantiale, sic distinguendum est: Si Sacerdos hunc defectum aduertat post sumptionem, vel vtriusque, vel alterius speciei non ritè & inualidè consecratæ, tunc non debet, nec potest licitè quicquam suppicere, nec consecrationem resumere. Probatur: quia ex vna parte hic non obligat præceptum integrandi, vel perficiēdi sacrificium; quia sacrificium non est simpliciter inchoatū, nullaque peracta eius pars substantialis: vnde quicquid fieret, esset ex tunc inchoare sacrificium. Ex altera verò parte non potest iuchoare sacrificium, quia non est ieiunus post sumptionem materiæ non consecratæ. Ad vitandum autem scandalum quod oriri posset si recederet ab Altari non lectis precibus quæ dici solent in fine Missæ, poterit eas recitare omissis verbis, quæ sumptionem Sacramenti significant, vt notauimus in expositione literæ.

Secundo, Si Sacerdos hunc defectum aduertat ante sumptionem, quando nondum fractum est ieiunium; tenebitur statim vtramque speciem consecrare resumendo ab illis verbis Qui Pridie, & Simili modo, vt supra, & deinde prosequi sacrum, & Sacramentum sumere. Probatur: quia etsi non teneatur ad hoc ex vi præcepti perficiendi sacrificium, quod adhuc non erat substantialiter inchoatum; tenetur tamen Primo ex vi præcepti nō fingendi aliquid falsum in hoc ministerio, nec perseuerandi in inchoata fictione. Secundo ex vi præcepti non sumendi species non consecratas tanquam verum Sacramentum. Tertio nè det alijs occasionem adorandi tanquā verum Sacramentum, quod tale non est, Ita Suar. disp. 85. sec. 1 § secundo etiam.

DVBIVM II.

Quid agendum, quando Sacerdos dubitat an commiserit defectum substantialem circa formam consecrationis.

ADuertendum: Nos hic loqui de dubio propriè dicto, quatenus ab opinione distinguitur, & negat assensum vtriusque partis oppositæ, & ideo dicitur dubium negatiuum: quia intellectus neutri parti assentitur, sed manet suspensus. Ad iudicandum autem verum dubium sit rèijciendum vel admittendum, attendi debent causæ & motiua, ex quibus oritur, vt cum alijs aduertit Sanchez de matrim lib. 1, disp. 41. nu 3. quando enim quis dubitat absque vllo fundamento vel inditio, nihil curare debet de tali dubio, quod irrationabile est, & dupliciter negatiuum: quia negat tum assensum; tum rationem dubitandi. Item quando dubium oritur ex leuibus, & vanis inditijs reijciendum est, & nihil de eo curandum: quia potius est scrupulus. Si verò nascatur ex solidis inditijs & rationibus, tunc opus est consultatione de eo quod agendum, est posito tali dubio. His positis.

Respondeo, & dico primo, Qui dubitat an consecrauerit, an rite formam protulerit, ex eo præcisè quòd non recordatur, turbari non debet, nec aliquid repetere, sed prosequi ea in quibus dicendis reperitur: videlicet quando recitat ea quæ dici solent post cōsecrationem, & nihil de tali dubio curandum est, vt patet ex hac rubrica num. 2. & diximus cum D. Thom. in expositione literæ; Probatur, quia est dubium carens fundamento, vel inditio sufficienti, & idcirco nihil de eo curandum, ita Suar. disp 85. sec. 1 Auersa de sacrific. q. 11. sec 16. & communiter.

Dico secundo. Si dubium prædictum oriatur ex sufficientibus, & grauibus inditijs, tenetur Sacerdos iterare formam illam consecrationis, circa quam dubitat se aliquid essentiale omisisse, sub conditione tamen, saltem mente concepta, idest si antea non consecrauit; prima pars probatur, quod teneatur iterare: quia aliàs exponitur manifesto periculo offerendi sacrificium mutilum & imperfectū, quod est intrinsecè malum. Secunda pars de conditione apponenda. Probatur; nam aliàs exponitur periculo proferendi formam super materiam consecratam: siquidem non constat consecrationem fuisse omissam, vel inualidam: dū autem iteratur forma sub conditione, vitatur vtrumque periculum, tum irritandi sacrificiū; tum ineptæ prolationis formę super materiam consecratam, ita Suar. Auersa loc. cit. & comm. & nos in simili diximus supra de dubio materiæ tit. 3 sec. 3. dub. 5.

Monent tamen prædicti DD. præsertim Auersa, Sacerdotem non debere facilè admittere huiusmodi dubia, sed regulariter debere existimare se integre verba protulisse, vt communiter contingit; itaque prudenter & maturè pensandum est dubium. Et probatur etiam, quia in hac rubrica dicitur iterandam esse formam in dubio, non simpliciter in quolibet dubio; sed si Sacerdos valdè probabiliter dubitet se aliquod essentiale omisisse: ergo non sufficit quodlibet inditium vel motiuum dubitandi, sed debet esse graue & valdè probabile: vt si constet omissum fuisse ritum con-

nexum, Exempli gra. eleuationem calicis, & interrogatus minister asserat re vera non fuisse factam eleuationem, quod graue inditium est omissam fuisse consecrationem.

Colligitur: id quod diximus de dubio negatiuo orto ex grauibus inditijs, dicendum est á fortiori, quando Sacerdos probabiliter iudicat se non consecrasse, vel quid substantiale omisisse, nec de opposito ferre potest iudicium probabile: quia magis vrget periculum mutilationis sacrificij: quid autem dicendum quando adest iudicium probabile pro vtraq; parte, dicemus sequenti dubio.

DVBIVM III.

Quid agendum in casu dubij positiui, seu opinionis vtrinque probabilis; an in prolatione formæ adfuerit defectus substantialis.

ADuertendum: aliud esse quærere vtrum in administratione Sacramentorum licitum sit vti forma vel materia dubia aut probabili, omissa certa vel probabiliori, de qua quæstione modò non loquimur: sæpius enim dictum est supra in hoc Sacramento graue peccatum committi mutando ritum ab Ecclesia præscriptum, & communiter consuetum, etiã si constet vel probabile sit, mutationem non esse substantialem. Aliud esse quærere vtrum Sacramentum dubium iterandum sit, præsertim quando dubium est positiuum, & pro vtraque parte sunt opiniones probabiles; & hęc quæstio pertinet ad nostrum casum: fieri enim potest, vt quis peccauerit in aliqua mutatione formæ, & nihilominus non teneatur illam repetere; si probabile sit fuisse validam.

Non satis explicant Doctor. hoc punctum; sed solum dicunt, si dubium fit ex vtraque parte iterandam esse formam, vt videre est apud Suar. disp. 85. sec. 1. Secundo etiam, circa finem; sed explicari possunt de dubio negatiuo. Superest ergo Difficultas de dubio positiuo.

Respondeo quando Sacerdos probabiliter iudicat se ritè, & validè pronuntiasse formam, & Sacramentum esse validum; non tenetur eam resumere, nec quicquam repetere, quamuis habeat formidinem oppositi, vel iudicet etiam probabiliter non fuisse validam.

Probatur primo: quia sequens opinionem verè probabilem prudenter operatur: sed in casu nostro adest opinio probabilis pro valore formæ, & Sacramenti: ergò potest Sacerdos eam tuto sequi, existimando Sacramentum validum, necesse opus repetitione: nec fit iniuria Sacramento, quod propter oppositam opinionem videtur exponi periculo irritationis, si non repetatur forma: quia non tenemur omne periculum vitare, sed satis est eligere modum, qui prudenter putatur sufficiens.

Probatur secundo, obligatio repetendi formam, & iterandi Sacramentum in opinionũ conflictu & contrarietate tunc solum vrget, quando sequeretur aliquod damnum irreparabile, si fortè opinio dictans inualiditatem Sacramenti esset vera, vt supra dicebamus de ordine sacerdotali, & de Baptismo tit. 1. de defectibus sect. 2. dub. 14. Quia ex valore Baptismi, & Sacerdotij pendet valor aliorum Sacramentorum &c. sed in casu nostro non sequitur simile damnum, si fortè sacrificium & Sacramentum fit irritum: ergo non vrget obligatio repetendi eius formam, quando opinio verè probabilis suadet fuisse ritè pronuntiatam.

Confirmatur primo, quia Sacramentum Pœnitentiæ est magis necessarium ad salutem, & nihilominus in opinionum diuersitate de eius valore non est necessario repetendum; sed satis est sequi opinionem verè probabilem dictantem esse validum, etiam si fuerit in forme, vt tradunt communiter Doct. in tractatu de Pœnitentia, & videri potest Diana par. 2. tract. 3 Miscell. resol. 31. & par. 3. tract. 4. resol. 65. ergo á fortiori in casu nostro. Imò adultus secundum opinionem probabilem baptizzatus, non tenetur in rigore iterum baptizzari sub conditione, iuxta sententiam Vasq. tom. 2. in 3. par. disp 146. cap. 4 nu. 19. Item quando circa valorem matrimonij sunt opposita opiniones ambæ probabiles, possunt coniuges amplecti opinionem probabilem valoris matrimonij, & tuto prosequi vitam coniugulem absque iteratione Sacramenti, vt docet Sanchez de matrim. lib. 2. disp. 44. num. 4. & sic etiam de confirmatione, & alijs Sacram. docent passim DD ergo nec in casu nostro est opus repetitione, & iteratione formæ.

Confirmat. secundo, á simili ex dictis supra de dubio positiuo circa materiam huius Sacramenti tit. 3. sec. 2. dub. 5. vbi diximus post consecrationem nihil esse iterandum si probabile sit materiam esse aptam.

Dicetis. Quid si in eadem missa consecratæ fuerint minores hostiæ pro cõmunione aliorũ, & præsertim infirmorum, tunc enim exponeretur moribundus periculo non recipiendi

verum Sacramentum, quod est graue damnum, & irreparabile.

Respondeo, posse vitari tale periculum si Sacerdos ipse sumat omnes illas formulas, & curet vt pro communicaturis aliæ consecrentur, præcipuè pro infirmis: quod si sit periculum in mora, nec aliæ consecrari possint, in hoc casu concedo esse obligationem iterum eas consecrandi sub conditione ex præcepto charitatis, nè proximus graui periculo exponatur.

DVBIVM IV.

Quid agendum si omissa fuerint illa verba, de quibus est controuersia inter DD. An pertineant ad essentiam formæ.

E. G. Si quis consecrauerit calicem omissis illis verbis Noui & æterni, vsque ad Remissionem peccatorum, vel aliquod illorum tacuerit.

Aliqui sentiunt resumendam esse formam; quia secūdum probabilem opinionem D.Th. prædicta verba sunt de essentia cōsecrationis: ergo nè exponatur sacrificium periculo mutilationis, & nè fortè Sacramentum sit irritum, debet repeti, & integre proferri eadem forma.

Respondeo Nihilominus, probabilius esse in rigore non teneri celebrantem quicquam repetere, etiam si constet fuisse omissa prædicta verba. Probatur: quia communis & probabilior sententia docet, ea non pertinere ad essentiam consecrationis, vt supra visum est, consequenter non obstante eorum omissione sacrificium esse substantialiter integrum, & Sacramentum validum: ergo non est obligatio quicquam repetendi, ex dictis dubio præc. quia potest Sacerdos sequi eam probabilem opinionem. Tenebitur quidem conteri de suo peccato, si voluntariè omisit. Cæterum poterit licitè prosequi sacrificium, cuius ordo turbari non debet, vt resumantur accidentalia, vt sæpiùs dictum est.

Colligitur à fortiori. Si celebrans dubitet sine negatiuè, siue positiuè de omissione prædictorum verborum, eum non teneri quicquam repetere: quia sunt partes accidentales formæ, nec talis omissio obstat valori sacrificij, vt supra probatum est sec 1. dub. 2.

Colligitur secundo, Nec teneri nec posse celebrantem repetere formam, eò quia omissum fuit aliquod verbum ex antecedentibus, E. g. Qui Pridie, vel simili modo, dummodo prolata fuerint verba essentialia: quia certum est sine illis consecrationem esse validam, consequenter non potest repeti forma, neque absolutè, neque sub conditione: quia applicaretur forma materiæ iam consecratæ, quod est irrisorium, & sacrilegum, Doct. comm.

TITVLVS VI.

DE DEFECTIBVS MINISTRI.

1 Defectus ex parte ministri, possunt contingere quoad ea quæ in ipso requiruntur. Hæc autem sunt: In primis intentio, deinde dispositio animæ, dispositio corporalis, dispositio vestimentorum, dispositio in ministerio ipso, quoad ea quæ in ipso possunt occurrere.

EXPLICATIO LITERALIS.

MVlta requiruntur ex parte ministri, vel ad valorem, vel saltem addecentiam sacrificij, quibus si ipse minister careat, contingunt in eo defectus, vel contra valorem sacrificij, est Sacramenti, vel contra decentiam tanto ministerio debitam.

Primo ergo diuidi possunt defectus ministri in substantiales, & accidentales. Inter defectus substantiales, qui obstant valori sacrificij. Numeratur primo defectus intentionis. Secundo numerantur aliqui defectus in ministerio ipso occurrentes, vt si post consecrationem Corporis tantùm, Sacerdos in Syncopen incidat, vel moriatur; tunc enim sacrificium est mutilum, nisi ab alio suppleatur, vel si quis celebrans integra Sacramenta non sumpserit: quia sumptio, vel est de essentia sacrificij, secundum aliquos, vel saltem de integritate sub-

stantiali. Reliqui omnes defectus dispositionis animæ, corporis, vestimentorum, & alij occurrentes in ministerio ipso sunt accidentales, in quibus peccat minister si contingant ob eius negligentiam, & multo magis si ex malitia proueniant.

Secundo, diuidi possunt defectus ministri in proximos, & remoros. Proximos voco eos, qui opponuntur dispositioni ministri, quæ in eo requiritur immediatè ad missæ celebrationem, & ad sacrificium offerendum, videlicet vt sit in statu gratiæ, vt sit ieiunus, ornatus vestibus sacris &c. Remoti vocantur, qui opponuntur requisitis ad statum Sacerdotalem, vel Clericalem extra sacrificium, seu peccata contra peculiares obligationes adnexas statui clericali, & contra præcepta specialiter imposita Sacerdotibus, & ministris Altaris, E.g vt incedant in habitu & tonsura, vt abstineant à ludis quibusdam, à venatione, à negotijs, & officijs sæcularibus: quæ si non seruentur ab aliquo Sacerdote is redditur indignus, vel certè minus aptus, qui accedat ad Altare & missam celebret, & idcircò defectus circa prædicta saltem remotè opponuntur actioni sacrificãdi.

De defectibus primi generis, nempe de proximis, differendum à nobis est in sequentibus titulis, iuxta ordinem harum rubricarũ, hic antem ad vberiorem doctrinã opere pretiũ esse duximus differere de defectibus temotis, de quibus & si nihil expressè dicatur in his rubricis, ijdem Nihilominus implicitè continentur sub hoc titulo de defectibus ministri in communi, quoad ea quæ in ipso requiruntur. Si quidem præter ea quæ hic enumerantur, requiritur in ministro Altaris, vt quædam præcepta obseruet specialiter illi imposita, vtpotè qui segregatus à statu laicali, & à rebus seculi, in sortem Domini vocatus est. Vnde tenetur vitam, & mores suos speciali diligentia componere, iuxta decreta Sacrorum Canonũ de vita & honestate Clericorum, sicuti seriò monet Trid. sess. 22. cap. 1. de reformatione. Possunt etiam defectus remoti reduci ad eadem capita defectuum proximorum accidentalium quæ hic enumerantur: nam defectus habitus clericalis & tonsuræ opponitur dispositioni vestimentorum: excessus in crapula & ebrietate, specialiter ministris Altaris prohibitus cap. à Crapula de vita & honestate Clericorum, opponuntur dispositioni corporali. Tandem alia peccata dispositioni animæ. Non est autem nostræ intentionis & instituti hic agere de omnibus peccatis Sacerdotum, & Clericorum; sed de quibusdam communioribus, quæ magis dedecent dignitatem Sacerdotalem contra specialia præcepta Sacerdotibus præcipuè imposita: vt autem distinctius procedamus, diuidemus dubia sequentia in tres Sectiones, & in prima differemus de præceptis affirmatiuis gestandi habitum, & tonsuram, & distribuendi in pauperes redditus Ecclesiasticos. De alio verò præcepto affirmatiuo recitandi horas Canonicas dicemus in comm. ad Rubricas Breuiarij. In secunda Sect. agemus de præceptis negatiuis, quibus eisdem Sacerdotibus, & Clericis prohibentur ludi, venationes, & quædam officia, & negotia sæcularia. In tertia de Peculiari præcepto castitatis, & cælibatus, quo specialiter obligantur ministri sacri.

DVBIA CONSCIENTIAE

De remoris defectibus ministrorum Altaris.

SECTIO I.

De defectibus contra præcepta affirmatiua Sacerdotibus, & alijs Clericis imposita.

PRIMVM PRAECEPTVM.

De Habitu, & Tonsura à Clericis deferenda.

DVBIVM I.

De Tonsura seu Corona, Qualiter peccent Sacerdotes, & alij Clerici non deferentes Tonsuram.

SVppono, certum esse teneri Clericos, & & præcipuè Sacerdotes deferre habitum & tonsuram, tanquam propria insignia status Clericalis, vt constat Tum ex cap. vlt. 41. dist. & ex alijs iuribus antiquis; Tum præcipuè ex Trid. sess. 14. cap. 6, de reformatione vbi citantur alij Canones.

Significat autem Tonsura in modum coronæ, tum dignitatem Sacerdotalem, quæ regiæ comparatur; sicut etiam Sacerdotes veteris legis Tiaram ad modum coronæ habebant in capite: tum coronam spineam Christi Domini, cuius humilitatem, & vitæ mortificationem Sacerdotes in primis imitari debent: firmissimè tenendo ipsorum coronam, & gloriã

non

non in delitijs, & pompis mundanis sitam esse; sed in spinis mortificationis, & vitæ asperitate. Tertio formatur corona capillorum recisione & abrasione, qui superflua significant: vt aduertant Sacerdotes se debere sui corporis, & sæculi vanitates resecare & abijcere, vt Deo & rebus diuinis liberius vacare possint, vt ex D.Thom. in 4. dist. 44. & 3.p.q.40.art.1. Notant Theologi: Vide Marchinum de Sacram. Ordinis p.1. cap 3. Garsiam tra.1. diff.1. dub 3.punc.3. His positis.

Prima difficultas est quale peccatum committant qui tonsuram non deferunt, vtrum mortale, vel veniale.

Prima sententia vniuersaliter damnat peccati mortalis omnes Clericos non deferentes tonsuram per tempus notabile, siue sint sacris, siue minoribus ordinibus tantùm initiati.

Fundamentum est: quia violans legem in materia graui peccat mortaliter, ita est in casu nostro: ergo &c. Probatur minor: quia tonsura est præcipuum insigne status, quo distinguuntur Clerici & personæ Ecclesiasticæ à laicis, & omissio resultat in graue detrimentum status clericalis seu ecclesiastici, nempe contra reuerentiam illi debitam, item contra immunitatem & priuilegia in eius fauorem concessa: ergo &c.

Confirmatur: quia in Conc. Trid. loco cit. & in Bulla Sixti V. quæ incipit Pastoralis in to.2 Bullarij, & in alia eiusdem Pontificis quæ incipit. Cum Sacrosanctum, id præcipitur sub grauibus pœnis priuationis officiorum &c. vel priuilegij clericalis &c pœnæ autem graues, sunt signum grauis obligationis.

Quod si per paucos dies E g. quatuor, vel sex negligeret quis tonsuræ delationē excusaretur à peccato mortali ratione paruitatis materiæ; Secus vero si spatium arbitrio prudentis esset notabile, ita Panormitanus, Angelus, Tabiena, Siluest. Soto, & alij quos referunt, & sequuntur Bannes 2. 2. q.12. art.1. Nugnus de Sacram. q. 40. art 1. Petrus de Ledesma sum. cap 11 Filiuc tract.9 num.107.

Secunda sententia docet solos initiatos sacris ordinibus eam grauem obligationem cōtrahere ob rationem primæ sententiæ, & etiā beneficiarios: Secus autem simplices Clericos Minorum Ordinum, qui non assumunt statū Ecclesiasticum immurabiliter, sed possunt ad libitum ab eo recedere, & idcirco non comprehenduntur sub ea lege cum tanto rigore. Imò Trident. non loquitur de his. Nauar. man. cap.25. num.110 Vasq. in 3.par. disp.250. c.9. Bonac. de Sacram. disp.8.q. vnica punc. vltim. Granado de Sacram. controu 9. tract.4 disp.3. n.8. Diana p.5. tract. 5. resol. 60.

Tertia tandem sententia benignior & satis probabilis docet, esse quidem peccatum veniale, & abusum puniendum ab Episcopis & Prælatis Clericos non deferre tonsuram. Cæterum secluso scandalo vel contumacia, & contemptu non esse peccatum mortale, etiam respectu eorum, qui sunt in sacris.

Ratio est: quia obligatio grauis, & sub peccato mortali cum sit odiosa & stricti iuris, non est asserenda nisi de ea constet manifestè: sed non constat in casu nostro; ergo &c Probatur minor: quia in nullo textu allegato à DD. aliarū opinionum sunt verba præceptiua, ex quibus clarè colligatur grauis obligatio, & sub peccato mortali, vt legenti patebit: allegatur enim Canon prohibete dist.23. qui non vtitur verbis præceptiuis, & Trid. vtitur verbo oportet: & quamuis Concil. Trid. loco cit addat pœnas graues, prærequirit tamen monitionem: in quo casu non colligitur ex lege obligatio sub peccato mortali, ante monitionem. Item Bulla Sixti V. vel obligat ad solam pœnam pro foro externo, vel non fuit recepta sub tanto rigore obligationis grauis in cōscientia, Caiet. in sum. verbo cler peccata, Henriquez lib.10. cap. 11. lit. M. Hurtado de Sacram. Ordinis diff. vltima, Villalobos apud Dianam p.3. tr.4. resol 183. Garzias tract.1. diff 1. dub.3. punc 3.

Dixi secluso scandalo vel contemptu, quod est vniuersale omnibus peccatis venialibus, quæ ratione scandali vel contemptus transeūt in mortalia vt notum est; potest autem facilè contingere, præsertim respectu Sacerdotum, vt ex omissione tonsuræ nascatur scandalum, vel contemptus dignitatis Sacerdotalis, & legum Ecclesiasticarum. Addit etiam Caietanus cum alijs locis citatis excusari à peccato mortali non deferentes tonsuram, nisi ex temeritate id faciant, vbi sumitur temeritas pro specie quadam contemptus ipsius legis; non positiui quasi nolit se subijcere legi, sed negatiui quia nullum habet ei respectum, seù non curat de illa, & ideo absque vlla causa, saltem apparenti id faciat, & sine timore, Caiet. nu 7.

Ad opposita respondeo primum argumentum probare, potuisse id præcipi sub peccato mortali, sed de facto cum Iura non vtantur verbis rigorosi præcepti, signum est noluisse obligare cum tanto rigore, satis autem consultum fuit Indemnitati status clericalis per pœnas infligendas in foro externo.

Ad confirmationem patet ex dictis.

Secunda difficultas: Qualis debeat esse clericorum tonsura?

Respondeo ex Castaldo in Praxi lib 2. sec.1. cap 8. num 6 Vbi sic ait Clericorum quidem corona, prout in Concil. Toletano IV. præscribitur

bitur ad vnius regalis mensuram fit, seu minoris hostiæ. Sacerdotum ad mensuram hostiæ maioris, prout in Concil. Palentino sub Vrbano VI. præscribitur Monachorum vero iuxta cuiuslibet ordinis institutum. Episcoporum denique ampla, decenterque formata erit. Hactenus Castaldus, quem sequitur Gauantus in Rubricas Missalis p. 1. tit. 2. num. 2 litt. Y.

DVBIVM II.

De Habitus, seu Vestis clericalis delatione, & qualiter peccent Sacerdotes, & alij clerici non deferentes habitum.

Nomine habitus clericalis hic intelligimus vestem latiorem, & longiorem illis, quibus laici vtuntur, & communiter solet esse talaris, & nigri coloris. Standum est autem consuetudini locorum, cum iure communi id non sit definitum. Qualiter vero peccent clerici non deferentes habitum, videtur prima facie idem omninò hic esse dicendum, ac dictum fuit in superiori dubio de tonsura, seu corona: quia iura eodem modo de vtroq; loquuntur, & ideo hanc quæstionem non videri diuersam à præcedenti, atque eisdem principijs esse resoluendam. Imò vt notat Caiet. supra verbo Cler. peccata num 5. in habitu clericali tamquam substantiale est clerica seu tonsura: ergo si iuxta probabilem sententiam supra relatam, nō est peccatum mortale omissio tonsuræ seclusо contemptu vel scandalo, neque erit peccatum mortale dimissio habitus. Cæterum quia habitus, seu vestis exterior, qua totum corpus contegitur, est quid magis apparens, & aliorum conspectui magis obuium, & eius dimissio præsefert multò maiorem indecentiam & deformitatem, seu contemptum & dedecus contra honorem clericalem, & facilius potest generare scandalum, idcirco præceptum illud de delatione habitus & tonsuræ videtur ex communi consuetudine interpretatum fuisse maiori rigore quoad delationem habitus seu vestis, quàm tonsuræ: & ideo oportuit separatim examinare hanc quæstionem. Prima ergo opinio est Caietani in sum. loco citato verbo clericorum peccata numer. 5. Vbi docet Sacerdotes & alios clericos non peccare mortaliter si non deferant habitúm, seclusо scandalo vel contemptu.

Ratio: quia vel peccarent mortaliter contra ius naturale, vel cōtra ius positiuum. Neutrum dici potest, ergo: probatur minor, non enim contra ius naturale, quia mutatio habitus non est secundum se & intrinsecè mala, alioquin nunquam esset licita, quod est falsum vt ex infra dicendis patebit: neq; id continet secundum se notabilem deformitatem seclusо scandalo: quia vt est commune prouerbium, Habitus non facit monachum.

Neque contra ius positiuum, hoc enim vt diximus eodem modo præcipit delationem habitus ac tonsuræ: sed non deferre tonsuram ex supra dictis solum est peccatum veniale per se loquendo; ergo idem dicendum de illis, qui non deferunt habitum. Hanc sententiam Caiet. sequuntur Villalobos in sum. tom. 1. tract. 11. diff 16. & Diana 3 p. tract. 4. res 183. cum hac limitatione dummodo incedens sine habitu clericali deferat aliquod signum vnde cognosci & discerni possit vt clericus: quod si nullum in eo esset signum status clericalis, vt si esset præcinctus ense, vel gladio, non excusaretur à peccato mortali, nisi ratione paruitatis materiæ, seu modici temporis, vel ex iusta causa: cum qua limitatione hæc sententia videtur probabilis.

Secunda sententia communis, & probabilior damnat absolutè peccati mortalis clericos non deferentes habitum, seu incedentes sine habitu extra casum necessitatis, vel absque causa, siue sint in sacris, siue beneficium ecclesiasticum habeant, non verò alios clericos minorum ordinum.

Ratio est; quia constituti in sacris assumunt immutabiliter Statum Ecclesiasticum, quem profitentur, nec possunt absque grauissimo peccato ab eo recedere: sed dimissio habitus est quidam externus recessus ab eo statu, & veluti quoddam initium apostasiæ ab eo, & vt loquitur Trid. supra, Deferentes vestes laicales pedes in diuersis ponunt, vnum in diuinis alterum in carnalibus, paruipendentes honorem clericalem: ergo meritò censetur grauis excessus, & pec mor.

Et quamuis iura non vtantur verbis rigorosi præcepti, nihilominus consuetudo & communis sensus DD. illa interpertrantur vt continentia graue præceptum, & sub peccato mortali.

Confirmatur: quia Religiosi professi dimittentes habitum suæ religionis peccant mortaliter, & excommunicationem incurrunt: quia censetur grauis excessus contra honorem status, quem ex obligatione profitentur: ergo idem dicendum de clericis constitutis in sacris quoad peccatum mortale ob paritatem rationis: quamuis non sit lata contra eos excommunicatio. Hanc sententiam sustinent

Petrus

Petrus de Ledesma de Sacram. ordinis cap. 9. Bannes 2. 2. q. 12. art. 2. Azorius, Reginaldus, à S Ioanne, quos citat, & sequitur Garzia de Sacerdotio tract. 1. diff. 1. dub. 3. p. 4. Sanchez infra, & alij.

Diximus extra casum necessitatis, & absque iusta causa; quia excusantur non deferentes habitum ex aliqua iusta & rationabili causa, iuta enim loquuntur de illis, qui temerè & absque causa sine habitu incedunt. Prima autem causa simpliciter excusans ab omni peccato secundum omnes, est si id fiat ad vitandum aliquod graue damnum vitæ, vel famæ, & similium bonorum: quia leges positiuæ nō obligant cum notabili incommodo, Doctor. citati.

Secunda causa est honestum aliquod exercitium, vel artificium, cui sit impedimento habitus, E. g. ad Templum ornandum, vel scopis mundandum, ad hostias vel panem conficiendum, ad ligna scindenda &c. DD. citati.

Tertia, tandem causa ob honestam recreationem, E.g. ad ludum pilæ exercendum, vel similem, præcipuè si id non fiat in loco publico, nec sit scandali periculum. Imo si domi vel in loco occulto sint sine habitu non peccant: quia iura condemnant eos, qui publicè sine habitu incedunt, DD. cit. vide Sanch. lib. 6. sum. cap 8. num. 61.

Confirmatur; quia religiosi quibus maiori rigore prohibetur dimissio habitus, in prædictis casibus non peccant: ergo nec Clerici sæculares in sacris constituti. Casus autem in quibus excusantur à peccato religiosi dimittentes habitum, videri possunt apud Dianam p. 9. tract. 7. resol. 5.

Secundo, excusantur à peccato mortali nō deferentes habitum per modicum tempus ratione paruitatis materiæ, vt per paucas horas. etiam per vnicam diem, iuxta sententiam Leandri, & Murcia apud Dianam supra, etiam absque vlla causa: nam ex iusta causa nullum est peccatum vt supra, intelligitur autem seclusio scandalo, vel contemptu vt supra, & vt solùm venialiter peccet. Tandem neglectus habitus tunc est peccatum mortale, quando spectatis circumstantijs personæ, loci, & temporis diuturnitate notabiliter repugnat honestati & bono exemplo clericorum, secus si non sit notabilis excessus vltra modum consuetum. Ita Layman lib. 5. tract. 9. cap. 12. n. 2. citans Siluest. Armillam, Vasq. & alios.

DVBIVM III.

De coma, seu capillamento Sacerdotibus, & alijs Clericis interdicto.

PRæceptum quo prohibentur Clerici nutrire, seu relaxare comam est adnexum præcepto deferendi tonsuram, & idcirco superiori dubio hoc adnectimus.

Certum est autem iure Canonico esse prohibitum clericis præsertim in sacris nutrire comam, vt in cap. prohibete, & cap. clerici 23. dist. cap. si quis ex clericis de vita & honestate, vbi additur pœna excomm. cap. clericus & c. clericis eodem tit.

Difficultas est, an prohibitio sit grauis, & sub peccato mortali, an tantùm sub veniali ratione indecentiæ.

Primæ sententia sustinet prohibitionem esse grauem, & sub peccato mortali, ac proinde peccare mortaliter Sacerdotes, & alios in sacris constitutos comam relaxantes. Probatur: quia pœna grauis, & præsertim excommunicationis est signum grauis præcepti obligantis sub peccato mortali, sed in casu nostro imponitur pœna excommunicationis: ergo &c. ita Abbas in dicto cap. si quis cler. Diaz, Nouar. & alij, quos citat & sequitur Megalius promptu verbo clericus num. 12. Secunda sententia cõmunis, & probabilior excusat à p. m. clericos comam gestantes, seclusio scandalo vel contemptu: quia non sunt imponendæ obligationes graues, & sub pec. mor. nisi de illis apertè constet, cum sint odiosæ & possint resultare in laqueum animarum: sed non constat in casu nostro, vt patebit ex solutione fundamenti primæ sententiæ: ergo &c. Hanc autem sententiam defendit præcipuè Caiet. sum. verbo clericorum peccata nu. 6. & tanquam benigniorem sequuntur communiter recentiores, Machado, Sayro, & alij, quos citat, & sequitur Garzias de Sacerdotio tract. 1. difficult. secunda, punc. 2.

Ad argumentũ oppositæ sententiæ respondetur, pœnam grauem, & præsertim excomm. latæ sententiæ esse signum obligationis grauis & peccati mor. non autem excommunicationem ferendæ sententiæ; quæ vt incurratur præquirit monitionem prælati, cui si subditus reinctetur, & fiat contumax potest excommunicari, non autem ante monitionem: pœna autem excommunicationis in casu nostro non est latæ sententiæ, vt plerique putant ex Auctoribus primæ opinionis, sed ferendæ vt explicat

plicat ibi Glossa dicitur enim tit 1. fiat anathema, & tenet Caiet.cum alijs citatis pro secunda opinione.

Quamuis autem in comæ relaxatione non committatur pec.mor. debent tamen curare Episcopi,vt huiusmodi abusus omnino tollantur, & præsertim à Sacerdotibus ob maximā indecentiam quam præseferunt, & omnino seruari debent sanctiones sacrorum Canonum Tandem aduertendum quamuis prædictis iuribus prohibeatur etiam clericis in sacris nutrire barbam, Nihilominus quia hoc non eā præsefert indecentiam, ficut capillamentum, quod spectat ad cultum muliebrem, iam contraria consuetudine videtur illis derogatum, & solum vitanda est affectatio, & indecentia, ita March.de Sacram. Ordinis trac.2. nu 1.c.5. n.12.Garz. supra cum alijs.

SECVNDVM PRAECEPTVM.

Affirmatiuum distribuendi redditus Ecclesiasticos in vsus pios & de peccatis oppositis.

BOna pecuniaria Clericorum sunt in duplici differentia; quædam sunt patrimonialia, vel propriæ industriæ, de quibus possunt Clerici disponere ad libitum æque ac laici sæculares, & de his tenentur facere eleemosynam præcepto communi, quod simul obligat tam sæculares, quam Clericos, nempè sub peccato mort. in extrema & graui aliorum necessitate. In communibus vero necessitatibus iuxta varias Doct. sententias, de quibus late & eruditissime doctissimus P. Diana p 5. tract. 8. per totum, in qua re non immoror, quia non spectat ad nostrum institutum. Alia sunt bona ecclesiastica seu fructus, & redditus Beneficiorum quæ ab Ecclesia conferuntur,de quibus tenentur Clerici beneficiarij speciali præcepto eleemosynas facere, & de his agendum hic est in gratiam Sacerdotū, & aliorum qui beneficijs gaudent, ne sint illis in ruinam & in laqueum; sed potius proficiant ad salutem.



DVBIVM I.

Vtrum Beneficiarius sit verus Dominus reddituum sui beneficij.

PRima sententia negat, & eam latissime probat Nauar.de redditibus quæst.2.& ex antiquioribus eam defendunt Alexander, Anton. Riccardus, & alij, quos citat Vasq. opusc. de reddit cap 1.& Sanch.lib 2 cons.cap.2. Docet ergo hæc sententia Beneficiarium esse merum administratorem.

Probatur primo, ex innumeris locis PP. & Conciliorum In quibus habetur, Bona quæ supersunt congruæ sustentationi ipsius Beneficiarij esse pauperum, atque ideo furtum & sacrilegium committi,quando eroganttur in vsus prophanos.

Secundo probatur: quia Beneficiarij iure communi prohibentur testari de redditibus Ecclesiasticis:ergo supponitur eos non esse dominos talium bonorum.

Tertio redditus huiusmodi, & bona ecclesiastica initio erant sub dominio Ecclesiæ in communi, & nemo in particulari erat dominus illorum, sed solum Clerici,& alij poterant ex illis alimenta percipere cum onere distribuendi reliqua in vsus pios: ergo facta diuisione portio clericis assignata translata fuit ad eos sub eodem onere.

Probatur consequentia; Ideo Ecclasiastici ab initio.eam obligationem habebant, quia non possunt prædicta bona aliter retineri, & expendi, nisi iuxta intentionem donantium: nam fideles qui primo donarunt ea bona,non aliter dederunt Ecclesiæ, nisi ad sustentationem ministrorum, & ad opera pietatis; ergo non aliter expendi possunt: consequenter beneficiarij non sunt domini, sed meri administratores, sed eadem ratio militat post factam diuisionem.

Confirmatur. In prædicta redditurum diuisione designata fuit quædam portio in subsidium & subleuationem pauperum, quæ nullibi separata nunc inuenitur; ergo signum est esse permixtam cum redditibus beneficiorum: ergo saltem quoad illam partem remanet obligatio iustitiæ non aliter illam expendendi.

Tandem probatur, Si Beneficiarij essent domini talium reddituum, possent eos libere expendere, sicut bona sui patrimonij absque obligatione erogandi in pauperes quod superest congruæ sustentationi, sed hoc est falsum, & con-

& contra omnes Theologos, ergo non sunt Domini.

Ex hac sententia inferunt, si beneficiarius expendat in vsus prophanos quod supercst propriæ sustentationi teneri ad restitutionem, tam ipsum, quam eum qui accipit; quia inualidè alienat, & peccat contra iustitiam.

Secunda sententia probabilior, & hoc tempore communis sustinet, beneficiarios esse veré dominos prædictorum redditunm, exceptis tamen Religiosis, qui ratione voti paupertatis sunt incapaces dominij: (imò etiam Religiosi facti Episcopi dominiū acquirunt,& voto paupertatis liberantur secundum multos Doct.apud Dianā.5.p tr.8.de eleemos ref.31.) & eam docent Sarmiento, Sotus, Conar. Corduba, & alij innumeri, quos citat & sequitur Vasq & Sanch. locis cit. Lessius lib.2.& dub.4. Coninch.de Fide disp.17. Lugo disp 4.sec.1.

Probatur primo, ex Trid sess.24.c.12. de reform. vbi statuit, quod si beneficiarius cum animarum cura, vel dignitatem habens non faciat fidei professionem intra duos menses à die adeptæ possessionis, non facit fructus suos; hoc est non acquirit dominium fructuū illorum: & alibi eodem modo loquitur: supponit ergo Concilium, quod aliàs beneficiarij faciāt fructus suos. Sic ergo argumentor: idem est facere fructus suos, ac habere illorum dominium; sed beneficiarij non contrauenientes decretis Trid. faciunt fructus suos: ergo non violantes decreta &c.

Dicetis; Decreta Concilij possunt intelligi de parte quā possent sibi retinere pro congrua sustentatione quam beneficiarij faciunt suam; quia possunt pro libito de ea disponere. Sed contra: quia Trid. absolutè loquitur. Deinde sequeretur non facientes professionem Fidei, vel non residentes, ea sola parte priuari, non verò de superflua, quia Concilium per adnetsarios non loquitur de superflua, cuius ideo haberent administrationem sicut alij, quod est apertè falsum & contra praxim, & mentem Concilij.

Secundo probatur, si beneficiarij non essent domini, nec validè disponerent de prædictis redditibus deberent rescindi omnes donationes, & contractus quibus extra pios vsus, eos distribuunt: At hoc est falsum, & contra praxim: ergo &c.

Tertio probatur: quia nullo iure constat beneficiarijs dari solam administrationem, & nō dominium huiusmodi fructuum: ergo non est afferendum in re odiosa.

Ad opposita respondetur ad primum. PP. decret.& Conc. vt plurimum loqui de redditibus Ecclesiasticis secundum priorem statum, quando bona à fidelibus oblata, erant communia; in quo statu concedimus Clericos non fuisse dominos. Postea vero ad vitanda incōmoda quæ sequebantur ex confusa illorum administratione; diuisa fuerunt in quatuor partes, quarum vna Episcopo, alia Clero, alia Fabricæ Ecclesiæ, alia denique pauperibus assignata fuit; qua facta diuisione singuli tam Episcopus quam Clerici cęperunt habere dominium partis sibi assignatæ.

Aliqui ex SS.PP. qui eodem modo loquuntur de prædictis redditibus post diuisionem, ita loquūtur per quandam piam exaggerationem sicut etiam id dicunt de sæcularibus diuitibus non subuenientibus egenis.

Ad secundum respondetur Beneficiarijs interdici dispositionem per testamentum, non defectu dominij, sed alia ratione, vt promptiores sint ad eleemosynas largiendas in vita alioqui rescindi deberent donationes & dispositiones inter viuos, quod tamen non fit.

Ad tertium distinguendum est consequens. Translata fuit sub eodem onere distribuendi superfluum in pios vsus conceditur cōsequens sub eodem onere, idest cum carentia dominij negatur consequentia. Quia Ecclesia, quæ erat domina potuit transferre dominium in beneficiarios. Ad probationem disting. min. Fideles non aliter dederunt &c. nisi cum pacto & conditione, vt deberent ex iustitia taliter expendi negatur: Vnde neque in primo statu ministri Ecclesiæ tenebantur ad restitutionem si aliter expendissent ipsa Ecclesia non inuita. Dederunt absque eo pacto sed simpliciter, fidentes piæ Ecclesiæ administrationi concedo: At inde non sequitur beneficiarios non esse dominos: sicut non sequitur Ecclesiā in communi tunc non fuisse dominam prædictorum bonorum Lugo supra.

Ad confirmationem respondeo, partem illā pauperibus destinatā, facile credi potest fuisse applicatam vel ad hospitalia, vel ad seminaria, vel ad alia opera pia: vnde negatur conseq.

Ad vltimum, nego sequelam maioris tenētur enim beneficiarij expendere superfluum in vsus pios non ex carentia dominij, sed ex alio titulo de quo mox agendum: Sunt enim bona diuersæ rationis; patrimonialia sunt bona prophana à parentibus carnalibus relicta: redditus vero prædicti sunt bona Ecclesiastica, quæ secundum omnes habent adnexum aliud onus, non lege iustitiæ, quia beneficiarij sunt domini, sed alia ratione de qua inquirendum.

DVBIVM II.

Vtrum beneficiarius teneatur in vsus pios fructus sui beneficij expendere, & quo iure:

Certum est secundum omnes Doct. beneficiarios contrahere talem obligationem & docent D. Thom. Quodlib. 6. art. 12. ad 4. Palatius vterque, Sotus & alij innumeri, quos citant, & sequuntur recentiores Sanchez lib. 2. consil. cap. 2. dub 38. Vasquez Opusc. de eleemosyn. cap. 4. Lessius lib 2 cap. 4. num. 47. Lugo disp. 4. sect. 2. Quare, vt singularis reijcienda sententia Hurtadi apud Dianam 5. p. de eleemosyna res. 27. qui satis esse affirmat dare pauperibus dimidium eius quod superest & male citat pro se aliquos Doct. vt probat Lugo &c.

Difficultas est inter Doct. vnde nam oriatur talis obligatio.

Respondeo certum esse ad minus oriri ex præcepto Ecclesiæ. Probatur ex Trident. sess. 25. cap. 1. de reform. vbi sic habetur. S. Synodus omnino interdicit Episcopis ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresue suos augere studeant &c. quam obligationem inferius ad omnes beneficiarios, & ad Cardinales extendit. Et prædicta verba de redditibus proprij beneficij esse intelligenda ex cōmuni ferè omnium consensu patet quicquid alij pauci dicant, vt Lorca in 22. sect. 3. disp. 40.

Atque etiam ante Trid. ex communi sensu Ecclesiæ hæc obligatio vt certa habebatur, nedum quoad redditus Ecclesiasticos nulli appropriatos.

Difficultas alia est, vtrum ex solo præcepto Ecclesię nascatur hæc stricta & grauis obligatio, sub peccato mortali, vel etiam secluso tali præcepto tenerentur sub peccato mortali habentes redditus Ecclesiasticos erogare superfluum in vsus pios.

Prima sententia sustinet, secluso præcepto Ecclesiæ fore quidem indecens, & inordinatum expendere superfluum in vsus prophanos non fore tamen peccatum mortale: quia nulla esset lex cui ea actio opponeretur: Itaque grauis obligatio sub peccato mortali, solum oritur ex iure humano, & præcepto Ecclesiastico, ita Lessius l. 2. c. 4 dub. 6. Machado, Trulench. apud Dianam 7. p. tr. 10. res. 13.

Probatur: hoc est discrimen inter debitum legale, & debitum morale, seu honestatis, & decentiæ, quod illud primum importat grauem obligationem sed posterius leuem: sed secluso præcepto Ecclesiastico beneficiarij non facerent contra debitum legale sed contra debitum honestatis & decentiæ, idest contra decentiam status, quia Clerici, sunt patres pauperum; & contra gratitudinem; ergo, &c.

Sed contra primo: quia ante Trid. omnes agnoscebant, & concedebant grauem obligationem sub peccato mort. & non ex iure humano; ergo ex iure naturali.

Secundo, Si hæc grauis obligatio nasceretur ex solo iure Ecclesiastico humano, posset illi derogari contraria consuetudine, quod nemo concedit. Item possent prælati dispensare, quod falsum est.

Secunda ergo communis & vera sententia docet, etiam secluso præcepto humano adesse grauem obligationem non expendendi superfluum nisi in vsus pios. Itaque grauis hæc obligatio est iuris naturalis.

Probatur, bona quę Deo offeruntur non debent expendi nisi in opera pia, & ipsi Deo grata, ac oppositum facere, impium esse & grauem turpitudinem continens lumen naturale dictat: sed redditus Ecclesiastici sunt bona Deo ipsi oblata, idest in Dei obsequium, & gloriam ergo &c.

Probatur maior, tum ex Trid. loco cit. vbi eam grauem obligationem colligit ex eo quia redditus illi sunt Dei res; tum à simili quia si donaria argentea vel aurea, quæ E.g. Capellæ B. Virginis, vel alterius Sancti voti causa consecrantur, expenderentur in ludos, conuiuia, & similes prophanos vsus, graue peccatum committeretur cōtra reuerentiam Deo, & Sanctis debitam; ergo idem in casu nostro: quamuis enim Clerici acquirant dominium horum bonorum: quia simpliciter donantur à fidelibus; nihilominus remanet prædicta obligatio ex virtute religionis lumine naturali ita dictante. Vide Vasq. Lugo loc. cit.

Ex dictis colligitur, non potuisse Ecclesiam assignare aliter beneficiarijs redditus Ecclesiasticos nisi sub huiusmodi obligatione: quia nō potest dispensare in iure naturali.

DVBIVM III.

Vtrum Beneficiarius teneatur expendere in vsus pios totum quod superest propriæ sustentationi.

Prima sententia sustinet non teneri beneficiarios expendere in opera pia totum id, quod superest propriæ sustentationi; sed satisfacere suæ obligationi erogando in eleemosynas, & alia pietatis opera medietatem superflui vel quartam partem omnium redditū, quando redditus sunt pingues. E.g. habet Episcopus bis mille aureos redditeum, mille applicat ad propriam sustentationem ex reliquis mille,

satis

satis est si eroget in eleemosynas & pia opera quingento; alios quingentos poterit expendere pro suo libito. Alius Episc. vel Card. percipit ex bonis Ecclesiasticis duodecim millia aureorum, hic si tria millia expendat singulis annis in opera pia, planè videtur satisfacere suę obligat. quod dicunt intelligēdum esse quoad communem necessitatem nam si vrgeant extremæ vel graues, concedunt erogandum esse totum superfluum, & aliquid etiam detrahendum ex parte assignata propriæ sustentationi: hanc sententiam præcipuè tradit Hurtadus de Mendoza in 2.2. D. Thom. disp. 160. sect. 15. qui citat pro se Sotum, & Bannes, quatenus asserunt satis esse dare quartam partem omnium redditum; citat etiam Lorcam, Molinam, & alios. Consentit Diana p. 5 de eleemos. res. 27 & par. 8 tr 7. Miscell. res. 12. citans Trulench, & Machadum.

Probatur Beneficiarij non tenentur dare superfluum lege iustitiæ, cum sint veri domini: ergo solum lege charitatis & misericordiæ: sed charitas non obligat cum tanto rigore, & quoad totum superfluum quando non vrgent nisi communes necessitates: ergo non tenentur dare totum quod illis supet est.

Probatur minor: Tum quia nullibi constat de tam rigorosa obligatione. Tum quia quamuis Episcopi & alij magis obligentur quam laici ad eleemosynas, & alia pietatis opera; illa maior obligatio sufficienter explicatur per hoc quod laici in communibus necessitatibus solū tenentur sub veniali: Beneficiarij autem etiam sub pec. mor. Neutri autem tenentur totum superfluum donare, aliàs innumeri essent in statu damnationis.

Confirmatur; nam illa tam rigorosa obligatio erogandi totum superfluum nimis dura est, imo & periculosa, & difficillima obseruatu: ergo nisi de ea apertissime constet, non est asserenda: sed non constat de illa; ergo non est asserenda, ob periculum damnationis.

Definienda est ergo arbitrio prudentum: videtur autem arbitrium prudens iam explicatum, ergo &c. Hæc sententia est contra cōmunem, & tam laxa vt ab aliquibus singularis appelletur, Lugo supra: ab alijs inaudita, Granado infra; ideo non est admittenda.

Vera ergo, & communissima Thologorum sententia docet teneri beneficiarios insumere in eleemosynas &c. totum quod superest congruæ sustentationi.

Probatur primo, obligatio erogandi superfluum in opera pia oritur ex eo, quod ipsa beneficia & redditus inde prouenientes sint patrimonium Christi Domini, & res oblatæ in obsequium Dei, vt sæpe declarant sacri Canones: Et probatur insuper; quia hæc obligatio afficit præcisè bona Ecclesiastica Clericorum, non vero patrimonialia prophana; ergo oritur ex peculiari conditione bonorum Ecclesiasticorum, certè non alia, nisi quia sunt Deo dicata, & in obsequium Dei destinata: ergo graue peccatum est in vsus prophanos &c. Ergo omnes redditus debent expendi in opera pietatis, & nihil eorum in vsus prophanos. Probatur modò consequentia: quia non est maior ratio de vna parte, quam de alia, & quicquid insumitur in vsus propbanos subtrahitur obsequio & cultui Dei, & applicatur mundo & diabolo, in quo est grauis deformitas.

Nec obstat quod vna pars applicatur sustentationi beneficiarij, quia hæc etiam est opus pium quatenus ipse est minister Christi & Altaris.

Confirmatur nam pone Episcopum, cuius congruæ sustentationi supersint duo millia aureorum, hic licitè iuxta primam sententiam posset donare Nepoti, vel consanguineo mille singulis annis: At hoc est absurdissimum & contra Tridentinum supra, vbi docet esse illicitum ex his bonis ditare consang ergo &c.

Probatur secundo; quia grauissimi Doct. vt Caiet. in 2.2. q. 32. ar 7. obligant laicos sub mort. ad erogandum omnia superflua in eleemosynas ne rerum diuisio vergat in præiudicium pauperum, & testatur Granado apud Dianam. par 4. tr. 4 res. 214. quod quamuis à multis non admittatur; certum est tamen Ecclesiasticos multo strictius, quam laicos obligari eo præcepto, præsertim ex bonis Ecclesiasticis, quæ possident: ergo certum esse debet beneficiarios teneri totum superfluum in opera pia erogare; ita Doct. comm. citati initio & testatur de communi supra Lugo.

Ad opposita respondetur ad primum negando consequentiam, nam præter legem iustitiæ & charitatis est lex Religionis seu cultus Dei, obedientiæ, & aliarum virtutum: dicimus ergo vt supra, obligationem hanc oriri tum ex virtute Religionis; quia bona Ecclesiastica sunt Deo dicata: ergo impium est ea subtrahere pijs operibus, & in vsus prophanos insumere: Tum ex virtute obedientiæ ratione præcepti Ecclesiastici quod per sacros Canones, præsertim per Trid. supra explicatur: Non negamus autem beneficiarios obligari ad eleemosynas, etiam lege charitatis, imo magis obligantur quam laici: sed ex vi præcisa charitatis nō magis obligantur ad subueniendum pauperibus ex bonis sui patrimonij, quā ex redditibus beneficij: Nihil enim refert ad finem charitatis vtrum pauperibus subueniatur ex his vel illis bonis, dummodo illis succurratur: ergo illa maior obligatio; quæ adstringit beneficiarios supra laicos, & est spe-

cialiter adnexa bonis Ecclesiasticis non est metienda &c. Sed vel Religionis, vel obedientiæ ob præceptum Ecclesiæ; communis tamen sententia docet obligationem oriri ex vtroq; capite.

Ad confirmationem patet ex dictis de hac obligatione, tum lumine naturali; tum ex Trid. neque est tam rigorosa vt aduersarij exaggerant, cum possint beneficiarij ex suis redditibus expendere quicquid illis opus est ad commodam & congruam ipsorum sustentationem; vt infra; nil aliud rationabiliter exigere possunt, & aliud est contra professionem &c. Quid enim ipsis cum luxu, & pompis sæcularibus, qui seculares non sunt, sed Ecclesiastici & Deo dicati. Porro contra rationem est velle viuere more sæcularium.

DVBIVM IV.

An distributiones habeant adnexam supradictam obligationem eleemosynæ.

Distributiones appellantur stipendia ex redditibus Ecclesiasticis, quæ beneficiariis, vel Canonicis dari solent ob præsentiam in Choro, vel pro alio ministerio, quæ ideo appellari solent inter præsentes.

Prima sententia sustinet teneri beneficiarios superfluum harum distributionum erogare in vsus pios Nauarr. Sarmiento, & alij. quos refert, & sequitur Sanchez lib. 2. consil. cap. 2. dub. 46.

Probatur primo, distributiones sunt pars redituum beneficij ergo retinent eandem naturam & obligationem cum ipsis redditibus ex quibus deductæ fuerunt; ergo &c.

Probatur secundo. Pro assistentia ad horas in Choro non solum dantur distributiones, sed etiam alij redditus: sed alij redditus quamuis dentur pro eo seruitio, retinent prædictam obligationem ergo etiam distributiones.

Probatur tertio, Vel distributiones eximuntur ab ea obligatione ratione maioris laboris quo acquiruntur, vel quia dantur immediatè, vt merces laboris, neutrum dici potest.

Probatur minor: Non primum quia dignitas Episcopalis requirit maiorem laborem, & tamen non potest Episcopus pro libito de suis redditibus disponere. Non secundum quia etiam redditus beneficij dantur in stipendium sustentionis.

Secunda tamen sententia communis & probabilior negat talem obligationem circa distributiones. Ita Siluest. Couar. Palatius, & alij innumeri apud Sanchez loco cit. Bonac. t. 1. tract. 4. p. 2.

Probatur, Distributiones deductæ fuerunt ab Ecclesia ex fructibus & redditibus beneficiorum, vt sint peculiare stipendium & merces assistentium diuinis officijs in Choro, & vt Canonicos, & alios alliceret ad tale obsequium Ecclesiæ exhibendum: ergo signum est velle eos libere concedere, & absque alio onere. Probatur consequentia, Portio redditum quæ extrahitur ex aliqua præbenda, vt sit merces cantorum, vel magistri grammaticæ secundùm omnes transit in liberum eorum dominium: ergo idem dicendum de distributionibus, nam eadem est ratio vtrobique.

Confirmatur: Pensio beneficiario imposita non censetur imponi super distributionibus, sed super fructibus & redditibus beneficij, nisi aliud exprimatur, vt decreuit Rota Romana decis. 134. in nouissimis: ergo distributiones, neque comprehenduntur sub nomine beneficij fructuum propriè loquendo, neque dantur sub onere aliquo, sed liberè expendi possunt. Lugo disp. 4. sec. 3. n. 25.

Ad opposita, ad primum respondetur negando antecedens propriè & strictè loquendo vnde falsa est etiam consequentia: erant olim pars, non modò.

Ad secundum distinguo maiorem. Dantur alij redditus immediatè, & vt peculiaris merces illius laboris, nego: dantur immediatè pro titulo beneficij, mediatè verò & secundariò intuitu onerum, quæ sunt beneficio adnexa, concedo: & ideo alij redditus sunt propriè fructus beneficij; distributiones non item; Ideoque est dispar ratio de vtrisque.

Ad tertium respondetur distributiones eximi ab ea obligatione: non ratione maioris laboris, sed quia dantur immediatè non pro titulo beneficij, sed vt peculiaris merces assistentiæ Chori: alij vero redditus conceduntur immediatè pro titulo, & non solum in stipendium sustentionis, sed etiam intuitu aliorum onerum beneficij; nempe alendi pauperes, & fouendi opera pia.

Ex dictis colligitur quid sit dicendum, si omnes fructus beneficij consistant in quotidianis distributionibus, in quo casu non fit separatio; sed distributiones censentur fructus beneficij, & dantur immediatè pro titulo.

Nihilominus dicendum est, probabile esse tunc etiam distributiones fieri quasi patrimonialia bona, & subesse liberæ dispositioni beneficiarij; quia imitantur naturam aliarum distributionum, & ex peculiari dispositione Ecclesiæ hæc beneficia censeri exempta ab obligatione erogandi superfluum in pauperes, ita Glossa, Abbas, Rodoanus, & alij apud Bonac.

nac. loco citato, & Lugo supra. Ratio quia Ecclesia habet rationabilẽ causam assignandi fructus in mercedem & peculiare stipendium ad alliciendum &c Quo posito integrè satisfactum est oneri expendendi in opus pium; ergo &c.

DVBIVM V.

Vtrum Cappellani teneantur expendere superfluum in vsus pios.

Certum est in hac quæstione posse liberè expendi fructus Cappellaniæ amouibilis ad nutum; quia hæc non est propriè beneficium; nec confertur per Canonicam collationem, & ideo dicitur non collatiua: fructus ergo talis cappellaniæ sunt bona quasi patrimonialia, nec habent prædictam obligationem adnexam.

Difficultas ergo est de Cappellania collatiua & inamouibili, quæ est proprium beneficium Ecclesiasticum.

Prima sententia sustinet eandem esse obligationem de fructibus talis cappellaniæ expẽdendi superfluum in vsus pios, ac de redditibus aliorum beneficiorum, quia Trid supra loquitur vniuersaliter de omnibus beneficijs, ita Siluest verbo clericus. 4. q. Azor. Bonac. loc. supra cit. & alij.

Secunda sententia satis probabilis eximit ab ea obligatione Cappellanos quoscumque. Ratio, quia Ecclesia quoad redditus qui assignantur Cappellanis prædictis censetur velle se conformare intentioni fundatorum: intentio autem fundatorum videtur esse, vt Cappellani, qui sunt Beneficiarij, non sint deterioris condicionis alijs, qui sunt ad nutum amouibiles; sed potius voluntesse melioris conditionis; ergo sicut alij Cappellani amouibiles liberè gaudent fructibus Cappellaniæ absque alio onere, ita pariter Cappellani firmi & inamouibiles. Cõfirmatur quia Cappellaniæ immobiles institutæ fuere ad instar Cappellaniarũ mobilium, quæ prius erant in vsu, addita solum perpetuitate in commodum obtinentium illas: ergo probabile est voluisse fundatores assignare redditus pro stipendio; sicut in alijs prius assignabantur absque onere &c. Ita Driedo, Sotus, Sanch. supra & alij, quos citat & sequitur Lugo disp. 4. sec. 3. n. 29.

Ad fundamentum oppositę sententię respõdetur Trid. non loqui de redditibus beneficiorum qui sunt bona quasi patrimonialia & assignantur in meritum stipendium: sed de alijs, qui Deo consecrãtur iuxta intentionem fundatorum.

DVBIVM VI.

Vtrum pensionarij teneantur subuenire pauperibus ex eo quod superest propriæ sustentationi.

Prima sententia affirmat. Probatur: quia res quælibet transit cum suo onere, sed redditus beneficij habent adnexum hoc onus eleemosynæ; ergo transeunt ad pensionarium sub eodem onere, ita Nauar. Sarmiento apud Dianam p. 5. trac 6. ref. 29.

Secunda sententia distinguit; quædam enim pensiones dantur titulo laicali propter obsequia præstita E. g in militia &c. de quibus non est dubium eximi à prædicto onere. Alię sunt pensiones, quæ dantur titulo Clericali cum obligatione recitandi Officium Beatæ Virginis, quæ non eximuntur ab eo onere, quippe eadem videtur ratio de his pensionibus ac de beneficijs, ita Sanchez, Mendoza, & alij apud Dianam sup. Tertia opinio probabilior eximit simpliciter & absolutè omnes pensiones ab onere prędicto.

Probatur primo ex Trid. sess. 25. c. 1. de reform. vbi declarans eam obligationem loquitur solum de beneficiarijs; ergo signum est pensionarios non comprehendi.

Probatur secundo ratione: hoc ipso quod imponitur pensio alicui beneficio, extrahitur pars illa redditum à fructibus beneficij, & applicatur in opus pium E. g. in remunerationem meritorum erga Ecclesiam: Ergo non remanet vlterior obligatio applicandi eandem partem in opus pium. Probatur consequentia: quia iam satisfactum est obligationi, quæ erat adnexa illis redditibus.

Ad argumentum primę sententiæ respondetur: res transit cum suo onere, quando non est ei satisfactum: sed in casu nostro iam erat satisfactum; & ideo hanc sententiam sustinent Cigas de pensionibus q. 52. Couar. Rodoanus, & alij, quos citat, & sequitur Vasq. Opusc. de eleemos. cap. 4. dub. vltim.

DVBIVM VII.

An beneficiarius possit liberè expendere id quod sibi subtrahit parcius viuendo.

Respondeo affirmatiuè ex communi DD. sententia Nauarri, Couarruuij, & aliorũ quos refert, & sequitur Sanchez lib. 2. consil. cap. 2. dub. 44. Lugo supra contra Panorm. Sarmient. & alios.

Probatur. Redditus beneficiorum, quoad eam partem congruæ sustentionis: iam sunt piè expensi tum ab Ecclesia, quę illam partem applicat beneficiario in stipendium pro suo officio, tum ab ipso beneficiario, qui licitè applicat sibi eam partem: ergo quoad illam cessat prędicta obligatio ex dictis præcedenti quæstione.

Probatur secundo, in hoc casu nullum fit pręiudicium pauperibus, vel Ecclesię, quia poterat beneficiarius expendere in suum com modum: ergo nullum peccatum.

Tandem hęc portio illi debetur cui subtrahitur, sed subtrahitur ipsimet beneficiario à se ipso: ergo eidem debetur, potestque ad libitum disponere.

DVBIVM VIII.

Vtrum Beneficiarius ex suo patrimonio diues possit viuere de redditibus Ecclesiasticis.

Aliqui negant vt Alensis, Adrianus, Decius, & alij, quos affert Sanchez loc. supra cit. Adducunt pro se loca PP. & Conciliorum, quę id prohibẽt. Sed cõmunis sententia affirmat, Caiet. Siluest. Carduba, & alij, quos refert, & sequitur Sanchez supra.

Probant aliqui; quia titulus beneficij dat ius ad congruam sustentionem. Sed contra: quia sequeretur eum qui plura beneficia habet posse ex singulis accipere integram sustentionem, quod est falsum contra comm.

Probatur ergo; quia id quod expenditur in alendis ministris Ecclesiæ, piè, & licitè expenditur, quamuis aliunde habeant vnde viuant: ergo non est cur cogantur beneficiarij viuere ex suo patrimonio, quod ideo manet in libera dispositione Domini. Probatur antecedens: quia sic prouideri potest dignioribus ministris. Vnde

Sequitur primo eum qui habet plura beneficia, non posse plus accipere quam postulet congrua sustentatio attenta eius dignitate, & alijs circumstantijs; quia Ecclesia iam expendit quod satis est ad alendum talem ministrum: ergo nil aliud &c. Item beneficiarius nil aliud potest accipere ex redditibus nisi, quod illi debetur; sed non debetur nisi congrua & sufficiens sustentatio: ergo supra hoc nil potest &c.

Sequitur secundo, eum qui habet pensionem Clericalem, qua congruæ alitur, non posse ex alijs beneficijs accipere nouam sustẽtionem ratione noui tituli; quia iam Ecclesia sufficienter expendit ex bonis Ecclesiasticis: quod sufficit tali ministro. Nec obstant aliqua loca PP. & Conciliorum, quibus significatur non posse ali ex redditibus Ecclesię cum qui ex suo patrimonio ali potest; nam ea loca procedunt de iure antiquo, quando ex illis bonis non assignabatur portio pro Clericis, sed ponebantur in communi ad alendos pauperes.

DVBIVM IX.

De modo, & ordine expendendi in pauperes id quod superest propriæ susten-tationi.

Prima difficultas. Qui nam intelligantur nomine pauperum. Respondeo breuiter intelligi primo eos, qui non habent necessaria ad sustentionem vitę. Secundo eos qui carent necessarijs ad conseruandum suum statũ iuxta eorum conditionem, ita Nauar. Bartolus, Caiet. & alij apud Sanchez lib. 2 consf. cap. 2. dub. 38.

Vnde sequitur etiam Marchionem, vel Ducem posse ali quando esse capacem cui beneficiarius de superfluis subueniat, multo magis si consanguinei sint.

Quoad alios vsus pios possunt expendi superflua in victum & vsum religiosorum, in Missas & suffragia pro Defunctis, in hospitalia, & cultum Ecclesiarum, & tandem in ea omnia, quæ vel ad cultum diuinum, vel ad opera misericordiæ spiritualis vel corporalis ordinantur, Doct. citat. Vide Lugo disp. 4. sec. 3. num. 37.

Secunda difficultas; vtrum sit obligatio expendendi superfluum in pauperes, & loca pia illius Ciuitatis vel terræ in qua est beneficium, vel possint expendi extra illud territorium.

Respondeo, & dico primo: Si in loco benefícij

ficij sint necessitates extremæ, vel etiam graues, teneri Episcopum, vel beneficiarium his primo loco subuenire, nec posse licite in præiudicium proprij populi, & incolarum alibi expendere quod illi supereſt.

Dicetis; si intentio fundatorum est vt superfluum erogetur in pauperes illius loci, vbi est beneficium; ergo illicitè sum. Pont. pensiones imponit, quibus pauperes illius loci fraudantur. &c.

Respondetur fundatores in omnibus habere voluntatem subordinatā voluntati summi Pont. qui ideo stante causa rationabili, potest tum pensionibus tum alijs vijs applicare fructus, vt sibi bene visum fuerit.

Probatur primo: quia in prædictis necessitatibus tenentur etiam sæculares illius loci subuenire pauperibus sub graui præcepto, vt docent communiter DD. Videte Vasquez de eleemosina c. 1. dub. 3. Coninch de Charit. disput. 27 d. 8. ergo multò magis Ecclesiastici, præcipue qui ibidem possident beneficia.

Secundo, tum quia populi de gentes in loco beneficij, aliquo modo cōcurrunt ad redditus illius, ergo iure merito debent præferri alijs. Tum quia sunt magis proximi, & ideo secundom regulas charitatis præferri debēt: nam licet aliquis possit ex necessarijs ad suum statū eleemosynas facere, vt multi Sancti fecerunt; in præiudicium tamen suorum non potest absque eorundem consensu E. G. vxoris, & filiorum, vt obseruat Coninch loco cit, ergo pariter in casu nostro. Tandem id videtur magis conforme piæ intentioni fundatorum beneficij: Doctores citandi Molina, Lugo, & alij quos affert Diana p. 10. trac. 11. resol, 36. Ex his colligitur: si propria Ecclesia indiget necessarijs ad suum statum specialiter conseruandum vel recuperandum, non posse Episcopum vel beneficiarium licite expendere alibi, quod sibi supereſt; Sed teneri prius propriæ Ecclesiæ prouidere: ex. gr. si deessent necessaria ad diuinum cultum, ad doctrinam, prædicationem, & alia huiusmodi necessaria ad consulendum saluti populi sibi commissi ob rationes explicatas; Molina disp. 145. Lugo disp. 4. cit. sec. 3. n. 38.

Dico Secundo: Quòad necessitates communes extra graues & extremas, quamuis communiter præferri debeant incolæ illius loci, vbi est beneficium ob rationes supra explicatas, non videtur tamen culpa grauis si his omissis vellet beneficiarius exterorū necessitatibus consulere. Ratio est: quia Ecclesiæ gubernatio directè, & primariò ordinatur ad bonum speciale subditorum: ad temporalia verò, quatenus id necessarium est, ad finem specialem, & animarum salutem; Ergo extra graues necessitates: si Ecclesiastici non consulant suis populis quòad communes necessitates temporales, non videntur grauiter suæ obligationi deficere; Azor. to. 2. lib. 7. cap. 9. Bonae. de benef. disp. 4. p. 2. Lugo supra.

Tertia difficultas, vtrum superflua debeant statim expendi in vsus pios, vel possint congregari, & reseruari ad fundandum postea hospitale, vel quid simile.

Respondeo ex D. Tho. 2. 2. q. 185. art. 7. ad 4. Caiet. ibidem, & communiter DD. distinguendo si nulla immineat necessitas pauperum, vel Ecclesiæ, posse licite imposterum seruari; quia id redundat in maius Dei obsequium, & populorum vtilitatem: si verò necessitates immineant, id non esse licitum.

Probatur Beneficiarius tenetur expendere superflū iuxta intentionem Ecclesiæ, & in vsus ab ea determinatos: sed intentio Ecclesiæ est, vt consulatur præsentibus necessitatibus pauperum, vel cultus diuini, quia non est secundum regulas prudentiæ, omissis præsentibus velle futuris prospicere; ergo &c. Videte etiam Vasq. c. 4. de elemos. dub. vlt. Molina disp 145. Lugo supra.

Imo in priori casu maxime præcauendum est periculum ne illa bona, quæ reseruantur in vsus pios deueniant in potestatem aliorum, qui in vsus prophanos illa insumant ob inopinatam mortem ipsius beneficiarij, vel similem causam, in qua omissione posset intercedere grauis culpa ob graue periculum dissipationis prædictorum bonorum. Molina, Lugo. citatis locis.

Quarta Difficultas. Vtrum qooad prædictam obligationem expendendi superfluum in vsus pios detur paruitas materiæ ita vt excusetur à pec. mort. qui ex superfluo parum expendit in vsus prophanos.

Respondeo certum esse dari paruitatem materiæ quia hæc obligatio minor est, quam obligatio iustitiæ, in qua datur paruitas materiæ secundum omnes. Punctus autem difficultatis consistit. in designanda hac paruitate: Notant enim commoniter DD. transgressionem huius præcepti non esse metiendam regulis iustitiæ circa materiam furti: sed multò maiorem quantitatem requiri ad pec. mor. circa vsurpationem vel expensionem superflui in vsus prophanos, quam requiratur ad peccatum mor. circa vsurpationem, vel consumptionem rei alienæ.

Est ergo prima regula: quam tradit Aegidius Coninch de Charit. disp. 27. dub. 11 vbi dicit, notabilem summam reputari quæ sit notabilis respectu redditūum superfluorum ipsius beneficiarij, vt si quartam aut quintam partem in res prophanas expendat. Quare si mi-

si minus supradicta parte beneficiarius expendat in vsus prophanos iuxta hanc sententiam non peccat mor.

Sed hæc regula nimis laxa videtur: nam in beneficijs pinguibus: si quis haberet superflua viginti millia aureorum, & singulis annis in parasitos, & ludos expenderet tria millia, omnes dicerent eum peccare mortaliter, & secundum prudens iudicium posset hic grauiter puniri.

Secunda regula est. Paruam materiam censeri illam, qua ablata remanet nihilominus moraliter quamuis non mathematice integra summa: atq; adeo verificatur moraliter quod illam summam beneficiarius in pios vsus expenderit, idest circiter paulò plus, vel minus: nam quod circiter fit, dicitur etiam moraliter fieri: quam autem latitudinem importet illud verbum Circiter, vt possit moraliter verificari propositio: E. G. expendi Centum circiter; Multi D. D. apud Lugo disput. 4. sec 3. n.42. dicunt importare quinque pro quolibet centenario, & consequenter vigesimam partem totius summæ. Itaquè ad rem nostram si beneficiarius ex superfluo vigesimam partem expenderet in vsus prophanos non videtur damnandi peccati mor ratione paruitatis materiæ. Vide Lugo supra.

Quinta difficultas. Vtrum si beneficiarius emerit ex superfluo aliqua bona in proprium commodum teneatur illa vendere, & conuertere prętium in vsus pios; E. G. si emerit possessiones vel bona mobilia superflua.

Respondeo ex communi DD. non posse beneficiarium prędicta bona retinere: sed teneri ea conuertere in vsus pios.

Probatur primo: Id quod acquiritur ex fructibus beneficij succedit eorum loco; sed fructus debentur pauperibus quatenus excedunt congruam sustentationem: ergo etiam quod ex illis acquisitum est. Probatur maior: tum quia hoc commune est in lucro non industriali, vt succedat loco rei obligatę: tum quia secundum omnes prętium quod Cleric. accipit ex immediata venditione fructuum sui beneficij, succedit loco fructuum; alias nec illud teneretur insumere in vsus pios quod est falsissimum. Atque ita docent Redoanus, Couarr. Azor. & alij, quos citat, & sequitur Filliuc. trac. 43. c 4. q. 2. Bonac. cit. disp. 4. qui tamen tacito nomine citat aliquos in oppositum. Vide Lugo sup.

Sexta difficultas. Vtrum si beneficiarius expendat ex suo patrimonio ad sui sustentationem possit postea rorum sibi compensare ex rèdditibus beneficij, vel si fecerit eleemosinas ex patrimonio.

Respondent affirmatiuæ Molina d.145. Lessius c. 4. dub. 6. Sanchez l. 2. Consil. c. 2. dub 38. Bonac. & alij; quia non præsumitur beneficiarius velle se priuare libertate sua, Limitant tamen nisi habuerit animum non compensandi; sed libere donandi, quam tamen limitationem reijcit Lugo supra.

Septima difficultas. Vtrum accipientes ex predictis bonis superfluis quando expenduntur in vsus prophanos, peccent et teneantur ad restitutionem.

Prima sententia est Nauarr. Siluest. et aliorum, qui sentientes vt supra beneficiarium non esse dominum redditùum sui beneficij; consequenter affirmant, accipientem peccare mortaliter et teneri ad restitutionem: quia beneficiarius donans inualide et contra iustitiam donat: ergo etiam accipiens peccat contra iustitiam, et tenetur ad restitutionem. Cæterum suppositis nostris principijs certū est accipientem non teneri ad restitutionem: quia cum beneficiarius sit dominus valide transfert dominium in accipientem: ergo neuter peccat contra iustitiam, nec tenetur restituere.

Punctus difficultatis est, vtrum peccet accipiens sicut peccat beneficiatus dando: præcipue, cum hic donat in illis circunstantijs, vt non possit aliunde satisfacere suo debito: quia non habet alia bona.

Respondeo si accipiens petat, vel inducat beneficiariū ad donandum, certum est peccare mortaliter quia est causa peccati alterius: si vero non inducat sed oblata acceptet, excusari potest à peccato. Ratio, quia in hoc casu non est causa cur ille peccet: sed supposito, quod velit sponte donare, acceptat vtēs iure suo: ergo non peccat. Probatur antecedens, quia nemo tenetur negligere suum commodum, etiam si inde per accidens sequatur tantundem damni, vt in simili docet Lessius. l. 2. cap 20. dub. 19. Molina tom. 2. de iustitia disp. 328. Petrus Nauarra l. 3. de rest. c. 4. num. 218. Vide Lugo supra.

Dices; cooperatur peccato alterius; ergo peccat.

Respondeo negando antecedens: quia peccatum alterius consumatur per ipsam oblationem: qua posita alter acceptat vtens iure suo, & permittit peccatum illius ne suum negligat commodum, Adde, præceptum non transferendi dominium illorum bonorum prohibere translationem actiuam clerici, non passiuam accipientis. Vide Lugo disp 4 sec 3. num. 50.

Octaua difficultas, vtrum ad lites contra beneficiū teneatur beneficiarius expendere de suo patrimonio: Vide Lugo supra.

Nona difficultas: vtrum hæres qui succedit be-

beneficio in bonis superfluis redditũum beneficij teneatur illa expendere in vsus pios.

Ratio dubitandi; quia representat personam defuncti, ergo succedit in omnem obligationem illius circa illa bona: sicur hæres tenetur adimplere vota testatoris defuncti: quia ea bona manent affecta obligatione à defuncto contracta.

Prima sententia affirmat ob rationes tactas Vide Lugo de contr. disp. 23. sec. 6. n. 102.

Secunda docet, quamuis beneficiarius peccet testando ad vsus non pios, quia tamen valide disponit, siue ex concessione Papæ possit testari, siue ex legitima consuetudine: potest hæres expendere ad libitum sicut donatarius: sufficit enim causa, qua innititur licentia Summi Pont. ob merita beneficiarij &c. vel quia ad vitandas lites, & pericula animarum, ea videtur mens Pontificis: sicut autem potest Pontifex hæc concedere, idem poterit legitima consuetudo, eodem Pontifice sciente & approbante introducta. Quod autem dicimus de successoribus ex testamenro idem de successoribus ab intestato, ab eandem rationem, & ita præsumi potest introductam esse talem consuetudinem; vbi siue ex testamento siue ab intestato hæredes succedunt cum libera facultate in eorum bonis. Vide Lugo supra disp. 23. sec. 6. n. 104. Vide etiam de hac quæst Vasq. de redditibus cap. 1. §. 3. dub. 10. Filliuc. trac. 43. de spol: c. 7. Sanch. in Consil. l. 2. c. 2. q. 51. qui adhærent secundæ sententiæ.

DVBIVM X.

In quibus consistat propria sustentatio, et quousque extendatur.

IN hac quæstione conuenit inter DD. communiter nomine congruæ sustentationis intelligi necessaria ad alendam propriam personam, & familiam; & ad decentem conseruationem status ipsius beneficiarij iuxta conditionem gradus vniuscuiusque & qualitatis, vt viuat honorabiliter more Ecclesiastico non autem cum pompa prophana, & delicijs sæcularibus. Ita Cordub. l. 1. quesitum q. 18. Molina disp. 145. Sanchez l. 2. Consil. c. 2. dub. 4. Lugo disp. 4 sec. 4.

Vnde patet congruam sustentationem taxari non posse pro omnibus æquali valore: quod enim sufficit Canonico E. G. non est sufficiens Episcopo, & sic de alijs. item quod sufficit in vna regione non sufficit in alia: similiter plura sunt necessaria delicato, vel debili quam alteri robustro, & benè valenti. Singuli ergo possunt expendere iuxta exigentiam gradus, necessitatis propriæ &c. His positis.

Prima diffic. est, verũ assignari possit aliqua regula pro huiusmodi congrua sustentatione.

Resp. breuiter duplicem regulã tradi à DD. Prima est vsus & consuetudo aliorum, qui timoratæ conscientiæ existimantur, & in eodem gradu dignitatis sunt, E. g. si canonicus expendat sicut alij pij & honesti Canonici eiusdem Ecclesiæ expendere solent, Molina, Lugo, & alij supra citati.

Secunda regula, quæ magis in particulari determinat mensuram congruæ sustentationis pro singulis beneficiarijs est quam tradit Nauarrus trac. de oratione Miscell. 62. à n. 7. Nempe cõgruam sustentationem Clerici Simplicis importare expensas necessarias ad alendum ipsum modestè, & insuper vnicum ministrum seu famulum, vnum coquum, & ad conducendam habitationem necessariam.

Secundo pro Magistro seu Doctore Theologiæ vel Iurium, vel pro Clerico nobili satis est expendere, quod valet ad alendos duos ministros, & coquum, & insuper vnum equum, & ad conducendam habitationem, quæ dignior sit quam pro Clerico simplici.

Tertio beneficiario nobiliori ex. gr. filio, vel fratri Ducis, Marchionis, & similibus quid amplius concedendum; nempe quatuor vel etiam octo famulos secundum indigentiam status, coquum, duos equos, & domum proportionatam.

Quarto Episcopi regulariter loquendo, vt docet Maior in 4. disp. 24 quæst. 18. possunt ex suis fructibus duodecim aut quatuordecim famulos sustentare. Cæterum pro Episcopis colligitur alia regula ex Trid. sess. 14. c. 13. vbi statuit, ne pensiones imponantur Episcopo cuius redditus non excendunt mille aureos; aut Parocho cuius redditus non excendunt centum: quo decreto significari videtur mille aureos non excedere congruam sustentationem Episcopi &c.

Denique pro Cardinalibus aliqui arbitrantur non excedere congruam sustentationem si quilibet habeat mille aureos in singulos menses, quæ mensura aliquibus laxior videtur quia plures Cardinales de facto in ipsa Romana curia minus expendentes, suam Cardinalitiam dignitatem decenter sustinent. Cæterum de hac re ipsimet Cardinales melius iudicare possunt iuxta gradum vniuscuiusque, & ipsa experientia; Vide Filiuc. tr. 41. c. 7. qui agit de causa dispensandi super pluralitate beneficiorum ex defectu redditũum; & Lugo disp. 4. cit sec. 4.

Ex dictis colligitur primo congruam sustentationem non consistere in indiuisibili, sed habere latitudinem supremi, medij, & infimi, sicut de pretio naturali rerum affirmant communiter DD. quæ enim non sunt le-

lege definita, sed ex prudentum arbitrio pendent, eam latitudinem habent, vt docent in casu nostro Molina Nauarr. Lugo locis citatis. Vnde vlterius sequitur si infimum congruæ sustentationis respectu Episcopi E. gr. essent 800. aurei, medium 900. summum vero mille; Si ipse solum expenderit 800. poterit ducentos, alios, qui super sunt reseruare sibi ad vsus, quos voluerit: quia id totum continetur intra terminos congruæ sustentationis DD. citati.

Secundo colligitur, non videri aptam neque approbandam regulam quam tradit Soto lib. 1. de iustitia quæst. 4. nempè vt beneficiarius eroget in pauperes quartam partem fructuum quando beneficium est amplum, & pingue; quia fieri potest vt dimidium fructuum & minus sufficiat ad congruam sustentationem. Certum est autem secundum omnes totum quod superest erogandum esse in pauperes, & opera pia: vnde illam regulam Soti impugnat Azor. Granado in 2.2. controu. 3 tr. 11. disp. 3. Lugo loco cit.

Tertio colligitur beneficiarios insignis nobilitatis posse ad congruam sustentationem plus expendere quam alios, vt suum statum conseruent, sed intra terminos modestiæ quæ decet Ecclesiasticum nō verò ad pompas prophanas, & sæculares; quia beneficia non sunt ad hoc instituta; de qua re videri potest Coninch. de Fide Spe, & Char. disput. 27. de eleemosyna dub. 9. Nauar. de reddit quæst. 1. Molina tom. 1. disp. 45. cit Sanchez l. 2. consil. cap. 2. dub. 41. & Lugo loco citat. à num 60. Imò Pet. Lorca 2.2. sec. 3. disp. 40. negat ratione nobilitatis aliquid plus insumi posse contra alios Doct. cit.

Secunda difficultas; vtrum beneficiarius qui vltra id ad quod tenetur ex officio, longe plus laboris & industriæ impendit in Ecclesiæ vtilitatem, possit sibi accipere ex fructibus beneficij aliquid amplius augendo propriam sustentationem supra alios eiusdem conditionis, qui prædicta obsequia non præstant, E.g. Parochus, qui vltra functiones ad quas per se ipsum tenetur, sępius prædicat, frequentius audit confessiones & maiori diligentia populum docet & pascit.

Respondeo posse maius stipendium sibi accipere. Probarur: quia posset licitè alterius operam conducere ad similes functiones assignando illi peculiare stipendium; ergo si per se ipsum illas exequitur, poterit sibi ipsi applicare in stipendium eandem fructuū portionem, quam alteri posset concedere; quia c[illegible]endit in vsus pios, [illegible] N[illegible]ar. Co[illegible]at. Ma[illegible]or. q[illegible]os citat, & se[illegible]itur Mo[illegible]a de iustit. tr. 2. cit. di[illegible]p. 144. Petr. [illegible] Soto de instit. Sacerd. tr. de vita Sacerd. lec. 3. Sanch. 3. l. 2. consc. 2. dub 38. Lugo disp. 4. sec. 4 n. 65.

Tertia difficultas; vtrum nomine sustentat. debeat etiam intelligi hospitalitas.

Resp. certum esse posse beneficiarium licitè expendere ex fructibus beneficij, etiam qui supersunt propriæ sustentationi in hospitalitatē erga pauperes peregrinos; quia hæc numeratur inter potissima pietatis opera, & maximè comendatur clericis in Trid. sess. 25 c. 8. de ref.

Sed difficultas est de expensis in hos[illegible]italitatē vrbanam cum debita moderatio[illegible]e, & de conuiuijs moderatis cum amicis: [illegible]r[illegible]um illæ comprehendantur nomine co[illegible]ruæ [illegible]stentat.

Dicendum est enim comprehendi: quia huiusmodi expensæ fieri solent a[illegible] his qui se moderatè sustentant, vt cū D. Th. Q[illegible] d[illegible]b 6. ar. 12 cum Nauar. & Cordub. docent Molina, Sanch. locis cit & Lugo supra

Quarta difficultas; vtrū beneficiarius possit soluere debita ex fructibus beneficij br[illegible]ui[illegible]r

Resp. disting. vel enim beneficiarius aliunde habet ex proprijs bonis vnde soluat, vel [illegible]on habet.

Si primum dicendum est eum no[illegible] posse licitè ex fructibus beneficij soluere deb[illegible] ita cōtracta pro vsibus prophanis: q[illegible]a [illegible]oc e[illegible]set expendere fructus prædictos in vsus prophanos, quod nō licet, ita Nauar. Auen[illegible]agn. & a[illegible]ij, quos refert. & sequit Sanch. c 2 cit dub. 42. Lugo s[illegible]p.

Si verò debita contracta sint pro beneficiarij sustentatione, vel ob causam piā post adeptum beneficium, solui possunt ex red[illegible]ibus beneficij. quia ex his potest clericus se sustentare, & in opera pia expendere. D[illegible]ati.

Dixi Post adeptum benefic[illegible] té-pore antecedenti non tenetur Ecc[illegible] im-alere, nec opera [illegible]a antecedēti[illegible] ad [illegible]s pertinent. Al[illegible]oquin posset be[illegible]com-pensare sibi omnia, quæ per [illegible] piè expendit, quod nemo conc[illegible].

Vide etiam Bonac. to. 1. [illegible]g benefi-ciar. circa fructus punc. [illegible] vtrum qui insumpsit bona pa[illegible] in vtilitatem Ecclesiæ &c. possit tantundem ex beneficij fructibus capere in compensatione[illegible]

Respondet absolute posse: quia est quædam compensatio.

Quoad secundum caput, dicendum posse & teneri beneficiarium ex fructibus benefi[illegible] soluere debita quomodolibet contracta.

Probatur: quia debitor impote[illegible]s ad solutionem hoc ipso censetur indigens & pauper: ergo vt talis potest sibi succurrere ex fructibus beneficij; sicut posset alios ære alieno grauatos, subleuare. Vnde etiam sequitur eum teneri: quia debitor quoties soluere potest tenetur suæ obligationi satisfacere DD. cit.

Quinta difficultas, vtrum ex prædictis bonis Ecclesiasticis possit beneficiarius aliquid expendere in vsum: & commodum suorum nepotum, & consanguineorum.

Respondeo distinguendo. Si consanguinei non indigeant neque ad sustentionem vitæ, neque ad conseruationem status, nihil posse beneficiarium in eos expendere ex superfluo: quia hoc non esset expendere in vsus pios, sed ex affectu carnis, & sanguinis augere consanguineos, quod expresse interdicitur per Con. Trid. sess. 25. c. 1. de refor.

Si verò consanguinei pauperes sint, & indigeant saltem secundū condirionem sui status, potest beneficiarius eis succurrere ex fructibus beneficij. Probatur Quod expeditur ad subleuandam pauperum indigentiam, piè, & laudabiliter expenditur: sed ita est in casu nostro: ergò &c. Ita DD. communiter Nauar Soto, & alij, quos refert, & sequitur Sanchez l. 2. Cons. c. 2. dub. 38. Lugo supra citans alios Filliuc. &c. Imo addit Sanchez cum Nauar & alijs: nos plus teneri nostris, quam extraneis. Lugo supra.

Colligitur primo, posse beneficiarium ex prædictis bonis consanguineos in studio alere, quando aliunde non habent: quia parentes vel id non possint: vel quia nolunt. quia in vtroque casu indigent subleuatione atque idem dicendum de promotione eorundem ad doctorum si ad hoc etiam indigeant, Ita Na ar. l. 3. consiliorum consa: de vita, & honest. & alij, quos citat, & sequitur Sanchez loco cit. n. 68

Imo Layman l. 4. trac. 2. c. 3 docet, posse beneficiarium alere in studio nepotem, etiam non indigentem, quod solum admittit Lugo; quando Nepos hic nollet studere proprijs expensis, & eo subsidio oblato alliceretur ad studia in bonum Ecclesiæ.

Secundo Colligitur: Clericum habentem filias legitimas, vel forte illegitimas, posse illis prouidere de dote sufficienti ex fructibus beneficij, si careat alijs bonis, quia id est opus pium; Ita Molina disp. 149. & alij plures apud Sanchez loco cit. Lugo supra.

Tertio Colligitur: quid sit dicendum ad illud dubium, vtrum beneficiarius possit dare consanguineis solum necessaria ad sustinendum statum quem prius habebant, vel etiam ad eleuandum eorum statum, quia occasione Episcopatus E. g vel Cardinalatus, ad quem ipse beneficiarius promotus fuit, effecti sunt melioris conditionis; multi enim apud Sanchez loco cit. & apud Lugo docent solum attendendum esse statum, quem prius habebant, quia non possunt expendere in opus prophanum; sed status ille nobilior est quid prophanum, & seculare: ergo &c. Verum dicendum est posse consanguineis dari ad eleuandum eorum statum, quando Indecorum esset Episcopo, vel Cardinali consanguineos permanere in abiecta conditione antiqua. Ratio: quia quamuis forte illi pauperes non essent habentes necessaria ad priorem statum, occasione talis promotionis Inceperunt esse pauperes non habentes necessaria ad nouum illum statum sustinendum. Sic igitur argumentor. Succurrere pauperibus opus pium est: sed consanguinei sunt pauperes carentes necessarijs ad sustinendum statum iustè acquisitum, ergo &c. quod intelligendum intra limites Christianæ prudentiæ, & modestiæ. Ita Nauar. q. 1. de reddit monito 27. Molina disp. 146. & alij quos refert, & sequitur Sanchez loco cit. Lugo supra.

Quarto Colligitur: vtrum in hunc finem subleuandi cōsanguineos possit beneficiarius illis dare non solum quod necesse habent pro tempore præsenti, sed etiam in futurum, fundando redditus perpetuos, quibus ipsi, & eorum posteri decenter viuant. Dicendum est enim id licitum esse, si redditus moderati sint, & ex pietate fiat ad posterorum indigentiam subleuandam, non ex ambitione, & ad sæcularem pompam.

Probatur quia id totum videtur opus pium vt patet, á simili de dote, quæ pie datur virgini nobili, de qua etiam illa testari potest; vnde non est opus vt redditus prædicti donentur sub onere, vt restituantur Ecclesiæ deficientibus hæredibus, sed possunt absolutè donari, Ita Molina l. 2. de primo genijs c. 10. & alij cum Sanchez loco cit. & Lugo sup.

Sexta Difficultas: vtrum nomine congruæ sustentationis comprehendantur moderatæ donationes?

Respondetur affirmatiuè: quia ad sustentationem spectat habere amicos, quibus beneficiarius munera aliqua mittat. Item ad politicam vitam spectat liberalitas moderata secundum Christianam prudentiam. Ita Molina disp. 145. Sanch. loco cit. dub. 41. Lugo supra.

Ex quibus patet quid dicendum de donationibus remuneratorijs: nam si hæ sint magni valoris, oporteret id quod donatū est beneficiario conuertere in vtilitatem Ecclesiæ vt remuneratio licitè fiat ex bonis Ecclesiæ, alioqui posset hic intercedere fraus, Lugo sup.

Vltima Difficultas; vtrum ex redditibus superfluis possit beneficiar. reseruare aliquid modestum ad proprias necessitates probabiliter euenturas: E. G. vt habeat vnde succurrat sibi in casu infirmitatis sterilitatis litis &c.

Respondetur affirmatiue: quia hoc perti-

net ad sustentationem congruam Hoc autem intelligendum de periculo probabili, & non valde remoto. Vnde non posset reseruare ad dotandas nepotes nondum natas, vel ad viuendum in senectute, qui nunc est adolescens. De qua re videri potest Nauar. apud Sanch. loco cit. dub. 38. similiter intelligendum modò non vrgeant necessitates extremæ, vel graues, quibus de præsenti subueniendum sit Lugo disp.4. sect.4. fine.

SECTIO II.

De Præceptis negatiuis non vacandi ludis, venationibus, negotijs, & officijs sæcularibus, quibus Sacerdos obstringitur, & de peccatis, & defectibus oppositis.

DVBIVM I.

De ludis prohibitis Clericis, & præsertim Sacerdotibus.

Certum est ludos Alearum, idest eos, qui magis fortuna, quā arte regūtur, esse prohibitos clericis, saltem constitutis in sacris, cap. clericis 2. de vita & honestate Clericor. & alijs iuribus, quæ omnia innouantur in Trid. sess. 22. cap. 1. de reformat frequentiores autem sunt ludi cartarum, & taxillorum. Quærimus ergò qualiter peccent clerici prædicti ludentes contra prohibitionem.

Prima sententia sustinet eos non peccare mortaliter secluso scandalo, vel contemptu, sed solum venialiter; quia Canones non vtuntur verbis rigorosi præcepti, nec imponunt pœnas graues ipso facto incurrendas, seu absque præuia monitione: ergo ante monitionē non peccant mortaliter, sic Caiet. sum. verbo cler. peccata, Siluest. verbo ludus q 4. D. Antoninus 2 p. tit. 1. cap. 23. § 2. Henriq. & alij apud Dianam p. 4. tract. 4. resol. 183. & par. 7. tract. 9. resol. 3.

Opposita sententia est probabilior, nempè Clericos frequenter ludentes, seu vacantes ludis prædictis peccare mortaliter. Ratio; quia Sacri Canones, & Concilia valdè detestantur hujusmodi ludos in personis Ecclesiasticis, & contra ludentes graues pœnas imponunt, quæ ex communi Doct. sententia sunt signum grauis obligationis, & sub peccato mortali, Nauar. in sum. cap. 17. Soto, Salon, & alij apud Sayro in claui lib. 11. cap. 12. Salas tract. de ludo dub 24 Sanch. Opusc. to. 1. lib. 1. cap. 8. dub. 28. Rebell. Villalobos, & alij apud Dianam supra.

Limitatur primo. Nisi Clerici prædicti semel, & iterū, vel raró ludant Aleis: tunc enim non peccant mortaliter: quia prohibetur consuetudo ludendi, seu condemnantur Aleatores, & dediti ludis Alearum: qui autem raró ludunt, non possunt dici Aleatores, seu habentes consuetudinem ludendi, DD. citati, & Fillincc. tom. 2. tract. 37. num. 59. Reginaldus lib. 10. num 384 Diana p. 7 tract. 9. res. 3.

Secundo limitatur nisi ad breue tempus ludant causa recreationis, etiam si crebrò: tunc enim nec peccarent mortaliter: quia non dicuntur Aleatores, Lessius lib 2. de iustitia cap. 25. dub. 1. cum alijs apud Dianam supra.

Tertio, Limitatur, vt non peccent mortaliter Clerici ludentes Aleis, etiam sæpè, & ad longum tempus in illis locis, in quibus per cōtrariam consuetudinem derogatum esset dispositioni prædictarum legum iuris Canonici, quia cessat prohibitio: ergo secluso scandalo, non peccant saltem mortaliter Censetur autem introducta consuetudo prædicta, quando Superiores sciunt legem violari, & tolerant, seu non puniunt transgressores, Sayro supra, loco cit. Filiucc supra.

Prima difficultas occurrit. Vtrum hæc prohibitio ludendi comprehendat Clericos minorum ordinum.

Respondeo breuiter, non comprehendere si beneficium Ecclesiasticum nō habent: quia lex pœnalis & odiosa debet strictè interpretari, consequenter in casu nostro restringi debet ad illos, qui firmiter, & perfectè pertinent ad statum clericalem, vt sunt omnes constituti in sacris, & etiam beneficiarij, Nauarr Lopez, Sanchez quos citat, & sequitur Diana loco citato.

Secunda difficultas, Quid sit dicendum de Religiosis.

Respondeo professos illarum Religionum, in quibus viget obseruantia regularis peccare mortaliter, etiam si semel chartis ludant: quia censetur introductio valde perniciosa disciplinæ regulari vt videri potest, apud Dian. p. 7. tra. 9. res 4, vbi refert Doct

Tertia difficultas, quibus ludis possint vti licitè personæ Ecclesiasticæ ad honestam recreationem.

Respondeo posse vti illis, quibus nec læditur decentia status, nec modestia personarum vt ludi Scaccorum, globorum, pilæ, & alij huiusmodi, modo absint circumstantiæ, quæ possent

sent inferre scandalum ratione personarum, cum quibus luditur, si sint malæ famæ, vel ratione loci &c. Vide Garziam de Sacerdotio tra. 1. diff. 2. dub. 2. n. 8.

Quarta difficultas. Quid sit dicendum de Choreis, Commessationibus, & luxu de quibus fit mentio in Trid. loco citat. qualiter sint Clericis interdicta.

Respondeo, & dico primo, Personæ Ecclesiasticæ in sacris peccant mortaliter si choreas ducant cum mulieribus, vel coram sæcularibus. Tum ratione prohibitionis Can. Presbyteri dist 34. & alibi. Trid. supra. Tum præcipuè ratione scandali, ita Siluest verbo Chorea. q. 1. Megalis promptuario verbo Chorea nu. 3. Videtur enim hæc actio secundum se scandalosa; Secus si inter ipsos Clericos in loco secreto sine gestibus in honestis Clerici in sacris Choreas ducerent, Megalis supra.

Dico secundo, Prohiberi etiam Clericis præsertim in sacris commessationes, & conuiuia, in cap. cum decorem de vita, & honestate Cleric. & in cap. 1. nè Clerici, vel Monachi: Transgressio autem non est mortalis, nisi ratione circum stantiarum, nempè vel scandali si fiant cum personis malæ famæ & similibus, vel ratione periculi ebrietatis, & similium; vnde in cap. à crapula de vita, & honest. Cleric. monentur Clerici vt à crapula, & ebrietate abstineant sub pœna suspensionis, vt ex communi probat Barbosa de officio Parochi p. 1. cap. 6. num. 11. & sequentibus. Cæterùm non prohibetur Clericis interesse conniuijs, quæ fiunt gratia charitatis, & dilectionis inter personas honestas, Barbosa supra cum alijs.

DVBIVM II.

De venatione Ecclesiasticis interdicta.

Constat prohibitam esse Clericis venationem, cap 1. & 2. de Clerico venatore, vnde in Trid. sess. 24. cap. 12. de reform. admonētur Canonici vt ab illicitis venationibus, & aucupijs abstineant: est ergo difficultas, qualis sit hæc prohibitio.

Respondeo, & dico primo, Non prohiberi venationem quietam, idest quæ fit cum retibus, laqueis, & paucis canibus, & consequenter sine magno strepitu, DD. cōmuniter apud Megalium in prompr. verbo Clericus n. 14.

Dico secundo, Prohiberi venationem quā appellant clamorosam, idest quæ fit cum magno strepitu canum, & armorum; Vnde Clericus qui huic venationi vacaret secundùm communiorem Doctor. sententiam peccaret mortaliter, non verò si rarò sic venaretur: quia vt colligitur ex textibus citatis prohibetur frequentia venationis, non absolutè venatio, ita Vasq. de restitutione cap. 2. dub. 1 Lessius cap 5. dub. 9. Diana 2. tom. tract. 6. miscell. resol. 19.

Dico tertio. Non est improbabile etiam frequentem venationem clamorosam non esse damnandam peccati mortalis, nisi sit causa violandi aliud preceptum: quia in prædictis textibus non prohibetur cum tanto rigore vt possit colligi præceptum graue, sed prohibetur ratione indecentiæ, ita Molina disput 44. Turrianus de iustitia disp. 36. dub 1. Cardinalis de Lugo disp. 6. Et quamuis in Concil. Aurelianensi imponatur pœna suspensionis ad tēpus ob transgressionem: quia tamen hæc pœna non est ipso facto, sed infligenda, non arguit præceptum graue, vt afferunt multi Doct. apud Lugo supra.

Religiosis etiam strictiori modo prohibetur venatio in Clementina 1. §. porrò de statu monachorum, quod etiam intelligitur de venatione cum strepitu, & per ipsosmet exercita, secus si coram ipsis fieret ad eorum recreationem, Lugo supra.

Tandem piscatio nullo iure est Clericis interdicta, namque in sacris Scripturis venatorem sanctum nullum legimus; Piscatores autem multos, vt habetur in cap. Esaù 86. dist. quia vt inquit ibi Glosa, Piscatio fit sine strepitu, nec ita mentem à Deo alienat.

DVBIVM III.

De Negotiatione Clericis interdicta.

Negotiatio est emptio rerum ad solum lucrum ordinata, vt videlicet res emptæ integræ & non mutatæ earius vendantur ad comparandum lucrum. Constat autem inter omnes Doct. negotiationem non esse intrinsecè malam; sed indifferentem: quia potest benè & malè exerceri, vt patet ex cap. quoniam dist. 88. vbi habetur negotiari aliquando licet, aliquando non licet: quia verò Clericis & religiosis est interdicta vt notum est, breuiter hic examinandum est, Qualis sit huiusmodi prohibitio.

Prima difficultas est, vtrum negotiatio sit Clericis interdicta sub pec. mor.

Respondeo affirmatiuè ex communi Doct. sententia (quamuis aliqui velint solùm prohiberi sub peccato veniali apud Dianam 1. p. tract. de contract. resol. 72.) Probatur, quia Canones vtuntur grauibus & rigidis verbis, & prohibēt negotiationem sub grauibus pœnis,

vt

vt patet ex cap. secundo. Nec Clerici, vel Monachi, vbi Pontifex ait, sub interminatione anathematis prohibemus ne Monachi, vel Clerici causa lucri, &c. & docent communiter DD quos citat Salas de contractibus sub titulo de emptione dub. 2. Ratio autem cur Ecclesia tā seuerè hoc prohibuerit, est tum quia negotiatio valdè occupat animum, & à spiritualibus auocat contra finem in quem ordinantur Clerici, vt vacent rebus spiritualibus: Tum quia plena est periculis fraudis, & iniustitiæ; Vndè Apostol. ad Timoth. 6. Habentes alimenta, his contenti simus; nam qui volunt diuites fieri incidunt in laqueum diaboli. Sicut autem in ceteris præceptis peccatum ex suo genere mortale transit in veniale, ratione paruitatis materiæ, Ita in casu nostro fieri potest, vt Clericus solum venialiter peccet, si semel vel iterum negotietur; quia tunc non apparet grauis indecentia, neque vnus, vel alter actus opponitur notabiliter fini præcepti, quod indicat frequentiam negotiandi: ita Lessius lib. 2 de Iustitia cap 21. n. 4. Salas loco supra cit. Filliuc. tr. 35. n. 13 & alij.

Secunda difficultas, Vtrum omnes Clerici, & Religiosi comprehendantur sub ea prohibitione

Respondeo certum esse comprehendi omnes Religiosos, item omnes Clericos sacris initiatos. Quoad Clericos vero minorum ordinum probabilius est eos non comprehendi, nisi habeant Ecclesiasticum beneficium, Doct. supra citati.

Tertia difficultas. An clerici in sacris, & alij comprehensi sub hac prohibitione possint saltem negotiari per alios, seu per tertiam personam; E. g. si cum laico ineant contractū societatis, in quo clericus, vel religiosus solùm pecuniam conferat, laicus verò omnem industriam.

Respondeo secluso scandalo hoc non videri prohibitum. Probatur: quia in hoc casu cessat ratio prohibitionis, ita Doct. supra citati; & Molina de contract. disp. 339 Quia tamen hoc ipsum indecens est, consequenter non est consulendum, nisi occurrente aliqua graui causa, ad consulendum propriæ necessitati, vel suorum, cui aliter clericus subuenire non possit Doct. supra citati.

Quarta difficultas. Vtrum sola negotiatio propriè dicta, iuxta supra explicata sit prohibita clericis, & religiosis; vel etiam alia minus propria.

Respondeo prohiberi etiam alias quæ similem indecentiam continent; E.g. conducere aliena prædia & res similes fructiferas ad lucrā dum ex venditione fructuū, quod prohibetur 21. q. 3. Can. 3. ita DD. cit.

Possunt tamen clerici & religiosi emere materiam, ex qua artefacta conficiant & vendant vt olim religiosi sportas & storeas cōfici ebeāt quia hoc non est negotiari, nec vllo modo indecens, vnde Paulus artem scenofactoriā exercebat Actorum 18 Similiter possunt agros pro prios colere, Greges alere vt animalia adulta diuendant, & alia similia, quæ videri possunt apud citatos.

Primo colligitur; non esse prohibitum emere animo vendendi sine lucro, E.g. si emas pānum, vel vinum pretio vili quando est abundantia, vt possis postea amicis eodem pretio dare; quia negotiatio ordinatur ad lucrum Card. de Lugo de contract. disp 26. sec. 3.

Secundo colligitur; non esse prohibitum clericis emere animalia, quæ pascuis suorum prædiorum alantur & saginentur, vt sic meliorata, postea vendantur: quia hoc est vendere pascua, & fructus suorum agrorum, Molina, Lessius, & Lugo supra cit.

Tertio colligitur: non videri negationem prohibitam si Procurator Conuentus in principio anni emat pro vsibus conuentus centum dolia vini: quia licèt pauciora sufficerent, nè tamen se exponat periculo emendi carius si aliqua acescant, plura emit: quod si superfluāt pluris vendat: quia vinum vetus pluris valet, modo totum sincero animo fiat, & lucrū nō sit finis directus, sed indirectus; quia forte non emeret plura, nisi esset spes illa lucri. De Lugo supra.

Quarto colligitur. Vtrum sit negotiatio prohibita, si E.g. pecuniam quam habes Neapoli ex tuis redditibus non possis ad te Romam transferre sine iactura; quia pecunia Neapolitana minus Romæ valet quàm Neapoli vnde ex pecunia illa emis merces Neapoli, quas Romam adducis vendendas maiori pretio. Dicendum non videri prohibitum, si intentio non sit lucrandi, sed vitandi iacturam, & seruandi te indemnem, sicut inquit Lugo, si debitor qui tibi debet centum aureos in Hispania, eos tibi reddat Romæ, vbi aureus pluris valet, posses recipere: quia intentio non est lucrandi, sed accipiendi quod tibi debetur.

Quinto colligitur: non licere Ecclesiasticis emere vuas, E.g. vt per famulos conductos vinum vendendum faciant; quia licitè strictè non sit negotiatio est similis ratio prohibitionis, Molina cum Lugo supra; Secus de vuis propriarum vinearum. Similiter nec licitum esse emere lanas, vt per famulos conductos pannum vendendum conficiant ob eandem rationem. Addit Molina supra, nec ex lana suorum gregum, de quo addito dubitat Lugo: sed quia videtur exercitium indecens sta-

tui

tui Ecclesiastico, ideò &c. Similiter addit Molina, nec licitum esse emere iumenta, vt postea lucri gratia locent alijs; quamuis si aliunde propria animalia haberent, possent locare. Sed contra quia per emptionem iam facta sunt propria, vnde potius est quædam indecentia.

Vltimo colligitur; ob necessitatem licitum fore Ecclesiasticis Negotiari; quia lex positiua non obligat in eo casu, & cum notabili dispendio,:Lugo supra.

DVBIVM IV.

De artibus vilioribus, & exercitijs ignominiosis, personis Ecclesiasticis interdictis.

RESpondeo, & dico primo, Artes viles & indecentes prohiberi Sacerdotibus, & alijs Clericis graui præcepto, & sub peccato mortali. huiusmodi sunt artes, Macellariorũ, & Carnificum, Tabernariorum, & similium, vt patet ex Clementina 1. de Vita & honestate Cleric. Probatur etiam ratione: Tum ob iniuriam quæ infertur dignitati Sacerdotali, & statui Ecclesiastico; Tum ratione scandali, ita Doct. communiter Zaabarella, Farinaccius, Bauni, & alij, quos citat, & sequitur Garzias de Sacerdotio tract. 1. diff. 2. dub. 4.

Dico secundo. Multo magis, & sub grauioribus pœnis prohiberi Ecclesiasticis artes infames, & exercitia scandalosa, videlicet Mimi, Histrionis, Ioculatoris, Buffonis, & similium, ob quæ incurritur irregularitas. Vnde si Ioculatores prædicti non possunt ad ordines promoueri, multo minus promoti ad clericatum possunt se tales exhibere, imò priuantur omni priuilegio clericali cap. 1. & cap. 2. nè clerici vel monachi, cap. vnico de vita, & honestate clericorum in 6 & alijs iuribus, & docent citati Doctor. & Belletti disquisit. Cleric. p. 1. §. 32.

DVBIVM V.

Vtrum Sacerdos possit fungi officio Medici vel Chirurgi.

Quoad officium Medici.

PRima opinio affirmat licitum esse Presbyteris, & à fortiori alijs clericis inferioribus exercere artem medicinæ si eam calleant, vel aliàs sufficienter periti sint, nè infirmos periculo exponant. Ratio: quia posita sufficienti peritia id non est secundùm se malum: ergo eatenus potest esse illicitum Sacerdotibus quatenus esset prohibitum iure Ecclesiastico, sed non est prohibitum: ergo nec eis illicitum. Probatur minor: quia nullus est textus in iure communi, quo hoc munus interdicatur Sacerdotibus, aut alijs Ecclesiasticis, vel religiosis, nec aliunde apparet prohibitio. Imò Clemens Tertius in cap. ad aures de ætate, & qualit. excusat ab irregularitate quendã medicum Sacerdorem, etiam sequuta morte infirmi, quia processerat secundùm regulas artis.

Hanc sententiam defendunt Cardinalis ad textum citatum, Couar. in Clem. si furiosus de homicidio p. 2. num 3. Felinus in cap. tuanos, nè Clerici, vel Monachi, Rodriq. in sum. p. 2 cap. 177. Bonac. de irreg. disp. 7 q. 4. punc. 5. num. 4.

Secunda opinio directè opposita, docet non esse licitum Sacerdotibus, & alijs constitutis in sacris exercere artem, vel officium medici; Secus verò est de Cler. minorum ordinum, & secundùm nonnullos, etiam si beneficium habeant: Fundamentum præcipuũ est, quia etsi hoc exercitium non fit in particulari, & in specie prohibitum sacris ministris; Nihilominus comprehenditur sub generali prohibitione, qua interdicuntur constitutis in sacris ordinibus officia sæcularia, vt constat ex cap. 1. de vita & honestate cleric. & toto tit. nè Clerici, vel Monachi &c. ergo si prædicti exerceant officium medici, peccant contra legem Ecclesiasticam, & sacros Canones. Vtrum verò peccent mortaliter an venialiter, non explicant Doct. citandi, sed ex eorum principijs colligi videtur in re graui & periculosa, vel si publicè, & ex professo artem hanc exerceant, clericos prædictos peccare mortaliter, in casibus autem leuioribus peccare venialiter.

Confirmatur: quia hoc officium dedecet dignitatem Sacerdotalem, tum quia valde distrahit à rebus spiritualibus, & ministerijs Ecclesiasticis; tum quia hæc professio vix potest separari à periculo sæpè inferendæ mortis, vel accelerandæ infirmis, vt ponderauit Clemens III. loco citato; Ita Auila de censuris p. 7. disp. 6. sec 1. dub. 10 Sanchez sum. lib 6. cap. 14 n. 18. Castro Palao to. 3. trac. 16 punc. 13 Machado, Bauni, & alij, quos citat, & sequitur Hieronymus Garzia de Sacerdotio tract. 2. diff. 2. dub 7.

Limitant tamen, & meritò aliqui, vt non peccent prædicti si in casu necessitatis ob inopiam medicorum, & secluso mortis periculo adhibeant infirmis remedia, præter adustio-

nem:

neum, & incisionem: quia hic est actus pietatis, & misericordiæ, maximè decens Ecclesiasticos. Ita Sanchez supra, Sá Verbo Clericus n.13. Castro Palao, Garzias locis citatis.

Pro Resolutione dubij Distinguendum est, & eligenda media sententia, qua meo iudicio conciliari possunt duæ præcedentes, atque

Dicendum primò licitum esse Sacerdotibus, & Alijs Ecclesiasticis fungi officio Medici non ex professo, vel publicè, tanquam illius officij professores permanentes & stabiles, sed ex occasione cum domesticis, vel amicis, aut pauperibus destitutis, præscribendo remedia, ex quibus timeri non potest periculum mortis, & in hoc sensu adhæremus primæ sententiæ; quia ex vna parte hoc officium non est specialiter prohibitum Clericis; Ex Altera verò parte cessat in casu nostro finis illius generalis prohibitionis interdicëtis Clericis officia secularia: quia non assumirur propriè, & firmiter, neque publicè officium, sicut à secularibus exerceri solet, neque vlla apparet indecentia, aut periculum.

Dicendum secundo. Non posse Sacerdotes. & alios in sacris exercere officium medici, tanquam firmiter addictos huic muneri, vel communiter, & ex stipendio in eum finem accepto, vt benè probant argumenta secundæ sententiæ, quare peccatent mortaliter contra legem Ecclesiasticam, vt volunt DD. secundæ sententiæ.

Colligitur Primo idem omninò dicendum etiam de Religiosis: quia militant eædem rationes, nec est alia specialis prohibitio circa illos, Sanchez loco citato. Imò si non sint in sacris; vel sint fratres laici, non comprehenduntur in dicta prohibitione, Diana 4.p.trac.2 de irreg. resol. 24. fine.

Secundo Colligitur: Si in prædictis casibus sequatur mors infirmi absque culpa clerici medentis, etiam in casu, quo exereere hanc artem est illi interdictum, non contrahirur irregularitas: quia mors non potest illi imputari adhibita debita diligentia, nec prohibetur Clericis huiusmodi exercitium ob periculum mortis, sicut prohibetur adustio, & incisio, sed ob indecentiam, DD. communiter, quos citat, & sequitur Sanchez loco citato, Bonacina loco citato.

Quoad Exercitium Chirurgiæ.

Constat inter omnes DD. prohibitum esse hoc exercitium omnibus existentibus in sacris, siuè sint Religiosi, siuè Clerici Sæculares quoad actus incisionis, vel adustionis: quia id manifestè deciditur in cap. tua nos de homicidio, & cap. sententiam sanguinis, ne Clerici, vel Monachi se immisceant &c. quarè peccant mortaliter contra facientes, & incurrunt irregularitatem. Ita Sanchez, Bonacina, & Alij citati in præcedenti dubio pro secunda sententia. Item Suar. de censur. disp. 45. sect. 4. Nauarr. Couar. Corduba, & Alij apud Dianam part. 4. tractat 2. de irregular. resol. 23.

Limitant communiter, nisi in casu extremæ necessitatis, quando non adest alius Chirurgus, vt potest facilè contigere tempore pestis: tunc enim est actus pietatis, & misericordiæ, consequenter nec peccant in eo casu Clerici exercentes Chirurgiam, nec incurrunt irregularitatem sequuta morte, adhibita sufficienti diligentia, vide Diana loco cit.

Secundo est etiam Certum extra actus prædictos incisionis & adustionis, qui specialiter prohibentur, quoad alios actus Chirurgiæ idem esse omninò dicendum, ac de exercitio artis medicinæ: quia eadem est ratio, vt ex communi docet Sanchez Sum. lib.6 c. [illegible] cap. 14. num. 18., & sequentibus. Vndè si Clericus, vel Monachus in Sacris applicet Emplastrum lenitiuum, quo Apostema ex se aperiatur; quamuis mors inde sequatur sine eius culpa, non incurrit irregularitatem, Diana loco supracitato. Sicut nec etiam incurrunt, quando ipsi non incidunt membrum, vel adurunt, sed id fieri mandant vel consulunt: quia Canones loquuntur de exercentibus Chirurgiam per incisionem &c. non autem de mandantibus: & pœnæ extendi non debent, nisi id exprimatur, Diana cum Alijs loco citato His Positis.

Prima Difficultas est. Vtrum si Clericus in sacris exerceat Chirurgiam quoad actus prohibitos incisionis &c. Adhibita tamen sufficienti diligentia ad præcauendam mortem infirmi, Si Nihilominus mors infirmi sequatur, incurrat irregularitatem.

Ratio Dubitandi est; quia etsi Clericus peccet contra legem Ecclesiasticam, qua illi interdicitur hoc exercitium ratione status Clericalis, & consequenter intuitu religionis; non tamen peccat contra Iustitiam, neque est reus homicidij: ergò non incurrit irregularitatem impositam ob homicidium, quamuis peccet contra religionem.

Prima sententia sustinet in hoc casu minimè incurri irregularitatem ob rationem explicatam: Neque in cap. tua nos oppositum decidi: quia Pontifex declarat talem posse celebrare, si erat peritus, & omnem diligentiam adhibuerit, Ita Mochadc, Coninch. Præpositus, & Alij apud Dianam resol. 23. citata quæ sententia probabilis est.

Op-

Opposita tamen sententia est communis, & probabilior incurri irregularitatem: quia actus prædicti incisionis, & adustionis prohibentur, nedum ob indecentiam contra statum clericalem; sed etiam præcipuè ob periculum homicidij: ergò si non obstante diligentia mors sequatur ex vi incisionis, vel adustionis est reus homicidij, cuius periculo se exposuit contra legis præscriptum: quod non ita contingit in secularibus. Nec obstat in cap. tua nos citato illum fuisse admissum ad celebrandum: quia id potuit fieri ex dispensatione Summi Pontificis, Ita Sayro, Suar. & Alij citati à Diana resol. 23. citata initio. Vide etiam Sanchez loco citato.

Secunda Difficultas. Vtrum Sectio seu apertio venæ ob sanguinis minutionem sit prohibita Clericis in sacris, ita vt incurrant irregularitatem latam indicto cap. tua nos. Si ex tali sectione sequatur mors, non obstante diligentia sufficienti in ea adhibita.

Prima sententia affirmat esse prohibitam, & incurri irregularitatem in dicto casu si ipse Clericus id exequatur, seu per se ipsum venam aperiat.

Ratio; quia est incisio quædam consequenter prohibita indicto cap. tua nos, Auila de censur. p. 2. disp. 6. sec. 1. dub. 10. Bonacina de censur. disput. 7. quæst. 4. punct. 5. cum Alijs.

Secunda Opinio probabilior negat venæ apertionem includi in ea prohibitione, nec incurri irregularitatem si fiat secundùm regulas artis.

Ratio: quia indicto cap. prohibetur incisio, quæ est actus Chirurgiæ: sed venæ apertio non ad Chirurgos, sed ad Tonsores spectat, qui ad præscriptum Medicorum, & Chirurgorum venas scindunt: ergo &c. Ita Molina, quem citat & sequitur Diana supra tract. de irregular. resol. 24 Machado lib. 1. p. 3. tit. 18. docum. 9. cum Alijs.

Tertia Difficultas. Vtrum exercitium Chirurgiæ sit prohibitum solis Clericis in sacris, vel etiam beneficiarijs, & religiosis, qui non sunt in sacris.

Respondeo Solis initiatis sacris ordinibus esse prohibitum, non autem Alijs: quia textus loquitur de sacris ministris tantùm, & cum simus in odiosis non debet fieri extensio, Ita Felinus, Molina, quos citat, & sequitur Diana supra, Garzias cum Alijs loco supra citato, contra Henriq. Auilam, Syluestr. & alios.

De Alijs Officijs Demissiuè.

De Alijs officijs forensibus, vt Iudicis, Aduocati, Procuratoris, Tabellionis, Testis, & Alijs similibus, nihil hìc dicimus ad vitandam nimiam prolixitatem. & quo ad ea, quæ spectant ad Clericos, & Sacerdotes, & qualiter sint eis prohibita, facilè videri possunt apud Summistas Verbo Clericus, & latè Bellettus disquis. Clericali part. 1. §. 26. & sequentibus, Megalius prompt. Verbo Clericus, & Alij passim.

SECTIO III.

De Cœlibatu, & Vòto Castitatis, quo obligantur Sacerdotes, deque peccatis oppositis.

Obligatio seruandi castitatem est præcipua inter omnes, quibus tenentur constituti in sacris, & præsertim Sacerdotes, quam idcircò fusiùs, & accuratius examinare opere prætium duximus; Prius autem explicabimus eiusdem obligationis principia, & causas, deindè selectiores quæstiones de peccatis contra castitatem, omissis alijs quæ sunt passim obuiæ apud DD.

DVBIVM I.

Qua lege teneantur sacerdotes Castitatem, et cœlibatum seruare.

Certum est primo Promotos ad sacros ordines contrahere hanc obligationem seruandi Cœlibatum, & perpetuam Castitatem, nec posse validè matrimonium contrahere, vt constat ex Trident. sess. 14. Can. 9. Si quis dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos, vel Regulares professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto &c. anathema sit.

Secundo est certum, eam obligationem non esse iuris diuini positiui, seu ex lege lata à Christo Domino: siquidem talis lex: neque ex scriptura sacra neque ex PP. traditione colligitur & Concilium Trid. loco citato satis indicat eam vel ex lege Ecclesiastica oriri, vel ex proprio voto. Est communis DD. sententia, D. Tho. 2. 2. q. 88. Caietani to. 1. Opusc

trac. 27. Bellarmini l. 1. de Clericis c. 18. His positis.

Difficultas est, vtrum oriatur immediate ex lege Ecclesiastica, vel potius ex voto, quod in sacra Ordinatione Subdiaconorum emittitur

Prima sententia sustinet oriri immediate ex lege Ecclesiastica:

Probatur; quia si aliquis cum sacrum Ordinem suscipit inuincibiliter ignoret illi esse adnexam huiusmodi obligationem; vel expresse nolit se obligare per proprium votum; is nihilominus remanet obligatus ad seruandam continentiam nouo vinculo, vt omnes fatentur, nec poterit valide matrimonium contrahere. Non ratione voti quod hic interuenire non potest, quippe requirit spontaneum consensum, & promissionem vouentis: ergo prouenit ex sola lege Ecclesiastica, quæ etiam ignorantes, & inuitos obligare potest, & reddere inhabiles ad aliquem actum. Ita Sotus in 4. dist. 39. q 1. Palud. Gutierez. & alij apud Sanchez l. 7. de Matrim. disput. 27. quæst. 2.

Secunda sententia communis, & probabilior docet, obligationem prædictam immediate oriri ex proprio voto; mediatè autem ex lege Ecclesiastica quæ sacris ordinibus adnexuit votum castitatis, obligans assumentes ordinem sacrum, vt id votum emittant facto ipso, quamuis voce non exprimant, idest ipsamet susceptione Ordinis, quæ eam obligationem habet adnexam. Itaque Ecclesia non præcipit ordinandis immediate continentiam, sed voti emissionem, quo deinde obligantur.

Probatur; quia vt patet ex D. Gregorio Epist. 42. in fine, & refertur c. 2. dist. 18. Ecclesia præcipit, nullum ordinari Subdiaconum nisi continentiam promittat; quod etiam Episcopi intimant, & hoc votum ordinandis proponunt. Hinc iura vbique clamant, ordinatos emisisse votum, vt patet ex cap. Cum olim de Cler. coniugatis, cap. vnico de voto in 6. &c.

Nec obstat, votum debere esse liberum, & neminem cogi posse ad seruandam continentiam: cum ea res sit consilij, non præcepti prima Corint. 7; quia id verum est absolutæ loquendo: cum autem Ecclesia conferat sacr. Ordines volentibus; optimè potest addijcere conditiones quas magis expedire decernit, & de facto prædictam adiecit ad maiorem decentiam sacri Ministerij, Ita D. Tho. in 4. dist. 37. q 1. ar 1. Caiet. Opusc. loco sup. cit. Layman l. 5. trac. 9. c. 9. Sanchez loco cit. qui alios citat.

Ad argumentum oppositę sententię respondetur Eum qui expresse noluit votum emittere, non obligari nouo vinculo ad castitatem seruandam quousque illam voueat. Nihilominus obligari sub pecc. mor ad eum votum emittendum ex lege Ecclesiastica; contra quam legem peccauit, & semper continue peccat, quousque vere, & ex animo votum castitatis emittat: quippe ea lex non expirat, sed semper vrget: vnde nolens vouere est in statu pecc. mor. Ita Dicastillus de Sacram. to. 1. disp 1. dub. 26. cum Diana p 10. trac. 11. resol 12.

Quoad illum verò, qui ex ignorantia prædictæ legis expresè non vouit; dicendum est, eum ligari voto castitatis, quod assumendo ordines sacros censetur tacite emisisse eo quia hoc ipso virtualiter consentit in onera adnexa, etiam ignorata: vt cum alijs probat Sanchez de Matrim. l 7. disp. 27. n. 12.

Primo Colligitur sacerdotes, & alios constitutos in Ordine sacro in peccatis venereis & contra castitatem teneri in Confessione explicare eam circumstantiam Ordinis sacri; eò quia continent nouam malitiam sacrilegij specie distinctam, ratione voti Castitatis Ordini prædicto adnexi: quod certum est siue peccata incontinentiæ sint interna turpium cogitationum, & delectationis morosæ, siue externa per tactus, & oscula, & à fortiori de alijs grauioribus. Ita DD. sup. cit. communiter. Vide Sanchez summ. l 5. c. 6. n. 9. Suar. de Relig. to. 1. lib. 3. c 3.

Secundo Colligitur, quid sit dicendum ad eam quæstionem. Vtrum hoc votum adnexum sacris Ordinibus sit specie diuersum à voto solemni castitatis, quod Religiosi in professione emittunt; & consequenter vtrum Religiosi professi, & simul initiati ordine sacro teneantur vtramque circumstantiam fateri in peccatis contra Castitatem, vel sufficiat alteram tantum declarare. Breuiter dicendum est non differre prædicta vota; sed esse eiusdem speciei, & vtrumque solemne dirimens Matrimonium: quare in peccato fornicationis, & alijs non est opus explicare vtramque circunstantiam: sed alteram, vel professionis, vel Ordinis sacri. Imo in rigore non est alia obligatio nisi explicandi se contra votum castitatis deliquisse: quia probabile satis est votum simplex non differre essentialiter à voto solemni sed solum accidentaliter. Ita cum alijs citatis Sanchez lib. 7. Matrim. disp. 27. n. 23. & sequentibus. Aduertendum est tamen, si sacerdos sit Episcopus, vel Prælatus, seu superior illius cum quo peccat, eumque induxerit ad peccandum; necessario esse explicandam eam circumstantiam officij pastoralis, seu prælationis: quia cum teneatur suos sub-

subditos verbo, & exemplo pascere; contra obligationem sui muneris, & consequenter contra iustitiam peccat, inducendo subditos ad peccandum, Sanchez l. 5. summ. cap. 6. num. 74.

Tertio colligitur, Merito ab Ecclesia præcipi, vt sacri ministri votum castitatis emittant. ob maiorem decentiam & reuerentiam sacrificij, & diuinorum officiorum; quippe Sacerdotes Deo, & rebus diuinis perpetuo vacare debent: ab horum autem studio impedirentur ac distraherentur, si coniugalem vitam in matrimonio ducerent; ex Apost. 1. Corint 7 qui autem cum vxore est sollicitus est, quæ sunt mundi.

Secundo ob honorem, & reuerentiam quam debent sæculares sacerdotibus ipsis, tanquam præcipuis Christi ministris, & Dei cultui dicatis: Experientia enim constat Populum non tanto in honore habere eos, qui commune cum alijs vitæ institutum sectantur: Status autem cælibatus, & continentiæ distinguit sacros ministros ab alijs, & venerabiles reddit.

Tertio denique quia alias redditus Ecclesiastici qui à fidelibus ad diuinum cultum offeruntur, passim ad causas prophanas applicarentur. Beneficia etiam quodam veluti hereditatis iure ad filios Sacerdotum deserrentur, vel ijdem filij ab Ecclesia essent alendi, quæ ideo supplere non possent alijs ministris, qui fidelibus instruendis & pascendis necessarij sunt. Vide Layman l. 5. trac. 10. c. 11. n. 4.

DVBIVM II.

Vtrum peccata venialia contra Castitatem ratione voti transeant in mortalia.

Respondeo negatiue absolute loquendo; Vnde peccata contra castitatem; quatenus huic virtuti præcise opponuntur, sunt eiusdem rationis & gradus in secularibus voto soluris, ac in Ecclesiasticis, siue sint religiosi, siue sacerdotes, aut in sacris costituti. Præterquam quod in prædictis, ratione voti Castitatis additur noua malitia sacrilegij, ita tamen vt malitia sacrilegij sit mortalis in ijs solis actibus; in quibus malitia libidinis est mortalis, etiam in quocunque sæculari. Venialis vero in quibus illa est venialis, Ita Sanchez l. 5. citato sum. c. 6. n. 9. Lessius lib. 2. cap. 41. dub. 9. & communiter Ratio est quia votum non immutat naturam actus super quem cadit, vel actus oppositi, quorum obligatio ex iure naturali dependet quoad materiæ leuitatem, vel grauitatem; sed solùm addit nouam obligationem intnitu Religionis proportionatam eidem actui: ergo nequit efficere, vt actus venereus qui secluso voto esset venialis, fiat ratione voti mortalis: sed solum addit nouam circunstantiam sacrilegij, quæ idcirco erit venialis, si actus sit aliàs venialis; & contra erit mortalis, posito quod actus venereus sit aliàs mortalis, atque adeo in priori casu erit duplex culpa venialis, in posteriori duplex malitia mortalis; altera contra Castitatem, altera contra votum, Sanchez l. 5. summæ c. 6. n. 9.

Non negamus autem posse peccatum veniale, siue contra Castitatem, siue quodcunque, ratione scandali grauis transire in mortale, vt omnes docent in tract. de vitijs, & peccatis: sed ea circunstantia scandali non est contra votum de quo loquimur: quia non est contra propriam Castitatem, quam in se tenetur seruare sacerdos; sed contra virtutem cui aduersatur peccatum ad quod sacerdos alios inducit suo prauo exemplo, Sanchez sup. num. 10.

Quod si quis petat, & scire desideret, quænam peccata contra Castitatem sint venialia, quæ autem mortalia; Dicendum est exactam huius rei tractationem spectare ad 6. Decalogi præceptum, vt tamen ex parte satisfaciam petitioni prædictæ, & lectoribus huius tractatus id scire cupientibus; in sequentibus dubijs selectiores quæstiones: ad hanc materiam spectantes examinabimus.

DVBIVM III.

De cohabitatione Clericorum, & mulierum iure Canonico interdicta.

Constat apud omnes prohibitum esse Clericis præsertim constitutis in sacris domi retinere mulieres, & cum illis habitare, vt patet ex toto titulo de Cohabit. Cler. & mulier. & ex Trid. etiam sess. 25. c. 14. Difficultas est de quibus mulieribus intelligi debeat, & qualiter peccent sacris initiati contra huiusmodi legem.

Respondeo & dico primo; Prohibitionem esse de solis mulieribus suspectis, idest de quibus rationabiliter suspicari potest, eas retineri ad malum finem, non verò de alijs:

Probatur: quia Canones, & Concilium Trid. loco citato loquuntur expresse de mulieribus suspectis. Deinde quia finis huius legis est obuiare periculo incontinentiæ Clericorum, & scandalo populi: quæ rationes cessant in fœminis de quibus nulla potest esse suspicio,

cio, Ita Hostiensis, Panormitanus Anania, & alij quos congerit Barbosa in Collec. DD. in lib. 3. Decret. tit. 2. Sylu. Nauar. & alij infra citandi.

Colligitur non prohiberi, sacerdotes & alios habitare cum consanguineis proximioris gradus in quibus naturale fœdus nihil permittit læui criminis suspicari, vt habetur in cap. A nobis de cohabit. Cler. & mulier. Et eadem est ratio de alijs in quibus ratione senilis ætatis, vel simili cessat omnis mali suspicio DD. citati.

Dico secundo In omnibus illis casibus in quibus peccant mortaliter sæculares retinendo domi suspectas mulieres vel ratione periculi proximi, vel ratione scandali, peccant mortaliter à fortiori sacerdotes, & alij sacri Ministri. Patet: quia Ecclesiastici maiori, & arctiori vinculo tenentur continentiã seruare, & scandalum vitare, Quod autem sæculares peccent mortaliter in prædictis casibus & teneantur mulieres suspectas dimittere, & è domo eijcere, docent communiter DD. præsertim infra citandi.

Colligitur: si sacerdos, vel alius domi habet mulierem, de qua populus sinistrè aliquid suspicatur, siue sit cognata, siue extranea, etiam si re vera cum illa nec cogitatione peccet; eum teneri illam dimittere, vel discedere ab illa, aliàs esset reus scandali mortalis: quia inde sequitur in alijs quidam virtutis contemptus & licentia viuendi liberius; & consequenter spiritualis ruina proximorum. Ita, speciatim de Clerico Layman l. 2. tr 3. cap. 13. n. 1. cum Petro Soto de vita sacerdotum lec. 4 Sà Verbo Clericus n. 27. & vniuersaliter de omnibus docent Castro Palao de Charitate trac. 6. disp. 6. punc. 1. Lopez Nauarrus Bauni Io. Sanchez, quos refert Garzias de Sacerdotio tr. 1. difficul. v. dub. 9. Bonac. de matr. q. 4. punc. 13. n. 12.

Ampliant prædicti DD. etiam si suspicio oriatur ex ignorantia, & falsa sit: quia est scandalum pusillorum. Secundo Ampliant, etiam si scandalum esset paucorum, duorum, vel trium, etiam vnius, Syluest. verb. concubinarius q. 2. Megala in Promptuar. verb. concubin. n. 6. cui consentit Diana p. 5 trac. 13. resol. 107. Villalobos p. 1. trac 9. difficul. 25.

Dico secundo: Quando periculum non est proximum, sed remotius: neque scandalum est graue sed leue, si mulier talis sit, vt rationabiliter de ea malum suspicari possit; adhuc peccat mortaliter Clericus habitans cum illa, secundum probabiliorem sententiam: quamuis sæcularis non peccaret saltem mortaliter.

Probatur quia hac lege aliquid peculiare præcipitur Clericis, vltra obligationem iuris naturalis, qua etiam sæculares adstringuntur: ergo prohiberur nedum illa cohabitatio, quæ est occasio proxima peccandi, vel inductiua scandali grauis, vt sæcularibus est prohibitum; sed etiam cohabitatio, quę speciem mali habet, & potest probabiliter esse causa grauis scandali, quamuis nondum eum gradum attigerit.

Antecedens probatur. Quia lex illa fertur specialiter Clericis, ob decorem status Ecclesiastici, & reuerentiam illi debitam à sæcularibus. Ex Trident. loco cit. Ergo imponit illis specialem obligationem. Quod autem contineat graue præceptum; patet etiam ex pœnis grauibus latis in transgressores, Ita Syluest. Ver. Clericus 2. n. 2. Angelus eodem Verbo Nauar. summa c. 25 n. 109. Comitolus l. 1. quæst. 47. Barbosa sup. cum alijs, quos citant.

Dixi secundum probabiliorem sententiam: quia non videtur omnino improbabile iure Ecclesiastico non imponi hic Clericis nouam obligationem sed solum vrgeri obligationem iuris naturalis statutis peculiaribus pœnis cõtra Clericos, vt facilius ab Episcopis, & Prælatis ad continentiam & vitæ integritatem reuocentur.

Ratio est quia videtur lex ferri contra Clericos concubinarios, & similes, vt colligitur ex Trid. sess. 25. citata c. 14. atque huius sententiæ est Garzias loco sup. cit qui non agnoscit maiorem obligationem in Clericis repellendi domo mulierem suspectam, quã habeant seculares: quamuis negari non possit facilius oriri scandalum à cohabitatione suspecta Clericorum quam laicorum.

DVBIVM IV.

Vtrum in osculis, & tactibus habitis in signum beneuolentiæ sit aliquod peccatum.

PRæmittendũ: tactus huiusmodi, nec etiam inter personas solutas esse intrinsecè malos secundum speciem suam sed actus indifferẽtes. Ratio est quia sunt sensationes quædam, seu actus potentiæ sensitiuæ, quorũ obiectũ præcisè consideratũ naturale est, nec rectè rationi repugnans. Possunt ergo fieri licitè vel illicite iuxta finem honestum vel turpem ad quem ordinantur, & secundum alias circumstantias quibus vestiuntur; Ita D. Tho. secundã secundæ. quæst. 154. art. 4. quem sequuntur communiter Caietanus, & expositores ibidem. Sanchez lib. 9. matrim disp. 46. num 2. Filiuccius to. 2. trac. 30. c. 9. q. 2.

Secun-

Secundo præmittendum: oscula & amplexus, & similes tactus communiter in duplicem finem ordinari, vel in signum beneuolentiæ & honestæ amicitiæ, vt fieri solet in occursu, vel recessu amicorum: vel in delectationē. Hæc autē rursus duplex est, nempe vel delectatio venerea, vel delectatio purè sensibilis consurgens ex proportione primarum qualitatum inter tangibile, & organum tactus. Vide Lessium l. 4. cap. 3. dub. 8. De singulis ergo dicendum. Primo Quoad oscula & tactus in signum beneuolentiæ.

Respondeo tactus huiusmodi licitè fieri secundum patriæ consuetudinem & omni culpa vacare.

Probatur. Actus secundum se indifferentes licite fiūt quoties finis est honestus, nec immiscetur praua aliqua circumstantia: ita est in casu nostro: ergo &c. Probatur minor; nam ordinantur in finem honestum, nempe in testificationem sinceræ beneuolentiæ: supponimus autem non admisceri prauam aliquam circumstantiam: Ita D. Tho. Lessius, Sanchez locis citatis.

Quod si præter intentionem insurgat motus sensualis, & inordinatus non ideo tactus illi euadunt illiciti: modo pars superior repugnet seu voluntas rationalis non præstet consensum delectationi venereæ, quæ in carne sentitur. Ratio est quia non possunt imputari ad culpam motus illi quibus voluntas repugnat, cum non detur peccatum nisi voluntarium. Vide Sanchez Filiuccium loc. cit.

Colligitur primo licitam quoque esse delectationem quæ consurgit ex tactibus prædictis quatenus sunt signa beneuolentiæ. Sicut enim licitum est delectari amicitia honesta, & præsentia amici; ita quoque licitum est delectari signis, & testificatione eiusdem amicitiæ; siquidem idem omnino est vtriusque obiectum. D D. supra cit. præsertim Lessius, & Filiuccius.

Colligitur secundo licitas esse apprehensiones manuum, & similes tactus qui iuxta morem patriæ habentur, E. g. in choreis ducendis inter laicos, quia sacerdotibus & clericis prohibitum est choreas ducere, vt supra diximus dum de ludo) Ratio est quia chereas ducere in signum letitiæ licitum est: ergo etiam sunt liciti tactus & gestus, quibus constant; seclusa praua intentione, vel simili circumstantia Ita cōmuniter summistæ verbo Chorea, Syluester, Angelus. Megal. Vide Bona. de Matr. q. 4. punc. 9. Quod si adsit excessus ex leuitate, & ioco immoderato absque praua intentione solum in illis erit culpa venialis. Vide Sanchez loco supra cit. num. 10 Filiuc. sup. quæst. 10.

DVBIVM. V.

De osculis & tactibus ordinatis ad delectationem Veneream qualem culpam contineant.

Præmittendum: delectationem veneream dici illam, que oritur ex resolutione seminis in concubitu vel extra. Hæc autem causatur ex commotione spirituum subseruientium generationi, quippe ea commotio ad resolutionem, & emissionem seminis tendit. Cùm autem oscula, & tactus sint natura sua dispositiones ad concubitum, seu copulam: hinc est vt magnam vim habeant commouendi spiritus prædictos, & consequenter causandi voluptatem turpem, & libidinosam, vt ex Galeno lib. 14. de vsu partium c. 9. & 10 tradunt D.D. communiter asserentes consequenter cōmotionem prædictam esse inchoatam pollutionem; vide Sanchez disp. 46. num. 5. l. 9. Matrim. cum alijs, quos citat. His positis.

Respondeo Oscula & tactus habiti causa delectationis venereæ sunt peccata mortalia ex genere suo.

Probatur Actus alioquin indifferentes sortiuntur speciem ex fine ad quem ordinantur: Sed finis est mortaliter malus: ergo actus mortaliter peccaminosi. Probatur minor. Delectatio trahit malitiam, ex obiecto & opere vnde emanat, quia est proprietas illius; & ideo ad eandem moralem speciem ea malitia pertinet ex Arist. 10. Eticorum c. 4. sed obiectum delectationis prædictæ vel est concubitus per phantasiam apprehensus, vel resolutio seminis extra concubitum, quæ sunt obiecta intrinsece mala, & mortaliter peccaminosa.

Nec obstat quod in casu nostro vacans tactibus prædictis non intendit vlterius progredi, idest neque ad concubitum, neque ad consumatam pollutionem; quia Nihilominus vult frui concubitu vt præsenti & apprehenso per imaginationem vt contingit in delectatione morosa, de qua infra; vel deliberatæ procurat commotionem spirituum, quæ est inchoata pollutio Atque ita docet D. Tho. secunda secundæ qu. 155 ar. 4. quem sequuntur communiter. Vide Lessium l. 4. c. 3. dub. 8. num. 57

Dixi autem oscula &c. esse peccata mortalia saltem ex genere: quia cōntrouersia est inter D.D. vtrum ratione paruitatis materiæ tactus prædicti sint peccata venialia, de qua infra.

Colli-

Colligitur in osculis & tactibus necessario in confessione explicandas esse circumstantias tum personæ tangentis, tum illius quam quis tangit, vtrum videlicet sit consanguinea, vel coniugata etc quia contrahunt eandem speciem malitiam quam copula cum eisdem habita; ita Sanchez alijs cit. num. 18. Lessius supra, et communiter Bonacina supra quæst. 4. p. Item si fiant inter personas eiusdem sexus, qui reducuntur ad sodomiam, Sanchez num. 8 supra.

DVBIVM VI.

Vtrum tactus habiti ob delectationem pure sensibilem sint peccata mortifera.

ADuertendum delectationem purè sensibilem dici illam, quæ nascitur ex proportione qualitatum inter id quod tangitur, & organum tactus: quia videlicet res quæ tangitur est blanda & lenis, delicatj & suauis temperamenti: sicut enim res dura; & aspera tactum offendit, et dolorem causat; ita e contra res blanda etc. tactum mulcet, et delectationem causat.

Queritur ergo, vtrum si quis tangat E. g. mulierem non intendendo delectationem veneream de qua supra sed purè sensibilem, quæ oritur ex tacto carnis, quatenus caro illius est tenera, moderatè calida, etc. Vtrum inquam in his tactibus sit peccatum mortale.

Prima sententia negat malitiam mortalem in his tactibus et solum in illis agnoscit culpam venialem.

Probatur primo Tactus secundum se sunt actus indifferentes, vt supra diximus cum D Tho. ergo non possunt fieri mortaliter peccaminosi in casu nostro, nisi ratione finis ad quem ordinantur, nempe delectationis prædictæ: sed hoc dici non potest; falsum est enim delectationem huiusmodi esse peccatum mortale ergo etc.

Probatur minor. Delectatio est eiusdem rationis cum obiecto, cuius est proprietas, et vnde naturaliter consurgit: sed obiectum in quo queritur delectatio purè sensibilis non est fornicatio, vel quid aliud intrinsece malum, et rectæ rationi repugnans; sed est perceptio moderati caloris, et suauis temperamenti: ergo delectatio inde consurgens non est intrinsicè mala.

Secundo probatur. Eiusdem rationis oblectatio intendirur, et percipitur per hos tactus, quæ habetur per tactus rerum insensibilium, quatenus sunt præditæ eisdem vel similibus qualitatibus E.g. quæ haberur in balneo moderatè calido, vel in re aliqua blanda et leni, vt in serico: sed hanc delectationem nemo damnat peccati mort. ergo nec illam damnare debemus.

Tertio tandem probatur. Non videntur alia ratione huiusmodi tactus posse damnari peccati mortalis nisi ratione periculi transitus ad delectationem veneream; ergo vbi cessat huiusmodi periculum, cessat etiam ratio culpæ: sed potest non raro abesse periculum, vt experientia constat inter amicos, et consanguineos: ergo etc.

Quod autem in his actibus sit peccatum veniale.

Probatur. Cum tactus ordinatur ad solam delectationem peruertitur ordo, et finis naturalis rerum: ergo in illis est peccatum veniale, nempe deordinatio quædam et peruersio.

Antecedens probatur: quia finis actionis, vt sit rectus et rationi conformis, debet esse aliquod bonum honestum, et virtutis: delectatio autem non est huiusmodi quippe indita est actibus à natura, vt sit motiuum, et incitamentum, seu causa impulsiua actionis, non vero finis: sicut ergo qui comedit vel bibit ob solam delectationem peccat venialiter: quia finis debet esse substentatio naturæ, et delectatio solummodo incitamentum, ita pariter in casu nostro. Est ergo in his actibus tantum peccatum veniale, ob deordinationem prędictam, et ideo hanc sententiam ex antiquioribus docuerunt Martinus de magistris, Vmbertus, Gabriel, D. Anton. et alij, quos congerit Sanchez cit. disp. 46 num. 6. et ex recentioribus tenet expresse Comitolus Azorius, Salas, Syluius in secundâ secundæ D. Th. quæst. 154. ar. 4. et ali apud Dianam p: 4. trac. 6. resol. 136.

Secunda sententia quam sequor est communis, et longe probabilior; Huiusmodi tactus si fiant cum persona alioquin habili ad copulam esse peccata mortifera;

Probatur primo oscula et tactus inter personas prædictas, preter delectationem pure sensibilem, causant etiam delectationem veneream: quia cum soleant esse dispositiones ad copulam, maximam vim habent commouendi spiritus generationi subseruientes, quibus semen resoluitur: ergo exercens huiusmodi actus propter solam delectarionem absque alio fine honesto, exponitur proximo periculo consentiendi delectationi venereæ, seu transeundi á consensu prioris delectationis in consensum delectationis impuræ, et libidinosæ, et ideo peccat mortaliter. Probatur consequentia quia posita corruptione naturæ per-

per peccatum originale, & vehementia fomitis: ordinariè fit transitus ab vna in aliam delectationem.

Secundo qui vult antecedens saltem virtualiter vult necessario consequens; sed delectatio pure sensibilis moraliter est necessario connexa cum venerea, & illam infert: ergo consentiens in priorem, saltem virtualiter consentit in posteriorem: ergo peccat mortaliter atque adeo hi tactus explicari debent in confessione cum circunstantijs vtriusque personæ. Ita innumeris citatis docet Sanchez sup. n.7 Lessius l. 4; c. 3. dub. 8. Filliuc. trac. 30. quæst. 5. num.179 Quamuis priorem sententiam dixerit speculatiuè veram Diana supra.

Dixi autem si personæ sint habiles ad copulam: quia inter alias personas, inter quas, vel non est ea capacitas, vel natura abhorret concubitum, vt inter consanguineos, præsertim in primo gradu, cessat illud periculum; & ideo facile excusari possunt à culpa, saltem mortal. Filliuc. loc. cit.

Dices prædicta argumenta militant etiam in tactibus habitis in signum beneuolentiæ, vel ergo in vtrisque agnoscendum peccatum mort. vel in neutris.

Respondetur negando antecedens: cum enim adest finis honestus, animus non ita applicatur delectationi: atque adeo tactus apprehenduntur sub ratione magis eleuata, & ideo non habent eandem vim excitandi spiritus generationi subseruientes: & causandi delectationem veneream, ad quod maxime conducit imaginatio deprauata quærentis solam delectationem: Vnde ratione curiositatis excusatur à mortali: ideo est dispar ratio.

Dices secundo huiusmodi tactus prescindendo à periculo delectationis venereæ, vel pollutionis non excedunt culpam venialem: ergo ratione illius periculi ad summum contrahunt nouam culpam venialem, dummodo ea delectatio venerea non intendatur, seu dummodo sit præuisa, & non intenta. Probatur consequentia: quia posito quod non sit intenta, talis est delectatio & pollutio præter intentionem, qualis est causa: ergo si causa sit pecc. mort erit mortale; si peccatum veniale, erit veniale: quia non est voluntaria, nisi in causa; consequenter non excedit illius malitiam; Vide DD. apud Sanchez disp. 45. num.13.

Respondetur negando primam consequentiam; Quando enim causa per se, & notabiliter influit in delectationem veneream, & pollutionem, semper est peccat. mort. illi operam dare, etiam si non intendatur pollutio: quia lex obligans ad vitandam eam delectationem, consequenter obligat ad vitandas causas notabiliter influentes &c. Sanchez sup. n. 16. nisi necessitas compellat: Ad opposita patet ex dictis.

Primo colligitur à fortiori tactus impudicos, idest partium verendarum, vel vicinarum nunquam excusari à mortali, quando absque vrgenti necessitate habentur inter personas diuersi sexus, vt inter virum, & fœminam, in quo omnes DD conueniunt (nam controuersia solum est de partibus honestis faciei, vel manus)

Probatur: quia tactus huiusmodi valde excitant ad venerem, & maximam indecentiam præseferunt; vnde nec ioci causa excusantur à mort. nec ratione sponsalium; Sanchez n. 11. & communiter neque ex curiositate vel causa mortificationis, vt à fortiori patebit ex dicendis de aspectibus:

Quamuis Diana 3 p. trac. 5. resol. 89 referat aliquos Doctores, qui excusant, si ex leuitate, vel ioco tam breui tempore habetur tactus, vt cesset periculum.

Dixi primo: Non excusari à mortali, quando absque graui necessitate habentur: quia si fiant causa medendi, vel simili vacant omni culpa: E. G. si fiant à Chirurgis: quia finis est honestus, & rectæ rationi conformis. Nec refert quod interim aliquis motus turpis suboriatur absque consensu: quia id est inuoluntarium; & ideo nequit imputari ad culpam. Ita DD communiter teste Lessio dicto dub. 8. n. 60. Mulieres tamen præsertim virgines non tenentur hoc genus medicanti à viris admittere Lessius supra: quia possunt cedere iure suo ob maius bonum pudicitiæ.

Dixi secundo: Non excusari à mortali inter personas diuersi sexus: quia inter personas eiusdem sexus quandoque excusantur: non quidem si fiant ob delectationem veneream, quia tunc sunt multò peiores, quam inter personas distincti sexus, & spectant ad sodomiam; Sanchez n. 12.

Excusantur verò à mortali primo si fiant ex ioco, vel leuitate, & euenire solet inter pueros & similiter inter natantes: quia deest animus libidinosus nec tantam præseferunt indecentiam, quantam inter personas diuersi sexus: Sanchez supra num. 12. Filliucius loco cit. quæst. 10.

Secundo excusantur à mortali inter personas eiusdem sexus, si fiant ex curiositate indagandi res occultas, absque periculo pollutionis: quia tunc apprehenduntur sub ratione magis eleuata, ac proinde non habent tantam vim ad concitandam naturam: omnino tamen dissuadendi ratione periculi; Lessius dub. 8. cit. n. 61. Filliuc. cap 9 q. 10.

Col-

Colligitur secundo: quid sit dicendum de tactibus partium verendarum circa se ipsum. Dicendum est enim si fiant ex leuitate, vel curiositate, vel causa manus calefaciendi non excedunt culpam venialem, vt patet ex supradictis, Sanchez: Filliuc. loco cit.

Colligitur tertio: Nullum esse peccatum, vel ad summum veniale osculari, & tangere teneras infantium carnes; quia id non fit animo libidinoso, sed ex amore sincero infantilis ætatis, & abest omnino periculum ob incapacitatem copulæ: DD. supra citati.

DVBIVM VII.

De aspectibus lasciuis, et eorum malitia.

AD euidentiam recolenda est diuisio delectationis in venercam, & pure sensibilem. Quo posito.

Respondeo; & dico primo: Aspectum mulieris, vel adolescentis ob delectationem veneream esse peccatum mor. ex genere suo. Ita DD. communiter cum D.Tho. citato art. 4. Vide Filliuc. tract. 30. c. 10: q 7.

Probatur manifestè; nam quoties actus alioqui indifferens, vt est aspectus, ordinatur ad finem mortaliter malum est mortaliter peccaminosus; sed ita est in casu nostro; quia delectatio venerea extra matrimonium est mortaliter mala, vt supra probauimus: quia vel est delectatio concubitus per imaginationem apprehensi, vel pollutionis inchoatæ in commotione spirituum &c. ergo &c. Vnde Math. 5. Qui viderit mulierem ad concupiscendam, &c.

Dico secundo, Aspectus faciei, & similium honestarum ob delectationem purè sensibilem, quæ oritur ex obiecto ratione decoris pulchritudinis, & venustatis, seu ob proportionem inter obiectum, & potentiam visiuam, non excedere culpam venialem.

Probatur ex differentia, quam notant cōmuniter DD. inter visum & tactum, quod oscula, amplexus, & similes actus qui spectant ad sensum tactus (eò quia solent esse communiter proximæ dispositiones ad copulam: vel quia fiunt per immediatā vnionem cum obiecto sensibili, quod est incentiuum libidinis) maximam vim habent commouendi carnem per excitationem spirituum &c. & ideo consensus in delectationē sensibilem, quæ oritur ex tactibus est etiam virtualis consensus in delectationem veneream cum illa connexam, vt supra diximus ideo &c. Cæterum in sensu visus, longè aliter res se habet; quippe aspectus neque sunt proximæ dispositiones ad copulam; sed potius sunt medium cognoscendi, personas, neque vniunt immediatè obiectum sensibile cum potentia; sed modo nobiliori, & magis eleuato, nempè per species intentionales: ideo delectatio purè sensibilis, quæ oritur ex aspectu rei pulchræ, facilius separatur à delectatione venerea, imo neque aspectus prædicti eam excitant nisi valde remotè & leuiter: consequenter consentire in eam delectationem, quæ præcisè oritur ex aspectu, non excedit culpam venialem. Ita multis citatis Sanch. sup. n. 22. Caiet Nauar. Filiuc. sup. cap. 10. q. 7. Less. &c.

Colligitur: excusari à mortali fœminas, quæ vestibus vtuntur in summitate apertis, vt pectora nuda appareant, præsertim vbi viget consuetudo iam introducta: quia sicut aspicere eam partem corporis non est mortale, ita nec aspectui obijcere secluso alio prauo fine, quamuis sit dissuadendum. Ita citatis Caiet. Nauar. Sanchez num. 26. Introducentes vero huiusmodi vsum probabilius est grauiter peccare Diana p. 10. tra. 11. ref. 30.

Dico tertio, aspectus valdè turpes, idest partium verendarum inter personas diuersi sexus nunquam excusari à mortali; excepta causa necessitatis ob medendum &c. etiam si fiant ex curiositate, vel ad indiscretam mortificationem, nempe vt mulier eam confusionem patiatur, quod dico, quia non desuerunt vel imperitissimi vel impurissimis Sacerdotes, qui hoc genus mortificationis imposuerunt, contra quos procedunt Inquisitores: quia & notabiliter excitant ad venerem, & maximè aduersantur honestati naturali, Ita Siluest. D. Antonin. & communiter apud Sanchez lib. 9. matrim. disp. 46. num. 23. qui num 24. limitat, nisi ex curiositate tam breui tēpore & ex transitu, quis aspiciat, vt cesset periculum, vel nisi ratione senectutis &c. cesset periculum, Filiuc. tra. 30. cap. 10. quæst 8. Sanchez. supra num. 24.

Dixi, Inter personas distincti sexus, vt si vir velit aspicere verenda fœminæ, & è contra: quia inter personas eiusdem sexus excusantur à culpa mortali secluso periculo, & fine prauo, & libidinoso: quia nec ita prouocant ad luxuriam, nec in illis est tanta in honestas, sicut inter personas diuersi sexus: Ita Nauar. Corduba, & alij, quos citat, & sequitur Sanchez supra num. 27. Bonac. de matrim. quæst. 4. punc. 9.

Quod intelligitur nisi ob prauam alicuius dispositionem adesset graue periculum consensus in delectationem veneream.

Colligitur à fortiori non esse peccatum mor.

pro-

propria verenda aspicere ex quadam curiositate absque alia praua intentione, vel periculo: quia talis aspectus minus mouet ad luxuriam, quam aspectus partium alienæ personæ etiam eiusdem sexus, quem diximus excusari à mortali peccato. Ita Doctores citati.

Secundo colligitur esse peccatum mort. inspicere concubitum, vel viri cum fœmina, vel turpiorem cum alijs: quia est maius incendium libidinis, quam verenda fœminæ aspicere extra concubitum. Secus est de concubitu brutorum inter se: quia non ita prouocant ad venerem, & ideo est solum peccatum veniale. Sanchez supra nu 29. & 30.

DVBIVM VIII.

De verbis obscenis, et turpiloquio quale peccatum sit in illis.

AD euidentiam præmittendum, ex turpiloquio duplicem captari posse delectationem: Alteram quæ oritur ex ipsa narratione, quatenus vel artificiosa est, & lepida, quia risum mouet, & vanum solatium, aut curiositati satisfacit; ad quam delectationem obiectum, de quo est sermo, indirecte, & minus principaliter concurrit. Alteram quæ oritur ex re ipsa narrata, idest ex ipso actu venereo, & obiecto turpi, mente apprehenso, cuius cogitatio verbis ipsis excitatur & fouetur, & tunc narratio se habet vt conditio: res autem quæ narratur vt obiectum principale delectationis: quas delectationes esse diuersas; vel ex eò patet; quod multa detestamur & horremus, vt E. G. proditiones, maleficia, superstitiones, & nihilominus eorundem narratione delectamur: non quia placeant res ipse; sed placet narratio ob artificio narrationis ob cognitionem modi, quo ea delicta perpetrantur, & ob similia. His positis.

Respondeo & dico primo loqui de rebus obscenis & venereis, vel illas audire animo se oblectandi rebus ipsis narratis, & imaginationi obiectis tanquam præsentibus est peccatum mort. quia est delectatio morosa de obiecto intrinsece malo. Delectatio autem morosa est peccatum mortale, vt infra ex professo, Sanchez disp. 46. n. 39. Lessius l. 4. c.3. dub.8 n.63. & alij DD. communiter.

Dico secundo si prædicta locutio fiat vel audiatur ob voluptatem, quæ præcise capitur ex ipsa narratione sine periculo consensus in delectationem veneream, est solum peccatum veniale. Probatur: Loqui de rebus turpibus est actus secundum se indifferens: potest enim licite fieri disputationis causa, vel alia simili: ergo eius malitia pendet ex fine colloquentium, & audientium; Sed finis in casu nostro non continet grauem malitiam, sed venialem curiositatis, vel similis: ergo &c. Ita Sanchez, Lessius locis sup. citatis & communiter DD.

Dixi secluso periculo consensus in obiectum turpe, & similiter secluso periculo scandali: quia si loquens aduertat se præbere alijs occasionem peccati mortalis peccat ipse mortaliter ratione scandali: nam huiusmodi verba oscena eam occasionem præbere solent. Peccant etiam audientes mortaliter quoties aduertunt se exponi proximo periculo, & non recedunt: nam qui amat periculum peribit in illo; Ita Sanchez loco cit. num. 36. citans D. Antoninum, Nauarrum, & alios. Vide etiam Filliuc, tr 30. c. 10. q. 2. & Lessium loco citato.

Colligitur primo quando loquens aduertit se præbere audientibus occasionem peccati mortalis, & consensus in obiectum turpe, de quo loquitur, eum teneri in confessione explicare conditionem ipsorum audientium vtrum aderant sacerdotes, coniugati, vel soluti &c. Item qualitatem sermonis an fuerit de simplici fornicatione, vel de Adulterio, vel de peccato contra naturam. Ratio videtur manifesta; quia scandalum est specie diuersum iuxta diuersitatem peccatorum, ad quæ auctor scandali inducit alios, vt ex communi DD. sententia notat P. Diana 3. p. trac. 4. resi. 114. quamuis oppositum non videatur improbabile, nempe prædictas circunstantias non esse necessario explicandas, quando loquens non intendit prouocare audientes ad peccatum, quamuis præuideat eos consensuros &c. Ita Card. de Lugo de sacram. penit. disp. 16. q. 4. S. 2. Oniedo in primam secundæ D. Tho. tr. 6. controu. 2. punc 6. Leandrus de sacram. to. 1. trac. 5. disp. 8. §. 5. q 7.

Colligitur secundo; Legentes libros turpes tractantes de obscenis amoribus ob solam vanam curiositatem absque periculo consensus in obiectum turpe, peccare tantum venialiter; si verò eos legant ob delectationem veneream consurgentem ex rebus ipsis obscenis, vel adsit periculum consensus in delectationem turpem peccat mortaliter. Ita cum alijs Sanchez l. 9. de matrim. disp 46. num 41. & 45.

Colligitur tertio quid sit dicendum de repræsentantibus comedias oscenas de quibus Sanch sup. & nos sequenti dubio ob prohibitionem specialem clericorum audiendi comedias.

DVBIVM IX.

Vtrum peccent qui intersunt comedijs, siue Sacerdotes, siue Laici.

AD euidentiam distinguendum est hic inter comedias decentes, & honestas, in quibus repræsentantur, vel gesta Sanctorum, vel fabulæ ordinatæ ad morum instructionem, vel tandem res aliæ indifferentes, quas certum est audiri posse absque vllo peccato ad honestam recreationem, quando nullæ prauæ circumstantiæ concurrunt; ex D. Tho. 2. 2. q. 168. art. 3. Aliæ sunt comediæ obscenæ, in quibus repræsentantur, & dicuntur turpia, quæ de se prouocant ad lasciuiam, & communiter aguntur à personis damnatæ vitæ, quæ, histriones appellantur, de quibus controuersia est, vtrum audiri possint absque pecc. mort. præsertim à Clericis.

Prima sententia damnat pecc. mort. indifferenter, siue Clericos, siue Laicos comedijs prædictis interessetes. Ratio: quia delectatio sumit speciem ab obiecto: ergo si obiectum est turpe & intrinsece malum, delectio erit mortaliter peccaminosa: sed ita est in casu nostro; quia in comedijs prædictis representatur turpia, & obscena; ergo delectatio, quæ percipitur ex comedijs, & rebus, quæ in eis repræsentetur est mortaliter peccaminosa.

Deinde qui se exponit periculo peccandi mortaliter, mortaliter peccat: sed interessentes comedijs obscenis communiter se exponunt periculo consensus in res lasciuas, vel morosæ delectationis in eis: ergo, &c. Ita Comitolus Respons. Moral. l. 5. q. 21. Hurtadus de Mendoza de Fide, & Charitate disp. 173 sec. 28. cum alijs, quos citant.

Secunda sententia opposita excusat à peccato mor. ne dum laicos, sed etiam sacerdotes & Religiosos spectatores comediarum seclusο periculo consentiendi in desiderium turpe, vel in delectationem morosam circa obiecta turpia, quæ representantur.

Dixi à peccato mor. quia certum est secundum omnes, neminem excusari à peccato veniali, ob rerum indecentiam, & deformitatem.

Supponit autem hæc sententia posse capi dupliciter delectionem ex comedia obscena; nempe vel ex narratione, & repræsentatione ipsa præcisè, idest de artificio facetijs, & subtilitatibus quibus turpia narrantur, & repræsentantur; vel de ipsis obiectis turpibus repræsentatis. Hæc posterior delectatio secundum omnes est mortaliter peccaminosa: argumento supra explicato in Prima sententia: Secus est de priori delectatione, quæ non excedit culpam venialem.

Probatur hæc sententia: quia narrare turpia, vel audire est quid indifferens secundum se, potest enim fieri ob finem bonum, & malum: Vnde eius malitia pendet ex fine: sed finis in casu nostro est venialiter malus nempe vana curiositas, vel quid simile: ergo interesse comedijs ob solam vanam curiositatem non excedit culpam venialem.

Quod si quis aduertat ex huiusmodi assistentia se exponi periculo labendi vlterius in peccatum mor. procul dubio peccat mortaliter ratione periculi, vel si inuitet alium ad comediam cum pari periculo, secus vero secluso periculo.

Hæc autem ratio idem probat quoad Clericos & Sacerdores: ergo etiam ipsi excusantur à mortali.

Nec obstat: Clericis præcipuè in sacris hoc esse specialiter prohibitum, cap. Clerici 2. de vita & honestate Clericorum: quia illa prohibitio vel non est sub mortali ex celebri doctrina Caiet. summæ verbo, Clericorum peccata, præcisο scandalo vel contemptu; aut contraria consuetudine ea prohibitio est abrogata, vt Sanch. l. 9. de Matrim. disp. 46. num. 41. Lezana tom. 1. QQ. RR. cap 10. num. 7. Salas, Bonacina, Squillante, Rodriq. & alij, quos refert, & sequitur Diana p. 2. tra. 3. Miscell. resol. 35 ex quibus patet ad argum. 1. sententiæ.

PRO RESOLVTIONE.

Respondeo, quamuis hæc sententia quoad seculares & laicos sit valde probabilis, & tuta in praxi; quoad Clericos tamen in sacris, & præcipuè quoad Sacerdotes non videtur absolutè admittenda: sed dicendum est eos peccare mortaliter communiter loquendo, assistendo comedijs obscenis histrionum, &c.

Probatur. Qui suo exemplo vel suasione inducunt alios ad assistendum comædijs obscenis peccant mortaliter, quia plures ex concurrentibus moraliter loquendo in peccatum labuntur, vel saltem hoc dubium est: sed Sacerdotes assistendo comedijs suo exemplo plures inducunt ad illas: quia laici sibi facilè persuadent non esse abstinendum à spectaculis, quæ Sacerdotes non verentur adire: ergo &c. Ita Hurtad. loco cit. cum alijs.

Quod si abusus, & frequentia Sacerdotum eò creuerit, vt cessauerit admiratio, neque inde seculares ad peccatum incitentur: quia eodem modo audirent comedias, licèt Clerici abessent, excusari possent Sacerdotes à pec-

cato

cato mor cessante scandalo, vt probant auctores secundæ sent.

Difficultas autem non leuis hic emergit, vtrum auditores comædiarum peccent mortaliter ex alio capite, nempe, quia soluunt pecuniam histrionibus in pretium audiendæ comædiæ, seu vt admittantur ad comediam audiendam.

Ratio dubitandi est: quia constat inter omnes DD. histriones peccare mort. agendo comædias obscenas; quia moraliter loquend o mulris præbent occasionem peccandi mortaliter.

Sic ergo argumentor: Qui cooperatur peccato alterius, peccat eodem genere peccati: sed dantes pecunias histrionibus cooperantur peccaro mortali eorum: nam ex eo lucro monentur, & animantur ad comædias agendas, aliàs non acturi, nec permansuri in eo prauo exercitio, si lucrum illud deficeret: ergo soluentes pecunias peccant mor. & ex hoc capite excusari non possnnt, esto excusentur ratione præcisa assistentiæ, atque ira sustinent Hurtad loco cit. quem refert, & sequitur idem Diana p.5. trac 13. res 81.

Respondeo, nihilominus posse etiam probabiliter excusari.

Probatur primo, auctoritate DD. secundæ sententiæ, quæ modò communis videtur: qui absolutè afferunt assistentes comædijs non peccare mort. secluso periculo delectationis circa res ipsas turpes; & tamen omnibus notum est communiter assistentes soluere pecuniam histrionibus: ergo censent, hoc non obstante, excusari à pec. mor.

Deinde idem argumentum fieri potest de ipsa assistentia esto non exigeretur pecunia: Nam histriones non agerent comædiam, nisi adessent auditores: ergo auditores, ratione præcisa assistentiæ, cooperantur peccato histrionum: consequenter peccant mort. sicut histriones.

Respondeo ergo ad argumentum negando minorem, nempè eos qui soluunt pecuniam cooperari peccato histrionum. Ratio est primo: quia ipsi non petunt vt fiat comædia: sed posito quod fiat, petunt admitti ad audiendam illam, ita Ferrantinus de scandalo disp 1. q. 64 num. 36.

Deinde esto peterent comædiam, petunt tantùm rem indifferentem secundum se, quæ potest benè & malè fieri: Quod autem malè fiat & misceantur obscenirares, id malitiæ histrionum tribuitur: ergo soluentes pecuniam non cooperantur peccaro illorum, sed illud permittunt ne priuentur animi oblectatione, & recreatione, quæ non est mortaliter peccaminosa.

Sicut petentes mutuum ab vsurario, quem sciunt non esse mutuaturum nisi sub vsuris, nō peccant mortaliter nec censentur cooperari peccato illorum, etiam si petant mutuum absque necessitate, quia petunt mutuum & permittunt vsuras; Ita pariter in casu nostro soluentes pecunias histrionibus petunt comædiam, & permittunt obscenitates.

DVBIVM X.

Vtrum in peccatis luxuriæ & in delectatione venerea detur paruitas materiæ.

SEnsus quæst est, vtrum sicut peccatum furti E. g quod ex genere suo est mortale, ratione paruitatis materiæ transit in veniale, vt furtum oboli; ita etiam peccatum luxuriæ, quod ex suo genere est mortale transeat in veniale ratione paruitatis materiæ, vt si quis velit experiri delectationem veneream non in concubitu, sed in tactu leui &c.

Prima sententia affirmat dari paruitatem materiæ, seu transgressionem huius præcepti, Non mechaberis, leuem ratione paruitatis, &c.

Probatur primo, in alijs præceptis datur transgressio leuis, & peccatum veniale ratione paruitatis materiæ, ergo etiam in hoc; Probatur consequentia, ideo in alijs peccatorum generibus datur peccatū veniale & leuis trāsgressio præcepti, quia dantur actus, qui vel remotè disponunt ad actum principalem, vel leuiter opponuntur fini præcepti: E. g. leuis rixa, vel percussio sunt peccata venialia; quia remotè disponunt ad homicidium. Haustus immoderatus vini nō statim est peccatū mor. sed solum quando proximè disponit ad ebrietatem; si autem remotè, est solum peccatum veniale. Item leue furtum est peccatum veniale, quia leuiter opponitur fini præcepti non spoliandi proximum rebus suis, aut iure suo: sic etiam in detractione, contumelia &c. Sed eadem ratio militat in rebus venereis: quia tactus leuis E. g. manus fœminæ, & delectatio inde orta remotè disponit ad copulam, & leuiter opponitur fini præcepti, nempè bono prolis; ergo, &c.

Confirmatur. Sicut in materia furti detractionis &c. sunt diuersi gradus in quibus est magis & minus, E. g maior & minor quantitatis pecuniæ ablatæ; maius & minus detrimentum famæ proximi; & ideo potest in illis dari pec. ven. ratione paruitatis materiæ. Ita pariter in genere luxuriæ, tum actu &c. tum voluntariū secundum magis & minus; ergo etiam in h. c

genere potest dari peccatum veniale ratione parvitatis materiæ. Probatur secundo, sponsis de futuro iuxta multorum sententiã (Nauar, Toleti &c. apud Lessium supra dub. 8.) licita est ea delectatio venerea, quæ præcise oritur ex osculis & contactu manuum, ita vt nec venialiter peccent; ergo inter omnino solutos hæc eadem delectatio solum erit peccatum veniale.

Probatur consequentia, ideo licita est sponsis, &c. quia cum sponsalia sint dispositio ad matrimonium tribuunt ius ad id, quod est dispositio & præparatio ad actum matrimonij. Hoc autem intelligi non potest, nisi de dispositione & voluptate remota, & in hoc genere parua & insufficienti ad excitandum actum principalem, & seminationem; siquidem actus prædicti conceduntur sponsis, dummodo absit periculum pollutionis; ergo datur paruitas materiæ in hoc genere luxuriæ: ergo etiã peccatum veniale ratione paruitatis materiæ inter solutos.

Probatur tertio, delectatio venerea, quæ ex solo visu seu præcisè ex aspectu mulieris v.g. captatur secundum multos Doctor. est venialis: quia est modica & parua in eo genere: ergo datur in hoc genere paruitas materiæ. Antecedens est Caietani summa verbo impudicitia, & verbo delectatio, Nauar. summa c.16. Medinæ 1.2. & aliorum quos citat, & sequitur Sanchez disp. 46. num. 22. & disp. 45. num 19. Martinus de Magistris. Atque huius sententiæ sunt Sanchez l. 9. disp. 46. num. 9. cit. Armillam, Nauar. & Sotum, & confirmat n. 22. & 40. Item Zapardus Salas, Villalob & alij apud Diana 3. par. trac 5. resol. 1. Iacobus Marchantius in Decalog. cap. 6. q. 2. apud Dianam. Ex qua doctrina.

Colligunt huius sententiæ auctores. Aspectus ob delectationem veneream, quæ oritur præcisè ex ipsis, absque periculo vlterioris cõsensus, solum esse peccata venialia; quia est modica delectatio in hoc genere. Sanch. cum Caiet. Nauar &c. supra in 3. probatione.

Secundo colligunt tactus leues vt manum fœminæ, pedem vel brachium præmere, digitos intorquere ob captandam delectationem veneream, quæ ex ipsis oritur absque periculo vlterioris consensus esse peccata venialia ratione paruitatis materiæ Sanch. sup. num. 17. Villalobos, & alij.

Tertio colligunt, præcipuè Marcantius sup. apud Dianam p. 5. tra. 5 resol. 5. quamuis oscula cum mora, vel diu replicata sint peccata mortalia; nihilominus si fiant absque replicatione & in transitu solum esse peccata venialia absque periculo vlterioris consensus: quia delectatio impura, quæ præcisè ex illis sequitur & captatur, modica est, & ideo ratione paruitatis materiæ excusatur à mort.

Prædicta tamen sententia communiter reiicitur à DD. & meritò vt falsa, & practicè improbabilis damnatur.

Secunda ergo, & vera sententia sustinet in hoc genere luxuriæ non excusari à mortali ratione paruitatis materiæ oscula & tactus quibus quæritur deliberatè delectatio impura, & venerea.

Probant primo, aliqui hanc sententiã: quia omnis delectatio venerea secundum Galenũ, est delectatio quædam pollutionis, vt supra. Sed inchoatus actus pollutionis est peccatum mort. ergo etiam quælibet delectatio venerea, seu actus quo delectatio procuratur: ita Rebell. 2 p. l. 3. q. 19.

Sed facilè respondent aduersarij. Inchoationem pollutionis esse duplicem; vel exiguã & remotam, seu valdè imperfectam, à qua longè distat ipse actus principalis, & tunc non est peccatum mor. vt dicebamus de rixa leui respectu homicidij; vel esse notabilem & proximam, & tunc esse peccatum mortale: in casu autem nostro solum habetur inchoatio, & dispositio remota ad seminationem ideo &c.

Probant secundo alij: Quia oscula, & tactus natura sua ordinantur ad copulam; ergo qui consentit in tactus huiusmodi censetur cõsentire in copulam, vel eius voluptatem: ergo ratione finis mortalis, sunt peccata mort. Lessius loc. cit. & alij.

Sed facilè etiam respondent aduersarij. Tactus prædictos non necessario ordinari ad copulam, nisi quando præcedit intentio copulæ, in casu autem nostro non eò referuntur; sed sistitur in voluptate, quæ sequitur præcisè ex tactu; alioqui etiam inter sponsos essent illiciti: quia copula est illis illicita.

Ratio ergo vera & potissima nostræ sententiæ est: quia deliberatè consentiens in delectationem modicam impuram & veneream exponitur proximo & manifesto periculo consensus & lapsus in vlteriorem & grauem; ergo peccat mort. quia vt omnes fatentur, exponens se proximo periculo peccati mort. peccat mortaliter.

Antecedens probatur: tum quia hoc vitiũ in natura corrupta est valde lubricum & effrenatum, & ideo difficillimum est se continere intra certos limites; Tum quia necessarium, & præcipuum eius remedium (vt tradunt tum SS. PP. tum D. Thom. 2. 2. q. 35. ar. 1. ad 4. & in primã ad Corinth. 6. lec 6. Fugite fornicationem, & DD. communiter) est fuga occasionum, & cuiuslibet incentiui; ergo qui non solum non refugit, sed deliberatè procurat quantumuis modicam delectationem, ma-

ni-

nifestam sibi paret ruinam.

Deinde. Aliqui DD. vt Baldellus, & Lopez apud Dianam p. 5. trac. 5. ref. 5. testantur, Clementem VIII. in Congregatione Inquisitionis S. Officij definijsse hoc punctum DD. nostræ sententiæ vide apud Dianam supra.

Ad opposita respondetur ad primum negatur consequentia.

Ratio disparitatis est: quia in alijs peccatorum generibus actus præuij, & remotè disponentes ad actum principalem, non habent adnexum graue periculum lapsus ad vlteriora, sicut in hoc genere, ob rationes explicatas: ideo in illis absolutè & practicè datur peccatū veniale ratione paruitatis materiæ, secus in rebus venereis, &c. in quibus quamuis speculatiuè & metaphisicè daretur non autem practicè: quia ex modica scintilla magnum excitatur incendium.

Ad secundum respondetur sponsis, ob rationem assignatam licitam esse delectationem ortam ex osculis, modò absit periculum pollutionis: non quia delectatio sit modica, sed quia ratione matrimonij inchoati caret malitia, quam habet inter omnino solutos.

Ad tertium respondetur. Aspectus ob delectationem pure sensibilem excusari à mortali: & in hoc sensu intelligi debent DD. non autem ob delectationem veneream etiam modicam: quia in hac semper est periculum transitus ad notabilem. Ex quibus patet, Coroll. primæ sententiæ esse falsa; præsertim tertium de osculis. Et quamuis in tactibus separari non possit delectatio purè sensibilis à venerea; in aspectibus tamen separatur, vt supra explicauimus.

DVBIVM XI.

De delectatione morosa, quid sit, et quale peccatum.

Qvoad primum respondeo, delectatio morosa est simplex complacentia obiecti illiciti, Vasquez in prima secundæ disp. 109, Sanchez summa l. 1. cap. 2. cum alijs, quos citant. Dicitur primo, simplex complacentia, vbi notandum in voluntate esse duplicem affectum, vel efficacem consequendi rem ipsa id quod desectat, vel inefficacem circa id quod placet sine vllo ordine ad executionem. Delectatio ergo morosa est simplex complacentia, non efficax desiderium: quia non dicit ordinem ad executionem. Dicitur secundo loco differentiæ obiecti illiciti, quia definitur hic delectatio peccaminosa, quæ versatur circa obiectum prauum E.g. concubitum, vel vindictam: E.g si quis non habens animū re ipsa fornicandi; nihilominus apprehendens per imaginationem concubitum cum muliere velit delectari de concubitu sic apprehenso, & fantastico. Dicitur autem Morosa, non à mora temporis: sed à mora intellectus, quia scilicet postquam aduertit quis plenè & manifestè delectationem esse illicitam, quia circa obiectum turpe; nihilominus vult illi adhærere. & consentit in illā. Siquidem vt notum est ad peccatum mortale requiritur plena aduertentia, & vsus rationis perfectus.

Quoad secundum; Quale peccatum sit delectatio morosa.

Aduertendum, delectationem posse versari, vel circa ipsum obiectum illicitum E.g. circa concubitum mente apprehensum: vel circa cognitionem illius, vt si quis delectetur speculatione & cognitione ipsius concubitus inuestigando naturam, & causas illius in bonum finem, vel saltem indifferentem; non ob delectationem libidinosam, sed ad satisfaciendum naturali desiderio sciendi, & addiscendi: sicut in tabula depicta vbi repræsentantur res turpes, potest quis delectari vel de ipsis rebus turpibus ibi repræsentatis, vel de artificio pictoris in illis delineandis, & de repræsentatione præcisè. Ita pariter in casu nostro, vt ex D.Thom. 1.2. q 73. at. 8. notant commun. DD. Hoc posito.

Respondeo, & dico primo, si delectatio versetur immediatè circa speculationem, & cognitionem obiecti illiciti non autem rem ipsam illicitam; delectatio ipsa non est de se mala, nec consensus in illam est peccaminosus per se loquendo.

Probatur, delectatio in genere motis est eiusdem naturæ cum obiecto vel opere, vnde emanat, vt cum Aristot. 10. Eticorum cap. 4. diximus supra, sed opus ex quo nascitur delectatio in casu nostro vel est bonum, vel quid indifferens videlicet cognitio veritatis, & naturæ alicuius rei. ergo nec delectatio inde consurgens est de se mala. Ita D.Thom. loco supra citat Caiet. ibidem Sanchez lib. 1. summæ cap. 2. num. 13. Lessius lib. 4 cap 3. dub 15. & communiter. Quod si dubium sit an delectatio sit circa ipsam cognitionem vel circa rem cogitatam. dijudicandum erit ex conditione, & affectu cogitantis, vt docet Sanchez supra num. 7.

Dixi per se loquendo, prædictam delectationem non esse illicitam; quia ratione periculi consentiendi in ipsum obiectum turpe, poterit ibi esse peccatum mortale. Si verò cognitio ad vanam curiositatem dirigatur erit otio-

otiosa & venialiter peccaminosa.

Colligitur, cogitationes lectiones, & narrationes duellorum, rerum mirabilium artis magicæ, & etiam rerum turpium, absque vllo affectu ad res ipsas cogitatas, lectas, & narratas; si fiant ob curiositatem esse peccata tantum venialia: quod si fiant ob bonum finem, vacare omni culpa. Vide Sanch. & Lessium loc. sup. cit.

Dico secundo, delectatio obiecti, seu operis turpis & illiciti est praua & illicita: consequenter consensus in eam est peccatum mort. vel veniale secundum ratione & malitiam obiecti, ex quo emanat: vt si quis E.g. mente apprehendens vindictam inimici, vel concubitum cum non sua, & delectetur de illis peccat mort. vt docet D.Th.1.2.q.74.art.4. quem sequuntur comm.

Probatur argumento supra explicato. Delectatio in genere moris est eiusdem naturæ cum obiecto, vel opere ex quo emanat: sed obiectum in casu nostro est prauum, & illicitum: ergo &c.

Confirmatur. Quando opus aliquod est peccaminosum etiam affectus illi conformis est peccaminosus in eodem gradu: sed delectatio obiecti & operis mali claudit affectum prædictum conformem operi: ergo &c.

Probatur secundo. Quoad delectationem morosã in materia luxuriæ, in qua est peculiaris ratio; nam concubitus imaginarius causat commotionem carnis, & tendit ad pollutionem: ergo ratione effectus turpis quem causat est mortaliter malus contra virtutem castitatis: ergo qui deliberatè vult delectari de illo peccat mortaliter etiam si conetur excludere malitiam ab obiecto, E.g. qui vult delectari de concubitu cum muliere sub conditione si esset sua vxor, quia hoc non obstante non potest excludere effectum illum commotionis carnis, & inchoatæ pollutionis Vide Less. lib.4.c.3.dub.15.num.110.

Vnde est discrimen inter delectationem in materia luxuriæ; quæ ratione effectus prædicti non potest separari à malitia; & delectationem circa alias materias à quibus potest separari malitia E.g. à comestione carnium in die ieiunij, vt mox dicemus in Corollarijs. Quare valde notandum in hac materia ex duobus principijs prouenire malitiam delectationis morosæ: vel ex obiecto, circa quod versatur; vel ex effectu prauo quem causat.

Colligitur: delectationem de opere malo, quia prohibito iure solum positiuo, seu quod secundum se, non est malum; sed solum ratione prohibitionis extrinsecæ communiter non esse peccaminosam mortaliter, vt si quis delectetur comestione carnium in die ieiunij, vel de simili obiecto.

Probatur: quia delectatio non fertur in obiectum prout inuoluit malitiã; ergo delectatio non est mala ex dictis.

Probatur antecedens. Tum quia Ecclesia solum prohibet comestionem externam carnium: non autem actum merè internum, qui non influit in externum, vt est delectatio de imaginatia comestione. Tu quia delectatio fertur in ipsam substantiam comestionis per fantasiam apprehensam, non verò in eam, quatenus prohibita est: ergo vt est obiectum delectationis non inuoluit malitiam. Ita Doct. comm. Lessius, Fillinc.

Dixi autem communiter quia si quis delectaretur de ea vt prohibita; certum est eum peccare mort. sed hoc non agit, nisi moribus valde perditis quis sit.

Item dixi, hunc non committere peccatum mort. quia ob inordinatum affectum ad gulam peccat venialiter.

Secundo Colligitur. Circa opera intrinsece mala, & iure naturali prohibita; ita distinguendum esse: vel enim quis delectatur de illis ex motiuo contrario rectæ rationi, & virtuti; seu motiuo opposito ipsi legi naturali, & diuinæ; & tunc consensus in delectationem erit pecc. mort. ex genere suo. E. G. si quis delectetur de morte proximi, quatenus est malum proximi, quod spectat ad odium & crudelitatem: vel delectetur de patratione rerum mirabilium ex concursu Demonis, quod spectat ad superstitiosam magiam Vel tandem de concubitu cum non sua: quia delectatio tendit in obiectum, pro vt inuoluit malitiam.

Vel secundo quis delectatur de operibus malis ob aliquam rationem boni, quæ sit illis adnexa, & tunc consensus in delectationem non erit peccatum saltem mort. vt delectatio de spectaculo duelli imaginario, vel in eo ipsa non ob malum quod sequitur proximo; sed ob artem, & dexteritatem quæ ibi exercetur: vel de occisione & morte alicuius ob adeptam hæreditatem: quia delectatio non tendit in obiectum malum prout inuoluit malitiam, sed sub ratione boni. Vasquez disp.111. c.1. citans Caiet. Armillam, D. Antonin. Filliucius supra.

Desiderare autem mortem ob obtinendam hæreditatem est peccatum mort. quod explicant de desiderio efficaci Doctores apud Dianam 3. p. tr. 6. misc. ref. 84. secus de desiderio inefficaci.

Tertio Colligitur quid sit dicendum de delectatione sub conditione excludente malitiam ab obiecto, vt si quis fingens se esse Iudicem, & sub ea conditione delectetur de occi-

occisione malefactorum, vel sub conditione delectetur de copula cum muliere si esset sua: Dicendum est enim extra materiam luxuriæ delectationem non fore illicitam, vt de eo qui se fingit Iudicem &c. quia non delectatur de obiecto prout inuoluit malitiam, sed ex motiuo licito. Cœterum in materia luxuriæ delectatio est mortaliter peccaminosa: quia & si excludatur malitia ab obiecto; nihilominus contrahitur malitia ex effectu commotionis carnis, & inchoatæ pollutionis, quæ illi est illicita, & iure naturali prohibita. Secus est de desiderio, vel approbatione, & gaudio appetitus rationalis vt infra dicemus in sequenti Quæstione cum Sanchez, & alijs.

Quarto Colligitur fore peccatum mort. si vidua delectetur de copula habita cum marito, vt si mente & per imaginationem apprehendens congressum maritalem, delectetur de illo tanquam præsenti; quia licet obiectum sit licitum, effectus tamen quem parit illa apprehensio, nempe commotio carnis & spirituum generationi inseruientium & inde consequens delectatio venerea in eo statu est illi illicita; potest quidem vidua approbare actum præteritum copulæ, & de eo speculatiue gaudere, quatenus gaudium est actus proprius voluntatis rationalis, vt infra; non tamen delectari copula apprehensa vt præsenti per fantasiam. Ita Vasquez, Lessius, Filliucius supra Sanchez, & communiter. Quamuis Curiel, & alij DD apud Dianam 3. p tr. 5. misc. oppositum videantur sentire; sed explicandi sunt de actu approbationis, vt eos explicat Lessius supra. Cœterum Granado in 1. 2. trac. 4. disp. 5. expresse loquitur de delectatione, quem bene impugnat Sancius in selectis disp. 21. n. 27.

Quinto Colligitur, idem quoque dicendum esse de sponsis de futuro, ac diximus de viduis, nempe eos licite posse desiderare copulam in statu coniugij, & gaudere spe futuræ copulæ; non tamen delectari de ea apprehensa vt præsenti ob easdem rationes, & docent DD. citati.

Tandem colligitur: maritum non peccare mortaliter si delectetur copula imaginaria cum sua vxore, & è contra, etiam in absentia alterius coniugis: modò absit periculum pollutionis. Ratio est; quia is cui permissum est opus externum re ipsa præstitū permissum est etiam opus imaginarium, & delectatio consequens. Ita Vasq., Less., Sanch., & communiter apud Dianam 2. p. trac. 3. miscel. res. 36.

Dices, commotio inde sequens est quedam inchoata pollutio, quæ est intrinsece mala: ergo, &c.

Respondetur negando antecedens, Inter coniuges commotionem prædictam habere rationem inchoatæ pollutionis, quippe ordinatur ad actum coniugalem, & emissionem seminis intra vas legitimum. Quare si sit periculum effusionis extra vas, tunc vt diximus erit peccatum mort.

Prædicta tamen delectatio non vacat culpa veniali; quia caret debito fine, nempe bono prolis. Sanchez sup.

Dices; in absentia coniugis non potest haberi copula; ergo ea delectatio non ordinatur ad copulam.

Respondetur distinguendo antecedens. Non potest tunc haberi, concedo: at tempore sequenti poterit; ergo non ordinatur ad copulam præsentem, & tunc mox futuram, concedo; ad copulam postea futuram quando erit præsens coniux, nego. Vide Sancium in selectis disp. 21. n. 26.

DVBIVM XII.

An in Confessione debeant explicari Circumstantiæ obiecti delectationis morosæ.

E. G. An satisfaciat pœnitens in confessione dicendo se cogitasse de muliere, non explicando an fuerit coniugata; vel consanguinea &c. Est autem quæstio de sola delectatione, & simplici complacentia, non autem de desiderio efficaci in ordine ad executionem.

Prima sententia sustinet circunstantias prædictas esse necessario Explicandas.

Probatur. Actus contrahunt malitiam ab obiecto ex D. Tho. 1. 2. quæst. 28 art. 1. ergo vbi sunt in obiecto plures specie malitiæ, erunt etiam plures malitiæ in actu: sed quando mulier est cōiugata, sunt plures malitiæ in obiecto contra castitatem, ac contra iustitiam: ergo &c.

Confirmatur. Delectatio ideo est mala, quia versatur circa obiectum malum: ergo si obiectum ob diuersas circumstantias sit multipliciter malum; etiam actus contrahet plures malitias Ita Caietanus 2. 2. quæst. 154. art. 4. Nauar. summa c. 16. Petrus Lorca in primam secundæ to. 2. disp. 28. Sanchez summa l. 1. cap 2. vbi plures citat.

Secunda sententia probabilior negat. pro cuius explicatione aduertendum intellectum habere vim præcisiuam, & ideo posse repræsentare obiectum E. g. vt delectabile non vero vt iniustum; mulierem vt pulchram, non vt coniugatam, præscindendo: quare si actus voluntatis nullo modo tendat in executionem externam, sed consumetur interius; circumstantia illa coniugij, vel alia nullo mo-

do

do erit obiectum actus voluntarij interni, nec directe, nec indirecte. Secus est de desiderio tendente efficaciter in executionem externam: tunc enim intellectus noster non potest omnino prescindere circunstantias, ab obiecto prout est in se, & talibus affectum circunstantijs: ergo non potest intellectus repręsentare obiectum separatum à circunstantijs; prout attingibile per operationem externam: quia est impossibile: His positis.

Probatur delectationes, & alij actus inefficaces qui interius consumantur, specificantur ab obiecto prout representatur ab intellectu, non autem prout est à parte rei: quia tendunt in illud, prout apprehenditur, & repræsentatur: sed in casu nostro representatur præcisum à circunstantijs: ergo non contrahunt malitiam prouenientem à circunstantijs: consequenter non est obligatio explicandi illas in confessione.

Confirmatur. Si quis videns inimicum vulnerari in loco sacro delectetur de damno inimici præcisa circunstantia loci sacri, non peccat peccato sacrilegij, sed solum peccato odij: ergo pariter in casu nostro. Ita Vasq. in 1. 2. disp 111 Sair. Reginaldus, Palao apud Diana 1. p. trac. de circunst. res. 48 sequitur etiam Lugo de Pœnit disp. 16. sec. 6 § 4° & dicit probabilem Lessius l 4. c. 3. num 123° cum alijs.

Ad opposita respondetur ad primum Actus specificari ab obiecto non prout est in re, sed vt apprehenso per intellectum modo supra explicato vnde etiam patet ad reliqua.

Colligitur primo: Delectationes morosas de copula naturali cum qualibet muliere solum contrahere malitiam fornicationis; quia facta præcisione ab alijs circunstantijs coniugij, vel consanguinitatis &c. perinde est ac si delectatio versaretur circa solutam; Lugo supra n. 384.

Colligitur secundo: Delectationem copulę carnalis, quæ non versatur circa obiectum illicitum, nec causat commotionem carnis, vacare omni culpa, vt est gaudium solius voluntatis rationalis. Vbi breuiter aduertendum ex D Tho. 1. 2 q. 31. ar. 4, esse duplex genus delectationis circa copulam. Primum genus continet delectationem, quæ est mera approbatio ipsius copulæ licitæ, quasi speculatiuo modo, & propriæ dicitur gaudium, vt si vidua approbet copulam cum viro iam habitam, & gaudeat de illa absque corporis commotione. Secundum genus continet delectationem copulæ, aç si esset præsens practice & exercite, quæ facit suos effectus sentiri in parte sensitiua per commotionem carnis, & retinet solum nomen delectationis: Dicimus ergo hoc secundum genus delectationis semper esse illicitum ob effectum turpem quem causat. Secus est de gaudio copulæ licitæ, quod habet similem modum tendendi in obiectum cum desiderio; Lugo supra num. 185.

Colligitur Tertio quid sit dicendum de Religioso, vel sacris initiato, qui delectatur de copula cum muliere sub conditione si non esset Religiosus, vel Sacerdos; dicendum est enim delectationem huiusmodi præter malitiam fornicationis contrahere malitiam sacrilegij contra votum castitatis. quia & si excludat circumstantiam sui status, & se ipsum apprehendat in statu sæculari, nihilominus delectatio est intrinsece mala, ratione effectus quem causat nempe commotionis carnis, quem sibi interdixit per votum: & ideo nichil prodest præcisio. DD. supra citati.

Colligitur quarto coningatum teneri in delectatione morosa explicare hanc circumstantiam ex parte subiecti dicendo se esse coniugatum: quia ratione effectus turpis, quem delectatio causat, ipsa delectatio est contra fidem matrimoni, quia se obligant coniuges non procurare emissionem seminis, neque præuias dispositiones per commotionem carnis, nisi ad finem matrimonij. Vnde sicut pollutio est contra fidem matrimonij, ita & delectatio; Lugo & alij DD. supra citati.

Colligitur Quinto si delectatio sit de copula sodomitica vel alias contra naturam. hoc esse necessario explicandum in confessione: quia adest in obiecto malitia specialis contra castitatem, quæ nulla pręcisione intellectus purificari potest. Vasquez, Lugo, sup. citati.

Tandem colligitur posse nos licitè gaudere de effectu alias prohibito, etiam iure naturæ, quando per inaduertentiam caret malitia. E. g. possumus gaudere de pollutione habita in somno quatenus confert sanitati; non tamen propter voluptatem quam attulit, Lessius, Lugo & alij supra.

DVBIVM XII.

De obligatione resistendi cogitationibus, et motibus impuris:

E. G. si præter voluntatem incidat turpis imaginatio commonens carnem, & delectationem veneream causans quam neque foueas, neque coneris diuertere; sed negatiue seu permissiue te habeas. Vtrum pecces in hoc casu, et quale peccatum comittas, varie opinantur DD. in hanc quæstione.

Prima sententia sustinet teneri hominem sub

sub mortali resistere, et cogitationem alio transferre. Quod si omittat, et negatiue se habeat, peccabit mortaliter quamuis non consentiat positiuè.

Probatur primo Imaginatio impura, & delectatio inde consurgens, est illicita, & contra virtutem castitatis: ergo tenetur homo nedum illam non amplecti positiuè consentiendo, sed etiam tenetur repellere, & illi resistere, ne perduret. Probatur consequentia. Quia voluntas rationalis tenetur semper appetitum refrenare, & gubernare quatenus moraliter potest; quia superior: ergo tenetur eius motus inordinatos reprimere, & expellere: hoc est enim munus superioris prohibere & positiue excludere actiones illicitas, & actus virtutis imperare: sed in casu nostro est motus inordinatus in appetitu, ergo &c. quod si omittat peccat mortaliter. Probatur materia est mala mortaliter & virtuti Castitatis notabiliter repugnans, ergo omissio est mortaliter peccaminosa.

Confirmatur si quis aduertat se tangi ab alio turpiter, seu affectu libidinoso, nedum non consentire, sed etiam sub mortali tenetur impedire quatenus moraliter potest, ergo pariter in casu nostro: quia sicut tactus prouocant ad pollutionem; ita turpis imaginatio, & delectatio inde consurgens.

Secundo probatur, exponere se periculo peccati mortalis seu consensus &c. est peccatum mortale; sed nagatiue se habens seu permissiue se exponit periculo consensus, ergo &c. Probatur minor, quia appetitus sensitiuus per se allicit voluntatem ad consensum, & propter sympatiam potentiarum actus vnius redundat in aliam, quare sicut cognitio sensus deriuat in intellectū, sic & delectatio in voluntatem.

Tandem probatur ad peccatum mortale sufficit consensus interpretatiuus, seu virtualis, & implicitus, hic enim est eiusdem moris & speciei cum expresso; siquidem habent idem obiectum: sed in casu nostro, quamuis non adsit consensus expressus; adest tamen implicitus, & interpretatiuus; ergo. Probatur minor, quia cum possit expellere, et non facit, censetur ex affectu erga illam delectationem id facere, consequenter interpretatiue consentit. Atque ideo hanc sententiam sustinent Vasquez in 1. 2. disp. 108. c. 2. Valentia, Sayr. Zumel, et alij, quos citat, et sequitur Sanchez lib. 1. summ. cap. 2, Lessius lib. 4. cap. 3. dub. 15. num. 117.

Addunt tamen & rectè DD. prædicti, id esse verum nisi iusta causa subsit non cohibendi appetitum rebellem. Primo enim si turpem imaginationem patiens meritò timeat fore vt ex conatu in ea repellenda incidat in turpiores delectationes, vel illa fiat vehementior; non solum absque culpa sed etiam laudabiliter eam permittet, non curans repellere ob maius bonum Castitatis, Sanchez supra.

Secundo si quis conetur eam expellere & nihil proficiat, & idcirco ne frustra laboret & non amplius immoratur in ea expellenda, non peccat. Sanchez supra, vel tandem si turpis illa cogitatio præter intentionem nascatur ex opere alioqui necessario vel vtili, vt ex studio ex. gr. tunc non erit peccatum prosequi studium, vel similem actionem, non curando de turpi motu, vt infra dicemus Lessius supra, seeus deficientibus his causis.

Secunda sententia docet secluso periculo consensus, vel positiuæ complacentiæ de illo motu turpi, non esse peccatum mortale negatiue se habere. Sed esse peccatum veniale. Quod non sit peccatum mortale.

Probatur, dupliei ratione dici potest, quod homo peccet mortaliter in casu posito, nempe vel consentiendo saltem implicite, & virtualiter & sic peccato commissionis; vel non repellendo motum illum illicitum, seu non reprimendo appetitum rebellem, & sic peccato omissionis. Neutrum dici potest; ergo.

Non primùm quia non consentit formaliter, vt supponimus: neque virtualiter, & interpretatiue, quia hic consesus colligitur ex animo formali: sed animus formalis est non consentiendi: ergo etc.

Neque secundum quia et si voluntas rationalis teneatur tegere & moderari appetitum sensitiuum; huic obligationi sufficienter satisfacit moderando ne rapiat ipsam voluntatem ad consensum, non autem tenetur sub graui obligatione appetitum purgare ab omni impuritate, id enim esset graue onus; sed ita est in casu nostro; ergo &c.

Confirmatur primo In tentationibus & suggestionibus Demonum satis est positiue non consentire, ad vitandum peccatum mortale. Cæterum positiue non resistere vel negligenter resistere solum est peccatum veniale vt cōmuniter videntur sentire DD.

Confirmatur secundo in conflictu materiali non dicitur victus, nisi qui cedit inimico, & ad partes illius transit, et tunc ignominiam grauem incurrit. Cæterum quando ex neutra parte est victoria, & quis neque superat inimicum, neque superatur, non est grauis ignominia. pariter ergo in casu nostro non incurrit pecc. mortale nisi etc.

Quod verò comitatur peccatum veniale. Probatur quia interuenit negligentia, et quidam torpor: item tepidus amor castitatis: et non ita fortiter se gerit homo vt decet, deficit

ergo. At hæc obligatio non est grauis: sed secundum quid, ideo pecc. ven. Huius sententiæ est D. Tho. de veritate q. 5. ar. 4 ad 10. Gerson, Adrian. Caiet. summ. verb. delectatio, Nauar. sum c. 9. & summistæ communiter Corduba, Toletus & alij apud Sanchez, & Sancium infra. & Diana p. 2. trac. 17. ref. 33.

Tertia sententia est Sancij in selectis disp. 21. n. 3., qui excusat etiam à peccato ven. eum qui negatiue se habet, & permittit appetitum delectari, dumodo non sit periculum consensus ex parte voluntatis.

Probatur quia præceptum frenandi appetitum totum ordinatur ne homo consentiat in delectationem: ergo non consentiendo adimplet adequate præceptum; ergo nec venialiter peccat.

Quid vero sentiendum in hac opinionum varietate; breuiter mihi dicendum videtur tertiam sententiã improbabilem esse et falsam: quia ex leui fundamento contradicit omnibus DD. Ex duabus autem prioribus quamuis prima sit magis tuta, & semper consulenda, quia magis virtuti fauet, et saluti animarum; Secunda tamen est valde probabilis, & humanæ fragilitati magis accommodata; vnde ad argumentum primæ sententiæ.

Respondetur ad primum negando consequentiam Ad Probationem distinguo antecedens. Tenetur moderari & gubernare, ita vt non rapiat voluntatem ad consensum, concedo: tenetur positiue expellendo motum turpem, nego.

Ad confirmationem Respondetur, in casu posito esse obligationem positiue resistendi, tum ex Caritate impediendi peccatum mort. proximi; tum ex Castitate: quia maius est periculum consensus. Deinde tactus illi tendunt ad copulam, vel ad seminationem procuratam ab extrinseco in quo casu maior est obligatio vitandi pollutionem, quam cum preuidetur secutura ab intrinseco ex vi ipsius naturæ, seu virtutis expulsiuæ, vt infra.

Ad secundum negamus adesse periculum consensus quando ideo quis negatiue se habet quia expertus est se non solitum esse consentire ex diuina gratia, vel alias probabile inditium habet se non consensurum.

Ad vltimum patet ex dictis; Non interuenire consensum virtualem; neq; enim omissio repulsæ oritur ex affectu ad illos motus prauos; sed quia illos paruipendit & non curat de illis præcipue si habeat displicentiam:

Colligitur vtrum turpi cogitatione, & imaginatione vexatus, & venerea delectatione inde orta, teneatur cogitationem alio diuertere, recurrendo ad pias meditationes vel cogitationem rei indifferentis. Dicendum est enim, si sit periculum consensus; in omnium opinione teneri vtique: imo id semper consulendum: quia difficile est cogitationem aliò non transferre, & cessare periculum consensus; cessante vero periculo non teneri. Sancius supra; & sequitur ex secunda sententia.

DVBIVM XIV.

De obligatione remouendi Causas ex quibus prævidetur sequutura pollutio.

Exempli gratia si ex lectione, vel studio, vel equitatione, aut comestione talis cibi præter intentionem sequatur commotio carnis, & delectatio venerea, vel prævideatur secutura pollutio; vtrum teneamur ab illis operibus abstinere, vel ab inceptis desistere ad impediendam illam delectationem & vitandam pollutionem.

Dixi autem si præter intentionem sequatur quia vacare prædictis operibus vel similibus ex ea intentione & in eum finem, vt sequatur delectatio venerea, vel pollutio, est manifesta culpa mortalis. De qua re nemo dubitat, quia id esset procurare pollutionem quod est intrinsece malum: Est ergo quæstio quando delectatio non est intenta, sed præuisa: et sicut in præcedenti quæstione egimus vtrum sit obligatio et præceptum positiuum resistendi motibus sensus impuris præter intentionem; ita in præsenti disputamus vtrum sit præceptum negatiuum non aggrediendi, vel non prosequendi opus, vnde præuidentur sequuturi.

In hac ergo quæstione constat inter omnes D D. nullam esse obligationem desistendi ab opere licito ob prædictum effectum præuisum quoties vel necessitas, aut vtilitas, & similis causa iusta interuenit, mouens nos ad actiones prædictas. Ratio est quia prosequenti ius suum non imputatur effectus per accidens & præter intentionem subsequens; aliàs multæ actiones necessariæ, aut expedientes omitti deberent, & innumeri laquei inijcerentur: sed quilibet habet ius exercendi actiones alioquin licitas ex causa necessaria vel iusta. E. g: comedere et bibere moderate ad sustentandum corpus; orare et studere ob bonum animæ: confessiones audire in vtilitatem proximi. ergo quamuis inde sequatur delectatio venerea vel pollutio, dummodo non intendatur minime hic effectus imputari debet Agenti. Ita D. Thom. 22. quæstio 154. artic. 5.

Ca-

Caiet. opusc. tom. 1. trac. 22. q. vnica art. 1. & 2. Tabiena, Nauar. & alij plures, quos citat, & sequitur Sanchez matrimon. lib. 9. disput. 45. num. 4.

Est autem hoc intelligendum, modo non subsit probabile periculum consensus in eum motum turpem, & delectationem: quia tunc quantumuis actio licita sit, tenemur sub peccato mor. ab ea abstinere: quia amans periculum peribit in illo Eccles. 3. & pecc. mort. omnibus modis cauendum Caiet. Sanch. &c. supra.

Huic tamen periculo, absque peccato, potest quis se exponere, quando vrgens necessarias id postulat, proponens se firmiter non consensurum: vt si Medicus ob curationem debeat tangere mulierem vbi deest alius medicus, quia non dicitur amare periculum, qui necessitate compulsus se illi exponit. Et poterit de diuina Misericordia meritò confidere, fore vt efficacius auxilium impendat, quo à peccato & consensu liberetur: Caietan. verbo periculum, Nauarra, apud Sanchez supra.

His præmissis punctus difficultatis in eo cōsistit. Vtrum quando nec vrget necessitas nec vtilitas adest, teneamur à prædictis actionibus abstinere, ob delectationem veneream, vel pollutionem in eis præuisam absque periculo consensus in illam, vt in excmp. de æquitatione &c.

Prima sententia sustinet adesse grauem obligationem abstinendi à prædictis operibus atque adeo peccare mort vacantem actioni, quantumuis aliàs licitæ, ex qua præuidetur pollutio, vel delectatio venerea, quando nullum sequitur incommodum &c.

Probatur primo. Præuidens ex suo, opere aliàs licito secuturum homicidium, etiam in somno, vel item secuturam fornicationem, tenetur sub mortali causam vitare: sed pollutio est intrinsecè mala, vt homicidium, & peior fornicatione ergo &c.

Secundo facere vel permittere aliquid absq; necessitate vrgenti contra finem à natura institutum, seu contra naturæ ordinem est peccatum mort. & ideo quia E. g. natura concessit homini membra corporis, vt illa custodiat in bonum indiuidui, peccat mort. quia sua membra periculo exponit nisi in bonum totius, vel Reipub. Sed non vitans causam, ex qua præuidet secuturam pollutionem prodigit semen, vel permittit illius fluxum contra ordinem naturæ: quippe institutum fuit solummodo in bonum generationis in matrimonio; ergo pec. mor.

Tertio, Qui vult antecedens, vult etiam cōsequens quod ex eo infertur: & qui vult causam, vult etiam effectum l. 1. §. 1. ff. si vsus fructus petatur, ergo qui vult causam, in qua pollutionem præuidet, vel delectionem &c. vult ipsam pollutionem: ergo pec. mor.

Confirmatur: quia effectus malus in causa præuisus communicat causæ suam malitiam, & ideo excessus in potu de se venialis, efficitur mortalis ratione ebrietatis in eo præuisæ: ergo actio alias licita efficitur mortalis ratione pollutionis præuisæ. Ita Medina 1. 2. qu. 74. art. 6. ad 3. Zumel. Val. Petr. Nauar. l. 2. de rest. c. 1. dub. 5. vnde infert Nauarra, præuidentem ex potu, æquitatione, vel somno, non necessarijs, nec vtilibus secuturam pollutionem, pecc. mor. si prædictas causas non vitet.

Secunda sententia distinguit inter causas, & actiones influentes in pollutionem quædam sunt enim licitæ, & aliæ prauæ & illicitæ: atq; docet non peccare exercentem actiones licitas ratione pollutionis præuisæ & non intentæ, vt si præuideat pollutionem secutura ex lectione aliàs licita, ex æquitatione, vel somno: Cæterum, eum qui dat operam rei illicitæ, etiam veniali, ex qua præuidet &c. peccare, & esse reum illius praui effectus præuisi Exempli g. in immoderato cibo, vel tactibus illicitis &c.

Ratio breuiter est, quia dans operam rei licitæ ius suum prosequitur: ergo nequit illi imputari effectus qui per accidens sequitur. E contra verò, ei qui dat operam rei illicitæ effectus prauus pollutionis imputatur: quia nō habet ius prosequendi illud opus quippe nemo ius habet peccandi, ergo &c. Ita Armilla verb. pollutio num. 1 Sotus, Corduba, Lopez apud Sanch num. 12. qui sustinent opus de se veniale effici mortale ratione huius effectus præuisi qui est mortaliter malus. Alij tamen dicunt ratione pollutionis præuisæ, actionem alias mortaliter peccaminosam contrahere nouam malitiam mortalem, vt tactus E gr quæ autem solum est venialis non contrahere nisi aliam malitiam venialem, vt potus immoderatus: quia cum pollutio non sit voluntaria nisi in causa non excedit malitiam suæ causæ. Ita D. Thom. 2. 2 q 154. at. 5. Turrecrem cap. non est. dist. 6. num. 2. Caietan. Angelus, & alij apud Sanch. supra.

PRO RESOLVTIONE.

Præmittendum, actiones ex quibus præuidetur pollutio secutura, esse in duplici differentia; quædam quæ per se & directè, & notabiliter in pollutionem influunt, & in hoc genere sunt soli actus spectantes ad genus luxuriæ, vt oscula, & tactus, cogitationes turpes, teste D. Thom. 2. 2. q. 154. ar. 5, Ratio est quia

cum natura sua sint dispositiones ad copulam, magnam vim habent commouendi spiritus generationi subseruientes & cõsequenter causandi delectationem veneream, & resoluendi semen, & ratione prædictæ commotionis possunt illum effectum, causare etiam in somnis

Aliæ sunt actiones, quæ remotè & per accidens in pollutionem influunt, & potius ratione materiæ seu ex infirmitate naturæ illum effectum habent, quam per se, & natura sua. Atque huiusmodi sunt actus extra genus luxuriæ, vt nimius esus, vel potus, æquitatio, studium, vel similes. Et ideo prædictus effectus magis propriæ tribuitur virtuti expultrici tendenti ad alleuiandam naturam, quam actibus liberis. Vide Sanch. supra num. 14. Hoc posito.

Respondeo, & dico primo. Exercens actiones primi generis, quæ per sè & notabiliter influunt in pollutionem pecc. mor. ratione pollutionis præuisæ, & non intentæ: quia ad obuiandum pollutioni prædictæ, tenetur ab illis abstinere: ergo non remouens eas causas peccat mor. peccato contra naturam; quia pollutio est peccatum contra naturam.

Probatur. Lex naturalis prohibens pollutionem, obligat ad non procurandam illam: ergo etiam obligat ad vitandas causas, quæ per se & notabiliter influunt in pollutionem: Perinde enim est huiusmodi causas applicare, ac procurare pollutionem. In hac conclusione conueniunt omnes DD. citati communiter pro vtraque sententia supra relata. Vide Caietanum summa verbo pollutio, Sanchez supra

Limitanda est tamen hæc conclusio nisi ratione vrgentis necessitatis quis exerceat aliquam ex prædictis actionibus vt supra dicebamus de Chirurgo tangente partes secretiores fœminæ causa medendi. Ratio, quia prosequẽti ius suum, non imputatur effectus præter intentionem subsequens. Sanchez num. 8. & nos supra dum de tactibus.

Primo colligitur, oscula & tactus ob delectationem habitos: quoties in illis præuidetur pollutio secutura, vel periculum proximũ ipsius pollutionis habere duplicem malitiam mortalem. Alteram propriam, quæ dicitur impudicitia; Alteram contra naturam, ratione pollutionis, vel eius periculi præuisi: quia sunt causa per se, & notabiliter influens in pollutionem. Atque idem dicendum de delectatione morosa. & similibus peccatis mort. ad genus luxuriæ spectantibus Sanch. num. 13. nisi adsint tales circumstantiæ, vt non timeatur probabiliter pollutio, vt si cogitatio turpis parum duret, vel ob similem rationem non timeatur: quia tunc pollutio nec indirectè est volita, & in prædictis circumstantijs actus illi non censentur causa efficax illius. Sanchez supra.

Secundo colligitur: quando oscula & tactus sunt peccata venialia (iuxta supradicta de tactibus) quia habentur ex ioco, vel curiositate: similiter aspectus, & verba turpia venialiter mala, lectiones, &c. non efficiuntur peccata mortalia, ratione pollutionis in eis præuisæ, & non intentæ. Ratio, quia huiusmodi causæ quamuis sint in genere luxuriæ, leuiter influunt in eum effectum nec illius sunt causæ simpliciter sed secundum quid: ergo non tenemur sub mort. ratione talis effectus eas vitare: sed solum sub veniali: & potius illa pollutio tribuenda est causæ naturali, & virtuti expulsiuæ, quam actibus prædictis. Ita Caiet. 2. 2. q. 64. ar. 8. Hẽriq. Sà, & alij, quos adducit Sanch supra num. 19. Et in hoc sensu verũ est quod dicunt DD. in secunda sententia citati malitiam pollutionis non excedere malitiam causæ, quando est præuisa & non intenta: & ideo quando causa est venialis, pollutionem subsequentem esse tantum venialiter peccaminosam: At vniuersaliter illa regula non est vera, vt mox dicemus, quod si pecc. veniale sit ex defectu plenæ aduertentiæ non imputabitur effectus.

Tertio colligitur: Quamuis inter solutos nullus actus habeat maliriam mortalem ratione pollutionis in eo præuisæ & non intentæ, nisi alias secundum se sit mortale Peccatum contra sextum præceptum: quia nullus actus notabiliter influit in pollutionem nisi alias mortaliter peccaminosus, vt supra dicebamus.

Cæterùm inter coniugatos potest fieri, vt actus aliàs licitus contrahat malitiam mortalem, ratione pollutionis præuisæ, & non intentæ, vt sunt tactus, & oscula inter coniugatos aliàs liciti præuiso periculo: quia oscula, & tactus sunt causa per sè, & notabiliter influens in pollutionem: & idem est de delectatione morosa copulæ coniugalis, quæ aliàs solum est peccatum veniale, at ratione pollutionis efficitur mortalis: Item de tactu, quo coniux semetipsum tangit cum prædicto periculo: ergo illis vacare absque necessitate cum prædicto periculo, est peccatum mort. quia est procurare pollutionem. Atque ita docent Caietanus summ. verb. Matrim. Sotus, Nauarra, & alij plures apud Sanchez num. 34. quamuis in reddente excuserut à mortali: quia videtur causa vrgens reddere, seu admittere tactus, ad quos alter coniux aliàs ius habet Sanch. n. 3. 5.

Limitat etiam Sanchez supra num 38. quo-

ad

ad oscula, & amplexus qui habentur inter coniuges in signum beneuolentiæ, & ad fouendum mutuum amorem: quia adest causa vrgens.

Itaque doctrina intelligitur de tactibus qui non sunt necessarii.

Quarto colligitur: quid sit dicendum ad eam quæstionem vtrum quando causa est mortaliter peccaminosa ratione pollutionis præuisæ, & non intentæ, satis sit in confessione explicare ipsam causam, et periculum præuisum, non explicata ipsa pollutione secuta præsertim in somno, vel opus sit explicare de facto secutam esse pollutionem.

Dicendum est enim hoc pendere ex illa quæstione vtrum pollutio præuisa, & non intenta sit verè peccatum nec ne.

Aliqui enim dicunt non esse vere peccatū, sed effectum peccati: quia in se non est voluntaria sed solum in causa: ergo satis erit explicare causam datam pollutioni, in qua est tota malitia, et ratio voluntarij: nec opus erit explicare pollutionem. Atque ita tenet Sancius in select. disp. 21 num. 13. citans Sotum in 4. dist. 12. q. 1. art. 7. Salas in 1. 2. trac. 7. disp. 6. sect. 8.

Alij contrà, dicunt pollutionem sequentem etiam in somnis esse verè peccatum, et ideo necessario explicandam: quia etsi ad rationem peccati requiratur vt sit voluntarium, sufficit voluntarium in causa; ita Sanch. num. 28. citans Abulensem, Sotum, Cordubam, et alios. vtraque sententia probabilis.

Quinto colligitur, quoties est peccatum mort. dare causam pollutioni, non remouendo causas notabiliter influentes; similiter esse peccatum mort. dare causam notabili distillationi, vel commotioni spirituum per similes causas: quia prædicta commotio est naturaliter turpis, & inchoata pollutio. Sanch disp. 45. num. 32.

De Actionibus extra genus Luxuriæ.

Dico secundo. Quoad alias actiones extra genus luxuriæ non est pec. mort. exercere illas seu nō abstinere ab illis; quāuis præuideatur ex eis secutura delectatio venerea, vel pollutio non intenta; siue actio sit alias licita, vt studium vel æquitatio, siue illicita vt crapula, vel ebrietas. Hæc conclusio est contra non nullos DD. citatos in alijs sententijs supra relatis.

Probatur præceptum vitandi pollutionem non obligar sub mortali, nisi ad vitandas causas per se & notabiliter influentes in ipsam: non autem ad vitandas causas per accidens: ergo &c. Probatur antecedens, quia causa per accidens non est vera causa talis effectus, idest pollutionis in casu nostro: quippe tribuitur potius virtuti expultrici. Tum quia pollutio in eo euentu non opponitur saltem notabiliter fini præcepti, idest bono prolis: imò sæpe est in illius commodum: quia signum est semen esse superfluum: ergo non est obligatio vitandi causas per accidens; quales sunt actiones extra genus luxuriæ, quæ neque sunt ordinatæ ad emissionem seminis à natura, neque à libera voluntate. Ita Henriq. l. 8. de Euchar. c. 51. Suar. in 3. p. q. 80. art. 7. Lessius l. 4. cap 3. dub. 14. num. 98. Vasq. in 1 2 disp. 115. num. 9. Sanchez loco citato num. 16. Sancius in selec. disp. 21.

Dixi non esse pecc. mor. &c, quia negari nō potest contrahi nouam culpam venialem contra castitatem in exercitio prædictarū actionem, quando nec vrget necessitas, nec vtilitas suadet illis insistere. Sanch. num. 22.

Ad opposita; respondetur ad primum distinguendo minorem; Pollutio est intrinsece mala, quatenus est effectus virtutis expultricis, nego: sicut neque expulsio alterius humoris superflui: quatenus procuratus ab extrinseco nouis causis per se influentibus conce. do. In casu autem nostro quando sequitur ex causis per accidens & nō est intenta, tribuitur simpliciter virtuti expultrici.

Ad secundum responderur, minorem esse veram de causa per se, non verò de causa per accidens. Ad exemplum de alijs membris corporis respondetur; semen respectu virtutis expultricis non esse adinstar manus vel pedis, quæ non licet abscindere sine vrgentissima causa; sed ad instar humoris superflui, quem ipsa natura expellit: secus est quando homo per actus liberos nititur illud expellere: quia non potest de illo disponere, nisi in ordine ad generationem.

Ad tertium respondetur, antecedens esse verum, quando effectus est adeo pernitiosus vt ad illum vitandum teneamur remouere quamlibet causam etiam per accidens, vt homicidium, quod tenemur vitare etiam lege charitatis, quoties possumus absque nostro notabili incommodo: secus est de pollutione quæ potest esse effectus naturalis ex supradictis.

Primo colligitur eum qui immoderatè comedit vel bibit siue peccet venialiter peccato gulæ, siue mortaliter se inebriando; nihilominus non peccat mortaliter contra castitatem, sed venialiter si præuideat ex eo immoderato esu vel potu secuturam pollutionem, quam non intendit; quia hic excessus est causa

sa per accidens pollutionis & extra genus luxuriæ. Ita sanchez n. 17. Vazquez supra, & alij apud ipsos; Lessius supra n. 100

Secundo colligitur, eum qui expertus est se pollui ex æquitatione absque consensus periculo, non teneri pedestrem incendere, vel ab æquatione desistere. Vnde si necessitas vel vtilitas inducat ad eam æquationem nullo modo peccabit, Ita eum Nauarra, Vasquez, Lopez, & alijs: Sanchez n. 7 Quod si nulla adsit causa iusta sed id fiat ex leuitate, dummodo non intendatur pollutio, solum erit peccatum veniale quia aliquantulum offenditur castitas; Sanchez num. 22. Lessius supra.

Dixi absque periculo consensus; quia hoc periculum tenemur sub mortali vitare, vt supra diximus initio nisi vrgentissima causa excuset

Vide Sancium selec disp. 21. n. 98. Lessium sup n 18.

Tertio Colligitur, Confessarium neque sub veniali teneri desistere à suo munere audiendi confessiones ex eo quia inde expertus sit pollutionem pati præter intentionem: quia hæc actio non est causa, nisi per accidens talis euentus & adest iusta causa illi incumbendi in proximorum vtilitatem. DD communiter apud Sanchez supra initio quæstionis.

Quòd si sit periculum consensus, distinguendum est. Vel enim vrget necessitas nec alius præstò est, & tunc poterit licite audire cum proposito non consentiendi &c. vt initio; Vel nulla vrget necessitas: sed solum ex deuotione hoc munus exercet: & dicendum est teneri abstinere: quia amans periculum &c. Sancius n. 9. cit.

Quarto Colligitur, studiosum non teneri sua studia omittere: quia inde pollutionem patitur absque consensus periculo, vt potest contingere in studio curioso artis medicæ vel anatomaticæ: quia studium est causa per accidens. Quòd si adsit iusta causa tali studio incumbendi, nullum erit peccatum: si verò omitti posset absque vllo incommodo, erit peccatum veniale non desistere ex supradictis Lessius dub 14. n. 98. & dub 15. n. 118 Sancius n. 10. Quòd si adsit periculum consensus dicendum, vt supra.

Quinto Colligitur: sentientem veneream delectationem ob appositionem vnius femoris super aliud, non teneri modum situs mutare, secluso periculo consensus ob eandem rationem; Sancius in selec. sup. n. 12.

Sexto Colligitur, decumbentem in lecto, & expertum se ex tali situ in pollutionem venire in somno, vel etiam in vigilia absque periculo consensus, non teneri situm mutare, & aliter decumbere: quia talis situs, vel alius est causa per accidens pollutionis Sancius n. 12 citans sotum, Clauem Reg l. 8. c. 5. Tolet. l. 5 c. 13. Curiel, 1. 2. q 78. ar. 8. dub. 2.

Quòd si talis modus quiescendi iustam habeat causam: quia necessarius ad mitigandum dolorem, vel magis vtilis, aut commodus nullum erit peccatum non mutare situm: si verò absque vllo incommodo mutari posset, esset peccatum ven. nolle situm variare, ex supradictis.

Septimo vlterius Colligitur quid sit dicendum de eo, qui sentit in lecto notabilem carnis commotionem, & veneream delectationem vtrum ad illam vitandam teneatur surgere, & lectum deserere: Dicendum est enim secluso periculo consensus, non teneri surgere, quia lectus est causa per accidens, & patet à fortiori ex præcedenti Corollario, non esse obligationem mutandi situm ad vitandam pollutionem.

Si autem subesset periculum consensus, vt frequentius timeri solet, vtique tenebitur sub mortali e lecto surgere: quia Amans periculum etc. Ita Sancius supra num. 19.

Imo si surrexisse à lecto minime profecerit nec periculum remouerit; tenebitur ea tentatione vexatus ad orationem confugere, et auxilium Dei implorare vt asserunt communiter DD. cum D. Tho. 22 quæst. 83 Siluest. verb. Oratio fine, Aragon. in D. Tho. Supra Medina, Rodriqu. etc. apud Sancium supra nu. 20. Tandem dubitant hic DD

Vtrum omittere orationem in eo casu sit speciale peccatum, et distinctum à peccato contra castitatem quod quis cõmittit, vel eius periculo se exponit. Aliqui affirmant, vt Suarez de Relig to. 2. l. 1. c. 29. num. 10. quẽ sequitur Sancius supra quia peccat contra Religionem: et Castitatem.

Alij probabilius negant: quia oratio non alia ratione tunc cadit sub præcepto, nisi quatenus est medium necessarium ad seruandam castitatem: ergo obligatio oritur ex sola virtute Castitatis, quia tota obligatio medij est ratione finis, ergo omissio orationis non est distinctum peccatum à violatione Castitatis, quia non est distincta obligatio. Ita Alexander de Ales, Medina etc. apud Suar. Supra. Alias minus peccaret, qui nulla præuia tentatione labitur.

Vtrum autem refricare verenda ob magnũ pruritum cum periculo pollutionis non intentæ sit peccatum mortale. Negatiue respondet vterque Sanchez supra Quod intelligo de pruritu qui est infirmitas quædam nascens ex prauo humore; non de titillatione quæ oritur ex commotione spirituum tendente ad expulsionem veri seminis. Atque hæc satis dicta

sint

sint de peccatis Sacerdotum contra proprias obligationes, & de defectibus remotis ministri Altaris. Dicendum est consequenter de defectibus proximis iuxta ordinem Rubricarum in sequentibus Titulis.

TITVLVS VII.

DE DEFECTV INTENTIONIS.

1 Si quis non intendit conficere, sed delusoriè aliquid agere. Item si aliquæ Hostiæ ex obliuione remaneant in Altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua Hostia lateat, cum non intendat consecrare nisi quas videt. Item si quis habeat coram se vndecim hostias, & intendat consecrare solum decem, non determinans quas decem intendit: in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio: Secus si putans quidem esse decem, tamen omnes voluit consecrare quas coram se habebat: nam tunc omnes erunt consecratæ: atque ideò quilibet Sacerdos talem semper intentionem habere deberet, scilicet consecrandi eas omnes, quas ante se ad consecrandum positas habet.

EXPLICATIO LITERALIS.

Declarantur in hac rubrica præcipui casus, in quibus consecratio est inualida, & non conficitur Sacramentum ex defectu intentionis in ministro. Et è contra declaratur in quibusdam alijs casibus verè consecrari materiam, de qua poterat esse difficultas, an ad illam extendatur intentio ministri.

Primo ergo si Sacerdos non intendat conficere Sacramentum, idest neque expresse neque tacitè, sed delusoriè agere, quando profert formam consecrationis, verè non consecrat; quia ad valorem Sacramenti est necessaria intentio ministri, saltem faciendi, quod facit Ecclesia, vt definitur in Concil. Flor. & in Trid. afferendis infra: ergo si desit omnino, est inualida consecratio.

Secundo, si aliquæ hostiæ ex obliuione remaneant in Altari non allatæ ad consecrandū à Sacerdote, vel iussu illius, sed aliàs ibi relictæ Sacerdote non aduertente, hæ non remanent consecratæ: quia intentio celebrantis nō extenditur ad materiam ei prorsus ignotam; cum nihil possit esse volitum quin præcognitum. Similiter si aliqua hostia lateat etiam ex allatis à Sacerdote, & ipse Sacerdos non intendat consecrare, nisi quas videt, tunc illa, quam oculis non videt, quia latet, non remanet consecrata: quia ad eam nō extenditur intentio celebrantis, vt fusius explicabimus dub. 7. Coroll. 2. Malè tamen facit Sacerdos sic limitando suam intentionem: quia intentio debet esse consecrandi eas omnes, quas antè se positas habet, vt expresse dicitur in fine huius rubricæ, neque opus est vt singulæ hostiæ oculis videantur.

Tertio, si quis habeat coram se vndecim hostias, & intendat consecrare solum decem, non determinans quas decem; tunc nulla remanet consecrata: quia intentio ferri debet in materiam certam & determinatam, nec est maior ratio in casu posito, cur potius hæc, quam alia sit consecrata, vt fusius dicemus dub 6.

Quarto, si celebrans habeat coram se vndecim hostias, falso putans esse decem, & Nihilominus voluit consecrare omnes, quas coram se habebat, sicut intendere debet; tunc non obstante eo errore omnes sunt consecratæ: quia error est accidentalis, nihil obstans valori consecrationis, vt dicemus dub. 7. & est communis DD. sententia.

2 *Si Sacerdos putans se tenere vnam Hostiam, post consecrationem inuenerit fuisse duas simul iunctas, in sumptione sumat simul vtramque; Quòd si deprehendat post sumptionem Corporis & Sanguinis, aut etiam post ablutionem, reliquias aliquas relictas consecratas, eas sumat, siue paruæ sint, siue magnæ, quia ad idem sacrificium spectant.*

DEbet Sacerdos in hoc casu tempore sumptionis vtramque hostiam sumere: quia simpliciter loquẽdo vtraque censenda est cõsecrata: idest posita debita intentione consecrandi iuxta ritum, & directionem Ecclesiæ, quę præscribit omnem materiam verè præsentem consecrari debere, vt supra dicebamus. Neque obstat error quo putabat Sacerdos se tenere vnam hostiam, vt numero præcedenti notatum est: quia est error accidentalis, & priuatus, qui non tollit debitam intentionem conformem intentioni, & ritui Ecclesiæ. Dixi simpliciter loquendo, & posita debita intentione quam quisque præsumitur habere, nisi constet de opposito. nam si Sacerdos in casu posito velit præcisè consecrare eam solam & vnicam hostiam quam oculis videt, certè altera non remaneret consecrata: quia est extra terminos intentionis, vt magis explicabimus infra dubio 7. Vnde hec sumi potest ante sanguinem nè violetur ieiunium, sed bene post sumptionem sanguinis, vt supra dicebamus de hostia corrupta, vel aliàs inualidè consecrata, tit. 3. de defectibus panis in explicatione literali num. 5.

Quòd si deprehendat post ablutioem reliquias consecratas, &c. de hoc dicemus numero sequenti.

3 *Si veró relicta sit hostia integra consecrata, eam in tabernaculo cum alijs reponat: si hoc fieri nequit, sequenti Sacerdoti ibi celebraturo in Altari supra Corporale decenter opertam, sumendam vna cum altera, quam est consecraturus, relinquat: vel si neutrum horum fieri possit, in ipso Calice seu Patena decenter conseruet, quousque vel in tabernaculo reponatur, vel ab altero sumatur: quod si non habeat quomodo honestè conseruetur, potest eam ipsemet sumere.*

OCcasione eius quod dictum est supra de pluribus hostijs cõsecratis, obiter in hac rubrica tum huius numeri; tum præcedentis tangitur difficultas, quid agendum de hostijs, & reliquijs consecratis, quæ remanēt in Altari post sumptionem sanguinis, & præcipuè post ablutionem, cum Sacerdos post ablutionem non sit ieiunus: consequenter non videtur posse sumere quicquam ex materia consecrata, cum etiam in reliquijs, & fragmentis sit totum Christi Corpus. Responsio & solutio est sub distinctione. Primo enim quoad fragmenta, seu reliquias hostiarum dicitur num. præcedenti eas sumi debere à Sacerdote, siue paruæ sint siuè magnæ; quia ad idem sacrificium spectant, idest quia tota illa actio Sacerdotis est per modum vnius actionis integrè, & ad totam illam accessit ieiunus, qua ratione satisfit præcepto Ecclesiæ, & reuerentiæ debitæ Sacramento à ieiunis sumendo.

5. Secundo, si relicta fuerit hostia integra cõsecrata dicitur hic eam non esse sumendam post ablutionem, sed reponendam in Tabernaculo &c. Ratio est: quia hostia integra apta est, vt per se, & per modum communionis integrè sumatur, potiusquam vt circumstantia, & reliquia eiusdem conuiuij: ergò potius seruari debet vt sumatur à ieiuno simpliciter, si decenter fieri potest. An autem hæc rubrica contineat præceptum, vel solum consilium, diximus in Commen. supra p. 2. tit. 10. in dubijs sec. 2. dub. 3. vbi fusè de fragmentis disputauimus.

4 Si intentio non sit actualis in ipsa consecratione propter euagationem mentis, sed virtualis, cum accedens ad Altare intendat facere quod facit Ecclesia, conficitur Sacramentum, etsi curare debet Sacerdos, vt etiam actualem intentionem adhibeat.

AD conficiendum Sacramentum sufficit intentio virtualis, vt docet D. Thom. 3. p. q.64. art.8. ad 3. quem omnes sequuntur: quamuis virtualem vocet habitualem latiùs sumendo nomen habitualis intentionis: re vera tamen loquitur de virtuali, vt explicat Caietanus ibidem, & communiter interpretes: curare tamen debet Sacerdos vt etiam actualem intentionem adhibeat: quia actualis est perfectior, & ideo magis decet tanti mysterij dignitatem, vt notat etiam D.Thom. loco citato.

DVBIA CONSCIENTIAE

DVBIVM I.

Quid sit intentio, & quotuplex.

REspondeo, & dico primo. Intentio est volitio efficax finis. Dicitur Primo volitio loco generis, in quo conuenit intentio cum alijs actibus voluntatis, est autem intentio actus voluntatis, vt per se constat, & docet D.Thom.1.2.q.12.ar.1 quem sequuntur communiter. Dicitur Secundo volitio efficax finis loco differentiæ, quo differt intentio ab electione mediorum, & alijs affectibus voluntatis; namque intendere est in aliquid tendere: vnde duo requiruntur ad intentionem propriè dictam. Primum est, vt id in quod tenditur sit terminus vltimus in aliquo ordine atque adeò finis: nam finis est terminus motus spiritualis, & in media non tenditur, sed per media in finem: ergo actus voluntatis circa media, nō est intentio. Secundum est vt affectus, seu actus voluntatis sit cum ordine ad consequutionem finis: propriè enim tenditur, quando proceditur ad aliquid animo per ueniendi ad ipsum: consequenter intentio est volitio finis, non quelibet, sed efficax, qua homo dirigitur in finem vt consequendum, & vocatur etiam propositum ex Arist. 6. Ethic. c.9. vnde differt intentio à simplici volitione, seu complacentia finis, seu boni alicuius: quia simplex voluntas, seu complacentia respicit finem sine habitudine ad consequutionem. videri potest D Thom supra q.12. art.1. & sequentibus. In casu ergo nostro actus, quo minister vult conficere Sacramentum dicitur intentio: quia est actus liber voluntatis tendentis in illum finem, & distinguitur ab attentione, quæ est actus intellectus considerantis id quod agitur.

Dico 2. diuiditur cōmuniter intētio, quoad rem nostram pertinet in actualem, & virtualē in habitualem & interpretatiuam. Actualis intentio est volitio faciendi Sacramētum actu existens, & per se ipsam immediatè concurrēs ad Sacramentum cum prolatione formæ super materiam præsentem: quando videlicet quis actu cogitans quid agat, vult Sacramentum conficere, vel ministrare.

Virtualis intentio dicitur, quæ præcessit in se, sed virtute permanet in aliquo effectu ab ea relicto, quo excitantur potentiæ externæ ad actiones requisitas, quibus perficitur Sacramentum initio propositum, vel per impressionem in imaginatiua relictam, vel per connexionem actuum sequentium cum primo, quo quis ad agendum se humano modo applicuit, nec actu contrario interrupit, E. gr. Incipit quis Sacrum intendens celebrare, & postea omninò distractus ordine suo perficit, & verba consecrationis profert, dicitur hic consecrare ex intentione virtuali: quia ex vi primæ intentionis, qua volens celebrare, Sacrum incepit, verba consecrationis profert; quamuis actu non aduertat: quod vel inde patet: quia si semel imaginatio turbetur, vel alias perturbetur series actionum, opus est noua intentione, vt quis sacrum ceptum prosequatur.

Habitualis intentio dicitur, quæ præcessit aliquando, & omnino defuit, nec per aliquem effectum, aut virtutem relictam influit in actionem externam, quamuis actu contrario reuocata nō fuerit: nam volūtas semel habita censetur habitualiter remanere donec reuocetur. Dicitur etiā quis ex habitu aliquid facere, quādo sola consuetudine ductus aliquid operatur, E.g. fricat barbam nullo præcedēte actu volūtatis, quo ad eam operationem applicetur, eo modo quo etiam à dormiente, vel ebrio id ipsum fieri contingit. Quandoque etiam habitualis intentio appellatur virtualis, sed minus propriè, in rigore enim satis differunt.

Tandem interpretatiua intentio dicitur, quando nec præcessit actus, nec adest habitus volendi, sed solum existit in ministro talis ani-

mi præparatio, vt si peteretur Sacramentum conficeretur ab eo. Vel quando aliquid est volitum in causa; E. g. si prævidens Sacerdos se in somno prolaturum verba consecrationis vult somnum, tunc enim in somno censetur velle formam consecrationis proferre saltem indirectè, quatenus vult causam, vel etiam directè si velit illum effectum in somno: sed vtroque modo dicitur proferre verba ex voluntate interpretatiua, & solum in causa. Ita DD. communiter. Suar de Sacram. disp. 13. sec. 3. Vasq. in 3. p. disp. 138. cap 6. Card. de Lugo disp. 8. sec. 5. & seqq. Coninch. de Sacram. q. 64. dub 2.

DVBIVM II.

An ad valorem Sacramenti requiratur necessariò intentio Ministri.

Respondeo affirmatiuè, nempè ad valorem Sacramenti requiri in Ministro intentionem vel expressam conficiendi Sacramentum, vel saltem implicitam faciendi quod facit Ecclesia: est de fide ex Concil. Flor. in Decreto de Sacram. vbi definitur, Sacramenta tribus perfici verbis, & rebus, & persona ministri cū intentione faciendi quod facit Ecclesia, & ex Trid. sess. 7. Can. 11. Vbi ait. Si quis dixerit in Ministris dum Sacramenta conficiunt, non requiri intentionem, saltem faciendi quod facit Ecclesia anathema sit, & sess. 14. Can. 9. Definit Sacerdotem loco absoluentem nihil agere. Rationem assignat D. Thom. 3 p. q. 64. art. 8; quia cum actio sacramentalis ob varios fines fieri possit, debet per intentionem ministri ad certum finem restringi, vt fit sacramentalis, & non irrisoria, aut aliàs prophana. Certum est ergo, quod si quis non intendat conficere Sacramentum, sed delusoriè agere, non conficit Sacramentum, vt dicitur in hac rubrica num. 1. vt patet ex Trid. supra.

DVBIVM III.

Qualis intentio requiratur ad valorem Sacramenti. An sufficiat virtualis, vel habitualis.

Respondeo, & dico primo. Certum est sufficere intentionem actualem, quæ optima est & perfectissima, & idcirco à ministris Sacramentorum procuranda: quia maximè decet tanti ministerij dignitatem, vt patet ex hac rubr. num. 4 & docent omnes DD. citandi.

Dico secundo. Ad valorem Sacramenti sufficit etiam intentio virtualis, vnde intentio actualis non est absolutè necessaria. Probatur: quia hæc intentio omnino sufficit, vt humano modo & liberè quis dicatur agere. Siquidem ambulamus, cantimus, opera manualia & alia negotia exercemus sæpissimè distracti, quæ tamen liberè & humano modo dicimur agere, ex vi intentionis, quæ præcessit, & solum virtute manet: ergo eadem sufficit ad conficienda Sacramenta. Probatur consequentia; quia neque ex verbis Christi, neque ex potestate ministris Sacramentorum collata colligi potest alium modum intentionis esse simpliciter necessarium.

Confirmatur: quia aliàs sæpè contingeret Sacramenta esse irrita præsertim Eucharistiam: quia sæpè contingit ministrum distrahi vel ex negligentia vel ex imbecillitate, nec operari ex intentione actuali sed solum virtuali. Ita DD. communiter, Suar disp. 13 sec. 3. Vasquez disp. 138. num. 78 Bonacina de Sacram. disp 1. q. 7. punc. 2. §. 3. Coninch. qu. 64, art. 8. dub. 2. Layman lib. 5. trac. 1. cap. 5. num. 12. Cardinalis de Lugo disp. 8. sec. 5. Diana p. 2. trac 3. miscell. resol. 30. Hæc autem intentio semper supponitur in celebrante, imo vt plurimum etiam actualis: quamuis ipse eius non recordetur: quia adhoc requiritur actus cognitionis reflexus vt ex D. Thom. diximus supra tit. 5. in litera num. 2.

Dico tertio, neque intentio habitualis, quatenus distinguitur à virtuali, neque intentio interpretatiua sufficit ad valorem Sacramenti, itaque necessariò requiritur saltem virtualis: Probatur, vt Sacramentum sit validum debet confici ab homine, seù creatura rationali, sicuti instituit Christus: ergò debet confici rationali modo, siue per actionem rationalem; aliàs nulla esset ratio cur ex natura sua postularet magis fieri ab homine, quam à bruto. Nullus autem actus solum habitualiter, vel interpretatiuè voluntarius est in se propriè humanus, & rationalis: ergo nec sufficiens ad valorem Sacramenti. Probatur minor: quia actus solum habitualiter, vel interpretatiuè voluntarius æquè fit à dormiente vel ebrio, qui agunt potiùs brutali modo quam humano. Ita communit. DD. præced. concl. citati.

Confirmatur: quia aliàs actio facta immediatè à bruto posset dici humana: quia potest mihi esse voluntaria in causa, vt si canis me instigante aliquem morderet; hoc autem est falsissimum: quamuis ergo actio facta à dormiente vel ebrio, possit dici volita

lita a precedenti volitione libera, non tamen voluntaria humano modo: quia quando elicitur, agens, non est sui compos, nec ratione vtitur sed agit modo brutali.

Colligitur si quis sacerdos sciens se quando ebrius est solere verba consecrationis proferre & ea intentione panem præpararet, vt ebrius eum consecret, si verè postea ebrius super eum verba consecrationis proferret, talem sacerdotem verè non consecraturum, & nihil effecturum, etiam si in eum finem se inebriasset: quia prolatio illa verborum non est actio humana, quamuis sit voluntaria in causa, seu potius volita, idemque dicendum de dormiente, & proferente verba consecrationis ex solo habitu absque libera applicatione; Vide Coninch. supra quæst. 64. articul. 8. dub. 2.

Dicetis voluntas habitualis sufficit vt aliquis etiam destitutus sensibus verè suscipiat aliqua sacramenta; ergo sufficit vt minister ea valide conferat. Respondetur negando consequentiam. quia suscipiens Sacramenta passiuè se habet, conferens, autem actiuè: maior autem requiritur perfectio in agente quam in patiente. Nec mirum est Christum voluisse sacramenta dispensari etiam pueris, & eis qui non sunt sui compotes, noluisse tamen dispensari à pueris, & ratione non vtentibus, sed à ministris rationali modo agentibus; quia sapientem decet de suis bonis ita disponere, vt etiam in auxilium amentium conferantur & distribuantur, non tamen per ministros, seu distributores fatuos, & amentes, vel non agentes rationali modo;

DVBIVM IV.

An ad ualorem Sacramenti sufficiat intentio proferendi materialiter uerba super debitam materiam, absque ulla intentione conficiendi Sacramentum.

Certum est ex dictis dub. 2. esse apertam hæresim asserere nullam prorsus intentionem ex parte ministri esse necessariam ad valorem Sacramenti; ita vt etiam si casu & indeliberatè proferatur forma super materia debita, vel etiam si quis declaret exterius, & manifestet se non seriò agere, sed fictè, & delusoriè adhuc Sacramentum forè validum quod est damnatum in concilijs supra adductis.

Difficultas est. An sufficiat intentio faciendi quidem exterius quod facit Ecclesia adhibendo materiam & formam à Christo institutam, & in Ecclesia consuetam; sed absque animo conficiendi Sacramentum, qui est finis ab Ecclesia intentus, imo animo iocandi, & illudendi, modo hunc animum non manifestet exterius. Quæritur An hæc intentio non conficiendi Sacramentum mente solum concepta, & exterius non prodita obstet valori Sacramenti, si alias minister exterius exhibeat, & velit exequi ea, quæ exterius facit Ecclesia. Ratio dubitandi est: quia hic habet suo modo intentionem faciendi quod facit Ecclesia, idest quoad actiones externas, & materiales. Hoc autem videtur sufficere ad saluandas definitiones Conciliorum circa intentionem ministri Sacramentorum.

Prima sententia sustinet non vitiari Sacramentum ex defectu intentionis merè internæ ministri nolentis conficere Sacramentum, sed solas actiones externas modo explicato. Probatur primo valor Sacramenti non pendet à bonitate ministri; ergo neque ab eius voluptate, seu intentione, posita vera materia & forma. Probatur consequentia; ideo non decuit Sacramentorum valorem à bonitate ministri pendere, ne fideles essent incerti de eorum collatione, et receptione: quia sciri non potest an minister sit in statu peccati mortalis nec nè: sed eadem Ratio militat de intentione, quia magis ignota est nobis intentio, quam bonitas: ergo etc.

Confirmatur; Nam alias multi damnari possent ob alienam malitiam, si ministri exterius Sacramenta conferrent, absque voluntate interna verè ea conficiendi, quod tamen sciri non potest. Hoc autem videtur graue absurdum.

Probatur secundo de ratione signi sensibilis est, vt exhibitum exterius verè significet id, ad quod significandum est institutum ab habente authoritatem, neque perdit suam significationem ob oppositam intentionem internam alicuius priuati. E. g. Hæc vox homo significat animal rationale, nec perdit suam significationem ex eo, quod aliquis proferens illam vocem exterius, nolit eam significationem habere: sed Sacramentum et signum sensibile consistens in tali materia, et forma verborum, et habet significationem suam à Christo; ergo exterius exhibitum verè significat secundum Christi institutionem, etiam si minister nolit.

Confirmatur; quia si minister velit dare Sacramentum non tamen eius effectum, non idcirco impeditur Sacramenti effectus: quia id pendet ex Christi institutione, non ex intentione ministri: ergo simili modo si minister exterius Proferat verba super materiam ap-

tam, et nolit conficere Sacramentum, hæc nolitio non obstabit valori Sacramenti, et significationi illius: quia significatio Sacramentalis illius ritus externi pendet ex institutione Christi, que impediri non potest a priuato ministro.

Hanc sententiam defendunt ex Catholicis Salmeron tom. 13. in Epist. Pauli lib. 1. p. 3. disp. 2. Catherinus in Opusc. de intentione ministri, Syluest. verbo Baptismus 3. quæst. 12 citantur etiam Paludanus, & Angelus.

Secunda sententia absolutè vera, docet requiri necessario in ministro intentionem conficiendi Sacramentum saltem tacitam, quæ habetur in intentione faciendi quod facit Ecclesia, cuius immediatus finis est conficere Sacramentum; & non sola & nuda actio externa.

Probatur ex concilijs supra adductis dub. 2. Nam Trid. sess. 14. can. 9. definit sacerdotem ioco absoluentem nihil agere, qui tamen habet intentionem pronuntiandi illa verba: ergo ad valorem Sacramenti non sufficit sola intentio exhibendi actus externos materiæ, & formæ.

Probatur secundo Ratione: quia conferens Sacramentum necessario agit vt minister Christi, & dispensator mysteriorum Dei, cui proindè non est tantum commissa nuda exequutio talis actionis, sicut nuntio deferenti literas; sed cum authoritate & potestate. Vt patet ex Apost. 1. Corinth. 4.: sed dispensator nisi intendat verè aliquid conferre, nihil agit & vere non dispensat; E.g. Si des alicui decem aureos non intendens transferre dominium; sed vt paululum seruet, tunc enim alter nihil acquiret; ergo similiter in Sacramentis, per quæ merita Christi dispensantur,

Tandem probatur ex absurdis: quia alias sequitur nutricem abluentem sordes infantis, & ex sua priuata deuotione, vel casu dicentem lauo te in nomine Patris &c. verè baptizare. Item si quis Sacerdos tempore mensæ legeret aliquid, in quo habentur verba consecrationis, eum consecraturum omnem panem mensæ, & alia innumera huiusmodi, quæ sunt apertè falsa.

Hanc sententiam sequuntur Catholici communiter, vt videre est apud Suar. disp. 13. sec. 2. Coninch. quæst. 64. ar. 8. num. 58 & Dianam par. 10. trac. 11. resol. 67.

Colligitur primo primam sententiam non posse iam defendi sine errore in fide; quia apertè repugnat Concilijs, præsertim Trid. vt asserit Vasq. disp. 138. cap. 2. Coninch. supra Cardinalis de Lugo disp. 8. sec. 2. & communiter.

Colligitur secundo satis esse intentionem faciendi quod facit Ecclesia, nec opus esse exprimere Ecclesiam Romanam: quia hæreticus verè baptizat, & tamen non credit Ecclesiæ Romanæ: satis ergo est, si intendat facere quod facit vera Ecclesia: quia priuatus error non tollit necessariam intentionem, quæ implicitè tendit ad id quod Christus instituit DD. citati.

Colligitur tertio intentionem Simoniacam superadditam accipiendi pecuniam ex Sacramento, vel alias prauam, non obstare valori Sacramenti; quia non destruit priorem necessariam, neque valor Sacramenti pendet ex bonitate ministri. DD. supra citati.

Ad opposita respondeo ad primum negando paritatem: Primo quia bonitas per se non est necessaria ad operandum humano modo, neque ad applicandam potestatem dispensatricem ad operandum, sicut est necessaria intentio ex supra dictis. Secundo intentio vix potest deesse, rarissimè enim cõtingit aliquem esse tam prauum, vt nolit intendere verum Sacramentum conficere, cum hoc facillimum sit, nec possit contrarium illi prodesse. De bonitate autem ministri sepiùs dubitare possumus, cum multi occurrant peccatores, ideò est dispar ratio.

Ad confirmationem respondeo neminem per se damnari, nisi ob proprium peccatum. Quòd si minister nolit illud tollere, per accidens est, sicut si quis nolit baptyzare, nec quidem exterius.

Ad secundum respondeo: externas actiones Sacramentorum non vt cumque esse institutas ad significandum, sed quatenus procedunt ex potestate collata ministris Sacramentorum, qui possunt velle, & nolle ea vti, & idcirco significatio pendet ex intentione ministri; Nec est simile de vocabulis impositis ad significandum: quia non quilibet habet eam potestatem imponendi vocibus significationem.

Ad confirmationem respondeo Sacramenti valorem, & significationem pendere ex voluntate ministri: quia pendet ex operatione libera illius, in qua consistit; Secus est de effectu qui sequitur ex ipso Sacramento semel posito, tanquam à causa naturali. Sicut ergò quilibet potest applicare, vel non applicare agens naturale ad operandum circa aliquid, E.g. ignem ad comburendum. Posito autem, quod applicet, non potest suspendere illius effectum: Ita pariter in casu nostro.

DV-

DUBIUM V.

An valeat Sacramentum, quando minister habet intentiones contrarias.

E. G. Si quis intendat facere quod Christus instituit non verò quod facit Ecclesia Romana: vel si velit conferre Sacramentum, & non effectum illius; vel si velit consecrare seu conficere Sacramentum Eucharistiæ, sed non sacrificium.

Aduertendum, non posse aliquem habere duas intentiones verè contrarias nisi ex errore, quo putat eas non esse contrarias: sed vtramque simul posse consequi suum effectum: quod si non erit id esse impossibile, tunc velle vtrumque non posset; quia voluntas non fertur in impossibile. Hinc sequitur quando intentiones sunt verè contrariæ alterutram esse implicitè conditionatam, & tendere in suum obiectum, quatenus coniungi potest cum obiecto alterius. Secus autem minimè, & consequenter alteram quæ magis efficax est & absoluta præualere debere. Hoc Posito.

Respondeo, Si voluntas ad valorem Sacramenti necessaria sit in ministro præcipua, valet Sacramentum: quia vincit, & excludit contrariam; ergo nil deest ad Sacramenti valorem. Secus verò si cõtraria volitio sit præcipua, quia hæc præualebit & destruet intentionem necessariam ad valorem Sacramenti, & consequenter ipsum Sacramentum; ita Suar. disp. 13. sec. 2. Henriq. lib. 1 cap 10. nu. 6. Coninch q 64. num. 91. Card. de Lugo disp. 8. de Sacram. in genere sec. 8

Colligitur primo. Si minister baptizans, vel consecrans Eucharistiam intendat præcipuè facere quod Christus instituit. & simul sed minus præcipuè nolit facere quod facit Ecclesia Romana: quia per errorem putat Ecclesiam Romanam discordare ab institutione Christi; Sacramentum Baptismi, & Eucharistiæ erit validum: quia actus superadditus nolo facere quod facit Ecclesia Romana est implicitè conditionatus, si Ecclesia Romana discordat ab institutione Christi, quæ conditio cùm sit falsa & non subsistat, hæc secunda volitio irritatur à prima. Quod si minister hæreticus ita sit pertinax, vt nullo modo velit facere quod facit Ecclesia Romana, etiam si vera esset, & hoc præcipuè intendat, Sacramentum erit nullum: quia hæc secunda intentio præualet, & destruit priorem, seu aliam necessariam ad Sacramenti valorem. DD. cit.

Colligitur secundo. Fideles baptizatos volentes contrahere matrimonium, non verò conficere Sacramentum; quia per errorem putant matrimonium non esse Sacramentum, cùm tamen intendant contrahere eo modo, quo alij fideles celebrant matrimonium, verè efficere Sacramentum: quia hæc voluntas vniuersalis præualet, & corrigit priorem. Si verò quis intendat nullo modo contrahere matrimonium tanquam quid sacrum, nec facere quod facit Ecclesia, ita vt potiùs malit non contrahere, quam Sacramentum efficere & recipere; matrimonium erit inualidum, etiam in ratione contractus: quia posita institutione Christi, non est separabilis ratio contractus à ratione Sacramenti. DD. supra cit. & Sanchez de matrim. lib. 2. disp. 10. num. 6.

Colligitur tertio. Volentes conferre verum Sacramentum sed non effectum, verè Sacramentum conferre, & consequenter effectum: quia voluntas non conferendi effectum est inefficax, nec effectus pendet ex voluntate ministri posita veritate Sacramenti, vt supra dicebamus. Quòd si quis irà pertinaciter velit impedire effectum, vt si in eum finem opus sit non ponere causam, & non conferre Sacramentum, nolit in eo euentu Sacramentum conferre, certè non conficeret: quia hæc secunda voluntas destruit intentionem necessariam ad valorem Sacramenti. His Positis.

Difficultas præcipua hic examinanda in ordine ad sacrificium Missæ est, An Sacerdos intendens consecrare & non sacrificare, validè consecret: & cùm ex communi sententia consecratio vtriusque speciei sit de essentia sacrificij. An validè consecret, qui à principio, & de data opera vult consecrare vnam speciem, & non aliam: vel quia prænidit non posse habere aliam: vel quia ex malitia vult vnam tantum consecrare, & non offerre sacrificium.

Respondeo, & dico primo. Si quis vellet alterutram solam speciem consecrare & non sacrificare, seu vellet sic conficere Sacramentum & non sacrificium, id validè efficeret: quia vere consecraret, & non sacrificaret: quàuis grauissime peccaret. Probatur, quia consecratio vtriusque speciei, quamuis sit de necessitate sacrificij, non tamen est de necessitate Sacramenti, neque consecratio vnius speciei, seu materiæ dependet ab alia, siue in fieri, siue in conseruari, vt supra probauimus, tit. 2. sec. 1. dub. 3 Quare illæ duæ intentiones non pugnant ad inuicem, quamuis sint illicitæ, & vtraque potest impleri. Oppositam tamen sententiam defendere conatur Cardinalis de Lugo de Euchar. disp. 19 sec. 8 nu. 103. quem merito, alij acriter impugnant apud

Dia-

Diana p. 10. tract. 16. resol. 61. vbi videri poterunt, ne hic simus prolixiores.

Dico secundo, si quis vellet non sacrificare, sed vtramque speciem seù materiam consecrare; vellet impossibile, seù implicantia ad inuicem: quia essentia Sacrificij consistit in consecratione vtriusque speciei. Posito autem casu, quo Sacerdos haberet intentiones huiusmodi pugnantes ad inuicem, examinandum esset quænam illarum præualeat: nā si præualet, & magis efficax est intentio non sacrificandi, tunc neutra species consecratetur. seu vtraque consecratio esset inualida. Probatur quia cōsecratio vtriusque non potest separari a ratione sacrificij: ergo destruitur per voluntatem oppositam, & magis efficacem non sacrificandi. Neque est maior ratio de vna specie quam de alia. Quod si ille Sacerdos vellet saltem vnam consecrare, & determinaret alteram, iam essemus in casu primæ conclusionis. Si autem præualeret intentio consecrandi: quia idem Sacerdos vult omnibus modis consecrare, ita vt posito quod non possit separare rationem sacrificij à consecratione vtriusque speciei, potius vellit consecrare quam non sacrificare, tunc vtraque species consecraretur, & verè offeretur Sacrificium, non obstante intentione illa non sacrificandi, quæ destruitur per oppositam voluntatem verè consecrendi vtramque speciem, vt latius declarat Cardinatis de Lugo de Sacram. in genere disp. 8. sec. 8. & consentiunt Alij DD. communiter apud Dianam citata resol. 62.

DVBIVM VI.

An intentio Celebrantis ferri debeat in Materiam certam, et definitam.

Respondeo Affirmatiuè: nempe ad valorem consecrationis necesse esse materiam in particulari, & indiuiduo definiri, & determinari per intentionem consecrantis. Probatur quia omnis actio transiens, & practica versatur circa singularia determinata: sed consecratio est huiusmodi, quia est causa practica transubstantiationis panis in corpus Christi, & vini in sanguinem; ergo debet versari circa hunc panem, & hoc vinum determinate; Non determinatur autem nisi per intentionem Sacerdotis, qui idcireò materiam cōsecrandam debet determinate cognoscere, & intendere.

Confirmatur quia alioquin non poterit demonstrari per ly Hoc, & Hic, quæ demonstratio est de essentia consecrationis, Ita Riccardus, Durandus, Abbas Syluest. Henriq. apud Layman lib. 5. trac. 4. cap. 2. num. 12. Suar. disp. 43. sec. 6. Cardinatis de de Lugo de Euchar. disput. 4. sec. 7. & communiter omnes Doctores.

Colligitur primo si quis habeat presentes decem hostias, & intendat consecrare octo ex illis, non determinandò in particulari quas potiùs consecrare velit, eum nihil efficere: quia materia non est definita, vt in hac Rubrica n. 1. Non enim dici potest quod omnes consecrauerit: quia hoc non intendit, neque has potius quàm illas: quia non est maior ratio de his quam de illis: ergo nulla est consecrata: DD. citati. Si vero duas excludat designando illas in particulari, & reliquas octo consecrare determinet, valida erit consecratio octo hostiarum, tenebitur tamen illas duas non consecratas segregare ab alijs, nè postea confundantur; & grauiter peccabit si non separet.

Colligitur secundo si Sacerdos in casu posito habeat intentionem consecrandi ex decem præsentibus illas octo hostias, quas Deus vel Petrus voluerit, adhuc nullam consecrati: quia nisi Dei, vel Petri voluntas manifesta foret Sacerdoti ante consecrationem, non posset Sacerdos designare per illud pronomen Hoc, de quibus Hostijs loquatur: ergo nec fieret demonstratio sensibilis. prout requiritur ad valorem consecrationis sed ad summum in ordine ad intellectum: quod non sufficit DD. citati.

Nec obstat applicationem Sacrificij posse remitti in Deum: quia applicatio non concurrit effectiuè ad sacrificium, vel ad eius effectum. sed est conditio, neque exercetur per pronomen demonstratiuum, sicut consecratio. Vide plura de hoc discrimine inter applicationem, & consecrationem in tract. de sacrif. quæst. 3. p. 10.

Colligitur Tertio volentem consecrare dimidiam partem vnius hostiæ non determinando quam partem nihil prorsus efficere: quod si animo designet partem E. g. superiorem hostiæ valida erit consecratio partis designatæ. quamuis illicita ob grauem irreuerentiam: quia non poterit deinde humana industria separari pars consecrata, à non consecrata, & continget deglutiri aliquam partem non consecratam ante illam, quæ est consecrata contra præceptum ieiunij naturalis quod seruari debet à sumente Eucharistiam. Item contra ritum Ecclesiæ in re graui. Ita Paludanus, Riccardus Syluest. & alij communiter apud Suar. supra, qui benè addit contra Maiorem, si Sacerdos intendat consecrare primam partem signatam proportionalem hostiæ.

hostiæ, E. g. primam quartam partem, non verò secundam, & in reliqua medietate similiter, & sic in infinitum, Consecrationem forè inualidam: quia fertur in infinitam multitudinem, quam non potest mens humana definitè demonstrare vnde cum cōsecratio priorum partium sit dependens a consecratione aliarum, & multitudinis infinitæ, & indesignabilis; nulla remanet consecrata.

Colligitur quarto Quid sit dicendum ad eam quæstionem. An si contingat aliquas formulas non consecratas confundi, seu misceri cum hostijs consecratis, ita vt discerni non possint ad inuicem. An inquam possint consecrari illæ solæ formulæ non consecratæ.

Ratio dubitandi est: quia cùm non dignoscantur, non videntur posse designari, vel demonstrari per pronomen Hoc. Aliqui negant vt Cardinalis de Lugo cum Alijs de Sacram. disp 4. sec. 7. num. 136. Alij probabilius affirmant posse consecrari valide; quia satis est si sacerdos sciat contineri in illo cumulo formulas non consecratas. Ita Laymon supra, Auersa de Euchar. q. 2. sec. 2. §. Dubitatur quoque Posseuinus de officio curat cap. 4.

Tandem alij docent: non posse consecrari absolute solas formulas non consecratas; Cæterum posse consecrari sub conditione, idest si Sacerdos intendat consecrare totum quod est in illo cumulo, vel in Pixide, & singulas si non sint consecratæ, quia & si constet plures, & fere omnes esse consecratas, de nulla tamen affirmari potest haud esse consecratam posita confusione: ergò singulæ possunt consecrari sub conditione; & consequēter omnes simul: quia pronomen hoc cadit super omnes, & singulas distributiue. Quòd si constaret de aliquibus eas esse consecratas, seponi deberent in aliud vas, vt fiat consecratio aliarum, de quibus non constat. Ita Reandec, Dicastillus, & Alij, quos citat & sequitur Diana p. 9. tract. 8. resol. 64 nec negat de Lugo. Quæ sententia tutior videtur, & eam late explicat Diana supra.

Difficultas vlterius est: An teneatur Sacerdos, posita confusione iterum consecrare, vel absolute solas formulas non consecratas vel saltem sub conditione prædicta totum cumulum in eadem vel sequenti Missa, ad tollendam confusionem & vitanda absurda, quæ inde sequi possent. Negat de Lugo supra. Affirmant Alij communiter posse, & debere totum cumulum ad Altare deferri, vt Sacerdos consecret illas, quæ non fuerunt consecratæ; ne detur alicui hostia non consecrata loco consecratæ. Neque enim vitatur inconueniens si singulis binæ formulæ dentur: quia aliquis eorum adoraret, & sumeret hostiam non consecratam pro consecrata: Item si quis prius deglutiret non consecratam communicaret non ieiunus. Tandem si plures essent formulæ non consecratæ ibi admixtæ, non esset tunc certum singulos accipere aliquam hostiam consecratam: ergo &c. Plura circa hunc casum vide apud Dianam supra.

Colligitur quinto, grauiter peccare eos qui data opera particulas consecrandas ponunt in Pyxide cum alijs iam consecratis dirigendo posteà intentionem consecrandi ad non consecratas tantùm, quia ex dictis aliqui probabiliter censent illas particulas additas non posse consecrari, scilicet eas quæ discerni non possunt, quare non omnes communicaturi reciperent certo verum Sacramentum. Deinde iuxta tutiorem sententiam non possunt consecrari nisi sub conditione, quod non est licitum nisi in casu necessitatis: ergo grauiter peccat qui data opera, & absque necessitate permiscet non consecratas cum consecratis: quare omnino reijciendus est Posseninus oppositum asserens de officio Curati cap. 2. num. 38.

DVBIVM VII.

De intentione coniuncta cum aliquo errore circa materiam consecrandam.

EX. gr. Si sacerdos putans se tenere vnam hostiam, postea comperiat fuisse duas simul iunctas. Quæritur an vtraque sit consecrata, vel vna tantùm. Qui casus exprimitur in hac rubrica num. 2. Ratio dubitandi est; quia intentio consecrantis non videtur extēdi ad alteram hostiam, quam ignorat ibi esse: ergo altera non est consecrata, quia requiritur intentio. Antecedens probatur: quia voluntas non fertur in incognitum.

Præmittendum est: errorem circa materiã consecrandam esse posse vel substantialem, vel accidentalem. Error substantialis dicitur qui est causa vt actio externa ministri, seu consecratio in casu nostro proferatur circa materiã, vel partem materiæ quam non vult consecrare, seu super materiam non volitam, & extra fines intentionis. Hinc si in casu posito minister intendat consecrare vnam hostiam tantùm, excludendo quamcumque aliam, error quo profert verba consecrationis super alterã, quæ re vera ibi adest; quamuis ipse putet non adesse, est error substantialis; quia secunda hostia non est intenta, seu extra fines intentionis ipsius consecrantis. Sicut in Sacramento Matrimonij error circa personam est sub-

substantialis: quia intentio contrahentis est determinata circa vnam personam tantùm, & quælibet alia est extra fines intentionis.

Error accidentalis est ratione cuius actio externa consecrationis versatur circa materiā verè intentam, seu contentam intra fines intentionis saltem implicitè, sed falsò apprehēsam quoad aliquas circumstantias aliter ac re vera est. Hinc si in casu posito minister velit, & intendat consecrare materiam præsentem, quam consecrandam attulit, vel iussit apponi (sicut intendere debet) error ille, quo putat esse vnicam hostiam, cùm re vera sit duplex, est accidentalis: quia intentio debita est consecrandi materiam, quam attulit consecrandam, & altera hostia verè est intra fines intentionis cum re vera sit præsens, & per accidens est quod apprehendatur vna vel duplex. Hinc error personæ in alijs Sacramentis extra matrimonium communiter est accidentalis, vt si quis baptizet, vel absoluat Antonium, putans esse Ioannem: quia intentio ministri est absoluendi hunc præsentem quem audiuit, quicūque ille sit, nisi positiue excludat quemcumque alium diuersum ab eo, quem falsò apprehendit. Itaque totum hoc discrimen pendet ex intentione ministri, quæ perpendenda est. Quæ item intentio potest esse vel conformis intentioni & vsui Ecclesiæ, & consequenter licita & debita; vel disformis ab eodem vsu Ecclesiæ, & consequenter illicita Ita Suar. disp. 13 sec. 3. §. Dico quarto, Card. de Lugo disp. 8. sec. 7. & alij communit His Positis.

Respondeo, & dico primo. Error substantialis circa materiam consecrandam irritat Sacramentum respectu illius partis circa quam error versatur.

Probatur Error substantialis est causa, vt consecratio proferatur super materiam, vel partem materiæ extra intentionem proferentis: ergo est causa, vt consecratio ex ea parte, seu respectu talis materiæ sit irrita. Consequentia patet: quia intentio est absolutè necessaria ad conficiendum Sacramentum, & requiritur intentio determinata talis materiæ. Antecedens etiam constat ex dictis de natura erroris substantialis. Ita Suar. de Lugo supra, & communiter.

Colligitur primo. Si Sacerdos in casu posito velit præcisè consecrare illam hostiam quā oculis videt, (quod fieri non debet) tunc alteram quam non videt, non remanere consecratam: quia altera est extrà fines intentionis ipsius consecrantis, & quamuis adsit per errorem, & error sit causa vt ea præsente consecratio proferatur. Nihilominus est error substantialis, ita Siluest. verbo Euchar. 2 q. 6. Suar. loco citato, & disp. 43. sec. 6. de Lugo supra. Auersa de Euchar. qu. 2. sec. 2. quod etiam decernitur in hac Rubrica num. 1. vbi dicitur. Si aliqua hostia lateat, cum Sacerdos non intendat consecrare nisi quas videt, ea quæ latet non consecratur.

Colligitur secundo. Si quis Sacerdote inscio seu minime aduertente formulas consecrandas super Altari vel etiam corporali poneret, prolata forma à Sacerdote, eas nō remanere consecratas: quia non fit consecratio sine intentione saltem virtuali: sed nequit extendi intentio consecrandi ad illas formulas in casu nostro: quia nil volitum quin præcognitum, & illæ formulæ sunt omninò incognitæ consecranti: ergo &c. Vnde inaduertentia illa circa prædictas formulas æquiparatur errori substantiali; ita Coninch. qu. 74. art. 2. dub. 3. num. 36. Layman lib. 5. trac. 4. cap. 2. num. 14. de Lugo disp. 8. citat. sec. 7. nu. 118. Diana cum alijs p. 2 trac. 17. resol. 19. & eadem ratio est de casu, qui exponitur in hac rubrica num. 1. His verbis, Si aliquæ hostiæ ex obliuione remaneant in Altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua hostia lateat &c. In his casibus non cōsecrat minister.

Dico secundo, Error accidentalis non viciat Sacramentum, quare eo non obstante cōsecratio est valida. Probatur, error accidentalis non excludit intentionem ministri circa materiam consecrandam in quam cadit, imò illam præsupponit, vt patet ex præmissis initio: Ergo error accidentalis non obstat valori consecrationis. Probatur consequentia: quia posita materia debita, forma, & intentione ministri verè conficitur Sacramentum, ita DD. cit. & omnes commun.

Colligitur primo. Quoad casum initio propositum. Si Sacerdos putans se tenere vnam hostiam, post consecrationem inuenerit fuisse duas simul iunctas, simpliciter, & absolutè loquendo vtramque censendam esse consecratam. Et idem dicendum de formulis oblatis pro communione populi: si enim Sacerdos existimet esse quatuor, & postea sex vel plures inuenerit, omnes censendæ sunt vere consecratæ. Ratio est: quia secundùm vsum & directionem Ecclesiæ intentio Sacerdotis est cōsecrandi panem quem manibus tenet, vel coram se habet expositum ad consecrandum: sed omnes hostias prædictas habet coram se expositas ad consecrandum: ergo simpliciter loquendo omnes sunt consecratæ. Neque enim priuata illa deceptio, & speculatiuus error, quo existimantur esse pauciores obstat practicæ intentioni consecrandi omnes præsentes iuxta ritum ab Ecclesia præscriptum, ita Suar. de Lugo, Coninch. Auersa, Layman supra cit. & omnes communiter, & habetur expresse in

hac

hac rubrica n.2. Vbi præcipitur, vt sacerdos in sumptione simul vtramque sumat.

Dixi autem, simpliciter & absolute loquendo vtramque h ostiam esse consecraram: quia si sacerdos velit præcisè vnam rantùm consecrarc exclusis alijs, si quæ forte præsentes sint, ita fiet, & aliæ non remanent consecratæ, vt supra dicebamus: quia intentio sacerdotis est absolutè necessaria, vt sæpius diximus. Peccat tamen grauiter qui contra vsum Ecclesiæ sic limitat suam intentionem, ob perplexitates & absurda, quæ inde sequi possunt contra reuerentiam Sacramenti: quare nunquam præsumitur intentio sacerdotis cum ea limitatione illicita, nisi aperte constet: sed explicanda est iuxta modum in Ecclesia consuetum consecrandi materiam præsentem absque limitatione: DD.cit. Vide præsertim Suar. disp 13 sec.3. §.sed queres:

Neque huic doctrinæ obstat ratio dubitandi initio posita: quia voluntas non fertur in incognitum, & altera hostia quæ non apparet, videtur ignota sacerdoti. Respendetur enim alias hostias esse cognitas quoad substantiam, quatenus sunt materia consecrabilis, & præsens: quamuis non cognoscantur quoad aliquas conditiones accident.quoad numerū &c. Vt patet, quando consecratur cumulus hostiarum in Pyxide, quorum numerus ignoratur. ita Layman loco sup.cit.

Colligitur secundò. Nihil referre in prædictis casibus, siue ipsemet Sacerdos duas hostias pro vna posuerit in Patena, siue Diaconus, vel Sacrista, & similiter de formulis pro communicaturis super corpor ale, si plures positæ fuerint quàm Sacerdos intulerit, vel apprehenderit: quia hoc materialiter se haber, & posita debita intentione consecrandi materiã præsentem intentio ad omnes dirigitur. Ita Layman loco cit & communiter.

Colligitur tertiò. Si minister ad monito sacerdore, & ex eius beneplacito deferat ad Altare formulas consecrandas pro communicaturis, & debito modo super Aram, & corporale collocet, deinde sacerdos in actuali consecratione tantùm recordetur eius, quam habet in manibus, censeri debent nihilominus consecratæ ob virtualem intentionem priùs conceptam, vt colligitur ex Rubrica num. 4. ita Scotus, Angelus, Nauarra, Sà, & alij apud Layman lib.5. tract. 4. cap.2 num. 14. & Suar. disp.43 sec.6. cum alijs. Quid vero dicendum si formulæ remaneant extra corporale, inferius dicemus sequenti dubio. Tandem notandum, si sacerdos aduertat ante consecrationem, & post oblationem, non vnam, sed duas hostias se obtulisse, tunc alteram se ponat, eamque vel pro alia missa seruet, vel finita missa eam sumat, vel alteri det decenter sumendam, tanquam panem benedictum, & Deo oblatum, Layman supra num 13. & colligitur à simili ex rubrica de defectibus titul. 3. num. 5.

DVBIVM VIII.

An intentio consecrantis extendatur ad materiam positam extra Aram, & corporale.

Certum est ex supra dictis formulas in Altari positas omnino inscio Sacerdote nullatenus consecrari; quia eius intentio non potest ad illas extendi. Difficultas in præsenti est, quando vel ipse sacerdos, vel alius ex eius beneplacito, vel eo admonito formulas consecrandas ad Altare detulit, & posuit extra Aram & corporale, & ibi remanent tempore consecrationis ex inaduertentia celebrantis. Quæritur an consecrentur.

Prima sententia affirmat eas verè consecrari.

Probat 1. Ad validam consecrationem sufficit intentio virtualis semel concepta, & nõ reuocata: sed sacerdos in casu nostro habuit intentionem consecrandi dictas formulas, quę virtualiter perseuerat, & non reuocata est; ergo, &c.

Confirmatur; quia habent præsentiam sufficientem pro valore consecrationis, & ob inaduertentiam excusatur Sacerdos à peccato transgressionis ritus Ecclesiastici, quoad aram, & corporale: ergo non est cur censeri non debeant consecratæ.

Probatur secundò. Si ex eo præcisè non cõsecrantur quia sunt extra Aram, ergò si ex inaduertentia ministri, vel sacristæ non esset ibi Ara consecrata, non consecraretur hostia maior sacerdotis, nec Calix, nec conficeretur sacrificium: Hoc autem est absurdissimum: ergo &c. ita Leander de Sacram tom 2. tract. 7. disp 8.q.83. Præpositus in 3 p.q.74 art. 2.dub.3 num 19. & inclinat Tannerus de Sacram.disp 5.q.2.dub.2.

Opposita sententia communis & probabilior docet, eas non consecrari. Probatur: quia non præsumitur sacerdos velle consecrationẽ facere modo indebito, & contra ritum grauem Ecclesiæ, alias peccaret, non quando ex inaduertentia non collocat formulas super corporale, sed quando sic intendit consecrare etiam contra ritum grauem: sed consecrare formulas depositas extra corporale est contra ritum grauem Ecclesiæ: ergo non extenditur ad eas sa-

Sacerdotis intentio. Maior probatur: Nam interrogatus Sacerdos vt explicet suam intentionem. An in prædicto casu, quo per obliuionem remanent formulæ extra corporale, velit nihilominus eas consecratum iri. Si affirmet; ergo vult facere contra ritum Ecclesiæ, & sic peccat; si neget quia non vult facere contra ritum: ergo intentio licita, & debita non extenditur ad illas formulas, ita Suar. disp. 43. sec 6. Candidus, Vviguets, Castropalao, Garzia apud Dianam p. 9 tra. 8. resol 64. Auers. de Euchar. qu. 2. sec. 2. Gauantus, & alij apud eumdem Dianam p. 3. tr 6. res. 103.

Et idem dicendum si ex pluribus formulis repositis super corporale aliqua ex illis commotione aëris asportetur extra corporale, & ibi vel sub corporale maneat tempore consecrationis, sacerdote minimè aduertente: non enim illa consecratur ob rationem explicatam, vt explicat Garzias loco cit.

Ad opposita respondetur ad primum. Si sacerdos intendat omnibus modis validè consecrare quamuis illicitè, concedo totum. Cæterum nunquam ita esse interpretandam eius intentionem, nisi constet voluisse etiam illicitè, & in debito modo consecrare. Si verò intendat debito modo consecrare, & non contra ritum Ecclesiæ in re graui, vt quilibet intendere præsumitur, tunc virtualis intentio non extenditur ad formulas manentes extra corporale.

Ad confirmationem respondetur concedendo excusari ministrum à peccato; qui ob inaduertentiam non collocat materiam super corporale, at non excusari si promat actum intentionis non subordinatum vsui, & præcepto Ecclesiæ.

Ad secundum respondetur, negando consequentiam; Ratio disparitatis est, quia in casu posito nullum sequitur graue absurdum, eò quod illæ formulæ non consecrentur, vel non sequitur tale inconueniens, quod præponderet omissioni grauis ritus Ecclesiastici non consecrandi, nisi super Aram & corporale: quare meritò & iure præsumitur voluntas Ecclesiæ, & sacerdotis, vt illæ particulæ potius maneant non consecratæ, quàm indebito modo consecratæ. Cæterum longè diuersa est ratio de casu qui ponitur in argumento, ex quo sequitur irritatio sacrificij, falsa adoratio hostiæ nō consecratæ, & graue scandalum populi, ad quæ vitanda iure meritò præsumitur voluntas Ecclesiæ, & sacerdotis, vt potius consecretur hostia absque Ara, quam ea permittere. Imò præceptum adhibendi Aram, non obligat cū tanto incommodo, vt probauimus prima parte tit. 10. dub. 5. Consequenter dicendum est in eodem casu consecrari formulas positas super corporale pro communicaturis, tanquam spectantes ad idem sacrificium; secus si aliquæ essent extra corporale ex supra dictis.

Colligitur. Hostias, seu formulas extra corporale positas sumendas esse à Sacerdote post sumptionem sanguinis, vel decenter seruandas vt ab alijs sacerdotibus eodem modo sumantur: quia cū opposita sententia sit probabilis, dubium est, an re vera sint consecratæ; non tamen posse dari laicis communicaturis, nè forte priuentur Sacramento, & eius fructu. Vide dicta de fragmentis dubijs a p. tit. 10. sec. a dub. 5 vel si fuerit pyxis plena formulis consecrati poterunt in sequenti Missa non absolutè, sed sub conditione, &c.

DVBIVM IX.

An Intentio debita consecrantis extendatur ad partes materiæ separatas à toto præsertim minutiores.

Quæstio est de fragmentis ante consecrationem decidentibus ab hostia, quam sacerdos attulit consecrandam, & remanentibus super corporale, & de guttulis vini intra Calicem circa latera existentibus & separatis à toto vino, quod per modum continui est in fundo Calicis, an censeri debeant consecrata, & an intentio debita celebrantis extendatur ad illa. In hac quæstione certum est primo? Si sacerdos expressè intendat fragmenta prædicta, & quaslibet partes separatas à toto cōsecrare, ea verè consecrari, posito quod sint partes sensibiles: quia potestas sacerdotis non est limitata, ex dictis supra tit. 3. sec. 1. dub 4. E contra si sacerdos positiuè prædictas partes, & guttulas separatas excludat, certum est non manere consecratas: quia sine intentione nihil fit. Quæstio est igitur, quando sacerdos neque positiuè excludit, neque expressè dirigit intentionem ad illas, qualiter sit interpretanda eius intentio iuxta licitum, & debitum consecrandi modum conformem intentioni, & vsui Ecclesiæ.

Certum est secundo, non censeri sacerdotem dirigere, & extendere suam intentionem ad fragmenta, quæ forte exciderunt ab hostia, & reperiuntur tempore consecrationis extra Aram, & corporale: quia hoc est illicitum. Neque similiter ad illas vini guttulas, quæ forte sunt extra Calicem, vel eius externis partibus adhærent: quia non est licitum consecrare vinum, nisi intra Calicem consecratū,

& op-

& oppositum esset graue sacrilegium. Est igitur solùm Quæstio de fragmentis manentibus super Aram, & corporale, & de guttulis vini intra Calicem per eius latera dispersis, & separatis à copia vini, quod per modum continui est in fundo Calicis.

Certum est tertio si Sacerdos aduertat ante consconsecrationem vel guttas vini separatas intra Calicem, vel fragmenta prædicta super Corporale debere ea remouere & abstergere; quia potius sunt impedimento, quam vllo vsui Celebrantis vel aliorum, & idcirco in Rubricis ritus seruandi &c. Tit. 8. præscribitur vt Sacerdos extergat hostiam à fragmentis, & ex communi vsu Ecclesiæ abstergi debent guttæ vini separatæ etiam, intra calicem. Hinc oritur difficultas. Quid si per inaduertentiam, vel negligentiam abstersa non fuerint, An potius expediat ea consecrari, vel minimè, & qualiter sit interpretanda intentio Ecclesiæ, & consequenter ipsius celebrantis in hoc casu, de quo tractant DD præsertim quoad materiam Calicis, & guttas vini separatas à toto. De fragmentis verò hostiæ ferè nihil dicunt. Cæterum ad Complementum doctrinæ de vtraque materia agendum est. Relatis priùs DD. opinionibus circa guttulas vini, de quibus disputant. Quò circa.

Prima Sententia negat guttas vini separatas consecrari, vel ad eas extendi intentionem legitimam consecrantis.

Probatur primo. Quia guttulæ prædictæ frustrà, & inutiliter consecrarentur: ergo id fieri non debet. Probatur antecedens: quia neque prosunt quicquam ad perfectionem sacrificij, vt per se patet: quia potius abstergi prius deberent, neque ad sumptionem sunt per se aptæ: ergo inutiliter consecrantur.

Probatur secundo: quia non debet consecrari vinum nisi mixtum aqua: sed prædictæ guttæ non sunt aqua mixtæ: quia communiter separari solent quando infunditur vinum in Calicem, & deinde aqua infunditur & miscetur cum vino, quod est in fundo Calicis per modum continui: ergo &c. Hanc sententiam tenet Suar. de Sacram. disp. 43. sec. 6. Coninch. de Sacram. q. 74 art. 2. dub. 3. num. 43. Laiman. lib 5. tra. 4 cap. 2. n. 14. Reginaldus lib. 29. n. 19. Diana p. 2 tra 17 resol. 16. & p. 3 tra. 4 resol. 32. Tambur de sacrif. lib 2. c. 1. §. 3. n 23.

Secunda sententia opposita docet verè cõsecrari prædictas guttas intra Calicem dispersas.

Probatur primo. Quia intentio sacerdotis ferri debet circa totam materiam in Calice existentem simpliciter, & absque distinctione; sed guttulæ vini quamuis separatæ sunt vera materia, & intra Calicem existunt: ergo &c. Maior probatur. Tum ex particula demonstratiua Hic, quæ secundum se omnem materiam præsentem designat; Tum quia hic videtur communior sensus fidelium. Tandem patet à simili de consecratione formularum in eodem vase existentium simul cum partibus separatis minutionibus, quæ omnes consecrantur.

Probatur secundo Quia sic magis expedit, & minus inconueniens est prædictas vini guttas consecrari, quam remanere absque consecratione: ergo cum intentio Ecclesiæ, & consequenter Sacerdotis sit faciendi quod melius est, & magis expedit, interpretari debet in hoc casu, vt extendatur consecratio ad partes etiam separatas. Probatur antecedens: quia facile contingit partes separatas post consecrationem dilabi et admisceri reliquis speciebus consecratis: ergo si non essent consecratæ, remanerent simul permixtæ non consecratæ cum consecratis, quod est valde indecens, & non permittendum, similiter sumerentur cum consecratis, & fieri potest vt prius deglutiantur. quod absque necessitate non est licitum: ergo &c.

Propter hoc argumentum Aliqui sectatores primæ sententiæ dixerunt, consecrari quidem eas vini guttas, quæ intra Calicem reliquo liquori proxime adhærent, & cui Calicis commotione admiscentur, non vero alias remotiores, Ita Coninch loco citato. Hoc tamen merito impugnatur a Layman supra, & Diana resol. 23. citata: Quia determinari non potest quanta esse debeat talium guttarum propinquitas. Vel enim loquimur de guttis quæ possunt commisceri, & ita omnes consecrantur, quia omnes possunt admisceri: vel de illis quas postea admisceri continget, & hoc dici non potest, quia consecratio sicut aliorum Sacramentorum confectio non potest esse pendens à futuro euentu: ergo dicendum est absolutè omnes consecrari. Hanc sententiam sustinet Bonacina de Sacram. disp. 4. quæst. 2. punc. 6. num. 7. Dicastillo de Sacram. trac 4. disp. 2. dub. 13. num. 223. Tannerus quæst. 2. num. 79. & inclinat Auersa de Euchar. q. 2. sec. 2. §. item &c.

Quid autem dicendum sit de fragmentis panis, quæ exciderunt vel ab hostia maiori, vel à formulis ante consecrationem, & tempore consecrationis existunt super Aram & Corporale, non explicant præsertim Auctores primæ sententiæ, sed ob similem rationem idem proportionaliter de illis affirmandum, vel negandum, atque adeo Sectatores primæ sententiæ cogentur fateri ea non consecrari &

è contra fautores secundæ sententiæ ea consecrari. Quæ autem sententia tenenda sit, Breuiter hic, subijciemus. Pro Resolutione ergo.

Respondeo, & dico primo quando consecratur cumulus hostiarum E.g. in Pyxide, censetur consecrata etiam fragmenta et minutissimæ particulæ, sensibiles tamen, quæ in Pixide separatæ sunt a formulis, etiam fragmenta quæ fortè Pyxidis lateribus adherent; & quæ sunt in fundo. Probatur: quia alias manerent permixtæ species consecratæ cum non consecratis, & simul adorarentur, quod est absurdum. Ita Dicastilius, supra, & nemo id negat.

Dico secundo Quando sola hostia maior asseritur consecranda, & ab ea separantur aliqua fragmenta, quæ tempore consecrationis manent super Aram, & Corporale, ea censentur etiam consecrata. Hæc Conclusio est secundum mentem DD. secundæ sententiæ, & eam probant à simili rationes ibi adductæ circa guttulas vini separatas à copia vini, quæ est in fundo calicis. Et Insuper Probatur: quia vt dicitur in hac Rubrica num. 1. Sacerdos debet habere intentionem consecrandi omnes hostias, quas ante se positas habet; ergo etiam particulas separatas, siue magnæ sint, siuè minutiores, modo sint sensibiles. Probatur consequentia quia non est maior ratio de particulis magnis ac de paruis, & sicut quando Sacerdos putans se tenere vnicam hostiam, postea aduertit fuisse duas, vtraque est consecrata, ita etiam si illi hostiæ esset coniuncta, dimidia pars alterius. & sic de quarta parte, & alijs minutioribus omnes censentur consecratæ.

Dico tertio Quoad guttulas vini separatas intra Calicem eius lateribus adhærentes tenēdum est cum secunda sententia supra relata, eas consecrari, & præter rationes ibi adductas. Probatur: quia non est maior ratio de fragmētis in Pyxide contentis, quam de guttis vini intra Calicem. sed illæ consecrantur in omnium opinione: ergo etiam guttulæ vini.

Ad argumentum primæ sententiæ Respondetur ad primum ea non frustra consecrari, sed ad vitandam irreuerentiam permixtionis specierum consecratarum cum materia non consecrata, & deinde simul collecta sumuntur à Sacerdote tanquam spectantia ad idem conuiuium.

Ad secundum Respondetur satisfieri Præcepto dum admiscetur aqua cum ea copia vini, quæ consecranda apposita est in calice. Cæterùm non opus esse vt aqua modicissima omnes vini partes penetret, satis enim est si verificetur simpliciter illud vinum esse mixtū eum aqua ob mysterium, quod ea cæremonia significatur.

Colligitur primo Quid sit dicendum ad illud dubium quod aliqui mouent, An peccet Sacerdos qui ante consecrationem aduertens vel fragmenta separata ab hostia super Corporale, vel guttas intra Calicem eius lateribus adhærentes non remouet, vel non abstergit. Quidam simpliciter eum excusant à peccato, quia non tenetur Sacerdos nisi humano modo se gerere in his mysterijs, non verò tenetur ad diligentiam methaphisicam, Ita Tambur. loco supra citato: sed non apparet cur ea diligentia dici debeat supra modum humanum, vel methaphisica, cum vere sit valde facilis, nec speculatione indigeat. Dicendum est ergo Sacerdotem voluntariè omittentem eam diligentiam peccare venialiter; quia inuoluit quandam indecentiam ea dispersio materiæ consecrandæ, & partes minutiores impediunt expeditam & magis deuotam sumptionem Sacramenti, est etiam, maior obligatio abstergendi guttas separatas intra Calicem, ne postea misceantur cum speciebus consecratis, quod est valdè indecens. & absque difficultate extergi possunt: quia magis apparent.

Colligitur secundo post consecrationem nunquam abstergendas esse prædictas vini guttas: quia cum probabilius sit eas esse consecratas, vel ad summum dubium sit, An sint consecratæ, est contra reuerentiam Sacramento debitam eas abstergere, debent ergo assumi cum sanguine, & deinde si quid remaner eum purificatione, vt bene docet Tambur. supra: tandem post purificationem abstergi debet Calix more solito Colligitur Tertio Qualiter Sacerdos dirigere debeat suam intētionem circa fragmenta vel guttulas, de quibus est quæstio? Dicendum est enim stante varietate opinionum: intentionem celebrantis debere esse consecrandi iuxta Christi institutionem & ritum Ecclesiæ; nihil determinando in particulari: sic enim vitatur perplexitas. Quod si quis determinare velit; poterit sequi vtramuis ex opinionibus relatis: cum vtraque sit probabilis.

DV-

DVBIVM X.

De supplendis defectibus intentionis.

CVm defectus Intentionis sit substantialis; quia intentio saltem faciendi quod facit Ecclesia est necessario requisita ad valorem Sacramenti, Certum est teneri sacerdotem hunc defectum supplere, & denuò consecrare cum intentione requisita ex doctr. D. Thom. 3.p.q 83.art 6 quam omnes sequuntur. Quaerimus ergo qualiter suppleri debeat hic defectus.

Respondeo suppleri debere repetitione consecrationis, ita vt iterum pronuntietur cum intentione requisita: Eodem prorsus modo ac diximus repetendam esse eamdem formam omissam vel prolatam cum defectu substantiali: quia vtroque modo consecratio est inualida, siue ex defectu intentionis, siue ex omissione verbi substantialis, vel mutatione substantiali eiusdem. Ita Suar. disp.85. sec.1. §. secundo etiam constat, Aueria q.11.sect.16. §. primo & secundo, & communiter, quare ea quae diximus de supplendis defectibus formae tit.5.sec.2. dub 1. & sequentibus, hic applicari debent ob similem rationem.

TITVLVS VIII.

DE DEFECTIBVS DISPOSITIONIS ANIMAE.

1 Si quis suspensus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel alias canonice impeditus, celebret; conficit quidem Sacramentum, sed grauissimè peccat, tam propter communionem, quam indignè sumit, quam propter executionem Ordinum, quae sibi erat interdicta.

EXPLICATIO LITERALIS.

DEclaratur primo in hac rubrica sacerdotem suspensum, videlicet ab ordine, & celebrantem missam in eo statu, conficere quidem Sacramentum, & consequenter sacrificium; quia retinet characterem quo priuari non potest, cum sit indelebilis, sicuti definitur in cap. firmiter de summa Trinitate, & in Trid. sess.23.cap.4. & alibi; sed grauissime peccare; tum propter exequutionem ordinis, quae ex vi talis censurae est illi interdicta graui praecepto: Tum quia indignè sumit communionem in statu peccati mortalis, quo violat censuram, sicuti in tractatu de Censuris explicant DD. comm.

Secundo, idem asseritur de excomm. ob eãdem rationem: siquidem vt notũ est, excommun maior priuat excommunicatũ participatione Sacramentorum tum actiua tum passiua Sacerdos autem in missa, & recipit Sacramẽtum Eucharistiae, & sibi ministrat: ergo grauissimè peccat. Item excommunicatio priuat participatione diuinorum officiorum, inter quae primum locum obtinet sacrificium Missae: ergo etiam ex hoc capite grauissimè peccat. An autem sic celebrans committat vnum, vel plura peccata, & quid dicendum de excommunicatione minori. In dubijs conscientiae examinabimus.

Tertio, idem etiam dicitur de degradato, seu deposito, de quo eadem est ratio, & à fortiori ac de suspenso: siquidem degradatio habet totam vim suspensionis, quatenus ea prohibetur exequutio, & vsus ordinum, & insuper addit eamdem prohibitionem esse perpetuam, & irremissibilem. Cum tamen suspensio vel sit ad tempus, vel facilè remissibilis, posita emendatione, & poenitentia.

Quarto, cum irregularitas sit impedimentum canonicum reddens aliquem inhabilem, & non idoneum ad susceptionem ordinum, & ad exercitium & vsum eorumdem receptorũ. Hinc declaratur in eadem Rubrica, sacerdotem irregularem idest secundo modo, grauissimè peccare, si missam celebret. Tandem additur vniuersaliter grauiter peccare sacerdotem celebrantem si alias canonice sit impeditus, hoc est vel interdicto, vel quauis alia prohibitione Ecclesiae, qua graui praecepto id illi sit vetitum, quae omnia constant ex tractatu de Cens. vbi latè de his agitur à Doct.

An

An autem in casu necessitatis sacerdos suspensus, vel excommunicatus &c. possit licitè celebrare, in dubijs conscientiæ examinabimus cum alijs difficultatibus ad hanc materiam pertinentibus.

2 Si quis habens copiam Confessoris celebret in peccato mortali, grauiter peccat.

HIc insinuatur obligatio grauis, qua fideles tenentur præmittere confessionem sacramentalem ante communionem, & consequenter sacerdotes ante missam, quoties habent conscientiam peccati mortalis: nec enim sufficit sola contritio extra casum necessitatis: sed est necessaria confessio: quare etiam si quis antea elicuerit actum contritionis, quo deleuerit illud peccatum; Nihilominus proponens & volens celebrare absque confessione nouum peccatum mortale committeret contra hanc obligationem, & sic celebraret in peccato mortali, vt dicitur in hac rubrica, & indignè sumeret Sacramentum: quæ omnia manifesta sunt ex Decreto Concil. Trid. sess. 13. cap. 7. & Can. 11. quod eandem obligationem colligit ex verbis Apost. 1. Cor. 11. Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat. An autem hæc obligatio sit iuris diuini, vel humani in dubijs explicabimus.

3 Si quis autem in casu necessitatis non habens copiam Confessoris, in peccato mortali absque contritione celebret: grauiter peccat. Secus si conteratur: debet tamen cum primum poterit, confiteri.

PRimo excipitur in hac rubrica casus necessitatis ab ea obligatione præmittendi confessionem ante missam: communiter enim præcepta positiua talem excusationem admittunt: quare potest dari casus, vt quis non peccet celebrando, vel communicando absque confessione, etiam si sibi conscius sit peccati mortalis, si videlicet simul concurrat, & necessitas celebrandi, & inopia confessoris, vt etiam declarat Trid. loco cit.

Secundo asseritur in hoc casu necessitatis teneri omnino celebrantem elicere actum contritionis, vt sic acquirat statum gratiæ; quia, cum Eucharistia sit Sacramentum viuorum, necessariò prærequirit in suscipiente eum statum gratiæ, seu vitam spiritualem in anima: quare grauiter peccaret sacerdos celebrans absque contritione, vt fusius dicemus in dubijs.

Tertio, tandem additur posito eo casu, quo quis celebrauerit non præmissa confessione, sed sola contritione, eum post missam debere cum primum poterit confiteri, ex eodem Trid. supra.

An autem hoc additum contineat rigorosum præceptum, vel solum Consilium in dubijs declarabimus.

4 Si in ipsa celebratione Missæ Sacerdos recordetur se esse in peccato mortali, conteratur cum proposito confitendi, & satisfaciendi.

5 Si recordetur se esse excommunicatum, vel suspensum, aut locum esse interdictum. similiter conteratur cum proposito petendi absolutionem: Ante consecrationem autem in supradictis casibus, si non timetur scandalum, debet Missam incœptam deserere.

COntingere potest, vt quis ante missam non aduerterit peccatum aliquod mortale, de quo non fuerit confessus, vel non aduerterit se esse excommunicatum &c. sed in ipsa celebratione horum recordetur. Hoc posito monet Rubrica vt in primo casu, videlicet si recordetur se esse in peccato mortali sacerdos conteratur, & missam prosequatur.

In secundo casu verò, si recordetur Sacerdos se esse excommunicatum, vel suspensum &c. distinguir, vel enim id aduertit ante consecrationem, & tunc si non timetur scandalum docet Rubrica eum debere missam deserere, quod in dubijs examinabimus an cadat sub præcepto. Si hoc autem aduertat post consecrationem, tunc satis erit eum conteri cum proposito petendi absolutionem: tenetur enim prosequi sacrum.

DVBIA CONSCIENTIAE

Qualiter per censuras repellatur Sacerdos ab Altari.

DVBIVM I.

Vtrum qualibet censura impediatur Sacerdos à sacro faciendo.

PRæmittendum est, Censuram adæquatè diuidi in excommunicationem, suspensionem, & interdictum. Degradatio verò, & irregularitas non sunt propriè Censuræ, sed ob affinitatem ad censuras reducuntur, & de illis agunt DD. in tractatu de Censuris. Nos hic breuiter dicemus de singulis ea solum, quæ ad rem nostram pertinent ad vberiorem explicationem nostræ Rubricæ numero primo. Hoc Posito.

Respondeo, & dico primo. Sacerdos excommunicatus siue maiori excommunicatione, siue etiam minori, non potest licitè celebrare missam, sed grauiter peccat sacrum faciendo in eo statu. Quoad maiorem excommunicationem satis probata est hæc conclusio in expositione literæ n.1.

Quoad excommunicationem minorem. Probatur: quia hæc censura, quamuis non priuet excommunicatum participatione actiua Sacramentorum (in quo distinguitur ab excommunicatione maiori) priuat nihilominus directè, & per se participatione passiua eorumdem Sacramentorum ex graui præcepto Ecclesiæ: ergo si ligatus hac censura Sacramentum recipiat mortaliter peccat, violando censuram in re graui: sed celebrans missam recipit Sacramentum Eucharistiæ: ergo &c. Ita Caietanus verbo excommunicatio cap. vltim. Suar. de Censur. disp. 24. sec. 3. Coninch. de Censuris disp. 14. dub. 17. n. 160. & alij communiter, quos refert, & sequitur Bonacina de Censuris disp. 2. quæst. 3. num. 7 & sequentibus.

Tandem quamuis Sacerdos non sit ipse excommunicatus, si tamen celebret coram excommunicato vitando grauiter peccat ex vi censuræ, qua alter ligatur, & prohibetur alijs communicatio, præsertim in diuinis cum ipso excommunicato, vt aliàs diximus.

Dico secundo, Suspensio ab ordine impedit sacerdotem à sacro faciendo, quare grauiter peccat qui ita suspensus celebrat; secus verò si suspensio non sit ab ordine, sed vel à beneficio, vel à iurisdictione tantùm. Probatur: quia in priori casu sub prohibitione censuræ comprehenditur missa, quæ est actus ordinis sacerdotalis, secus in posteriori: ergo &c. vbi aduertendum suspensionem diuersimodè ferri, sicut etiam eadem variè diuiditur: quædam enim dicitur suspensio ab officio, idest ab vsu potestatis spiritualis: siue Ordinis & dicitur suspensio ab Ordine; siuè Iurisdictionis & dicitur suspensio à iurisdictione, siue ab vtroque. Alia suspensio est à Beneficio, idest à fructibus beneficij. Itaquè à forma & verbis, quibus hæc censura fertur dijudicandum est, Quisnam actus ea prohibeatur: cēsura enim efficit quod significat, nec aliter operatur quàm significet. Ita Nauar. sum. cap. 27. num. 160. Suar. de Censuris dis. 25. sec. 5. & 7. Coninch. & alij communiter, quos citat, & sequitur Bonacina de Cens. disp. 3. punc. 2. n. 2. Ex quibus.

Colligitur primo. Episcopum suspensum tantùm à Pontificalibus, non esse suspensum à celebratione missæ, saltem priuatæ: quia hæc non pertinet ad Pontificalia DD. cit.

Colligitur secundo suspensum ab ordine inferiori, E g. Diaconatus, non posse exercere actum ordinis superioris, nempè sacerdotij, consequenter non posse celebrare: quia cui non licet quod minus, non debet licere quod maius est. Argumento cap cum illorum de sententia excommunicationis DD. cit.

Colligitur tertio. Suspensum absolutè ab officio nulla addita limitatione, non posse celebrare: quia intelligitur suspensus ab omni vsu potestatis spiritualis, seu Ecclesiasticæ, tam Iurisdictionis quàm Ordinis, & consequenter à celebratione missæ, quæ est actus ordinis, Doctot. citati, & alij apud Bonacinam supra punc. 2. nu. 9. Secus de suspenso à Iurisdictione tantùm.

Dico tertio, Per interdictum diuersimodè prohibetur celebratio missæ, iuxta varios modos, quibus ferri solet. Aduertendum est enim interdictum diuidi in Locale, & Personale, & vtrumque esse posse vel generale, vel speciale. Hoc Posito breuiter nonnulla hic adnotabimus ad rem nostram, Qualiter ex vi Interdicti prohibeatur celebratio missæ.

Primo ergo: Tempore interdicti localis generalis, non potest celebrari missa publicè & pa-

patenter in locis vel Ecclesijs Ciuitatis, vel prouinciæ interdictæ, exceptis quibusdam festis præcipuis, videlicet Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes, Assumptionis Beatæ Virginis &c. vt constat ex cap Alma Mater quare celebrans Missam extra dies prædictos, si publicè & apertis Ecclesiæ ianuis eam recitet, peccat mortaliter. Cæterum eodem tempore generalis interdicti localis non est prohibitum sacrum facere secretò in Ecclesijs, & monastarijs, etiam singulis diebus seruatis tamen his conditionibus; Videlicet Primo Ianuis Ecclesiæ clausis. Secundo vt recitetur Missa secreto, seu submissa voce, ita vt audiri non possit ab existentibus extra Ecclesiam. Tertio absque sono Campanarum. Quarto Tandem exclusis excommunicatis, & personis interdictis, sicut expressè habetur in citato cap. Alma mater. Ita Nauar. cap. 27. num. n73. Henriq. lib. 13. cap. 44. Sayro de censuris lib. 3. cap. 5. Suar de Censur. disp. 34. sec. 3. & alij communiter, quos refert Bonacina de censuris disp. 5. de interdicto punc. 4. n. m. 6. & sequentibus.

Secundo si locale interdictum sit speciale, seu particulare, tunc in Ecclesia vel loco sic specialiter interdicto non potest celebrari Missa, neque publicè neque secreto absque graui peccato, nisi ad renouandam Eucharistiam, quatenus opus est, E, g. semel in Hebdoma da, vt fusius explicant DD. citati.

Tertio si interdictu sit personale, siue particulare siue generale Sacerdos in eo comprehēsus & personaliter interdictus, nullibi & nullo modo celebrare potest: quare grauiter pecc. quomodlibet celebrando; quia violaret censuram in re graui, ex cap. si sententia de sententia excommun. in 6. & docent citati Doctores communiter.

Quarto quilibet Sacerdos etiam si ipse interdictus non sit, si tamen celebret coram persona interdicta mortaliter peccat: quia id prohibetur ex vi eiusdem interdicti. quod fertur in alium: quod intelligitur si persona illa, quæ Missæ assistit sit nominatim interdicta, seu denuntiata, alias minimè, ex Extrauaganti ad Euitanda &c.

Quid autem agendum si dum Sacerdos celebrat, aduertat adesse personam nominatim interdictam; Asserunt communiter DD. idem esse agendum ac fieri præcipitur cum excommunicato vitando, de quo diximus supra p. 2. tit. 3. in dubijs sec. 2. dub. 4. vbi etiam diximus Quid agendum si cœpta iam Missa superueniat interdictum locale. & videri possunt citati DD. & Bonacina supra punc. 7. num. 19.

Dico quarto Sacerdos degradatus, vel depositus grauissimè peccat celebrando Missam Patet quia hoc ipso priuatur omni munere Clericali tum ordinis, tum iurisdictionis, & maiori rigore quam per suspensionem, vt latius explicant DD. agentes de degradatione, Toletus lib. 1. cap. 50. Suar de Censur. disp. 30. sec. 2. Bonacina de Censur. disp. 4 punc. vnico, & Alij communiter.

Dico quinto Sacerdos irregularis si celebret missam peccat mortaliter; quia hoc ipso fit Iure Canonico inhabilis, & indignus exercitio ordinis, respectu cuius est irregularis: Siquidem irregularitas nedum impedit susceptionem ordinum; sed etiam vsum receptorum sub graui præcepto, vt tradunt communiter DD. de irregularitate: & quamuis possit dari irregularitas, quæ superueniens promoto ad Sacerdotium, non priuet illum alio munere sacerdotali, E.G audiendi confessiones, vt si aliquis Sacerdos fiat cæcus, vel mutiletur digitis; Nihilominus non datur irregularitas, etiam superueniens iam ordinato in presbyterum, quæ non priuet exercitio & vsu celebrandi Missam. Videri possunt Nauarrus Suarez, Coninch, & Alijquos affert, & sequitur Bonacina de Censur. disp 7. q 1. punc. 4. De Causis autem & casibus in particulari, in quibus ligetur quis Censura, vel fiat irregularis, fuse agunt DD. in tractatu de Censuris, & de irregularitate, nec eos declarare pertinet ad nostrum institutum,

DVBIVM II.

An Sacerdos aliqua Censura innodatus si celebret cum conscientia peccati mortalis committat vnum, vel plura peccata. Idem queri potest de Laicis si communicent cum conscientia peccati mortalis, & cum impedimento alicuius censura E. G. excommunicationis vel interdicti.

Prima sententia sustinet vnicum tantum peccatum committi, quod sufficienter explicari potest in confessione, si pœnitens dicat indignè celebraui, vel communicaui. Probatur: quia & si celebrans in eo casu violet duplex præceptum, nempè diuinum requirens statum gratiæ pro communione, & Ecclesiasticum interdicens excommunicato, vel alia censura affecto perceptionem Sacramenti; Nihilominus vtrumque præceptum respicit idem motiuum, nimirum impedire communionem indignam contra virtutem religionis, & reuerentiam Sacramento debitam. Quando verò idem actus prohibetur pluri-

pluribus præceptis ex eodem motiuo non inde multiplicantur peccata, nec additur circumstantia varians speciem. ergo &c. Ita Vasq. Cardinalis de Lugo, quos citat, & sequitur Diana p. 5. trac. 13. resol. 62. Hurtadus de Euchar. disp. 9. diff. 1. Tambur. Opusc. de commun. cap. 1 §. 3. num. 7.

Secunda sententia probabilior cui adhereo docet committi duplex peccatum formaliter seu vnum peccatum cum duplici malitia necessario exprimenda in confessione.

Probatur primo Quia esto verum esset illa duo præcepta respicere idem motiuum reuerentiæ in genere pertinens ad virtutem Religionis; Nihilominus modus reuerentiæ in specie est diuersus: status enim gratiæ seu carentia peccati mortalis requiritur ne ponatur obex effectui Sacramenti, quod est Sacramentum viuorum & amicorum Dei: Carentia verò censuræ, quæ ligare potest etiam in statu gratiæ exigitur ne quis accedat ad Sacramentum cum peculiari deformitate contumaciæ contra Ecclesiam. Sicut prohibetur communio non ieiunis ob peculiarem reuerentiā corporalem, quam præter statum gratiæ exigit Ecclesia à communicaturis.

Probatur secundo Quia verè illa duo præcepta respiciunt diuersum motiuum, & sic prima sententia falsò niti videtur fundamento. Probatur: nam præceptum diuinum prohibet communionem eis, qui non sunt in statu gratiæ intuitu Religionis. Præceptum verò censuræ prohibet eandem ob motiuum obedientiæ, scilicet ad retundendam contumaciam subditorum: ergo in transgressione reperitur duplex malitia specie distincta necessario explicanda in confessione. Ita Henriq. lib. 4 cap. 7 num. 2. Bonac. de Sacram. disp. 4. quæst. 6. punc. 1. Molfesius sum. tom. 1. tract. 3. cap. 8. num. 88. Rainaudus, Homobonus, & alij quos affert & sequitur Auersa de Euchar. q 8. sec. 5. §. sed videtur.

Colligitur etiam si censura ligatus alioqui esset in statu gratiæ; quia tamen hoc ipso quod vult celebrare vel communicare in eo statu contra prohibitionem Ecclesiæ peccat mortaliter ea ipsa voluntate, & sic actu recipit Sacramentum cum duplici impedimento & peccati mortalis & censuræ, idcirco violat vtrumque præceptum diuinum & humanum, & duplicem contrahit malitiam in confessione explicandam satis autem explicat dicens celebraui, vel communicaui cùm essem excommunicatus: quia subintelligitur cum conscientia peccati mortalis. Ita Auersa supra cum Raynaudo, & Alijs.

DVBIVM III.

Quam pœnam incurrat celebrans Missam cum vinculo alicuius censuræ.

RESpondeo, & dico primo ligatus maiori excommunicatione, vel suspensione, aut interdicto, si celebret Missam in eo statu incurrit irregularitatem, etiam si sit toleratus, & occultus, nisi causa necessitatis, vel alia ratione excusetur à culpa, de qua re diximus sec. 3. Probatur: quia violans censuram exercendo actum maioris ordinis illi prohibitum incurrit irregularitatem ex cap. si quis Episcopus 11. quæst. 3. & cap. is cui de sententia excommun. sed celebrans Missam in casu nostro violat censuram exercendo actum supremi ordinis, nempe Sacerdotalis: Ergo &c. Ita DD. communiter de irregularitate, quæ contrahitur violando censuras, qui videri possunt apud Bonacinam de censur. disp. 7. quæst. 3. punc 5.

Dixi, ligatus maiori excommunicatione; quia si solum ligatus sit excommunicatione minori, non incurrit hanc pœnam: quia hæc censura & si priuet communione, non tamen quatenus est actus ordinis, sed communi modo, vide Bonacinam supra.

Dico secundo celebrans Missam coram excommunicato non tolerato, vel coram nominatim interdicto, & denuntiato, vel similiter suspenso non incurrit irregularitatem, sed incurrit suspensionem, seu interdictum ab ingressu Ecclesiæ. Quod nō incurrat irregularitatem. Probatur, quia hæc pœna nullibi exprimitur in iure in casu de quo loquimur, sicut exprimitur, quando celebrans violat censuram, qua ipsemet celebrans est personaliter ligatus, vt diximus in prima Conclus. Ita Nauar. cap. 25. num. 94 Suar. de Censur. disp. 34. sec. 4. & Alij communiter apud Bonacinam de censur. disp. 5. punc 7. num. 18.

Quod autem incurrat suspensionem, Probatur ex cap. Episcoporum de priuileg. in 6. vbi fertur hæc censura contra prædictum celebrantem, & docent Suar. de censuris disp 31. sec. 2. Boancina de censur disp. 3. punc 5. §. 1. num. 18. cum Alijs quos citant. Hoc autem intelligitur quando possunt eos vitare. Quid autem agendum si excommunicatus, vel interdictus nominatim superueniant inchoata iam Missa. diximus supra.

Dico Tertio celebrans in Ecclesia, vel loco interdicto post denuntiationem interdicti fit irregularis, quare si Sacerdos sit etiam ipse personaliter interdictus duplici titulo fit irregula-

gularis, necessario exprimendo in obtinenda dispensatione, vt latius explicant DD. supra citati. Vide bonacinam disp. 5. de Censur. punc. 7. num. 16.

Dico quarto Sacerdos irregularis si celebret Missam grauissime peccat, vt diximus dub. 1. non tamen incurrit nouam irregularitatem, aut aliam pœnam ipso iure: quia nullibi exprimitur. Ita DD. communiter de irregularitate apud Bonacinam de censur. disp. 7. quæst. 1. punc. 4. num. 4.

DVBIVM IV.

Vtrum si in ipsa Celebratione recordetur Sacerdos se esse excommunicatum debeat Missam inceptam deserere. Idem quæritur de suspensione, interdicto, & alijs impedimentis supra enumeratis.

CErtum est Primo secundum omnes, si celebrans recordetur alicuius ex prædictis impedimentis post consecrationem, eum non posse missam deserere, sed teneri omnino prosequi, elicito actu contritionis, vt statum gratiæ acquirat.

Certum est secundo etiam ante consecrationem non teneri celebrantem Missam deserere cum periculo infamiæ, vel scandali, sed posse illam prosequi modo prius cõteratur vt sup. Quæstio ergo est seclusio periculo infamiæ, vel scandali, & ante consecrationem.

Prima sententia sustinet teneri celebrantem Missam deserere; cuius rationes, & auctores adduximus p. 2. Tit. 3. sec. 2. dub. 3. agentes de interruptione Missæ.

Secunda sententia benignior, & aptior ad tollendas perplexitates in illis angustijs docet posse celebrantem Missam inceptam deserere & id tutius esse, non vero teneri saltem sub peccato mortali, sed posse elicito actu contritionis tuta conscientia eam prosequi: Ita Taburinus de commun. cap. 1. §. 6. num. 35 & Gauantus in hanc rubricam, qui citant Diuum Bonauenturam, docet etiam Ioannes à lapide in dubijs Missæ cap. 2. dub. 5. & fauet D. Thomas 3. p. quæst. 83. art. 6. cuius opinionis fundamenta, & Alij auctores videri possunt secunda parte loco citato, vbi egimus de obligatione prosequendi sacrum.

An autem excommunicatus, vel suspensus. Possit in casu necessitatis celebrare Missam, non obstante eo impedimento (Vltra casum prædictum prosequendi sacrum iam inchoatum) dicemus commodius sec. 3. dum de causis excusantibus à confessione præmittenda ante communionem, vel Missam: neque enim ante Missam vrget ratio prosequendi sacrum quod non est inchoatum, sed ex alijs capitibus petenda est causa excusans: E. g. ad sumendum viaticum in articulo mortis, vel præbendum alteri moribundo, ad vitandam infamiam &c. vt ibidem ex professo dicemus.

DVBIVM V.

An Missa Sacerdotis excommunicati sit eiusdem valoris, & æquè propitia, ac Alia.

REspondeo, & Dico primo Quoad fructum propitiationis, & satisfactionis ex opere operato omnes Missæ sunt æqualis valoris & efficaciæ, etiam quæ celebrantur ab excommunicato &c. Probatur: quia hic fructus correspondet sacrificio ratione rei oblatæ secundum se, & quatenus offertur in persona Christi, qui est principalis offerens: & ideo non perditur nec minuitur ex malitia, vel praua conditione proximi offerentis & mali Sacerdotis, quod declarauit Tridentinum sess. 22. cap. 1. His verbis, hæc est illa munda oblatio, quæ nulla indignitate, vel malitia offerentium inquinari potest, & docet D. Th. 3. p. quæst. 82. art. 6.

Dico Secundo Quoad fructum impetrationis, qui correspondet orationibus Missæ, quatenus offertur nomine Ecclesiæ, seu quatenus Sacerdos orat nomine Ecclesiæ, hic omnino perditur; quando celebrans est excommunicatus vitandus, seu non toleratus. Ratio est: quia Ecclesia non vult suas orationes per hunc offerri, seu non intendit orare per hunc ministrum: ergo hic inualidè offert preces nomine Ecclesiæ. Ita D. Th. supra art. 7. & 8. Secus est de excommunicato tolerato, quem Ecclesia permittit celebrare, quatenus non prohibet fideles ab eo petere, vt sec. 3. dicemus.

Dico Tertio fructus Impetrationis correspondens priuatis orationibus celebrantis, seu quatenus celebrans orat nomine proprio, & vt priuata persona omnino perditur, quando quis celebrat in peccato mortali, & à fortiori quando vltra peccatum mortale Sacerdos ligatus excõmunicatione vel alia censura qua ab Altari arcetur, quia eius oratio est execrabilis. Ita D. Th. supra, & DD communiter de quibus fusius dicemus in tract. de sacrif.

sacrif. Quæstione 2. vbi de valore, & effectibus sacrificij punc. 6.

SECTIO II.

De statu gratiæ necessario requisito ad dignè Celebrandum, & Communicandum.

DVBIVM I.

An requiratur necessario status gratiæ in recipiente Eucharistiam, & quo iure.

RESpondeo: & dico primo Certum est de fide ad dignè suscipiendam Eucharistiam requiri gratiam habitualem, tanquam necessariam dispositionem, vt patet ex Trid. sess. 13. cap. 7. can. 11. ex verbis Apost. 1. Corinth. 11. Probet &c. vnde recipiens hoc Sacramentum cum conscientia peccati mortalis mortaliter peccat; vt cum D. Th. 3. p. quæst. 80. art. 4. docent omnes DD. communiter contra hæreticos nouatores. Videri potest Suar. tom. 3. disp. 66. sec. 2.

Probatur Primo Hæc conclusio ratione generali; quia omnia Sacramenta viuorum prærequirunt in suscipiente statum gratiæ habitualis, cum enim instituta fuerint directè & per se non ad remissionem mortalium: sed ad augmentum gratiæ: prærequirunt in suscipiente gratiam, quam augeant & corroborent; & contra institutionem & dignitatem ipsorum est ea recipere cum conscientia peccati mortalis.

Probatur secundo Ratione speciali de hoc Sacramento; Tum quia datur per modum nutrimenti, & consequenter supponit vitam spiritualem in eo, qui recipit nutrimentum: Tum quia est spirituale conuiuium, quod præparatur amicis, non vero inimicis, vnde est illud Cant. 5. comedite amici, bibite charissimi &c. Tandem quia est panis filiorum non mittendus canibus: ergo prærequiritur gratia habitualis in recipiente. Probatur consequentia; quia non nisi per gratiam quis adoptatur in filium Dei, & in eadem gratia consistit amicitia cum Deo, & vita spiritualis animæ.

Colligitur: recepturum Sacramenta viuorum si conscientiam habeat peccati mortalis teneri se in gratia constituere per Confessionem quidem si velit Eucharistiam recipere, vt dicemus sec. sequenti; si tamen alia recepturus sit, sufficit contritio; quamuis tutius sit semper confessionem præmittere, vt communiter docent DD. de Sacram. in genere, Suar. disput. 7. sec. 4. Coninh quæst 62. num 13. Layman lib. 5 trac. 1. cap. 6. num. 5. Bonacina cum Alijs disp 1. quæst 6. punc. 2.

Dico secundo hæc obligatio recipiendi Sacramenta viuorum & præcipuè Eucharistiam non nisi in statu gratiæ est iuris diuini, quod oritur ex natura eorumdem Sacramentorum, & institutione Christi, patet ex rationibus supra adductis, & docent citati DD. quibus Adde Auersam de Euchar. quæst. 8. sec. 5 initio, & alios communiter.

DVBIVM II.

Qualis certitudo status gratiæ requiratur in eo qui vult celebrare, vel communicare.

PRæmittendum: certitudinem esse duplicem. Quædam enim est infallibilis, cui non potest subesse falsum, quæ haberi potest vel per diuinam reuelationem, & dicitur supernaturalis; vel per naturalem euidentiam rei, seu demonstratiuè, & dicitur methaphisica. Altera dicitur certitudo moralis, quæ oritur ex argumentis solidis & vrgentibus quãuis non euidentibus; quæ rursus diuidi potest, in eam quæ propriè & in omni rigore dicitur certitudo moralis excludens formidinẽ partis oppositæ, & sic distinguitur ab opinione; & in eam quæ solum excludit dubium negatiuum, seu negationem assensus determinati, non autem formidinem oppositi, & sic est idem cum opinione; & solet dici certitudo moralis quatenus præbet securitatem prudenter & licitè operandi; de quibus videri potest Sanchez lib. 1. Sum. cap. 9. num. 2. & in casu nostro circa statum gratiæ in ordine ad recipiendam Eucharistiam explicat Io: à lapide in libello de dubijs Missæ cap. 2. art. 3. dub. 7. His positis.

Prima sententia requirit methaphisicam certitudinem status gratiæ ad dignè communicandum: quia cum Eucharistia sit Sacramentum summa veneratione dignum, videtur requirere summam certitudinem de dispositione ad eam requisita, Videlicet quod recipiens sit liber à peccato mortali; & consequenter infallibilem & methaphisicam. Hæc sententia tribuitur communiter Maiori in 4. dist. 9. quæst. 1. vt videre est apud Coninh de Sacram. quæst 8. art. 4. num. 7. sed reijcitur communiter à DD apud eundem Coninch supra tanquam omnino improbabilis: tum quia imponit insupportabile iugum ho-

minibus & supra vires humanas, contra illud Christi iugum meum suaue est: tum quia non possumus naturaliter tam certò scire nos esse in gratia, nemo enim scit an odio vel amore sit dignus.

Secunda sententia videtur requirere certitudinem moralem propriam & rigorosam, quatenus ab opinione distinguitur, & excludit formidinem partis oppositæ, itaque ad dignè communicandum non sufficit si quis iudicet probabiliter se non habere conscientiam peccati mortalis, quando habet rationes dubitandi de opposito, vel probabiliter etiam existimat se esse in peccato mort. tunc enim non potest tuta conscientia accedere ad communionem, sed tenebitur prius confiteri, vt certus moraliter fiat de statu gratiæ absque formidine.

Probatur: quia hoc saltem videtur conuincere argumentum adductum in fauorem primæ sententiæ. Huius opinionis videtur esse Io. à lapide loco supra citato, & communiter DD. requirunt certitudinem moralem status gratiæ, vt testatur Coninch supra: quamuis non satis explicent, an requiratur ea rigorosa certitudo, quæ ab opinione distinguitur, vel sufficiat alia minus propria, quæ cum opinione confunditur.

Tertia sententia communis & probabilior docet, sufficere certitudinem moralem minus propriam, seu iudiciū probabile de statu gratiæ, & quod recepturus Eucharistiam sit liber à peccato mortali: quamuis idem habeat formidinem vel opinionem partis oppositæ, quā potest deponere sequens aliam opinionem, qua iudicat se non peccasse, vel confessum fuisse. Secundo docet hæc sententia talem certitudinem vt minimum esse absolutè necessariam. Prima pars nempè quod sufficiat, Probatur: quia sequens opinionem reuera probabilem prudenter, & licitè operatur in omni materia, nec constat impositam esse maiorem obligationem in casu nostro de Eucharistia, ergo &c.

Secunda pars, quod eadem certitudo vt minimum sit necessaria, Probatur: qui enim nec probabiliter iudicat se esse in gratia, sed dubitat, & perplexus est neutri parti adhærens, exponitur manifesto periculo recipiendi Sacramentum in peccato mortali, & sic indignè communicandi: ergo requiritur saltem iudicium probabile de statu gratiæ, ita Henriquez, Suar. Sanch. & alij plures, quos citat, & sequitur Bonacina de Eucharist. disput. 4. quæst. 6. punc. 1. nu 12. & Auersa de Euch. q. 8. sec. 5. § 1. circa finem.

Colligitur eum qui dubitat an habeat peccatum mortale nec ne, ita vt non possit probabiliter deponere tale dubium, non posse in eo statu communicare, sed teneri omnino præmittere confessionem, aliàs mortaliter peccat, ita DD. citati, & fusius explicat Bonacina supra.

DVBIVM III.

An celebrare, uel communicare in statu peccati mortalis sit grauissimum omnium peccatorum.

Proponit hoc dubium D. Thom. 3. p. q. 80. art. 5. & egregiè more suo pertractat & resoluit, cuius litera satis perspicua est, nec expositione indiget, nec integrum eius articulum ad verbum hic transcribimus ad vitandam prolixitatem, sed breuiter eius conclusionem insinuamus, videlicet hoc peccatum non esse absolutè omnium grauissimum; quia maius illo est peccatū infidelitatis, quod funditùs separat hominem à Deo & ab Ecclesiæ vnitate; esse tamen grauius multis alijs, nempè grauius esse peccatis quæ committuntur communiter contra puras creaturas: item illis quæ committuntur contra alia Sacramenta; quia hoc sacrilegio offenditur immediatè ipse Christus, quatenus realiter cōtinetur sub speciebus consecratis, & valdè assimilatur peccato Iudæ, qui osculo tradidit Christum, vt fusius explicat S. Doctor omnino videndus. An autem hoc peccatum sit grauius homicidio, & cæteris omnibus, quæ contra proximum committuntur, quidam simpliciter affirmant, alij negant de homicidio; Videri potest Suār. de Sacram. disp. 66. sec. 2.

DVBIVM IV.

An Sacerdos celebrans missam in peccato mortali grauius peccet, quàm laicus communicans pariter in statu pecc. mort.

Certum est multò grauiùs peccare celebrantem, qui nedum recipit Sacram. indignè sed etiam indigne conficit idem Sacram. & indignè offert tremendum sacrificium, ad quorū singula prærequiritur status gratiæ, vt constat ex communi DD. sententia in tractatu de Sacramentis in genere de ministro Sacramentorum cum D. Thom 3. p. q. 64. art. 4. & 6. Difficultas consistit in eo, an Sacerdos committat vnum

vnum solum peccatum cum prædictis circũstantijs aggrauantibus tantum, & non necessario explicandis in confessione; vel comittat plura numero peccata, siuè vnum plures habens malitias necessariò exprimendas in confessione;

Prima sententia sustinet vnum tantum peccatum committere: quia consecratio oblatio sacrificij & sumptio Sacramenti, sunt actus ad inuicem subordinati componentes vnicũ, numero Sacrificium; ergo si indignè fiant nõ constituunt plura & diuersa peccata, sed vnũ tantum. Ita Henriq. Azorius, Fagundez, & Alij quos citat, & sequitur Diana p. 2. trac. 14. resol 24.

Secunda sententia extremè opposita docet Sacerdotem prædictum tripliciter peccare, seu actum hunc celebrandi claudere triplicem malitiam specie distinctam necessariò in cõfessione exprimendam; quamuis sufficienter exprimatur si dicat Sacerdos celebraui in peccato mortali.

Probatur: quia & si quælibet ex predictis actionibus, vel circumstantijs eiusdem operis, opponatur eidem virtuti Religionis, Nichilominus diuerso modo illi opponitur, quippè longè diuersus modus reuerentiæ, & diuerso etiam titulo debetur Sacramento à conficiente idem Sacramentum ex officio & speciali consecratione, ab ea quæ debetur à recipiente. Item offerre sacrificium quamuis entitatiuè sit idem cum consecratione; formaliter tamen est quid longè diuersum cùm sacrificiũ per se primo respiciat supremum Dei cultũ, Sacramẽtum verò sanctificationem fidelium; Ergo indignè exercens triplex illud munus committit triplex sacrilegium specie distinctũ, contra reuerentiam sacris misterijs debitam. Ita plures DD. quos tacito nomine refert Diana loco citato.

Tertia sententia probabilior cui adhereo, docet committi duplex peccatum formaliter, ob indignam consecrationem ex vna parte, & Sacrilegã communionem ex alia, non autem addi nouam malitiam specie distinctã ratione oblationis. Probatur Hæc secunda Pars: quia status gratiæ ex eodem motiuo, & eodẽ præcepto requiritur ad conficiendum sacrificium & Sacramentum, cum vtrumque consistat in eadem consecratione vtriusque speciei, & Sacerdos eodem modo in ordinatione consecratur ad vtrumque munus indiuisibiliter; ergo ex carentia gratiæ non infertur duplex malitia in ordine ad vtrumque munus, quod per modum vnius exercetur.

Prima vero pars de duplici malitia indignè consecrationis, & communionis patet ex fundameno secundæ sententiæ.

Confirmatur; quia nemo concedet Sacerdotem prædictum satisfacere in confessione, si dicat indignè communicaui; sed ad explicandam suam culpam necessario dicere debet celebraui indignè: ergo signum est malitiam consecrationis & sacrificationis indignæ, differre specie à malitia indignæ cõmunionis, quæ etiam contrahitur à laico communicante in peccato mortali. Hanc sententiam sustinent Ioannes à lapide in dubijs Missæ cap. 2. art. 3. dub. 6. Nugnus in 3. p. tom 1. quæst. 82. art. 5. cum Alijs. Vt autem melius intelligant Sacerdotes, quam horrendum sit Missam celebrare in peccato mortali, legant ea quæ Christus reuelauit B. Brigittæ lib. 1. Reuel. cap. 47. & lib. 4. cap. 135. & lib. 6. cap. 9. vbi inter alia hæc habentur. Cum impius Sacerdos imponit sibi amictum, dæmones obumbrant animam eius. Cum induit se Alba, duritia cordis induitur. Cum cingit se cingulo; tunc ligatur voluntas eius cum diabolo. Cum imponit sibi manipulum, manicam sibi imponit impedientem bona opera: Cum imponit sibi stolam, diabolus graue iugum imponit collo eius. Cum induit se casulam, tunc perfidia induit eum diabolus. Cum indigne communicat intrat in eum Satanas. Et plura adduntur cum horrendis maledictionibus contra prauos Sacerdotes, quæ videri possunt locis citatis.

DVBIVM V.

An possit dari casus, in quo licitum sit communicare scienter in peccato mortali.

NOn est quæstio de eo qui accedit ad Eucharistia in statu peccati mortalis, sed bona fide, hic enim excusatur à nono peccato ratione ignorantiæ, vel inaduertentiæ inuicibilis, vt notum est: sed loquimur de eo, qui scit se esse in peccato mortali, & in casu vrgentis necessitatis, cogitur communicare, quando non potest moraliter promere actum contritionis.

Prima sententia negat, quia indignè communicare in statu peccati mortalis est intrinsecè malum sicut periurium & g: ergo in nullo casu potest esse licitum; consequentia est manifesta. Antecedens Probatur. Tum quia est contra reuerentiam Sacramenti, Tum quia est contra significationem eiusdem; quia videlicet impeditur eius effectus, & falsa redditur significatio cõmunionis, qua communicans eodem

dem actu protestatur se esse membrum viuum Christi & cum eo vniri, dum reuera per peccatum mortale est ab eo separatus. Hanc sententiam tanquam communem defendunt Suarez de Sacram. disp. 66. sec. 1. & Coninch. quæst 89. num. 16. cum Alijs.

Vnde inferunt, nec ad vitandam infamiam nec quodcumque aliud damnum corporale id posse fieri licitum, & quodcumque damnum potius subeundum quam tam graue Sacrilegium perpetrandum. Addit Conich potius interrumpendum esse sacrificium & relinquendum imperfectum, quam absque contritione communicandum, quando celebrans post consecrationem, vel committit peccatum mortale; vel recordatur iam commissi, nec potest elicere actum contritionis, quod tamen Suar. merito asserit non posse contingere: quia posito auxilio gratiæ (quod semper presto est in necessitatibus) semper elici potest actus contritionis; cui consentit Diana par. 4 trac. 4. resol. 48. fine.

Secunda sententia probabilior affirmat posse dari casum, quamuis rarum, in quo licitum sit recipere Eucharistiam in peccato mortali absque nouo peccato, & absque effectu gratiæ, vt si quis in eas angustias sit redactus vt neque possit omittere communionem absque graui infamia, neque elicere actum contritionis, vt patebit in exemplis adducendis in corollarijs.

Probatur: quia licet indignè sumere Sacramentum formaliter vt Sacramentum est, sit intrinsecè malum, Nihilominus materialis receptio Sacramenti ad vitandum notabile damnum; & in casu vrgentissimæ necessitatis non videtur intrinsecè mala: ergo excusari potest à peccato, etiam si fiat absque debitis requisitis. Sicut homicidium formaliter est intrinsecè malum, & nunquam potest fieri licitè, Nihilominus materialiter sumptum prout est occisio hominis potest esse licitum ob defensionem priuatam, nedum publicam totius Rei publicæ.

Confirmatur: quia non est credendum benignissimum Christum instituisse Sacramentum in nostrum spirituale bonum cum ingenti dispendio famæ, vel nostri honoris ergo præceptum communicandi sine conscientia peccati mortalis, non obligat cum graui iactura famæ, vel simili damno; ita Vasq. Hurtado, Ochagauia, Card. de Lugo, quos affert, & sequitur Diana p. 5. tract. 13. resol. 74. §. non desistam, Auersa de Euchar. q. 8. sect 5. §. secundo, Tamburinus opusc. de commun. cap. 1 §. 10. cum alijs, quos citant.

Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur indignam communionem esse intrinsecè malam, qualis est ea quæ fit in peccato mortali absque vrgentissima causa, & vt communio formaliter; secus est de receptione materiali Eucharistiæ in casu vrgentis necessitatis, vt patet ex dictis.

Colligitur primo. Quamuis difficilè possit casus occurrere vt Sacerdos non possit moraliter conteri, si post consecrationem recordetur peccati mortalis, nihilominus posito casu, dicendum est posse communicare absque nouo peccato ad perficiendum sacrificium: quia præceptum non communicandi in peccato mortali cedit præcepto non relinquendi Sacrificium imperfectum, DD. citati apud Dianam supra resol. 74.

Colligitur secundo facilius posse contingere prædictum casum in laico proximè parato ad suscipiendam communionem de manu Sacerdotis, si recordetur sui peccati in eo puncto, quo Sacerdos admouet Sacramentum ori eius nec possit recedere absque infamia, nec actum contritionis in illis angustijs elicere; hic enim non peccabit recipiendo Sacramentum in peccato mortali, DD. citati, apud P. Dianam supra. Tenebitur tamen idem (si hoc aduertat) conteri antequam degluttiat Sacramentum, quæ est immediata sumptio, in qua Sacramentum confert gratiam, Ita notat Auersa loco supra citato.

Colligitur tertio Si in subitanea hæreticorum, vel paganorum irruptione instaret præsens periculum grauissimæ irreuerentiæ huius Sacramenti, nè videlicet conculcetur, & adesset Catholicus habens quidem conscientiam peccati mortalis, sed pro temporis angustia non posset moraliter se disponere per contritionem, aut occultare Sacramentum; is inquam non peccaret, si statim Sacramentum consumeret, bono zelo, & ad vitandam maiorem irreuerentiam eiusdem Sacramenti, Ita Cardinalis de Lugo de Euchar. disp. 4. sec. 1. Diana. Auersa locis citatis.

Colligitur 4. à fortiori, quando in similibus casibus & angustijs, quis non posset elicere actum contritionis in administrandis, & conficiendis alijs Sacramentis, item recipiendis, eum non peccaturum administrando, vel recipiendo in statu peccati mortalis ob rationes explicatas, vt multis allegatis probat Diana supra p. 5. trac. 13. resol. 74. initio, & Cardinalis de Lugo, de Sacram. disp. 8 sec. 9. cum Alijs.

DVBIVM VI.

Vtrum ad digne celebrandum, vel communicandum requiratur etiam mundities à peccatis venialibus.

PRemitendum; peccatum veniale, cum quo potest quis accedere ad Eucharistiam esse posse vel habituale vel actuale. Habituale dicitur quodlibet peccatum præteritum, non retractatum & multo magis illud quod ex frequentia relinquit propensionẽ ad similia peccata, E. g. consuetudo leuiter mentiendi; Actuale dicitur quod committitur eo tempore, quo quis communicat, & recipit Sacramentum. Quærimus ergo de vtroque An & quale peccatum sit communicare cum peccato veniali vno, vel pluribus.

Prima sententia sustinet, accedentem ad Eucharistiam cum peccato veniali committere nouam culpam venialem, siuè peccatum illud sit habituale, siue actuale: quia peccatum habituale repugnat debitæ dispositioni recipientis tantum Sacramentum, & quodlibet peccatum actuale eo tempore commissum continet nouam malitiam irreuerentiæ contra Sacramentum.

Probatur Primo nam indignè manducat aliquo modo, quatenus ponit obicem aliquibus effectibus secundarijs Eucharistiæ scilicet remissioni talium venialium, & seruori charitatis, quod aliquam irreuerentiam continet.

Probatur secundo Quoad peccatum actuale concomitans; nam hoc non solum est malum ex proprio obiecto, quatenus est propositum mentiendi E. g sed etiam habet malitiam adiunctam sacrilegij, quatenus est irreuerentia contra Sacramentum quod actu suscipitur, & deberet auertere animum non solum à peruersis, sed etiam ab alienis cogitationibus, & affectibus.

Probatur Tertio Quoad habitualia peceata, quia communicans non solum sub mortali debet afferre vestem nuptialem, sed etiam sub veniali curare debet; nè vestis illa sit sordida, qualis est in eo qui sordescit multis venialibus habitualibus, de quibus non dolet; aliqua siquidem irreuerentia est sic sordidum accedere ad Diuinum conuiuium; Ita Suarde Sacràm. disp. 66. sec 1. Filiuccius trac. 4. num. 206. Layman lib. 5 trac. 4. cap. 6. n. 3 Cardinalis de Lugo disp. 14. sec. 2.

Secunda sententia simpliciter negat, nisi communio fiat ob finem venialiter malum: quare alia peccata concomitantia, siue habitualia, siuè actualia non contrahunt nouam malitiam ex hoc capite, Sic Adrianus Maior, Riccardus, Sotus, quos sequitur Vasquez disp. 207. cap. 2. Viualdus de Euchar num. 22. Reginaldus lib. 29. num 101. Petrus de Ledesma in sum. tract. de Euchar. capit. 11. conclus 5. Corolianus de casibus reseruatis p. 1. sec. 3. cum 9. Io: Sanchez disp. 22. n. 9. & disp. 23 num. 21. & 32.

Probatur primo Quia veniale peccatum, quamuis in ipsa communione committatur, non impedit effectum huius Sacramenti primarium vt dictum est: impedire verò secundarium aliquem effectum scilicet remissionem illius venialis, nec continet irreuerentiam aliquam, nec malitiam etiam venialem, quia nulli præcepto repugnat.

Probatur secundo quia cùm communio nõ sit locutio ? sicut est oratio) sed manducatio, no requirit attentionem sub præcepto, quare veniale concomitans præter suam specialem malitiam non addet aliam contra religionem cum non opponatur vlli religionis præcepto:

PRO RESOLVTIONE.

Respondeo; & dico primo si Peccatum veniale sit circumstantia communionis ipsius, vt si fiat ob vanagloriam vel cum distractione voluntaria vanæ cogitationis, tunc ipsa communio veniale peccatum est etiam contra Religionem, quia non habet circumstantias à religione quoque præscriptos, scilicet debiti finis, & attentionis necessariæ. Quamuis enim communio non sit formaliter locutio, tamen est ministerium sacrumquod sanctè deuotè, & attentè tractandum est, non solum cum externa corporis, sed etiam cum interna mentis compositione, Conueniunt in hoc DD. primæ sententiæ, atque Vasq. etiam, qui vult vnicum esse peccatum, quod Ego admitto, dummodo duplicem habeat malitiam, scilicet sacrilegij, & vanæ gloriæ, vel similis adiunctæ,

Dico secundo si veniale concomitans impediat debitam præparationem, attentionem, vel deuotionem communionis, iam inde participat malitiam sacrilegij venialis, quando præuidetur, & voluntariè ponitur istud impedimentũ, & in hoc sensu consentio primæ sententiæ: nam ibi satis apparet irreuerentia; verum si debitam communicantis dispositionem directè vel indirectè non impediat (quod rarò forsan eueniet) probabilius reputo non participare malitiam contra Raligionem quia licet in actu sacratissimo misceatur; adhuc potius ad consilium quam ad præceptum pertinere reor, animum ad communionem affere va-

vacuum protsus ab alijs cogitationibus, & affectibus etiam inordinatis Quarè quoad peccata mera habitualia censeo cum secunda sententia propter eius primum fundamentum, quo dissoluitur primum fundamentum primæ sententiæ.

Ad secundum respondemus, reuerentiam communioni debitam obligare solum ad tollendas cogitationes & affectiones, quæ debitā attentionem & deuotionem impediunt; nō autem ad omnes, quascūque licet inordinatas tenuouendas, si nihil obstant debitæ dispositioni communicantis.

Ad tertium dicimus, ab homine fragili non esse postulandam summam puritatem animæ, summam conscientiæ munditiem; alioqui duntaxat viri sanctissimi possent ad Eucharistiam accedere sine peccato: sufficit itaque quantum est ex vi præcepti vestem habere nuptialem, & conuenientem attentionem ad deuotionem actualem procurare: cœtera consilij sint & maioris profectionis, non præcisè obligationis.

SECTIO III.

De Confessione Sacramentali necessariò præmittenda antè Missam vel communionem:

DVBIVM I.

Quo Iure teneantur fideles Confessionem Sacramentalem Communione præmittere:

CErtum est de fide fideles sibi conscios peccati mortalis teneri ex graui præcepto sacramentaliter confiteri quoties Eucharistiam recepturi sunt, neque sufficere solam contritionem; quamuis hæc sit sufficiens dispositio ad alia Sacramenta, atque ita expressè definitum fuit in concilio Trid sess. 13. cap. 7. & Can. 11. Vnde oppositum defendi non potest sine nota hœresis. Dixi autem Fideles sibi conscios peccati mortalis, quia sola venialia non impediunt communionem quamuis optimum consilium sit etiam ab eisdem venialibus se per confessionem expiare, vt tradunt communiter DD His positis. Quæstio est quale sit illud præceptum confitendi mortalia ante communionem, An sit præceptum diuinum, vel Ecclesiasticum.

Prima sententia docet esse præceptum diuinum naturale, nimirum ortum ex ipsamet institutione Sacramenti, Ita Syluest. Euchar. quæst. 2. fauet S. Bonauentura in 4. dist. 13. dub 1. & dist. 16. dub. 12. Probatur ex huius Sacramenti dignitate, cum enim sit omnium Sanctissimum exigit ab homine summam diligentiam, vt cum morali certitudine sanctitatis accedat; Ad hoc autem maximè conducit confessio Sacramentalis.

Secunda sententia docet, esse præceptum positiuum Ecclesiasticum Apostolica traditione latum. & Ecclesiæ consuetudine firmatum. Ita Ioannes de Medina Codice de pœnitentia quæst. 17 Palacios in 4. dist. 9. q. 10. ad primum, Nauar. de pœnit dist. 5. in principio circa tertiam partem Glosæ num. 31. & 32. Probabilem dicit Couinh. quæst. 80. num. 13. & Lessius 3. p quæst 80. num. 7. Probatur: quia Christus non est solitus dare præcepta circa modum recipiendi Sacramenta, nisi quæ cum ipsorum institutione connexa sunt, vt constat ex alijs ritibus ad Sacramentorum administrationem requisitis, quorum determinationem Christus Ecclesiæ reliquit; sed quod ante communionem peccator contritus debeat confiteri, non sequitur ex institutione communionis; sufficeret enim moralis certitudo contritionis, vt in aliorum Sacramentorum receptione. Sic enim Sancta Sanctæ tractantur quantum patitur humana fragilitas: ergo præceptum præmittendi confessionem non est diuinum, sed humanum.

Confirmatur, quia Trid. refert ad Apostolum hoc præceptum, dum ait reuocandum est in memoriam eius (idest Apostoli) præceptum, planè significans in Pauli verbis Apostolicum præceptum ab Ecclesia fuisse cognitum, & praxi recepta declaratum.

Tertia sententia communior & probabilior docet, esse præceptum diuinum positiuum, Ita Sotus in 4 dist. 12 quæst. 1. art. 4. Henriq. cum multis lib. 8. cap. 45. num. 3. Suar. tom. 3. disp 66. sec. 3. Vasquez 3. p. disp. 207. c. 4. Diana p. 8. trac. 1. resol. 51. Fagundez Præcep. 3. lib. 3. c. 8. Cardinalis de Lugo supra num. 73. & Recentiores communiter Probatur: quia iuxta regulam Augustini lib. 4 de Baptismo c. 24. signum diuini iuris est quoties aliquid. ab vniuersali seruatur Ecclesia, quod nec ab alio Pontifice nec à Concilio præceptum est; sed eius initium ignoratur. Talis autem est ista lex, vt indicat Tridentinum, ergo est præceptum diuinum positiuum: Minor probatur quia Tridentinum non dixit hoc præceptum per Ecclesiasticam consuetudinem introductum esse, sed declarari. Et quidem si præceptum esset humanum, non deberet Concilium excommunicare, quoscumque negantes eius obligationem; nam omnis humana lex

fru-

frustrari potest obligationis effectu, vel quia non sit alicubi recepta; vel quia per contrariam consuetudinem abrogata fuerit.

Ad fundamentum primæ sententiæ Respondetur inde sumi congruentias huius præcepti, non tamen sufficerent ad obligandum nisi præceptum positiuum accederet: quippe naturali satisfieret vtique per contritionem, vt dicebamus.

Ad fundamentum secundæ sententiæ respondetur. Hoc esse in Eucharistia singulare, sicut & alia, vt Christus Dominus specialem ipsi dispositionem assignauerit, quam Paulus tanquam acceptam à Domino proposuit, & Ecclesiastica consuetudo declarauit, quasi diuinitus præscriptam: & quamuis illud pronomen eius ad Apostolum referatur, vt contra Suarium probat Vasquez supra, et ipse contextus satis ostendit; non ideo vocatur Apostoli præceptum, quoniam ab illo fuit impositum; sed quia tanquam acceptū à Domino illud Apostolus explicauit; sicut lex Moysi vocatur, quæ data quidem à Deo, fuit per Moysen promulgata, Diana p. 9. trac. 3. resol. 1

Colligitur Primo. Hanc obligationem non esse nouam, & solum inductam per Tridentinum, sed semper in Ecclesia fuisse, vt patet ex eodem concilio supra; non enim id iussit quasi nouam legem condendo sed colligendo ex verbis Apostoli, & consuetudine Ecclesiastica: quare Aliqui putant hoc etiam esse certum de fide, & concilium non solum damnare eos, qui assererent non teneri fideles cõfessionem præmittere communioni, sed etiam eos qui dicerent talem obligationem non fuisse antea in Ecclesia. Vide DD. citatos, & Auersam de Euchar. quæst. 8. sec. 6. §. primo ergò.

Colligitur secundo Quamuis Aliqui dixerint eum qui cõmunicat in statu peccati mortalis. & non præmissa confessione, duo peccata committere, Alterum contra præceptum dignè communicandi in statu gratiæ, Alterum contra præceptum tunc confitendi; nihilominus longè probabilius esse vnicum solum committere peccatum sacrilegij contra dignam Sacramenti sumptionem; Nam confessio præmitti iubetur propter dignam sumptionem, & vbi est vnum propter aliud, ibi est vnum tantum, atque adeò obligatio confitendi ex hoc præciso capite non distinguitur ab obligatione non indignè communicandi. Ita Vasq. Bonacina, Nugnus, quos citat, & sequitur Auersa de Euchar. q. 8 sec 5 §. Quarto, Torres cum Alijs, quos affert & sequitur Diana p. 3. trac. 4. resol. 35; & p. 9. trac. 3. resol 32.

DVBIVM II.

Qualis Confessio requiratur ante communionem ex vi præcepti supra explicati.

RESpondeo exigi veram, & validam Confes Sacramentalem cum necessarijs cõditionibus, de quibus agunt Doct. in tract. de pœnitentia, præsertim eam debere esse integram, Quare certum est non satisfieri eidem præcepto per confessionem fictam & sacrilegam sine dolore, vel integratè: quæ potius obstaret fini præcepti, Videlicet vt communicans se constituat in statu gratiæ certiori medio: siquidem per fictam confessionem & sacrilegam in deteriorē statum quis decidit. Ita omnes DD. supra citati, & infra citandi.

Prima Difficultas est. Vtrum si quis post legitimam confessionem etiam factam in ordine ad missam, vel communionem recordetur peccati mortalis obliti, teneatur illud confiteri ante Missam. vel Communionem.

Ratio dubitandi est; quia omissio inculpabilis (vt supponimus) illius peccati, non obstat valori Confessionis & remissioni eiusdem peccati obliti, saltem indirecte per infusionem gratiæ: ergo iam satisfactum est fini præcepti, videlicet vt communicaturus sit in statu gratiæ: ergo cessat obligatio nouæ confessionis ante Communionem.

Confirmatur: quia si quis ad implendum præceptum annuæ confessionis semel validè confiteatur, & ex obliuione innicibili omiserit aliquod mortale, cuius postea statim recordatur, hic inquam non tenetur iterum confiteri eodem anno ex vi eiusdem præcepti annuæ confessionis, sed sufficit si illud confiteatur in confessione sequentis anni: ergo pariter in casu nostro sufficiet peccatum oblitum confiteri cum vrgebit præceptum nouæ confessionis.

Respondeo Nihilominus, ex vi præcepti diuini supra explicati, teneri celebraturum peccatum illud oblitum confiteri ante Missam; Idemque asserendum de laico antè cõmunionem. Ratio est; quia præcipitur confessio ante communionem non solùm ob statū gratiæ ad quē sufficere potuisset contritio; sed etiā ad maiorem conscientiæ securitatem. Itē vt iudicio Sacerdotum approbentur singuli ad communionem, ne in rē tam sublimi quis proprio iudicio falleretur, iudicans se dignum et absque impedimento, quādo re vera est indignus et idcirco requirit, vt quilibet directè subijciat clauibus singula peccata mortalia, quo-

rum recordatur antè communionem: ergo qui semel confessus est, & postea recordatur noui peccati, tenetur iterum confiteri. Ex quibus patet ad rationem dubitandi; ita DD. communiter, quos referunt Diana p. 9. trac. 3. resol. 4. Auersa de Euchar. q. 8. sec. 6. §. secundo Cardinalis de Lugo de Euchar. disp. 14. qui n. 126. Addit se nullum in contrarium inuenisse. Ceterùm Diana, & Auersa supra Aliquos referunt in contrarium, & meritò reijciunt & afferunt oppositam sententiam non esse probabilem, & Diana notat eam esse deletam apud aliquos Auctores, vt constat ex Indice ex purgatorio Hispano.

An autem qui statim post primam Confessionem, statim iterum confitetur peccati obliti teneatur ad nouum actum doloris, vel sufficiat actus elicitus pro prima confessione, qui videtur moraliter durare; communiter DD. affirmant requiri nouum dolorem, aliqui tamen negant id esse necessarium, qui videri possunt apud Dianam supra resol. 5.

Secunda Difficultas. Vtrum peccata dubia sint necessariò confitenda antè Missam, vel communionem?

Respondeo affirmatiuè, loquendo de peccatis mortalibus; Tum quia peccata dubia per se pertinent ad integritatem confessionis, vt probant communiter DD. in trac. de pœnitentia; Tum quia dubius de peccato mortali est consequenter dubius de statu gratiæ, ergo tenetur illud confiteri in casu nostro qui vult cõmunicare. Probatur consequentia: quia tenetur procurare statum gratiæ tanquam dispositionem necessariam ad communionem, non solum per contritionem, sed etiam modo certiori, nempe per confessionem.

Nec obstat Tridẽtinum dicens obligari hoc præcepto eum, qui sibi conscius est peccati mortalis: qui autem dubitat non dicitur sibi conscius; quia verba Tridentini intelligi debent de qualibet noticia prudenti & sufficienti, quam quis habet de suis peccatis; Itaque qui sibi conscius est peccati mortalis certi, tenetur illud vt certum fateri, qui vero conscientiam habet peccati mortalis dubij tenetur confiteri vt dubium. Ita DD communiter apud Dianam p. 5. trac. 14. resol. 34. & p. 9. tract. 3. resol. 6.

An autem qui confessus est peccatum vt dubium, si postea comperiat illud esse certum, teneatur iterum confiteri vt certum; Variant Doctores; quos affert idem Diana p. 9. citata eadem resol. 6. vbi videri possunt.

DVBIVM III.

De Causis excusantibus ab hac obligatione præmittendi confessionem Sacræ communioni, et Primo Qualiter excuset inopia seu Carentia confessarij.

PRæceptum de quo loquimur, quamuis diuinum, admittit tamen causas excusatas, sicut communiter admittunt alia præcepta positiua; & ideo si desit copia Confessarij, vt vrgeat necessitas celebrandi vel communicandi, non peccat celebrans vel communicans absque præmissa confessione, modo sit contritus, vt declaratur in eodem Tridentino sess. 13. cap. 7 & in nostra rubrica num. 2. ex quibus etiam constat requiri duplicem conditionem, vt quis excusetur à peccato. Prima vt non sit copia confessarij. Secunda vt adsit vrgens necessitas celebrandi. In hoc autem dubio dicemus de prima, in sequenti de secunda.

Respondeo quando non potest haberi confessarius, vel non nisi cum notabili difficultate & incommodo, licitum est in casu necessitatis celebrare cum sola contritione absque Sacramentali confessione. Probatur, quia ex Tridentino inopia confessoris excusat à transgressione huius præcepti; sed posita notabili difficultate habendi confessarium verificatur inopia confessoris, seu deest illius copia; ergo sic celebrans excusatur & non peccat. Idemque dicimus de laico similiter communicante. Probatur minor, quia moraliter dicitur deesse quod haberi non potest sine magna difficultate, vel notabili incommodo: Certum est autem illam propositionem concilij, modo non desit copia confessoris, moraliter esse intelligendam non vere phisicè; cum simus in re morali. Ita Suar de Sacram. disp. 66. sec. 4. Bonacina de Euchar. disp. 4. quæst. 6. punc. 1. Auersa de Euchar. quæst. 8. sec. 6 §. certa vera, cum alijs communiter, quos citat, & nos infra citabimus,

Colligitur primo Quid sit dicendum Si in Pago, vel Villa vel simili loco vbi vrget necessitas celebrandi nullus adsit, qui possit audire confessiones, an teneatur Celebraturus adire Ciuitatem vel locum viciniorem, vbi confessarius non deerit, & quæ distantia excuset à præcepto confessionis. Aliqui enim assignant tria millaria, vel similem distantiam, qua posita censetur deesse copia confessarij, atque adeo excusabitur celebrans ab eo præcepto. Ceterum dicendum est non posse certam

tam regulam assignari; nam Sacerdos robustus sereno tempore si facilis sit via absque difficultate illud iter trium milliariorū conficiet, & ideo si non sit periculum in mora tenebitur querere confessarium, quia non dicitur moraliter impotens; secus de Sacerdote infirmo vel alias impedito, itaque prudentis arbitrio hoc decernendum erit attentis omnibus circumstantijs tum temporis, tum personæ, tum difficultatis itineris, & periculo quod ex mora immitet. Ita Suar: Bonacina locis citatis, Vasquez disp. 209 Fagundez Præcepto 3. lib. 3. cap. 9. & communiter.

Colligitur Secundo excusari quoque à peccato celebrantem in necessitate absque Confessione, si adsit quidem Sacerdos, sed vel excommunicatus vitandus, aut aliàs carens Iurisdictione. Vel secundo alius malæ famæ, à quò pœnitens rationabiliter timeat reuelationem Confessionis, vel graue aliud incommodum. Vel tertio Aliquis, qui non nisi per interpretem possit percipere, vel tandem qui vel non possit, vel nolit audire confessionem: quia verè deest copia Confessarij moraliter, nec potest Celebraturus absque notabili incommodo confiteri. Ita Suarez, Vasquez, Fagundez, & Alij supra citati, quibus Adde Auersam de Euchar. q. 8 sec. 6. §. certa verò inopia, Tamburinum Opusc. de commun. cap. 1. § 6. num. 18. Coninch q. 80. num. 19. Qui etiam addunt in casu quo pœnitens timet reuelationem alicuius peccati, vel aliud graue damnum, si non habeat nisi solum illud peccatum, posse confessionem omittere, quia moraliter non habet copiam Confessarij: si tamen habeat alia mortalia quæ possit sine periculo confiteri, eum non excusari ab horum confessione: quia adhuc confessio erit formaliter integra, dum confitetur quæ moraliter potest; Quando autem quis excusatur à Confessione mortalium, non tenetur sola venialia confiteri, nisi prudenter timeret se solum esse attritum, & carere contritione: quia tunc debet confiteri venialia, etiam simplici Sacerdoti deficientibus alijs, vt fiat moraliter certus de statu gratiæ. Vide Suar, Coninch suprà, & Auersam de Sacram. pœnitentiæ q 17. sec. 9. § supposito autem; quamuis Aliqui probabiliter negent posse tunc fieri confessionem simplici Sacerdoti.

Colligitur 3. quid dicendū Quando pœnitens cōfes non absoluitur; Et quidem si absolutio negetur iniustè, nec adsit alius Confessarius à quo possit obtineri, censetur deesse Confessarius, ac subindè dum vrget necessitas, licebit contrito communicare; Sic Ioannes Sanchez disp. 32. num. 4. Si verò iustè negetur ob indispositiobem pœnitentis, non erit communione dignus, qui culpa sua non est dignus absolutione. Quòd si contingat vt pœnitens post inueteratam alicuius peccati reincidentiam, verè doleat de peccatis, & firmum propositum habeat non relabendi; Nihilominus tamen Confessarius iustè deneget absolutionem donec certior fiat de dispositione pœnitent's per experientiam aliquorum dierum; tunc vrgente necessitate communicandi posse istum non absolutum communicare censent Io. Sanchez suprà n. 2. & 3. Manuel in sum. com. 1. c. 65 n. 1. Raguci. de Euchar q. 20. 22. 14

Hinc fit, Si quis Sacerdos data opera priùs induatur sacris vestibus quàm adeat Confessarium, vt sic illum cogat ad impendendam absolutionem, non ideo debere Confessarium absolutionem impendere Sacerdoti, qui post multas monitiones & promissiones non resipuit. Moneat tamen illum si verè contritus est, celebrare posse ad grauem infamiam euitandam; Sic enim Pœnitentis necessitati subuenitur per contritionem & communionem, & Confessarius prudenter fungitur officio suo non absoluendo talem relapsum, donec experientia temporis alicuius testetur firmum propositum ipsius. Ità Manuel suprà, Ioan Sanchez, cum Alijs n. 5. qui subdit num 6. si quis sit moraliter certus se à nullo Sacerdotum præsentium absoluendum forè, posse sine confessione communicare propter euitandam infamiam; Quia confiteri peccata non impensuris absolutionem ad nihil deseruiet; nisi ad infamandum se coram illis. Rursus n. 7. inquit cum Medina, si pœnitens habeat quatuor mortalia, timeatque propter vnum se non absoluendum esse, debere confiteri alia tria, tacendo quartum, dum vrget communicandi necessitas: Sic enim facit confessionem formaliter integram.

Colligitur quarto Reijciendos esse nonnullos casus qui ab aliquibus recensentur, nempè excusari à confessione, qui licèt habeat copiam Confessarij, tamen in proximo post communionem expectat alium, cui vtilius confiteretur, quia est suus ordinarius confessarius &c. Item si Regularis nimis erubescat confiteri extero sacerdori, vel si quis timeat deteriorem opinionem apud Confessarium, quod tamen est onus intrinsecum confessioni; nonnunquam admitti possunt prædicti, & similes casus, & verè carent probabilitate, quia carent notabili difficultate, quarè vel differenda est communio, si fieri potest, vel præmittenda Confessio. Suar. Vasq. Coninch, Auersa locis citatis, & Alij communiter. His Positis, in quibus conueniunt DD. communiter.

I. DIFFICVLTAS EST.

Quid agendum in casu, quo adest quidem Confessarius, sed non habens facultatem absoluendi à peccatis reseruatis, quibus celebraturus ligatur, & vrget necessitas celebrandi, vel communicandi.

QVo circa Triplex est sententia.

Prima asserentium debere confiteri inferiori reseruata & non reseruata, vt absoluatur directè à non reseruatis, & indirectè à reseruatis.

Secunda existimantium posse communicare cum sola contritione, non tamen posse cõfiteri inferiori: quia inferior non potest validè absoluere à non reseruatis.

Tertia aliorum asserentium in eo euentu nõ obligari ad confitendum peccata reseruata à quibus inferior non potest absoluere; obligari tamen ad dicenda confessario peccata non reseruata à quibus absoluere potest; placet mihi resolutio Diana infra tract.4. resol.104 quamlibet harum sententiarum tuto posse sequi, sic enim ait; Ex quibus omnibus apparet, pœnitentem habentem casum reseruatum etiam cum excommunicatione, vrgente necessitate ad celebrandum vel communicandum, posse vt sibi magis libuerit vel expedierit, aut confiteri peccata non reseruata, seu simul reseruata & non reseruata, vel elicere actum contritionis, & sine præuia confessione. Neque his obstat Tridentinum sess.14. cap.7. vbi ait extra mortis articulum Sacerdotem inferiorem nihil posse in casibus reseruatis: Nam intelligendum est nihil posse directè, potest tamen indirectè: si quis enim immemor reseruatorum, confiteatur non reseruata, certissimũ est indirectè absolui à reseruatis: ergò quamuis inferior Sacerdos nihil possit directè in reseruata, poterit tamen indirectè, ita Diana p.3. tract.4. resol 104. & p.9. tract.3. resol. 11. cum alijs, quos citat, Auersa de Sacram. Pœnitentia q.17. sec.9. §. & ita quidem, Tambur. Opusc. de commun.cap.1.§.6. num.20. Magis autem exacta huius rei tractatio pertinet ad tract. de Sacram. Pœnitentiæ.




II. DIFFICVLTAS.

Quid si celebraturus inciderit in excommunicationem reseruatam, nec possit adire superiorem, quando vrget necessitas celebrandi, an teneatur confiteri Sacerdoti habenti facultatem in alia peccata non reseruata.

REsp. eodem modo vt sup. philosophandũ est de eo qui habet excõmunicationem reseruatam vrgente necessitate communicandi, & carente copia superioris legitimi, posse quidem in tali casu cum contritione communicare, vel posse confiteri non reseruata Sacerdoti inferiori, à quo absoluetur directè ab illis, & indirectè à reseruatis, licèt maneat adhuc excommunicatus. Excommunicatio enim sicut propter vrgentem necessitatem non priuat illum tunc receptione Eucharistiæ, ita ob eandem necessitatem nec priuat receptione Sacramenti Pœnitentiæ. Quæ doctrina simili modo fundatur in varietate & diuersitate sententiarum aliquorum negantium posse confiteri vt absoluatur directè à non reseruatis, aliorum verò affirmantium: ita Diana par.9. tract.3. resol. 11. fine, Tambur. & alij supra citati.

Colligitur: Regularem qui per pium confessarium non potuit obtinere licentiam à Superiore vt absoluatur a reseruatis; si absque nota non possit omittere sacrum vel communionem, posse aliquo ex prædictis modis vel communicare cum sola contritione, vel confiteri sola non reseruata, vel simul etiam reseruata, super quæ cadet indirectè absolutio, & hoc etiam si peccata reseruata adnexam habeant excommunicationem, vel aliam censuram reseruatam; quamuis enim posset confiteri Superiori, quia tamen inter regulares hoc censetur notabile incommodum, ideò censent probabiliter DD. illum carere copia Confessarij. Imò in hoc casu probabile est eundem religiosum posse directè absolui à reseruatis petita & non obtenta licentia, ex Constitutione Clementis VIII. nedum vna vice tantum, sed toties quoties, vt fusius explicat Diana p.9. tract. 3. resol 15. cum alijs, quos citat.



DV-

DVBIVM IV.

De altera causa excusante ab eodem praecepto, quae est necessitas vrgens.

RÉspondeo, vt possit quis licitè communicare absque praeuia confessione praeter inopiam Confessoris, requiritur vt inducatur ad communicandum graui aliqua necessitate, alias peccaret mortaliter. Probatur: tum quia praeceptū hoc praemittendae confessionis ante communionem est graue, & Iuris diuini; Ergo requirit grauem causam excusantem. Tum quia Trid. sess. 13. cap 7. eam explicans loquitur de vrgenti, & consequenter graui necessitate. ita DD. commun. Suar. de Sacram. disp. 66. sec. 4. Vasq. disp. 208. cap. 2. Bonacina de Euchar disp 4. q 6. punc 1 Diana p. 9. trac 3. resol. 13. & alij, quos infra citabimus. Sub hac autem causa necessitatis in genere plures assignari solent à DD. in particulari, videlicet Primo instans mortis periculum. Secundo periculum scandali. Tertio periculum infamiae Quarto graue aliquod incommodum temporale, vel spirituale. Tandem aliae causae minoris momenti, quas singillatim examinabimus.

PRIMA CAVSA EXCVSANS.

Instans mortis periculum.

HAec causa admittitur ab omnibus constat enim esse grauissimam, quamuis enim communio in articulo mortis non sit necessaria necessitate medij ad salutem; est tamen necessaria necessitate praecepti, & medium efficacissimum ad succurrendum periclitanti in mortis angustijs. Vnde colligitur. Primo si alicui mors inferenda sit nisi celebret, aut communicet: illum posse celebrare vel communicare absque praemissa confessione, si non sit copia confessoris, dummodo comminatio mortis non fiat in contemptum Religionis vel legis. Idemque dicendum de quolibet qui est morti proximus, atque adeo constitutus in articulo sumendi viaticum, siuè mors imminat ex causa naturali, siue violenta ob sumptum venenum. aut alias quomodlibet: quia eadem est ratio. Ita Leander, Lessius, Garxia. & alij, quos citat & sequitur Diana p 9. tract. 3. resol. 16. Auersa de Euchar. quaest. 8. sec. 6. §. quarto ergo Suar. Vasq. Bonacina initio, citati, & alij communiter.

Colligitur secundo Posse quoque Sacerdotē celebrare absque praeuia confes. ob necessitatē dandi viaticum moribundo, si videlicet non suppetat copia confessarij, nec sint aliae hostiç consecratae in sacrario: quia illa necessitas proximi, tanquam, propria estimanda est, & charitas tunc vrget: Ita Sua. Fagundez, Cardinalis de Lugo, Tannerus, & alij, quos afferr Diana supra resol. 17. Auersa loco citato, & communicet, quicquid alij negent. Nec obstat quod in eodem casu non est licitum Sacerdoti celebrare absque vestibus sacris, vel sinè Altari &c. Respondetur enim esse disparem rationem: quia irreuerentia, quae oritur ex omisione sacrarum vestium non potest aliunde compensari: sicut potest omissio confessionis compensari per contritionem, vt fusius explicat Cardinalis de Lugo de Euchar. disp. 14. sec. 5. num. 108.

Colligitur tertio etiam si Sacerdos esset excommunicatus, eum posse celebrare ad praebendum viaticum moribundo: quamuis ob inopiam Confessarij, vel alterius habentis facultatem non possit prius absolui ab ea, vel alia censura: quia haec non obligat in casu necessitatis, Ita Cardinalis de Lugo supra num. 111. fauent Auersa de Euchar. quaest. 8. sec. 6. §. quod si poenitens, & Tambur. Opusc. de commun. cap. 1. § 6. num. 26. & 44. quatenus cum Alijs asserunt eamdem necessitatem excusare excommunicatum & simpliciem peccatorem quoad receptionem Eucharistiae, & eadem est ratio de administratione. An autem praedicta vera sint etiam de excommunicato vitando seu denuntiato, non explicant DD. praedicti, sed loquuntur simpliciter de excommunicato, quare idem videtur dicendum, de excommunicato vitando: quia prohibitio excipit casum necessitatis. Certè in casu extremae necessitatis id concedi debet, vt videri potest apud Dianam p. 5 trac. 9. resol. 96. Tandem Aduertendum in praedicto casu administrandi Eucharistiam moribundo, quando sunt Aliae hostiç iam consecratae in sacrario, posse licitè ab excommunicato praeberi viaticum praemissa contritione, si non possit prius absolui à censura: non tamen posse fieri sacrum, & celebrari Missam, quia nulla vrget nessitas celebrandi.

SECVNDA CAVSA.

Periculum Scandali.

SI ex omissione Missae, vel Communionis secuturum sit scandalum; quia Alij indè sument occasionem temere iudicandi, vel mur-

mutmurandi, & consequenter infamandi sacerdotem omittentem Sacrum, vel alium omittentem communionem; tunc ad vitandum hoc malum, & peccatum proximorum, poterit licitè Sacerdos celebrare absque confessione si non suppetat copia confessarij. Ratio est: quia scandalum ex obligatione Charitatis vitandum est, cum afferat magnum & spirituale nocumentum proximo: ergo adest hic grauis necessitas, vndè obligatio prædicta charitatis præferri debet obligationi Religionis præmittendi confessionem sacræ communioni. Ita ex communi sententia docet Suar. disp. 65. sec 6 §. Quarto etiam, vbi citat Cordubam, tenent etiam Bonacina de Euchar. disp. 4 quæst. 6. punc. 1. & alij: quos citat & sequitur Fagundez Præcep. 3. lib. 3. cap. 9.

Difficultas hic est. An sit causa excusans nedum Scandalum propriè dictum, videlicet occasio quæ datur alij peccandi, sed etiam quædam Populi Admiratio? Negat Suar. supra cum alijs: quia sola admiratio non affert aliquod notabile nocumentum, neque est res magni momenti: Econtra Fagundez cum alijs concedit.

Respondeo si Admiratio præcise sumatur, quatenus sequi potest seiuncta ab omni peccato saltem graui, vel absque molestia aut perturbatione, vel simili notabili incommodo, tunc est absolutè vera opinio Suar. quam sequuntur communiter. Si verò sumatur quatenus moraliter coniuncta cum graui detractione vel perturbatione aut simili incommodo præferenda est secunda sententia Fagundez, & aliorum, quos affert Diana p. 9. trac. 5. resol. 20 nec Suar. in hoc sensu dissentit. vide Dianam loco citato vbi fusius rem explicat.

TERTIA CAVSA.

Periculum infamiæ.

Si quis omittendo communionem, vel se subtrahendo à celebratione Missæ rationabiliter timeat detrimentum suæ existimationis. & famæ, potest licitè celebrare vel communic. si ob inopiã confess. nõ posset præmitte re confessionem.: quia detrimentum famæ est damnum notabile, & ideo ea necessitas censetur vrgens, & grauis Ita D D. communiter.

Colligitur primo si Sacerdos inchoata iam Missa, seu constitutus in Altari recordetur peccati antea non confessi, nec absque nota infamiæ possit accersere confessarium, aut ab Altari recedere, eum posse prosequi Missam in quacumque parte illius sit etiam in principio; docent omnes communiter; quia vrget necessitas vitandi infamiam, quod si non vrgeat hæc necessitas; quia quis celebrat E. g. in priuato Sacello variè opinantur D D. Aliqui enim censent antè consecrationem teneri Sacerdotem recedere ab Altari si non possit habere confessarium, Ita Vasq. initio citatus, & cardinalis de Lugo supra; Alij melius eum non teneri recedere ab Altari, sed solum accersere confessarium si eum possit habere, quòd si habere non possit, licitum ei esse prosequi Missam elicito actu contritionis; Ita Suar. disp. 66. citata, sec: 4. cum Alijs; sed Nos cum pluribus DD. defendimus ad neutrũ teneri, etiam si non vrgeat necessitas vitandi infamiam, sed ob solam reuerentiam sacrificij iam inchoati, ne deseratur imperfectum, vel interrumpatur, vt diximus p. 2. tit. 3. sec. 2. dub. 3. Monet tamen rectè Diana p. 3. trac 4. resol. 48. fine, in Missa solemni inter concionem, vel longiorem cantionem E. g. si celebrans indicto casu possit commodè confiteri absque nota infamiæ, eum teneri, quia cessat ratio non interrumpendi sacrum.

Colligitur secundo. Si quis laicus accessit ad locum communionis, & ibi recordatur mortalis non confessi, communiter dicunt DD. quando communio fit publicè non debere recedere, quia regulariter sequetur infamia, nec expedire vt ibi de peccatis audiatur, sed potius vt communicet præmissa contritione, vel etiam non præmissa, si iam confessus est alia peccata cum vniuersali cunctorum detestatione, sic asserunt Bonacina cum multis supra n. 17. Cardinalis de Lugo n. 113. Filliucius n. 215. Addunt Henriquez lib. 8 cap. 46. n. 3. Victoria in sum. n. 79 Regin. lib. 29. n. 105 etiam seclusa nota, vel scandalo posse talem sine præuia confessione communicare: quippè iam est iustus vel per contritionem, vel per confessionem aliorum peccatorum; & aliundè cùm iam actio sacra communicandi quodammodo sit inchoata, non debet recedere donec perficiatur.

Dicendum est tamen, si communio fiat ita secretè, vt nullum sit periculum infamiæ vel scandali, securius, & probabiliùs est, relinquendam vel differendam esse communionem, donec præmittatur; confessio; Quia tunc magis vrget præceptum Confessionis, quàm perficiendi talem actionem. Etenim indecentia recedendi, vel est nulla, vel tam parua moraliter, vt non excuset à tam graui præcepto. Ità Fillincius, & Bonacina suprà, Vas-

Vasquez n. 10. Suar. disp. 66. sec. 4. Fagundez Præcep. 3 lib. 3. cap. 9. n. 14. Non est tamen oppositum improbabile, vt notat Fagundez, & insinuat Suarez præsertim si iam sacerdos incœpit actionem sacram, E. G. si consecrauit formulam ad hunc effectum, vel Pyxidem eduxit, tunc enim apparet aliqualis indecentia. Quarè prudenter monet S. Bonauentura in 4. dist. 2. vt fidelis prius quam accedat ad communionem diligenter se probet, postea vero nè cogitet de probatione, sed de altitudine misterij, quoniam id cedit in maiorem reuerentiam Eucharistiæ.

Colligitur Tertio si puella manè communicatura coram suis, deprehendatur à confessario defecisse in prioribus confessionibus, vt propterea necesse sit illas repetere, nec possint tunc omnia peccata in memoriam reuocari Aut Alio ex capite huiusmodi angustia contingat; Poterit inquam cum dimidiata confessione, & recepta absolutione cum proposito confitendi postea cætera, recipere Eucharistiæ Sacramentum, Ita cum Alijs Auersa de Euch. q. 8. sec. 6 §. posset etiam.

Idemque dicendum in similibus casibus, vt si delato Sacramento ad infirmum hic dicat se velle reconciliari inueniaturque præteritas cōfessiones inualidè fecisse, idem enim remediū adhibendum, Ita Auersa de Euchar, quæst. 8. sec. 6. §. posses, Zambaranus de Sacram. pœnit. cap. 4. dub. 6. num. 9. Tambur. Opusc. de commun. cap. 1. §. 6. num. 36. Diana par. 5. trac. 2. resol. 75.

QVARTA CAVSA.

Obligatio seruandi aliud præceptum præponderans.

Censetur etiam vrgens necessitas in casu nostro obligatio seruandi aliud præceptū quod strictius obliget etiam si non sit superioris iuris: quia videlicet moraliter minùs malum existimatur celebrare absque præmissa confessione cuius effectus suppleri potest contritione, quam omissio alterius præcepti, etiā Ecclesiastici, quæ aliunde non suppletur; quāuis Aliqui negent, & in assignandis casibus non modica est controuersia inter DD, quorum præcipuos breuiter hic examinabimus.

Prima difficultas. Si vrgeat præceptum audiendi sacrum in festo; & parochus vel alius Sacerdos celebraturus non habeat copiam confessarij. Quæritur an possit celebrare absque præmissa confessione, ne Populus priuetur sacro.

Constat inter omnes DD. concurrente nota vel scandalo posse celebrare non præmissa confessione: secluso tamen periculo notæ vel scandali negant Vasq supra num. 8 Cardinalis de Lugo num, 144. Probatur: quia populus non peccat si non audiat Sacrum in festo quando per ipsum non stat, & Sacerdos quamuis sit Parochus non tenetur coram populo celebrare, nisi quando ritè potest. Confirmatur nam si Parochus in die festò cōmisisset manifestum crimen, aut publicè denunciaretur excommunicatus, non potest licitè celebrare non confessus, vt populus Missam audiret: Ergo sola necessitas faciendi sacrum, quod populus audiat in festo, non excusat Sacerdotem à confessione præmittenda.

Affirmant Fagundez supra num. 13. & Diana p. 2. tract. 14 resol. 64. Probatur: quia licet populus non peccet nō audiens tunc sacrum; at priuatur spirituali fructu, quem ex auditione sacri perciperet, pluribus forsan necessariū ad fouendas seu reparandas animæ vires. Cōfirmatur: Nam spiritualis necessitas proximorum reputari debet quasi propria; sed sacerdos in die festo, si non potest audire missam nisi celebret, potest celebrare non confessus: ergo pariter potest, vt audiant alij. Minorem docent Henriq lib. 8. cap. 46. n. 5. Fagundez supra n. 5. Diana resol. 63. cum multis, & probant, quia tunc potest sacerdos implere commodè præceptum Ecclesiæ, quod obligat eo tempore, nec aliunde violat præceptum confessionis ob impotentiam confitendi. Contrarium censent Suar. cum alijs disp 66. sec. 4. Filliuc. tr. 4. n 217. Coninch. q. 80. n. 17. Villal. p. 1. tra. 7. diff. 37 nu. 2. Bonac. cum multis disp. 4. q. 6. p. 1. nu. 25. Probatur, quia præceptum Ecclesiasticū audiendi missam, tunc non potest conuenienter impleri; nec est tam strictum vt obliget ad faciendum sacrum sine præuia confessione. Mihi præferenda videtur sententia affirmans. Certè sacerdos siue Parochus, siue non Parochus rarissime relinquet in festo populum sine missa, quin incurrat aliquam notam; vnde potest omittere confessionem. Deinde seclusa etiam nota infamiæ censeo Parochum posse celebrare sine præuia confessione; nam obligatio Parochi erga subditos videtur strictior, quàm obligatio præmittendi confessionem communioni; quod indicat Trid. sess. 13. cap 7. dum ait, Etiam sacerdotes quibus ex officio incumbit celebrare confessionem præmittant, modò non desit illis copia confessoris. Idem erit consequenter quoties Parochus, vel ad cōmunicandos subditos tempore Iubilei, vel simili titulo sui muneris celebrare debet eo die quo non habet copiam confessarij: sic tenent Suar. Henriq. Fagund. supra Bonac. n. 23. Azorius tom. 1. lib. 10. cap 31. q. 3. Reginald. lib. 29. num. 107. cum alijs.

Fun-

Fundamentum oppositum non vrget; nam in eo casu sequeretur infamia vel scandalum, si sacerdos notoriè prohibitus celebraret. Quando vero sacerdos non est Parochus, aut quando non potest audire missam in festo, nisi celebret; vtraque pars est æquè mihi probabilis. Nam hoc valde pendet à iudicio prudentum, & multi DD. præceptum præmittendi confessionem ante communionem non tam strictum reputant, vt non facile cedat alijs præceptis de qua te fusè Diana parte 9. tra. 3. resol. 9.

Tandem quando sacerdos defert Eucharistiam moribundo, qui dicit ante comunionem velle se reconciliare, fateturque se fecisse multas confessiones inualidas, quæ repeti non possunt sine longa mora, & infamiæ nota, tunc dicunt Zambran. cap. 4. dub. 6. num. 7. Granad. 3. p. controu. 7 tract. 9. disp 5 sec 3 nu. 20. Diana par. 5 tra. 3. resol. 75. Si morbus inducias præbeat ad postea confitendum integre, monendum esse infirmum vt eliciat actum veræ contritionis, & communicet non confessus ad euitandam infamiam; & postea sub aliquo prætextu vocet Confessarium, & integrè confiteatur. Si morbus nō præbeat tales inducias, audiat illum Confessarius per dimidiam horam, saltem confusè percipiens grauiora peccata, & post impensam absolutionem det ipsi viaticū, & simul iniungat vt si vixerit aliquo tempore, Confessarium accersat, & plene confiteatur. Sic enim ministrantur infirmo Sacramenta necessaria, & vitatur infamia, dimidia tunc confessione.

Secunda difficultas. Si vrgeat obligatio communionis Paschalis, nec habeatur copia Confessarij esse necessitatem sufficientem ad communicandum absque præuia confessione, affirmant Palud in 4 dist. 9. q. 4. Silu. verb. Euchar. 2. num. 9. Viuald. de Euchar nu. 123 Henriq. lib. 8. cap. 46 §. 4. lit M. Diana par. 5 tract. 13. resol 63. Coninch. q 80. art. 4. dub. 2. num 17. Lugus disp. 14. num. 116 Sed melius id negant, seclusa scilicet alia ratione scandali, vel infamiæ Sotus in 4 dist. 12. quæst 1. art. 12. D Antonin. 3 p. tit 13. cap 6. § 7. Valent. q. 8 punc 3. vers. Non sunt autem, Suar. disp. 66. sec. 4. vers. Maior difficultas, Nugnus art. 4. vers. ad cognoscendum, Siluius eod. art dub. 2. Corduba in sum. q. 142. Bonacina q. 6 de Euchar. punc. 1. num. 15. Angles in Florib. q 2. de Euchar. art. 4. diff. 3. Rodriq. in sum. cap. 65. nu. 1. & alij Præualet enim præceptum non communicandi absque præuia confessione, alteri præcepto non differendi communionem vltrà dies præscriptos in Paschate. Quod (omissa comparatione præcepti diuini, & Ecclesiastici) vel ex eo colligitur; quia lex ipsa præscribens tēpus paschale in cap. omnes concedit ex rationabili causa iudicio proprij sacerdotis posse differri: quare eo magis potest ac debet differri, donec habeatur copia sacerdotis, cui fiat confessio: nec est putandum voluisse Ecclesiam ita obligare ad illud tempus, vt non debeat potius expectari copia Confessarij.

Tertia difficultas de illis, qui celebrant ex onere Cappellaniæ, vel ex indigentia eleemosynæ ad sui necessitatem, & sustentationem? Aliqui cum Bonacina ad hos etiam extendūt hanc facultatem celebrandi sine confessione cum contritione, si desit Confessor, etiam cessante notæ periculo: quia iudicatur adesse sufficiens necessitas. Aduertit tamen idem Bonacina id esse cum grano salis intelligendum, nec tanta licentia facilè concedenda: tum quia onera Cappellaniæ intelliguntur data sub debita decentia, & poterit illis melius postea, vel per se in statu gratiæ, vel per alium satisfieri: tum quia poterit aliundè ille sacerdos sibi alimentis prouidere; Hæc ille. Ego sanè in habente onera missarum sufficientem necessitatem non agnosco. In sacerdote inope tum demum agnoscerem, cum ageretur de extrema, vel certe multum graui necessitate, Videndus Diana p. 9 tr. 3. res. 14.

V. ALIAE CAVSAE.

Minus sufficientes reijciuntur.

Tandem à quibusdam Authoribus recensentur nonnullæ aliæ causæ siue casus, in quibus dicunt posse fieri sacrum non præmissa confessione, qui tamen ab alijs communiter merito improbantur, & reijciuntur. Primo opportunitas communicandi in festo solemni. Secundo, si quis ex voto vel præcepto regulæ obligetur ad communionem, & desit Confessarius. Tertio, si quis celebraturus erat pro anima alicuius defuncti, quæ creditur indigere, vel in die depositionis, vel ad benedicendas nuptias. Prædicti inquam casus communiter reijciuntur; atque asserendū est non esse licitum celebrare, nisi timeretur periculum infamiæ, vel scandali, de quo supra. Cæterum secluso eo periculo cauenda est nimia licentia, quæ cedere potest in contemptum tanti mysterij. Et quidem Tridentinū requirit necessitatem simpliciter, vnde in prædictis casibus si non potest præmitti confessio, differri debet communio & omittendū sacrum. Vide Suar. Bonac. Auersa, Tambur. locis supra cit. & tandem Dianam p. 9. trac. 3. res. 13. vbi agit de prædictis, & similibus casibus.

DVBIVM V.

An obliget præceptum contritionit ante missam vel communionem, quando eidem non præmittitur confessio.

SVpponendum ex dictis sec. 2 per se requiri gratiam incommunicante, vnde fit cum vrget necessitas communicandi, nec potest præmitti confessio teneri communicaturum elicere actum contritionis, vt eum D. Thom.3.p.q 80.art.4.ad 3 docent communiter DD.apud Suar.in 3 p.tom.3.disp.66.sec.5. & habentr in his rubricis de defectibus nu. 3 & sequentibus.

Prima difficultas est,an qui prius confessus fuit,postea recordatur pecc.mor. obliti,quod iam confiteri non potest,quia E.g. est in Altari, vel aliunde impeditur: An inquam teneatur elicere nouam contritionem ante communionem(supponimus autem priorem confessionem fuisse validam.)

Prima sententia affirmat;quia necessarium est de peccatis pœnitere, sicut & confiteri nō solum ad obtinendam illorum remissionem, sed etiam ad præmittendam dignam dispositionem pro susceptione Sacramenti, ita Medina, Reginaldus, & alij apud Dianam par. 2. tr.14.resl.48.

Secunda sententia probabilior negat obligationem nouæ contritionis eliciendæ. Probatur: quia non est afferenda obligatio sub peccato mort. nisi de ea constet: non constat autem in casu nostro, quia cum illud peccatum iam fuerit indirectè remissum per confessionem antecedentem, cessat obligatio naturalis conterendi, quæ solum ordinatur ad obtinendam remissionem peccati. Præceptū verò diuinum positiuum non apparet: quia Deus non præcipit iustificatis contritionem, nisi quando confessuri sunt. Tandem nec dici potest vrgere præceptum Ecclesiæ,quę pręcipere non potest actus merè internos: ergo &c.Ita Diana sup.& p.5.tr.14.resl.5.Præpositus in 3. p q.80.ar.5.dub.3.n.15 Granado in 3. p. controu.6.tr.10.disp.7.n.14. Card de Lugo de Euchar.disp.14.sec 6.n.122.

Secunda difficultas. An celebrans qui recordatur in missa quod sit in pecc. mortali, teneatur statim elicere contritionem, antequam vlterius progrediatur.

Prima sententia affirmat statim debere cōteri, grauiterque peccare sacerdotem, qui deliberatè dicit in mortali partem aliquam notabilem missæ,dum commodè potest illicò per contritionem iustificari. Probatur; quia tota missa pertinet ad actionem sacrificandi, ergo sanctitas totius illius actionis exigit, vt sacerdos aduertens se fœdari pce morr. curet quamprimum conteri, & mundari. Ita Ludouicus de Ponte de perfect. Christ.to.4. tr.5. cap.3 .& fauet Caiet. in Opusc.to.2.tract. 10.

Secunda sententia probabilior sustinet satis esse ad vitandum pecc. morr. si celebrans conteratur antequam consecret; quod si talis memoria occurrat post consecrationem, poterit similiter celebrans prosequi missam, modò conteratur ante sumptionem. Probatur: Nam status gratiæ per contritionem acquirendus requiritur ex præcepto solum in conficiente, vel recipiente Sacramentum, nō verò in exercente alias actiones, etiam ordinis sacri. Ergo defectus contritionis in alijs partibus missæ non erit mort. pecc. ita Card. de Lugo loco supra citat.n.134. & docent alij DD. in simili de audiente confessionem, cui sufficit si conteratur ante absolutionem, vt videri potest apud Dianam p.1. tra.7. de circumstantijs resol.47.

DVBIVM VI.

Vtrum qui celebrauit sine prævia confessione teneatur quamprimum confiteri.

TRidentinum sess. 13. cap. 7. sic inquit, Quod si necessitate vrgente sacerdos absque prævia confessione celebrauerit, quāprimum confiteatur; vbi DD. communiter graue præceptum agnoscunt: & sic accepisse videntur regulæ Missalis, in quibus pro verbis illis. Quamprimum confiteatur, ponuntur hæc, Quamprimum debet confiteri, quæ clare exprimunt obligationem. Et quidem sæpe simplici verbo imperatiui modi præceptum imponitur, vt constat ex cap. Omnis vtriusque sexus de Pœnitent. & remiss. & ex multis eiusdem Trid. decretis de reformat; vbi simili phrasi traduntur varia præcepta. Quare communis Ecclesiæ sensus est ibi tradi præceptum obligans ex genere suo sub mortali, cum materia sit secundum se grauis. ita Suar.tom.3.disp.66 sec.7.Vasq.disp.208. nu.6. Filliucius trac. 4. num.222. Reginald. lib. 29. num.110.Coninch.q.80 art.5. num.24 Diana p.2 tr.14.resl.60.Card.de Lugo disp.14.n.135.

Non desunt tamen adhærentes oppositæ sententiæ quæ non agnoscit in verbis Concilij præceptum obligans, sed solum consilium,quam præcipue defēdit Tambur.Opusc. de commun.cap.1.§.6.n.48. Vbi sic ait, ali-

qui non agnoſcunt in his verbis præceptum obligans, ſed ſolum conſilium pium piamque adhortationem, & ad ſummum, ſi eſt præceptum eſſe ſolum putant ſub veniali. Ita tenet Petrus Ledeſma, & Henricus Villalobos, quibus poſſem libenter addere Stephanum Fagundez, qui quamuis in his Concilij verbis obligationem noſcat; tamen illam particulam quamprimum ita intelligit; vt dicat, Sacerdotem poſtea poſſe confiteri, quando voluerit iterum celebrare, etiam ſi id fuerit poſt duos, vel tres menſes; paremque in hoc facit Sacerdotem eum laicis; vtrique enim ante nouam communionem præmittere cõfeſſionem debent. Meritò ergo connumerare hunc Auctorem poſſem inter eos, qui eiuſmodi præceptum non agnoſcunt; cum obligationem, quam ait ſe agnoſcere, ita explicet vt in praxi vix agnoſcere, videatur. Scio à Io. Sancio abſolutè citari Stephanum Fagundez pro ſententia Ledeſmæ, & Villalobos, ſed ſi attente Stphanum legas, aduertes ab ipſo ſupponi quidem præceptum, ſed dicto modo explicari.

Equidem non poſſum priorem ſententiam agnoſcentem in illis verbis præceptum ſub mortali, non fateri probabilem eſſe: Aio tamen, & hanc non agnoſcentem eſſe probabilem.

Primò quia illud imperatiuum confiteatur quamprimum ſolùm eſſe videtur exhortatio: eum enim potuerit Cõcilium vti grauioribus verbis imperium explicantibus, vt E.g. Iubemus, præcipimus tamen ab huiuſmodi præcipiendi rigorè ſe temperauit. Signum ergò eſt vere non impoſuiſſe præceptum. Adde, quod DD quærunt vniuerſaliter, an verba imperatiui modi, & in actu exercito præceptum indicantia, abſolutè prolata, præceptũ contineant, qualia ſunt facite, cauete, ſoluite, abſtineant omnes, nemo audeat, & his æquipollentia Et primo ſunt aliqui, qui putãt probabiliter, hæc nequaquam cõtinere præceptũ ſed conſilium. Alij ſecundò probabiliter, cenſent quidem præceptum continere, ſed ſolum ſub veniali non autem ſub mortali. Alij denique tertio probabiliter item dicunt, prædicta imperatiua verba, tunc ſolum præceptum indicare ſub mortali, quando ſunt in materia graui, nec alias opiniones probabiles inuenies de hac re Iam ſi ſequamur primam opinionem; ſanè in re noſtra, hoc eſt in illo confiteatur quam primum, non inueniemus niſi conſilium. Si ſequamur ſecundam, non erit niſi obligatio ſub veniali. Si ſequamur tertiã, non erit mortale, quia vt probabimus mox n.54 materia in caſu noſtro non eſt grauis.

Secundo. In caſu dubio, an verba aliqua legis præceptum obligans importent, an conſilium, tanquam regulam certam putant DD. reputanda eſſe conſilia, & non præcepta. Et ratio eſt, quia cum lex ſit grauis, & onerosa, ſemper in benigniorem partem ſubditorum eſt intelligenda. Adde, quod In dubio melior eſt conditio poſſidentis: ergò in dubio, lex nè ſit obligans, an non obligans, melior eſt conditio humanæ libertatis, quæ à tali obligatione immunis eſt: ergo obligans non erit. Ita Sanchez, caſtro paolo, alijque & generaliter quoties verba legis intelligi poſſunt de obligatione veniali; non debent ad mortale extendi: quia ſemper in dubio, & in pœnis benignior interpretatio facienda eſt. His ex doctrina eorumdem, qui in noſtro caſu nobiſcum non ſunt, poſitis, ſic ſubſumo; Illa verba Concilij quamprimum confiteatur, dubia ſunt an Importent præceptum, an conſilium; ergò conſilium. Rurſus eadem verba poſſunt commodiſsimè intelligi de obligatione veniali, ergo non de mortali.

Tertio. Quia optabile eſt, vt enixè optat Nauar à legiſlatoribus neminem obligari ad peccatũ; & iuuat tot humanas leges ſub præcepto obligantes diminuere, nè tanta præceptorum multitudine Hæreis peiores efficiamur. Quare hoc de quo agimus præceptum, etiam diminuere opere pretium eſt. Nec Nauarri ſolum eſt eiuſmodi deſiderium, ſed S. Auguſtini, ſed S Thomæ: equos autem DD. quæ ſapientiæ lumina nomino, cum hos appello? Audi S.Thomam p.2.q.107. art.4. corp In quibus quidem legibus humanis, etiam Auguſtinus ait eſſe moderationem attendendam, nè conuerſatio fidelium onerosa reddatur: Hæc S Thomas; Et paulo poſt, tolerabiliorem vocat Iudæorum conditionem, quam illius Eccleſiæ in qua legum moderatio non adeſt. Hæc Tambur, cuius tamen ſententia tanquam improbabilis communiter reijcitur, vt videri poteſt apud Dianam p.9. tract. 3. reſol 22. Quare ſentiendum eſt cum cõmuni, & vera ſententia Initio explicata, ex cuius fundamentis facile diluuntur rationes Tamb.

His poſitis, difficultas conſiſtit in explicatione illorum verborum, quamprimum confiteatur, videlicet quanta poſsit eſſe dilatio confeſsionis poſt Miſſam finitam, & habitam copiã confeſſarij citra violationem huius præcepti. Aliqui enim nimis rigide obligant Sacerdotem ad confitendum ſtatim, ſeu immediatè poſt miſſam depoſitis ſacris veſtibus Alij iuſtò laxius dicunt, eum non teneri cõteri, niſi cum primum iterum celebrauerit etiamſi per plures menſes non eſſet celebraturus, vt videri poteſt apud Dianam p.5 citata tract. 3 reſol 23.

Re-

Respondeo enim communi sententia, sacerdotem in casu posito teneri quam primũ confiteri, idest non differre confessionem per longum tempus, atque adeò satisfacere si cõfiteatur intra triduum, nisi forsan priùs celebrare debeat. Probatur: quia quod fit intra triduum, dicitur incontinenti fieri l fin. C. de erroribus Aduoc. & l.fin. C.de Iudicijs, & in simili docet Sanchez lib 2.sum.cap.10. nu. 55.videlicet præceptum deferendi libros hæreticorum ad Inquisitores non violari grauiter ab eo, qui per biduum illos retinet. Hanc sententiam pluribus citatis defendit Diana l. c. resol.23. & in seqq. resol. nonnulla addit notatu digna, videlicet sub hoc præcepto nõ comprehendi laicos, neque sacerdotes celebrantes ex malitia in peccato mortali, & alia similia, quæ apud ipsum videri possunt.

DVBIVM VII.

De confessione venialium ante missam ex deuotione facienda, et de conditionibus ad eam requisitis.

Occasione eorum, quæ hactenus explicauimus de confessione peccatorum mortalium ex præcepto faciẽda ante missam vel communionem; addimus hic pauca de confessione venialium, quæ ex deuotione præmitti solet celebrationi missæ, vel communioni.

Certum est autem optimum esse consiliũ, vt etiam illi, qui peccati mortiferi sibi conscij non sunt; ad altare tamen ante non accedant, quam se per confessionem venialium reddiderint puriores, vt constat ex dictis p.2. tit 1. in expos. literæ n.1.

Prima difficultas hic examinanda est. An ad licitè obtinendam absolutionem sacramentalem, sufficiat confessio venialium in genere, nullo explicato in particulari, seu in specie.

Prima sententia ferè communis negat. Probatur primo, quia Sacramentum Pœnitentiæ institutum fuit per modum iudicij: iudicium autem per se requirit fieri de materia aliqua certa & determinata, & consequenter specifica, quando fie fieri potest: & solum in casu extremæ necessitatis admittitur confessio sub illa generalitate.

Probatur secundo, ex vsu, nullus enim sacerdos sic confitentem absoluit: nullus pœnitens sic vnquam confitetur sine expressione alicuius peccati in specie: ergo signum est generalem confessionẽ etiã de venialibus nõ esse sufficiẽtem materiam absolutionis extra casum necessitatis, ita Suarez de pœnitentia, disp.23. sec.1. num.10 Coninch. de Sacram. disp.7 dub.10. Bonacina de Sacram. disput. 5. sec.2.§ 3 diff.2. Diana pat. 3. trac 4. resol.66. Auersa de pœnit. q.10. sec.16. fine, quæ sententia tutior est & consulenda.

Secunda sententia affirmat. Probatur primo, qui confitetur sola venialia non tenetur explicare eorum numerum vt licitè absoluatur: ergo neque speciem eorundem, quia videtur par ratio.

Probatur secundo, in confessione venialiũ non vrget obligatio explicandi circumstantias mutantes speciem: ergo neque est obligatio confitendi aliquod in specie; quia non est maior ratio de vna specie, quam de alia.

Probatur tertiò, hæc sententia est speculatiue probabilis vt fatentur auctores primæ sententiæ præsertim Suar. l. cit. ergò etiam practicæ: probatur consequentia, tunc enim tantum in re morali dicitur aliquid speculatiue probabile, sed non practicæ, quando id quod in speculatione consideratur non potest exhiberi in praxi, quin aliqua contingat variatio, vnde superinducatur periculum alicuius mali: sed hoc non militat in casu nostro: quia confessio venialium in genere potest in praxi exhiberi eo modo quo speculatiue censetur sufficiens: ergo &c. Huic sententiæ valde fauet. D.Thom in 4. dist 21. qu.2. ar.1. ad 2. dicens posse generaliter fieri confessionem de venialibus & quamuis S.Doctor loquatur in casu, quo pœnitens explicat aliquod peccatum in specie & de reliquis venialibus se accusat in genere; nihilominus ex eius doctrina colligitur confessionem venialium in genere esse materiam directam absolutionis sacramentalis & consequenter per se sufficientem etiam si nullum veniale in specie explicaretur. Eandem sententiam absolute sustinet esse practicæ probabilem, Dicastillus de Sacram.tom.2. trac.8.disp.9. num.760. Homobonus apud Dianam supra, quatenus primam sententiam dicit tantum veriorem & tenent etiam alij quos tacito nomine citat Bonacina supra allegatus, quatẽ vt probabilis admitti potest, quamuis multo melius fit procurare, vt pœnitens semper explicet aliquod peccatum in specie.

Ad opposita, respondetur ad primum iudicium de re graui per se requirere, vt fit de delicto aliquo determinato in specie & in in particulari, cæterum quoad peccata leuia satis est accusatio in genere.

Ad secundum respondetur consuetudinem illam

illam fundari tum in opinione contraria, quę est magis communis: tum vt perfectiori modo administretur, & recipiatur Sacramētum; inde tamen non sequitur oppositum esse illicitum, vel nostram opinionem esse improbabilem.

Colligitur ex dictis idem quoque esse dicendum de peccatis mortalibus alias ritè confessis & absolutis, quia militat eadem ratio.

Secunda difficultas, an in confessione venialium sufficiat dolor virtualis E.g. si quis confiteatur sola venialia sine actuali complacentia eorum, cum desiderio recipiendi Sacramentum & eius effectum, sine formali & efficaci detestatione & dolore eorundem peccatorum. An hic valide absoluatur?

Aliqui affirmant, quos refert Diana par 9. trac.9.resol.31.Respondendum tamen est negatiue quia dolor formalis & efficax est de essentia Sacramenti pœnitentiæ: ergo ex eius defectu redditur idem Sacramentum omnino irritum; quamuis ergo nemo teneatur cōfiteri venialia; posito tamen quodquis velit ea adducere tanquam materiam Sacramēti per confessionem, & de illis sacramentaliter absolui; tenetur etiam de illis conteri vel attritionem formalem habere, alioquin sacrilegium committet ob irritationem Sacramenti.quæ sententia communis est, vt videri poterit apud Dianam supra & apud Card. de Lugo de Sacrament. Pœnitentiæ, disput. 14. sect.8.

TITVLVS IX.

DE DEFECTIBVS DISPOSITIONIS CORPORIS.

1 Si quis non est ieiunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquæ, vel alterius potus, aut cibi, per modum etiam medicinæ, & in quantumcumque parua quantitate, non potest communicare, nec celebrare.

EXPLICATIO LITERALIS.

Prima dispositio corporalis necessaria ex præcepto ad sumptionem Eucharistiæ, est ieiunium naturale, vt constat ex cap. nihil 7 q. 1. & cap Sacramenta Altaris de Consecr. dist.1. & alijs, & docet D.Thom.3.p.q.80.art. 8. & omnes Catholici. Rationes adducit D. Thom. l. c. quarum prima est reuerentia debita Sacramento, ne sumatur ore impuro, seu fœdato cibis communibus & profanis. Secunda ratio est mystica, vt detur intelligi cibum Eucharisticum esse omnibus præferendum: seu Christum esse primum nutrimentum fidelium & vitæ spiritualis principium, & radicem. Tandem id fuit institutum ad vitanda pericula vomitus, vel alterius irreuerentiæ, & vt fideles accederent ad hunc diuinum cibum expeditiores, & mente magis pura, & libera. Hoc Posito.

Primo docet hæc Rubrica, eum qui non est ieiunus non posse licitè celebrare, aut cōmunicare: quia obstat grauis Ecclesiæ prohibitio, ex supra dictis.

Secundo docet, ieiunium prædictum computandum esse à media nocte: quia vt optimè explicat D. Thom. art 8. cit. ad 5. hoc ieiunium intelligi debet quantum ad eundem diem, in quo quis celebrat, videlicet, ne ante communionem eodem die aliquid cibi sumpserit: Et licet principium diei secundùm diuersos, diuersimodè sumatur; Ecclesia tamen Romana diem à media nocte incipit; vt testatur idem D. Thom.loc. cit. Et ratio est: quia Sol per occasum à nobis recedens, & finem diei præscribens, post mediam noctem iterum incipit ad nos accedere, & ideo tunc incipit dies naturalis, consequenter si post mediam noctem quispiam aliquid sumpserit per modum cibi, vel potus, non potest eodem die communicare, vel celebrare. Hæc D.Thom.

Tertiò tandem docet, sumptionem etiam solius aquæ, vel alterius potus, aut cibi per modum etiam medicinæ, etiam in minima quantitate impedire communionem: quia ex præcepto explicato prærequiritur absolutum & omninò rigorosum ieiunium, quod dicitur naturale, & importat abstinentiam ab omni cibo & potu, nec admittit paruitatem mate-

materiæ; & in hoc distinguitur hoc naturale ieiunium ab alio communi vigiliarum, &c. quod solet dici Ecclesiasticum, quod nec priuat potu, nec medicina, neque omni cibo, nisi definitis temporibus & incerta qualitate, ex eodem D.Thom. q.80 citata, art.8. ad quartum, quem sequuntur communiter.

2 Si autem ante mediam noctem cibum aut potum sumpserit, etiam si postmodum non dormierit, nec sit digestus, non peccat: sed ob perturbationem mentis, ex qua deuotio tollitur, consulitur aliquando abstinendum.

EA, quæ docet Rubrica hoc num. 2. tradit etiam D. Thom. eodem q. 80. supra citata art.8. ad quintum; videlicet non requiri ex præcepto cibum esse digestum tempore communionis: quamuis enim hoc obstare possit fini eiusdem præcepti, videlicet serenitati & qui... mentis; Nihilominus finis præcepti non cadit sub præcepto, sed sola materia, nimirum nihil post mediam noctem degustatum fuisse; quod si defectus digestionis causet mentis perturbationem, consulitur abstinendū, quatenus eadem perturbatio impedit actualem deuotionem, quam debet quilibet procurare ante communionem. Alia ratio esset, quando timeretur periculum vomitus, vel similis irreuerentia notabilis contra Sacramentum; tunc enim necessariò, & ex præcepto abstinendum esset, vt suo loco dicemus. Vide Suar. disput 68 sect.4. §. sed quid.

3 Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum saliuæ, idem dicendum, si lauando os, deglutiatur stilla aquæ præter intentionem.

EX doctrina eiusdem D. Thomæ artic 8. citato in responsione ad quartum tradit hic Rubrica, Ieiunium naturale violari quidem si aliquid sumatur per modum cibi vel potus, non vero per modum saliuæ: quia sicut deglutire saliuam non impedit ieiunium, ita nec impedit id, quod deglutitur per modum saliuæ; sicuti contingit in traiectione reliquiarum cibi, quæ remanserunt in ore, vel modicæ aquæ remanentis post oris ablutionem. An autem si prædicta deglutiantur nō solum casu, & præter intentionem, sed etiam data opera, censendum sit frangi hoc ieiunium præ requisitum communioni; in dubijs examinabimus.

4 Si plures missas in vna die celebret, vt in Natiuitate Domini, in vnaquaque missa abluat digitos in aliquo vase mundo, & in vltima tantum percipiat purificationem.

QVando ex concessione Ecclesiæ sacerdos potest eodem die plures missas celebrare, vt in die Natiuitatis Domini, non censetur dispensatus in ieiunio; consequenter ante singulas missas tenetur verè, & in rigore esse ieiunus à quolibet communi cibo vel potu: & ideò in primis duabus missis Natalis Domini debet non sumere purificationem, quòd si sumpserit etiam inaduertenter & ex obliuione; non potest deinceps aliam missam celebrare, sicuti expresse habetur in cap. ex parte de celebrat. missarum, quo circa nonnulla breuiter hic adnotanda sunt.

Primum, quod expressè in hac Rubrica canetur, vt in vnaquaque missa, videlicet Prima, & Secunda celebrans abluat digitos non in Calice, sed in aliquo vase mundo: tū quia frustrà in Calicem infunderetur ablutio

(quæ

(quæ tunc sumi non potest à celebrante) iterum refundenda in aliud vas: tum quia semel intra Calicem fusa miscetur cum residuo specierum consecratarum, & quando statim refunditur in aliud vas, aliqua pars sanguinis cum ablutione mixta parum decenter maneret extra Calicem, & extra corporale in vase illo. Tandem aliqua pars vini ablutionis digitorum remaneret in Calice & minùs decenter esset materia consecrationis in sequenti missa: nec enim Calix tunc tergitur, aut tergi debet purificatorio, nisi in tertia missa, in qua tandem purificatio sumitur, vel quando inter vnam & aliam missam interponitur notabile spatium, & Calix cum reliquijs sanguinis seruari non potest, vt infra: alias si quæ stilla sanguinis superfuit, decentius manet intra Calicem, vt notat Gauantus in rubricas Missalis, p.4. tit.3. num.14.

Secundo, aduertendum in prima, & secunda missa Natiuitatis omitti purificationem Calicis, quæ alias fit solo vino, vt manifestè colligitur ex cap. citato ex parte de celebrat. missarum; Solum ergo fit ablutio digitorum cum vino & aqua vt supra, non in Calice sed in alio vase, ex quo tandem in tertia missa infunditur in Calicem ad purificationē eiusdem, & à sacerdote percipitur: Non tamen in primis missis omittuntur preces, quæ in purificatione Calicis & ablutione digitorum recitari solent. Aliqui existimant non esse obligationem purificandi Calicem in tertia missa ablutione illa digitorum in vase reposita; sed hanc posse in Sacrarium proijci facta purificatione Calicis cum nouo vino ex ampulla, & pariter ablutione digitorum more solito: sed melius est vt ablutione prædicta relicta ex primis missis purificetur Calix, & ea à celebrante sumatur, vt communiter seruatur.

Tertio, aduertendum, si tres missæ prædictæ in die Natalis celebrentur, non successiuè sed interposito aliquo temporis interuallo, vt contingit in missis solemnibus; Tunc aliqui dicunt post quamlibet missam purificandum esse Calicem vino, ipsumque purificationis vinum cum digitorum ablutione in aliquod vasculum refundendum, ac tandem Calicem abstergendum. Ita Castaldus in Praxi lib.3. sec.2. cap.4. num.8. Quod tamen non placet: tum quia in duabus primis missis, non fit purificatio Calicis, ex supra dictis & cap ex parte de celebr missar. Tum quia cū vino illo purificationis miscentur aliquæ partes sanguinis relictæ in Calice, & minùs decenter postea conseruari possunt intra illud vasculum; & oporteret assignare locum vbi conseruari deberet idem vasculum vsque ad tertiam missam Quare dicendum videtur in eo casu hausto diligentius sanguine à celebrante in primis missis; Calicem (in quo moraliter loquendo semper remanet aliqua stilla sanguinis) reponendum esse vel intra Sacrarium, seu Tabernaculum, vel relinquendum super Altare à latere, vbi non impediat alias functiones, supposito ei corporali, quod magis placet Gauanto loco supra citato; Nō tamen approbo quod idem Gauantus asserit, posse Calicem deferri & reponi de more super credentiam: quia id videtur contra reuerentiam Sanguinis Christi, cuius aliquæ minimè stillæ, vt diximus remanent in eo. Quod si prædicta seruari non possint, quia forsan eodem Calice indigent Alij Sacerdotes interim celebraturi; tunc hausto diligenter sanguine Calicem ipsum nō præmissa purificatione extergendum purificatorio; ablutis prius digitis in vase mundo vt supra. Neque enim apparet hic aliqua indecentia, Siquidem purificatorium ad hoc munus est institutum, nempè ad extergendum Calicem à reliquijs sanguinis, vel mixtis cum vino purificationis, vt ordinariè contingit, vel immediatè in se ipsis, quando non adhibetur purificatio, vt in casu nostro: quia sumenda non est purificatio.

Tandem aduertendum, si in prima vel secunda missa sacerdos loco vini consecrandi posuerit aquam, & eam sumpserit, tunc posse quidem & teneri nouum vinum consecrare ad perficiendum sacrificium, vt alias diximus. Non posse tamen celebrare eodem die aliam missam, quia non est ieiunus: Siquidem præceptum ieiunij cedit in eo casu præcepto iuris diuini perficiendi sacrificium iam inchoatum. Cæterum nulla est ratio cur cesset respectu sequentis missæ, quæ neque dicenda est ex obligatione, neque pro ea dispensatur in eodem præcepto ieiunij.

5 Si præcesserit pollutio nocturna, quæ causata fuerit ex præcedenti cogitatione, quæ sit peccatum mortale, vel euenerit propter nimiam crapulam, abstinendum est à communione & celebratione, nisi aliud Confessario videatur. Si dubium est, an in precedenti cogitatione fuerit

rit peccatum mortale, consulitur abstinendum, extra tamen casum necessitatis. Si autem certum est non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem, sed euenisse ex naturali causa, aut ex diabolica illusione, potest communicare & celebrare; nisi ex illa corporis commotione tanta euenerit perturbatio mentis, vt abstinendum videatur.

IN hac Rubrica notatur, & declaratur altera dispositio corporalis, quæ requiritur in suscipiente Eucharistiam, videlicet carentia fœditatis, & maculæ ex præcedenti pollutione relicta, seu ex peccato carnali: in quo possumus duo considerare. Primo rationem peccati, seu culpæ mortalis, & sic pollutio absolutè impedit susceptionem Sacramenti ex graui præcepto, sicut cætera peccata mortalia, hoc est nisi prius per pœnitentiam, & confessionem sacramentalem fuerit ea culpa deleta: quia requiritur in suscipiente status gratiæ. Secundo possumus pollutionem considerare quatenus relinquit aliquam fœditatem post se, vel etiam euagationem, & perturbationē mentis: & sic impedit quidem sumptionem Sacram. eodem die; sed ex consilio nō vero ex præcepto; quia videtur nonnulla indecētia, vt sic fœtidus cōmunicet, vnde quandoque interuenire poterit pec. ven. sicuti fusius ex sensu Sanctorum PP. explicat D.Th. 3.p.quæst.80.art.7. & Nos etiam dicemus in dubijs sec 2.

DVBIA CONSCIENTIAE

SECTIO I.

De ieiunio ad Communionem prærequisito.

DVBIVM I.

An ieiunium seruandum ante missam, vel Communionem admittat paruitatem materiæ.

CErtum est ex dictis in expositione literæ dari præceptum Ecclesiasticum seruandi ieiunium ante communionem. Item certum est in hunc finem præcipi ieiunium, non vulgare & commune, quod seruatur in vigilijs; sed omnino rigorosum, quod dicitur naturale excludens quamlibet sumptionem, nedum cibi sed etiam potus, etiam per modum medicinæ, vt ibidem diximus cum D.Thom. 3 p.q 80.art 8.quem sequuntur communiter. Hic ergo solum quærimus, an hoc præceptū sit adeo rigorosum vt non admittat paruitatem materiæ, E.g An qui sumpsit per modū potus tantum aquæ, quantum capit putamen auellanæ, vel etiam minorem quantitatem, peccet mort. postea communicando, vel solum venialiter.

Prima sententia sustinet dari in hoc præcepto paruitatem materiæ inducens tantummodo peccatum veniale, vt in exemplo posito.

Probatur primo, quia parua materia non soluit naturale ieiunium nisi leuiter, nec opponitur notabiliter præcepto, vel eius fini subtrahedi nimirum alimentum corporale fidelibus; donec accipiant spirituale: moraliter enim censetur adhuc corpus incibatum, quatenus parum pro nihilo reputatur.

Probatur secundo, quia paruitas materiæ reddit veniale peccatum, quoties dissonantia eum ratione non consistit in indiuisibili. Sed sic est in præsenti: quia tam ex parte ieiunij, quam ex parte irreuerentiæ consecutæ ad communionem post cibum datur latitudo dissonantiæ leuis & grauis; ergo sicut parum cibi vel potus affert leue peccatum contra ieiunium naturale, quando istud deberetur ex voto, vel præcepto: sic etiam irreuerentia commmunionis post illam leuem ieiunij violationem erit leuis: ita nonnulli, quos suppresso nomine citant Suar.disp 68.sec.4.& alij apud Dianam par.5.tra.5.res.12.& dicit probabilem Pasquallgus decis. supra citata 335. quem affert, & meritò impugnat idem Diana p.6 trac 8.res 8.

Secunda ergo sententia absolutè vera docet communicare post quantumlibet minimum cibum vel potum, qui naturale ieiuniū quomodolibet soluerit esse mortale peccatum, ita Suar. supra, Vasq. disp.211. num.28. Bonacina disp.4.q.6.punc.2.num.6.Fagundez Præcep.3.lib.3.cap.5.num.24. Card. de Lugo disp.15.num.22.Diana p.5. trac.5. resol.12.& par.6.trac.8 resol.8. cum multis alijs.

Probatur primo nam hoc præceptum non prohibet per se directè cibum & potum, sed communionem post ieiunium solutum, ac proinde post minimam etiam quantitatem sumptam per modum cibi, vel potus: communio verò semper est materia grauis: ergo semper erit mortale peccatum commmunicare post solutum ieiunium: quamuis in parua quantitate solutum sit: quia grauiter læditur reuerentia Sacramenti per hoc præceptum indicta, dum Christus sumitur post cibum, aut potum corporalem siuè magnum, siuè paruum.

Probatur secundo, quia licet materia parua secundum se precisè non possit ab Ecclesia prohiberi grauiter, potest tamen quando magna redditur in ordine ad significationem: sic Ecclesia præcipit sub mortali modicissimã aquam in calicem mitti propter mysterium, & significationem: similiter ergo naturale ieiunium præcipit ante commmunionem, ad significandum Christum fore nostrum primum cibum, & cum hæc significatio deficiat quoties alius cibus aut potus, quamuis minimus ante communionem sumptus est, semper erit mortale post minimum etiam cibum aut potum communicare.

Probatur tertiò nam Ecclesiæ praxis, & communis sensus DD sic interpretatur hoc præceptum, vt post quemlibet etiam minimum cibum aut potum etiam inaduertenter, vel inuitè sumptum communicare non possis sine peccato mortali. Conatur Pasqualigus hæc argumenta soluere, sed verè non soluit. Nam aliud est, An hæc vel illa materia propter suam paruitatem, & modum sumptionis violet naturale ieiunium (de quo dicemus infra) scilicet muscam vel culicem, vel quid simile in os apertum immissum, & aquam, quam auellanę putamen capit inaduertenter deglutitam censeri traiectam per modum saliuæ, volunt nonnulli teste Granado 3. par. controu. 6 trac. 10. num. 8. Qui subdit rem istam potius esse restringendam quam ampliandam. Aliud est suppposita iam violatione ieiunij naturalis per veram manducationem aut potationem: & si minimi cibi vel potus, an sit mortale communicare, quod nullus, quem nominatim nouerimus negauit; nec probabile reddunt argumenta Pasqualig. quare censeo cum Suario, & Diana supra contrariam sententiam non esse practicè probabilem.

Ad primum fundamentum oppositum respondetur, & si paruus cibus, aut potus soluat naturale ieiunium leuiter, verè tamen soluere illud, ita vt verè iam sit homo non ieiunus: vnde si tunc communicet, verè communicat non ieiunus, atque ideo grauiter peccat contra præceptum Ecclesiæ. Quo prohibetur communio non ieiuno.

Ad secundum concessa maiori negatur minor; quia licet violatio ieiunij latitudinem habeat; Ceterum quod sit violatum absolutè vel non sit absolutè violatum in indiuisibili, consistit, & communicate post violatum ieiunium supposito pręcepto, continet semper grauem irreuerentiam Sacramenti, quã tenemur euitare vi talis præcepti;

DVBIVM II.

Qualiter, et quarum rerum sumptione censendum sit frangi ieiunium naturale.

RESpondeo Duo requiri ex comommuni DD. sententia, vt verè frangatur, seu violetur ieiunium naturale, eiusque violatio communionem impediat. Primum est, vt sumatur aliquis cibus vel potus humanus, qui naturaliter alterari possit in stomacho. Secundum est, vt talis cibus aut potus sumatur per actionem, quæ propriè sit comestio, vel potatio, qualis non est nec respiratio, nec olfactio, nec traiectio saliuæ, aut similes actiones. Nam propriè comestio, vel potatio sunt actiones, quibus cibus aut potus extrinsecus per os acceptus traijcitur in stomachum ex vi facultatis nutritiuæ. Probatur hæc conclusio quoad primam partem: quia ieiunium naturale consistit in abstinentia cibi & potus: ergo non violatur nisi per sumptionem cibi vel potus.

Quad secundam partem. Probatur: quia cibus & potus non opponuntur ieiunio sub quacumque ratione, neque enim opponuntur vt sunt quid visibile, aut odorabile &c. sed formaliter sub ratione cibi, & potus, seu vt sunt obiectum gustus, & quid comestibile, & potabile. Item præcepto ieiunij non prohibetur olfactio cibi vel potus: nec visio aut similis actio impertinens, sed prohibetur comestio & potatio, seu sumptio per modum cibi vel potus. ergo non violatur ieiunium nisi per sumptionem prędictam alicuius rei per modum cibi vel potus. Ita D. Th. 3. p. quæst. 80. art 8, quem sequuntur communiter Suar. de Euchar. disp. 68. sec. 4. citans Paludanum, Syluestrum, & alios, Diana p. 5. trac. 13. resol. 1. Cardinalis de lugo de Euch. disp. 15. sec. 2. Bonacina de Sacram. disp. 46. punc. 2. Auersa de Euchar. quæst. 8. sec. 8. & communiter.

Colligitur primo quamuis non sit necessarium

rium; vt ipſemet comedens ordinet illā actionem ad traijciendum alimentum; requiritur tamen vt ſaltem ab alio ad talem finem ordinetur, dum per viam comeſtioni connaturalem tranſmittitur, vt contingit infantibus, & infirmis, quibus alij quandoq; per vim immittunt in os cibum, vel potum. Ita cum alijs Card. de Lugo loco ſupra cit.

Colligitur ſecundo. Si quid per modum ſaliuæ traijciatur in ſtomachum, vel per reſpirationem attrahatur, licèt nutrire poſſit, non violare ieiunium, vt ſupra dicebamus in litera de reliquijs cibi præcedentis diei, vel de ſtilla aquæ cum os abluitur, & per modum ſaliuæ traijcitur. Idem eſt ſi quis guſtans iuſculum; aliquid illius per modum ſaliuæ traijciat: quia & ſi id quod traijcitur ſit cibus vel potus, non tamen traijcitur per veram comeſtionem, vel potationem, & ideo illa traiectio non opponitur ieiunio: & ſicut præcepto ieiunij non prohibetur traiectio ſaliuæ, ita conſequenter nec prohibetur traiectio eorum, quæ cum ſaliua ſunt ita permixta vt per modum vnius degluti antur. Ita ſuar. Card. de Lugo, Bonac. & alij initio citati, & plures, quos affert, & ſequitur Paſqualigus.

Colligitur tertio. Si quis Aromata dentibus terat, aut ore retineat ad confortandum caput, vel vitandum noxium odorem, vel aërem, dummodo nihil ex intentione deglutiat eum non violare ieiunium, etiam ſi aliquid ſucci permixtum ſaliuæ, & per modum ſaliuę traijciat: quia illa traiectio non eſt vera comeſtio, ex ſupra dictis, vel etiam ſi paruum granum aromatis caſu & ſine intentione comedendi in ſtomachum deſcenderet ob eamdem rationem, vt docent Coninch. Mercerus, Bonacina, Tannerus, Lorinchius, & alij, quos citat, & ſequitur Diana p.5.tra.13 reſ 1. §. verum.

Colligitur quarto. Si quis per modum reſpirationis attrahat per os in ſtomachum vel puluerem, vel muſcam, vel quid ſimile, quod etiam nutrire poſſit, eum non ſoluere ieiunium: quia non traijciuntur in ſtomachum per comeſtionem, vel potationem, ſed per reſpirationem. Ita DD. initio citati, & alij, quos affert Diana ſupra p 5. tract. 13. reſol 1. circa medium, & Paſqualigus deciſ 317 & 319.

Colligitur quinto, Si quis aquam, vel quidpiam aliud per nares ſumat, & ad ſtomachū tranſmittat non violare ieiunium, quia non ſumpſit per modum cibi vel potus. Ita Suar. ſupra, Cœleſtinus, Fauſtus, & alij, quos affert, & ſequitur Diana ſupra.

Colligitur ſexto. Si quis deglutiat ſanguinem, aut alium humorem ex capite defluentem in os, non violare ieiunium; quia iuxta regulam traditam à D. Thom. in 4. diſt 8. q. 1. art. 4. quæſtiuncula 2. ad 3. quicquid ab intrinſecu prouenit, & ore non ſumitur ab extrinſeco verè non comeditur nec bibitur, cōſequenter eo non frangitur ieiunium, & ſequuntur DD. communiter Suar. Cardinalis de Lugo, & alij ſupra citati: quare non placet quod addit Paſqualigus deciſ. 332. deglutientem, prædictum ſanguinem ex induſtria, vt hauriat alimentum, frangere ieiunium: quia eſt contra regulam prædictam D. Thom. communiter receptam, nec intentio illa poteſt dare rationem cibi prædicto ſanguini defluenti ex capite, & ab intrinſeco: cùm de ratione cibi ſit, vt ore ſumatur ab extrinſeco. Secus eſſet, inquit Cardinalis de Lugo ſupra nu. 32. Si quis ex vulnere quod habet in manu ſanguinem ſumat, vel extractum ex propria vena: quia ibi verè datur cibus ore ſumptus ab extrinſeco.

His declaratis, in quibus DD. conueniunt; examinandæ ſunt nonnullæ difficultates, in quibus eſt controuerſia, & opinionum diuerſitas.

I. DIFFICVLTAS.

An Reliquia cibi præcedentis diei remanentes inter dentes, vel in gingiuis, & traiectæ poſt mediam noctem frangant ieiunium naturale, & communionem impediant.

Certum eſt autem ſi caſu traijciantur nō impedire, quia non ſumuntur per modum cibi, ſed potius per modum ſaliuæ, vt cū D. Thom. dicebamus in expoſitione literæ; & docent comm. DD. apud Bonac de Sacr. diſp. 4. q 6 punc 3. Punctus ergò difficultatis conſiſtit. Quid ſit dicendum ſi deglutiantur ex induſtria.

Prima opinio ſuſtinet tunc violari ieiuniū, & conſequenter impediri communionem.

Probatur; quia talis actio cenſetur noua comeſtio, cùm ex vi prioris non ſequatur, ſed noua voluntate fiat. Quamuis enim præceptum non obliget ad illas reliquias ex dentibus extrahendas, vt expuantur; nam omiſſiuè nos in his habere non eſt comedere, ſed permittere reliquias cum ſaliua traijci, quod non tollit naturale ieiunium, cum ſit quaſi moraliter connexum cum cœna noctis præc. At quando reliquia iam è dentibus extracta ſenſibiliter habetur in lingua, E g. granum anſi vel quid ſimile, cumq; poſſit expui facilè

III. DIFFICVLTAS.

An qui deglutiuit aliquid non comestibibile scilicet officulum, frustulum metalli, papyrum, cretam, vngues, vel quid simile communicare possit.

PRima sententia negat. Probatur primo, ex D.Thom.3 p q.80 art.8.ad 4 Vbi docet ad violationem ieiunij naturalis nihil referre vtrum id quod sumitur nutriat, vel non nutriat, dummodò sumatur per modum cibi vel potus, vbi significat per modum cibi vel potus sumi quicquid nõ sumitur per modum saliuæ, vel respirationis, quamuis non fit comestibile,& docent etiam Henriq.lib.8. cap.40.n.2.Nugnus 3 p.q.80.art.8 Præpositus ibi dub.1. Bonacina disp.4.q.6.punc.2 nu.10. Reginaldus lib 29. num. 118 Layman. lib.5. trac.4. cap.6.num.18. Villalobos tom.1. tra.7. diff.39.n 1. Fagundez de præceptis Eceiesiæ, præcep 3.lib 3.cap.5.num.5. & alij defensores huius primæ sententiæ.

Probatur secundo. Nam aqua non nutrit, & tamen impedit communionem. Item venenum non ordinatur ad nutritionem sed ad destructionem hominis, & tamen impedit communionem: ergo similiter quod non est comestibile nec nutritiuum, si nihilominus sumatur impediet.

Probatur tertio. Quia fœminæ comedentes terram, carbones, & alia similia vel ob delectationem vel ad minuendum colorem per modum medicinæ, ex communi sententia non possunt communicare; ergo pariter in casu nostro, ita DD cit.

Secunda sententia probabilior affirmat. Probatur sacriCanones solum exigunt vt nullus cibus aut potus sumatur ante communionem: sed quod ex sua natura non est ab homine comestibile seu potabile, non est propriè cibus aut potus humanus: ergo non censetur prohibitum ante communionem, nec soluit ieiunium naturale. Ita Vega,Ledesma, Io. de la Cruz, & alij, quos citat & sequitur Io.Sanchez in Selectis disp.42 n.23. & Card. de Lugo de Euchar.disp.15.sec.2.n.29.& Diana, p.2.tr.1.resol.51.& p.3 trac.4. resol.38.& p.5.trac.13.resol 1.

Ad oppofita respondetur ad primum D. Thomam loqui de illis rebus, quæ per accidens non nutriunt ob paruitatem materiæ, non verò de illis quæ natura sua non sunt nutritiua.

Ad secundum respondetur aquam esse propriè potum humanum,quem Ecclesia directè prohibet ante communionem: & quamuis aqua directè non nutriat, valde tamen iuuat nutritionem: similiter venenum & medicinæ semper continent partes aliquas, quæ ex natura sua sunt cibus humanus, & ideo soluūt ieiunium naturale.

Ad tertium aliqui negant Terram & res similes soluere ieiunium naturale,quia nunquã terra est propriè cibus humanus, vel medicina, sed elementum purum, quod ab humano stomacho alterari non potest: Ita Pasqualigus decil.315. De quare dubitat Card. de Lugo supra num. 32. quia nunquam terra sic est elementum purum, vt non habeat partes aliquas alterabiles ab humano stomacho, quare illam comedentes communicare non possunt. Dicendum est ergo ea quæ degluti-ta postmodum emittuntur integra cum excrementis, eò quia ab humano stomacho alterari non possunt, non violare ieiunium naturale, & sic non impedire communionem, vt in exemplis positis de officulis, de papyro &c. Secus verò de alijs rebus, quæ alterari possunt, de quibus discernere pertinet potiùs ad Medicos, quam ad Theologos. Videtur autem creta quam comedunt mulieres habere partes alterabiles: & cum sumatur per modum medicinæ, impedit communionem. Diana supra.

IV. DIFFICVLTAS.

An sumptio Tabachi communionem impediat.

REspondeo communis modus sumendi tabachum non frangit ieiunium naturale, nec impedit communionem siuè sumatur in folio, siuè in puluere, siue in fumo.

Probatur: quia licet Tabachus habeat rationem cibi vel medicinæ, Nihilominus quo ad vsitatum modum sumendi, non sumitur per modum cibi vel potus, neque per actionem quæ sit vera comestio aut potatio: ergò certum videtur non frangere ieiunium, ex dictis initio huius dubij. Consequentia est manifesta, antecedens probatur primo, quando sumitur in folio, licet immittatur in os, & retineatur, non tamen retinetur ad comedẽdum, neque ipsum folium deglutitur, sed solum causare potest traiectionem alicuius humoris ex capite defluentis in stomachum qui non violat ieiunium sicuti non violat saliua, & quamuis aliquis tabachi succus de-

glutiretur; quia traijcitur cum Saliua, & per modum saliuæ non frangit idem ieiunium naturale, ex communi DD sententia.

Secundo si sumatur in puluere per nares, vt communiter sumitur, nequit dici quod soluat ieiunium, etiamsi aliquid descendat in stomachum, quia illa sumptio non est comestio, cum non fiat per os: sicut de aqua attracta per nares, licet aliqua pars eius traijciatur in stomachum, fatentur communiter DD. Tandem si fumatur in fumo multo minus: quia verè fumus non est cibus, nec potus, & traiectio eius in stomachum fit per modum respirationis, non per modum comestionis.

Dixi communis modus sumendi tabachum: quia si folium in os admissum traijcitur integrum in stomachum, vel aliqua eius particula ex industria; certum est violare ieiunium, & impedire communionem, & idem dicendum si puluis ore sumeretur, & per actionem vitalem traijceretur in stomachum; secus si per modum saliuæ aliqua folij resolutio deglutiatur. Et ideo hanc sententiam sic explicatam docent Alphonsus de Leone, Marchantius, Escobar, Auersa, Pasqualigus, & alij, quos affert, & sequitur Diana p. 5. trac. 13. resol. 1., & p. 8. trac. 7. resol. 3 vbi latè hanc quæstionem pertractat, & quamuis Lezana cum alijs oppositum defendant nempe violari ieiunium; non tamen solidè probant, vt videri potest apud eundem Dianam supra.

DVBIVM III.

Quanto tempore debeamus ante communionem esse ieiuni, et qualiter sit computandum punctum mediæ noctis.

Certum est primo Hoc ieiunium quod seruandum præcipitur ante communionem, intelligendum esse quoad obligationē abstinendi ab omni cibo & potu intra eum naturalem diem, in quo fit communio, videlicet à principio diei vsque ad tempus cōmunionis, vt cum D. Th. 3. p. quæst. 8. art. 8 ad 5 docent omnes DD.

Certum est etiam secundo diem naturalem iuxta Ecclesiæ consuetudinem fundatam in ipsa rerum natura, incipere à media nocte, quia tunc incipit sol ad nos redire, vnde excurrit dies vsque ad mediam noctem. Hinc is qui ante mediam noctem cibum assumpsit, non prohibetur post mediam noctem hora immediatè sequenti communicare: quia in rigore non requiritur vt certum spatium temporis intercurrat à cibo ad communionem, sicut neque vt somnus intercesserit ex vi eiusdem præcepti; quamuis ratione decentiæ aliud quandoque fieri expediat, vt ex eodem D. Th. supra diximus in expositione literæ, & docent etiam communiter DD. his positis.

Prima difficultas est Qualiter dignoscendum & determinandum sit punctum mediæ noctis, à quo incipit dies Ecclesiasticus.

Respondeo modus communis, quo nobis innotescit punctum prædictum mediæ noctis & initium diei naturalis est vsus Horologij quo communiter vtimur, tanquam regula ad dignoscendas horas facta distinctione totius diei naturalis in 24. horas, quarum singulæ nobis innotescunt pulsu campanæ horologij, vel stylo ferreo eiusdem: eadem ergo regula dignoscendum, & determinandum est punctum mediæ noctis Ita DD. communiter infra citandi.

Et quidem in regionibus vltramontanis, & communiter extra Italiam id promptum & facilè apparet, vbi horologia dinumerant horas à media die ad mediam noctem, & in puncto mediæ noctis intonat duodecima hora, seu pulsu campanæ significatur finis præcedentis diei, & initium sequentis.

Ceterùm in Italia vbi horologia designare incipiunt horas ab initio noctis, & in occasu Solis intonat hora duodecima, seu vigesima quarta; opus est aduertere, & notare qua hora horologij incipiat dies artificialis, quatenus à nocte distinguitur, seu qua hora ex designatis per Horologium Sol oriatur, tunc enim desinit nox, & inchoat dies artificialis, Hoc posito, diuidendum est totum tempus nocturnum per horas & minuta ab occasu ad ortum Solis, diuidendum est inquam in duas partes æquales, & dimidium huius temporis est punctum mediæ noctis, vt videri poterit in tabellis à nobis descriptis 1. p. Tit. 15. de hora celebrandi in fine eiusdem tituli; ita Sanchez lib. 2. de matrimon. disp. 41. num. 4. Fagundez præcep. 4. lib. 1. cap. 10. Trullench lib. 3 Decal. cap 2. Cardinalis de Lugo disp. 15. sec. 2. Auersa de Euchar. quæst. 8. sec. 8. §. decimo etiam, & communiter. Aduertit etiam Auersa supra, quod Horologium Italico more compositum non terminat cursum viginti quatuor horarum statim in ipso occasu solis, sed circiter media hora post: consequenter non indicat punctum mediæ noctis in rigore quando est, sed aliquanto tardius: quare diuidendo tempus nocturnum in duas partes æquales

les punctum mediæ noctis incidit apud nos proportionaliter antea quam per visuale horologium designetur;

Secunda difficultas. Si in ciuitate, vel loco vbi quis reperitur sint plura Horologia, & inter se aliquantulum discrepent, cui sit adhærendum pro determinatione puncti mediæ noctis;

Respondeo posse nos sequi quodlibet ex Horologijs prædictis, nisi constet de alicuius errore, & conformari etiam vltimo: quare si ex vltimo quis dignoscat se non comedisse post mediam noctem, poterit manè sequenti communicare.

Probatur quia in tali diuersitate, quando horologia sunt mediocriter composita cum solis cursu, res ita se habet, sicut in alijs, quando diuersæ sunt opiniones probabiles, & vnumquodque Horologium facit opinionem probabilem circa designationem temporis: quare sicut in alijs materijs licitum cuique est sequi eam opinionem probabilem, quam voluerit, ita etiam in casu nostro licitum erit se conformare cui Horologio voluerit. Ita DD. supra citati, item Sancius, Villalobos; & alij quos citat, & sequitur Diana p.3 tract.4. resol 36 & p 4.tract 3 resol 19. Allegans Pharaonem, vegam, & alios quicquid alij oppositum sentiant.

Addit Cardinalis de Lugo de Euchar. disp. 15. citata sec.2. facta semel electione vnius Horologij, non esse licitum variare, & aliud postea eligere, sed persistendum esse in vna electione, & sequitur Auersa de Euchar q.8. sec.8.§. Vbi autem sunt plura. Verum hoc merito refellit Dicastillo apud Dianam p.10, tract.15.resol.29.

Tertia difficultas Vtrum punctum mediæ noctis, & consequenter initium diei naturalis, initiumque ieiunij ad comunionem necessarij sit determinandum, & computandum à primo pulsu campanæ, quo Horologium designat, & notificat horas, vel ab vltimo, ita vt etiam si quis dato primo pulsu aliquid traiecerit in stomachum, vel biberit, modo ab vltimo pulsu campanæ sit ieiunus, possit manè sequenti communicare.

Respondent ferè communiter DD. punctum prædictum, & initium ieiunij computandum esse à primo pulsu Horologij, præsertim vbi est vnum tantum Horologium; Vndè si quis dum audit primum pulsum, quo significari incipit punctum mediæ noctis, habeat in ore buccellam quam masticat, debet illam expuere, vt communicare possit

Probatur: quia cum primus pulsus horæ sonat, iam hora præterita fuit expleta: Reliqui verò pulsus adduntur, quoniam hora duodecima nequit significari vnico pulsu, sicut indicatur hora prima, ita Sanchez, Fagundez, Villalobos, & alij apud Dianam p.3. tract.4.resol. 36 & p.6.tract 6 resol 34.

Opposita tamen sententia sustinens posse initium ieiunij computari ab vltimo pulsu est etiam satis probabilis, quia tandiù durat designatio mediæ noctis, quandiù auditur sonus omnium pulsuum, Ita Bressetus apud Dianam p.6.resol.supra citata, & dicit probabilem idem Diana ibidem, & rursus p.10. tract.13 resol 54.§ & tandem, vbi pro eadem sententia citat Leandrum, Caramuelem, Pasqualigom, & Verricellium.

Colligitur: Si alicubi nullum sit horologiũ, & aliquis ex inditijs satis probabilibus, vel ex mensuris sibi notis, aut ex mora suarum operationum iudicet se non comedisse post mediam noctem, quamuis ex alijs inditijs videat oppositum esse probabile, eum posse communicare: Imò etiam si quis sit in loco vbi sunt plura horologia, & omnia per sonum campanæ iam indicassent punctum mediæ noctis, seù initium diei sequentis; & ille qui peritissimus est ex aspectu Stellarum, vel aliundè sciret vere illud punctum nondum aduenisse; posset vtique absque fractione ieiunij naturalis comedere, vel bibere vsque ad punctum exclusiuè, quo nouit Solem ascendere ad nostrum Hemisphærium, quod est verum punctum mediæ noctis. Ratio est: quia non tenemur conformari Horologijs, nisi in supplementum, quia communiter non habetur melior regula dignoscendi prædictum punctum: ergò si quis certiorem habet mensuram, & probabiliora inditia, potest his magis, quam horologiis conformari, vt rectè notat cum Alijs Diana p.6.tract.16.resol 48. circa medium.

Quarta difficultas. Quid agendum in illis regionibus, vbi non possunt distingui naturales dies per ortum, & occasum Solis: quia vel præsentia, vel absentia solis continue durat per plures dies naturales nostros, imò vt aiunt per sex menses Sol abest, & nunquam oritur, & totidem est præsens, & nunquam occidit.

Respondeo In regionibus prædictis opus esse lege Ecclesiastica designari, seu diuidi dies proportionatos nostris diebus naturalibus, designando eorum principia, & fines modo aliquo artificiali, eisque aptando hoc præceptum ieiunij ante communionem, & etiam horam celebrandi missam. Ita Suar. disp.68.sec.4.§.Dico tertio, Vasq.in 3.p.disp. 211.n.32.

DV-

illud feratur, vt quantum fieri potest rigorosè obseruetur. Nihilominus in illius designatione, & in regulis, quibus nobis innotescit datur latitudo moralis: quia nequit mathematicè dignosci, sed ex inditijs probabilibus, & communiter ex horologijs. Cum ergo horologia communiter sint varia, & in illis detur prius & posterius: imo etiam pulsus eiusdem horologij in horis designandis successiui sint, necessario in designatione puncti prædicti datur latitudo moralis.

Dicendum secundo est, non posse eidem puncto mediæ noctis aliquid addi vltra prædictam mensuram, E. g. supra omnes pulsus horologij: quia latitudo est in ipsa mensura, & solum intra illam permittitur ob necessitatem: ergo nulla est ratio cur aliquid addi possit vltra mensuram, & extra regulam prædictam, vt patet ex dictis.

DVBIVM V.

Vtrum dubitans an sit ieiunus possit communicare.

PRæmittendum est 1 dubium esse posse vel Negatiuum, quo quis anceps est neutri parti adhærens, & dicitur propriè dubiũ; vel Positiuum, quod confunditur cum opinione probabili, quæ claudit formidinem partis oppositæ. Rursus potest quis dupliciter dubitare an violauerit ieiunium necessarium ante communionem. Primo an post mediam noctem verè aliquid traiecerit per modum cibi vel potus, E. g. os abluendo, vel aliquid mandendo, quod est dubium de ipsa comestione vel potatione.

Secundo, si certus de comestione dubitet de hora, & an comederit vel biberit post mediam noctem. His Positis,

Conuenit inter omnes, vel ferè omnes DD. quando quis non propriè dubitat, sed probabiliter opinatur, se nihil cibi aut potus traiecisse, vel si traiecit id non contigisse post mediam noctem, sed ante (quamuis habeat coniecturas probabiles de opposito) eum posse communicare, sequens opinionem probabilem in sui fauorem, sicut supra dicebamus quando sunt plura horologia inter se diuersa: quia in omni materia licitum est sequi opinionem verè probabilem, & docent DD. ibidem citati. Difficultas est igitur in casu veri dubij, quod dicitur dubium negatiuum quo circa.

Prima sententia absolutè negat sic dubitantem posse communicare, siue dubium sit de ipsa comestione, siue solum de hora.

Probatur; quia in dubio melior est conditio possidentis. Possessio autem in casu nostro stat pro præcepto. Item quia Sacramẽtum possidet ius suum non admittendi aliquem ad communionem certam sine certa, & necessaria dispositione: ergo qui non est certus se esse ieiunum, vel saltem non habet probabilem opinionem de hac dispositione, non potest licitè, & absque peccato mortali communicare. Hanc sententiam alijs citatis sustinent Franciscus de Lugo, & Ouiedo aupud Dianam p. 6. tract. 12. resol. 17. fauet etiam Auersa de Euchar q. 8. sect. 8. §. Verum.

Secunda sententia extreme opposita docet in vtroque dubio siue de comestione, siue de hora (si facta diligentia adhuc perseueret) posse dubitantem communicare.

Probatur ex eodem principio, quia in dubio melior est conditio possidentis: sed quilibet fidelis possidet ius communicandi, quãdiu non constat de impedimento aliquo; ergò quilibet potest communicare quando non est certus se violasse ieiunium; in casu autem nostro dici non potest quod constet de impedimento. Hanc sententiam defendunt multi DD. quos affert, & sequitur Diana p. 6. trac. 12. resol. 17. Vbi citat Dicastillum, Bossium, Leandrum, Caramuelem, Trulleuch. Pasqualigum, & alios etiam citat p. 10. tract. 13. resol. 54. §. Nota, & prius etiam docuerat p. 3. tract. 4 resol. 29.

Tertia sententia media distinguit; si enim quis dubitat an sit ieiunus ex eo, quia nescit an re vera comederit, vel biberit aliquid traijciendo per modum cibi, vel potus, hic potest communicare: quia possessio stat pro eius libertate, seu pro iure, quod quisque habet communicandi. At si certus quod comederit, dubitat an comestio fuerit ante, vel post mediam noctem, non potest communicare; quia possessio stat pro præcepto. Ita Cardinalis de Lugo de Euchar. sec. 2. n 43. Layman lib. 1. tract 1 cap. 5. n 36. Sancius in Selectis disp. 42. n. 9. Tambur. Opusc. de, commun. cap. 2 §. 7.

Respondeo posse quemlibet sequi ex prædictis opinionibus quam maluerit: quia singulæ sunt probabiles; tum ex principio intrinseco, tum extrinseco, & plurium DD. auctoritate, nec est difficile adhærenti vni ex ipsis respondere ad argumenta aliarum. Antequam autem quis communicet; tenetur adhibere diligentiam indagando an verè violauerit ieiunium, quod si ea adhibita dubium superari non possit, tũc eligat aliquam ex opinionibus relatis.

DV.

DVBIVM VI.

De causis excusantibus à lege ieiunij ante communionem.

SIcuti supra dicebamus, præceptum confessionis necessario præmittendæ communioni admittere nonnullas causas excusantes; Ita pariter affirmant communiter DD. hanc legem ieiunij non obligare cum tanto rigore, vt non admittat causas excusantes, & exceptiones aliquas, de quibus breuiter dicendum est in hoc dubio.

PRIMA CAVSA EXCVSANS.

Reuerentia eiusdem Sacramenti.

HAec causa admittitur ab omnibus, quoties opus est Eucharistiam consumere ad euitandam eiusdem irreuerentiam, videlicet si periculum sit quod deueniat in potestatem infidelium, aut comburatur, aut comedatur à bruto, vel quid indecens huiusmodi contingat; Tunc enim vel à sacerdote, vel à laico non ieiuno (si nullus adsit ieiunus) sumi potest. Cùm enim hoc ieiunij præceptum ob Sacramenti reuerentiam latum sit, non obligat quoties ipsamet Eucharistiæ reuerentia contrarium postulat. Ita Vasquez 3. p. disp. 221 num. 57. Mattiuĉ. tom. 4. disp. 35. num. 64. Cardinalis de Lugo de Euchar. disp. 15. num 87. Suar. tom. 3. disp. 68. sec. 6. Coninch. quæst. 80. num. 71. Fagundez præcepto 3. lib. 3. cap. 5. num. 32. qui subdit cum Vasquio tunc etiam à Laico (deficiente Sacerdote) proprijs manibus esse sumendam Eucharistiam post quemlibet cibum; Idem est si celebrans deficiat post consecratum calicem, & non adsit Sacerdos, à quo sumatur sanguis: nec seruari possit sine periculo corruptionis, aut irreuerentiæ notabilis; tunc enim à laico sumi potest, vt docent Vasq. supra disp. 316. num. 47. Suarez disp. 71. sec. 3. Diana p. 5. trac. 3. resol. 34. & p. 10. trac. 23 resol. 53. § nota hic obiter.

Huc etiam pertinet necessitas prosequendi & perficiendi sacrificium & Missam iam inchoatam, vt contingit quando Sacerdos loco vini posuit aquam in calice, atque id non aduertit nisi post eam sumptam, tunc enim debet iterum conficere, & sumere, vt fusius diximus supra tit. 3. & 4. de defectibus panis. & vini. Item si inchoata iam Missa, sacerdos recordetur se non esse ieiunium, tenetur prosequi si id aduertat post consecrationem, saltem alterius speciei. Quod si aduertat ante consecrationem: quamuis plures dicant eum teneri sacrum omittere, & ab Altari recedere si id fieri possit absque infamia, vel scandalo. Nihilominus satis probabile est non teneri, sed Missam prosequi posse quomodlibet inchoatam, vt diximus p. 1. tit 3 in dub sec. 2. dub. 3. & docent Suar. disp 68. sec. 6. initio Coninch. quæst. 80. n. 62. Fagundez præcep 3. lib. 3. cap. 5. num. 25. Tambur Opusc. de sacrif. lib. 2. cap. 8 §. 2. cum alijs. Tandem si necessarium sit sacerdoti sumere huius Sacramenti reliquias post ablutionem: de qua re diximus p. 2 tit. 10. vbi de communione celebrantis.

SECVNDA CAVSA.

Necessitas vitandi scandalum, vel aliud notabile damnum.

POtest etiam licite quis communicare nõ ieiunus, si id necessarium sit ad vitandum scandalum, vel infamiam, vel simile notabile damnum: quia leges positiuæ non obligant cum tanto dispendio, Ita D. Th. 3. p. quæst. 83. art. 6. ad secundum, & communiter alij DD. Suar. disp. 68 sec. 5. Cardinalis de Lugo de Euchar, disp. 15. num. 70. Coninch quæst. 80. num. 61. Diana p. 4. trac. 4. resol. 104. Auctsa de Euchar. quæst. 8. sec. 9. §. quinto.

Colligitur primo si quis minetur mortem Sacerdoti nisi celebret non ieiunus, vel laico nisi communicet (non quidem in contemptũ fidei vel religionis, sed ob alios fines indifferentes) posse & sacerdotem celebrare, & laicum communicare non ieiunum, sicut etiam posset e censura ligatus, quia præcepta Ecclesiæ communiter non obligant cum tanto rigore, Ita Syluest. verbo Eucharistia 2 num. 10. Diana p. 5. tract. 3. resol 39. cum alijs, quos citauit.

Colligitur secundo si Sacerdos in Altari recordetur se non esse ieiunum nec posse sine scandalo: vel infamia desistere, eum posse sacrum prosequi ad vitandum scandalum, siue infamiam, vt cum D. Th. supra, concedunt omnes. Idemque dicendum de laico publicè admoto ad mensam Altaris pro cõmunione sumenda, si vere scandalum vel infamiam timeret recedendo, vt fatentur communiter. Vide Cardinalem de Lugo, Auersam, & Alios supra: quamuis regulariter non sequatur scandalum ex eo præcisè quod quis non sit ieiunus. Cæterũ quoad sacer-

cerdotem iam diximus posse missam prosequi alio titulo ne sacrificium quomodolibet cœptum interrumpat, vel deserat.

Colligitur tertio. Non videri causam sufficientem communicandi post cibum vel potum obligationem implendi præceptum annuæ communionis; E.g. Si valetudinarius nõ possit omittere, vel differre potionem sine graui damnò; Nam Ecclesia non censetur suo præcepto velle obligare illum, nisi seruatis debitis circumstantijs & præmisso ieiunio. Ita cum alijs Diana p.4 tra 3.resol.104 quamuis Toletus oppositum defendat lib.2. cap.28. num.3.

TERTIA CAVSA.

Sumptio Viatici in periculo mortis,

Haec causa admittitur ab omnibus, & frequenter casus occurrit, videlicet vt quando sumendum est viaticum possit licitè sumi à non ieiunis, vt docet D Thom. 3 par. q 80.art.8. & colligitur ex cap.Presbyter. de consecr.dist.2 & maximè constat consuetudine, quæ vbique communiter obseruatur, & simul cum præcepto ieiunij ab initio introducta creditur. Et meritò ita factum est: quia & obligat præceptum communionis in fine vitæ, & maxima indigentia est in illo articulo: & passim occurrit talis necessitas, vt non possit commodè capi hora, in qua æger sit ieiunus. Itaque si commodè dari possit viaticum infirmo ieiuno ita quidem fieri debet; cæterum si commode non possit licitum prorsus est dare non ieiuno. Vbi etiam non oportet exigere maximam difficultatem, aut incommoditatem; sed satis est quòd ægroto iuxta ordinarium cursum, incommodum esset expectare absque cibo à media nocte vsque ad mane ad sumendum viaticum: & Parocho similiter incommodum esset deferre intempesta nocte: nec id expediret ob reuerentiam Sacramenti. Vnde etiam si infirmus iaceat in ædibus prope Ecclesiam, & inter regulares, qui adiacent Ecclesiæ, non oportet hora importuna noctis deferre illi viaticum.

Non solum verò infirmis, qui naturali morbo tendunt ad mortem, licitum est sic dare Viaticum non præmisso ieiunio; sed etiam benè valentibus per sententiam damnatis ad mortem, si nempè non adsit tempus expectandi horam qua fiut ieiuni: Quia planè ij in eadem necessitate constituti sunt, nec per ipsos stat quo minus ieiuni communicent. Imò absolutè non teneri Iudicem differre exequutionem sententiæ, vt reo damnato concedat spatium communicandi hora ieiunij, admittit Cardinalis de Lugo, disp.15.num.73. sicut nec tenetur concedere illi spatium E.g tridui, intra quod expectatur Prælatus habens facultatem illum absoluendi à censuris & casibus reseruatis, quibus fortè irretitus est: quia scit in articulo mortis à quolibet Sacerdote posse absolui: quod existimo concedendum quando aliquod periculum, vel incommodum considerabile esset in differenda exequutione sententiæ, sed sine iusta causa, & non existente periculo vel incommodo non est admittendum. Quia sic etiam de infirmis ipsis dictum est, & sic exigit obseruantia debita præceptis Ecclesiæ. Et vel dicetur maior ratio esse de hoc præcepto ieiunij, quod aliàs tam rigorosè seruatur: vel etiam idem dicetur de obligatione expectandi Prælatum, seu facultatem ab illo pro absolutione quando paucas similiter horas supplicium differre sufficeret, aliæquè circumstantia pares essent.

Colligitur primo, si certò constet posse moribundum expectare communionem ieiunum, teneri præcepto sicuti cæteros, vt notat Zambranus cap 3. dub.5. num.1. Colligens inde peccare mortaliter Parochum, qui mane vocatus vt ministret Eucharistiam infirmo ieiuno, differt Viaticum in Vesperam, quando iam non erit ieiunus, quia secundum omnes DD. sola necessitas excusat à ieiunio morientem. Verùm hoc non tam strictè capiendum est; ita vt si Parochus non possit commode differre Viaticum, antequam infirmus comedat, illicitè deferat tempore commodiori etiam post cibum. Solet autem esse commodiùs tempus vespertinum, tum propter maiores occupationes, quibus mane Parochi detineri solent in Templo; tum ob maiorem concursum comitantium, & post postulationes etiam aliorum semel defertur ad multos, & non est necesse sæpius in die deferri cum minore decentia, Sic aduertit Cardinalis de Lugo num.74. Et addit, si periculum est, ne vel moriatur æger, vel rationis vsum aut corporis vires amittat, antequã possit cras ieiunus communicare, communicandum esse hodie non ieiunum magis; quippe pertinet ad Sacramenti reuerentiam, vt integris sensibus homo communicet, quam vt ieiunus.

Colligitur secundo. Non esse nimis scrupulosè discutiendum, An sit certum periculum mortis vel non, vt detur Eucharistia non ieiunis, nedum scrupuli morantur, infirmi moriantur sine Viatico, vt monent Henriq. & Fagundez supra.

Colligitur tertio, Cauendum esse ne moribundus ob violatum ieiunium differat communionem in diem sequentem cum periculo decendi sine illa, vt notat Bonacina supra num. 22.

Colligitur quarto, Quamuis infirmus possit vna, vel altera hora post mediam noctem seruare ieiunium, non debere tunc Eucharistiam afferri (nec etiã inter Regulares) quia regulariter id fieri nequit sine magna difficultate, vel interdum indecentia; Nec Ecclesiæ mos, nec præceptum obligat cum tanto rigore. Nec item debet infirmus, vt ieiunus communicet, differre potionem aut cibum cum graui damno, vel periculo salutis. Nam Ecclesia nec in tali periculo vult infirmũ communione priuare, nec ipsum obligare vt ieiunus communicet cum notabili corporis detrimento; Sic Suar. Fagund. & Bonac. supra, Coninch q. 80 n 51.

Controuersia hic est inter DD. Vtrum durante eadem infirmitate cum periculo possit infirmus iterum, & sæpius communicare non ieiunus.

PRO RESOLVTIONE.

Præmittendum est primo, posse infirmum communicare si sit ieiunus, quoties decuerit. Ideò Rituale Romanum, & Concil. Mediol. 4 sub Card. Borromeo par. 2. de Euchar. Dicunt Eucharistiam ægrotantibus etiam sine mortis periculo sæpius esse deferendam si petierint, in quo conueniunt omnes. Quando vero non potest æger communicare ieiunus maior est difficultas: Et suppono secundo, si morbus statum mutet, ita vt æger, qui fuerat in periculo, conualeat aliquantulum, & deinde redeat iteratum periculum, posse non ieiunum communicare quoties talis varietas acciderit; quia tunc sunt quasi diuersi morbi, nouusque necessitatis articulus; ita Suar. disp. 68 sec. 5. Vasq. disp. 211. num. 46. Coninch. supra num 53.

An autem in hoc casu redeuntis periculi mortis teneatur infirmus iterum communicare, non video disputare DD. videtur definiendum fore iuxta communes regulas diuini præcepti communionis, nimirum si decem, vel octo dies transierint, & periculum sit omninò diuersũ, teneri: Secus si pauciores dies intercedant. Et quidem si morbus idem, & periculum idem duret pluribus diebus, non teneri moribundum, qui semel iam Viaticum accepit, iterum communicare, supponunt communiter DD. Sat. supra, Vasq. num. 40. & alij. Quia præceptum recipiendi Viaticum in articulo mortis, nè scilicet infirmus sine Viatico discedat, semel tantum obligat, vt iura satis insinuant: An vero possit iterum cõmunicare non ieiunus? Dissentiunt Auth.

Prima sententia negat: Tenent Vasq. supra num. 38. Ioannes de Cruce in direct. p. 2. tr. de Euchar. q. 5. dub. 4 concl. 3 Probatur: Nam ideo moribundus potest communicare non ieiunus; quia præceptum recipiendi Viaticũ præualet præcepto præmittendi ieiunium communioni, quando non potest vtrumque simul seruari: sed quando semel infirmus in eo periculo mortis recepit Viaticum sine ieiunus, siue non ieiunus, iam non vrget diuinum præceptum communionis pro tunc, cũ iam impletum sit. Ergo nihil excusat à præcepto præmittendi ieiunium communioni, quod omnem planè communionem ex deuotione factam comprehendit. Nec vllus casus excipi potest per Epikiam, nisi sit euidens in illo cessare rationem legis contrariæ, quod in isto casu non constat.

Secunda sententia communis affirmat; sic Armilla, & Tabiena, quos sequitur Suar. disp. 68. sec. 5. Henriq cum multis lib. 8 cap 4. n 1. & cap. 50. num. 1. Nugnus q. 80 art. 8. Coninch. ibi num. 53, Reginaldus, & Sà, quos sequitur Bonacina disp. 4 q. 6 punct. 2 num 23. Toletus, Victoria, Graffis, Villalobos, Layman, Fagundez, Siluius, Filliucius, Zambranus, Posseuinus, & alij, quos sequitur Diana par. 2. tra. 14. resol. 45. & 77. & p. 3 tr. 4: resol 44 & p. 5. tra. 3. resol. 37. fauent D. Tho. 3 p. q 80 art. 3. Silucst. Sotus: & alij, qui simpliciter asserunt, posse moribundum communicare non ieiunum, nec limitant ad vnicam communionem, sicut nec limitat Concil. Constant sess. 13. Probatur quia ratio talis exceptionis nõ est sola necessitas adimplendi diuinum præceptum communionis, sed etiam necessitas morientis, qui tunc oppugnatur vehementiùs, & eget auxilijs & robore tanti Sacramenti, quod potissimum ordinatur ad conseruandam gratiã vsque in finem. Per quod soluitur fundamentum oppositum.

Quod verò tempus intercedere debeat, vt æger possit in eodem statu morbi periculosi rursus communicare non ieiunus, variè definiunt isti Doctor. Suar. Nugnus, Fagundez, Villalobos, & Rituale Romanum antiquum assignat decem vel octo dies, Filliuc. Siluius assignant septem; sufficere sex putant Armilla, Tabiena, Bonacina, Zambranus, Posseuinus, Diana: tertio quoque die dari posse censet Ludouicus de S. Iuan seque dum esset Prælatus ita fecisse probantibus multis cõpiutensibus testatur in sum to. t. q. 7 ar. 10. dific. 4. Demum Layman lib 5. tract. 4. cap. 6. nu. 20. putat ob iustam causam, nimirum si quis assue-

assuetus frequenter communicare, vel celebrare propter deuotionem abstineat difficilè, concedi posse proxima sequenti die Eucharistiam eidem non ieiuno, dummodò mortis periculum instare videatur. Mihi placet sententia Dianæ, qui pluries hoc dubio examinato nouissimè p.9. trac.9. resol. 47. sic Tandem docet His verbis.

Sed si aliquis curiosus inquirat quot dies debeat superuiuere infirmus, vt possit iam sumpto viatico iterum communicare, vt vult Rituale.

Respondeo præter diem sumpti viatici, alteros duos dies. Opinio est in iure, & verbis Ritualis fundata: & ideo suppono id quod habetur in regula pluralis 40. de regul. iuris in 6. quod pluralis loquutio duorum numero est contenta, vbi glosa figurat casus in cap. 15. cui §.1. de præb 5 eod. lib. Papa dispensauit mecum, vt possem obtinere plura beneficia, aliter non declarando: Quæritur quot beneficia potero obtinere virtute dispensationis? potero solum obtinere duo beneficia; quia cum dispensatio sit odiosa, est restringenda: & in odiosis sufficit quod verba possint verificari in duobus beneficijs: quia pluralis loquutio duorum numero est contenta Item potest casus figurari per l. libertas, §. post annos, ff. de manumiss. testamen. Aliquis Titius veniens ad mortem suum condidit testamentum, & in testamento suo cuidam seruo ligauit libertatem post annos Quæritur post quot annos seruus consequatur libertatem. Respondetur post duos annos: quia verbum annos verificatur in duobus per rationem huius regulæ. Et Petrus Peckius id ex pluribus legibus, & exemplis confirmat, addens, quod plerique sunt in ea sententia, vt existiment hanc regulam habere locum, etiam si in plurali loquutione sit hæc dictio, omnia: Nam si dicatur omnia verificabitur in duobus, idque admodum vtile est ad soluendos testes à contrarietate, aut diuersitate, si dicat vnus Titium à pluribus, vel omnibus vulneratum esse: Nam cum dictio omnes: vel plures verificetur in duobus, dicentur testes isti esse concordes. Vide Zasium in l. si pluribus, n.8. ff. de legat 1.

Hoc supposito sic argumentor. Rituale Romanum asserit, infirmum sumpto Viatico posse denuò Eucharistiam sumere, si vixerit aliquos dies. Ergo asseto Ego, potest sumere post duos dies Probo consequentiam: Nam vt supra visum est pluralis loquutio verificatur numero duorum, & hæc nostra sententia respicit reuerentiam debitam Sacramento, quia non concedit Viaticum sequenti die, vt docent Palaus, & alij vbi supra cit.

Respicit etiam necessitatem, & vtilitatem infirmorum: quia non differt secundum Viaticum vsque ad sextum vel octauum diem, vt vult Suar. & alij. Ergo cum sit satis fundata in iure, videtur amplectenda, vt illam amplexi sunt Viri Doctissimi à me consulti. Et hanc opinionem practicandam censeo non solum cum assuetis communicare; sed etiam cum non assuetis: quia omnes illo tempore indigent auxilio tanti Sacramenti; vndè teneo absolutè pro omnibus, quod si aliquis E. g. sumpsit Viaticum feria secunda possit illud iterum sumere feria quinta: Nam sic dicitur illud sumpsisse vt vult Rituale Romanum post aliquos dies. Nota quod nostra sententia ita placuit cuidam viro docto, vt putauerit infirmum non ieiunum posse sumere secundum Viatium post 48. horas, nam vnus dies constat ex 24. horis, & sic sumeret Viaticum post duos dies; Sed ego puto hos duos dies computandos esse à prima media nocte post diem sumpti Viatici.

QVARTA CAVSA

Dispensatio Summi Pontificis, vbi de Missa Natalis coram Summo Pontifice.

IN hoc præcepto ieiunij naturalis certum est posse dispensare Summum Pontificem, non autem Episcopos vel alios, vt fusè probauimus in quæstione proœmiali sec.2.punc.6 Vnde si quis talem dispensationem à Summo Pontifice obtinuerit (quæ tamen rarissimè conceditur extrà casum infirmitatis, de quo supra) poterit licitè communicare non ieiunus. Difficultas hic breuiter examinanda est, an de facto præsumatur Summus Pontifex dispensare cum Cardinali celebrante nocte Natiuitatis Domini primam missam in Sacello Pontificio, quæ solemniter cantatur post matutinum vltimis horis noctis vigiliæ, & ante mediam noctem, in qua re vera incipit dies Natalis, & Nihilominus Cardinalis ille solet in ipsa die vigiliæ hora solita prandere, consequenter celebrar, & communicat non ieiunus.

Prima sententia sustinet ibi non dispensari in ieiunio, sed pro illo loco, & pro illa nocte anticipari non nihil initium diei sequentis: qua facta anticipatione Cardinalis ille celebrat ieiunus: quia ab initio illius diei nihil sumpsit ante missam. Probatur: quia pen-

det ab hominum placito, quando incipiat, seu qualiter sit computandum diei initium: ergo quamuis Ecclesia communiter illud computet à media nocte, potest nihilominus iustis de causis aliter computare; in casu autem nostro supperunt iustæ causæ aliter computandi, seu vt Pontifex diem Natalis anticipiet per duas horas, vt fusè probat Cardinalis de Lugo præcipuus auctor huius sententiæ in tractatu de Eucharistia, disput. 15. num. 55. quem sequuntur Auersa de Eucharist. quæst. 8 sect. 8. Diana par. 7. trac. 12. resol 12. & pat 8. tractat. 1. resol. 89. cum alijs.

Secunda sententia probabilior docet in casu prædicto non fieri eam anticipationem diei, sed potius dispensari saltem tacitè à Summo Pontifice cum Cardinali celebrante, vt possit communicare non ieiunus. Probatur: quia Ecclesiasticum institutum inchoandi diem à media nocte sic est vbiq. fixum, & vniuersaliter receptum, vt nunquam, & nusquam nouerimus immutari, vel dispensari, cum tamen ieiunium ante communionem sæpè non obliget, & aliquando dispensetur. Quapropter in hoc casu faciliùs & cõnaturalius videtur asserere dispensationem, quàm talem anticipationem. Quippè dispẽsatio cum sit priuilegium, quod ex se respicit priuatam personam, potest cadere connaturaliter super priuatam personam & locum ex speciali causa. Verùm anticipatio dici secundùm se tangit regulam vniuersalem: cum mensura temporis ex natura sua sit omnibus communis; vnde non oportet pro casu particulari variari. Accedit, quod si dies anticipatur pro tali loco, poterit alius ibidem ante mediam noctem celebrare; quod tamen non videtur admittendum.

Hanc sententiam sustinet Pasqualig. decis. 311. Dicastillo de Sacram. to. 1. trac 4. disp. 9. dub. 17. q. 7. n. 404. & dicit æque probabilem Diana p 10 trac. 14. res. 35. Martinon. tom. 3. disp. 35. num. 64 cum alijs.

Alias difficultates circa eamdem missam, quæ in Sacello Pontificio celebratur ante mediam noctem examinauimus p. 1. tit. 15. de hora celebrandi. Dubio 7.

DVBIVM VII.

Vtrum ad communicandum moribundum celebrare possit Sacerdos non ieiunus.

E. G. si non sint aliæ particulæ consecratæ, nec vllus adsit Sacerdos non ieiunus, & vrgeat necessitas moribundi, qui alioqui decederet sine Viatico, de quo casu magna est controuersia inter DD. & idcirco separatim illam examinamus.

Prima sententia negat: Probatur primo: quia cum hoc Sacramentum sit summæ dignitatis, eius reuerentia postulat vt non conficiatur absq; ritibus ab Ecclesia præscriptis, saltem extra casum extremæ necessitatis, ita vt præualere debeat reuerentia tanto Sacramento debita priuatæ alicuius necessitati, & non extremæ: sed in casu nostro non vrget extrema necessitas moribundi: quia hoc Sacramentum non est necessarium necessitate medij ad salutem: ergo præualere debet reuerentia Sacramento debita, & sic non debet nec potest confici à Sacerdote non ieiuno.

Confirmatur: quia vt possit confici hoc Sacramentum absque aliquo ex ritibus grauibus opus est dispensatione Ecclesiæ, quæ præsumi non potest in casu nostro, ergo &c. Probatur antecedens, quia licèt Ecclesia dispenset cum infirmo vt possit non ieiunus cõmunicare, nunquam tamen dispensauit cum Sacerdote vt possit non ieiunus conficere Sacramentum, nec est praxi receptum vt Sacerdos non ieiunus celebret pro dando Viatico.

Probatur secundo. Quia ob talem causam non est licitum sacerdoti celebrare sine vestibus sacris, vel sine Altari, vel sine Calice consecrato: Alioue ritu ex grauioribus: ergo neque non præmisso ieiunio; par enim ratio videtur, ita D. Antoninus, Paludanus, Sotus, Gabriel, Nauar. quos sequitur Suar. de Euch. disp. 68. sec. 5. & Vasq disp. 211. num. 61. Ledesma, Siluest. Toletus, & alij, quos citat, & sequitur Diana p. 2 tr. 14. res 66. & par. 3 tra. 4. res. 33 & alibi Bonac. cum alijs de Sacram. disp. 4. qu 6. punc. 6. Auersa cum alijs quæst. 8. sec. 9. fine.

Secunda sententia opposita satis etiam probabilis affirmat. Probant aliqui: quia præceptum communicandi in articulo mortis est iuris diuini; ergò præualere debet præcepto humano præmittendi ieiunium ante communionem. Cęterùm hæc ratio non subsistit,

fistit. Primo quia præceptum diuinum adstringit ipsum infirmum, qui tamen excusatur quando non adest, qui possit legitimè administrare, non autem adstringit Sacerdotem ad celebrandum contra formam ab Ecclesia præscriptam. Secundo inde sequeretur posse in eo casu fieri Sacrum absque vestibus sacris, vel sine Altari, vel pane azimo, quæ tamen sunt falsa, & contra communem sensum Ecclesiæ, & DD. Certum est enim aliquos ritus quamuis ab Ecclesia præscriptos ita esse connexos cum reuerentia debita Sacramento, vt omitti non possint absque graui indecentia, vel indigna tractatione eiusdem, saltem extra casum extremæ necessitatis. Praxis autem Ecclesiæ, & sensus DD. declarant, qui ritus omitti possint ob morientis necessitatem, qui vero minimè. Melius ergo.

Probatur primo: quia Iura dispensant in hoc ieiunio, vnde licitum est infirmo non ieiuno communicare, & non solum semel, sed etiam pluries in eadem infirmitate, ex dictis supra: ergo etiam dispensare censentur cum Sacerdote, quando nisi celebret non ieiunus infirmus decederet sine Viatico. Probatur consequentia: quia signum est ieiunium non præcipi ab Ecclesia cum eo rigore, quo præcipiuntur vestes sacræ, & similes ritus pro celebratione: neque ex omissione ieiunij eam sequi irreuerentiam contra Sacramentum, sicut ex omissione vestium, Altaris &c. Quare non obligat cum notabili detrimento proprij, vel proximi.

Confirmatur: quia per Epikeiam cessant etiam in eodem casu alia præcepta Ecclesiæ, potest enim Sacerdos celebrare sine præuia confessione, vel sine ministro, vel qualibet hora diei, vel bis eadem die ad communicandum moribundum prædictum; ergò potest etiam non præmisso ieiunio.

Probatur secundo potest Sacerdos non ieiunus celebrare ad communicandum seipsum, quando est morti proximus naturali: vel violentæ, nec suppetunt hostiæ præconsecratæ, vt concedunt ferè communiter etiam auctores primæ sententiæ: ergo etiam potest celebrare ad communicandum proximum. Probatur consequentia: quia lege charitatis tenemur diligere proximum sicut nos ipsos, & eius grauem necessitatem tanquam propriã existimare. Deindè si non consequitur irreuerentia contra Sacramentum in casu proprio, non est cur sequatur si quis celebret ad communicandum alium. Ita maior, Zanardus, Philarcus, Heredia, Zambranus, Granado, & alij apud Auersam supra, & apud Dianam p.5.tract.3.resol.55.& eamdem absolutè probabilem putant Cardinalis de Lugo disp.15 n 67 Filliuccius tract.4.n. 142. Diana p.8.tract,1.resol,78.$ sed hæc exempla, & alij plures.

Ad argumenta primæ sententiæ respondeo ad primum Ieiunium prærequisitum ad celebrationem non esse ex illis ritibus ex quorum omissione sequatur irreuerentia, posito casu necessitatis. vt patet ex dictis.

Ad confirmationem respondeo præsumi Ecclesiam dispensare à simili. Nec obstat praxis; quia hic casus rarissimè occurrit, quod si contingat quilibet sequi potest opinionem probabilem DD.

Ad secundum respondeo negando paritatem: est enim diuersa ratio de vestibus sacris, de Altari, & alijs huiusmodi; ac de ieiunio. Quidam enim ritus Missæ primario, & magis directè instituti sunt ab Ecclesia ad decẽtem ornatum, & maiestatem Sacrificij, & pertinent ad Sacrum apparatum, cum quo missa celebrari debet, ne sacra Mysteria apud populum vilescerent; ad quem apparatum pertinet vestes sacræ, Altare, lumina, & his similia; quorum omissio inducit maiorem irreuerentiam; vel contemptum Sacramenti: & idcirco eorum omissio non excusatur, nisi in extrema necessitate.

Alij sunt ritus præscripti ex parte subiecti, vt quantum fieri potest digne & cum maiori fructu fideles communicent, vt confessio, & ieiunium: qui ritus non obligant in casu necessitatis, neque ex eorum omissione tanta sequitur irreuerentia contra Sacramentũ, cum potius in bonum suscipientis sint instituti, & vt seruentur quantum moraliter fieri potest absque maiori detrimento eorumdem sumentium. Vnde nil mirum si horum obligatio cesset in casu necessitatis, non verò illorum. Tandem defectus sacrarũ vestium, & similium non potest aliunde suppleri, & ideo non permittitur nisi in casu extremæ necessitatis: Defectus verò eorum quæ requiruntur vt dispositio communicaturi, possunt aliunde suppleri, nempè defectus confessionis suppleri potest contritione, & defectus ieiunij alijs mortificationibus, vel actibus virtutum; quibus inducitur quis ad celebrandum, & communicandum non ieiunus: vnde constat præceptum ieiunij magis assimilari præcepto confessionis præmittendæ communioni, quam præcepto adhibendi vestes sacras, Altare &c. Quare sicut facilius admittitur causa excusans in Præcepto confessionis quam in præcepto Sacrarum vestium, ita & in præcepto ieiunij.

SE-

SECTIO II.

De corporli munditie ad communionem requisita, præsertim à Pollutione.

DVBIVM I.

Vtrum pollutio communionem impediat.

PRæmittendum est: pollurionem considerari posse dupliciter. Primo quatenus peccatum est in se, vel in causa: secundo ratione effectus, quatenus relinquit post se aliquam fœditatem, & impuritatem in corpore, vel etiam in phantasia & imaginatione, quamuis fuerit inuolunraria, & in hoc secundo sensu hic præsertim loquimur de pollutione. Certum est enim in primo sensu eam impedire communionem, sicut reliqua peccata mortalia, nisi prius per pœnitentiam, & confessionem fuerit delera: Sed difficultas hic est ratione effectus, quem post se relinquit, an eodem die communionem impediat.

Prima sententia absolutè negat.

Probarur qui accedit ad Eucharistiam in gratia, dignè accedit, vel saltem non indignè: Sed pollutio præcedens, non impedit statum gratiæ in casu de quo loquimur: ergo neque impedit communionem: probatur minor: quia vel fuit inuoluntaria, & absque peccato, & sic nullo modo pugnat cum gratia: vel fuit voluntaria, & per pœnitentiam, & confessionem deleta, & sic eadem est ratio de pollutione, & alijs peccatis, quæ per confessionem deleta non impediunt communionem: quia nihil culpabile superest, quod possit esse impedimento cōmunioni; Imo communio potest esse remedium recidiui. Ita Io. Sancius in selectis disp 23. citans Medinā, & Marcillam, & in fauorem huius sententiæ, nonnullos etiam citat Diana p. 10. tract 16. resol. 33. Videlicet Bernal, Leandrum, Dicastillum, & alios.

Secunda sententia docet, pollutionem siue inuoluntariam, siue voluntariam, & per confessionem deletam, non impedire quidem simpliciter, & ex obligatione communionem eiusdem diei, nihilominus impedire secundum quid, & ex consilio, quatenus ex consilio, & ad maiorem reuerentiam Sacramenti meliùs est differre communionem per diem: Probarur, quia cum pollutio relinquat fœditatem quamdam in corpore, & distractionem in phantasia, recta ratio dictat vt quis non ita fœtidus accedat ad Christum puritaris amantissimum, quando adhuc redolet fæces illas, neque distractus, sad saltem magis esse expediens, vt per diem differat, etiam post confessionem; vt orationibus & alijs virtutum actibus se odoriferum reddat, ex cap. non sufficit de pœnit dist. 1. Ita D. Th. 3. p. q. 80 art. 7. Henriquez lib. 8. cap. 51. n. 3. Azor tom 1 lib. 10. cap. 31 q. 13. & 14. Salazar in tract de frequentia communionis cap. 9. §. 2. & 3. Limitant citati DD. nisi iusta causa aliter suadeat, vt necessitas, vel vtilitas, quæ compenset irreuerentiam.

Tertia sententia probabilior cui adhereo, sic distinguit. Si pollutio relinquat distractionem mentis veneream, & commotionem carnis turpem, vnde homo fit minus aptus ad res diuinas tractandas; tunc per se loquendo est peccatum veniale sic communicare, seu tenetur ille sub veniali differre communionem, donec talis euagatio, vel commotio sedetur. Quod si nihil tale post se relinquat, pollutio nullo modo communionem impedit. Ratio prioris partis: quia non caret irreuerentia, quæ sit peccatum veniale accedere ad Sacramentum cum ea mentis euagatione, & inordinatis motibus: sicut indecens est accedere ad conuiuium Principis in simili statu fœditatis, vel mentis inordinatæ, & alienatæ. Dixi per se loquendo, quia iusta causa facile excusare potest à tali culpa, si vrgeat vel necessitas vel vtilitas cōmunicandi, quæ compenset defectum attentionis, & deuotionis.

Ratio posterioris partis est: quia secluso eo turpi effectu, pollutio non impedit deuotionem; ergo neque impedit communionem, etiam eodem die.

Cōfirmatur ex rubrica supra explicata hoc tit. 9 n. 5. quæ totam rationem abstinendi à communione post pollutionem, refert ad mentis perturbationem inde relictam: Ita Suar. disp 68. sec. 4. Coninh q. 80. n. 42. Bonacina de Sacram disp. 4. q 8. punc. 2. Cardinalis de Lugo disp 15. nu. 9. Auersa de Euchar. q. 8. sec 8. initio, & alij, quos affert, & sequitur Diana p. 5. tract. 13 resol. 65. et uidetur communis sententia.

Colligitur primo non esse differendam cōmunionem etiam ex consilio, præcisè ob fœditatem, vel maculam corporalem pollutionis, seclusa perturbatione, vel distractione mentis; quia non impeditur deuotio. DD. citati.

Col-

Colligitur secundo. Multo minus impediri communionem per pollutionem inuoluntariam quam voluntariam, & cum peccato mortali; quia hæc maiorem mentis perturbationem solet post se relinquere, quarè facilius excusantur à peccato veniali, qui post pollutionem nocte precedenti habitam proximo mane communicant, si in somnis vel inuoluntarie eam passi fuerint, quàm eos qui voluntariè se ea inquinarunt, etiamsi mane confessi fuerint, vt supponimus, ad vitandũ peccatum mortale. DD. citati.

Colligitur tertio. Quid sit dicendum de copula carnali. Dicendum est enim si fuit illicita eam impedire communionem, sicut impedit pollutio voluntaria: Si vero fuit licita seù coniugalis, idem dicendum ac dictũ est de pollutione inuoluntaria, & attendi debent effectus distractionis, & commotionis DD. supra citati, Vide etiam Dianam p. 10. tract. 16. resol. 33. Vbi refert varias opiniones DD.

Colligitur quarto. Videri iustam causam communicādi post pollutionem etiam voluntariam præmissa confessione solemnitatem præcipuam talis diei. Semper etiam est iusta causa, vel necessitas vitandi infamiam, aut notam aliquam, vel magna vtilitas communionis, vt notant DD. citati apud Auersam supra. Idemque dicendum de copula præsertim coniugali, ex quibus prudens confessarius arbitrari poterit quando dilationem possit iniungere, vel è contra licentiam communicandi præbere.

Colligitur quinto. Nullum esse peccatum post communionem eodem die ad vxorem accedere petendo, vel reddendo debitum: quamuis sit sanum consilium eo die abstinere: quia consumptis speciebus Sacramentalibus nulla est obligatio abstinendi à rebus licitis; quamuis causent distractionem, ita Sanchez de matrim. lib. 9 disp. 13. n 17 cum alijs communiter; Vide etiam Dianam supra resol. 33. citata.

DVBIVM II.


Vtrum alia peccata mortalia recenter commissa licet per confessionem deleta inducant obligationem differendi communionem.

EXaminamus hic hoc dubium ob connexionem cum præcedenti.

Aliqui enim DD. affirmant differendam esse communionem per diem, saltem sub peccato veniali post quodlibet graue peccatum commissum, quia non caret irreuerentiam post vomitum tantæ sordis, illicò tangere Christi corpus. Confirmatur: quia quāuis ex alijs peccatis non remaneat in corpore illa fœditas, quæ relinqui solet ex peccatis carnalibus, ex multis tamen remanet quædam contaminatio, vt ex blasphemijs, e t gula; vel mentis perturbatio vt ex ira, & rixis &c. Ita Caiet Sum verbo communio, Fagundez præcept 3. lib 3. cap 6. n. 9. Henrique Nugnus, & alij, quos citat, & sequitur Bonacina de Sacram. disp. 4 q 6. punc. 2. n 3.

Secunda sententia communis, & probabilior docet, Per se loquendo nullum esse peccatum communicare paulò post commissum peccatum mortale præmissa confessione.

Probatur; quia nullum est præceptum humanum, vel diuinum obligans ad differendam communionem post præmissam debitam confessionem: quoad præceptum positiuum fatentur Couar. & Nauar. non dari, quia reuera nec habetur scriptum, nec per traditionem; Si quod tamen olim viguit, communi totius Ecclesiæ consuetudine iam fuit abrogatum, vt asserunt Henriq. supra, & Fagundez infrà: imò putant Aliqui tale præceptum numquam extitisse. Quoad præceptum naturale patet; quia ratio naturalis solùm dictat Sancta Sanctè tractari; licèt autem breue tempus post peccatum intercedat, potest esse talis conuersio peccatoris, vt non solum Sanctus fit, sed etiam Sanctior, & deuotior quam antea. Nec Paulus 1. Corinth. 11. Nec Trid sess. 13. c. 7. aliam probationem aliam sanctitatem ex necessitate requirunt, nisi vt nullus sibi conscius peccati mortalis non confessi recipiat Eucharistiam; nec certa ratione definiri posset quanto tempore sit abstinendum; Ita Paludanus, Syluester, & Alij, quos sequitur Suar. disp. 66 sec. 4 Nauar. ipse in summa latina cap. 21. num. 51. Azor. tom. 1. lib. 10. cap. 31. q 13 & 14 Ioan. Sanchez disp. 23 n 26. 29. & 30. Diana p. 3 tract. 6 resol. 30. Adrianus, Coninch de Sacram. q. 80. n. 42. Auersa de Euchar. q. 8. sec. 5. §. septimo. Henriq lib. 8. cap. 51.



DV-

DVBIVM III.

An Morbus, vel Alius corporis defectus communionem impediat.

RESpondeo, & dico primo. Patientes vomitum, vel assiduam tussim, aut similem morbum, ex quo timetur periculum, ne quid sacrarum specierum eijciatur, non possunt licitè communicare, nec eisdem tribui potest Eucharistia absque peccato mortali. Probatur: quia hoc cædit in grauem iniuriam tanti Sacramenti, Ita D. Th. 3. p. q. 83. art 6 ad 7. Suar. disp. 68 sec. 2. initio, Emanuel Sá, Syluius, Sancius, & Alij, quos affert Diana p. 2. tract. 14 resol. 68. & p. 5. tract. 3. resol. 53. Vbi benè addit posse fieri experimentum, An sumi, & retineri possit hostia consecrata ab infirmo, nimirum vt priùs illi porrigatur hostia non consecrata, quam si eijciat, nullatenus tribuendum est Sacramentum. Si verò illam non eijciat, & spes probabilis sit non redditurum vomitum per horam, poterit tribui Sacramentum, consonat Tambur. Opusc. de commun. cap. 2. §. 5.

Constat etiam Conclusio ex Rituali Romano de Euchar. cap. de communione infirmorum, vbi expresse cauetur, nè tribuatur Viaticum iis, à quibus ob phrenesim, vel assiduam tussim &c aliqua indecentia cum iniuria tanti Sacramenti timeri potest. Infra etiam cauetur ne iis, qui communicare non possunt deferatur Eucharistia ad adorandum solum, vel ostendendum.

Dico secundo seclusopericulo vomitus, de quo dictum est, nullus alius morbus, quantumuis fœtidus, vel deformans hominem per se loquendo impedit communionem, nec. alius corporalis defectus inculpatus.

Probatur: quia ad dignè communicandum non requiritur nisi status gratiæ, ex A post & Trid. sess. 14. cap. 7. & consequenter mundities à culpa, vel etiam à maculis, quæ connexionem habent cum culpa & peccato, ex dictis supra de Pollutione: ergò maculæ inculpatæ, vel defectus corporis inculpati non impediunt communionem, loquor autem de communione quæ fit more laico: Nam de celebratione Missæ Alia est ratio, vt dicemus dubio sequenti.

Confirmatur: quia Christus non horret fœditatem, vel deformitatem corporis in suis fidelibus; sed deformitatem animæ, vt patet in Lazzaro mendico, & vlceribus pleno, quem ipse Christus commendauit in Euangelio: ergò defectus corporalis non impedit communionem, quando non habet connexionem cum culpa.

Dixi Per se loquendo: quia per accidens ratione horroris aliorum, qui simul communicant, vel indecentiæ alicuius quæ inde resultet, poterit defectus corporalis aliqualiter impedire communionem, ita vt sit obligatio sub veniali illam differendi, si breui credatur tollendus, aliàs minimè: Ita Suar. supra, Henriq. lib. 8. cap. 49. n. 1. Fagundez Præcep. 3. lib 3, cap 6. Filliucius tract. 4. num. 2:7. Cardinalis de Lugo disp. 15. n. 15.

Colligitur primo. Nec leprosos, aut vlceribus plenos, nec eos, qui fluxum sanguinis, aut seminis inuiti patiuntur, nec menstruatas, nec tandem deformes facie, vel corpore vitiatos arceri à communione: quia Christus eos non horret, Imò hi possunt esse magis Deo grati; Ita Suar. Henriq. Fagundez, & Alij citati.

Colligitur secundo. Non esse prohibitum fœminis. vt post partum aliquibus diebus à communione abstineant, vt aliqui dixerunt; sed solum impediuntur ex natura rei, quatenus propter debilitatem non possunt accedere ad Ecclesiam, nec aliud colligitur ex cap. 1. de purificatione post partum, & docent Suar. & Filiuccius supra cum alijs.

Colligitur tertio. Neque delirantibus, nec Energumenis negandā esse communionem, seclusa irrèuerentiæ periculo, vt diximus 2. p. tit 10 3. dub. 2 vbi etiam dub. 3 diximus de habitu communicantium, & similibus circumstantijs.

DVBIVM IV.

An defectus, vel uitium corporis impediat Missæ celebrationem.

DIuersā est ratio de simplici communione quæ fit more laico, ac de celebratione Missæ, in qua Sacerdos nedum communicare debet, sed etiam offere Sacrificium, & conficere Sacramentum solemni ritu: & idcirco plura merito requiruntur in Sacerdote pro celebratione Missæ & maiestate talis functionis, quorum defectus eam impediunt, quam sint necessaria pro simplici communione. Hoc posito.

Respondeo. Omnis morbus vel defectus corporalis, quo vel impeditur Sacerdos à conuenienti obseruatione rituum Missæ, vel redditur monstruosus, aut valdè deformis impedit eumdem à celebratione Missæ, ita vt pec-

peccet mortaliter si in eo statu celebret;

Probatur, quia posito tali defectu hoc ipso est irregularis, vt patet ex cap. 2. de Clerico ægrotante, ex cap. vltimo de corpore vitiatis, & alijs iuribus. Constat autem irregularitatem nedum impedire à susceptione ordinum, quos nondum quis habet; sed etiam ab exercitio eorum quos habet, consequenter à celebratione Missæ in casu nostro. Hæc autem irregularitas cùm sit ex defectu, non prærequirit culpam. Ita Nauar. sum. cap. 27. num. 200 Suar. de censur. disp. 50. Sayro lib. 6. cap 6 Coninch de Sacram, disp. 18. dub. 13. num. 106. Bonacina de censur. disp. 7. q. 2. punc 2. & Alij passim.

Hinc primo Cœcus, vel carens naso, vel habens labia penitus corrosa celebrare non possunt: similiter laborantes morbo caduco, aut simili: quia omnes prædicti sunt Irregulares, vt fusè explicant DD in tract. de irregularitate, & videri possunt supra citati.

Secundo qui pollicem, aut anteriores digitos ita habent debiles, vt sine periculo hostiam tenere, aut frangere, aut calicem eleuare non possint, irregulares censendi sunt, vt notat Coninch supra allegatus.

Tandem hic aduertendum, mitius procedendum esse cum illis, quibus superuenit defectus aliquis post susceptum sacerdotium, quàm cum alijs nondum promotis ad ordines factos: hi enim repelli debent, & inhabiles ad sacerdotium iudicari; si quomodolibet impediti fuerint à conuenienti obseruatione rituum Missæ, vt supra dicebamus; illi verò quibus iam promotis ad sacerdotium superuenit defectus E. g. surditas non censendi sunt irregulares, nec excludendi à celebratione Missæ, nisi aliquem ex grauioribus ritibus obseruare non possint, e. g. eleuationem vel fractionem hostiæ: aut non sine scandalo vel periculo, & notabili deformitate Missam celebrare possint: sufficienti cum D. Thoma 3. p. q. 82 ar. vltimo ad 3. notant citati DD. præsertim Coninch de Sacram. disp. 18. dub. 13. & Filliucius trac. 19 cap. 6. n. 158.

Censentur autem ritus graues, qui specialem & magni ponderis habent significationem, vel proximè accedunt ad substantiam sacrificij; E. g. oblatio post offertorium & plura quæ dicuntur, & fiunt in Canone, vt alias diximus cum Suar. de sacrif. disp. 84. sec. 2. & docent Dicastillo de Sacram. trac. 5. disp. 4. dubit. 13. n. 259. & Mendozâ Theol. moral. trac. 1. exam. 11. p. 1. cap. 4. n. 41. cum alijs. Hinc sacerdos, qui ob neruì contractionem non poterat communicare manu dextera sed sinistra à multis Theologis iudicatus fuit habilis ad celebrandum nec irregularis: quia communicare manu dextera, nec habet specialem significationem, nec censetur ritus grauis, & PP. Dominicani manu sinistra decenter communicat in Missa.

TITVLVS X.

DE DEFECTIBVS IN MINISTERIO IPSO OCCVRRENTIBVS.

HIc Titulus cæteris prolixior est multiplicem continēs materiam in plures frequentes numeros distributam; idcirco ad vitandam confusionem non prorogamus examen dubiorum in finem tituli, sicut hactenus obseruauimus: sed singulis rubricis, quarum materia id exiget post explicationem literalem immediatè adijcimus dubia conscientiæ seruato ordine numerorum posito in Missali.

NVMERVS I.

1. Possunt etiam defectus occurrere in ministerio ipso, si aliquid ex requisitis ad illud desit: vt si celebretur in loco non sacro, vel non deputato ab Episcopo, vel in Altari non consecrato, vel tribus mappis non cooperto: si non adsint luminaria cerea; si non sit tempus debitum celebrandi; quod est ab aurora asque ad meridiem, communiter. si Celebrans saltem matutinum cum laudibus non dixerit: si omittat aliquid ex vestibus sacerdotalibus: si vestes sacerdotales, & mappæ non sint ab Episcopo, vel ab alio hanc habente potestatem benedictæ: si

non adsit clericus, vel alius deseruiens in Missa, vel adsit qui deseruire non debet, vt mulier: si non adsit calix cum Patena conueniens, cuius cuppa debet esse aurea, vel argentea, vel stannea; non ærea, vel vitrea si corporalia non sint munda, quæ debent esse ex lino, nec serico in medio ornata, & ab Episcopo vel ab alio hanc habente Potestatem benedicta, vt etiam superius dictum est: si celebrat capite cooperto sine dispensatione: si non adsit Missale, licet memoriter sciret Missam, quam intendit dicere.

EXPLICATIO LITERALIS.

Tenetur Sacerdos in ministerio ipso, seu in ipso actu celebrationis Missæ diligenter seruare ea omnia, quæ per rubricas missalis, & iure diuino, & Canonico requiruntur ad essentiam, & integritatem Sacrificij; tum ad eius ornatum & decentiam: vt latè probauimus in quæstione procemiali: quare si aliquid desit ex requisitis prædictis, certè defectus occurrit in ipso ministerio, atque imputatur ipsi celebranti ad culpam, si potens defectum præcauere, neglexit. & tenetur deinde illum supplere, vt diximus initio huius tertiæ partis. His positis, enumerantur in hac rubrica ea, quæ requiruntur ad hoc sacrum misterium, quo ad circumstantias extrinsecas Sacrificij, videlicet locus & tempus, vestes & vasa sacra, minister & missale, & ea quæ præmittere debet Sacerdos ante celebrationem: de quibus omnibus suis locis alibi disseruimus excepto loco mediato, videlicet, Ecclesia, in qua Missa celebrari communiter debet. Dixi mediato, nam de loco immediato & proprio, nempè de Altari, & eius ornatu satis etiam diximus p. 1 tit. 20. Superest igitur vt hic disseramus de loco mediato, qui communiter solet esse Ecclesia. Quo circa duo præsertim explicantur in hac rubrica videlicet, posse defectum occurrere in Missa, primo si celebretur in loco non Sacro; Secundo si celebretur in loco saltem non deputato ab Episcopo; Itaque locus Missæ, vel debet esse Sacer; vel saltem deputatus ab Episcopo & à fortiori sufficiet locus deputatus à Summo Pontifice; vt si alicubi celebretur ex speciali priuilegio, vel concessione Summi Pontificis; quæ omnia speciatim declarabimus in dubbijs sequentibus.

DVBIA CONSCIENTIAE

SECTIO I.

De Ecclesijs, & alijs locis aptis ad celebrationem Missæ ex vi iuris communis.

Triplex numeratur locus in quo licite, & liberè potest celebrari Missa communiter, & ordinariè loquendo, videlicet primo Ecclesia consecrata, secundo Ecclesia benedicta: tertio Oratorium publicum nec consecratum nec benedictum, sed sola Eiscopi auctoritate, & designatione ad cultum diuinum deputatum, de quorum singulis primo dicemus; deindè de alijs extraordinarijs, in quibus rarius celebratur.

DVBIVM I.

De Ecclesia consecrata qualiter deputetur ad celebrationem Missæ.

Præmittendum est: Sanctum & conuenientissimum esse, destinari inter fideles publica loca, in quibus singulariter colatur Deus, & ad ea plebs Christiana conueniat ad religionis opera præstanda. Sic templa fuerunt cunctis nationibus veneranda. Sic Ecclesias seu Basilicas habuerunt fideles ab Apostolorum tempore, quæ certis ritibus consecrantur ad conciliandam reuerentiam locis sacris, & ad excitandam piorum deuotionem, vt contra Nouatores latè probant Vualdensis tom. 2. tit 17 & sequentibus, Bellarminus tom. 1. Controu. 7 lib. 3. Suar. de Sacram disp. 81. sec. 1. & 2. cum alijs, quos citant. Hoc posito.

Re-

Respondeo, & dico primò præcipuus finis propter quem templa erigunntur et consecrantur est, vt in eis diuinum sacrificium Missæ ritè celebretur. Probatur; quia Sacrificium Missæ est ministerium omnium sacratissimum: ergo vt ritè, et conuenienter offeratur, requirit quòad eius fieri potest locum sacrum, non solum proprium et immediatum, nempe Altare; sed etiam mediatum. Probatur consequentia; quia Sancta Sanctè tractari debent quòad omnes circũstantias, quæ ad illa pertinent; vt debita proportio seruetur, quatenus sacræ dispositionis sunt capaces: sed locus est vna ex præcipuis circumstantijs Sacrificij: ergò conuenientissimum est, vt sit Sacer, et sic sacræ functioni proportionatus.

Confirmatur: quia idcirco in veteri lege templum Dei ædificatum fuit; quia ibi sensibilia Sacrificia erant Deo offerenda: ergò à fortiori in lege gratiæ. Item sacrificium soli Deo offertur: ergo conuenit vt in domo, Dei, seù specialiter Deo dicata offeratur. Ita ex locis sacræ Scripturæ, ex Concilijs, & patribus pxplicat fusè Suarez cum alijs supracitatis.

Dico secundo Iure communi antiquo non erat licitum celebrare Missam, nisi in templo consecrato extra casum necessitatis, vt patet ex cap. nullus Præsbyter, & alijs de consecr. dist. 1. & tradunt DD in 4 d. 13. D. Th. 3 p q. 83 art. 3. & expositores ibidem. Sylnest. Angelus, & alij summistæ verbo Missa.

Postea vero (quoniam Ecclesiarum consecratio rara, & difficilis est) cessauit illud præceptum, ita vt licitum sit iure ordinario celebrare in quolibet loco sacro, etiam per simplicem benedictionem, vel alias ad cultum Dei destinato, vt dicemus dubijs sequentibus, vbi DD. afferemus, & patet ex Trid. sess. 22. in decreto de obseruandis in celebratione Missæ, itaque decentissimum est celebrare Missam in Templo consecrato; Hoc tamen non est necessarium, neque cadit sub præcepto.

Dico tertio conuenienter etiam dedicantur, & consecrantur Ecclesiæ non solum in cultum Dei & Sanctorum, sed etiam in vtilitatem fidelium, vt ibi ad orationem conuenientes deuotius orent, & facilius impetrẽt ea quæ postulant. Probatur: quia tum sacris signis ibidem collocatis, tum præcipue deprecatione Ecclesiæ, & orationibus, quibus vtitur in consecratione Templorum, & in hymnis dedicationis eorumdem, ipsæ Ecclesiæ consecratæ specialem efficaciam acquirunt arcendi Demones, ne adeo infesti sint orantibus in illis, & vt diuino fauore protegantur, & facilius Deus orantium in eisdem locis præces exaudiat, vt docet D. Th. 3. p. q. 83 art 3. ad. 3. Caiet. 1. ibidem, Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 81. sec. 1. & 2. & alij communiter.

DVBIVM II.

De Ecclesia benedicta, & eiusdem deputatione ad celebrationem Missæ.

Præmittendum est: quamuis sit valde expediens Templa solemniter consecrari ab Episcopis vnctione Chrismatis, & alijs ritibus in Pontificali præscriptis ad ampliorem reuerentiam fidelium conciliandam, & ad expressius significandam excellentiam Diuinæ Maiestatis, cui Templum dicatur, vt patet ex dictis dub. præcedenti, & ex DD. ibidem citatis; Nihilominus quia solemnis hæc consecratio difficilius obtineri potest, & maiori indiget apparatu, sæpius destinantur seu deputantur Ecclesiæ ad diuinum cultum, ad oblationem Sacrificij, & ad alia Sacra ministeria, deputantur inquam per simplicem benedictionem vt patet ex Trid. sess. 22. in decreto de obseruandis in celebratione Missæ, & docent communiter DD. Suar. disp. 81. sec. 2. Coninh q. 83. art. 3. dub. 1. Bonacina de Sacram. disp. 4. q vltima punc. q & alij communiter. Hoc posito.

Respondeo, & dico primò benedictio nouæ Ecclesiæ potest fieri vel ab Episcopo, vel à Sacerdote de eius licentia adhibitis orationibus & aqua lustrali, iusta formam in Rituali præscriptam, vt patet ex eodem Rituali Romano Pauli V. rit. de benedictionibus cap. Ritus benedicendi nouam Ecclesiam, quæ tamen postea à solo Episcopo consecranda est

Dico secundo in Ecclesia benedicta potest licitè ab omnibus Sacerdotibus celebrari Missa. Probatur; quia per benedictionem fit locus Sacer aptus, & proportionatus huic sacro ministerio. An autem benedictio prædicta sit necessaria, vt in Ecclesia, vel oratorio possit Missa celebrari. Patebit ex dicendis dub sequenti, non esse absolute necessariam, & docent DD. supra citati communiter.

Dico tertio. Ecclesia sic benedicta, & auctoritate Episcopi erecta ad Sacramenta ministranda gaudet eisdem priuilegiis, quibus Ecclesia consecrata, vt docent communiter DD. in cap. vltimo de consecr. Ecclesiæ, quos citat, & sequitur Suar. citata disp 81. sect. 3. §. est autem &c. & praxis ipsa manifestat.

DVBIVM III.

De Oratorijs, seu locis pijs non consecratis, nec benedictis. Qualiter possit in eis celebrari Missa.

RESpondeo, & dico primo, Potest licitè celebrari Missa in Oratorijs: quamuis ea nec sint consecrata, nec benedicta, modò ab Episcopo ad diuinum tantum cultum sint destinata & designata, vt constat ex Trident. sess. 22. in decreto citato de obseruandis in celebratione Missæ, & docent communiter Doctor. dub. præcedendi citati, & infra citandi.

Ratio assignati potest: quia ex vna parte per illam designationem Episcopi, (quamuis Oratorium prædictum non acquirat illud esse tam sacrum quod proprius conferri solet per benedictionem, acquirit tamen aliquod esse sacrum minùs proprium, quatenus facta ea designatione ab Episcopo censetur locus pius & religiosus, & à locis prophanis verè distinctus, & segregatus, vt cum alijs probat Sanchez lib. 9 de matrim. disp. 15. num. 39. & Diana p. 9. trac. 1. ref. 32. §. nota. Ex alia parte vt frequentius offeratur hoc sacrificium tam Deo acceptum, & maior tribuatur commoditas populis eidem sacrificio assistendi, voluit Ecclesia ampliare hanc licentiam celebrandi, etiam in locis non benedictis, modò decentia sint, & authoritate Episcopi designata, & approbata. Præsertim quia semper est necessarium Altare consecratum portatile, quod est locus proprius, & immediatus sacrificij.

Dico secundo Oratorium ab Episcopo designandum, vt ibi communiter & permanenter possit celebrari Missa, etiam secluso casu necessitatis, debet esse publicum, quod videlicet habeat ostium patens in via publica, & solet etiam habere campanam, non autem priuatum, seu in priuatis domibus, & angulis earum. Probatur: quia licet controuersia sit inter DD. an vi præcisa Concilij Tridentini supra citati reuocata sit Episcopis facultas concedendi licentiam ad faciendum sacrum in priuatis domibus secularium, de qua controuersia agit Diana p. 9. tra. 1. ref. 42. Certum est tamen hanc facultatem sublatam fuisse à Summis Pontificibus Paulo Quinto, & Vrbano Octauo vt videre est apud eumdem Dianam, & nos infra dicemus sec. 3.

Dico tertio, Oratoria prædicta ab Episcopo designata ad diuinum tantum cultum & ad Missæ sacrificium, ex vna parte distinguuntur ab Ecclesijs, quæ propriè & in rigore Ecclesiæ nominantur, quæ sunt consecratæ vel saltem benedictæ, & in quibus communiter Sacramenta ministrantur, & corpora fidelium sepeliuntur, quod non conuenit Oratorijs benedictione carentibus; Nihilominus possunt etiam Ecclesiæ nominari, & loca religiosa & sacra, & gaudent etiam immunitate Ecclesiastica. Probatur ex cap Ecclesiæ de immunitate Ecclesiarum, vbi ratio adducitur his verbis: Quia obsequijs diuinis dedicata nullius est contrarijs vsibus prophananda. Oratoria autem prædicta obsequijs diuinis dedicata sunt, & conuerti non possunt ad vsus prophanos: ergo &c. ita Siluest. verbo immunitas 1. Couarr. & alij, quos citat Suar. tom. 1. de Relig. trac. 2. cap. 9. Card de Lugo de Euchar. disp. 20. sec. 12. num. 60. Diana pãt. 9. tract. 1. resol. 18.

DVBIVM IV.

An, et qualiter sit prohibitum celebrare missam extra loca sacra prædicta.

CErtum est iure communi & ordinario non posse licite celebrari missam nisi in Ecclesia ab Episcopo consecrata vel benedicta, aut saltem in Oratorio per Episcopum ad hoc designato: quare prohibitum est eam celebrari extra loca sacra prædicta, saltem absque speciali licentia Episcopi, vt patet ex cap. Nullus presbyter, & ex cap. sicut de consecr. dist. 1. & docet D. Th. 3. p. q. 83. art. 3. & expositores communiter.

Item constat apertè ex Trid. sess. 22 in decreto de obseruandis in celebr. missæ, vbi sic habetur, nè patiantur Episcopi priuatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab eisdem Ordinarijs designanda, & visitanda, sanctum hoc sacrificium à secularibus, vel regularibus peragi: quibus verbis non nihil restringit facultatem iure antiquo Episcopis concessam circa locum sacrificij, vt dicemus. Difficultas est igitur qualis sit hæc prohibitio, an grauis & sub peccato mortali, vel tantum sub veniali.

Prima sententia est Soti in 4. dist. 13. qu. 2. art. 3. quem sequitur Sà verbo missa num. 20. qui sentiunt secluso scandalo vel contemptu non esse peccatum mortale celebrare missam extra loca sacra prædicta, sed solum veniale. Ratio potest esse: quia posito quòd adhibeatur Altare portatile consecratum, quod est absolu-

solutè necessarium, non videtur grauis irreuerentia, si locus communis, & mediatus non sit sacer, modò aliàs decens sit. Hæc tamen sententia meritò ab omnibus reijcitur vt falsa.

Secunda ergo sententia absolutè vera docet, prohibitionem hanc esse grauem & sub peccato mortali; vnde qui secluso casu necessitatis, (de quo infra) extra Ecclesiam vel Oratorium ab Episcopo designatum celebraret mortaliter peccaret. Probatur: quia Canones citati, & Concil Trid. de loco mediato sacrificij, tanquam de re grauissima loquuntur. Tum quia communis sensus DD. & fidelium eam prohibitionem rigorosè interpretantur, ita vt violari non possit absque peccato mortali. Ita Suar de Sacram.disp 81. sec.3 Coninch. de Sacram.q.83.ar.3.dub.1 nu. 121. Auersa de sacrif.q 11. sec 14. § secundo, Tambur de sacrif lib.1 cap.4 § 1. Siluius, Villalobos, Homobonus, & alij, quos citat, & sequitur Diana p.2.tr.14.res.38.

Colligitur: quamuis olim Episcopi ex vi iuris antiqui habuerint facultatem permittendi alicui, vt celebrare posset extra Ecclesiam quocumque honesto loco in Altari portili, vt patet ex cap.Missarum, & cap.Hic ergo de consec.dist.1. Hanc tamen facultatem modò esse restrictam per Conc. Tridentinum supra adductum, videlicet vt non possint liberè concedere eam licentiam celebrandi extra locum sacrum, & diuino cultui tantum destinatum; sed solum in casu necessitatis, vel alias ex causa rationabili per modum dispensationis. ita Suar. Coninch. Tambur. locis cit. cum alijs, quos citat, & sequitur Diana p.9. tract.1.res.42.

DVBIVM V.

Vtrum in casu necessitatis licitum sit celebrare Missam extra Ecclesiam, & loca sacra.

RESpondeo licitum esse etiam in aperto campo, & sub dio (vt aiunt) dummodo tamen sacrum fiat super Altare portatile consecratum, quod semper requiritur cum alijs necessarijs ad ornatum Altaris. Probatur: tum quia leges ecclesiasticæ communiter non obligant cum tanto rigore; quin excipi debeat casus necessitatis, & ex causa rationabili admittenda sit excusatio. Tum quia in casu nostro iura loquentes de loco sacrificij manifestè excipiunt casum necessitatis: Nam in cap. concedimus de consecr.dist.1. sic habetur, in itinere possitis si Ecclesia defuerit sub dio, seu in tentorio &c. Missarum solemnia celebrare, & docet D.Thom.3.p q.83.ar.3. & Doctor. communiter, quos infra citabimus.

Colligitur: licitum esse celebrare extra Ecclesiam, & loca sacra superius explicata, quoties occurrit festum, & vrget necessitas satisfaciendi præcepto audiendi sacrum si desit Ecclesia, & plures sint qui sacro interesse debeant, vt satisfiat multitudini, tam in casu posito iter agentium, quam similium E. g. nauigantium, qui si peruenirint ad litus, quādo obligat præceptum audiendi Missam, permittitur in littore celebrari, vt qui in nauibus & triremibus sunt possint audire sacrū: itē in castris militum in diebus festis de præcepto fit sacrū in aperto Cāpo, vel in aliquo tentorio. Similiter in die proprio solemni alicuius paruæ Ecclesiæ si abūdet populi multitudo potest erigi Altare ante, seu extra ipsam Ecclesiam, in eoquē celebrari vt totus populus possit audire Missam, quod intelligo etiam si alias festum non esset de præcepto modò abundet multitudo concurrentium. ita Nauar sum. cap 25. num 82. Suar. disp.81. sect 3 Card de Lugo disput 20. nu.48 Coninch. q.83 nu.224. Auersa de sacrif. q.11 sec. 14. §. Tertio tamen, & alij plures, quos affert Diana p.9 tract.1. resol.44. & 45. vbi plures casus ennmerat.

Difficultas hic est inter DD. an in prædictis & similibus casibus sit necessaria licentia Episcopi.

Prima sententia sustinet quando necessitas est euidens, non requiri licentiam: quia casus necessitatis non comprehenditur sub lege ita Nauar. supra, Emanuel Sà verbo Missa, num.19. Vasq.3 p disp 223. cap.1. Sotus, Armilla, & alij, quos affert, & sequitur Pasqualigus decis. 178. quod videtur conformæ doctrinæ D Thom.2.2 q.147.art.4 videlicet, nō opus esse dispensatione quando causa est manifesta, vt patet in lege ieiunij, & similibus.

Secunda sententia communis requirit necessario licentiam, quando adiri potest Episcopus, vel eius Vicarius: secus si non pateat aditus, vel non posset facilè obtineri licentia Ita Suar. de Lugo, Coninch. Auersa supra, & cum alijs Diana supra res.46.

Dicendum mihi videtur tutius esse petere semper licentiam, quoties adiri potest Episcopus. Cæterum quando necessitas est euidens non esse necessariam de rigore sed ex decētia. Si verò necessitas non sit adeo manifesta, eam requiri necessariò & ex obligatione: quia ad Episcopum pertinet dispensatio ex causa rationabili, nec talis facultas Episcoporum

fuit

fuit illis ablata per Tridentinum, vt supra dicebamus, atque ita conciliati possunt sententiæ relatæ.

DVBIVM VI.

Vtrum liceat in mari, vel in fluuio celebrare.

CErtum est de licentia seu priuilegio Summi Pontificis id esse licitum, controuersia est an iure communi celebrare liceat in aliqua magna naui, saltem de licentia Episcopi in casu necessitatis, sicuti diximus in præced dubio posse celebrari in terra extra Ecclesiam.

Prima sententia absolutè negat: quia licet in iure non adsit hæc prohibitio scripta, constat tamen de prohibitione ex consuetudine ob periculum effusionis sanguis, & quia vix dari potest locus honestus in naui: ita D. Antoninus, Nauar, Suar. & alij communiter, quos affert Diana p.5.tr13.res.40.& p.9 tra.1. res.45. §.casus sextus.

Secunda sententia, Probabilior affirmat de licentia tamen Episcopi, quæ in hoc casu est magis necessaria, quàm in casibus præced. dubij, quando permittitur celebrari in terrestri solo: quia maior cautela est necessaria, vt decenter Missa possit celebrari in mari. Probatur: quia in casu necessitatis licitum est celebrare extra locum sactum ex supradictis, modo seruari possit debita reuerentia: Sed potest seruari debita reuerentia etiam in mari: ergo posito casu necessitatis potest etiam celebrari in mari, nè videlicet fideles diu priuentur sacro, vel ne decedant absque Viatico. Probatur minor: quia in nauibus grandioribus non deest locus honestus & aptus: & periculo effusionis sanguinis sufficienter obuiatur si alter Sacerdos post consecrationem Calicem firmum teneat. Nec constat de opposita consuetudine, imò olim in mari celebrari consueuit, vt narrant Surius tom. 2. die 20 Martij, & Baronius anno 700. & his temporibus in indica nauigatione sacrum fieri solet. Ita Durandus, Granado, Trullench. Leander, Castta Palao, quos adducit Diana locis supra allegatis, & Auersa de sacrificio qu.11. sect.14. initio.



SECTIO II.

De Priuilegijs Episcoporum, & Regularium circa locum Sacrificij.

DVBIVM I.


An Possit Episcopus concedere licentiam, vt fiat sacrum extrà locum sacrum.

SEnsus quæstionis est de Sacro faciendo non ab ipso Episcopo, vel coram ipso (de qua re infrà), sed ab alijs extrà Ecclesiam, vel Oratorium permanenter destinatum ad diuinum cultum, videlicet, An Episcopus possit concedere vt fiat Sacrum in loco aliàs prophano decenter tamen præparato, qui deindè possit ad libitum conuerti in vsus prophanos.

Respondeo Posse quidem hoc concedi ab Episcopo ex iusta & rationabili causa, & per modum dispensationis, non verò absolutè & liberè, seù non absque causa.

Prima Pars Probatur: quia cùm sæpè vel necessitas, vel rationabilis causa occurrat sic celebrandi extrà locum destinatum huic sacro ministerio; est moraliter necessaria Episcopis talis dispensandi potestas: Vndè Iure communi illis competit in alijs similibus casibus; ergò non est illis deneganda in casu, de quo loquimur.

Secunda Pars Probatur: quia & si olim potuerint Episcopi liberè talem licentiam concedere, ex cap. Missarum, & alijs de consecr. dist. 1. modò tamen non possunt, nisi per modum dispensationis: quia ampla illa facultas Episcoporum restricta fuit per Trident sess. 22. in decreto de euitandis in celebrat. Missarum, relicta solum eis potestate dispensandi in casibus necessitatis, de quibus diximus supra sec. 1. dub. 4. & docent DD. ibidem citati, & omnes communiter, & optimè declarat Suar. disp. 81. sec. 3.



DV-

DVBIVM II.

An Episcopus liberè possit in suo palatio erigere Oratorium, vt ibi celebret, vel Missam audiat.

RЕspondeo Affirmatiuè ex cap. finali de Priuileg. in 6. et quamuis textus exigere videatur, vt eo priuilegio fruatur, quando non potest commodè ad Ecclesiam accedere; Nihilominus iam vsus obtinuit, et communis sensus DD declarat, vt possit liberè Episcopus, et ob solam maiorem commoditatem eo priuilegio vti, Ita Suar de Sacram. disp. 81. sec. 3. Layman, Faustus, Marchinus, et Alij, quos affert, et sequitur Diana p. 9. tract. 1. resol. 36. Nec hoc priuilegium fuit vllo modo reuocatum, aut restrictum per Tridentinum sæpius relatum sess. 22. in decreto de obseruandis etc. quia Trid. solum ibi obuiare intendit abusibus, qui oriri solebant ex licentia alijs concessa celebrandi extra Ecclesiam, qui nullatenus sequi præsumuntur; quando celebratur Missa ab Episcopo, vel coram eo. Item Tridentinum loquitur de Oratorijs in domibus priuatorum; Domus autem Episcopi, non est priuata domos, sicut nec Episcopus priuata persona, vt cum Cardinali de Lugo, Portel, et Alijs notat Diana citata resol. 36 et docent Alij communiter, & ob eamdem rationem non reuocatur per Breue Pauli V. & Vrbani VIII. qui sedi Apostolicæ reseruant facultatem concedendi licentiam celebrandi in priuatis domibus.

Colligitur primo posse Episcopum vti hoc priuilegio etiam dum manet extra propriam Diœcesim, nedum per modum transitus sed etiam longo tempore & permanenter; quia in cap. fin. citato præcipuè conceditur idem priuilegium pro tempore, quo absunt à suis Ecclesijs: ergo plane extenditur ad tempus, quo commorantur in alienis diœcesibus.

Confirmatur; quoniam Episcopum celebrare Missam in oratorio domestico, vel facere coram se celebrari, non est exercere iurisdictionem contentiosam, quæ prohibetur in aliena Diœcesi; sed concessionem iuris fauorabilem, cuius exercitium aliena Diocesis non vetat; ita contra Beiam, & Sà docent Portel. Pasqualigus & Alij, quos citat, & sequitur Diana p. 9. tract. 1. resol. 39. & Tambur de sacrif. lib. 1. cap 4. §. 2. num 8.

Limitat Diana cum alijs, vt hoc procedat in alijs diœcesibus extra vrbem: Nam Romę id est prohibitum, nec possunt Episcopi Romæ commorantes habere Oratorium priuatum in suis palatijs; vel domibus pro celebratione Missæ, quam limitationem reijcit Tamburrinus suprà, dicens non constare authentice de prohibitione; ceterum retinenda est limitatio, vt constat ex praxi Romana, & præter DD. à Diana citatos, de ea testantur Vgolinus, & Gauantus in Enchiridio verbo Episcopus num 9.

Colligitur secundo posse Episcopum etiam in villa, seu in domo rurali habere oratorium & ibi cum Altari portatili Missam dicere, vel audire: quia priuilegium prædictum cap finalis citati conceditur sine restrictione, ita Portel, Auersa, Pellizzarius, & alij, quos affert & sequitur Diana supra resol 39.

Colligitur tertio in oratorijs prædictis erectis in palatijs Episcoporum celebrari posse plures Missas: quia priuilegium citatum non limitatur ad vnicam Missam, sed sauet deuotioni Episcopi: qui si plures Missas audire voluerit, credendum est eam à canone foueri. Nec est eadem ratio de priuatis oratorijs secularium pro quibus restringitur priuilegium Summi Pontificis ad vnicam Missam. Ita Tambur. loco citato; & Cardinalis Brancacius cum alijs apud Dianam par, 6. tract. 8. resol. 40.

Colligitur quarto quando Episcopus, vel alius coram ipso celebrat in prædictis oratorijs, fideles eidem sacro assistentes satisfacere præcepto; etiam si non sint de familia Episcopi: quia id non prohibetur sicut fit in priuilegio, quod concedi solet secularibus pro sacro faciendo in priuatis domibus; Neque etiam palatia Episcoporum priuatæ domus censentur, vt infra dicemus, & docent Tambur supra, & Cardinalis Brancacius apud Dianam resol. 40. citati.

Colligitur quinto. Quid sit dicendum ad eam quæstionem, an Episcopus in suo palatio possit plura oratoria erigere, et habere vnum ad suum vsum, et ad alterum ad vsum consanguineorum. Aliqui enim affirmant; sed dicendum est vnum tantum oratorium formaliter habere posse ad vsum suum, vt colligitur ex verbis canonis citati, ita cum alijs Diana p. 9 tract. 1 resol. 37 quamuis etiam oppositum probabiliter defendi posse cum Francisco de Lugo de Sacram. lib. 5 cap 6. quæst. 3. nu. 25.

DV-

DVBIVM V.

An priuilegium explicatum suffragetur etiam Episcopis Titularibus.

RESpondeo affirmatiuè: probatur: quia idem Priuilegium conceditur ratione dignitatis Episcopalis: sed Episcopi Titulares sunt vere, & proprie Episcopi, & dignitatem Episcopalem obtinent; ergo &c. Ita pluribus allegatis Diana p.9.tract.1.resol.47. Tambur. Opusc.de Sacrif.lib.1.cap.4. §.2.nu. 12.

Colligitur primo Episcopos Titulares, & eos etiam, qui renuntiarunt Episcopatui, posse tum in suo Palatio, seu domi suæ habere oratorium vt ibi celebrent, vel Missam audiant; tum in itinere in quocumque loco decenti, & non sacro celebrare cum Altari portatili, vel facere coram se celebrari, æque ac alios Episcopos: DD.citati.

Colligitur secundo posse Episcopos Titulares exercere omnia pontificalia; Videlicet ordines conferre, solemniter celebrare, et ea omnia, quæ pertinent ad potestatem Ordinis, quâ æque ac alij gaudent: cum hoc tamen discrimine, quod possunt missam priuatam dicere cum altari portatili, siue domi suæ siue in alio loco decenti in consulto Episcopi loci, vt supra dicebamus de quolibet Episcopo; quoad exercitium vero pontificalium indigent licentia et consensu Episcopi illius loci vbi ea exercent, vt cauetur in Trid.sess. 24.cap 2.de reform.et notat cum alijs Diana resol.47 citata, vbi plura explicat in fauorem Episcoporum Titularium, quæ ibidem videri possunt.

DVBIVM VI.

An Prælati inferiores habentes tamen iura Episcopalia Gaudeant hoc priuilegio.

PLures Abbates exempti habent Iurisdictionem quasi Episcopalem, et territorium distinctum, qui æquiparantur Episcopis in ijs, quæ non sunt ordinis; E.g. Archimandrita Messanensis, Abbas Guastallæ, Archipræsbyter Carpi, et alij huiusmodi. Quæritur ergo, an prædicti possint habere oratorium in suis Palatijs vel domibus, & in eo celebrare, vel audire Missam sicuti possunt Episcopi.

Videri posset probabilis pars affirmatina: Probatur primo: quia probabile est eorum Palatia gaudere immunitate Palatij Episcopalis, vt docet Ciarlinus in Controu.forens. tom.2 cap 198 Imo decreta Cocil.Trid.circa Episcopos habent locum in his Prelatis habentibus Iura Episcopalia, vt docent Riccius, Bellectus, & alij. apud Dianam p 9.tract. 2 resol.48.ergo etiam priuilegium oratorij, de quo loquimur habet locum in his Prelatis.

Probatur secundo. Quia probabile est eosdem Abbates, seù Prelatos qui habent Iura Episcopalia, posse concedere licentiam, & dispensare vt celebretur extra Ecclesiam, vt docet Henriquez lib 9.cap.27nu.2 in Glosa lit.C.& Porsius de officio Sacerdotis lib.1. cap.6.dub.5.nu.23. ergo etiam possunt ipsi extra Ecclesiam celebrare, & domi oratoria habere: Nihilominus.

Respondeo negatiuè: quia hoc Priuilegium cap.finalis de priuilegijs in 6.conceditur Episcopis: ergo non habet locum nisi in Episcopis verè, & proprie dictis: quia priuilegia tantùm valent quantùm sonant, nec extendi possunt vltra proprietatem verborum: Sed Abbates, & Prælati supra dicti esto habeant Iurisdictionem, quasi Episcopalem, verè tamen non sunt Episcopi, nec habent charactarem Episcopalem: ergò &c.atque ita bene resoluit Diana p 9.citata tract.2.resol.48.

Ad opposita Respondeo ad primum quicquid sit de antecedēte: Negatur consequentia quia priuilegium immunitatis non conceditur solum palatijs Episcoporum, sed alijs locis similibus. Item decreta Tridentini quæ loquuntur de veris, & propriè dictis Episcopis, non habent locum in alijs inferioribus, sed ea solum que latiùs de Episcopis loquuntur.

Ad secundū respondeo antecedens à multis negari, vt videre est apud Dianam supra: sed esto verum esset, neganda est etiam consequentia, quia licentia illa, nec ab Episcopis concedi nune potest alijs, nisi pro casu necessitatis pro vna, vel altera vice: imo quādo necessitas est euidens non est opus licentia, vt supra dicebamus, vnde possunt Abbates prædicti eadem licentia vti quam dat ipsa necessitas, non autem possunt habere domi oratoria permanentia, neq secelebrare extra Ecclesiam, secluso casū necessitatis.

DVBIVM VII.

De priuilegijs regularium circa locum sacrificij et primo de priuilegio missionarijs concesso.

TRiplex priuilegium concessum fuit à Sede Apostolica regularibus circa locum Sacrificij. Primum in fauorem eorum qui versantur in missionibus ad disseminandam fidem apud infideles; secundum conceditur simpliciter mendicantibus, & consequenter alijs qui cum ipsis in priuilegijs communicant, quales sunt hodie omnes fere Religiosi, vt notant Portel in dub. Reg. verbo communicatio nu.2. Tambur. de iure Abbatum tom. 1. disp 17. quæsito primo, & alij communiter, vt possint celabrare per modum actus in quocumque loco decenti. Tertium est, vt possint Regulares deputare in suis domibus oratoria priuata, vbi per modum habitus possit fieri sacrum, hic agemus de primo, & de alijs in sequentibus dubijs.

Respondeo primum priuilegium concessum fuisse à Gregorio 13. Præsbyteris societatis, quo etiam fruuntur alij ratione cõmunicationis, vt cum alijs notat Lezzana tom. 1 quæstion Reg. cap. 11. nu. 14 vt possint Sacerdotes Regulares Missionarij celebrare Missam super altari viatico, vbique gentium, etiam in castris militum: modo loca, & si communia, & prophana, tuta & honesta sint, & præpositus Generalis, aut prouincialis eo vtendum fore iudicauerint, sicuti refert Lezzana supra, & habetur in compendijs priuilegiorum verbo Altare.

Ex cuius priuilegij tenore colligitur, eo non gaudere Sacerdotes non religiosos, qui forte socij sunt in missionibus prædictorum Regularium: quia priuilegium est personale concessum solis Regiosis.

An vero quilibet fidelis assistens huiusmodi sacro satisfaciat præcepto de eo audiendo in diebus festiuis, dicendum est satisfacere, vt magis patebit ex dicendis dubijs sequentibus, vide Tambur. Opusc. de sacrif. Missæ lib. 1. cap. 4. §. 3 n. 6.

Colligitur secundo. Cum hoc priuilegium concessum fuerit post Concil. Trid. non posse de eo dubitari, an sit reuocatum per idem Concilium, sicuti dubitatur de alijs ante Tridentinum concessis; Sed certum est manere in suo robore, vt notat Lezzana supra.

DVBIVM VIII.

De Secundo priuilegio Regularibus concesso celebrandi in quocumque loco etiam extra missiones.

RESpondeo certum esse concessum fuisse hoc priuilegium Regularibus ante Concilium Tridentinum, vt patet ex cap. in his de priuilegijs, & ex alijs indultis Pontificijs vt notat Diana p 9 tract. 1. resol. 34. Pasqualigus decis. 174. & 176. post Rodriquez & alios. Difficultas consistit in eo, an idem priuilegium reuocatum fuerit per Trid. sess. 22. in decreto sæpius citato de obseruandis, & euitandis in celebr. Missæ.

Prima sententia affirmat reuocatum fuisse. Probatur: quia Tridentinum supra decernit, & præcipit Episcopis nè patiantur priuatis in domibus, vel omnino extra Ecclesias, & loca sacra Missas celebrari, etiam à regularibus, & addit non obstantibus quibuscumque priuilegijs, & exemptionibus: quibus verbis manifeste reuocat omnia priuilegia circa locum Sacrificij extra Ecclesias & hanc sententiam defendunt Nauar, Suar, Reginaldus, & alij, quos citat, & sequitur Garzias in summ. tract. 3 diffic. 8. dub 2. punc. 3 què refert Diana supra, & alios affert Pasqualigus locis citatis.

Secunda Sententia probabilior negat fuisse reuocatum. Ratio est: quia Tridentinum non dicit se reuocare priuilegia Regularium in hoc, sed iniungit Episcopis nè patiantur sacrificium Missæ celebrari extra Ecclesias, & concedit illis facultatem vt prohibere hoc possint etiam Regularibus, non obstantibus quibuscumque priuilegijs: ergò antequam Episcopi prohibeant, vel contradicant gaudent Regulares eo priuilegio, quod directè non reuocatur, & solum post prohibitionem eo vti non possunt.

Deindè nonnullis Religionibus rursus concessa sunt post Tridentinum similia priuilegia, quibus gaudent etiam aliæ ratione communicationis: ergò possunt hodie Regulares in quolibet loco decenti celebrare cum Altari porratili, Ita Diana p 6. tract. 8. resol 39. & p 9. citata tract. 1. resol 34. Vbi pro hac sententia citat Portel, Villalobos, Cardinalem de Lugo, Serram, Pellizzarum, & Alios, vide etiam Pasqualigum locis supra citatis.

Ad fundamentum oppositæ Sententiæ patet ex dictis, nempè Priuilegium hoc Regularium censeri reuocatum, vel suspensum posita

sita prohibitione Episcopi, non autem secusa prohibitione. Deinde Alia Priuilegia post Tridentinum concessa, non sunt subiecta prohibitioni prædictæ. Vide Dianam supra.

Colligitur primo. Posse Regulares erigere Altaria in locis seu Cellis vbi decumbunt infirmi, & ibi celebrare Missam, vt decumbentes eam audiant, & Eucharistiam recipere possint, nec opus est vt infirmitas sit magni momenti, sed sufficit si Infirmus exire è cubiculo non valeat, ita Diana cum Alijs resol. citata 34. & Infrà, cùm Lezzana idem dicit in quolibet casu extraordinario, si quis è camera exire non possit.

Colligitur secundo. Posse idem fieri à Regularibus etiam si aliquis secularis ægrotaret in monasterio, dummodò celebrans sit regularis: quia priuilegium quoad celebrationem est personale. Ita cum Alijs idem Diana supra, vbi etiam notat si Aliquis Religiosus infirmaretur extrà monasterium posse facere celebrare in eo cubiculo, vbi reperitur.

Colligitur tertio. Moniales sub Regularium regimine viuentes posse frui, & vti hoc priuilegio, si Regulares, quibus subijciuntur eo priuilegio gaudeant: tunc enim Moniales eiusdem priuilegij sunt participes, quatenus capaces sunt: quia censentur pars eiusdem Ordinis: Ita Quintanaduenas, & Pasqualigus apud Dianam supra: qui tamen addit circa finem paragraphi Sacram Congregationem decreuisse sub die 22. Augusti 1650 nè in Monialium infirmarijs Sacrificium Missæ celebrari permittatur, quod seruandum est.

Colligitur quarto. Altare pro Sacrificio in casibus prædictis erigendum esse de licentia, & approbatione Superioris, saltem localis, siuè ex propria auctoritate eiusdem Superioris localis, siuè quatenus opus est ex rati habitione, & commissione præsumpta Prouincialis. Idem Diana supra, vbi plura adducit, quæ ad vitandam prolixitatem hic omittimus.

DUBIUM IX.

De Tertio Priuilegio Regularibus concesso deputandi oratoria in suis monasterijs, vel domibus, vbi per modum habitus celebretur.

Respondeo extare hac de re aliqua priuilegia Regularibus concessa à Sede Apostolica, quæ referuntur ab Auctoribus communiter, & videri possunt apud Lezzanam tom. 1. quæstion. Reg. cap. 21. n. 14. & 15. Manuelem tom. 1. quæst. Reg. q. 43. art. 4. & Hyeronimum Rodriq. resol. 9. n. 4. Ex quibus dicendum est posse Regulares Oratoria in suis Monasterijs habere, quæ ad diuinum tantum cultum sint destinata, & sic permanenter, & per modum habitus ibi Missas celebrare etiam hoc tempore post Tridentinum.

Probatur primo: quia ea priuilegia Regularium nullo modo censentur reuocata per Tridentinum in decreto sæpiùs citato de obseruandis in celebratione Missæ; ibi enim solùm prohibetur nè in priuatis domibus, & omninò extrà Ecclesiam, erigantur oratoria, in quibus Missæ celebrentur inconsulto Episcopo. Prædicta autem loca, nempè Monasteria, & domus Regularium, nec sunt priuatæ domus, nec omninò extrà Ecclesiam, cum nomine Ecclesiæ veniant etiam Religiosorum Claustra: ergò &c.

Probatur secundo. Quia extat etiam hac de re priuilegium concessum à Gregorio 13. Societati Iesu post Tridentinum cum clausulis illud sufficienter derogantibus, & refertur à Lezzana supra, & Alijs communiter in Compendijs verbo Altare, verbo Missa, & verbo Oratoria, quo etiam gaudent Aliæ Religiones ob mutuam communicationem priuilegiorum: ergò non est dubitandum de hac Regularium facultate, Ita Lezzana loco citato, Diana p. 9 tract. 1. resol. 32. Vbi citat Marchinum, Auersam, Cardinalem de Lugo, Basseum & Alios.

Colligitur primo: Posse Regulares vti hac facultate, & priuilegio, etiam in Grangijs & in Prædijs suorum Monasteriorum sine licentia ordinarij, Ita Lezzana supra, quem refert & sequitur Diana supra resol. 33. qui resol. 32 sine notat cum Pellizaro in vim priuilegij concessi, vt supra à Gregorio 13. Societati Iesu deputationem oratorij necessariò faciendã esse à Prouinciali, quod si in aliqua Religione non adsit Prouincialis, à Patre Generali. An verò Prouincialis, vel Generalis debeat per se ipsum immediatè recognoscere, & approbare prædicta oratoria, vel possit id alteri committere, Controuersia est inter DD. Puto autem probabilius cum Diana supra resol. 44 circa finem debere id facere immediatè per se ipsos ex vi priuilegij prædicti, vi autem aliorum priuilegiorum satis esse videtur approbatio Superioris localis, vel ex propria auctoritate, vel ex rati habitione Prouincialis, vt in simili cum Diana supra notauimus dub. 8 Coroll. 4.

Colligitur secundo, in oratorijs priuatis Regularium vt supra, tum erectis in Monasterijs tum in Grangijs, posse celebrari missas nedum à Sacerdotibus Regularibus, sed etiam Secularibus in die festo: quia facta deputatione vt ibi permanenter & per modum habitus

possit fieri sacrum, priuilegium redundat in locum, & est tum personale, tum locale: ita Diana p. 9. citata tract. 1. resol. 5. circa mediū, cum Lezzana, Suar. Card. de Lugo, & alijs, quos ibidem citat, etiam in sequenti res. 33.

Colligitur tertio. Posse fideles interesse Sacro quod celebratur in Oratorijs prædictis, & in Alijs locis, explicatis dubijs præcedentibus, & satisfacere præcepto de eo audiendo in diebus festis; quia præceptum hoc non arctat fideles, vt in tali, vel tali loco audiant Missam: quando autem Pontifices volunt ne fideles in aliquo loco satisfacere possint eidem præcepto diserte declarant, sicuti declarant in breuibus, per quæ oratoria priuata conceduntur in domibus sæcularium, de quibus sec. sequenti: Cùm ergò hæc declaratio vel limitatio non fuerit apposita quoad oratoria Regularium: ideo &c. Ita Tambur. Opusc. de sacrif. lib. 1. cap. 4. §. 3. n. 6. citans Azorium, Suar. & Dianam p. 6. tract. 8. resol. 40. Vide etiam eumdem Dianam p. 9. tract. 1. resol. 33.

Colligitur quarto. Supradicta oratoria Regularium in multis differre ab oratorijs quæ concedi solent sæcularibus in priuatis eorum domibus. Primo quia vt dicebamus priuilegium quoad oratoria Regularium est etiam locale, quoad oratoria sæcularia est solum personale.

Secundo Oratoria Regularium non egent Episcopi designatione vel approbatione, sicuti egent oratoria secularium.

Tertio in oratorijs regularium plures Missæ diei possunt, secus in oratorijs sæcularium, in quibus vna tantum Missa conceditur.

Quarto, vt dicebamus omnes interessentes missæ in oratorijs regularium satisfaciunt præcepto diei festi, in Oratorijs verò secularium sola familia Domini.

Quinto, Oratoria regularium gaudent immunitate, secus est de oratorijs secularium: ita Diana p 9 trac 1. resol. 34. fine. An autem eadem oratoria, siue regularium siue secularium polluantur in illis casibus in quibus Ecclesia polluitur, & indigeant reconciliatione, infrà tractandum est vniuersaliter de oratorijs quibuscumque sub num. 2. huius titul. 10.

SECTIO II.

De Oratorijs priuatis, seu domesticis secularium.

PRæmittimus primo, Oratoria priuata in domibus secularium non posse concedi ab Episcopis, vt ibi per modum habitus celebretur: sed hanc cōcessionem Sedi Apostolicæ esse reseruatam, vt ex decreto pauli V. & Vrbani VIII. & ex declarationibus Sacræ Congregationis probant Lezzana to. 4 q Reg. verbo Oratorium, & Diana par. 9 trac. 1. res. 1. cum alijs quos citant, & notum est ex praxi. Dixi per modum habitus, quia in casu necessitatis possunt Episcopi concedere, vt aliquoties celebretur in priuatis domibus, vt docent ijdem DD. & nos infra dicemus: & quamuis olim etiam post Tridentinum soliti fuerint Episcopi talem licentiam cōcedere etiam per modum habitus: quia Concilium indicit solum Episcopis nè celebrari permittant extra Oratoria ab ipsis ad hunc effectum designata, sed non prohibet quominus etiam in priuatis domibus designare possint talia oratoria, in quibus celebrari possit per modum habitus, vt cum Auersa, Portel, & alijs docent Diana supra resol 32. Nihilominus hodie non possunt ob decreta supra relata Summorum Pontificum.

Differt autem Oratorium hoc priuatum à publico. Primo quia Oratorium publicum habere debet aditum, & liberum ingressum per viam publicam, & pariter egressum in viam communem; quod secus est de Oratorio priuato intra domesticos parietes erecto in angulis domus priuatæ. Secundo: quia Oratorium publicum semel destinatum ad diuinum tantum cultum ab Episcopo, non potest amplius priuata auctoritate conuerti in vsus prophanos, quod secus est de oratorio priuato, quod ad libitum Domini eiusdem domus nolentis amplius vti eo indulto vel priuilegio potest conuerti ad vsus communes, & prophanos, Vide plura apud Lezzanam, supra.

Præmittimus secundo, Oratorium priuatū concedi per Breue Pontificium, sub multis clausulis, & conditionibus, de quibus singulis dicendum est in dubijs sequentibus, iuxta ordinem quo cōtinentur in eodem Breui Apostolico, quod hodie solet esse tenoris sequentis. Innocentius Papa X: Tibi Diœcesis Neapolitanæ, qui vt asseris, de nobili genere procreatus existis, vt in priuato domus tuæ soli-

tæ habitationis Oratorio, ad hoc decenter muro extructo, & ornato, seu extruendo, & ornando ab omnibus domesticis vsibus libero, per Ordinarium loci priùs visitando & approbando, ac de ipsius ordinarij licentia, eius arbitrio duratura, vnam Missam pro vnoquoque die dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa, non fuerit; per quemcumque Sacerdotem ab eodem ordinario approbatum secularem, seu de superiorum suorum licentia Regularem sine tamen quorumcumque iuridum Parochialium præiudicio, ac Paschatis resurrectionis, Pentecostes, Natiuitatis D. N. Iesu Christi, nec non alijs solemnioribus anni festis diebus exceptis, in tua, & familiæ tuæ, nec non hospitum tuorum nobilium præsentia, celebrari facere libere & licitè possis & valeas indulgemus: non obstantibus &c. Volumus autem quod familiares seruitijs tuis non necessarij ibidem Missæ interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de præcepto minimè liberi censeantur. Datum Romæ &c.

His positis exponere oportet difficultates, quæ circa singulas clausulas Breuis Pontificij occurrere solent:

DVBIVM I.

Circa primam clausulam, Tibi Diœcesis Neapolitanæ.

PRIMA DIFFICVLTAS.

Vtrum si contingat error circa nomen personæ, cui conceditur oratorium, vel circa nomen Diœcesis, adhuc concessio sit valida.

RESpondeo & dico primo error circa nomen personæ petentis Oratorium non vitiat concessionem Pontificis, consequenter remanet valida. Probatur: quia in gratijs concedendis præsumitur Princeps, si aliunde contrarium non constet attendere ad merita causæ, propter quæ gratia petitur, cuiuscumque tandem personæ sint merita, propter quæ gratia petitur. Ita Sanchez de Matrim. tom. 3. disp. 21. & alij DD. communiter, quos citat & videri potest etiam apud Dianam p. 8. tract. 3. resol. 63. & quamuis aliqui limitent, nisi Princeps, vel dispensator sub falso nomine intelligeret personam sibi notam; tunc enim huic intenderet concedere gratiam non illi, pro quo petitur; Nihilominus alij vniuersaliter affirmant, reijciendo limitationem ob rationem adductam Sanchez, & Diana locis citatis.

Dico Primo, quando erratur in nomine Diœcesis, & pro Diœcesi Neapolitana E. g. ponitur in Breui seu rescripto Diœcesis Capuana; tunc controuersia est inter DD. Plures enim sustinent concessionem fore inualidam: quia Pontifex noluit committere expeditionem Ordinario Capuano; sed Neapolitano: Ita Sanchez supra cum Alijs. Alij contra docent adhuc esse validam, quia est error materialis, & reuera Summus Pontifex intendit committere expeditionem Ordinario Diœcesis petentis gratiam: quæ opinio mihi videtur probabilior: quia sicuti error in persona non obstat valori gratiæ, eò quod intentio Summi Pontificis respicit merita causæ cuiuscumque personæ illa sint; ita nec error in Diœcesi, eò quod Pontificis intentio fertur ad Ordinarium postulantis gratiam, quicumque ille sit, & certè quilibet præsumitur sufficiens.

Confirmatur: quia si expressum fuisset nomen propriæ Diœcesis adhuc gratia fuisset concessa: ergò error ille non vitiat concessionem: Ita Salas, Amicus, Texeda, Bonacina, & Alij, quos affert, & sequitur Diana p. 9. tract. 3. resol. 64. & priùs docuerat p. 1. tract. 10. de legibus resol. 36.

Colligitur. Non vitiari gratiam si incuria scriptoris irrepat error aliquis, quando aliàs constat de mente concedentis ex enarratis ab impetrante gratiam: Ita Diana supra resol. 64. citata fine, cum Bonacina, Portel, & Alijs.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

An si priuilegiatus mutet Domicilium et illud transferat in aliam Diœcesim, E. g. ex Neapolitana ad Capuanam An inquam frui possit hoc priuilegio ex vi eiusdem Breuis iam obtenti.

RESpondeo Affirmatiuè, Probatur: quia hoc priuilegium est personale, quod conceditur immediatè personæ ratione sui: ergò sequitur personam, & ei vbique suffragatur. Nec obstat in breui concessionis exprimi talem Diœcesim E. G. Neapolitanam: quia ea clausula non apponitur restrictiuè, seu taxatiuè, sed solùm demonstratiuè in hunc sensum, Tibi qui nunc es Diœcesis talis: ergò ob mutationem Diœcesis non cessat priuilegium. Ita Angelus, Syluest, Salas apud Bona-

Bonacinam de dispensat. punc. 10. §. I. Quintanaduennas, Pellizzarus, Barbosa, Auersa, & Alij, quos citat, & sequitur Diana par. 9. tract. 1. resol. 7.

Colligitur: Si priuilegiatus se transferat per breue tempus in aliam Diœcesim non mutando Domicilium, ita vt prior illa domus in qua erexerat Oratorium, non desinat esse sua, seu destinata ad eius vsum, eum non posse frui eodem priuilegio in alio loco vbi moratur tanquam exterus & ad venam: quia non potest habere duo oratoria, neque ex vi eiusdem breuis duo oratoria conceduntur, vt notum est ex praxi Romana: cum ergo primum oratorium saltem habitu perseueret in loco proprij Domicilij, non potest alibi nouum oratorium erigere, de qua re videri potest Diana supra resol. 22.

Colligitur secundo. Quando priuilegiatus mutat domicilium deserendo omnino priorem domum, eum posse alibi in sua noua domo nouum oratorium construere, vt ibi audiat Missam ex priuilegio semel obtento à Summo Pontifice, nihilominus opus esse vt accedat Episcopus seu eius Vicarius, locum nouum & Altare approbaturus, vt ex tenore priuilegij constat, & docet Tambur. Opusc. de Sacrif. lib. 1. cap. 4. §. 4. n. 2. & 7.

DVBIVM II.

Circa secundam clausulam, qui vt asseris de nobili genere procreatus existis.

Qvo circa quæritur, qualis nobilitas requiratur, vt quis validè, & licitè vti possit hoc priuilegio.

Respondeo requiri nobilitatem propriè dictam, qua quis propriè nobilis appellatur ex generis antiquitate.

Probatur: quia hoc priuilegium vt possit celebrari Missa in domibus laicorum est potius odiosum, quam fauorabile: Quia non nihil detrahere videtur reuerentiæ debitæ sacrificio, vt docet Suar. tom 3 in 3 p. disp 88. sec. 6. & sequitur Diana p. 9. tract. 1. resol. 15. Sed ergo quare strictè interpretari debet; Sed nobilis propriè & strictè loquendo non dicitur, nisi qui ex nobili genere paterno originem ducit, non vero qui ex priuilegio Principis, vel Senatorum assumuntur ad gradum nobilium, vt docent Sanchez lib 8 de matrim. disp. 19. n 6, Barbosa cum alijs de appellatiua verborum significatione, appellatiuo 164. initio; Tambur. Opusc. de sacrif. lib. 1. cap. 4. §. 4. ergo &c. Confirmatur ex verbis breuis, nobili Genere procreatus existis, plus enim sonat natum esse, & procreatum ex genere nobili, quam simpliciter esse nobilem.

Colligitur primo sufficere esse nobilem ex parte patris, quamuis mater non sit nobilis. E contra non sufficere esse nobilem ex parte matris tantum: quia vera & absoluta nobilitas qualis hic requiritur, ex patre non vero ex sola matre deducitur. Ita Sanchez, & Tamburinus supra.

Colligitur secundo: Non posse frui hoc priuilegio Doctores vilis familiæ: quia & si veniant appellatione nobilium, non tamen in omni rigore. Item sunt personaliter nobiles, non autem ex familia nobili, pro vt hic requiritur, & multo minus posse eo frui mercatores diuites, qui non sunt ex familia nobili, vt colligitur ex Sanchez loco citato. Colligitur tertio. Si hæc licentia seu gratia concedatur à Summo Pontifice solum ei, qui supra communes nobiles est, & insignitus aliquo titulo Marchionis, Ducis, vel Principis &c. vt frequenter fieri solet, tunc certum est non sufficere esse nobilem, sed necesse esse vt quis sit vere Marchio, vel Dux, &c. Quia standum est verbis breuis Pontificij, vt per se patet. Item quia non verificata clausula, seu conditione per se exigita in breui concessionis corruit priuilegium, seu concessio: Tambur. supra citatus nu 5.

DVBIVM III.

De tertia Clausula in priuato Domus tuæ solita habitationis Oratorio.

Circa quam occurrit Prima Difficultas, An si quis mutet domum intra eandem Ciuitatem, vel Diœcesim possit in domo noua, siue empta, siuè locata Oratorium erigere?

Respondeo posse: Quia iam hæc est domus solitæ suæ habitationis, vbi enim quis habitat maiori anni parte, domicilium habere & consequenter absolutè habitare dicitur, Sanchez lib 3. de matrim. disp. 23. num. 1. & 2. Tambur. supra num. 6. & a fortiori potest quis oratorium semel ab Episcopo approbatum mutare in alium locum eiusdē domus; Idem Tambur. loco citato num. 7. & patet à fortiori ex dictis dub. 1.

An autem in his casibus translationis Oratorij, vel in aliam domum, vel in alium locum eiusdem domus debeat Oratorium iterum approbari ab Episcopo? Negat Quintanaduennas, quem refert, & approbare videtur

aut Diana p. 9. tract. 1. resol. 12. Contra affirmant Tambur. nu. 7. citato quod videtur probabilius: quia quamuis ornatus idem sit, & nō videatur indigere noua approbatione; Nihilominus locus est diuersus, qui etiam indiget approbatione, nec prior approbatio potest ad hunc nouum locum extendi.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

An qui obtinuit priuilegium Oratorij pro sua domo, possit illud erigere etiam in Villa, vt quando adest ibi possit audire Missam.

RESpondeo Negatiuè: quia Summus Pontifex nunquam per vnum breue concedit facultatem vt possit celebrari Missa in pluribus Oratorijs priuatis sed in vno tātum, vt constat ex stylo Curiæ, & cum Merolla, & alijs obseruat Diana supra resol. 22. Vbi latè explicat hoc dubium: quamuis oppositum doceat. Pasqualigus in 99. canonicis cent. 1. quæst. 84. nu. 3. tenendum est tamē cum Diana.

Nec est simile de Epicopo, qui præter Oratorium Palatij potest etiam habere Oratorium in rure, vel Villa: quia Episcopus longe ampliori fruitur priuilegio, vt vbicumque existat, etiam extra Diœcesim possit celebrare, & audire Sacrum cum Altari portatili extra Ecclesiam vt suo loco declarauimus, & notat idem Diana resol. 22. citata.

TERTIA DIFFICVLTAS.

An Oratoria, quæ sunt in Aulis publicis Palatij Ciuitatis vbi Senatores conueniunt, censeantur Oratoria priuata, ac proindè sublata per decretum Pauli V. supra relatum, ita vt in illis celebrari non possit, nisi de licentia Summi Pontificis.

RESpondeo affirmatiuè videlicet, fuisse sublata, & opus esse indulto Summi Pōtificis, vt ibi celebrari possit ex declaratione sacræ congregationis Concilij apud Dianam p. 9. tract. 1. resol. 35. Non comprehenduntur tamen eo decreto cappellæ carcerum publicorum. Diana ibidem.

DVBIVM IV.

De quarta Clausula. Decenter muro extructo & ornato, ab omnibus domesticis vsibus libero.

EX his verbis apparet, Oratorium huiusmodi, vt sit locus aptus celebrationi Missæ, debere primo esse ita constructum, vt omnino distinguatur ab alijs locis eiusdem domus destinatis ad prophanos & communes vsus: distinctio autem fieri debet extructo, seu interposito muro, vt melius, & patentius secernatur ab alijs locis. Putat autem Tambur de Sacrif. lib. 1 cap. 4 §. 4. nu. 8. Sufficere si tres muri separatim Oratorium efforment E. g. in capite Aulæ vel magni cubiculi, & loco quarti, in quo fores esse deberent, aptari posse telam amouibilem ab vno ad alterum Oratorij latus extensam, quæ retrahi possit tempore Sacrificij ad maiorem commoditatem audientium, quod permitti potest: sed melius erit si quatuor muris concludatur extructis fenestris pro commoditate audientium Missam, vt in Palatijs Romanis obseruatur.

Secundo. Præcipitur, vt idem Oratorium sit decenter ornatum, videlicet Imaginibus, & rebus necessarijs ad Altare, de quibus dicemus dubio sequenti.

Tertio præcipitur, vt sit liberum ab omnibus domesticis vsibus.

PRIMA DIFFICVLTAS.

An, & qualiter peccet priuilegiatus, seu dominus domus si applicet Oratorium ad vsus profanos, uel permittat ibi exerceri actus prophanos, E. G ut ibi sternatur mensa ad manducandum, & bibendum communes cibos, uel lectus ad dormiendum, uel armarium ad seruandam prophanam supellectilem, & alia huiusmodi.

RESpondeo, & dico primo. Qui exercet in Oratorio priuato actus prophanos, etiam aliàs, non illicitos, vt in exemplis positis, & voluntariè id facit extra casum necessitatis peccat quidem, sed solum venialiter, & idem est de Domino, qui id concedit vel permittit. Quòd peccet. Probatur: quia facit contra prohibitionem Summi Pontificis exigentis, vt, quamdiù Oratorium est desti-

SECVNDA DIFFICVLTAS.

An si Dominus nolit amplius vti priuilegio, possit pro libito conuertere Oratorium in vsus prophanos.

RESpondeo posse; quia non tenetur Dominus eximere illum locum ab vsibus prophanis, nisi quandiu vult priuilegio vti, videlicet vt ibi celebretur missa; ergo si nolit amplius vti eo priuilegio, potest oratorium conuertere in vsus prophanos. Antecedens Probatur; quia hæc Oratoria domestica, vt supra dicebamus, non sunt loca sacra, sed secundum se prophana, & solum ratione sacrificij quod ibi celebrandum est, prohibentur ibi actiones prophanæ. Ita cum Sanchez, & alijs Tamburinus Opusc. de sacrif. lib. 1. cap. 4. num. 10. vbi bene subdit, quod si tale Oratorium prophanatum, velit Dominus iterum remittere ad vsum celebrandi sacrum, indigebit noua approbatione Ordinarij.

Colligitur; Oratoria huiusmodi non gaudere priuilegio immunitatis Ecclesiæ; quia, nec sunt loca sacra, nec immutabiliter dicata diuino cultui. Ita Sanchez, Barbosa, Lezzana, quos affert, & sequitur Diana p. 9. tra. 2 resol. 18. Vbi etiam notat, ita fuisse declaratum à sacra Congregatione.

DVBIVM V.

De quinta Clausula

Per Ordinarium loci prius visitando, & approbando, ac de ipsius Ordinarij licentia eius arbitrio duratura.

EX his verbis constat, non posse validè Oratorium constitui, nisi præcedat visitatio & approbatio Ordinarij, eiusque licentia; Si quidem hæc omnia requiruntur vt conditiones necessariæ, ad hoc vt suffragari possit Papæ concessio; sufficit tamen si semel visitetur & approbetur, & licentia obtineatur ab Ordinario loci, idest ab Episcopo, vel eius Vicario, sub cuius iurisdictione comprehenditur locus vbi construendum est Oratorium. Qua licentia impetrata non poterit deinde Episcopus absque noua causa prohibere ne iuxta tenorem priuilegij in eo Oratorio celebretur. Ita ex Sanchez, & alijs docet Tambur. Opusc. de sacrif. lib. 1. cap. 4. §. 4. nu. 11. & seqq. vbi etiam subdit posse hanc facultatem approbandi Oratorium ab Ordinario delegari. His positis.

I. DIFFICVLTAS.

Quid obseruare debeat Ordinarius in hac visitatione, vt validè & licitè Oratorium approbet, & licentiam concedat, vt ibi celebrari possit.

REspondeo, duo præcipuè inspicienda esse & inquirenda, videlicet structuram loci, & ornatum eiusdem.

Quoad primum, inspicere debet, an locus deputandus in Oratorium, sit vndique suis muris conclusus, ita vt omnino discernatur à cæteris locis prophanis vsibus inseruientibus. Item an ibi sit Altare firmum quoad materialem structuram, super quo aptè, & commodè collocari possit Ara lapidea consecrata.

Quod secundum, inquirere & inspicere debet Ordinarius, An ibi sint piæ Imagines, vel Icon in prospectu Altaris, & insuper Crux, tres mappæ cooperientes Altare, candelabra pro luminibus, pallium, cussinus, & reliqua, quæ in rubricis generalibus primi ordinis explicantur tit. 20. de Altari, & eius ornatu. Item inquirere debet de vasis, & paramentis sacris, & alijs huiusmodi, vt eum Nouario, & alijs fusius explicat Diana p. 9. tra. 2. resol. 11. quod si aliquid necessarium desit, non debet oratorium approbari, nec concedi licentia vt ibi celebretur. Si verò adsint nedum necessaria; sed etiam alia quæ ad decentem ornatum pertinent, tenetur Ordinarius licentiam concedere; quia non habet potestatem limitandi concessiones Summi Pontificis. Vide Dianã supra, & Tambur. opusc. de sacrif. lib. 1. cap. 4. § 4. num. 11.

II. DIFFICVLTAS.

Quid agendum si Ordinarius iniustè deneget licentiam celebrandi, vel semel concessam reuocet.

REspondeo; & dico primo. Si Oratorium sit decenter ornatum, & prædictum omnibus requisitis, vt supra, & Ordinarius iniustè licentiam deneget, poterit cogi vt eam concedat: si autem non sit qui cogere possit, probabile est quod possit nihilominus ibi cele-

celebrari missa: quia licentia iustè petita, & iniustè negata, præsumitur ipso iure à Summo Pontifice concessa, vt cum Ludouico à Cruce, & aliis docet Diana p.5 tra.13. ref 66. & p.9.tra.1.ref 10. Vbi citat Quintanam, Garziam, & alios, quamuis alij contradicant.

Dico secundo, potest Ordinarius licentiam semel concessam reuocare ex iusta causa, id enim quod dicitur in Breui concessionis de licentia arbitrio Ordinarij duratura, intelligitur de arbitrio prudenti, & boni viri, non autem liberæ voluntatis, vt docet Sanchez lib 7 Consiliorum cap 1.dub.55.num.7 & sequitur Tambur.supra n.16. Quod si iniustè reuocet, dicendum vt supra in 1.conc.

III. DIFFICVLTAS.

Quamdiu duret priuilegium Oratorij.

RESpondeo, & dico primo. Hoc priuilegium Oratorij durat durante vita illius cui facta est concessio, eoque mortuo finitur, nec transit ad hæredes, Probatur; quia est priuilegium personale, quod finitur morte personæ priuilegiatæ, cap. priuilegium de regul. iuris in 6. Ita cum Sanchez, & aliis docet Diana p.9.tra.1.ref.17. contra Pellizz.

Dico secundo, mortuo Summo Pontifice, qui concessit, vel Ordinario qui oratorium semel approbauit, non perit oratorij concessio; quia est gratia facta, quæ non cessat mortuo vel amoto ab officio qui eam concessit, vt aliis citatis docet Sanch. lib.8. de matrimon. disp.8. n 64. sequitur Tamb. supra nu. 17. itaque mortuo Episcopo non est opus alia licentia noui Ordinarij.

IV. DIFFICVLTAS.

An possit quandoque Episcopus propria auctoritate, & seclusu priuilegio Summi Pontificis concedere licentiam, vt celebretur missa in priuatis domibus secularium.

REspondeo posse Episcopum dispensare, vt aliquando celebretur in loco apto domus priuatæ ex iusta & rationabili causa, qualis est quando persona grauis ægrotat, vt domi audiat missam, & communionem ex obligatione suscipiat, non vero permanenter, & per modum habitus. Ratio est; quia in Decreto Trident. sæpius citato, & in decreto Pauli V. & aliorum Pontificum aufertur Episcopis facultas concedendi simpliciter licentiam ad celebrandum in priuatis domibus per modum priuilegij permanentis, non verò facultas dispensandi in aliquo casu particulari ex iusta causa aliquoties in anno Ita Fagund. præcep. 1. lib.3.cap.13. Marchinus, Hurtadus, & alij, quos citat, & sequitur Diana p 9.tra 1. ref.43.& 44. §.casus tertius.

V. DIFFICVLTAS.

An si Oratorium priuatæ domus habeat ingressum publicum, possit Episcopus propria auctoritate dare licentiam, vt per modum habitus ibi celebretur.

REspondeo affirmatiuè absque alia facultate Sedis Apostolicæ. Probatur; quia posito ingressu publico, & egressu patente in publicam viam, illud oratorium censetur publicum, quod potest designari ab Episcopo ad diuinum tantum cultum, & ad celebrationem sacrificij; ita Auersa de sacrif qu.11. sec.14. §.Quinto poterant Naldus, Homobonus, Geone, & alij, quos citat & sequitur Diana p.9. tra.1. ref.21. vbi addit ex Pasqualigo, In hoc oratorio quod publicum censetur, et non priuatum, posse Nihilominus celebrari ianuis clausis, ita vt accedant tantùm Dominus, et alij, quos ipse voluerit; quia non præcipitur, vt publicè celebretur, sed non nisi in oratorio publico.

DVBIVM VI.

De sexta Clausula.

Vnam missam pro vnoquoque die.

EX vi huius priuilegij, & Breuis Pontificij de quo loquimur, vna tantum missa eodem die celebrari potest in priuatis & domesticis oratorijs, consequenter prohibitum est plures celebrari: quia non potest, ibi fieri sacrum, nisi ex viconcessionis Pontificiæ, quæ non extenditur ad alteram, & plures missas, sed est limitata ad vnam tantum: Limitata autem causa non nisi limitatum effectum producere potest, sicut cum Quintana, Marchin. & alijs notat Diana p.9. trac.1.ref 5, & Tamb de sacrif lib 2 c.4 §.4 n.19.

Prima difficultas hic esse potest. Vtrum celebrans, vel celebrare faciens in dicto oratorio alteram missam, & plures, peccet mortaliter.

Re-

Respondeo peccare mortaliter; quia id est celebrare missam in loco inepto seu prohibito, quod esse peccatum mortale, iam diximus supra sec.1. dub.4. ex communi DD.sententia contra Sotum ibi citatum. An autem per Bullam Cruciatæ, quid amplius quoad hoc concedatur, dicemus infra dub. vlt.

Secunda difficultas est. An priuilegiatus non solum possit, sed etiam teneatur in suo oratorio celebrari facere, vt audiat missam in die festo, qnia E.g. est infirmus, vel alia de causa exire non potest.

Respondeo probabile esse non teneri; qnia nemo obligatur vti suo priuilegio nè gratia fiat onerosa; quamuis oppositum probabiliter etiam defendatur à DD quos pro vtraq; parte adducit Diana supra resolut. 19. part.9. tract.1.

DVBIVM VII.

De Septima Clausula.

Dummodò in eadem domo celebrandi licentia qua adhuc duret, alteri concessa non fuerit.

HAc septima Clausula prohibentur in eadem domo plura oratoria, & insuper cauetur ne idem oratorium suffragari possit, quoad satisfaciendum præcepto audiendi sacrum pluribus dominis distinctis, & ad inuicem non subordinatis, aut pluribus familijs, si forte plures sint in eodem domo Vnde.

Colligitur primo, Si in eadem domo sint duo Domini cum suis familijs, quorum vterque obtinuisset priuilegium oratorij; is qui posterius impetrasset, impetrasset nulliter ex vi huius clausulæ, vt ex relatis verbis constat, & notat Tambur. opusc. de sacrif. lib.1. cap.4. §.4 num.20.

Colligitur secundo. Si duo distincti Domini, & ad inuicem non subordinati validè impetrassent priuilegium oratorij quando in diuersis domibus habitabant, & postea se transferrent in eandem domum, eos non posse in hac domo communi duo oratoria erigere, nec posse vtcumque eodem oratorio vti, sed alterum tantum eorum, qui videlicet primus erexerit; quod si lis oriatur, & nolit alter alteri cedere, arbitrio Episcopi decidendum erit quisnam eorum eo priuilegio frui debeat.

Colligitur tertio. Prædicta intelligi, si domus sit eadem, non solum physicè sed etiā moraliter; Nam si esset nimis ampla, & diuersę familiæ in situ adeo distanti habitarent, vt ratione situs moraliter iudicarentur duæ diuersæ domus; tunc dicta clausula non obstaret, quin duo oratoria in duabus diuersis habitationibus erigi possent; quia sufficit moralis distinctio. E.g. si singulæ habitationes haberent suas ianuas in viam publicam, suaque Atria, quamuis aliqua esset communicatio interius, sicuti notat Tamburinus supra num.22.

DVBIVM VIII.

De Octaua clausula.

Per quemcumque Sacerdotem ab Ordinario approbatum sæcularem, seu de Superiorum suorum licentia Regularem

DIfficultas oritur circa hanc clausulam An approbatio pro Sacerdote sæculari hic exigita, & licentia pro Regulari debeat esse particularis ad celebrandum in oratorio priuato, vel sufficiat generalis, qua quis est admissus ad sacrum faciendum absque limitatione pro hoc vel alio loco, & in casu nostro non facta speciali prohibitione celebrandi in huiusmodi oratorijs.

Respondeo, & dico primo pro Sacerdote sæculari sufficit approbatio generalis celebrādi Missam, nec requiritur approbatio specialis ad celebrandum in Oratorio priuato. Probatur: tum quia vbi agitur de obligatione, stricta fieri debet interpretatio, & in mitiorem partem interpretari debet, nè grauet fideles plusquam par est; cum igitur verba huius clausulæ commodè declarari possint de approbatione generali, non sunt amplianda ad nouam approbationem; tum quia ita praxis declarat; passim namque Sacerdotes etiam timorati sine noua facultate, & solum ex vniuersali approbatione semel obtenta celebrant in prædictis Oratorijs. Ita Pellizzarus cum alijs, quos citat, & sequitur Diana p.9 tract.1.resol 16.& indicat etiam resol 5.

Dico secundo pro Regularibus sufficit etiā generalis approbatio, & licentia tacita seù præsumpta suorum superiorum. Probatur: quia vbi requiritur licentia communiter, intelligitur etiam de tacita, nisi hæc expresse excludatur, & ad multo grauiora sufficere licentiam tacitam docent DD.ergo à fortiori in casu nostro. Ita Quintanaduennas, Pellizzarus, qnos affert & sequitur Diana resol. 16 citata.

Colligitur primo. Non requiri licentiam Parochi; quia neque Parochus est ordinarius,

neque habet Ius prohibendi; quamuis illi sua iura illibata seruari debeant, vt dicemus dub. sequenti. Ita cum alijs Diana supra resol. 15. & Cespides in tract de exceptione Reg. c. 6. dub 103.

Colligitur secundo. Si quis positiuè inhiberetur à Superiore, videlicet Sacerdos secularis ab Episcopo seù ordinario, & Regularis à suo Superiore grauiter peccaret ibi celebrando, modo inhibitio sit legitima: quia tunc non verificaretur conditio exigita à Sūmo Pontifice, consequenter non suffragaretur concessio, & priuilegium, & perinde esset ac celebrare in loco inepto, quod est mortale peccatum, vt supra diximus Dixi, modo prohibitio sit legitima: quia respectu Episcopi videtur necessaria aliqua iuxta & rationabilis causa ad limitandam suo subdito approbationem celebrandi semel concessam. Respectu vero Superioris Regularis non videtur requiri alia causa prætet votum obedientiæ, quo adstringitur quilibet Regularis, eo vel maximè, quia ad disciplinam regularem pertinet ne quis inuito Superiore accedat ad domos secularium, nedum vt ibi non celebret, de qua re videri potest Tambur. Opusc. de Sacrif lib. 1 cap. 4. §. 4. nu. 16. & 23.

DVBIVM IX.

De Nona Clausula sine Iurium Parochialium præiudicio.

Canetur hac clausula ne in priuatis hisce Oratorijs exerceatur vllum munus Parochiale. Primo ergo & principaliter ibi exigi non possunt decimæ, primitiæ, seù oblationes, quæ de iure debentur Parocho. Secundo non possunt ministrari Sacramenta, præsertim Eucharistia tempore Paschatis sine licentia Parochi, Tertio non potest dari pax, nec denuntiari possunt festa, ieiunia, matrimonia, et similia quæ per se spectant ad Parochum: quare oppositum facere sine licentia saltem tacita, esset graue peccatum ex genere suo, et solum ratione paruitatis materiæ à mortali excusari potest. Ita cum Quintanaduennas, Pellizzaro, Molfesio, et alijs docet Diana p 9, tract. 1 resol. 15. Tambur. Opusc. de Sacrif. lib. 1. cap. 4. §. 4. nu. 24. & sequentibus.

Colligitur primo. Quoad Sacerdotes seculares eos nullo modo peccare denuntiando festa, vel ieiunia occurrentia, si id expressè non fuerit prohibitum à Parocho: quia facile præsumi potest eiusdem licentia, cum nihil id ei noceat; similiter posse ministrare toti familiæ Sacramentum pœnitentiæ, vbi particularis contra hoc constitutio legitima non vrget. & pariter Eucharistiam extra Pascha: quia facile præsumi potest licentia; præsertim cum communio eorum qui Missæ intersunt, pertineat ad idem Sacrificium; & cum eo connexionem habeat; vndè olim qui Missæ intererant, semper communicabant; Ita cum alijs Tambur, supra citatus.

Colligitur secundo, idem quoque dicendum esse de regularibus, posita etiam licentia saltem tacita suorum Superiorum. Imo cum Regulares ex priuilegio Sedis Apostolicæ. extra Pascha possint ministrare Eucharistiam omnibus, etiam extra suos conuentus, addunt aliqui DD. eos posse in dictis Oratorijs idem Sacramentum Eucharistiæ ministrare, non obstante prohibitione Episcopi, vt videre est apud Dianam p. 9. tract. 1. resol. 8 Quod tamen non placet: quia Episcopi possunt prohibere, ne Sacerdotes siue seculares siue Regulares ibi celebrent ex decreto Tridentini de obseruandis in celebrat: Missæ sess. 22 ergo multo magis ne aliis Sacramenta ministrent. Ita Lezzana, Nouarius, et alii apud Dianam resol. 8 citata vbi fusius hoc discutit.

DVBIVM X.

De decima Clausula Exceptis diebus Paschatis resurrectionis, Pentecostes, & Natiuitatis Domini, nec non alijs solemnibus festis diebus.

Merito limitatur huiusmodi priuilegium, & facultas celebrandi in priuatis Oratorijs excipiendo dies festos solemniores, vt ijsdem diebus frequentior sit concursus fidelium, etiam nobiliorum ad publicas Ecclesias, & vt priuilegiati maiori fructu Missæ intersint, & venerentur Ecclesias.

Quinam autem dies festi excipiantur illis verbis. Nec non Alijs solemnioribus festis &c. Explicatum fuit per decretum Sacræ Rituum Congregationis sub die 17. Nouembris 1607. excipi nimirum. Diem Natalis Domini, & Epiphaniæ, Paschatis Resurrectionis, & Pentecostes, Annuntiationis, & Assumptionis Beatissimæ Virginis, Festum Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, & festum omnium Sanctorum. Ita referunt, & docent Barbosa de Iure Eccles. lib. 2. cap. 8. n 6. Gauantus in Rubr. Missalis p. 1. tit. 20. §. sciendum quoque, Lezzana, et Alij, quos affert:, & sequitur Diana p. 9 tract. 1. res. 13

Col-

Colligitur primo. In Alijs diebus festis quamuis solemnibus, quæ in decreto prædicto minimè notantur, posse celebrari Missam in Oratorijs prædictis, Videlicet in die Ascensionis, Corporis Christi, Patronorum, & similium: quia non excipiuntur: quamuis ob maiorem deuotionem, & venerationem eorumdem festorum melius & consultius esset adire Templa, & publicas Ecclesias.

Colligitur secundo. Nomine Paschatis, & Pentecostes diem primum solùm intelligi, non verò duos sequentes earumdem solemnitatum, et sic etiam dicendum de die Natalis Domini; quia restrictio Indulti seu gratiæ sapit odium, et idcircò strictè interpretari debet: Ita Lezzana, Gauantus, et Alij communiter, quos sequitur Diana supra.

Colligitur tertio. Si quis in dictis festis vetitis celebret, vel celebrari faciat in Oratorijs priuatis, eum grauiter, et dupliciter peccare. Primo quia contra grauem prohibitionem Summi Pontificis celebrat, vel celebrari facit Sacrum in loco inepto. Secundo quia non satisfacit præcepto audiendi Missam: quia concessio illa Oratorij in festis prædictis solemnioribus nullo modo suffragatur priuilegiatis: Aliàs verba illa Exceptis diebus Paschæ etc nihil operarentur. Tandem quia audiens Sacrum in loco interdicto, non satisfacit præcepto Ecclesiæ: ergò idem dicendum de loco prohibito in casu nostro. Ita cum Garzia, et Alijs docet Diana resol, 13. citata fine.

DVBIVM XI.

De Vndecima Clausula.

In Tua, & Familia tua præsentia celebrari facere.

PRima Difficultas Quinam veniant, seu intelligantur nomine familiæ.

Respondeo Nomine Familiæ seu familiarum intelligi eos, qui habitãt in domo principalis Priuilegiati, seu habentis indultum Oratorij cum aliqua habitudine ad ipsum principalem, & caput familiæ Aliter merè per accidens in eadem domo habitantes, non possunt constituere vnam familiam, quia non constant vnam Societatem, quæ est de conceptu essentiali familiæ.

Hæc autem habitudo, seù respectus ad caput familiæ, Duplex est, nempè vel primo respectus ad caput familiæ ratione patriæ potestatis, quem dicunt filij, Nepotes, & alij per lineam rectam descendentes, ac manentes sub regimine parentum. Vel secundo respectus ad ipsum caput familiæ ratione potestatis dominatiuæ, quem dicunt serui, famuli, & similes, qui viuentes expensis Domini, eique obsequium præstantes in Iure appellantur familiares. Vndè diei solet familiarem constitui corpore, et dente, nimirum commensalitate, et obsequio. debet autem alimentari intuitu obsequiorum, alitèr si titulo amicitiæ, vel simili aleretur, non diceretur familiaris, vt cum Gonsales, Simonetta, Bardi, et alijs fusè docet Diana p.9. tract.1. resol.6.

Colligitur primo ratione primæ habitudinis sub nomine familiæ, et familiarum, qui possunt audire Missam in Oratorio domestico venire primo Vxorem ipsius priuilegiati, cui concessum est indultum Oratorij. Item filios et filias, nurum et generum, nepotes, et pronepotes descendentes per lineam rectam habitantes cum ipso principali priuilegiato, et commensales eiusdem: quia omnes prædicti respiciunt ipsum priuilegiatum tanquam Patrem familias, et sub eius regimine manent. Ita Diana supra, cum Bardi, et Alijs, quos citat. Tambur. Opusc. de lactif. lib. 1. cap. 4 § 4. n. 28. et communiter.

Colligitur secundo. Etiam patrem et matrem, et alios ascendentes per lineam rectam ipsius principalis, qui indultum obtinuit Oratorij eodem priuilegio gaudere, si in eadem domo cum eo habitent, quia verè sunt de eadem familia: tum quia reputantur vna et eadem persona cum eo; tum quia ob naturalem connexionem ad inuicem constant vnam societatem, et quia bona et priuilegia filiorum aliquo modo ad parentes pertinent et in eorum fauorem redundant; sicuti in simili docet Molfesius in sum. tom. 1. tract. 3. cap. 12. n. 70. de Matre nobilis Viduæ ratione solius custodiæ, et absolutè Auersa de sacrif. q. 12. sect. 14. § septimo.

Colligitur tertio. Quid sit dicendum de fratre habentis indultum oratorij, et de Vxore præfati fratris cum sua familia si habitent in domo principalis priuilegiati. Aliqui enim simpliciter affirmant eos gaudere vsu priuilegij prædicti Oratorij, etiamsi habeant propriam mensam, proprios redditus, & proprios famulos: quia licet in rigore, & proprie non sint de familia habentis indultum oratorij, sed aliã familiã constituant: Nihilominus cum simus in materia fauorabili, nomen familiæ videri posse impropriari, itaut extendatur ad præfatum fratrem, eiusque vxorem, & famulos quoad vsum priuilegij eiusdem Oratorij, quod fauorabile est, & nemini præiudiciale, & consequenter ampliari debet. ex l. cum quidam ff. de liberis, & post humis

Ita

Ita Pellizatus in Manual. Regul. tom. 2 tract. 8 cap. 2 sec. 2. nu. 149 Qui idem affirmat de filijs ac filiabus nuptis, & separatis à conuictu parentum habentium indultum Oratorij, modo habitent cum parentibus prædictis sub eodē tecto. Cui sententiæ subscribit Tambur supra citatus Coroll. 1. Alij tamen probabilius negant, quando prædicti separati à conuictu principalis vere & propriè aliam familiam constituunt: quia cum hoc priuilegium sit contra ius commune, & non nihil detrahens maiestati Sacrificij, & reuerentiæ illi debitæ quoad locum sacrum, non amplè sed strictè interpretari debet; & idcirco qui non sunt propriè & in rigore de eadem familia excludi debent ab vsu huius Priuilegii, seu indulti Oratorii priuati. Ita Bardi, Quintana, Ludouicus à Cruce, cum alijs, quos affert: & sequitur Diana resol. 6 citata. Admittenda est tamen prima opinio Pellizzari quoad stattes commensales, & non omnino separatos quoad redditus ab ipso principali habente indultum: quia dici possunt de eadem familia.

Colligit. quarto ex vi secundæ habitudinis ad caput familiæ ratione potestatis dominatiuæ, sub nomine familiæ & familiarium, hic intelligi non solum omnes seruos & seruas, item famulos & famulas immediatos ipsius priuilegiati & commensales eiusdem, sed famulos famulorum nobilium eiusdem principalis, & pariter commensales, & similiter hortulanum colētem hortum Domini & habitantem in eadem domo, viuentemque ex salario eiusdem Domini, & alios similes: quia omnes immediatè vel mediatè subijciuntur Domino habenti indultum priuilegij: Ita cum alijs Diana, & Tamburinus locis supra citatis.

Colligitur quinto si aliquis ex famulis immediatis habentis indultum oratorij viuat quidem ex salario ipsius habentis indultum; sed dormiat & habitet extrà domum Domini adhuc eum censeri de familia, & posse vti eo indulto audiendi Sacrum; quia ad hanc rationem familiaritatis potius attenditur subiectio & societas ratione commensalitatis & salarij, quam materialis cohabitatio sub eodem tecto, vnde etiam domestici dici possunt: quia ad eamdem domum pertinent: Ità cum Castro Palao, & alijs docet Diana p. 9 tract. 1 resol. 27. Pellizzarus, & alij, quos refert, & sequitur Tambur. Opusc. de Sacrif. lib. 1, cap. 4. §. 4. n. 29.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

An Familia, & quilibet ex familiaribus possit audire Missam, & sibi celebrari facere in Oratorio priuato sine præsentia Domini.

RAtio dubitandi est; quia soli Domino concessum est Priuilegium, Alijs autem non, nisi ratione Domini; ergo tunc solum quando comitantur Dominum, et simul cum eo Missæ intersunt.

Confirmatur; quia verba Breuis reddunt sensum copulatiuum in tua, et familiæ tuæ præsentia, vbi ly Tua præsentia ponitur principaliter, quod autem additur et tuæ familiæ, nonnisi accessoriè, et dependenter à præsentia Domini: ergo absente Domino, seù principali priuilegiato indultum non suffragatur cœteris, qui sunt de eius familia.

Respondeo nihilominus ad difficultatem propositam affirmatiuè Ratio est; quia in Breui concessionis non explicatur præsentiam Domini esse necessariam, & verba prædicta possunt reddere sensum disiunctiuum, vel in tua, vel familiæ tuæ præsentia, seù non solum in tua præsentia, sed etiam familiæ tuæ.

Confirmatur: quia sicut Dominus potest sibi celebrari facere sine familia, non obstante particula coniunctiua, et familiæ tuæ; ità poterit familia sine Domino, stat enim vsum priuilegij concedi ratione Domini quamuis absentis. Tandem fauet Praxis communis, quià passim absente Domino eius familiares audiunt Missam in priuatis Oratorijs. Ita contra nonnullos docent Quintanaduenas, Pellizzarus, Auersa, Castro Palao, & Alij, quos affert, & sequitur Diana p. 9 tract. 1. res. 2. Ad Rationem dubitandi patet ex dictis.

DVBIVM XII.

De Duodecima Clausula.

Nec non in Hospitum tuorum nobilium præsentia.

CIrca hanc Clausulam vnica occurrit difficultas. Vtrum nomine hospitum intelligi debeant solum exteri, qui ex alia Ciuitate vel loco adueniunt, & à Domino habentis indultum suæ domi excipiuntur hospitio: vel etiam habitantes in eadem ciuitate, vel loco, si à Domino prædicto inuitarentur ad prandium E. G. vel ad spectaculum, aut similia.

Pri-

Prima sententia sustinet intelligi etiam habitantes in eadem ciuitate vel loco, si fortè innitarentur ad prandium, eaquè occasione vellent Missam audire: quia priuilegium Oratorij est fauorabile, & in salutem animarum concessum: ergò debet ampliari: inuitatus autem ad prandium venit sub nomine hospitis in ampla significatione, Ita Pellizzarus in Manual. Reg. tom. 2. tract. 8. cap. 3. sec. 2. n. 150. Addens hoc etiam procedere, quamuis de industria nobilis Vir inuitaretur ad prandium, vt possit in dicto Oratorio audire Missam: quia vterque tam inuitans quàm inuitatus iure suo vtitur, nec fraudem committit, eo modo quo aliqui sustineut posse Cremonenses ire Mediolanum vt ibi carnibus vesci possint feria 4. Cinerum, & alijs, quibus diebus Mediolani non ieiunatur. Eidem sententiæ subscribit Tambur. Opusc. de Sacrif. lib. 1 cap 4. §. 4 n. 33.

Opposita tamen Sententia est tenenda, Videlicet nomine hospitum non comprehendi habitantes in eadem Ciuitate, sed aliundè aduenientes: quia indultum Oratorij cum disponat contra ius commune, strictè & non amplè est interpretandum. Ita cum alijs viris doctissimis docet Diana p. 9. tract. 1. resolut. 6.

DVBIVM XIII.

De Tertia decima Clausula

Volumus autem vt familiares seruitijs tuis non necessarij ibidem Missæ interessentes non liberentur ab obligatione præcepti.

Declaratur hac Clausula, alijs qui non sunt propriè de familia, non suffragari hoc priuilegium, quoad satisfaciendum præcepto audiendi Sacrum. Quod autem dicitur familiares non necessarii, intelligi debet neque simpliciter neque secundum quid; idest qui nulli vsui deseruiunt, neque quoad seruitium personarum, neque quo ad decentiam status, sed sunt superflui, & nomine tantùm sunt familiares. Hoc posito: Controuersia est hic inter DD. An prædicti qui vere non sunt de familia, & alij extranei, si saltem bona fide in priuato Oratorio Missam audiant in die festo teneantur sub peccato mortali aliam audire in publica Ecclesia admoniti de hac prohibitione, & an vere in his domesticis oratorijs non satisfiat præcepto audiendi sacrum ab illis, qui non comprehenduntur in priuilegio, seu indulto.

Prima sententia sustinet simpliciter satisfieri præcepto. Ratio est: quia iam consuetudo obtinuit vt Missa de præcepto audiri possit extra parochiam, & in quocumque loco, etiam extra Ecclesiam; Vnde communiter affirmant DD. Ecclesiam præcipere Missæ auditionem, sed non præscribere locū: ergò impletur præceptum in quocumque loco Missa audiatur.

Nec obstat prædicta Clausula: quia solum ponitur ex stylo Curiæ ob ritum antiquum, quo tenebantur fideles audire Missam de præcepto in propria parochia, qui ritus fortasse alicubi non est abrogatus; Ceterum vbi est abrogatus, vt vere communiter in his regionibus abrogatus est, prædicta clausula non obstat. Ita Homo bonus, Pellizzarus, Castro Palao apud Tambur. supra nu. 34. & apud Dianam dubio præcedenti citatum resol. 3. p. 9 tract. 1.

Opposita tamen sententia mihi videtur absolutè vera: quia nonquam introducta est consuetudo audiendi Missam de præcepto in loco à Summo Pontifice prohibito. Hic autem prohibetur expresse eam audire in priuato & domestico Oratorio quoad effectum satisfaciendi præcepto.

Confirmatur: quia prima sententia est cōtra praxim Romanæ Curiæ & contra mentem Pontificis, sicuti apertè testantur Officiales, & Ministri Pontificis in hac re: quare non sunt audiendi Auctores primæ sententiæ: Ita Marchinus, Garzias, Bonacina, Riccius, Molsesius, & alij, quos affert & sequitur Diana p. 9 in dicto tract. 1. de Oratorijs priuatis resol. 3. Quibus adde Tambur. loco supra citato.

Ad Fundamentum primæ sententiæ Respondetur Missam audiri posse in quocumque loco, & eius præcepto satisfieri, modò non excludatur aliquis locus pecularis, & reddatur ineptus ad hunc effectum, vt in casu nostro.

Ad Confirmationem patet ex dictis.

Colligitur primo. Non satisfieri huic præcepto audiendi Missam in casu posito, etiam si quis de licentia Parochi id faceret, vel aliàs bona fide: sed comperto errore teneri fideles non comprehensos in indulto, iterum audire Missam in loco apto. Ita cum alijs Diana resol. 3. citata § rectè itaque.

Colligitur secundo: in casu quo quis nequeat audire Missam de præcepto, nisi in Oratorio priuato, non teneri ibi illam audire, quando non comprehenditur sub concessione: quia respectu illius est locus ineptus, & perindè ac si non esset. Diana sup. §. vndè:

Col-

Colligitur tertio. Secus dicendum esse de Oratorijs erectis in Palatijs Episcoporum, vel intrà Conuentus Regularium, & similibus: quia non sunt Oratoria domus priuatæ, & ideò potest satisfieri præcepto, vt alias diximus, & docet idem Diana supra §. secus.

DVBIVM XIV.

De Priuilegio Bullæ Cruciatæ circà prædicta Oratoria priuata in quibus consistat.

RESpondeo per Bullam Cruciatæ non concedi facultatem habendi Oratorium priuatum, neque Commissarium Bullæ posse eam licentiam concedere, sed solum Papam, vt cum Alijs probat Diana p.9. tract. 1. resol.23 & 24. Nihilominus posita aliundè erectione priuati alicuius Oratorij authoritate Summi Pontificis, aliquid amplius conceditur per Bullam Cruciatæ quàm per Breue Pontificium explicatum. Videlicet primo posse in dicto Oratorio celebrari plures Missas quolibet die. Secundo posse celebrari etiam in festis solemnioribus, alijs exceptis in Breui concessionis Oratorij. Tertio ibidem satisfieri posse præcepto de audiendo Sacro ab habente Bullam, etiamsi non sit de familia habentis indultum Oratorij, & Alia similia, quæ omnia patent ex tenore ipsius Bullæ, & explicant DD de ea tractantes, & nouissimè P. Bardi in Bulla Cruciatæ par. 1. tract. 2 cap. 6. sec. 2. & Diana p. 9. tract. 1. sæpius citato sparsim, & in varijs resol cum Alijs DD. quos citant.

NVMERVS II.

1 Si Sacerdote celebrante violetur Ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa, si post Canonem: non dimittatur. Si timeatur incursus hostium, vel alluuionis, vel ruina loci vbi celebratur, ante consecrationem dimittatur Missa, post Consecrationem, verò Sacerdos accelerare poterit sumptionem Sacramenti omissis omnibus alijs.

EXPLICATIO LITERALIS.

ECclesia Consecrata vel Benedicta est locus aptus, in quo communiter licitum est, & debet offerri Sacrificium, ex supradictis; quia cum sit locus sacer est maximè proportionatus huic Mysterio omnium sacratissimo. Quod si aliquid in ipsa Ecclesia committatur eius sanctitati repugnans fit locus ineptus Iure Canonico celebrationi Missæ, & dicitur Ecclesia violata, seu polluta, vt constat ex cap. Ecclesijs, & cap si motum de consecrat. dist. 1. & cap. Proposuisti, & cap. si Ecclesia de consecratione Ecclesiæ, & Alijs Iuribus. Quarè graue peccatum esset in Ecclesia violata celebrare In quibus autem casibus violetur, infra explicabimus in dubijs conscientiæ. Si vero côtingat Ecclesiam pollui seu violari cæpta iam Missa, & vt loquitur hic Rubrica Sacerdote celebrante, debet Missa dimitti, si nondum sit peruentum ad Canonem: quia nondum censetur proximè inceptum Sacrificium, & ideo sine indecentia omitti potest: post Canonem vero dimitti non debet: quia Canon proximè accedit ad consecrationem, & in eo censetur moraliter inceptum sacrificium: quare præualere debet obligatio prosequendi Sacrum, vt fusius explicabimus in dubijs, & hic breuiter attigisse sufficiat pro explicatione prioris partis huius Rubricæ. In Posteriori item parte eiusdem notantur nonnulli casus, in quibus alia ratione, videlicet ad vitandum periculum, tum irreuerentiæ Sacramenti, tum vitæ ipsius celebrantis dimitti debet Missa iam cæpta: si non dum peruentum fuerit ad consecrationem, vel post consecrationem statim sumendum est Sacramentum omissis alijs ritibus accidentalibus, videlicet in hostium incursione, in alluuione &c. de quibus satis diximus p 2. tit. 3. sec. 2. dub 6. hic solum aduertimus in his posterioribus casibus, quia maius periculum imminet grauioris irreuerentiæ contra Sacramentum, & simul vrget necessitas extrema vitæ celebrantis, merito dari licentiam vt etiam cæpto Canone ante consecrationē dimittatur Missa: quamuis enim initium Canonis proximè accedat ad consecrationem, in rigore tamen non est pars consecrationis, nec spectat ad essentiam Sacrificij.

DV-

DVBIA CONSCIENTIAE.

De violatione Ecclesiæ, & Ecclesiæ violatæ reconciliatione.

DVBIVM I.

An liceat in Ecclesia violata celebrare.

RESpondeo certum esse non licere: sed esse mortale peccatum ex genere suo. Probatur: quia Ecclesiam esse pollutam seu violatam nihil aliud est, quam ob aliquid in ea commissum eius sanctitati repugnans prohibitum esse Missam ibi vel officia diuina celebrari. Hoc autem præceptum cum iustum sit, & in materia graui ex motiuo religionis; secundum omnes obligat sub peccato mortali. Ita Syluest. Nauar. & alij, quos sequitur Henriquez lib. 9. cap. 27. nu. 5. Suar. de Euchar. disp. 81. sec. 4. Layman lib 5. tract. 5. cap. 5. n. 6 Coninch. de Sacram. q. 83. nu. 227. Fagundez. precep. 1. lib. 3. cap. 14. Cardinalis de Lugo disp. 20 nu 52. & communiter.

Prima difficultas est. An celebrans in Ecclesia violata incurrat aliquam pœnam.

Aliqui dicunt eum incurrere suspensionem ab ingressu Ecclesiæ, & consequenter si post talem suspensionem iterum celebret, contrahere irregularitatem: Ita Syluest verbo consecratio 2. q 9. Azorius tom. 1 lib. 10. cap. 26. q. 16. Graffis lib. 2 cap. 48. nu. 28 Naldus verbo Ecclesia nu. 15. Probant ex cap. Episcoporum de priuil in 6. Cœterum falluntur; quia textus ille non loquitur de celebrantibus in templo violato, sed interdicto: Templum vero pollutum, non est proprie interdictum.

Vera ergo sententia docet, celebrantes in Ecclesia violata peccare mortaliter, sed nullam censuram aut pœnam irregularitatis contrahere: quia nullo iure statuta est aliqua pœna contra huiusmodi peccatum. Ita Suar, Fagundez, Layman, Cardinalis de Lugo supra citati, & Diana part. 6. tract. 6 resol. 28.

An autem Episcopus possit concedere licentiam, vt celebretur Missa in Ecclesia violata ante reconciliationem; Dicendum est ex iusta & rationabili causa posse concedere, E.g. Si Populus non habeat aliam Ecclesiam, in qua possit die festo Missam audire, nec suppetat tempus reconciliandi Ecclesiam, in absentia vero Episcopi sufficit licentia Vicarij. Ita ex D. Th 3. p. q 83. art. 3. ad 2. Docent Suar, Layman, Cardinalis de Lugo locis citatis, & consonat Auersa de Euchar q. 11. sec. 14. §. decimo tandem.

DVBIVM II.

Quibus modis Ecclesia polluatur.

Et primo de Homicidio.

REspondeo numerari quinque vel sex modos, quibus Ecclesiam violari contingit Primus est per homicidiũ volũtarium & iniuriosum Ecclesiæ, cap. proposuisti, & cap. si motum de cons. dist 1. Secundus est per iniuriosam sanguinis effusionem cap. si Ecclesia de consecrat. Ecclesiæ, cap. Ecclesia de cõsect. dist 1 Tertius est per humani seminis effusionem voluntariam modo illicito, cap significasti de adulterijs Quartus est si sepeliatur ibi excommunicatus cap. consuluisti de consecr. Ecclesiæ Quintus est per sepulturã infidelis, cap Ecclesiam de consecrat dist. 1. Sextus est quando parietes Ecclesiæ consecratæ comburuntur, aut destruuntur, ita vt integrè reedificandi sint, cap ligneis de consecr. Ecclesiæ. His positis. Differendum est Primo de homicidio.

Respondeo per homicidium voluntarium certum est violari Ecclesiam modo sit peccatum mortale. & iniuriosum Ecclesiæ, vt docent communiter DD. infra citandi, & constat ex iuribus citatis hinc.

Colligitur primo. Si Homicidium sit casuale, vel per Amentiam factum. Item si fiat in defensionem propriam, aut Reipublicæ; E G. Quando perturbator aut seditiosus aliter capi, vel tolli non potest, non violari Ecclesiam in prædictis casibus: quia non est Homicidium culpabile: Ita Nauar. cap. 17. num 256. Graffis lib. 2. cap. 48 n. 28 Suar. de Euchar. disp 81. sec. 4 Coninch de Sacram. q 83 n. 327. Fagundez Præcep. 2. lib. 4. cap. 4 num. 15.

Colligitur secundo. Si quis Petrum occidat, volens occidere Paulum, non violatur Ecclesia: Nam exterior occisio talis personæ fuit Inuoluntaria, vt notat Fagundez supra. Et idem dicendum quamuis aliundè causa fuerit culpa mortalis: E.G. si repræsentando turpia in Ecclesia, præter intentionem sequatur occisio, quia non est mortale peccatum in eo genere, vt notat Cardinalis de Lugo de Euchar. disp. 20. n. 54. & docent Alij DD. supra citati.

Colligitur tertio. Si Iudex in Ecclesia reum occidat, aut aliquis sibi ipsi mortem inferat,

in vtroque casu Violari Ecclesiam; quia vtraque occisio est iniuriosa loco sacro. Ita Nauar. cum Alijs citatis in primo Coroll.

Colligitur quarto. Ad Violationem Ecclesiæ sufficere occisionem hominis, etiam si contingat sine sanguinis effusione. Videlicet per suffocationem, aut contusionem, dummodò intrà Templum fiat, vel in eo decur causa mortis. Quarè si Contusio vel suffocatio fiat extra Templum, in quod postea sic læsus ingrediatur, & ibi moriatur, non polluitur Ecclesia: quia peccatum externum homicidij commissum fuit extrà Templum. Similiter si quis existens in Ecclesia explosa Scoplerâ foris alium occidat, non polluit Ecclesiam, nam occisio foris consumatur. Secus è contra si quis existens extra Templum occidat existentem in loco sacro. Ita Nauar. Suar. Graffis locis supra citatis Fagundez Præcep. 1. lib. 3. cap. 14. n. 9.

Difficultas est. An Polluatur Ecclesia quando causa mortis datur intra Templum sine sanguinis effusione per contusionem, aut propinationem veneni, & mors sequitur extra Ecclesiam.

Prima Sententia negat, quia necessarium reputat ad Ecclesiæ violationem seclusa sanguinis effusione, quod mors in Ecclesia sequatur, aliàs enim non fiet homicidium in loco sacro, sed extrà illum. Ita Suar. supra; Reginaldus lib. 29. n. 181. Præpositus 3. p. q. 83 art. 3. dub. 2. n. 152. Diana p 6 tract. 6. resol. 26. fauet Azor. tom. 1. lib. 10. cap. 26. q. 13.

Secunda Sententia probabilior affirmat: Quia licèt homicidium consumatum fuerit extra locum sacrum, at causa mortis, & completa malitia homicidij consummata fuit in illo: mors quippè post secuta naturaliter prouenit à tali causa: patumque refert ad irreuerentiam, ob quam violatur Ecclesia, quod anima separetur à corpore in loco sacro, vel extrà illum, si verè posita fuit in illo tota causa culpabilis, & exterior illius necis. Ita Nauar. & Coninch supra, Cardinalis de Lugo n. 53. Layman lib 5. tract. 5, cap. 5. n. 8, Marchiuus de ordine tract. 3 par 3. cap. 10. n 7. propendet Fagundez supra n. 13.

Requiritur autem vt causa mortis, quæ ponitur in loco sacro, sit phisica, nec sufficit sola moralis: Quare non violatur Ecclesia, quamuis in illa fiat mandatum, vel feratur Sententia mortis, vel detur consilium occidendi, vt notat Cardinalis de Lugo. Rursus causa phisica debet esse talis, vt per se sufficiat inferre mortem, & adhuc non violatur Ecclesia, donec mors secuta fuerit, quia nondum datur Homicidium externum: Morte tamen secuta, quamuis extrà templum, & post aliquot menses, Ecclesia censetur violata iuxta secundam Sententiam propter eius fundamentum. Ita DD. relati.

DVBIVM III.

Qualiter Ecclesia polluatur per effusionem sanguinis.

Certum est secundum omnes, Ecclesiam pollui, seu violari per voluntariam, & iniuriosam humani sanguinis effusionem in templo factam, sicuti habetur cap 1. de Ecclesiæ consecrat. in 6 & docent Sotus, Syluest. Nauar, quos sequitur Fagundez præcep. 1. lib. 5. cap. 14. n. 14 Henriquez lib. 9. cap 27. nu. 5. Azor tom. 1. lib. 10. cap. 26. q 13. Suar, tom. 3. disp. 81. sec. 4. Bonac de matrim. q. 4. punc. vltimo nu. 20. Layman. lib. 5. tract. 5. cap 5. nu. 7. Coninch. q. 83. n. 227. Auila de Censur par. 5. disp. 7. dub. 1 Requiruntur tamen nonnullæ conditiones.

Requiritur primo. Actio voluntaria. Quare non polluitur Ecclesia per effusionem sanguinis naturalem, qualis fit interdum per nares, aut os, aut ex menstruo fœminarum, nec per vulnus inflictum ab amente, vel infantibus carentibus vsu rationis, aut casu ruentibus lignis, vel saxis: Ita Bonac. supra. Fagundez n. 15 & alij communiter.

Requiritur secundo. Vt sit actio grauiter culpabilis, vnde non violatur Ecclesia, si quis ob sui defensionem iustam grauiter aliū vulneret, aut si Chirurgus curationis gratia venam, aut tumorem incidens in Ecclesia licitè sanguinem effundat. Sic citati DD. similiter dum parui pueri rixantes in Ecclesia cruorem sibi vicissim excutiunt ex naribus, non violant Ecclesiam, nam iniuria leuis est, & iura requirunt graue peccatum, cum imponant grauem pœnam. Quidam hoc extendunt etiam ad grandiores, qui percutiunt alterius nasum cum multi sanguinis effusione: Quia nasus est organum sanguinis, qui subinde facilè profluit ex naso copiosè, Non ergo sufficit talis effusio ad violandam Ecclesiam, quamuis in illa fiat; Ita Victoria de Euchar nu 99. generaliter asserens, si pugno Percussero aliquē in naribus, & fluat sanguis etiam in magna quantitate, non polluitur Ecclesia, quia non est grauis effusio. Consonat Sa verbo Ecclesia n. 13 Graffis lib. 2. cap. 48. nu. 25 Sotus, & Capua, quos sequitur Fagundez præcep. 2. Eccles. lib. 4 cap. 4 nu. 18. Marchiuus de ordine tract. 3. par. 3 cap. 11 n. 8. dicens, excipitur effusio sanguinis etiam lethi-

lethifera seu grauis, & in magna quantitate, quæ de naso profluere pugno, alapa, & similibus, quod absolute sequitur Diana p.6. tract.6.resol.24

Ego censeo deliberatam effusionem sanguinis etiam ex naso; quæ fiat in Ecclesia, & sit mortale peccatum formaliter, quatenus effusio sanguinis, violare Templum: quia ius nihil aliud requirit ad Ecclesiæ violationem: Ita Syluius 3 p.q 83.art.3. Coninch ibidem n.128 Bonacina supra. Cœterum notandum est primo requiri sanguinis effusionem, quæ plane significat copiam effusi sanguinis, vnde si parum sanguinis defluat, non violatur Ecclesia, vt docent communiter DD. Hæc autem quantitas proportionaliter sumi debet ad partem vnde fluit, sunt enim partes corporis, ex quibus inflicto leui vulnere vel ictu, facile defluit multum sanguinis: Ex alijs autem etiam inflicto graui vulnere vix parum erumpit. Ita Suar, Nauar, Auila Bonac.supra, qui recte docent, quando vulnus est leue, licet effundatur copia sanguinis, Ecclesiam non violari: quia talis percussio non continet mortale peccatum, & illa tanti sanguinis effusio, velut materialis, & casualis reputatur, Layman supra nu 8. Ponit exemplum in homine, qui non nihil indignatus cultello leuiter auriculam sibi, vel alteri vulnerauit cum non modica sanguinis effusione. Continget ergo sæpius, vt quantitas effusi sanguinis, quæ respectu alterius partis sufficeret ad constituendam mortalem culpam, & ad violandam Ecclesiam, quia supponeret graue vulnus; respectu nasi, vel auriculæ non sufficiat, quia manat ex vulneri leui Hoc videntur intendisse Victoria, Sa Fagundez, & Sotus supra relati. Quare perpendi debet ex circumstantijs, an percussio fuerit mortale vel veniale peccatum in ratione percussionis; vt inde discernatur an effusio sanguinis etiam ex naso fluens violet Ecclesiam nec ne. Adhuc tamen posito peccato mortali non sufficiunt paucæ guttæ sanguinis V.g. decem circiter sed plures oportet vt fluant: quia requiritur copia vt notat præsertim Fagundez supra relat

Similiter si vulnus fiat per iocum non violat Ecclesiam, quia non est peccatum mortale. Ita Suar. & Azor supra, Fagundez precep. 1. lib.3. cap.14 num.15. cum alijs. Quare si per actionem iocosam contingat magnam copiam sanguinis effundi, perpendi debet ratio voluntarij Quippe si fuit actio prorsus inuoluntaria, vel semiplene voluntaria, non violat Ecclesiam. Si tamen initio fuit iocus, & postea in veram rixam transijt, violatur Ecclesia. Quod si fuit actio iocose culpabilis, nempe repræsentatio tragediæ turpis in templo, vnde contigit effundi sanguinem & si per accidens, nonnulli volunt Ecclesiam violari. Nam illa repræsentatio censetur iniuriosa templo, quod sufficit vt sanguis inde fusus, licet casualiter polluat Ecclesiam. At oppositum nobis asserendum est, consequenter ad ea quæ diximus in simili de homicidio dub 2. Quia talis actio nec ratione sui violat Ecclesiam, cum id nullo iure caueatur; nec ratione sanguinis effusi, cum talis effusio sit omnino casualis, & peccatum non augeat, nec per consequens iniuriam loci sacri. Sic Suar. & Fagundez supra; Cardinalis de Lugo disp 20.num.54.

Cæterum quamuis effusio sanguinis iniuriosa proprie non sit respectu læsi seu percussi, si tamen in se contineat mort. pecc. erit iniuriosa loco sacro, quem subinde violabit; E.g. si quis seipsum vel alium consentientem, per illicitam mutilationem aut percussionem cædat, vel Iudex iubeat reum in Ecclesia vulnerari, violatur Ecclesia. Secus si quis per honestam flagellationem fundat proprium, vel etiā alienum sanguinem. Vel si Iudex licite percutiat in Ecclesia perturbatiorem Reipublicæ, quem aliter capere non potest. Sic Henriq. lib 8 c.16.nu.4 Suar. Auila, Coninch. supra Fagundez n.17.

Requiritur tertio, vt effundatur sanguis hominis: Quare non sufficit effundi sanguinem bruti, quamuis cum peccato mortali contingat animal in Ecclesia vulnerari vel occidi; sic Fagundez supra. An autem sufficiat cadauer hominis in Ecclesia illicite vulnerari cum effusione sanguinis? Affirmant Durandus in Rationali lib.1.cap.6.n.41. Bacconius in 4. dist.10. q 2.art.3. Sa verbo Ecclesia num. 13. Nam ille sanguis adhuc dicitur & reputatur humanus; Melius tamen negant Henriquez, lib.9. cap.27.num.4, Fagundez supra, Diana p.6.tract.6.res.25. Nam Ecclesiæ violatio pœna est, quare restringi debet ad rigorosam proprietatem verborum: At homo mortuus proprie non est homo, igitur eius sanguis nō est proprie sanguis humanus, cuius effusionem iura postulant, sed effundi debet sanguis hominis viuentis; Vnde non sufficit Alapa, vel ictus, aut contusio grauis dum non inferat necem, aut sanguinis effusionem. Vt notant Auila, Bonac. Suar & alij.

Si quis autem in Ecclesia percussus, non fudit in illa sanguinem sed extra; non violari templum indicat Diana supra resol.47 & probat, nam vt nuper dicebamus, & notat Persicus de officio Secerdotis lib. 1. cap. 7. dub.2. num.23. Ecclesiæ violatio pœna est, ac subinde stricte interpretanda: Sed Canones impo-

nentes hanc pœnam exprimunt effusionem sanguinis: ergo debent strictè intelligi de ipsa sanguinis effusione intra Ecclesiam facta. Confirmatur; quia vt supra dicebamus, nonnulli probabiliter affirmant Ecclesiam non violari, quamuis in illa ponatur causa mortis, si mors extra sequatur: ergo pariter in casu nostro.

Communis verò sententia, cui adhæreo, docet violari. Probatur; Nam Ecclesia non tam polluitur per ipsum contactum sanguinis decidentis in pauimentum (vt quidam falsò opinantur) quàm per actionem iniuriosam, qua causatur effusio; ergo dum hæc tota ponitur in Ecclesia, quamuis colligatur sanguis in vase, vel percussus egrediatur ex Ecclesia priusquam effluat sanguis; Nihilominus certum est Ecclesiam violari. Contra verò si quis percussus extra locum sacrum, postea illum ingrediatur, & intra Ecclesiam effluat sanguis, tunc non polluitur Ecclesia. Ratio est; quia vt dicebamus non attenditur vbi sanguis effluat, quod materialiter se habet, sed vbi datur causa iniuriosa & culpabilis, in qua continetur formalis effusio. Ita Siluest. Nauar. Suar. Graffis, & alij, quos citat, & sequitur Fagundez præcep. 1 lib. 3 cap. 14 n. 16, Victoria supra Card. de Lugo disp 20 nu. 53. & alij apud Dianam supra.

Ad fundamentum oppositum concessa maiori negatur minor vniuersaliter sumpta. Nam in cap. proposuisti de cons. Eccl. dicitur Ecclesiã violari per vulnera, nec mentio fit effusionis sanguinis; Vnde colligitur cæteros Canones intelligendos esse de sanguinis effusione formali, seu morali, cuius malitia consistit in positione causæ phisicæ. Quod autem postea effluat sanguis intra vel extra Ecclesiam, materialiter & per accidens se habet.

Ad confirmationem respondetur magis cõsequenter procedere Doctor. illos, qui tam in homicidio, quàm in sanguinis effusione dicunt sufficere causam fuisse datam in Ecclesia. Qui verò requirunt homicidium in Ecclesia consummari, non ita sanguinis effusionem, forsan ducuntur, quia cùm hoc totum pendeat ab interpretatione iurium, & hæc præcipuè sumatur ex communi sensu DD. Hi certè circa sanguinis effusionem conueniunt, intelligi quoad culpabilem causæ positionem, non verò sic omnes consentiunt quoad solam positionem causæ necis. Vndè probabiliter dici potest; homicidium requiri consummatum in Ecclesia, non ita sanguinis effusionem.

DVBIVM IV.

Qualiter violetur Ecclesia per humani feminis effusionem.

SVppunimus Ecclesiam violari per copulam habitam in illa, siuè fornicariam siue coniugalem extra casum necessitatis. & per voluntariam feminis effusionem extra copulam. Habetur in Iure cap Ecclesijs semel, cap. si motum de consecr dist. 1 cap Proposuisti. cap. finali de consecrat Ecclesiæ, & consentiunt DD. qui requirunt mortale peccatum in genere luxuriæ, ac subindè feminis effusionem plenè voluntariam. Quare Syluest. Tabiena, Nauar Henriq. Filliucius, quos sequitur Bonacina de matrim q 4 punc. vltimo num. 19. censent Ecclesiam non pollui per pollutionem in somnijs contingentem, quamuis indirectè voluntaria fuerit in causa. Rationem reddit Bonacina quia non est libera, & per consequens non habet adnexam irreuerentiam loci sacri propter quam Ecclesia polluta censeatur. Mihi videtur indirectè voluntarium satis habere libertatis ad mortale peccatum, si legem violet. Sic homicidium commissum in somnijs, vel ebrietate, si fuit volontarium in causa, quamuis indirectè dumtaxat, est mortale peccatum contra iustitiam; Nam obligat iustitia non solum ad non occidendum, sed etiam ad tollendam causam, vndè præuidetur homicidium secuturum. At castitas non obligat ad auertendam causam pollutionis in somnis euenturæ, quamuis illicitam in alio genere. Quare peccans mortaliter in nimio cibo vel potu, non peccat contra castitatem, quamuis indè præuideat secuturam esse pollutionem in somnis præter intentionem. vt latè docent Vasq. 1. 2. disp. 115. num. 9 Sanchez de Matrim. lib. 9. disp 45. num. 17. Igitur, ideò non violatur Ecclesia per talem pollutionem, quia non est mortale peccatum in genere luxuriæ non vero quia non est libera.

Difficultas est, An per copulã coniugalem in loco sacro ratione necessitatis habitam Ecclesia polluatur. Affirmant D. Antoninus, Paludanus, Caetanus, & alij, quos refert Sanchez supra disp 15. num. 9. quia nullam reputant sufficientem necessitatem, vt talis actus habeatur in loco sacro. Communis tamen sententia negat, quia non est credendum, Ecclesiam obligare coniuges ad abstinendum, cùm vrget incontinentiæ periculum, vel necessitas similis. Ita Sanchez supra num. 12. cum multis, Suar. 3. p. tom. 3. disp. 81. sec.

81. sec.4. Azor. tom.2. lib.9. cap.5. Lessius lib. 4. cap.3. num:85. Coninch. q 83. num.231 Bonac. supra num.6. Toletus lib. 5. cap. 12 Fagundez præcepto 20. lib.4. num 21. Petrus de Ledesma tom.1 tract. de Euchar. cap.20. Diana p.2. tract 7. resol. 19.

Hanc necessitatem communiter assignant DD. quando coniuges diù manere coguntur intra Templum, nec in cameram propinquam egredi possunt: diuturnumque tempus vocat Sanchez vnum mensem: Fagundez & Lessius quindecim dies: Ledesma & Diana quatuor, aut quinque. Alij præter hanc moram requirunt etiam incontinentiæ periculum in altero saltem. Vndè colligit Toletus forè mortale peccatum si sobolis vel delectationis causa copulentur. Cœterum melius Sanchez & Fagundez supra dicunt, in casu diuturnæ inclusionis in loco sacro licere copulam coniugalem sine limitatione, sicut licet extra locum sacrum, & oppositum esset valdè expositum scrupulis.

Rursus Difficultas est, An si inclusio in Ecclesia non sit diuturna, & nihilominus vrgeat periculum incontinentiæ, An inquam tunc liceat copula coniugalis. Aliqui enim negare videntur, vt Petrus de Ledesma, Lessius, & Alij, qui absolutè requirunt longam moram. Dicendum est tamen licitam esse tunc copulam; quia militat fundamentum communis sententiæ, quod scilicet Ecclesiæ præcepta non obligant in casu magnæ necessitatis, vel grauis periculi. Ita Emanuel Sà Verbo debitum coniugale n. 12. Bonacina loco supra citato. & a fortiori Basilius Pontius de matrim. lib 10 cap.10. n.13

Colligitur: quoties effusio seminis in Ecclesia est licita, vel solum venialis, Ecclesiam non violari: quia nec actus licitus eam pœnam inducit, nec culpa venialis tantùm. Ita DD. supra citati communiter, & videri potest Sanchez de matrim. lib. 9. disp. 15. n 14. Vbi rectè notat vix contingere casum huius necessitatis. Nam in Ecclesia communiter sunt cubicula adhærentia, vel sacristia, vel Turris, quæ deseruire possunt ad actum coniugalem absque periculo violationis Ecclesiæ.

DVBIVM V.

Qualiter violetur Ecclesia per sepulturam excommunicati.

CErtum est Ecclesiam violari si quis excommunicatus publice in ea sepeliatur, vt colligitur ex cap. consuluisti de consecrat. Ecclesiæ. Additur in cap. Sacris de sepulturis, tale cadauer exhumandum esse, si discerni possit ab alijs, & proijciendum in locum prophanum: Secus si discerni non possit, nè simul cum ossibus illius abiiciantur ossa aliorum fidelium.

Prima Difficultas est, vtrum post Concilium Constantiense sit hoc limitandum ad excommunicatum vitandum

Prima Sententia negat; Ita cum Alijs Abbas in prædictum cap. consuluisti, & Alterius lib 1. disp. 14. cap. 1 Probatur: quia textus generaliter loquitur de excommunicatis.

Secunda Sententia probabilior affirmat Ita Victoria in sum. n.99. Henriq. lib.9 cap 27 n.5. Coninch. q. 83. n.232 Suar. tom 3. disp. 81. sec.4. Filliucius tract.5 n 117. Auila p.5. disp 7 dub 1 Bonacina de matrim. q 4. punc. vltimo n.22. Layman lib 5. tract 5. cap 5 n.8. Scortia lib. 2. cap. 13. Cardinalis de Lugo disp.20. n.56 Quia post Concilium Constantiense non tenemur vitare toleratos: Ergò nec illos tenemur ab Ecclesiastica sepultura repellere, censentur enim (inquit Suar.) vt occulti excommunicati; Vnde rectè colligit Nauar. lib.5. Consil. tit. de Hæretic. consil. 19. Layman, & Cardinalis de Lugo supra, per sepulturam hæretici non denuntiati nominatim non violari locum sacrum.

At nota primo quamuis fuerit excommunicatus denuntiatus qui sepultus est in loco sacro, si mortuus est cum signis contritionis, absolui posse post mortem, & ita retineri post absolutionem in Ecclesiastica sepultura. Sic Auila supra dub.4.

Nota secundo. Non violari Templum per sepulturam hominis personaliter & nominatim interdicti, nec subinde reconciliandum esse, quoniam id nullo iure decernitur, nec pœnæ sunt extendendæ. Cœterum Cadauer exhumandum est, nam expresse priuatur Ecclesiastica sepultura; & textus in cap. sacris de sepultur. non solum excommunicatos, sed omnes ab Ecclesia præcisos præcipit è loco sacro depelli. Et quidem interdicti propriè dicuntur ab Ecclesia præcisi. Sic Layman, & Cardinalis de Lugo supra, Suar. de relig tom. 1 tract 2 lib. 3. cap.2. n.11. & sequentibus.

Secunda difficultas. An Ecclesia violetur si per Episcopum excommunicatum non toleratum consecretur, aut benedicatur? Affirmant communiter antiquiores. Nam Ecclesia polluitur per excommunicati non tolerati sepulturam, vt vidimus; Ergo violabitur etiam à forriori, quando per Episcopum excommunicatum nòn toleratum consecratur, aut benedicitur; Ita tamen, vt cõ-

secra-

secrationem, aut benedictionem, dicant valere, quia non requirit iurisdictionem, sed ordinis potestatem, quam excommunicatio non tollit, simul vero docent egere reconciliatione. Sic tenent D. Antonius, & Tabiena, quos sequitur Auila supra dub. 1. Abbas, Ioannes Andreas, & Hostiensis in dicto cap. consuluisti Paludanus in 4. dist 18. q. 8. art. 4. Syluest. interdictum 4. q. 3 Nauarrus cap 27. nu. 158 Azor. & Bonacina supra.

Dicendum tamen est, Ecclesiam sic consecratam aut benedictam, non solum validam retinere consecrationem aut benedictionem, vt Aduersarij fatentur, & significat cap. Ecclesijs semel de consecrat dist. 1. Subdens si tamen fidem Sanctæ Trinitatis tenuerint, qui locum consecrauerunt (Vnde colligit Layman supra num. 9. Hæreticum Episcopum valide consecrare seu benedicere Templa, dum fidem Sanctissimæ Trinitatis teneat) sed etiam non egere reconciliatione, quia verè non est polluta. Probatur: quia nullo Iure decernitur talis violatio, nec in legibus pœnalibus valet argumentum à paritate rationis; cum odia restringi debeant ad casum dumtaxat expressum: hine omnes fatentur, Ecclesiam non violari quamuis excommunicatus non toleratus celebret in eâ. Confirmatur, nam prius est Ecclesiam consecrari vel benedici, quam violari; non ergo potest ipsamet consecratione, vel benedictione violari. Sic censent Suar. Conincb. Layman supra, Cardinalis de Lugo n. 57. Fagundez Præcept. 1. lib. 3. cap. 14. num 56. Alterius lib. 1. disp. 10. cap 6.

DVBIVM VI.

Qualiter violetur Ecclesia per sepulturam infidelis.

Ecclesiam pollui, si quis paganus, aut infidelis in ea sepeliatur, vel iaceat sepultus, habetur cap. Ecclesf. 1. & 2. de consecrat dist. 1 & absolute docent Paludanus in 4. dist 18. q. 8. art. 4. Henriq. cum Aliis lib. 9. cap. 27. n 5. Azor. tom. 1. lib. 10. cap. 20 q. 13 Auila p. 5. disp. 7. dub 1. Filliucius tract. 5. n. 117. Cardinalis de Lugo disp. 20. nu. 57. Vbi nota 1. tres priores modos violandi locum Sacrum requirere causam grauiter culpabilem, vt diximus, tres vero posteriores non postulare causam culpabilem, sed sufficere factum, videlicet corpus excommunicati non tolerati, vel infidelis in loco sacro sepultum esse, vel Ecclesiam fuisse destructam. Sic aduertunt Laym. lib 5 tr. 5 c 5. n. 8. & Card. de Lugo supra. Nota secundo non pollui locum Sacrum quando sepelitur in illo Cathecumenus antè susceptum baptismum: quia præsumitur decessisse cum baptismo flaminis; Ita Sayrus lib 5 Thesauri cap. 16. n. 24 & Bonacina de matrim. q. 4. punc. vltimo nu 23 Nec quamuis sepeliatur hæreticus, quia licet non habeat veram fidem, illam tamen professus est in baptismo, & ideo sub nomine fidelium comprehenditur, in cap omnis vtriusque sexus de pœniten. & remissione, vt obseruat Cardinalis de Lugo supra cum Suar.

Prima difficultas. An Infidelis nomine veniant infantes qui sine baptismo decedunt? affirmant communiter DD. de filijs Infideliũ si vero sint filij fidelium, & in vtero matris moriantur, vna cum matre fideli sepeliri possunt: quia mater eum fœtu quasi corpus vnũ censetur. Ita Syluest. consecr. 2 n. 5. Paludanus, Layman, & Auila supra. Notant vero Bonacina supra nu 24. Suar. disp. 81. sec. 4. Fagundez præcep 1 lib. 3 cap. 14. n. 58 Coninch q. 83. n. 233. hoc intelligi, quando puer moritur antequam mater sepeliatur, Nam si viuat adhuc post mortem matris, hæc aperiri debet, vt infans baptizari possit, alioquin si mater sepeliatur adhuc viuente puero, violatur Ecclesia; quia tunc ille puer per sepulturam suffocatur. Fatentur verò, vix vnquam hoc euenturum moraliter, nisi ponamus fœminam prægnantem in ipso Templo mori, moxque post obitum sepeliri, quod rarissimè continget.

Item quando mater moritur in partu simul cum filio nondum baptizato, sed iam edito, posse filium sepeliri cum matre, tum in honorem matris christianæ, tum quia censetur adhuc pars matris. Affirmant Hugolinus, & Goffredus, quos sequitur Sayrus in Thesauro lib. 5. cap. 16 n. 26. At Bo[illegible] supra dicit oppositum esse consuetudine receptum, quia filius iam editus in lucem potiùs reputatur persona distincta prorsus à matre. Denique Sayrus supra n. 25. censet, puerum à parentibus fidelibus natum, & sine baptismo decedentem, & si non debeat in Ecclesia sepeliri, si tamen in illa sepeliatur, Ecclesiam non pollui: quia licet hic infans propriè non sit fidelis, proprie non est gentilis vel infidelis, quandoquidem nulli sectæ infidelium deputatus est, sicut filius infidelium deputatus censetur, & non videtur hæc pars omnino improbabilis.

Communis tamen sententia docet, Infantem iam editum & non baptizatum, quamuis sit filius fidelium, si per se separatus in Ecclesia sepeliatur, illam violari. Quia talis puer negatiuè saltem est infidelis, eum non habeat fidem habitualem. Quare sub infidelis nomine in iuribus comprehendi censendus est;

est; Ita Suar Coninch. Fagundez num. 57. Bonac. n. 23. & iuniores comm.

Secunda difficultas. Quando fuit infidelis in Ecclesia sepultus, an debeant templi parietes abradi. Affirmat Ioan. Andreas in cap. proposuisti de consecr Ecclesiæ. Probat ex cap. Ecclesiam, el segundo de consecr. dist. 1. Sic palam decernente; Melius tamen Abbas in eodem cap. Azor, & Fagundez supra negãt, quoties Ecclesia consecrata est, nam forma consecrationis tolleretur si parietes abraderentur: at quoties consecrata non est, abradi debet, & ita capiendum est prædictum cap. Ecclesiã. sed cessat hæc difficultas in opinione asserentium, quòd modus radendi parietes est illos dealbare, iuxta Glosam in prædicto cap. Ecclesiam, & Auila supra dub. 4. concl. 4. seu dealbatio æquiualet abrationi.

DVBIVM VII.

An violetur Ecclesia per ædificij destructionem.

RESpondeo per Aedificij destructionem, non tam Ecclesiam violari, quam eius consecrationem amitti; non ita benedictionem: nam hæc inhæret pauimento, quod non tollitur; consecratio potissimum inhæret parietibus, quare deficit consecratio quando non maneut moraliter ijdem parietes, quia vel omnes, vel maxima pars eorum simul destruuntur. Secus si manentibus parietibus tectum & ligna comburantur aut diruantur, vel si parietes per minores partes paulatim deficiant & reficiãtur, ita vt moraliter reputentur ijdem, quamuis paulatim variati fuerint per successiuam restaurationẽ. Ita constat ex cap. Ecclesijs semel de consecr. dist. 1. & cap. ligneis de consecr. Ecclesiæ. Consentiunt D. Antoninus, Siluest. Tabiena, Nauar. quos sequitur Henriq. lib. 9 cap. 27. nu. 5. Suar. tom. 3. disp. 81. sect. 4 Coninch. q. 83. n 235 Bonac. de matrim. q 4. punc. vltimo num. 24. Azor. to lib. 1. cap 29. q. 12 Fagundez. præcep. 1. Eccl. lib 3. cap. 14. num. 59 Layman lib. 5. tra. 5. c. 5. num. 15. & 16. Cardinalis de Lugo disp 20 n 64 & 65.

Circa quod nota primò. Si parietes Ecclesiæ sic absumantur, vt omnis crusta, vel secundum maiorem partem auferatur, quamuis parietes non corruant, consecrationem amitti, iuxta Glosam in cap proposuisti de consecrar. Eccles. Abbatem ibi num 7. Siluestrum consecr. 2. q. 3. Tabienam num 5. Layman supra: Quia consecratio potissimum consistit in externis crustis, cum fiat per cruces & linitiones. Si tamen omnis crusta, vel maior eius pars renouationis causâ per interualla temporum successiuè tollatur, non amittitur consecratio, quia semper partem minorem non consecratam ad se trahit pars maior consecrata, iuxta textum in cap. Quod in dubijs de consecr. Ecclesiæ. Multo minus ob solam dealbationem externæ superficiei Templum execrari censetur, cum consecratio fit in parietibus & crusta, quæ permanent, vt aduertunt Vasq 3. p. disp. 233. n. 34. & Layman. supra.

Nota secundo. Si Templum consecratum secundum longitudinem, vel amplitudinem extendatur, & pars de nouo addita reliquum corpus præexistens magnitudine superet, nouam requiri consecrationem: Secus verò si à præcedenti corpore pars addita superetur; tunc enim Episcopus solùm aspergit partem illam superadditam aqua benedicta, iuxta glosam in dicto cap. proposuisti, & notat Layman supra. Cæterum si totum Templum, vel maior eius pars, non simul sed per temporum interualla paulatim corruat, & successiuè instauretur, non amittit consecrationẽ, ex DD. supracit; quia censetur idem templum, & maior pars consecrata trahit ad se minorem.

Nota tertio. In alijs casibus iure non expressis; quamuis Templum, non indigeat reconciliatione; congruum esse Sacerdotem lauare Templi parietes aqua per ipsam exorcizata iussu Episcopi, vt aduertit Durandus in Rationali lib. 5: cap. 6. num. 41. E. g Si per rixã frangatur brachium alicuius in Ecclesia sine sanguinis effusione, vel reus ad Ecclesiam cõfugiens, indè trahatur ad supplicium contra immunitatem: Si Templum diù sine ianuis, & tecto plenum fuisset stamine, vel alijs spurcitijs, & vsui vulgari quasi diuersorium paruæ rit. Similiter obseruat Layman supra; si Templum consecratum hæreticæ superstitioni deseruierit, & à Catholicis recipiatur, sufficere quod Episcopus Altaria visitet ipsaque simul, & parietes aspergat aqua benedicta vel id cõmittat faciendum à Presbytero.

DVBIVM VIII.

An per occultam causam polluatur Ecclesia.

RESpondeo ex communi DD. sententia requiri, vt causa violationis sit publicè nota, ad effectum vt Ecclesia vel Templum indigeat reconciliatione. & sic requiritur vel euidentia facti; quia publicum fuit, vel vt sufficiens eius notitia dimanauerit in plebem, vel in parochiam; Vel secundo requiritur sententia

ta iuridica per confessionem rei, vel sufficientem probationem, vel inditia talia quæ testibus æquivaleant, & moralem certitudinem inducant. Ita multis allegatis Sanchez de matrim.lib.9.disp.15.nu 11.Suar.to.3. disp.81. sec.4 Bonacina de matrim.qu 4 punc.vltimo. Fagundez praecep. 1. lib.3. cap. 14 Coninch, q.83. num 230. Layman lib 4. trac. 5. cap. 5. num 8 Cardinalis de Lugo de Euchar.disp.20 num.55. & alij communiter; & colligitur ex cap.significasti de Adulterijs. Ratio fuit, quia sicut occulto crimini non congruit publica pœnitentia, nè peccans diffametur, ita nec Templum ob occultam causam egere debuit reconciliatione, ne similis diffamatio sequatur: quia nec Parochus Ego occultam delicti habens notitiam posset procurare reconciliationem, quia nequiret probare causam, cum reus non teneatur se prodere: Et alioqui si opus esset reconciliatione, non posset in sua Ecclesia celebrare, & sic hęreret perplexus, quod est absurdum, Ita DD.citati.

Colligitur; ante publicam notitiam causæ non debere Templum reconciliari, & posse in eo celebrari missam, & diuina officia. Cæterùm vbi primum causa sufficienter innotuerit, Templum indigere reconciliatione, nec ante reconciliationem posse in eo celebrari diuina officia. His positis.

Prima difficultas est, an locus sacer verè sit violatus per occultam causam ante manifestationem eiusdem causæ.

Prima sententia negat, Ita Sotus, Vega, Manuel, Cenedo, & alij, quos citat Sanchez supra num.10. dicentes effusionem seminis occultam in loco sacro non habere malitiam mortalem sacrilegij necessario confitendam, quia per illam non violatur Ecclesia (Tractat autem plerique DD. hanc quæstionem specialiter de seminis effusione, sed eadem ratio est de alijs delictis, ex quibus violatur Ecclesia) Hanc etiam sententiam sequitur Vasq. p. 3. disp.98.n.6.& Basilius Pontius de matrim lib. 10.cap.10.cum alijs.

Probatur; quia ius non exigit reconciliationem Ecclesiæ, quamdiu causa violationis est occulta: ergo signum est Ecclesiam non violari per causam occultam: Alioqui non permitterent iura, vt ibi celebrarentur diuina officia. Confirmatur; quia cum reuerentia debita locis sacris consistat in hominum opinione, non potest per istas causas violationis tolli, nisi notæ sint hominibus: sicut nemo sit per crimen infamis, nisi delictum innotescat.

Secunda sententia affirmat. Ita Sanchez lib.9. de matr.disp 15.n.11 cum alijs, quos infra citab.fundamentū huius sent.mox adducā.

PRO RESOLVTIONE.

Respondeo; & dico primo. Quæuis causa violationis Ecclesiæ grauiter culpabilis quamuis occulta habet specialem malitiam sacrilegij mortalis contra reuerentiam debitam locis sacris, E g. effusio seminis est luxuria sacrilega, effusio sanguinis est iniustitia sacrilega, & sic de alijs

Probatur; quia Ecclesia prohibet actus illos in loco sacro ob reuerentiam illi debitam sicut ex eodem motiuo prohibet ibi fieri furta, Nundidas, & actus iudiciales. Nec effectus violationis est culpa, sed veluti pœna quæ culpam supponit, & sacrilegium contra loci sanctitatem commissum: sed Ecclesia non prohibet actus illos in loco sacro fieri publicè, sed prohibet simpliciter; quamuis ad vitandos scrupulos, & ad cauenda alia, incommoda nolbit reconciliationem esse necessariā, nisi publicentur; ergo quamuis occultè fiant, sunt grauiter culpabiles contra prohibitionem specialem iuris Canonici ex motiuo prædicto, & consequenter continent malitiam sacrilegij grauis.

Confirmatur primo: quia licet talis actus dum est occultus, non polluat actualiter Ecclesiam; at si postmodum innotescat verè Ecclesia violatur ex vi præcedentis actus; ergo hic ab initio fuit ex sè sufficiens violare Templum, ac subinde culpabilis grauiter contra prohibitionem prædictam iuris Canonici; nec enim malitia formalis actus interni pendere potest à futura publicatione.

Confirmatur secundo; quia talis actus nō est formaliter culpabilis, quia polluit Ecclesiam per actualem obligationem abstinendi ab officijs diuinis, sed potius è contra quia grauiter culpabilis est contra legem Ecclesiasticam, talem effectum & quasi pœnam inducit: & quamuis violatio requirat conditionem notorietatis; priùs tamen committitur peccatum sacrilegij, quam effectus sequatur postra publicatione. ita Suar.de religione rom.1. tract.2.lib 3.cap.7.Sanch.supra, Fagund. prac. 2.lib 4.cap.4. Bonacina de matrim. q.4. punc. vltimo, Cad.de Lugo de pœnit.disp.16.n.461. Diana p.1 tr.7 ref.19 & 26.

Dico secundo, Post datam occultam causam violationis antequam publicetur, verè dici potest Ecclesia volata; quāuis non egeat reconciliatione, nec à celebratione teneamur abstinere, dum causa manserit occulta; ita Sanch. Suar. locis supracit. & ferè consentiunt alij. Probatur; nam quando copula coniugalis licita est in loco sacro, non eget locus reconciliatione, quamuis copula prius occulta, postea

postea publicetur: quia vere per talem copulam locus sacer pollutus non fuit: ergo similiter si per delictum occultum vere non polluitur Templum, seu locus sacer, etiamsi postea causa illa publicetur, non indigebit templum reconciliatione, quod est falsum. Dicendum est ergo, vere templum violari quãuis iustis de causis suspendantur, effectus, qui ex violatione sequuntur, ex quibus patet ad fundamentum oppositæ sententiæ.

Colligitur; confessarium, qui ex auditis in confessione nouit Ecclesiam esse pollutam, non teneri abstinere à celebratione, quia Ecclesia non præsumitur velle obligare Sacerdotem ad vtendum noritia in confessione habita, Ita cum alijs Bonacina de pœnitentia disp.5.q.6.sec.5.punc.4.

DVBIVM IX.

Quis sit locus sacer violationis capax.

Respondeo, & dico primo Templum consecratum aut benedictum esse capax violationis. Quippe Iura per Ecclesias quas violari decernunt ex supradictis causis intelligunt plane consecratas aut benedictas, Ita Sotus, Nauar; Angles, Graffis, Manuel, quos sequitur Sanchez de matrim lib.9.disp. 15.nu.24.Fagundez præcep.1 lib.3 cap.14.nu. 37.Suar tom.3 disp.81.sec.4.Henriq.lib.9 cap. 27.nu.5.Auila p 5.disp 7.dub.2.

Dico secundo. Locum sacrum quoad hunc effectum recipiendi violationem non tam late patere, sicut ad gaudendum immunitate. Nam omnia vel Ecclesiarum, vel hospitalium, vel Monasteriorum habitacula gaudent immunitate, non tamen omnia sunt capacia violationis, sed spatium pertinens ad interius templi corpus, scilicet quicquid est intra tectum & pauimentum, & inter Aram summam, & parietem oppositum, vbi comprehenduntur Cappellæ, quibus aditus est per ipsum Templum, licet additæ sint post Templi benedictionem. Item Chorus, & locus Organorum: nam hæc omnia faciunt vnum corpus cum Templo. Comprehenduntur etiam Cæmeterium benedictum, & claustra si benedicta sint, & sepulturæ fidelium destinata; Sic relati DD.& Cardinalis de Lugo disp.20.nu.58. Non vero comprehenduntur Cameræ Templis adhærentes non deputatæ diuinis officijs Nec Sacristia, nec Turris, nec habitacula religiosorum, nec officinæ, nec interit ctum, idest illud spatium inter tectum primum & supremum, nec locus exterior Templi, vel supra tectum, vel sub pauimento, nisi sit ibi Cappella, vel fornix ad sepulturam.

Si sanguinis, vel seminis effusio, vel homicidium in Templi ianua contingat intra clausuram ostij versus Templum polluit illud, secus si contingat extra clausurã ostij versus externam aream. Quod si fuerit ibi cæmeterium hoc violabitur; non Ecclesia: ne minus dignum trahat ad se magis dignum, cum tamen Ecclesia violata, cæmeterium illi contiguum violetur, & Ecclesia reconciliata cæmeterium reconcilietur; Nam accessorium sequitur conditiones principalis, & non è contra. Sic habetur cap. vnico de consecr Eccles.in 6. Notant Auila supra dub. 4. Sã verbo Ecclesia n.22.Layman lib.5.tract. 5.cap.5.nu.11. At vno cæmeterio polluto nõ polluitur alterum, quando ncurrum est accessorium alterius De confessionarijs distinguunt Sanchez supra nu.34 & Fagundez nu. 44. Nam si sint intra concauum parietis interni Templi sunt partes illius, sicut Cappellæ: si tamen a Templo diuidantur vel panno cerato, vel tabulato, solumque per crates aut fenestellam confessiones excipiantur, & causa violationis detur à parte Templi, violabitur illud, si detur ab externa parte post parietem vel tabulatum, non violatur Templum, nam illa diuisione iam cellula confessarij manet quasi locus à templo separatus.

Dico tertio Oratoria proprie dicta, quæ vel in domibus priuatis habentur, vel in xenodochijs, vel sunt Eremitoria quædam auctoritate priuata constituta, nequaquam Ecclesiæ nomine comprehendi, quamuis ex Episcopi licentia celebretur in ipsis. Quia non sunt simpliciter loca sacra, cum possint pro libito fundatoris ad prophanos vsus redire, nec subinde gaudent immunitate, nec alijs Ecclesiæ priuilegijs; Ita Suar, & Henriq supra, Sanchez nu.39.Fagundez 45 Sã nu° 13 Layman num.2. Auila dub.2. Coninch.q. 83.nu.236.

Difficultas tamen est de quibusdam locis publicis ab Episcopo deputatis ad celebrandum, vt sunt Heremitoria quædam, Hospitalia vel similia, quæ nec consecrata nec benedicta sunt, nec in illis corpora fidelium sepeliuntur, sed ab Episcopo deputantur ad publicam Missæ celebrationem

Prima sententia negat esse capacia violationis talia loca, Sic Henriq lib.9.cap.27.nu.5. Manuel in summ tom.1.cap.154.de Ecclesia polluta n.13.Sa supra.

Probatur: nam hæc res est odiosa, & pœnalis, ac subinde restringi debet ad Ecclesiam proprie dictam, quoties iura dicunt vel supponunt locum Sacrum aut Ecclesiam violari:

sed Ecclesia propriè non dicitur quæ non est consecrata vel benedicta, & diuinis officijs destinata. Quare lex puniens delictum commissum in Ecclesia, non comprehendit delinquentem in basilica non consecrata vel benedicta, nam Ecclesia propriè non censetur; vt testantur Abbas in Rubr.de consecrat.Eccles.nu.3. Angelus verbo Ecclesia n 3 Ergo talis basilica non est capax violationis. Valde fauent huic sententiæ Sotus in 4 dist. 23.q.1.art 3. Nauar cap.16.nu.32 Suar tom. 3 disp 81.sec 4 Graffis 1.p.lib 1.cap 20 nu.28. & lib.2.cap.83 nu.10.Coninch.supra generaliter asserentes non esse capacia violationis Oratoria, vel similia loca quæ nec consecrata sunt nec benedicta, quia sub Ecclesiæ nomine non comprehenduntur: vel ad hunc effectum violationis requirentes Ecclesiam consecratam aut benedictam.

Secunda sententia per oppositum affirmat Ita Sanchez de matrim lib 9. disp.15.nu.39. Suar (qui videtur mutasse sententiam) tom. 1.de Religione tract.2.lib 3.cap 9.nu.3. Cardinalis de Lugo disp 20.n.6.

Probatur primo. Nam hæc loca gaudent immunitate tamquam sacra: pariter ergo sunt capacia violationis. Antecedens docent Abbas, Syluest Angelus, Couar; & plures apud Sanchez supra. Probatur ex cap. Ecclesiæ de immunit.Eccles Vbi ratio redditur, quæ nostro casui videtur communis, scilicet. Nam Ecclesia non consecrata cum sit diuinis obsequijs dedicata, nullius est temeratijs ausibus prophananda. Verum hæc ratio non est efficax, quoniam vt supra vidimus, latius patet Ecclesiæ nomen quoad immunitatem, quam quoad violationem; odia siquidem restringuntur, & fauores amplianttur.

Probatur secundo. Nam Episcopi deputatio talem locum destinantis perpetuò cultui diuino, & Missarum celebrationi, est veluti consecratio quædam supplens benedictionis effectum; Vnde iam dicitur locus religiosus, nec ad vsus prophanos redire potest, vt habetur cap. Ad hæc de relig. domibus. Fauet Greg. VIII. cap.fin. de consecr. Eccles. generaliter asserens, Ecclesiam non consecratam si polluta fuerit sanguine vel semine debere reconciliari, & Glosa ibi rationem reddit, Quoniam ille locus authoritate Episcopi diuino cultui dicatus sit, ita vt ad prophanos vsus redire non debet Layman lib. 5. tract. 5 cap 5. n.1. dicit hanc sententiam iure communi valdè probabilem apparere, contrariam verò nunc in praxi seruari. Auersa de Euchar. q 11. sec. 14. §. decimo tandem, Monet seruandam esse Regionum consuetudinem: & rectè, Sed quoniam in raris euentibus sicut non potest praxis esse frequens, ita nec constans esse solet; vbi non constat de praxi potest quilibet sequi vtramuis sententiam. Quod si dubium sit An locus iacet fundatus fuerit authoritate Episcopi, Sanchez supra cum Alijs asserit si Cymbalum habeat erectum super tectum, quod publicè pulsetur, vel ibi publicè celebretur admissis omnibus indifferenter præsumi deputationem Episcopi præcessisse; Secus si neutrum habeat.

DVBIVM X.

De Reconciliatione Ecclesiæ violatæ.

RESpondeo. Quando Ecclesia aliquo ex prædictis modis polluta est, oportet eam reconciliari, quod fit ab Episcopo si Ecclesia consecrata sit, eo ritu qui in Pontificali præscribitur; Si autem non est consecrata reconciliari potest per simplicem Sacerdotem aqua a se benedicta eo modo qui habetur in Rituali, vt constat ex cap. si Ecclesia iuncta Glosa de consect. Eccles. & ex cap. Proposuisti cap. aqua de consecr. Eccles. & docent communiter DD. cum D. Th 3.p. q.83. art. 3 ad 2 & videri potest Suar. 3. p. tom 3. disp 81. sec.4. & Diana p. 2. tract. 15. resol. 6.

Prima Difficultas est; An Episcopus possit committere hanc facultatem simplici Sacerdoti reconciliandi Templum consecratum violatum, Aliqui enim affirmant apud Dianam supra, & p.4 tract.4. resol 91. Communis tamen sententia negat; quia licèt Episcopus committere possit quæ sunt Iurisdictionis, Secus tamen est de illis, quæ pertinent ad ordinem Episcopalem. Confirmatur ex Rituali Romano vbi dicitur simplex Sacerdos tantùm ex priuilegio Sedis Apostolicæ potest Ecclesiam ab Episcopo consecratam reconciliare; Ita Henriq. Suar. Layman, & Alij apud Dianam supra, & docet cum Alijs Cardinalis de Lugo de Euchar. disp. 10. sec. 12. n.61.

Secunda Difficultas: An simplex Sacerdos ad reconciliandam Ecclesiam benedictam egeat Episcopi facultate, Affirmat cum Alijs Bonacina de matrimonio q. 4 punc. vltimo, & fauet Rituale Romanum dicens Ecclesiam violatam si nondum erat ab Episcopo consecrata esse reconciliandam per Sacerdotem ab Episcopo delegatum. Communiter tamen asserunt, non requiri licentiam Episcopi ex præcepto, sed solùm ex decentia, quia

textus

textus in citato cap. Ecclesia id non exprimit, Imò contrarium indicat, Ita Layman lib. 5. tract. 5. n. 12. Cardinalis de Lugo supra.

Tertia Difficultas; An Superiores Regularium ex privilegio possint reconciliare Ecclesias consecratas violatas.

Respondeo Affirmatiuè ex priuilegio Leonis X. apud Rodriq. in Bullario Regularium Bulla 6. sub Leone X Saltem hoc possunt quan do Episcopus est absens, vel si mortuus fuerit, vt aliis citatis docet Diana p. 6 tract. 6. resol. 22. & Cardinalis de Lugo supra.

Quarta Difficultas; An si Sacerdos bona fide celebret in Ecclesia polluta eò ipso reconciliata maneat, Aliqui enim affirmant apud Dianam p. 2. tract. 14. resol. 69. & p 6. tract. 6. resol. 28 Melius tamen Alij negant Nam aliàs eodem modo Templum nondum consecratum aut benedictum, semel ibi celebrata Missa non egeret alia consecratione, quod est falsissimum: quia sicut dignitas Missæ æquiualet, vel præponderat reconciliationi, pariter præponderat consecrationi, Ita cum Layman, & Alijs Cardinalis de Lugo loco citato; & patet etiam ex dictis à Nobis in simili de Calice consecrato p 2. tit. 1. in dubijs sec. 2. dub. 3.

NVMERVS III.

3 Si Sacerdos ante consecrationem grauiter infirmetur, vel in sincopem inciderit, aut moriatur, prætermittitur Missa: si post consecrationem Corporis tantùm, ante consecrationem Sanguinis, vel vtroque consecrato id accidit, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, vbi ille desijt, & in casu necessitatis etiam per non ieiunum. Si tamen non obierit, sed fuerit infirmus, adeò tamen vt possit communicare: & non adsit alia Hostia consecrata, Sacerdos qui Missam supplet, diuidat Hostiam, & vnam partem præbeat infirmo, aliam ipse sumat. Si autem semiprolata forma Corporis obijt Sacerdos, quia non est facta consecratio, non est necesse vt Missa per alium suppleatur. Si verò obierit semiplorata forma Sanguinis tunc alter prosequatur Missam, super eumdem Calicem repetat integram formam, ab eo loco, Simili modo postquam cenatum est, vel posset super alium Calicem præparatum integram formam proferre, & Hostiam primi Sacerdotis, & Sanguinem à se consecratum sumere, ac deinde Calicem relictum semiconsecratum.

EXPLICATIO LITERALIS

Sacrificium quod Summo Deo offertur, integrum & perfectum esse debet, præcipuè quoad partes substantiales: esset enim potius quædam irrisio Dei, quàm religiosus & verus cultus, mutilum & mancum Sacrificium, seu irritum, & inualidum eidem Deo offerre. Item est grauis iniuria contra ipsum Sacrificium quod mutilatur, sicut etiam contingit in administrante Sacramentum irritum, & omittente aliquam eius partem essentialem: quare voluntariè hoc facere, & data opera sic velle mutilare Sacrificium, est intrinsecè malum; tum contra ius naturale, ob rationem explicatam; tum contra Ius diuinum positiuum; seu institutionem Christi Domini, & contra significationem quam Sacrificium habet ex eadem institutione Christi, vt cum D Th. 3. p. q 83. per totam docent communiter expositores. Hinc oritur obligatio supplendi omnino defectus substãtiales sacrificij ne mutilum & imperfectum remaneat; vt constat ex dictis sæpius in hæc 3. p. Quòd si non possint suppleri ab eodem Sacerdote, vt in casu huius rubricæ, si videlicet Sacerdos celebrans in progressu Missæ grauiter infirmetur, vel in syncopen incidat; tunc debet suppleri defectus, & expleri Missa ab alio sacerdote, eo modo quo distinctè explicatur in hac Rubrica, & docet D. Th. supra art. 6. & sumitur ex Concilio Toletano

Hhhh 2 7. &

7. & cap. Nihil 7. q. 1.] Vbi redditur Ratio (quòd videlicet non obstet diuersitas personarum, & pluralitas sacerdotum vnitati eiusdem Sacrificij) Cùm enim inquit simus omnes vnum in Christo, nihil contrarium diuersitas personarum format; vbi efficaciam prosperitatis vnitas fidei repræsentat. Qualis autem sit hæc obligatio aliorum sacerdotum perficiendi Sacrificium inchoatum ab eo, qui inter sacra Mysteria deficit, vel grauiter infirmatur, & qualiter obseruari debeant reliqua in hac Rubrica præscripta in sequentibus dubiis melius examinabimus.

DVBIA CONSCIENTIAE.

SECTIO I.

De Missæ defectu per aliùm Sacerdotem supplendo,

DVBIVM I.

An teneatur Sacerdos explere Missam ab Altero inceptam, & qualis sit hæc obligatio.

PRima Sententia Negat adesse obligationem; quamuis enim quilibet Sacerdos teneatur supplere defectus propriæ missæ ex supra dictis. Nihilominus defectus Missæ alterius sacerdotis, potest quidem alter supplere, non vero tenetur, nisi ad vitandum scandalum.

Probatur primo quia in cap. Nihil citato nedum non imponitur talis Obligatio) sed id relinquitur arbitrio: sic enim habetur in eo casu liberum sit Præsbytero consecrationem exequi officij cœpti.

Probatur secundo ratione; quia alter Sacerdos non dedit causam defectui, neque potest illi imputari ergo non tenetur supplere. Ita Henriq. lib 8 cap. 50. litera o. Sotus, Villalobos, Pelizzarus, & alij, quos affert & sequitur (Diana p. 9. tract. 6. resol. 18.

Secunda sententia communis & probabilior docet, supplendum omnino esse defectum substantialem, & perficiendum esse sacrificiũ ab alio sacerdote ex graui obligatione, & sub peccato mortali, posito quod moraliter possit.

Probatur quia tenetur quilibet ex virtute religionis, & zelo honoris Dei vitare grauem iniuriam coutra ipsius Dei honorem, & contra Sacrificium & Sacramentum, quoties moraliter potest. Sed in casu nostro nisi perficiatur Sacrificium substantialiter inchoatum resultat grauis irreuerentiam contra Deum, & dedecus contra sacrificiu, & Sacramentum Ergo Quilibet Sacerdos moraliter potens tenetur perficere; Ita D. Th. q. 83. citata art. 6. ad primum Suar. disp. 85. sec. 1. Bonacina de Sacram. disp 4. q. vltima punc. 10. num. 20. Laiman lib. 5. tract. 5. cap. 7 Auersa de Sacrif. q. 11. sec. 16. §. 10. & alij communiter apud citatos, & dicit probabiliorem Diana loco supra citato.

Ad opposita respondeo ad primum. Voce illa liberum in prædicto textu, solum significari Alios Sacerdotes habere liberam potestatem, hoc est expeditam perficiendi Sacrificium ab alio cœptum, ex dictis. Data autẽ ea potestate Iure naturali sequitur obligatio perficiendi: quia id omninò postulat honor Dei, & Maiestas Sacrificij, quod non sine dedecore mutilum remaneret.

Ad secudum respondeo. Negando consequentiam; quãuis enim alius Sacerdos non teneatur ex eo capite quod ipse causam dedit defectui; tenetur tamen ex alio iam explicato, ne sequatur dedecus contra honorem Dei, & sacrificij.

1. Colligitur: peccare grauiter Sacerdotem qui præuidens suam indispositionem, & periculum deliquij, Nihilominus celebrare præsumit, ob grauem iniuriam, quæ indè sequi potest Deo, & Sacrificio: Imo Sacerdos qui sepius in Missa deficeret ob deliquiũ tanquam irregularis remoueri debet à celebratione; Ita Layman supra, & DD. communiter de irregul.

DVBIVM II.

Quisnam Sacerdos teneatur explere Missam ab alio cœptam.

REspondeo, & dico primo. Si idem Sacerdos qui Missam inchoauerat; & in deliqnium incidit, vires post pusillum resumat, & intra competens spatium, itaut possit conuenienter prosequi, & explere Missam, ipse primo & principaliter ad id tenetur, nè Sacrificium maneat imperfectum; & tunc tandem debet suppleri defectus ab alio, quando pœnitus sit impotens qui primo cœperat & prosequi non potest, & alius subintrat in eius defectum.

Probatur: quia idem nu. Sacrum per se loquendo, ab vno & eodem ministro pendet, vt patet ex vsu Ecclesiæ mananti ex institutione Christi: ergo secluso casu impotentiæ Missa

Missa inchoata ab vno Sacerdote, debet ab eodem expleri, atque ita supponunt vt certum omnes DD citati in præcedenti dubio: Vnde colligitur teneri eumdem Sacerdotem explere Sacrum à se inchoatum, & cœteris præferendum esse; etiamsi non sit ieiunus: quia E.g. aliquid sumpsit ad reparandas vires: quia identitas phisica ministri maioris momenti est, quam quod Sacrum à ieiuno perficiatur; vt paret quando quis loco vini posuit aquam &c.

Dico secundo quando Sacerdos qui Missam inchoauit, sic grauiter infirmatur, vt prosequi eam non possit; tenentur eam explere omnes Sacerdotes qui sunt ibi præsentes, vel non longe distantes, & quilibet eorum insolidum. Præ cœteris autem, & primo loco tenentur qui decentius id exequi possint, seù qui minus sunt impediti, & magis dispositi. Habentes autem aliquod impedimentum, E.g. non ieiuni, vel similes, tenentur secundo loco in defectum aliorum. DD citati dub. 1. pro secunda sententia.

Prima pars probatur: quia ex dictis supra tenentur omnes qui moraliter possunt: non possunt autem nisi presentes, vel non longe distantes, qui moniti de defectu intra legitimum spatium possunt accurrere, & idem Sacrum explere.

Secunda pars probatur: quia tenentur ex virtute Religionis & cultus Dei, vt supra dicebamus. Virtus autem Religionis dictat hoc obsequium Deo præstandum esse, quam decentissime fieri potest, & cum requisitis ab Ecclesia præscriptis: ergo primo loco tenentur qui possunt Sacrum explere cum omnibus requisitis prædictis: cœteri vero non nisi in defectum; Ita communiter DD. supra citati, quos etiam cum alijs afferemus commodius in singulis corollarijs mox subijciendis

Colligitur primo. Si adsit Sacerdos ieiunus & qui non celebrauit, is tenebitur, & debebit supplere: quia conuenientius & decentius id exequi potest seruatis requisitis ab Ecclesia, nempe ieiunio, & vt idem Sacerdos non nisi semel eodem die celebret. Si vero non adsit nisi qui iam celebrauit, aut qui non sit ieiunus, hic etiam in defectum Missam illam explere tenebitur: quia maior est obligatio perficiendi Sacrificium, ne mutilum remaneat, quod est iuris diuini, quàm seruandi ieiunium, & similes leges ab Ecclesia præscriptas, quæ intelligi debent extra huiusmodi casus necessitatis, vt expressè declaratur in hac Rubrica quam explicamus, et docet D. Th. Suar. Bonacina, Layman locis citatis dub. præcedenti. Fagundez præcep 1. lib. 3. cap. 18. num. 22. Auersa de sacrif. q. 11. sec. 16. §. 10. & Alij communiter.

Colligitur secundo. Si Sacerdos adsit cum conscientia peccati mortalis (quando non suppetit copia alterius eo impedimento carentis) tenebitur confiteri si possit, sin autem disponi per contritionem, & sic perficere Sacrificium relictum substantialiter imperfectum, vt supra: quia magis vrget præceptum perficiendi hoc Sacrum, quàm præmittendæ confessionis; Ita Suar. Bonacina cum Alijs supra, Coninch de sacram. q. 83. n 270 Filliucius tract. 5. n. 168.

Colligitur tertio. Si non adsit, nisi sacerdos excommunicatus, aut suspensus, aut irregularis, quamuis Aliqui existiment eum, nec debere, nec posse Sacrificium perficere: quia non est minister idoneus, & perinde est ac si nullus Sacerdos adesset, Ita Henriq. supra, & Emanuel Sà verbo Missa n. 380. Nihilominus longè probabilius est talem sacerdotem, & posse & debere sacrificium ab alio substantialiter inchoatum perficere, si non possit prius obtinere absolutionem: quia magis vrget hoc præceptum perficiendi sacrificium, quàm seruandi leges censurarum. Item quia si sacerdos post consecrationem meminerit se esse excommunicatum &c. Debet Nihilominus perficere sacrificium, vt supra dicebamus ex his Rubricis de defectibus Tit. 8. n. 5. Ergò idem dicendum in casu nostro de Sacerdote excommunicato suppleturo defectum sacrificij ab alio substantialiter inchoati; Ita Fagundez, & Coninch locis supra citatis. Fauent etiam Suar. Filliucius, & Bonacina supra, quatenus afferunt hoc præceptum de quo loquimur, esse Iuris diuini, & magis vrgere quàm præcepta humana, & videtur communis DD. sententia, vt indicat Diana p. 9. tract. 6. resol. 18. initio.

Colligitur quarto. Si nullus Sacerdos reperiatur, Sacramentum fore in Sacrario reponendum, vt altera die sumatur à Sacerdote ante ablutionem, vt fit de particulis præconsecratis; Ita Suar; Henriq. supra, cum alijs.

An autem etiam in crastinum possit perfici sacrum hesterna die substantialiter inchoatū Infra explicabimus dubio V.

Colligitur quinto quid sit dicendum de applicatione sacrificij in hoc casu, quod substantialiter fuit ab vno inchoatum, & deinde ab alio perficitur, An præualeat applicatio illius primi, qui deficit, vel potius huius secundi qui perficit sacrificium, si applicationes sint variæ. Dicendum est enim præualere intentionem posterioris Sacerdotis: quia non confertur effectus nisi dum compleatur sacrificium & semper ante complementum est in potestate

ftate miniſtri mutate intentionem, & vltima intentio prævalet. Ita cum alijs Auerſa ſupra citatus in primo Corollario Qui notat ex conuenientia applicandum eſſe ſacrificium iuxta intentionem prioris Sacerdotis. Quod verum puto quando poſterior Sacerdos non habet obligationem applicandi Sacrificium, vel alias non indiget; quia cum liberum ſit ei applicare cui voluerit, præferenda eſt applicatio ex obligatione, vel ſi non ſit obligatio iuxta ordinem charitatis.

DVBIVM III.

Qualiter, & in quibus cafibus Miſſa ab vno incœpta debeat expleri ab alio Sacerdote.

Reſpondeo, & dico primo ſecundus Sacerdos expleturus Miſſam ab alio inchoatam debet incipere ab eo loco vbi primus deſijt. Probatur: quia ſecundus ſacerdos ſubſtituitur loco prioris ad perficiendum idem Sacrificium, non autem ad conficiendum aliud de nouo: ergo non debet repetere, quæ valide à priori peracta fuerant, ſed proſequi inde, vbi prior deſijt, Ita habetur in hac rubrica, & docent communiter DD.

Dico ſecundo. Tunc ſolum ſuppleri debet Sacrificij defectus in caſu noſtro, & expleri Miſſa ab alio inchoata, quando Sacrificium à priori Sacerdote fuit ſubſtantialiter inchoatum, & deeſt illi altera pars etiam ſubſtantialis; Secus vero ſi neque pars vlla ſubſtantialis poſita fuerit, nec deſit aliquid ad ſubſtantiam vel integritatē Sacrificij pertinens. Probatur: quia obligatio perficiendi Sacrum ab alio inchoatum oritur ex dedecore & irreuerentiā, quę ſequeretur contra Deū, & contra maieſtatē tanti Miſterij, ſi ſacrificiū remaneret mutilum, & abſque partibus neceſſarijs ad eius integritatem: ſed hæc ratio non habet locum niſi in caſu expoſito in concluſione: ergo nec obligatio vrget niſi in eodem caſu. Probatur Minor: quia ſi nulla pars ſubſtantialis ſacrificij poſita fuit, nullo modo ibi eſt ſacrificium, nec conſequenter mutilum eſſe poteſt, neque ſequitur dedecus: Si vero poſitæ fuerunt omnes partes etiam integrantes, & nihil illi deeſt quoad ſubſtantiam, abſolute non indiget reparatione: nec magni refert quod deſint partes accidentales, vel quod relinquatur Miſſa accidentaliter ſolum incæpta. Ita D.Th.3.p.q.83.art.6.ad primum quem ſequuntur fere communiter DD.& illos commodius citabimus in corollarijs: quamuis alij non nihil contradicant vt videbimus.

Colligitur primo. Quid ſit dicendum ſi Celebrans deficiat ante cōſecrationem, quamuis cœpto Canone, vel aliqua parte Canonis recitata ſit, quæ conſecrationem præcedit. Aliqui enim dicunt debere expleri tunc Miſſam per Alium: quia cenſetur Sacrificium moraliter inchoatum per diſpoſitionem materiæ, quæ verbis Canonis redditur magis diſpoſita; Ita cum Alijs Armilla, verbo Miſſa n. 11. Alij volunt non debere, ſed poſſe perfici. Dicendum eſt tamen abſolutè relinquendam eſſe Miſſam: quia verè ſacrificium quoad ſubſtantiam, & partes eſſentiales nondum eſt inchoatum, & vbi neceſſitas non cogit, non eſt eadem Miſſa à duobus ſucceſſiuè dicenda: quæ doctrina expreſsè habetur in noſtra Rubrica, & eam docet D.Th. ſupra, Nugnus cum Alijs in eumdem locum D.Th. dub. 1, Suar diſp. 85. ſec. 1. Coninch q. 83. n. 169. Bonacina de ſacram. diſp.4. q vltima punc.10. n.21. Auerſa de ſacrif. q. 11. ſec.16 §.quarc. Azotius, & Alij ferè communiter.

Idem quoque dicendum ſi deficiat Celebrans ſemi prolata forma conſecrationis corporis ſed non integrè, ob eandem rationem, ſicut exprimitur in rubrica, & docent ijdem DD.

Addunt aliqui & meritò, conſultiùs fore Miſſam aliam integram dicere, qua idem panis idemque vinum offerantur & conſecrentur, vide Suar ſupra.

Colligitur ſecundo. Si Celebrans deficiat poſt conſecrationem corporis, nondum prolata vel ſaltem non completa conſecratione Calicis quoad ſubſtantiam, Poſterior ſacerdos debet conſecrare ſolum Vinum, & coram formam ex integro proferre ſuper eumdem Calicem, etiam ſi prior partem aliquam eiuſdem formæ ſanguinis protuliſſet, ſed inſufficienter, & debet incipere ab *illis verbis*, ſimili modo &c. vt notatur in hac rubrica, & docent DD. citati; & quamuis Aliqui dicant quòd debeat ſecundus ſacerdos non ſolum conſecrare ſanguinem, ſed etiam priùs alteram hoſtiam, & vtramque ſuo tempore ſumere, & poſtea ſanguinem. Quam ſententiam tenet Innocentius 3. lib. 4. de Myſterijs Miſſæ cap.22. Nihilominus oppoſita ſententia eſt tenenda, nempè ſolùm ſanguinem eſſe conſecrandum ex communi ſententia, & omnino ſtandum eſt ijs, quæ præſcribuntur in hac Rubrica; videndus circa hunc caſum Diana p 9. tract.6. reſol.18.

Colligitur tertio. Si Primus Celebrans, qui moritur, vel infirmatur, iam conſecrauerat vtramque ſpeciem, ſed nondum peruenerat

ad

ad sumptionem. Certùm est debere expleri Missam ab alio sacerdote: quia deest pars substantialis, vel saltem integralis, videlicet sumptio Sacramenti: debet autem secundus sacerdos incipere ab illa parte Missæ, in qua alius desijt, & defecit: quia ex dictis debet perficere quod deest, nihil repetendo. DD. communiter: vide Dianam supra resol. 18. citata 5. sed casus.

Colligitur quarto. Si prior Celebrans deficiat post sumptionem corporis, non sumpto sanguine; quamuis Aliqui dicant non esse obligationem supplendi hunc defectum; nec teneri alium explere eamdem Missam; quia tota gratia Sacramenti datur in prima sumptione corporis, & satis esse si postea alius sacerdos ex integro celebrans simul cum sanguine à se consecrato sumat etiam relictum ex alio sacrificio; Ita Henriq. & Bonacina supra q. vltima punc 10. n. 21. Nihilominus absolutè dicendum supplendum esse defectum, & perficiendum esse idem sacrificium ab alio sacerdote, qui sumat tantùm sanguinem relictum à priori qui defecit; quia sumptio vtriusque speciei pertinet saltem ad integritatem substantialem sacrificij, vt supra diximus, & infrà etiam explicabimus. Ita cum Alijs Auersa q. 11. citata. sec. 16. § quare Diana supra, & p. 10. tract. 12. resol. 15.

Colligitur quinto. Si primus sacerdos vtramque speciem sumpserat, & statim deficiat, non opus erit suppleri ab alio id quod remanet: quia iam expleta erat tota substantia sacrificij, nec refert, quod desit aliquid accidentale, ita Auersa supra, & communiter alij DD.

Colligitur sexto. Si in casibus explicatis nullus inueniri possit sacerdos; communiter asserunt DD. non esse licitum laico, vel non sacerdoti sanguinem sumere aut hostiam, præsertim ad complementum sacrificij: quia solus Sacerdos, qui habet potestatem offerendi Sacrificium, potest illud perficere: Vndè hostia reseruanda esset in Pyxide, & Calix in Sacrario, & si species vini corrumperentur antequam inueniretur Sacerdos qui eas sumeret in sequenti Missa; in piscinam proijciendæ essent. Quod si laicus species consecratas etiam vini, sumeret non ad perficiendum sacrificium, sed ob reuerentiam Sacramenti, ne corrumpantur illæ species, vel ob similem iniuriam vitandam, videtur concedi posse id licitè fieri. Ita ex Serra, & Ludouico à San Iuan, Diana supra citatus p. 9. tr. 6. resol 18. fine.

DVBIVM IV.

Quid Agendum quando ignoratur vbi defecerit, & in qua parte Missæ defecerit Celebrans.

RESpondeo. si dubium sit & perplexitas circa partem essentialem sacrificij, videlicet An quando prior sacerdos defecit, perfecerit nec ne consecrationem panis vel vini, debere alterum sacerdotem consecrare eamdem materiam, non absolutè sed sub conditione. Si verò sit dubium de partibus accidentalibus, An videlicet prior sacerdos recitauerit nec ne aliquas orationes, seu partes Canonis, vel similes, Eligat secundus sacerdos partem tutiorem, & inde incipiat vndè conuenientius, & magis integrè possit Missam explere, etiam quoad ritus accidentales vt magis ex Corollarijs patebit.

Prior pars probatur: quia si non repetit consecrationem, periculum est nè remaneat imperfectum sacrificium; si absolutè eam repetat circa eamdem materiam, potest fieri vt inualidè proferat super materiam consecratã: ergò ad vitandum vtrumque absurdum vti debet conditione.

Secunda pars probatur: quia tenetur celebrans, & sic etiam perficiens deficientis Missam, quoad fieri potest, seruare ritus etiam accidentales ab Ecclesia præscriptos. Ita DD. communiter supra citati: & aliquos infra citabimus: quamuis quoad modum in particulari sit aliqua varietas, vt ex dicendis patebit.

Colligitur primo. Si dubium sit de consecratione vtriusque speciei: quia ignoratur omnino in qua parte Missæ prior sacerdos defecerit. Aliqui dicunt secundum Sacerdotem debere accipere nouam materiam, tum hostiam tum vinum, & vtramque absolutè consecrare, simul intendendo sub conditione consecrare materiam à priori relictam, si consecrata non fuit, & deinde suo tempore omnes species sumere, tam absolute quam sub conditione consecratas. Ita Sotus, Syluest. Bonacina, quos citat & sequitur Auersa de sacrif. q. 11 sec. 16. §. Debebit autem. Cæterum longe probabilius est, non esse apponendam nouam materiam, sed satis esse hostiam & Calicem, quæ inueniuntur in Altari sub conditione consecrare: quia non est offerendum nouum sacrificium, sed perficiendum iam inchoatum. Similiter si constet primum sacerdotem consecrasse hostiam, & ignoretur an consecrauerit Calicem, consecran-

erandum esse Calicem, qui cum vino inuenitur in Altari sub conditione, non vero nouum Calicem; Ita cum Serra, & Ludouico à San Iuan docet Diana p.9.tract.6.resol.18.circa finem, & iterum part.10.tract.12.resol.12.vbi pro nostra sententia affert Dicastillum, præpositum, & alios.

Colligitur secundo. Quoad partes & citus accidentales, quando reperenda est vtraque consecratio sub conditione, vt supra, & ignoratur etiam in qua parte Missæ defecerit sacerdos, aliqui dicunt incipiendum esse ab illis verbis, qui pridie: sicut quando repetenda est sola consecratio Calicis incipiendum esse à verbis, simili modo; quod probabile est, & docet cum aliis Fagundez præcep.1.lib.3 cap.1.9nu.7 sed melius & tutius est debere perficientem incipere Canonem, in quo communiter continentur ritus graues, & forsan omissi fuerunt à primo celebrante, qui defecit, Ita Henriq.lib.9.cap. 40.n 4.Suar.disp.85.sec.1.Filliuccius tract.5.n. 168.

Colligitur tertio, si certum sit primum celebrantem consecrasse hostiam & Calicem, in certum veco quid deinceps dixerit aut fecerit; incipiat secundus sacerdos ab illis verbis, vnde & memores, & prosequatur vsque ad finem, sic enim conuenientius & absque periculo omissionis grauium rituum complebitur Missa. Ita cum alijs Suar.& Filliuccius supra.

DVBIVM V.

An Missa Sacerdotis deficientis debeat statim resumi ab alio; & quæ mora interponi possit.

Certum est teneri eos qui possunt, statim & quamprimum supplere hunc defectum, & explere Missam ab alio cœptam. Ratio est: quia debet quilibet ita supplere defectum, vt perficiatur vnum numero sacrificium, & eadem moralis actio.

Ad vnitatem veco moralem requiritur moralis continuatio partium, quæ eo certior & melior erit, quo minor distantia, minusuè spatium temporis intercedit inter vnam partem Missæ & aliam; ergo vt certo & absque periculo irreuerentiæ perficiatur sacrificium, tenetur secundus sacerdos statim, & absque mora notabili Missam deficientis sacerdotis explere

Rursus: si notabile spatium, & notabilis mora interponatur, non poterit neque licitè expleri Missa neque validè in ordine ad finem intentum perficiendi idem numero sacrificiū iam cæptum, vndè grauiter peccabit is, ex cuius negligentia voluntaria ea notabilis mora contingeret: quia posita omitti potius debet Missa sic imperfecta, & relinquari sacramentum vt supra, quod idem fiet si absque alicuius culpa non inueniatur citò sacerdos, qui possit Missam prædictam explere; Ita ex communi sententia notat præsertim Auersa de sacrif q. 11. sec. 16. §. 10. cum alijs, quos affert Diana par. 10 tract. 11. resol. 4. His positis.

Difficultas est, qual's mora & quantum spatium temporis censeatur notabile, pugnans cum connexione morali, & continuatione partium eiusdem Missæ, & quo posito Missa deficientis sacerdotis potius relinqui debeat sic imperfecta, quam perfici, & expleri.

Prima sententia sustinet posse perfici vsque ad sequentem diem, quare si desit qui Missam expleat eodem die; debebit ea expleri mane sequenti, nec tantam distātiam & moram esse sufficientem ad tollendam continuationem moralem, necessario requisitam inter partes eiusdem Missæ. Probatur à pari quia in die Parasceue seu veneris sancti celebrans sumit hostiam præconsecratam die præcedenti, & complet sacrificium præcedentis diei, vnde Missa Parasceue dicitur complementum sacrificij præteriti: ergo idem dicendum in casu nostro: Ita Henriq lib.9.cap. 40.nu 1. & latius hanc sententiam defendit Tambur.Opusc.de sacrif.lib.2 cap.8.nu.6.Hæc tamen doctrina videtur contra communem sensum DD & contra prudens arbitrium, & ideo non est admittenda: neque enim videtur verisimile spatium 24 horarum non esse notabile, nec sufficiens ad tollendam vnitatem moralem inter duas actiones explicatas.

Confirmatur ex rubricis Missalis de defectibus tit 4 n.8. Vbi habetur ad complendum sacrificium expectandum esse aliquandiù si possit haberi materia quæ deest, vnde colligitur non esse nimis expectandum etiam intra eamdem diem, vtique ne pereat vnitas & continuatio necessario requisita, ad hoc vt perfici possit idem sacrificium: ergo nullo modo differri potest ad diem sequentem id quod resumendum est: vt suius probat Diana loco supra citato p.10 trac 11 res 4.

Secunda sententia sustinet posse perfici intra eumdem diem etiam lōge post meridiem si prius inueniri non potuit sacerdos, Ita Azorius tom.1.lib 10.cap. 33.q.1.Et supponit, vt certum Tambur.supra. Hæc etiam sententia videtur parum probabilis si plures horæ in-

intercedant inter actiones prædictas sacerdotis deficientis, & alterius perficientis sacrificium, præsertim si elapsum fuerit tempus destinatum ab Ecclesia ad celebrationem Missarum, E.g. integra hora à meridie. Siquidem ad continuationem moralem valde conducit tempus aptum ad celebrandum iuxta morem Ecclesiæ.

Tertia sententia communis, & vera docet sacrificium perficiendum esse ab alio sacerdote si citò alius inueniatur, si sit ad manus, si præstò sit, non autem post nimiam dilationem. Nimiam verò dilationem aliqui putant esse integram horam, vt Pater Tannerus apud Dianam p. 10. trac. 11. citato. resol. 4. alij paucas horas, E. g. Duas Alij solum excludunt tempus post prandium & meridiem, Itaque ante meridiem Probabile videtur semper posse, & debere perfici Missam inchoatam de qua loquimur; videri possunt Auersa, Tannerus, cum alijs quos affert Diana supra.

Ad argumentum primæ sententiæ Respondetur falsum omnino esse in die parasceue compleri sacrificium diei præcedentis; quia illud sacrificium diei præcedentis fuit omnino completum, & vna consecratio non nisi per vnam sumptionem compleri debet, & consumari in ratione Sacrificij. Missa autem, seù potiùs officium sacrum Parasceue diuersum mysterium continet, de quo aliàs dicemus.

DVBIVM VI.

An Sacerdos perficiens Missam ab alio inchoatam teneatur ex præcepto dare partem hostiæ consecratæ in eadem Missa primo Celebranti, qui deficit.

SVppono teneri ex graui obligatione saltem charitatis, vel illum sacerdotem, qui perficit missam, vel quemlibet alium qui præstò est, teneri inquam primo sacerdori qui grauiter Infirmatus est cum periculo mortis ministrare Eucharistiam, & præbere viaticum, quia vrget grauis necessitas, in qua Charitas obligat, vt docent communiter DD. de ministro sacramentorum. Difficultas solum est in casu nostro; verum id quod præscribit Rubrica, vt sacerdos supplens missam diuidat hostiam, & vnam partem præbeat infirmo, aliam ipse sumat. An inquam hic ritus cadat sub præcepto. Est autem sermo de Hostia grandiori consecrata ab eodem sacerdote infirmo, qui postea non potuit prosequi missam.

Prima sententia affirmat. Hoc cadere sub præcepto. Ratio est: quia tenetur celebrans & sacrificans participare de suo sacrificio, ex cap. relatum. 11. de consecrat dist. 2. Sed Sacerdos infirmus in casu nostro est sacrificans saltem partialiter simul cum alio, qui postea perficit; quia infirmus consecrauit hostiam: ergo debet esse particeps in sumptione; cum ergo non possit per se ipsum sumere, tenetur alter illi dare; quia id requirit natura sacrificij. Ita Tambur. Opusc. de sacrif. lib. 2. cap. 8. § 1. nu. 4 & Opusc. de communione cap. 6. § 5. nu. 21. Vbi obiciens sibi, quia in rubrica id non absolute præscribitur; sed potius in subsidium, quando non adest alia hostia consecrata, quæ si adsit, hæc potius Sacerdoti Infirmo porrigenda erit; vnde corruere videtur fundamentum huius sententiæ. Respondet Rubricam loqui de particulis consecratis ab ipso Sacerdore infirmo in eadem Missa cum hostia grandiori, in quo casu potest illi dari vna ex particulis prædictis: quia sic etiã participat de eodem sacrificio, non vero loquitur Rubrica de particulis, vel hostijs præconsecratis in alijs Missis, quæ etiam si adsint, non hæ sed pars hostiæ grandioris consecratæ in eadem Missa debet porrigi Sacerdoti infirmo prædicto; quia inquit tota intentio Ecclesiæ in hoc euentu est, vt infirmus Sacerdos participet de sacrificio à se inchoato. Huic sententiæ adhæret ex parte Gauantus in hanc Rubricam, dicens. Ita conuenit, quia partem habuit ille prior in consecratione, significans ita faciendum esse non ex obligatione sed ex conuenientia: quod tamen non videtur consequenter dictum; etenim vel prior Sacerdos post deliquium et impotentiam Prosequendi sacrum reputatur adhuc in eo statu minister sacrificij, vel minime: si primum ergo nedum ex cōuenientia, sed ex obligatione particeps esse debet eiusdem hostiæ: Si secundum ergo communicat more laicorum, & sic magis conuenit, vt ei detur alia hostia si adest, sicut datur alijs ex instituto Ecclesiæ.

Secunda & vera sententia, cui adhæreo, docet sacerdoti prædicto dandam esse aliam hostiam, si hæc adsit etiam ex præconsecratis, quæ conseruantur pro infirmis, & alijs; quod si non adsit, tunc demum dandam illi esse partem hostiæ grandioris, non quia communicat vt sacrificans, sed ne decedat absque viatico, vel nè priuetur communione: sicut fieri debet cum quolibet alio fideli perente communionem, vt suo loco explicabimus.

Probatur primo, manifeste ex hac nostra Rubrica, in qua non dicitur absolutè, vt detur illi pars hostiæ grandioris, sed sub con-

ditione si non adsit alia hostia consecrata: ergo Rubrica non loquitur de sumptione Sacramenti, quæ fieri debet à celebrante, vt sacrificans est, sed de communione infirmi, quatenus infirmus est, quæ fieri solet & debet cum alia hostia consecrata ex illis, quæ conseruari solent in Tabernaculo pro infirmis & alijs, de qua proprie verificantur verba Rubricæ, vt si adsit alia hostia consecrata detur infirmo; & tunc tandem diuidenda sit hostia grandior, quando non adesset alia consecrata. Dicere autem quod rubrica loquatur de alia hostia consecrata solum in eadem Missa, non autem in alijs, gratis fingitur, & est violenta expositio, præsertim quia facili negotio Auctor Rubricæ si hoc voluisset vnico addito verbo potuisset exprimere, dicendo si non adsit alia hostia consecrata in eadem Missa.

Probatur secundo Communio, quæ fit à Celebrante vt sacrificans est, debet omnino fieri sub vtraque specie, sic enim postulat integritas sacrificij ex alibi dictis. sed prior ille Sacerdos infirmus non communicat sub vtraque specie, ergo non communicat tanquam sacrificans, sed more laicorum. Pone enim illum consecrasse tàm hostiam quàm Calicem peto cur debeat esse particeps hostiæ, & non calicis? Si enim ideò debet illi dari pars hostiæ, quia illam consecrauit: ergo eadem ratione deberet illi dari pars calicis, aliàs non consummaretur plenè sacrificium. Cum ergo neque hoc exprimatur in Rubrica, neque vllus dixerit, signum euidens est communionem hanc non fieri ab illo infirmo ad perficiendum sacrificium, quod ab alio perfici debet, non ab eo qui inchoauerat; sed quia est in periculo mortis, vt fit a quolibet alio fideli. Vnde.

Probatur tertio à priori sumptio Sacramenti quatenus est pars integralis sacrificij, & ad eius substantialem perfectionem spectat ab eo fieri debet, ad quem pertinet perficere sacrificium, & non ab alio: sed perficere sacrificium in casu nostro, non pertinet ad primum sacerdotem, qui factus est impotens, sed ad secundum qui substituitur loco illius: ergo &c. Probatur maior: quia sicut secundus sacerdos nihil debet repetere eorum, quæ peracta sunt à primo, sed prosequi ab eo loco vbi primus desijt, ita nec primus debet aut potest se ingerere, & facere ea quæ fiunt à secundo.

Confirmatur primo: Nam quando plures concelebrant, E.G. qui sacerdotio initiantur, & simul celebrant cum Episcopo ordinante. Satis est si vnus idest Episcopus perficiat totum Sacrificium quoad sumptionem vtriusque speciei: ergò à fortiori in casu nostro, quando primus sacerdos deficit & prosequi non potest: & quamuis nouiter ordinati communicent in eadem Missa, communicant tamen more laicorum, & sæpè ex præconsecratis ab alijs; de qua re videri potest Auersa de sacrif. q. 11. sec. 5 §. Adhæc.

Confirmatur secundò. Quia si primus Sacerdos præuidens deliquium statim post consecrationem sumpsisset vtramque speciem, omissis omnibus alijs, sicuti in incursione hostium faciendum esse præcipit Rubrica explicata: tunc non opus esset Missam ab alio expleri; quia nihil substantiale deest sacrificio, & pro solis ritibus accidentalibus non est cur adhiberi debeat nouus sacerdos: ergò si in casu nostro sacerdos infirmus perficere deberet sacrificium, quoad sumptionem Sacramenti, frustra & inutiliter se ingereret secundus sacerdos, imò non posset se ingerere ad explendam Missam, cui nihil substantiale deesset, non peractum à primo.

Ad Argumentum primæ sententiæ Respondetur simpliciter & absolutè loquendo, verum est, quòd Celebrans tenetur participare de sacrificio quod offert sumendo Sacramentum: quia communiter idem est qui consecrat, & inchoat sacrificium, & qui perficit illud consumendo oblata. Secus est in casu nostro, in quo vnus inchoat consecrando, & Alter perficit, tunc enim consumptio pertinet ad perficientem ex dictis supra.

SECTIO II.

De Absolutione Moribundi, præsertim illius, qui nullum dare videtur signum contritionis.

Digressio hìc interposita occasione Celebrantis, qui incidit in syncopen, & in periculum mortis.

DVBIVM I.

An possit absolui Moribundus, qui solùm in genere confitetur peccata.

Respondeo posse, & debere Absolui. Probatur ex Rituali Romano Pauli V. de Sacramento Pœnitentiæ §. Si verò, vbi præscribuntur Regulæ pro absolutione constituti in

in periculo mortis omninò seruandæ, vt constat ex Bulla eiusdem Pauli V. eidem Rituali inserta, quare omissis rationibus, & DD. auctoritatibus, verba ipsius Ritualis hic proponimus, quod sic habet.

Si verò quis confiteatur in periculo mortis constitutus absoluendus est ab omnibus peccatis & censuris, quantumuis reseruatis (cessat enim tunc omnis reseruatio) sed priùs, si potest, cui debet satisfaciat; ac si periculum euaserit, coram Superiori se sistat.

Quòd si inter confitendum, vel antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægrum deficiat, nutibus & signis conetur quoad eius fieri poterit peccata pœnitentis cognoscere: quibus vtcumque vel in genere vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium siue per se, siue per alios ostenderit; absoluendus est. Hactenus Rituale.

Ex quibus patet etiam, si pœnitens in periculo mortis nullum peccatum in particulari exprimere possit, sed solùm petierit confessionem vel absolutionem, absoluendum esse. Item etiam si non voce, sed solis nutibus, vt tunsione pectoris, vel compressione manus Sacerdotis se velle confiteri indicet, & similiter etiam si non immediatè & per se, sed per alios hoc desiderium pœnitentis sacerdos cognoscat, vt si saltem in præsentia tam moribundi, quàm Confessarij Aliquis id testificetur, absoluendus erit pœnitens. Quòd si dubium sit vtrum signa sint edita in ordine ad confessionem & absolutionem, danda erit absolutio sub conditione; Hoc modo si es capax Ego te absoluo &c. Addit deinde Rituale, Meminerit Potrò Sacerdos, ægris non esse iniungendam grauem aut laboriosam pœnitentiam; sed in dicendam tantùm illam quam si conualuerint, opportuno tempore peragant; Interim iuxta grauitatem morbi, aliqua oratione, aut leui satisfactione imposita; & accepta, absoluatur, pro vt opus fuerit. His Positis: duplex superest difficultas, de qua est grauis controuersia inter DD. Prima est quando signum contritionis, vel Confessionis non datur à pœnitente in præsentia Confessarij, vel manifestatur Confessario adhuc absenti, & non coram infirmo; Quid agendum in hoc casu? Secunda & maior difficultas, quando infirmus est omninò sensibus destitutus, & nullum potest dare signum pœnitentiæ, vel confessionis, neque in præsentia neque in absentia Confessarij, de quibus breuiter dicendum in sequentibus dubijs.

DVBIVM II.

Vtrum possit absolui infirmus qui, desiderium confitendi ostendit, sed solùm in absentia Confessarij, & postea omnino sensibus destituitur.

Ratio dubitandi est potissimaqui a ad summum hæc est confessio facta confessario absenti, quæ nihil prodest in ordine ad absolutionem sacramentalem, vt constat ex Decreto Clementis VIII. sub die 20 Iunij 1602.

Præmittendum est si in casu prædicto adesset aliquis testis, qui de causa scientiæ aduenienti postea Sacerdoti testificaretur coram infirmo, & confessario ipsum infirmum dedisse signa pœnitentiæ, seu desiderij confitendi, tunc posset & deberet infirmus absolui secundum communem, & magis receptam sententiam, vt videri potest apud Dianam p. 3 tract. 3 resol. 4. quia perinde est ac si infirmus confiteretur confessario præsenti per interpretem, & ideo cessat difficultas de confessione facta in absentia confessarij: quæ tamen difficultas valdè vrget, si nullus adsit qui coram infirmo, & confessario de prædictis signis testificetur, in quo casu.

Prima sententia negat posse tunc moribundum absolui. Ratio est quia sicut absolutio Sacramentalis collata pœnitenti omnino absenti est procul dubio inualida, Ita pariter est inualida confessio facta confessario absenti, & vtrumque declarauit Clemens VIII. in decreto citato; sed confessio moribundi, de qua loquimur, est facta in absentia confessarij: ergo &c. Ita Turrianus Coquetius, Aluarez, & alij plures DD. apud Dianam supra resol. 7 p. 3 trac. 3.

Opposita tamen sententia est etiam probabilis, magis pia, & tenenda in fauorem animarum, posse, & consequenter debere moribundum absolui in prædicto casu.

Probatur primo, ex Rituali Romano loco supra citato, vbi dicitur absoluendum esse moribundum si confitendi desiderium, siue per se, siue per alios ostenderit, vbi indistinctè, & vniuersaliter loquitur, nec restringitur manifestatio signorum in præsentia vel absentia ipsius infirmi, nihil enim referre videtur vtrum confessario id innotescat absente vel præsente infirmo, qui in eo statu nihil potest ratificare, & est omnino sensibus destitutus. Sed in casu posito ostendit desiderium confitendi per alios, qui id referunt confessario: quamuis absenti: ergo &c.

Probatur secundo. Si quid obstaret quo minus pœnitens possit absolui in casu prædicto, maxime decretum Clemenris VIII. damnantis confessionem inter absentes: sed hoc non obstat: ergo &c.

Probatur Minor: tum quia ipse Pontifex interrogatus, respondit hunc casum non comprehendi in suo decreto, vt ex Cardinali Bellarmino testatur Kellisonius in 3 p tom. 2. q. 9. art. 3 dub 3 & refert etiam Diana p. 3. tract. 3. resol. 4. §. probatur secundo.

Tum quia & si verissimum sit confessionem Sacramentalem Iure diuino faciendam esse Confessario præsenti, hoc tamen non spectat ad essentiam Sacramenti, sed est præceptum illi adnexum, quod omnino seruandum semper ac fieri potest, alias peccaret mortaliter pœnitens, & ideo confessio esset inualida. Cœterum posita impotentia præceptum non obligat, consequenter nec est inualida confessio, quod ita explicatur à pari.

Confessio Sacramentalis Iure diuino debet fieri de peccatis in specie & in particulari, itaut etiam circumstantiæ mutantes speciem sint necessario explicandæ, alias peccat mortaliter pœnitens, & confessio est inualida: & Nihilominus in periculo mortis, quando ob impotentiam non potest hoc præceptum seruari, sufficit confessio peccatorum in genere, etiam per nutus & signa. Quid ergo? nunquid variatur essentia Sacramenti? nequaquam, sed variatur status pœnitentis, qui semper ac potest, tenetur præceptum Iuris diuini seruare Cœterum quando est impotens, non tenetur: quia Deus impossibilia non præcipit, & ex sua infinita miseratione noluit impotentes destitui, & priuos manere hoc Sacramento tam necessario Ita pariter in casu nostro; Confessio Iure diuino fieri debet Confessario presenti, semper ac fieri potest; Cœterum in casu extremæ necessitatis valet confessio facta absenti, dummodo absolutio non conferatur nisi presenti, seu quando pœnitens est vere præsens: quia hoc spectat ad essentiam formæ, vt alibi in tract. de pœnitentia. Hanc sententiam sustinent Henriq. Valentia, & post decretum Clementis VIII. Filliuccius, Villalobos, Bonacina, Fernandez, Zambranus, & alij apud Dianam p. 3. tract 3 resol. 17 qui dicit eam esse probabilem, quamuis oppositam sequatur, tenet etiam Cardinalis de Lugo de pœnit. disp. 17 sect. 4. Auersa de Sacramento pœniten. q. 10. sect. 18.

Ex quibus patet ad Argumentum primæ sententiæ. Est enim discrimen inter absolutionem, quæ verificari non potest nisi detur præsenti ob pronomen Te &c. Secus est de confessione, quæ potest fieri per alium, & in casu necessitatis licitè fii absenti.

DVBIVM III.

Vtrum possit absolui Moribundus sensibus destitutus, qui nullum dedit signum contritionis neque in præsentia, neque in absentia Confessarij.

Prima sētētia affirmat posse absolui sub cō ditione, si es capax, si alias infirmus Christiano more solitus erat viuere, & Sacramenta frequentare. Probatur: quia valde probabile est hunc esse memorem suæ salutis æternæ, atque adeo ad vitandam sententiam damnationis detestari interim sua peccata, & sacramentalem absolutionem cupere: ergo potest, & debet absolui sub conditione. Probatur consequentia; quia ex vna parte nulla fit iniuria Sacramento, si fortè ille non fit dispositus: quia apposita conditione vitatur periculum irritationis. Ex alia verò occurrit periculo damnationis æternæ illius positi in extremis angustijs, quia per absolutionem ex attrito fit contritus, & ponitur in tuto salus proximi, ad quod obligat charitas in illa extrema necessitate, Ita Molfesius in sum. tract. 7. cap. 5. n. 48. Homobonus in examine Eccles. p 1. tract. 7. cap. 18. q. 84. Antonius de literatis in sum. p 1. cap 35. & alij apud Dianam p 3. tract. 3. resol. 3.

Hæc tamen sententia sic nudè posita grauissimam patitur difficultatem: quia sola attritio interna absque vocali & externa confessione non est materia sufficiens absolutionis, & requiritur necessario vocalis confessio, vel alias sensibilis: per quam fiat sensibilis ipsa attritio: quia omne Sacramentum constat ex signis sensibilibus, & ideo Concil. Trid. sess. 14. cap. 3. & 5 inter partes materiales Sacramēti pœnitentiæ numerat confessionēm, seu manifestationem externam peccatorum, vt absolutè necessariam, vnde

Secunda sententia absolutè negat posse moribundum absolui in casu posito.

Probatur manifestè: quia cum Sacramenta nouæ legis constent essentialiter ex materia & forma vtraque sensibili; vbi deest materia non potest applicari forma, neque confici verum Sacramentum, eo quia non potest dari compositum sine suis constitutiuis essentialibus: sed in casu nostro deest materia necessaria, nempè confessio, seu accusatio sensibilis: ergo &c.

Con-

Confirmatur: quia ſola prolatione formæ Sacramentalis ſine concurſo materiæ neceſſariæ non conficitur, ſed irritatur Sacramentum, & ſic committitur graue ſacrilegium, ſicut qui baptizaret infantem proferendo formam, quando deeſt omnino aqua, & non poteſt fieri ablutio. Neque Sacrilegium vitatur appoſitione conditionis: quia forma ſacramentalis ſub conditione proferri poteſt quando materia eſt dubia, non verò quando deeſt omnino: at in caſu noſtro deeſt omnino; qoia in titulo quæſtionis ſupponitur moribundum nullum omnino dediſſe ſignum ſenſibile & externum, quod gerat vicem confeſſionis. Hæc ſententia eſt communis Suar. de pœnit diſp. 23. ſec. 1. n. 13. Vaſq in 3 p. tom. 4 q. 91 art. 2. dub. 1. Coninch de Sacram pœnit. diſp 5 & diſp. 7 dub. 10. Layman lib. 5. trac. 6. cap. 12. Diana ſupra, Lugo de pœnit diſp. 17. ſec. 3. &c.

Pro Reſolutione breuiter Aduertendum quæſtionem propoſitam agitari poſſe in duplici ſenſu primo ſupponendo infirmum re vera nullum dediſse ſignũ ſenſibile attritionis internæ, & deſiderij confitendi, non quia Adſtantes illud non perceperint vel non aduerterint, ſed quia à parte rei non præſtitum fuit.

Secundo ſupponendo rationabiliter & veriſimiliter infirmum non ſolũ doluiſſe de peccatis, & habere deſiderium confitendi, ſed etiam dediſse aliquod ſenſibile ſignum deſiderij prædicti quamuis nemo illud ſignum perceperit, & aduerterit.

Si ergo Agitetur quæſtio in primo ſenſu mihi certum videtur non poſse infirmum abſolui vllo modo, neque ſub conditione vt conuincit ratio allata pro ſecunda ſententia, nec credo primam ſententiam in hoc ſenſu defendi poſse, aut ab Auctoribus pro ea citatis ſic intelligi, sed pori: s in ſecũdo sensu quamuis ipſi non ſatis id explicauerint.

Vt ergo reducatur quæſtio ad ſenſum meliorem & magis clarum, duo videnda ſunt primum vtrum de quolibet moribundo ſenſibus deſtituto verè catholico, vel ſaltem de aliquo bonæ ſame præſumi poſſit rationabiliter eum nedum habere deſiderium confitendi cum attritione interna, ſed etiam dediſse aliquod externum, & ſenſibile ſignum deſiderij eiuſdem: quamuis ignotum alijs.

Secundum vtrum hoc ſenſibile ſignum quamuis incertum & ex coniecturis præſũptum ſit ſuſficens fundamentum conferendi beneficium absolutionis infirmo ſenſibus deſtituto.

Respondeo & dico primo probabile eſt moribundum quantumuis ſenſibus deſtitutum regulariter dare ſignum ſenſibile deſiderij confitendi, vel in principio morbi, vel in progreſsu, quamuis alij non aduerterint.

Probatur quilibet conſtitutus in graui periculo ingentis mali omnibus modis conatur illud vitare & auxilium & adiutores conclamat ſaltem ſignis, ſi voce non poteſt: quia & natura & ratio dictant malum eſſe fugiendũ & vitandum, ſicut bonum proſequendum.

Sed moribundus eſt conſtitutus in periculo damnationis æternæ, niſi confiteatur ſi aliquo graui peccato ſit irretitus, & niſi abſolutionem obtineat idque (ſi verè Catholicus eſt, & aliquo temporis interuallo ſui compos) certò ſcit, & cognoſcit; ergo valdè probabile eſt eum omnibus modis conari tam ingentis periculi auerſionem, & quibus poteſt ſignis confeſſionem & confeſſarium inclamare, nempè vel ſuſpirijs & gemitibus, vel oculorũ & aliorum membrorum motibus, vel ſaltem ipſa reſpiratione, quod ſæpiſſimè contingit; quamuis alij non aduertant, Deo etiam opitulante a ıxilijs ſupernaturalibus.

Er ne quis putet hoc eſſe figmentum, vel meram ſpeculationem, teſtatur ita ſibi contigiſſe Petrus Marchantius Vir cordatus, & Eruditiſſimus in Tribunali Sacram. to. 1. tr. 4. tit. 4 dub. 7. & eius verba refert Diana p. 9. tr 6. reſol. 10.

Hoc autem præſumi poſſe, non ſolum de verè Catholico, qui alias Chriſtiano more ſolitus erat viuere, & aſſueto Sacramentis, vt arbitrantur nonnulli, ſed etiam de quolibet vere Catholico, cum vere fides illud extremum periculum omnibus proponat, & ſuggerat, atque ita docent de quolibet verè Catholico Marchantius lòco citat. Lezzana ſum. quæſtionum Regul. verbo confeſſio, num. 11. Auerſa de Sacram. pœnit. quæſt 10. ſect. 18. Marchinus de Bello diuno p. 3. cap 13. nu. 15. & Verricelli quæſtionum moral. tract. 6. ſec 3. & alij.

Dico ſecundo. Probabile eſt, poſſe abſolui ſub conditione moribundum vere Catholicum: quamuis nemo aduerterit eum petijſſe confeſſionem, aut ſigna expreſſa contritionis dediſse: quia nihilominus præſumitur in eo periculo dediſse aliquod ſignum deſiderij interni confitendi, ex dictis in præcedenti concluſione.

Probatur, quodlibet ſignum externum deſiderij confitendi eſt confeſſio ſufficiẽs & valida pro eo articulo, atque adeò materia abſolutionis ex Rituali Romano ſæpiùs citato, videlicet. Eſt materia abſolutionis abſolutè, ſi ſit certum & manifeſtum, vel ſaltem ſub conditione ſi ſit ambiguum & incertum,

tum: sed hoc signum ambiguum & incertum supponitur probabiliter in quolibet moribundo vere Catholico: ergo supponitur in eo materia sufficiens absolutionis conditionatæ, & consequenter potest absolui sub conditione.

Dicetis, non sufficit adesse signum sensibile à parte rei, nisi notificetur confessario, qui absque causæ cognitione non potest ferre sententiam absolutionis; sed non est notum in casu nostro, quia nullus percepit, vel aduertit, vt supponimus, ergo &c.

Respondeo non opus esse vt illud signum innotescat Confessario per testes oculatos, & de causa scientiæ, sed sufficere si innotescat per coniecturas & præsumptiones, quibus habetur vt vere Catholicus, præterquam quod ipsamet respiratione potest verisimiliter manifestare desiderium confitendi.

Quamuis autem dubium sit, vtrum Christus Dominus ita instituerit Sacramentum confessionis, vt possit prædictum signum per coniecturas notum, esse materia absolutionis: Non constat tamen de opposito, & in extrema necessitate quando non potest haberi materia certa Sacramenti; licitum est tentare Sacramentum conficere cum materia dubia, quoties Sacramentum est necessarium ad salutem, vt vere sunt Baptismus, & Pœnitentia: sicut ergo in extrema necessitate licitum est baptizare in aliquo liquore, de quo dubitatur an sit aqua naturalis, quando aqua certa haberi non potest; ita pariter in casu nostro; ita Auersa, & omnea DD. citati in 1. conclus. item Leander de Sacram. tom. 1. tract. 5 disp. 5. q. 46. Pellizzarus, Victorianus, Faustus, & alij apud Dianam p. 9 tra. 6 res. 20. & nouissime egregie, & solide hanc sententiam defendit Verricelli supra cit. in suis qq. moral. trac. 6. per totum.

NVMERVS IV.

4 Si quis extra huiusmodi casus necessitatis integra Sacramenta non sumpserit, grauissimè peccat.

EXPLICATIO LITERALIS.

Tenetur omnino celebrans integra Sacramenta sumere, idest quoad vtramque speciem consecratam, tam panis quam vini; eò quia debet integrè & perfectè sacrificium offerre & peragere; pertinet autem ad substantiam & integritatem sacrificij, nedum consecratio vtriusque speciei, sed etiā vtriusque sumptio, vt dicemus etiam in dubijs sequentibus; ergo si celebrans extra casum necessitatis integra Sacramenta non sumat grauissime peccat, vt in hac Rubrica exprimitur, constat etiam ex Trid sess 13. cap 8. & docent communiter DD cum D Thom 3. p q 80. art. 12. & q 82 ar. 4. Ratio est; quia mutilat sacrificium, & infert iniuriā tum ipsi sacrificio, tum Deo cui offertur. Excipiuntur verò casus necessitatis numeris præcedentibus explicati, E. g in incursione hostium si Sacerdos vel nullam speciem sumat, vel non vtramque modo supra explicato, non peccat: quia non est causa mutilationis sacrificij, sed eam permittit, non valens aliud agere. Item si celebrans post sumptam hostiam deficiat, & alter ad supplendum defectum solùm sanguinem sumat, quia ex vtroque ministro vnus componitur, vt debito modo sacrificium perficiatur. Cæterum extra huiusmodi casus grauissimè peccat sacrificans, si non sumat vtramque speciem consecratam, ob rationem explicatam. Dixi sacrificans, quia laici, & communicantes more laicorum extra actum sacrificij sub vna tantùm specie panis communicare debent, nec possunt licite sub vtraque specie communicare, vt mox in dub. seq. explicabimus.

DVBIA CONSCIENTIÆ

De Communione sub vtraque specie sacrificantibus præcepta, cæterisque fidelibus interdicta.

DVBIVM I.

An, & quo iure teneatur sacrificans communicare sub vtraque specie.

Respondeo, & dico primo, certum est teneri sacrificantem sumere Eucharistiam in missa sub vtraque specie, quia id exi-

exigit perfectio sacrificij, & dictis in litera.

Dico secondo, Hæc obligatio est iuris diuini ex institutione Christi, vt constat ex dictis secunda parte tit 10 sect. 1 dub 2. vbi fuse id probauimus agentes de communione celebrantis: Videnda sunt ibi dicta, ne frustra eadem repetamus.

Dico tertio. Tenetur celebrans sumere suam hostiam à se consecratam in eadem missa, & pariter sanguinem, nec satisfacit suæ obligationi sumendo aliam ex præconsecratis, vt patet ex dictis secunda parte citatà dub. 3.

VBIVM II.

An cæteri fideles possint, vel teneantur suscipere Eucharistiam in vtraque specie.

RESpondeo, & dico primo, Fideles dum laico more cõmunicant, non tenentur in vtraque specie communicare, sed bene possunt solùm in specie panis, est de fide ex pluribus Concilijs, & præsertim ex Trid. sess. 21. cap. 1. & Can 1.

Probatur primo, quia si necesse esset singulos in vtraque specie communicare, plura sequerentur incommoda contra reuerentiam Sacramenti, & bonum animarum: ergo non est dicendum ita institutum fuisse hoc Sacramentum Eucharistiæ, vt singuli fideles eam suscipere teneantur, etiam sub speciebus vini, sed solum sub speciebus panis. Antecedens probatur: quia Primo in magno cõcursu populi moraliter vitari non posset periculum effusionis sanguinis in propinando Calice. Secundo difficile esset semper in specie vini Sacramentum ad ægrotos deferre, & pro plurium dierum spatio adseruare. Tertio plures sunt à natura Abstemij, qui vinum gustare non possunt; & plures regiones in quibus non reperitur vinum, & solùm pro Sacerdotibus ad vsum sacrificij haberi potest, & alia similia incommoda facile addnci possent.

Probatur secundo, à priori; quia totus Christus realiter est in singulis speciebus, & sub specie panis adest quoque realiter per concomitantiam sanguis ipsius Christi. Item per singulas species habetur totus effectus necessarius ad salutem: ergo non est necesse singulos fideles communicare in vtraque specie, sed in vna sola sufficit. Ita D. Th. 3. p. q. 80. art. 12 Vasq. in 9. p. disp. 216 c. 2. Valentia to. 4. disp. 6 q 6. punc. 5 Suar disp. 71. sec. 1. Auersa de Euchar. q. 8. sec 4 per totam, & alij passim.

Dico secundo, non est iure diuino prohibitum fidelibus communicare sub vtraque specie: quia nec in scriptura, nec ex traditione talis prohibitio habetur, imò olim talis communio fuit in vsu, & vsque ad tempora D. Thomæ in aliquibus locis mos ille retentus fuit. DD supra citati, ex eodem S. Doct.

Dico tertio, non licet modò fidelibus (exceptis solis Sacerdotibus sacrificãtibus) communicare in vtraque specie, sed solum in specie panis. Probatur: quia Ecclesia iustis de causis id prohibuit, vt constat tum ex alijs Concilijs, tum præcipue ex Trid. sess. 21. c. 2. videri possunt DD. cit.

DVBIVM III.

Vtrum ex dispensatione Ecclesiæ possint quandoq. Sacerdotes sacrificantes Eucharistiam sumere in vna tantum specie, & contra alij fideles in vtraq.

RESpondeo, & dico primo, non potest Ecclesia dispensare, vt sacrificantes communicent in vna tantum specie, sicut neque potest dispensare vt offeratur sacrificium, & fiat consecratio in vna sola specie; quia id esset contra Ius diuinum, & contra perfectionem sacrificij, ad quod non extenditur Ecclesiæ potestas, vt fusiùs probabimus in tract. de sacrificio in fine, & Appendice huius operis, vbi afferemus DD.

Dico secundo. Potest Ecclesia, seù Summus Pontifex dispensare cum laicis, vt interdum ex rationabili causa communicent in vtraque specie. Probatur: quia Summus Pontifex potest dispensare in vniuerso Iure Ecclesiastico; laicis autem solo Iure Ecclesiastico prohibetur communio prædicta sub vtraque specie. Imo de facto cum aliquibus sic dispensatum est. Sic Clemens VI. dispensauit cum Rege Galliæ, Paulus III. cum Bohemis. Sic Imperator dum coronatur vtrãq. speciem sumit, & alia exempla videri possunt apud Vasq. Suar. Auersam loc. cit. præcedenti dubio.

NVMERVS V.

5 Si musca, vel aranea, vel aliquid aliud ceciderit in Calicem ante consecrationem, proijciat vinum in locum decentem, & aliud ponat in Calicem, misceat parum aquæ, offerat vt supra, & prosequatur Missam: si post consecrationem ceciderit musca, aut aliquid eiusmodi, & fiat nausea Sacrdoti, extrahat eam, & lauet cum vino finita Missa comburat, & combustio, ac lotio eiusmodi in sacrarium proijciatur. Si autem non fuerit ei nausea, nec vllum periculum, timeat, sumat cum Sanguine.

EXPLICATIO LITERALIS

IN casibus hic expressis,& in alijs similibus infra explicandis id omnino agendum, quòd habet minus de periculo, vt docet D. Th.3.p.q.83.art.6.ad 2. Vt videlicet euitetur in primis mutilatio Sacrificij, & secundo irreuerentia Sacramenti quantum moraliter fieri potest. Hinc si musca, vel quid aliud ceciderit in Calicem ante consecrationem, debet effundi Vinum, vt in Rubrica præscribitur, & aliud poni consecrandum præmissa oblatione saltem mente concepta: sic enim vitatur omne periculum irreuerentiæ. Si post consecrationem aliquid cadat in sanguinem, & Sacerdos potest sine periculo vomitus totum sumere, ita erit exequendum propter reuerentiam Sacramenti: si verò sine incommodo, vel periculo vomitus hoc fieri non potest, debet extrahi Animal, & fieri prout in Rubrica præscribitur ex doctina D.Th. supra ad tertium: sic enim poterit sine nausea sumi à Celebrante Sanguis. Ita cum D.Tho. docent alij DD. communiter Suar. disp.85. sect.1 §. Secundò potest accidere, Filliuccius tract.5. n.164 Bonacina de Sacram.disp.4. q.vltima, punct.10.n.8.

DVBIA CONSCIENTIAE.

DVBIVM I.

Quid agendum si facta extractione muscæ à Calice, adhuc fiat nausea Sacerdoti & non possit Sanguinem sumere absque periculo vomitus.

SVpponit hic Rubrica per extractionem animalis non venenosi, vt est musca, tolli impedimentum sumptionis, & nullum subesse periculum, vt communiter contingit & sic sumendum esse Sanguinem (quod secus est si animal esset venenosum, de quo casu dicendum est numero sequenti) sed quia nonnulli delicatioris sunt stomachi, & vehementis imaginationis, nec possunt absque periculo vomitus liquorem sumere, in quo immersa fuit musca. Quærimus quid sit Agendum in hoc casu.

Respondeo Sacerdotem in hoc casu non debere sumere illum Sanguinem stante periculo vomitus, sed consecrari debet ab eo nouus sanguis & sumendus, nè Sacrificium remaneat imperfectum. Alter verò Calix conseruandus erit, donec vel ab alio Sacerdote qui vomitum non timeat sumi possit, idest in alia Missa post sanguinem à se consecratum, vel donec species vini fuerint desiccatæ iuxta dicenda in sequenti n.6. de sanguine veneno infecto, vbi id præscribitur, non solum in casu veneni, sed etiam in casu nostro, si species illæ prouocarent vomitum, & docet Suar. citata disp 85. sec.1. §. secundò potest accidere, Tambur. Opusc. de sacrif. lib.2. cap.8. §.3 & Alij communiter.

DVBIVM II.

Quid agendum si musca in Calicem consecratum lapsa indè auolet Sanguine intincta, & madefacta.

RAtio dubitandi est: quia si Sacerdos nitatur eam capere præsertim volantem per aerem in altari; Videbitur pueriliter agere muscas aucupando, non sine scandalo adstantium & graui indecentia contra maiestatem, quam in missa præferre debet: si verò è

rò è contra potens eam capere, finat tamen fugere hoc cedit in iniuriam, & dedecus Sacramenti: quia aliqua pars Sanguinis verè adhæret illi muscæ, & animali immundo cum aliquo dedecore Sacramenti.

Respondeo, & dico primo si Musca, vel aliud animal in casu posito facilè potest capi; nedum absque scandalo, sed etiam absque indecentia, vt si esset super linteum Altaris, vel simili modo, deberet vtique cautè accipi, & postea diligenter lauari, vt supra dictum est in Rubrica, quando animal extrahitur ab ipso calice: quia sic vitatur omne inconueniens, vnde D. Thomas q.83. citata art.6 ad 3. absolute dicit debere animal cautè capi, & diligenter postea lauari &c.

Dico secundo. Si animal capi non potest absque indecentia, præsertim dum volat per aerem; sinat Sacerdos illud fugere: quia minus malum hoc videtur, & minus aduersatur reuerentiæ debitæ sacris Misterijs. Si enim celebrans muscam aucupari & capere conaretur, causa esset irrisionis & sui, & sacri misterij. Relinquitur autem diuinæ prouidenciæ cura de sanguine adherente animali prædicto.

Colligitur primo si musca, vel Animal simile tetigerit hostiam consecratam, nihil curandum de eo, vt Patet à fortiori ex dictis: quia nihil Sacramenti ei adheret.

Colligitur secundo. Quid sit agendum si mus, vel aliud Animal comederit hostiam, vel eam rapiat, quod potest contingere vel in ipso sacrificio, sed difficilius; vel extra sacrificium, quoad hostias quæ asseruantur in Tabernaculo. Dicendum est enim si in ipso actu sacrificij, hostia rapitur ab animali, & remanet aliqua pars Sacramenti seu hostiæ, tunc consumenda est pars illa, nec facienda noua consecratio: quod si nihil eius remaneat, aut recuperari possit, tunc altera consecrari debet, vt supra dictum est, quando hostia consecrata disparet, vel vento abripitur, tit.3. de defectu panis nu.7. & seruari debent ibi dicta. Si vero id contingat extra Missam, cum nulla vrgeat necessitas perficiendi sacrificium, nec aliam consecratione opus erit.

Difficultas vero superest, an adhibenda sit diligentia ad capiendum animal, & quid de eo fiet. In qua re conuenit fere inter omnes DD. si capi potest animal enim esse capiendum Circa id vero quod deindè agendum est, variant. Nam Paludanus dist.6.q.1 quem sequuntur aliqui Summistæ, dicit aperiendum esse animal, & extrahendum Sacramentum, & in aliquo loco sacro reponendum, donec species corrumpantur, & postea in sacrarium proijciatur: Cœterum exenteratio illa animalis nec decens est, nec moraliter vtilis ad recuperandum Sacramentum: quare melius alij communiter docent comburendum esse animal, & cineres in sacrarium proijciendæ. Ita Suar, disp.85. sec 1. § Sexto Bonacina de Sacram. disp.4 q. vltima punc.10. Azot. tom.1 lib 10. cap.33. q 8. quod etiam in antiquis Missalibus habebatur in his Rubricis de defectibus tit.3. de defectu panis nu.7. nempe animal si capi posset comburendum, vt aduertit Suar. supra; sed in nouis Missalibus recognitis hoc totum de captione animalis omissum fuit. Fortè quia non est multum curandm de ea, nec enim aliqua spes remanet recuperandi Sacramentum, vel quia noluit Ecclesia in Rubricis ad hæc minutiora descendere, sed iudicio Theologorum id remisit.

NVMERVS VI.

6 Si aliquod venenosum ceciderit in Calicem: vel quod prouocaret vomitum, vinum consecratum reponendum est in alio Calice, & aliud vinum cum aqua apponendum denuo consecrandum: & finita Missa Sanguis repositus, in panno lineo, vel stuppa tamdiù seruetur, donec species vini fuerint desiccatæ, & tunc stuppa comburatur, & combustio in sacrarium proijciatur.

EXPLICATIO LITERALIS.

Si venenum fuerit speciebus vini admixtum, & id aduertat Sacerdos ante consecrationem, proijciendum erit illud vinum in locum decentem, vt constat à fortiori ex dictis numero præcedenti: Si post consecrationem nullo modo debet sumi, nè Calix vi-

ta ver-

tæ vertatur in mortem, vt docet hanc rationem adducens D. Th. 3. p. q. 83. art. 6. ad 3. quem sequuntur communiter, Vide Suar. disp. 85 sec. 1. §. secunda regula. Nè verò sacrificium remaneat imperfectum; Aliud vinum cum aqua apponendum erit, & denuò consecrandum, iuxtà alibi dicta, hoc est præmissa oblatione saltem mentali, & incipiendo ab illis verbis, Qui Pridie &c. species autem vini priùs consecrati reseruari debent modo explicato in Rubrica, vel simili, vt cum D. Th. supra tradunt comuniter DD. Difficultates autem, quæ hic moueri possunt, mox explicabimus in Dubijs sequentibus.

DVBIA CONSCIENTIAE.

DVBIVM I.

Vtrum in casu veneni nedum possit Celebrans, sed etiam teneatur nouum vinum consecrare.

Certum est, Celebrantem non debere, nec posse licitè sumere species consecratas, veneno infectas: quia hoc esset velle seipsum occidere, quod est intrinsecè malum, vt ex communi sententia notat Bonacina de Sacram disp. 4. q vltima punc. 10. n. 9. Hoc posito. Quæstio est, An id quod præscribitur in hac Rubrica, Videlicet Consecrandum esse nouum vinum vt sumatur, spectet ad consilium, vel potiùs cadat sub graui præcepto, ita vt peccet mortaliter Celebrans, si nolit denuò consecrare ad sumendum sanguinem, & perficiendum Sacrificium.

Prima sententia negat esse necessariam nouam consecrationem, aut eam cadere sub graui præcepto propter sumptionem: quia sumptio sanguinis non videtur simpliciter necessaria ad perfectionem sacrificij; Si quidem satis probabile est totam gratiam conferri ipsi Celebranti in sumptione primæ speciei, nec per sumptionem alterius augeri. Item probabile est totum fructum sacrificij, illi pro quo offertur vel conferri post consecrationem vtriusque speciei, quæ validè facta fuit in casu nostro; vel post sumptionem hostiæ, quando confertur gratia Sacramentalis Celebranti ergò non est cur dicamus eum tanto rigore præcipi in casu nostro nouam consecrationem ad hunc finem somptionis. Ita Aliqui quos tacito nomine refert Azorius tom 1. lib. 10. cap. 33. q. 3. quam sententiam ipse Azorius dicit probabilem, & posse amplecti tuta conscientia.

Secunda sententia communis & vera, docet teneri omninò Celebrantem remotis speciebus infectis, aliàs de nouo consecrare, vt eas sumat: quia sumptio vtriusque speciei pertinet ad integritatem Sacrificij, & Iure diuino præcipitur: atque, ita in casu, de quo loquimur docet D. Th. citatus in expositione literæ, Suar. ibidem citatus, & alij. communiter Filliucius tract. 5. n. 164. Auersa de sacrif. q. 11. sec. 16. § tertiò, Tambur. Opusc. de sacrif. lib. 2. cap. 8. §. 3. & Alij passim, & supponit Rubrica quam explicamus.

Ad Maiorem autem explicationem, & vt appareat an aliquid probabilitatis concedi possit primæ sententiæ.

Respondeo, & Dico primò. Si post consecrationem deprehendatur vtraq; species veneno infecta, tam panis quàm vini; tenetur procul dubio sacerdos denuò consecrare nouum panem, & nouum vinum, vt sumat, & sacrificium perficiat: quia sumptio Sacramenti est absolutè necessaria vel ad essentiam, vel ad integritatem sacrificij, vt constat ex dictis in fauorem 2. sententiæ, & Auctoribus pro ea citatis: nec oppositum est vllo modo probabile, nec prima sententia admitti potest in hoc sensu, nec credo sic defendi à suis Auctoribus, vt huic Conclusioni contradicat.

Dico secundo; si species solius vini consecrati sint veneno infectæ, non autem hostiæ, quam sumere possit Celebrans, & de facto sumat, non videtur prima sententia apertè falsa, quamuis parum probabilem eam existimem.

Prima Pars probatur, Quia Aliqui DD. censent, si Celebrans deficiat post consumptam hostiam relicto sanguine, non opus esse hunc defectum suppleri ab alio Sacerdote; quia saluatur essentia Sacrificij in vnius speciei sumptione, & etiam substantialis integritas, vt in prædicto casu defendunt Henriq. & Bonacina, quos citauimus supra n. 3 huius Tit. X. dub. 3. Coroll. 4. agentes de eodem casu.

Secunda Pars probatur ex dictis ibidem, et ex communi DD. sententia in oppositum, videlicet sumptionem vtriusque speciei verè esse de integritate substantiali sacrificij.

Ad Fundamentum primæ sententiæ Respondetur Quicquid sit de fructu Sacrificij et effectu Sacramenti, certum est sumptionem vtriusque speciei pertinere ad integritatem Sacrificij ratione significationis, quatenus victima in holocausto debet tota consumi, quod in Sacrificio Missæ fit per sumptionem prædictam. Deindè secundùm aliquos significatur etiam per sumptionem sepulturæ Christi, quæ magis completè exprimitur, si sub vtraque specie Christus à Celebrante sumatur, de quibus mysterijs dicemus in Appendice

pendice Quæstionum de sacrificio declarando, qualiter sumptio sit de integritate nostri sacrificij.

DVBIVM II.

An si venenum Sanguini tantum sit admixtum, Nihilominus consecrari iterum debeat vtraque species.

PRima sententia affirmat, saltem quando defectus aduertitur post consumptam hostiam. Probatur; quia eadem videtur ratio de hoc casu ac de illo, de quo supra dictum est, quando inuenitur in calice materia inepta ad consecrationem, in quo ex sententia D.Th. debet rursus consecrari vtraque species; Ita Paludanus, Syluest. Victoria, quos affert pro hac sententia Suar. disp. 85. sec. 1 §. Secunda Regula.

Secunda sententia longè probabilior docet, etsi in casu prædicto quando inuenitur in Calice materia inepta, consecrari deberet vtraque species (quod tamen supra negauimus de defectu vini) In hoc tamen casu veneni solùm sanguinem esse iterum consecrandum. Probatur; quia verè non est eadem ratio de hoc ac de illo casu, & Ideò D.Th. diuersimodè loquitur, & in casu nostro de sanguine veneno infecto dicit solùm sanguinem esse consecrandum 3. p. q citata 83. art. 6. ad 3. Ratio autem diuersitatis est; quia in casu nostro verus Christi sanguis fuit in Calice toto tempore Sacrificij post consecrationem, vndè ritè, & conuenienti ordine peracta sunt omnia, quæ super oblata fiunt, & dicuntur, solumque restat supplendum quod ad integram sumptionem est necessarium: cum ergo sola desit sumptio sanguinis: satis erit consecrare nouum vinum.

Confirmatur quia Missale diuersimodè decernit in hoc casu a c in illo, Ita Suar. supra cum Soto: quem ipse Suarez. citat, Fagundez præcep 1. lib. 3. cap. 20. num. 23 & communiter alij DD.

DVBIVM III.

Quid agendum si Celebrans non aduertat venenum, nisi post sumptionem Sacramenti.

REspōdetur breuiter, adhibere posse aliquod mediū vt euomat, etiā si species adhuc putentur integræ & incorruptæ. Probatur: quia sicut non tenebatur eas sumere, si prius monitus fuisset; Ita pari ratione non tenetur eas retinere. Ita Henriq lib 9. cap. 37. nu 4. Bonacina de Sacram. disp. 4. q. vltima. punc. 10 nu. 9.

Vomitus autem mitti debet, quando fieri potest in aliquod vas mundum, & seruari donec corrumpantur species, vt proijciantur in sacram piscinam, ex dicendis nu. 14. Vbi de hac re agitur in Rubrica.

NVMERVS VII.

7 Si aliquód venenatum contigerit Hostiam consecratam; tunc alteram consecret, & sumat modo quo dictum est, & illa seruetur in tabernaculo loco separato; donec species corrumpantur, & corruptæ deindè mittantur in sacrarium.

EXPLICATIO LITERALIS.

IDquod supra dictum est de speciebus vini, si illis fuerit admistum venenum, proportionaliter dicendum est de Hostia, si ab aliquo venenato contacta fuerit, siue ante siue post consecrationem, & in hac Rubrica declaratur, videlicet vt Sacerdos alteram cōsecret & sumat, & prior seruetur, vt hic exprimitur. Notat autem Gauantus in hanc Rubricam ex Genuensi, ea quæ sunt à fulmine tacta, venenata censeri. Quod si Sacerdos non aduertat venenum nisi post sumptionem hostiæ consecratæ, seruari debent ea, quæ supra diximus præcedenti numero, ob eamdem rationem, nec aliud occurrit hic addendum.

NVMERVS VIII.

8 Si sumendo Sanguinem, particula remanserit in Calice, digito ad labium Calicis eã adducat, & sumat ante purificationẽ, vel infundat vinum, & sumat.

EXPLICATIO LITERALIS

De casu huius Rubricæ satis diximus p. 2 tit. 10. sec. 1 dub. 7. dum de communione celebrantis, vbi declarauimus sensum huius Rubricæ, respondendo etiam ad difficultates, quæ obstare posse videbantur, vnde remittimus lectorem ad ibi dicta.

NVMERVS IX.

9 Si Hostia ante consecrationem inueniatur fracta, nisi populo euidenter appareat, talis Hostia consecretur: si autem scandalum populo esse possit, alia accipiatur, & offeratur: quòd si illius Hostiæ iam erat facta oblatio, eam post ablutionem sumat. Quòd si ante oblationem Hostia appareat confracta, accipiatur altera integra, si citra scandalum, aut longam moram fieri poterit.

EXPLICATIO LITERALIS

Hostia consecranda præter conditiones absolutè necessarias ad valorem consecrationis, videlicet vt sit triticea &c. de quibus diximus supra tit. 3. de defectu panis, debet etiam nonnullas habere conditiones accidentales pertinẽtes ad decentiam & mysterium, videlicet vt sit figuræ orbicularis, munda & integra seu non fracta, quæ etiam cadunt suo modo sub obligatione, vel ex ipsa rei natura, sicuti mundities; vel ex vsu & consuetudine Ecclesiæ, præsertim quo ad hostiam grandiorem propriam celebrantis; vnde non debet ad Altare deferri hostia consecranda, nisi prædita sit conditionibus supra dictis: quod si per errorem non talis allata fuerit, & in progressu Missæ ante consecrationem aduertat Sacerdos defectum alicuius ex conditionibus explicatis, siue ante oblationem, siue post eam, seruare debet respectiue ea, quæ præscribuntur in hac Rubrica, vbi est sermo de defectu integritatis, vt si hostia sit fracta, siue carens aliqua parte, siue scissuram habeat. Dixi ante consecrationem; quia post consecrationem nulla debet fieri mutatio, vt supponitur in hac Rubrica. Qualiter autem peccet prædicta non seruans, & consectans hostiam fractam, seù non integram, secluso casu necessitatis, mox in dubijs sequentibus explicabimus.

DVBIA CONSCIENTIAE

DVBIVM I.

An & qualiter consecrans Hostiam fractam, vel non integram, peccet.

Resp. per se loquendo, & secluso scãdalo vel contemptu, hoc non excedere culpam venialem; quia defectus integritatis in hostia, neque obstat valori consecrationis, neque inter defectus graues computatur.

Dixi per se loquendo: quia si fractura esset enormis, Vnde resultaret vel grauis irreuerentia cõtra Sacramentum, vel hostia redderetur inhabilis ad exequutionem Rituum grauiorũ, E.g diuisionis eiusdem hostiæ, quæ debet fieri ante commixtionem cum Sanguine; vel tandem possit esse scandalum Populo, certè esset graue peccatum talem hostiam consecrare, & non vti remedijs in hac Rubrica præleriptis. Et idem proportionaliter dicendum si hostia non sit munda, seu maculam habeat, de quibus omnibus conditionibus diximus in quæstione proemiali sec 5. punc. 4. vbi etiam DD. citauimus, videnda sunt ibi dicta.

DVBIVM II.

An hostia fracta, cuius facta iam erat oblatio, debeat ex præcepto sumi à celebrante post ablutionem.

Dvbium procedit quando ad cauendum scandalū Populi, velob similem rationē remouēda est hostia q;inuenitur fracta post oblationē, & alia integra loco illius cōsecratur.

Respondeo optimum esse consilium eam sumi à Celebrante vt præscribitur in hac Rubrica, non tamen hoc cadere sub præcepto. Cœterùm tenetur Sacerdos curare nè eadem hostia Deo in missa oblata irreuerenter tractetur tanquam res prophana.

Prima pars probatur. Videlicet quòd sumptio non cadat sub præcepto: quia neque illius hostiæ sumptio pertinet vllo modo ad integritatem sacrificij, cum non sit Hostia consecrata, nec aliunde constat de præcepto.

Confirmatur; quia in simili casu quando oblata fuit in missa hostia inepta consecrationi, vel dubia, & loco illius altera consecratur, Rubrica non præcipit absolutè vt sumatur prior hostia, sed vel sumatur, vel alteri sumenda tradatur, vel alicubi reuerenter seruetur, vt patet ex his Rubricis de defectibus tit 3.n°5. ergo pariter dicendum fieri posse in casu nostro.

Secunda pars probatur, Videlicet quod non possit absolutè conuerti ad vsus prophanos: & debeat reuerenter seruari, & tractari. Probatur: quia res Deo semel oblata, præsertim solemniter in missa, non potest absque graui peccato ex genere suo conuerti ad vsus prophanos vt patet de corporalibus, & vestibus sacris, seu benedictis, quæ ratione benedictionis Deo offeruntur, & quoddam esse sacrum acquirunt: illa autem hostia in casu nostro fuit per orationes ab Ecclesia præscriptas Deo oblata, & quoddam esse sacrum acquisiuit. vndè ad minus reputari debet tamquam panis benedictus,

Colligitur. Hostiam prædictam oblatam & non consecratam, vel sumi debere à Celebrante post ablutionem: vel tradendam esse alii sumendam, idest reuerenter & cum deuotione tamquam panem benedictum, vel simili modo consumendam, non verò applicandam ad vsus omnino prophanos, quare illam proijcere conculcandam esset graue Sacrilegium,

NVMERVS X.

10 Si propter frigus, vel negligentiam Hostia consecrata dilabatur in Calicem, propterea nihil est reiterandum, sed Sacerdos Missam prosequatur, faciendo cæremonias, & signa consueta cum residua parte Hostiæ quæ non est madefacta Sanguine, si commodè potest. Si verò tota fuerit madefacta, non extrahat eam, sed omnia dicat ommittendo signa, & sumat pariter Corpus, & Sanguinem, signans se cum Calice, & dicens: Corpus, & Sanguis Domini nostri, &c.

EXPLICATIO LITERALIS

Ea quæ traduntur in hac rubrica fundamentum habent in doctrina D Thomæ 3. p. q. 83. art. 6. ad 6. videlicet, si cōtingant defectus in celebratione missæ circa Ritus merè Cœremoniales & accidentales, non opus esse, nec sæpius expedire eos supplere, aut quicquam repetere: ne absque necessitate perturbetur ordo sacrificij: quare si hostia consecrata dilabatur in Calicem, & non possint fieri signa consueta cum ipsa hostia, seruari omnino debent ea, quæ in hac Rubrica præscribuntur ex doctrina D.Thomæ loco citato, quem sequuntur alij DD. communiter, Suar.disp.85.sec.2.fine. Auersa de sacrif.q 11 sec.16.§. Rursus, & alij passim, Nec aliud dubium hic explicandum occurrit quoad conscientiam, nisi excusari non posse à culpa mortali negligentiam celebrantis in hoc casu, si grauis sit, & cum sufficienti aduertentia, cum sit causa omissionis rituū grauium, & magni mysterij: quamuis non pertinentium ad substantiam sacrificij.

NVMERVS XI.

11 Si in hieme sanguis congeletur in Calice, inuoluatur Calix pannis calefactis: si id non proficeret, ponatur in feruenti aqua prope altare, dummodo in calicem non intret, donec liquefiat.

EXPLICATIO LITERALIS.

PRoponuntur in hac rubrica media, quibus vti debet Sacerdos in casu, quo sanguis congelaretur in calice. Quod si Ignis haberi nō possit, & nequeat celebrans exequi media hic præscripta, rectè monet Suar. disp. 85. sec. 1. §. Tertio, posse illum digitis comminuere glaciem, & in particulas redigere, & sic sumere, quod etiam ex eodem Suar. notat Gauantus in hanc. Rubricam, & Tambur. Opusc. de Sacrif. lib. 2. cap. 8. §. 8. n. 8. Quid autem agendum sit, si vinum congeletur ante consecrationem, in sequenti dubio explicabimus,

DVBIA CONSCIENTIÆ.

DVIUM VNICVM.

An si congeletur Vinum ante consecrationem possit licitè sic consecrari.

VInum congelatum posse valide consecrari affirmant communiter DD. vt vidimus supra Tit. 3. dub. 8. Hic autem querimus An etiam licitè in eo statu consecretur.

Prima sententia affirmat. Probatur quia nullibi in iure hoc prohibetur, Item quamuis id fieret contra consuetudinem Ecclesiæ: hæc tamen non habet vim legis vel saltem nō constat seruari vt necessariam & obligantem: Ita Vasq. in 3. par. disp. 175. cap. 2. num. 18. Hurtadus de Euchar. disp. 2. diffic. 9. fine.

Opposita tamen sententia est communis & vera non posse licite consecrari Vinum cōgelatū, sed fore peccatum mortale. Tum quia fieret contra Ecclesiæ consuetudinem, quam communiter DD. existimant habere vim legis. Tum quia licet communis sententia doceat consecrationem esse validā, Nonulli tamen negant, quarè superest aliquod dubium An talis consecratio sit valida, & consequenter contra reuerentiam tanti Sacramenti est eam exponere periculo irritationis absque necessitate, ita Coninch de Sacram. q. 74. ar. 5. n. 127. vbi testatur de communi Diana p. 3. tract. 6. resol. 100. cum alijs quos citat Auersa de Euch q. 2. sec. 5. §. fatendum.

Dubium superest, An in casu prædicto sit apponendum nouum vinum, vel procurandum vt congelatum liquefiat & soluta congelatione consecretur.

Aliqui absolute negant posse licitè consecrari vinum congelatum etiam soluta congelatione, quos refert Diana supra, presertim quia vinum dum congelatur, videtur substātialiter mutari. Cæterum hoc caret fundamento, & supra nos refutauimus in hac 3. p. Tit 3. dub. 8.

Communis ergò, & vera sententia docet soluta congelatione nōn esse illicitum illud vinum consecrare quia est verum vinum; decentius tamen esse & omnino suadendum, vt aliud apponatur & consecretur; quia per cōgelationem & liquefactionem non nihil immutatur quoad qualitates, & aliquantulum euanescit, vnde contra reuerentiam Sacramenti videtur vinum sic male affectum consecrare, etiam si illius facta fuerit oblatio, in quo casu ratione oblationis reseruari deberet, & sumi post sanguinem, & ablutionem ex dictis in simili de hostia fracta: Ita Diana supra, Coninch, Suar. & Alij, quos citat; quamuis probabile etiam sit, si congelatio accidisset post oblationem, melius fore ipsum vinum congelatum liquefacere & consecrare, quam sententiam sequitur Auersa supra, & Layman de Euchar. lib 5. tract. 4. cap. 2. n. 6 potest ergò licitè fieri vtronis modo. Ante oblationem verò iuxta communem sententiam debet semper mutari, & nonum vinum apponi,

NV-

NVMERVS XII.

12 Si per negligentiam aliquid de ſanguine Chriſti ceciderit, ſiquidem ſuper terram ſeu ſuper tabulam, lingua lambatur, & locus ipſe radatur quantum ſatis eſt, & abraſio comburatur; cinis vero in ſacrarium recondatur. Si vero ſuper lapidem Altaris ceciderit, ſorbeat Sacerdos ſtillam, & locus bene abluatur, & ablutio in ſacrarium proijciatur. Si ſuper linteum Altaris, & ad aliud linteum ſtilla peruenit, ſi vſque ad tertium: linteamina ter abluantur vbi ſtilla ceciderit, Calice ſuppoſito, & aqua ablutionis in ſacrarium proijciatur. quod ſi in ipſo ſolum corporali, aut ſi in veſtibus ipſis ſacerdotalibus ceciderit, debent ſimiliter ablui, & ablutio in ſacrarium proijci. Si in ſubſtrato pedibus panno, vel tapeto bene abluatur vt ſupra.

EXPLICATIO LITERALIS

ID quod diſponitur in hac Rubrica in caſu effuſionis ſanguinis Chriſti è Calice, deſumptum eſt ex Decreto Pij Papæ I. cap. ſi per Negligentiam de conſecr. diſt 2. demptis aliquibus, quæ modo non ſunt in vſu. In Primis ergò aſſignatur duplex modus obuiándi irreuerentiæ, quæ vlterius ſequi poſſet ex ea effuſione, Primus eſt Abraſio, ſecundus eſt lotio illarum rerum ſuper quas cadere contigerit Chriſti ſanguinem, quæ etiam prius lambendæ ſunt lingua ab ipſomet Sacerdote. Primo ergò ſi aliquid de ſanguine Chriſti ceciderit ſuper terram, vel ſuper tabulam, debet prius à Sacerdote lambi diligenter lingua, videlicet ſi ſit ibi ſtilla, quæ ſorberi poſſit: & quamuis in eo textu, vt aduertit Suar. infrà citandus, non præcipiatur lambi terra, id tamen exprimitur in hac Rubrica, ſed non videtur cadere ſub præcepto: quia Rubrica non præcipit, vt tenet Idem Suar; deindè locus ipſe radendus eſt, & abraſio comburenda (quando videlicet exiccata eſt, ita vt non perſeuerent ſpecies vini, nec ibi ſit ſanguis Chriſti) & tandem cinis in Sacrarium recondendus.

Secundo ſi ceciderit ſanguis ſuper lapidem Altaris, ideſt ſuper Aram conſecratam, ſorbeat Sacerdos ſtillam vt ſupra, & locus bene abluatur, atque ablutio in ſacrarium reponatur, in quo caſu non præcipitur, vt radatur Altare, ideſt ipſa Ara conſecrata, cum ſit locus ſacer, nec expoſitus periculo conculcationis, vel ſimilis iniuriæ, & ideo radi non debet; quare ſi cadat ſanguis in reliquam partem materialem Altaris non conſecratam ea debet radi, ſicut dictum eſt quando cadit in terram, vel ſuper bradellam, ſicut bene notat Suar. tom.3 in 3 p. diſp. 85. ſec. 1. §. ſexto.

Tertio ſi ceciderit ſuper linteamina Altaris, ſingula ad quæ peruenerit aliqua ſtilla, ter ablui debent ſuppoſito Calice, & aqua ablutionis in ſacrarium proiicienda eſt: itaque ſi primum tantum linteum appareat ſanguine madefactum, hoc ſolum, & non alia extrina ablutione purificari debet; quod ſi vlterius penetrauerit ad ſecundum, vel vſque ad tertium, omnia & ſingula ter ablui debent, vt conſtat ex cap. citato ſi per negligentiam, & docent Expoſitores infra citandi communiter.

Quarto additur; eumdem modum ablutionis ſeruandum eſſe circa corporale. Item circa veſtes ſacerdotales, et tapetum ſubſtractum pedibus, ſi ſuper ea ſanguis ceciderit. An autem Tapetum ſit etiam radendum, vel abſcindi debeat pars illa ad quam peruenit ſtilla ſanguinis, dicemus in dubijs: De hoc vero caſu effuſionis agit D. Thomas 3. p. q. 83. art. 6. ad 7. et ibi Expoſitores Suar loco citato Bonacina de Euchar diſp. 4. q. vltima punc. 10. et alii paſſim.

Tandem hic aduertendum, rectè præcipi vt Sacerdos, & non alius lambere & ſorbere debeat ſtillam ſanguinis, quia nulli alteri licet ſanguinem Domini proxime attingere, vt notat Suar ſupra, qui etiam aduertit accuratè obſeruandum eſſe, nè locus ille conculcetur priùs quam bene corradatur, vt in illo textu præcipitur. Certum eſt etiam obſer-

obseruanda esse omnia prædicta, etiam si citra negligentiam & absque culpa contingat sanguinis Christi effusio: sed omnino casualiter, & ex inuicibili inaduertentia: quippe adhibetur ea diligentia propter reuerentiam Sacramenti: quod si intercesserit negligentia culpabilis; vt in eo textu & in Rubrica supponitur, imponenda est aliqua pœna, de qua inferius dicemus.

DVBIA CONSCIENTIÆ

DVBIVM I.

Quale peccatum sit omittere diligentias explicatas si Sacramentum ceciderit.

RESpondeo, & dico primo. si nulla adhibeatur diligentia, vel omittatur ea, quæ Iure præscribitur quoad partem notabilem, graue peccatum committitur, E.g si non radatur terra, vel tabula, super quam cecidit sanguis Christi, vel nullo modo lauetur linteum &c. Probatur, tum quia talis omissio est transgressio rigorosi præcepti Iuris communis in materia graui. Tum quia ex eadem omissione sequitur notabilis irreuerentia contra Sacramentum, vt constat ex dictis in litera, & docent DD. ibidem citati.

Dico secundo: Omissio diligentiæ debitæ & Iure præceptæ quoad modicam partem est peccatum veniale, E. G. si Sacerdos bis lauaret linteum sufficienti diligentia, & tertiam lotionem omitteret. Probatur; quia hæc omissio leniter opponitur fini præcepti, & leuis inde sequitur irreuerentia contra Sacramentum. Colligitur ex DD. citatis.

DVBIVM II.

An quando Sanguis effusus lambi, & sorberi debet, necesse sit hoc fieri à Sacerdote ieiuno, & quid dicendum de lotione linteorum.

REspondeo & Dico primo; Per se loquendo hoc fieri debet à Sacerdote ieiuno. Probatur; quia ad communionem & receptionem Sacramenti Eucharistiæ, prærequiritur ieiunium, vt notum est; In casu autem nostro Sacerdos recipit verum Sacramentum quia in qualibet stilla sanguinis est totus Christus; communiter autem ita fit, quia effusio non contingit nisi in actu celebrationis ante sumptionem sanguinis vel in ipsa sumptione, quando adhuc celebrans est ieiunus, nec alias vnquam seruatur sanguis, qui possit effundi extra actum celebrationis, atque totum hoc supponitur vt certum à DD

Dico secundo si celebrans omiserit lambere, & sorbere stillam sanguinis quando erat ieiunus, seu ante ablutionem, poterit illam lambere post ablutionem, tanquam reliquiam Sacramenti pertinentem ad idem sacrificiũ, vt suo loco diximus de fragmentis: quia est eadem ratio. Quod si fingatur casus in quo omissa fuerit illa diligentia, & perseueret stilla aliqua lambenda extra actum celebrationis; si non adsit Sacerdos ieiunus poterit etiam lambi ab alio non ieiuno, propter reuerentiam Sacramenti, ne ibi cum dedecore relinquatur: quia præceptum vitandi hanc irreuerentiam præualet præcepto ieiunij. Ita docet Paludanus dist. 9. q. 1. & ex eo Suar. disp. 85. sec. 1. circa finem secundæ regulæ.

Dico tertio quando in casu effusionis sanguinis super lintea hæc abluuntur, quamuis possit Sacerdos lotionem illam, seu aquam ablutionis bibere, hoc tamen non cadit sub præcepto, sed potest licitè eam projicere in piscinam, vt manifestè patet ex hac rubrica: & quamuis in textu illo cap. si per negligentiam, habeantur hæc verba; aqua ablutionis sumatur, ibi tamen ly sumatur non significat vt sumatur in potum; ac bibatur à Sacerdote; sed sensus est, accipiatur; nam subditur, & iuxta Altare recondatur, quod idem est, ac in piscinam proijciatur, quæ iuxta Altare esse solebat. Ita Suar. supra, Tambur. Opusc. de Sacrificio lib. 2. cap. 8. §. 7. Coninch de Sacram. q. 83. n. 282. & alij communiter.

DVBIVM III.

An abscindi, & comburi debeat pars illa Tapeti, vel lintei, super quam cecidit sanguis Christi.

REspondeo & dico primo Decentius esse vt pars illa tapeti, vel lintei comburatur, & cineres in piscinam mittantur excepto Corporali, & Purificatorio. Probatur; quia id cedit in maiorem reuerentiam Sacramenti.

Confirmatur; quia olim sic erat in vsu, & præcipiebatur in citato cap. si per negligentiam; de consecr. dist. 2. & ita etiam habebatur in antiquis Missalibus.

Dico secundo; Hodiè nulla est obligatio abscindendi prædicta; sed sufficit trina lotio, modo suprà explicato. Probatur; quia præceptum illud Iuris communis contraria consue-

traria consuetudine fuit abrogatum: & Alioqui satis consultum videtur reuerentiæ Sacramenti trina illa ablutione, & si res illæ solùm inseruiant vsibus sacris Altaris. Item ne priuetur Ecclesia vtensilibus illis, præsertim quando sunt prætiosa.

Confirmatur: quia in nouis Missalibus recognitis, non habetur amplius particula illa de abscissione, & idcirco fuit adempta: quia cessauit eius obligatio, Ita Suar. & Tambur. locis citatis, Gauantus in hanc Rubricam, & Alij communiter.

Colligitur Multò minus abscindendas esse partes intinctas vestium Sacerdotalium, & aliarum rerum similium, vt patet à fortiori ex dictis DD. citati.

DVBIVM IV.

Quid Agendum si sanguis cadat super Barbam Sacerdotis.

ALiqui existimarunt barbam Sacerdotis post trinam lotionem esse abradendam & comburendam, vt præsertim sentit Bartholomæus ab Angelis Dialog. 5. §.713. quæ sententia communiter modò reijcitur, neque enim minùs parcendum est barbæ, quàm tapetibus, quorum pars sanguine intincta, non est necessariò abscindenda, vt supra dicebamus.

Respondeo ergo satis esse si trina lotione Sacerdos barbam purget, vt patet ex dictis in simili de linteis & tapetibus Quod ita ex Dicastillo magis explicat Diana p. 10. trac. 13. resol 10. vbi sic ait: Addit Bartolomæus „ ab Angelis, barbam Sacerdotis post trinam lotionem abradendam & comburendam esse, quoties Christi sanguis super barbam Sacerdotis ceciderit, Quod facile tamen ferent monachi, quibus plerisque familiare est barbam ad cutem rasitare; quod & multi alij Clerici Regulares, & sæculares etiam faciunt. Italis vero, & Germanis sacerdotibus sæcularibus, & non paucis etiam Regularibus, qui more gentis barbiculæ sint, durum satis in praxi videtur, quorum causam tuendam suscepit Bonacina supra: tum quia (inquit ille) non est vsu receptum (quasi verò res esset tam frequens, vt ex vsu & frequentia possemus sumere argumentum): tum quia Sacerdotes aut obligandi essent ad non deferendam barbam (quid ni obligentur?) imò ad non nutriendam cæsariem more fœminarum, (quod non pauci faciunt): aut saltem (inquit ille) aliquando cogerentur ludibrij notam subire abrasa & cōbusta barba. Quamobrem putat Bonacina sufficere, si repetita lotione barbam purgent, iuxta receptam consuetudinem; Hucusque Dicastillus, & Diana.

DVBIVM V.

De pœnis Iure statutis contra Sacerdotes, quorum negligentia Sanguis Christi effunditur, an cadant sub precepto.

PRæmittendum in cap. citato, Si per negligentiam de consecrar. dist. 2. statutum esse, vt negligentia prædicta puniatur quadraginta dierum pœnitentia, si aliquid de sanguine stillauerit vsque ad terram; si super linteum Altaris stillauerit vsque ad secūdum quatuor diebus pœniteat Sacerdos; si vsque ad tertium nouem diebus pœniteat sacerdos, hoc est ieiunet, & à communione abstinear; de quibus agit D. Thomas q. 83. art. 6. ad 7. Hoc posito.

Difficultas est, an huiusmodi pœnæ contra negligentes debeant ex præcepto imponi ab Episcopis, & Superioribus, & an sacerdotes teneantur eas in conscientia subire, & exequi.

Respondeo. Non teneri Sacerdotes huiusmodi pœnas sponte subire ante sententiam, neque teneri Superiores eas specialiter imponere. Probatur: quia in desuetudinem iam abierunt, & idcirco cessat earum obligatio Possunt autem imponi, vel prædictæ vel aliæ arbitrio Superioris, consideratis circumstantijs, sicut pro alijs peccatis, & tunc posita iusta sententia tenebuntur Sacerdotes illas subire. Cæterùm ante sententiam, non tenentur, nisi ad satisfaciendum Deo, si quid in hoc peccauerint, & pœnam a Confessario impositam exequi. Ita Paludanus, Soto, Syluest, Nauar. & Alij communiter, quos affert, & sequitur Suar. disp. 85. sec. 1. §. Sextò, & Alij DD. communiter.

DVBIVM VI.

Quid Agendum si ceciderit Vinum, vel Aqua Purificationis Calicis, quæ fit immediatè post sumptionem sanguinis.

RAtio dubitandi est: quia cum ea purificatione vel ablutione ferè semper est admixta aliqua stilla sanguinis, quæ remanere solet intra Calicem immediatè post sūptionem sanguinis: Cum ergò in qualibet

stilla sit totus Christus realiter præsens, eadem prorsus diligentia adhibenda videtur, quæ præcipitur adhiberi quando cadit solus sanguis absque vino.

Prima sententia sustinet adhibendam esse ex præcepto eandem prorsus diligentiam, abrasionis, vel ablutionis respectiuè, quæ iure præscribitur si sanguis ceciderit: quia cum vino purificationis saltem primæ semper est aliqua gutta sanguinis, ex dictis in ratione dubitandi. Ita aliqui viri docti de hac re cõsulti.

Secunda sententia negat esse necessariam eandem diligentiam: quia canones, & rubricæ solum loquuntur de sanguine; vinum autem purificationis, vel ablutionis calicis, non est sanguis Christi: ergo præceptum illud minime extendi debet ad hunc casum, quando effunditur, vel cadit vinum purificationis: & quamuis hoc vinum habeat fortè admixtã aliquam stillam sanguinis, hoc tamen vel non est certum, vel species illius stillæ dispersæ & in minutissimas partes diuisæ facilè euanescunt in effusione, ita vt desinat ibi esse sanguis Christi, ita sentiunt alij pariter de hac re consulti.

Respondeo & dico primo Non videtur necessaria ex præcepto eadem diligentia, quæ iure canonico præcipitur adhibenda in casu effusionis sanguinis, vt probat Fundamentum secundæ sententiæ.

Dico secundo tenetur omnino Sacerdos, saltem Iure naturali adhibere aliquam diligentiam, qualem recta ratio dictat esse necessariam ad obuiandum irrurerentiæ specierum consecratarum, quæ cum vino purificationis probabiliter sunt admixte vt conuincit fundamentum primæ sententiæ, quamuis enim concederemus ad hunc casum non extendi præceptum Iuris positiui; Negari tamen non potest obligatio iuris naturalis dictantis species consecratas summa reuerentia tractari debere, & vitandam omnino esse ireuerentiam contra illas.

Dixi saltem iure naturali: quia probabile videtur præceptum iuris positiui aliqua ratione, & ex parte extendi ad hunc casum, ita vt quamuis non sit necessaria omnimoda illa & exacta diligentia, quæ præcipitur in casu effusionis sanguinis; sit tamen necessaria aliqua minor data proportione.

Colligitur primo Si purificatio præsertim prima cadat super terram, vel tabulam, esse necessariam abrasionem, & candem ferè diligentiam quæ præcipitur in casu effusionis sanguinis, nè si forte sint ibi species consecratæ conculcentur cum graui irreuerentia.

Colligitur secundo si ceciderit Purificatio super corporale, vel super linteum, distinguendum esse, nam si antequam exiccentur species sit absolutum Sacrum, videtur necessaria saltem vnica lotio, quæ in Sacrarium porijcienda est; Si verò exiccatæ sint, non videtur necessaria alia diligentia: quia nullum sequitur inconueniens, & potius mutari debent lintea propter munditiem Altaris.

Colligitur tertio. Omissionem diligentiæ prædictæ fore peccatum, vel graue si timetur grauis irreuerentia contra Sacramentum, quod probabiliter ibi perseueret; vel veniale si leue sit periculum irreuerentiæ.

NVMERVS XIII.

13 At si contingat totum sanguinem post consecrationem effundi, siquidem aliquid vel parum remansit, illud sumatur, & de effuso reliquo Sanguine fiat vt dictum est: Si verò nihil omnino remansit ponat iterum vinum & aquam & consecret ab eo loco, Simili modo postquam cœnatum est facta prius tamen Calicis oblatione vt supra.

EXPLICATIO LITERALIS.

Si totus sanguis effundatur, distinguendum est, vt hic habetur in litera; primo si aliquid, vel parum remansit in Calice, adde, vel extra, ita vt sorberi possit, illud sumatur, nec opus erit noua consecratione, quia talis sumptio etiam minimæ partis specierum sacramentalium sufficit ad perfectionem sacrificij, cum sub qualibet stilla sit totus Christus. Secundo si nihil omnino remansit iteranda est consecratio, facta prius noua materiæ oblatione saltem mentali, vt monet rubrica, & docent communiter Doctores Suárez disput. 85. sect. 1 S. sexto, Gauantus in hanc Rubricam, Auersa q. 11 sec. 16 S. Tertio. Tambur. Opusc. de sacr. lib. 2. cap 8. S. 7. cum alijs quos citant. Quod si ha-

si haberi non possit nouum vinum excusabitur Sacerdos ab hac obligatione, vt habetur in his rubricis de defectibus supra explicatis Tit. 4. defectu vini n. 8. & docent citati DD Nec aliud hic addendum occurrit.

NVMERVS XIV.

14 Si Sacerdos euomat Eucharistiam; si species integræ appareant reuerenter sumantur, nisi nausea fiat: tunc enim species consecratæ cautè separentur, & in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur, & postea in sacrarium proijciantur. Quod si species non appareant, comburatur vomitus, & cineres in sacrarium mittantur.

EXPLICATIO LITERALIS

IN casu vomitus hic præscribitur, vt si species integræ appareant, reuerenter sumantur, idest vel ab eodem Sacerdote, etiam non ieiuno intra tempus, quo moraliter durat sacrificium quia pertinent ad eiusdem sacrificij integritatem; vel ab alio ieiuno: modo neutri fiat nausea: quia non debet Sacramentum exponi nouo periculo vomitus. Quod si nausea fiat, reponendæ sunt sacræ species in aliquo loco sacro, vt in rubrica exprimitur. Tandem si species non appareant, comburendus est vomitus, & cineres in Sacrarium reponendæ, vt habetur in litera, & docet D. Thomas 3. p q. 83. art. 6. ad 7. & exqositores communiter.

DVBIA CONSCIENTIÆ

DVBIVM I.

Vtrum si species consecratæ non appareant debeat statim comburi vomitus, vel sit aliquandiu expectandum.

RAtio dubitandi est: quia vel ibi creduntur adesse species consecratæ quamuis non appareant, & consequenter Christus sub illis speciebus perseuerans; & tunc esset Sacrilegium illas species comburere, cum iniuria ipsius Christi sub eis contenti, vt aperte docent Paludanus, Syluest. & alij summistæ, quos refert Suar. disp 85. sec. 1. §. secunda regula, & videntur docere nunquam esse comburendas species prædictas etiam corruptas: vel nullo modo sunt ibi species consecratæ; quia creduntur vi caloris naturalis solutæ, & corruptæ, & tunc non opus est combustione, neque vt cineres in Sacrarium reponantur.

Respondeo. Tunc esse comburendum vomitum, quando prudenter iudicantur species consecratæ iam corruptæ, non vero ante quando putantur ibi adesse species integræ, seù non corruptæ, vt benè probat ratio dubitandi, & colligitur ex eadem Rubrica, in qua præscribitur, vt species quæ apparent, non statim in sacrarium proijciantur, sed seruentur donec corrumpantur. Ita Bonacin. de Sacram. disp. 4 q. vltima punc. 10. nu. 9. Tamburriuus Opusc. de sacrif lib 2. cap. 8. §. 8. n. 4. & alij, quos citant & colligitur ex D. Thoma supra citato,

Ad rationem dubitandi. Respondeo esse sacrilegium comburere species sub quibus est Christus, seù antequam sint corruptæ: Secus vero postquam sunt corruptæ: tunc autem recte præcipiuntur comburi cum illis rebus quibus fuerunt commistæ, ob proximum contactum specierum consecratarum, vt docet D. Thomas q 83 art. 6. ad 7

Colligitur: quid sit agendum in similibus casibus. quando species consecratæ putrefiũt, vel ex eis vermes generantur &c. Regula enim generalis, quam tradit D. Th. art. 6. citato ad 7. est huiusmodi, videlicet si species Sacramentales in aliqua parte integræ, & incorruptæ haberi possunt, eas reuerenter seruandas esse, vel consumendas: quia sub eis manet Christus: ea vero quæ tales species contigerunt, vel comburi debent, vel purificari modo superius explicato, species autem corruptæ, in sacram piscinam immitti debent. Vide Suar. supra.

DVBIVM II.

quale peccatum sit communicare cum periculo vomitus.

RESpondeo. Si quis prauideat vel ex tussi quam patitur, vel ex alia praua dispositione, se euomiturum sacram Eucharistiam, vel de hoc rationabiliter dubitat, & nihilominus communicat, peccat mortaliter, ob grauem iniuriam quæ inde sequitur Sacramento, vel ob periculum irreuerentiæ, cui idem Sacramentum exponit, vt patet ex dictis præcedenti tit. 9. sec. 2. dub. 3. vbi fusius id explicauimus, vbi etiam diximus grauiter peccare ministrum præbentem Eucharistiam sub simili periculo, videnda sunt ibi dicta.

DVBIVM III.

An si celebrans euomat species consecratas statim post sumptionem, possit vel teneatur iterum consecrare ad iterum sumendum.

ALiqui tenent posse talem Sacerdotem aliam materiam consecrare, ac sumere propter maius sacrificij complementum non tamen obligari ita Franciscus de Lugo de Sacram. lib. 5. c. 10. q. 2. n. 23.

Respondeo tamen nec debere, nec posse; quod non teneatur videtur certum: quia sacrificium completur substantialiter per sumptionem, nec vllus dixit, aut dicere verisimiliter potest requiri etiam retentionem, & digestionem specierum ad perfectionem sacrificij, præsertim quia ex communi DD. sententia; gratia seu effectus Sacramenti confertur sumenti in ipsamet sumptione, seu dum deglutitur, vt videri potest apud Bonacinam de Sacram. disp. 4. q. 4 punc. 2. & apud Dianam p. 3. tract. 6. resol 96. vbi citant DD. Cum ergo vomitus non tollat verã sumptionem, imo supponat, consequenter non obstat perfectioni sacrificij.

Secundo non videtur admitti posse vt probabilis prima sententia; quia vel vomitus inducit defectum substantialem sacrificij, vel solum accidentalem. Si primum; ergo nedum posset in eo casu Sacerdos consecrare nouam materiam, sed etiam teneretur, quia tenetur supplere defectus substantiales: ergò malè dicunt Auctores primæ sententiæ eum non teneri. Si secundum ergo non tenetur, nec potest: quia propter defectum accidentalem nihil est repetendum, vt sæpius diximus. Item noua consecratio esset nouum sacrificium, quod offerri non potest, cum nõ possit quis eodem die bis sacrificare, neque absque ritibus necessarijs qui à principio Missæ præscribuntur vsque ad finem.

Tandem prædicta sententia est absurda, & inutilis omnino in praxi: quia vel contingit vomitus post absolutam Missam, & postquam Sacerdos ab Altari recessit, & tunc nec debet nec potest nouam materiam consecrare: quia iam actio foret distincta moraliter, nec cum priori coniungeretur ad vnum sacrificium integrandum, vt ipse de Lugo fatetur; vel contingit vomitus dum adhuc Sacerdos est in Altari statim post sumptionem, & tunc non potest moraliter iterum sumere nouam materiam absque simili periculo vomitus: quia perseuerat moraliter eadem indispositio. ergo cum non possit iterum sumere, non potest iterum consecrare ad sumendum.

DVBIVM IV.

An quandoque licitum sit post sumptam Eucharistiam vomitum prouocare.

REspondeo hoc esse licitum in eo solum euentu, quando cognoscit Sacerdos, vel alius qui communicauit species à se sumptas fuisse veneno infectas, vel simili Tabe, quæ valdè saluti noceant, etiam si integræ essent reijciendæ, & vi caloris non alteratæ, vt diximus hoc eodem titulo num. 6. Extra hunc casum id nunquam est licitum; quamdiu species putantur integræ perseuerare, & nondum corruptæ à calore naturali. Dixi quãdiu species nondum corruptæ sunt &c Nam post spatium competens, quando moraliter certum est esse corruptas, vtique id erit licitum ex rationabili causa, sicuti diximus p. 2. tit. 2. dub. 6.

NV-

NVMERVS XV.

15 Si Hostia consecrata, vel aliqua eius particula dilabatur in terram; reuerenter accipiatur, & locus vbi cecidit, mundetur, & aliquantulum abradatur, & puluis, seu abrasio huiusmodi in sacrarium immittatur. Si ceciderit extra Corporale in mappam, seu alio quouis modo in aliquod linteum, mappa vel linteum huiusmodi diligenter lauetur, & lotio ipsa in sacrarium effundatur.

EXPLICATIO LITERALIS.

Facilius obuiari potest iniuriæ, seù irreuerentiæ Sacramenti, quando sola hostia dilabitur, & cadit in terram, vel in alium locum, quam si contingat effundi sanguinem; quia hostia vel particula eiusdem non penetrat rem illam super quam cadit, sicut penetrat sanguis, & idcirco facilius accipi possunt hostiæ, & eorum fragmenta quoad integras species, & hac ratione vt reor, non præcipitur in hac rubrica vt lingua lambatur terra, vel tabula, sicut præcipitur in casu effusionis sanguinis, sed vt mundetur & abradatur: Mappa autem, vel linteum abluatur &c. Ad maiorem autem explicationem huius Rubricæ addo hic per extensum ea, quæ circa hunc casum notantur à Castaldo in sua Praxi lib.2. sec. 14. cap. 7. n. 11. 12. & 13. his verbis, Si dum fit communio, Aliqua hostia excidat in terram, reuerenter eam Sacerdos accipiat, locusque in quem ceciderit, obsignetur, atque aliquid interim super imponatur nè a transeuntibus fortè conculcetur, opportuno postmodum tempore abradatur, & puluis, seu abrasio in sacrarij piscinam proijciatur.

Si ceciderit supra Mappam vel Velum, huiusmodi Mappa vel Velum obsignetur, ac postmodum diligenter lauetur, ipsa verò lotio in Sacrarij piscinam proijciatur.

Si supra vestes communicantium ceciderit, locus signetur, ac postea lauetur: quòd si commodè vel decenter fieri non poterit, si fortè aliquam mulierem tetigerit, eidem, vt vestem, vel locum à Sacramento tactum lauet, Minister committat, & lotionem vt supra in Sacrarium proijciat. Hactenus Castaldus; qui numeris sequentibus nonnulla, etiam aduertit, de quibus dicemus in sequentibus dubijs.

DVBIA CONSCIENTIÆ

DVBIVM I.

Si Hostia consecrata, vel eius fragmentum dilabatur intra Pectus communicantis, Quid Agendum in hoc & similibus casibus;

PRæcipua Difficultas est, Si caderet Hostia, vel fragmentum intrà Pectus mulieris, vel in partes interioris tunicæ.

Respondeo in hoc & similibus casibus habendam esse in primis rationem honestatis & decentiæ, atque eligendum quod minus malum videtur, & in minorem iniuriam Dei & Sacramenti resultat, iuxtà regulam generalem quam tradit D.Thomas 3.p.q.83. art.6. ad secundum. Vbi agens de defectibus occurrentibus circà celebrationem, & administrationem huius Sacramenti, sic ait, Vbi Difficultas occurrit, semper est accipiendum illud quod habet minus de periculo. Videtur autem in casu nostro minus habere de periculo, & minus malum esse, si ipsemet communicans, præsertim mulier accipiat suis manibus hostiam consecratam, vel permittere, vt deperdatur fragmentum, forsan colligendum ab Angelis, quàm à Sacerdote perquiri cum indecentia, vel aliquo detrimento honestatis: quia hoc facilè potest præbere occasionem scandali, & ansam detrahendi his sacris mysterijs in maiorem iniuriam Dei & odium Sacramenti.

Confirmatur; quia vt supra dicebamus n. 5. huius tituli 10. dub. 2 Non est perquirendum Sacramentum intra viscera animalis quod hostiam comederit, neque sequendam esse muscam volantem madefactam Christi sanguine, ex eo solùm, quia hoc indecens & indecorum apparet; ergò multò minus perquirendum est à Sacerdote Sacramentum lapsum

psum in partes interioris tunicæ alicuius mulieris, cùm in hoc casu subsit periculum nedùm indecentiæ, sed etiam inhonestatis.

Colligitur primo. In casu prædicto, quando Sacramentum cadit intra pectus mulieris, ipsam & non Sacerdotem debere accipere hostiam vel fragmentum, & se suis manibus communicare, vel in Pyxidem immittere, & demum lauare digitos, & lotionem porrigere sacristæ prijcien.iam in sacrarium: quod si maior hac diligentia requiratur quam non deceat fieri in Ecclasia; statim mulier illa se recipiat vel in propriam domum vel in domum alicuius vicinæ, & inuentum fragmentum, si sit ieiuna recipiat, sin autem reuerenter seruet, vt à Sacerdote secreto ad Ecclesiam deporretur, Ita ferè Tambur, Opusc de sacrif.lib.2 cap.8 § 8.nu.3 Vbi addit, si solus Sacerdos vidit parui fragmenti casum, & probabiliter aduertit, fore notabilem mulieris turbationem, vel adstantium offensionem, si de tali casu fœmina moneatur; nihil dicat Sacerdos, totum Deo remittens, quod etiam admitti posse videtur saltem ad vitandum scandalum, & offensionem multorum.

Colligitur secundo. Si particula consecrata, vel eius fragmentum cadat super manum communicantis, vel super barbam, iniungendum illi esse, vt ipsemet in aliquo vase mundo, manus vel barbam diligenter lauet, prælertim si super manus mulieris ecciderit Sacramentum, & lotio in piscinam sacram proiiciatur: quia in hac Rubrica præcipitur, vt quoties Sacramentum labitur extra corporale, res super quam cadit diligenter lauetur; quamuis E g & demonstratiuè, non autem taxatiuè fiat ibi. mentio solum de mappa, vel linteo; sed excepto corporali, ob eamdem rationem lauari debet, quicquid sit illud, super quo ceciderit Sacramentum vel illud tetigerit, consequenter etiam vestes & manus quorumcunque, seruata tamen debita decentia vt supra. Ita alijs citatis Diana Par.10.tract 12.resol.10 & tract 13. resolut. 49. contra aliquos oppositum asserentes.

DVBIVM II.

A quo lauari debeant mappæ et lintea super quæ ceciderint species consecratæ.

Vppono ex dictis supra si ceciderit hostia, vel fragmentum super manus vel barbam communicantis, aut super vestes interiores, vel quid simile, ita adhærens eidem personæ vt non possit lauari à Sacerdote absque indecentia & offensione aliqua, seù turbatione illius, committi debere eidem personæ super quam cecidit, vt per se ipsum prædicta lauet, & lotio in sacram piscinam proiiciatur: quia tunc cessat præceptum Ecclesiæ prohibentis contactum necessarium illarum rerum, ne receptio Sacramenti odiosa reddatur. Dubium est igitur de mappis, & linteis Altaris, & de alijs rebus, in quibus non militat prædicta ratio indecentiæ, vel offensionis alterius personæ.

Respondeo, & dico primo quando est lauandum aliquid ex tactu sacræ hostiæ, id faciendum esse vel ab ipso Sacerdote, vel à ministro in sacris, à quo etiam lauari solent & debent corporalia, & purificatoria: quia militat eadem ratio ac de corporalibus, de quibus diximus p.2.tit 1.sec.3.dub.7.cum autem ibi dixerimus esse probabile, posse illud munus committi etiam Clericis minoribus & alijs, idem quoque dicimus in præsenti casu. Vide Tamburrinum Opusc.de sacrificio lib. 2.cap.8 §.8.n.2.

Dico secundo. Quando lauandum est aliquid supra quod effusus est sanguis, omnino à Sacerdote quoad fieri potest lauari debet: Ratio est, quia in hoc casu fere semper contingendus est sanguis in panno recenter imbibitus (quod non contingit in hostia, quæ non imbibitur) species autem consecratæ cōtingi non possunt, nisi à solo Sacerdote. Vide Tamburrinum loco citato.

DVBIVM III.

Quid agendum si circa Altare, in quo celebratum est inueniatur hostia, de qua dubitetur, an sit consecrata.

Respondeo ex Castaldo in sua praxi cœrem lib.2.sec.14.cap 7. nu.16. Vbi sic ait, si in Altari in quo celebratum est, peracta communione, vel in gradu, seù etiam in plano inueniatur aliqua hostia seù pars hostiæ, de qua sit dubium an post consecrationem ceciderit, tunc in loco decenti absque vlla solemnitate reponatur, & in sequēti Missa à celebrante post sanguinis sumptionem immediatè ante purificationem assumatur quod si amplius eo die non sit celebrandum pro sequenti die intra Tabernaculum in quo sanctissimum Sacramentum asseruatur, à Sacerdote absque stola & luminibus custodienda deferatur, & vbi Sanctissimum Sacramen-

tum

cum non asseruatur intra corporalia loco decenti vsque ad crastinum custodiatur, & proximo sequenti die à celebrante ieiuno post sanguinis sumptionem, ante purificationem vt supra assumatur. Hactenus Castaldus, quem sequitur Gauantus in hanc Rubricam.

Colligitur primo. Idem seruandum esse si casu accidat, vt pœnitens Confessario commissum sacrilegium detegens, Hostiam consecratam secretò restituat; nam tunc ipsam reuerenter acceptam secretò asportabit, assumendam modo quo supra; non enim alijs tradi debet, cum non deceat, neque certò constet de eius consecratione.

Colligitur secundo. Si fortè Hostia quam pœnitens restituit, fuerit madefacta, ac deturpata, quod aliquando accidit, & in posterum contingere poterit, (si animus ferat) gratum Deo sacrificium erit, si eodem modo, quo supra, sacerdos ipsam assumat, sin minus in Tabernaculo custodiat, donec species consumentur.

Colligitur tertio. Si intra Pyxidem (quod absit) aliquis vermiculos ex speciebus sacramentalibus genitus, fuerit repertus, vel sordes ibi contractæ, comburantur, & cineres intra piscinam sacrarij proijciantur; quæ omnia docet Castaldus supra citatus.

NVMERVS XVI. & VLT.

16 Possunt etiam defectus in ministrio ipso occurrere, si Sacerdos ignoret ritus & cæremonias ipsas in eo seruandas: de quibus omnibus in superioribus rubricis copiosè dictum est.

EXPLICATIO LITERALIS.

Potissima causa defectuum qui possunt occurrere, tum in celebratione Missarum, tum in alijs sacris ministerijs est ignorantia Sacerdorum: nemo enim potest rectè & competenter exequi munus, cuius modum & requisita ignorat: & sicut cœcus, vel ambulans in tenebris est expositus periculo sæpius cadendi, ita exercens quodcumque munus absque sufficienti lumine scientiæ, seù notitiæ proportionatæ de requisitis ad illud, est expositus periculo sepius errandi: quia cœco modo operatur, de quibus ait Christus in Euangelio cœci sunt & duces cœcorum, cœcus autem si cœco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt; merito ergo in his rubricis de defectibus, sic tandem concluditur, posse videlicet in hoc sacro ministerio defectus occurrere, Si Sacerdos ignoret ritus in eo seruandos: quia ignorantia est radix & mater omnium errorum, sicuti habetur in cap. ignorãtia 38 dist. Vt ergo Sacerdotes hoc baratrum fugiant, & mentis cęcitatem auertãt; occasione huius Rubricæ breuiter hic declarabimus, qualis scientia sit necessaria sacerdotibus, & quam sit detestalibis ipsorum ignorantia, nedum circa ea quæ pertinent ad sacrificium Missæ, sed etiam ad alia ministeria ad quæ tenentur.

DVBIA CONSCIENTIÆ.

De scientia requisita in Sacerdotibus, & de culpabili ipsorum ignorantia.

DVBIVM I.

An & quo Iure debeat Sacerdos esse literatus, & scientia præditus, & quam detestabilis sit ignorantia Sacerdotum.

Respondeo & dico primo, Tenetur omni Iure Sacerdos habere scientiam proportionatam suo muneri, tum iure humano, tum diuino, tum denique naturali.

Probatur primo. Ex Iure Canonico cap. præcipimus 34 dist. cap. illiteratos 36. dist. cap finali de tem. ordin. in 6. & alijs textib quibus illiterati excluduntur à sacris ordinibus de qua re etiam diximus tit. 1. huius tertiæ partis sec. 3. dub. 14.

Probatur secundo. Ex Iure diuino Oseæ 4. quia scientiam repulisti, ego te repellam ne Sacerdotio fungaris mihi, quod à fortiori intelligitur de sacerdotibus noui testamenti, qui nobiliori munere funguntur, vnde hic locus Oseæ in cap. omnes 38. dist. Pro sacerdotibus nouæ legis citatur.

Pro-

Probatur tertio ex iure naturali: quia ratio & ius naturale dictat neminem posse licitè assumere, vel exercere munus, præsertim graue absque sufficienti notitia de eo, alias esponitur manifesto periculo errandi sed Sacerdos exercere debet munus grauissimum; tum offerendi Deo sacrificium, tum alia: ergo iure naturali requiritur in Sacerdote sciētia proportionata suo muneri.

Dico secūdo ignorantia in Sacerdotibus valde est detestabilis. probatur tum ex dictis; tum quia sicut scientia est mater virtutum cap. præsentia 1 q. 5 Ita ignorantia est mater omnium errorum cap. Ignorantia 38 dist meritò ergo præcipitur scientia sacerdotibus ad vitādos errores in ministerijs diuinis, quæ tractant, & in erudiendis fidelibus, vnde in cap. citato sic habetur ignorantia mater cunctorum errorum, maximè in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium susceperint. Vide Belletum disq. cler. prima parte §. 4. & Sanchez Opusc. tom 2 lib. 7. cap. 1. dub 45.

DVBIVM II.

Quarum rerum scientia, & peculiaris notitia requiratur in Saterdote, & sub qua obligatione.

Respondeo, & dico primo certum esse ex dictis superiori dubio, sacerdotem teneri habere notitiam earum rerum; quæ spectant ad proprium munus & officium, seu ad ministeria quæ exercere debet. Hæc autem reuocantur ad tria potissimum capita Primum est celebratio sacrificij Missæ, ratione primæ potestatis quam accipit in ordinatione super corpus Christi verum, vnde tenetur scire ritus, & cæremonias, quę seruari debent in missa.

Secundum caput complectitur ea, quæ requiruntur necessario ad validam, & rectam administrationem aliorum Sacramentorum, præsertim baptismi. & penitentiæ.

Tertium denique versatur circa ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem quò ad fidem & bonos mores, quæ tenetur sacerdos in nonnullis casibus ex vi sui muneris docere populum.

Probatur primo ex concil. Trid. sess. 23. cap. 14. vbi apertè docet prædictarum rerū scientiam esse necessariam singulis sacerdotibus, & præcipit ne assumantur ad ordinem præsbyteratus, nisi qui diligenti examine idonei ad prædicta comprobati fuerint.

Confirmatur, quia DD. communiter in tractatu de Sacramento ordinis agentes de promouendis ad sacerdotium docent non posse promoueri nisi prædítos triplici scientia prædicta, vt patet ex dictis supra in hac 3. parit. 1. sec. 2. dub. 14. & planè supponūt decrērum illud Trid. grauiter obligare & esse in viridi obseruantia. Idemque docent in tract. de irregul. ex defectu scientiæ, vt videri poreft apud Bonacinam de censur. disp. 7. q. 2. punc. 1., quibus adde Belletum disquis. cler. p. 1. §. 4. num. 22.

Probatur secundo Ratione: quia promotus ad ordinem Præsbyteratus duplicem habet potestatem, vt notum est, alteram super corpus Christi verum, qua potest offere Sacrificium, & conficere Sacramentum Eucharistiæ; alteram super corpus Christi mysticum qua potest, & quandoque tenetur (vt inferius explicabimus) administrare fidelibus Sacramenta, & eos dirigere in viam salutis. Vnde Sacerdotium nedum ordinatur ad cultum Dei per oblationem sacrificij, sed etiā ad salutem spiritualem fidelium: ergo tenetur Sacerdos habere scientiam & notitiam nedum eorum, quæ pertinent ad Sacrificium Missæ, sed etiam eorum, quæ sunt necessaria ad rectam administrationem Sacramentorū, & ad fidelium instructionem: Nam alias, vt supra dicebamus, exponitur manifesto periculo grauiter errandi; nemo enim potest docere quæ ipse ignorat, aut exequi, quæ non apprehendit, vel eius modum nescit, Videri potest Sanchez lib. 7 Opusc. cap. 1. dub. 45 nu. 16. Vbi citat Bartolomæum, Ledesmam, & alios docentes teneri Sacerdotes etiam simplices habere scientiam prædictorum.

Dicetis ille tenetur administrare Sacramenta, & docere Populum necessaria ad salutem, cui incumbit cura animarum, videlicet Parochus, & Episcopus: sed simplici sacerdoti non incumbit cura animarum, & ideo non dicitur nec est vere curatus: ergo non tenetur ad ea ministeria, consequenter nec tenetur habere, aut comparare scientiam necessariam prædictis muneribus: alias non esset discrimen inter Parochos, & alios sacerdotes simplices.

Respondetur concessa maiori, distinguo minorem, simplici sacerdoti non incumbit cura animarum absolutè & simpliciter, sicut Parochis concedo; secundum quid & in aliquo casu raro nego: seu non tenetur primario & per se, vel directe concedo, non tenetur secundario, & in defectum Parochi, nego: vere enim absente Parocho, tenetur quandoque aliqua Sacramenta ministrare in casu extremæ vel grauis necessitatis, vt infra dicemus de baptismo, & pęnitentia, & tene-

tur

tur ex officio ordini sacerdotali adnexo, vt patet ex dictis; parique modo tenetur in simili casu necessitatis docere necessaria ad salutem. Hinc sequitur teneri simplicem sacerdotem se præbere idoneum ad prædicta ministeria per scientiam necessariam, quatenus potest illi casus occurrere, in quo vrgeat prædicta obligatio ad hoc vt possit illam implere absque graui errore, nam qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media necessaria: imo hoc medium scientiæ per se præcipitur in casu nostro, & censetur Ecclesia in collatione Præsbyteratus hoc onus sacerdoti imponere, vt manifestè colligitur ex Tridentino c.14.citato;

Dico secundo. Ignorantia prædictorum, seu carentia triplicis scientiæ explicatæ imputatur sacerdoti ad culpam grauem, quoties ratione illius exponitur morali periculo grauiter errandi: quia vel non administrabit Sacramentum grauiter indigenti, vel inualidè aut cum graui defectu administrabit. Probatur; quia non implens grauem obligationem, qua tenetur ex officio, vel exponens se periculo non implendi, grauiter peccat Ita in casu nostro: ergo etc.

Colligitur primo. Si simplex sacerdos aduertat posse moraliter seu probabiliter sibi occurrere casum, in quo necesse sit administrare aliquod Sacramentum, E.g. Baptismum, vel pœnitentiam grauiter indigenti, & negligat addiscere materiam & formam eorumdem Sacramẽtorum & ritus necessarios, eum grauiter peccare: quia exponitur periculo non implendi suam obligationem: quod si prudenter iudicet nihil tale sibi euenturum, aut inuincibiliter hoc non aduertat; excusabitur à peccato, quæ excusatio non videtur habere locum in ignorantia circa articulos fidei, quos tenetur sacerdos scire, etiam vt Christianus, & in ordine ad seipsum, & facilius accidere potest necessitas eos docendi, vt inferius suo loco dicemus.

Colligitur secundo. Grauiter peccare Episcopos promouentes ad ordines sacros, & ad sacerdotium carentes prædicta scientia tum quia id est contra decretum Tridentini supra Tum contra rectam rationem; quia promouent in habiles & indignos. Ita Sanchez, Bellettus, & alij supra citati, & DD communiter de sacramento ordinis.

DVBIVM III

De sciendis à Sacerdote in ordine ad sacrificium Missæ, & qualiter opposita ignorantia imputetur ei ad culpam.

Diximus supra de scientia sacerdotis in genere; modo ad singula diuisionis capita descendendo, explicare aggredimur, quænam in particulari circa illa teneatur scire sacerdos. Et primo. Quoad sacrificium Missæ:

Respondeo & dico primo. Quilibet Sacerdos tenetur sub peccato mortali scire ea, quæ spectant ad essentiam sacrificij, & sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, & quibus deficientibus non conficitur Sacramentum nec sacrificium; huiusmodi sunt primo materia nempè panis & vinum. Secundo forma, idest verba consecrationis, tertio intentio ministri, de quibus fusè diximus suo loco p. 2 & docet Sanchez Opusc. lib.7.cap.1.dub.45.

Probatur quia alias exponitur periculo irritandi Sacramentum & sacrificium, quod est graue sacrilegium.

Colligitur teneri etiam sacerdotem scire saltem confuso modo quid sit sacrificium, & in qua parte Missæ consistat ratio essentialis sacrificij nempe in consecratione, vel etiam in communione ipsius celebrantis, ne casu operetur, & ecco modo. Item cui offertur sacrificium, quid in eo offeratur, & quale mysterium contineat sacrificium Missæ Non enim potest offerri sacrificium, nisi soli Deo, cum sit actus latriæ, & quamuis in honorem & memoriam sanctorum sæpius celebrẽtur Missæ, non tamen sanctis offertur sacrificium, sed Deo in gratiarum actionem pro victorijs, & gestis sanctorum, vt definit Trid. sess.22 cap.3.

Id autem quod offertur est Christus sub speciebus panis & vini. Tandem mysterium quod repræsentatur est sacrificium crucis, & mors Christi Domini, de quibus late dicemus in Appendice.

Dico secundo. Tenetur etiam sub peccato mortali scire ea quæ ex præcepto requiruntur ad celebrationem, tum ex parte ministri quoad dispositionem animæ & corporis; tum ex parte loci & Altaris, tum quoad vestes & vasa sacra, quæ omnia destinctè habentur in Rubricis explicatis de defectibus occurrentibus in celebratione Missæ. Ratio quia tenetur sacerdos ea omnia seruare sub peccato mortali posita materia graui; non potest autem seruare ea, quæ ignorat.

Dico tertio. Eadem ratione tenetur sacerdos scire ritus omnes & cœremonias in actu celebrationis exercendas, tam eas quæ in verbis; quam quæ in actione consistunt, eo quia tenetur omnes seruare ex graui præcepto Pij V. in bulla apposita in principio Missalis, de quibus nos egimus in quæst. proemiali, vbi explicauimus quando in eorum omissione contingat peccatum mortale, & quando solum veniale.

DVBIVM IV.

De sciendis à simplici Sacerdote in ordine ad Sacramentorum administrationem, & de culpabili eiusdem ignorantia circa hoc munus.

Certum est, vt supra dicebamus ex Concil. Trid. sess. 23 cap. 14. quemlibet Sacerdotem, etiam simplicem debere esse idoneum ad ministranda Sacramenta, & consequenter teneri habere notitiam & scientiam eorum, quæ ad hoc munus sunt necessaria. Superest Difficultas, de quorum Sacramentorum administratione ibi sit sermo, vt sic appareat qualem scientiam in particulari teneatur habere, vel comparare sacerdos in ordine ad hoc munus. Et quidem ad simplicem sacerdotem pertinere, non potest Confirmationis administratio, vel Ordinis, ad quam requiritur potestas Episcopalis; Item assistere Matrimonio spectat omnino ad Parochum, & quoad Extremam vnctionem, cùm non sit Sacramentum necessitatis, nec etiam præcepti, non videtur moraliter possibilis casus, in quo teneatur sub peccato mortali simplex sacerdos hoc administrare, nec consequenter addiscere ea, quæ sunt necessaria ad eandem administrationem.

Deindè quoad Sacramentum Eucharistiæ, non potest esse dubium, quin teneatur quicumque sacerdos eius naturam perspectam habere, Videlicet materiam, & formam, & probè nosse ritus necessarios ad conficiendum, & ministrandum idem Sacramentum, quod habet necessariam connexionem cum sacrificio, de quo diximus dubio præcedenti. Itaque superest Difficultas de duplici Sacramento, Videlicet Baptismo, & Pœnitentia, qualiter teneatur simplex sacerdos se præbere Idoneum ad hæc administranda, & qualem scientiam de iisdem habere. Atque primo dicemus de Baptismo, deinde de Pœnitentia.

DE BAPTISMO.

Præmittimus vt certum apud omnes in casu extremæ necessitatis, id est quando baptizandus est in periculo mortis, seu improbabili periculo ne moriatur sine baptismo, nisi tunc baptizetur, posse quemcumque eum baptizare, qui formam norit, vt definitur in cap. firmiter de summa Trinitate, & in Concil. Flor. in Decreto de Armenis, Imò & teneri ex charitate eos qui possunt, seruato tamen debito ordine.

In Primis autem deficiente Parocho tenetur sacerdos, cui ex officio id competit ratione ordinis sacerdotalis, vt supra dicebamus, & in defectum sacerdotis Diaconus, & deindè Alii Clerici, tandem Laici id est viri, postremò fœminæ. Est autem hic ordo seruandus sub peccato mortali respectu sacerdotis, Ita vt peccet mortaliter qui præsente sacerdote quempiam baptizat, etiam in dicto periculo mortis, nisi sacerdos ob imperitiam &c. nollet ipse baptizare. Cæterum tenetur sub peccato mortali, vt dicebamus ipse sacerdos in primis baptizare, nec potest consentire; vt alius non sacerdos ipso præsente baptizet, quia hoc esset contra reuerentiam Sacramenti, quod ob sui sanctitatem postulat à solo sacerdote conferri, quando id fieri potest, & ita Ecclesia præcipit, vt fatentur communiter DD. in tract. de Baptismo.

Cum ergo teneatur sacerdos in his & similibus casibus administrare hoc Sacramentum videndum est qualem scientiam teneatur habere de pertinentibus ad baptismum. His positis

Respondeo & dico primo. Tenetur sacerdos scire ea quæ sunt necessaria primo respectu materiæ huius Sacramenti, secundo respectu formæ, tertio respectu subiecti, quarto respectu ipsius ministri, quinto Tandem vtrû sint aliqui ritus necessario adhibendi nè per ignorantiam erret vel circa alia quæ requiruntur ex præcepto. Ita Gaspar Hurtado de Sacram. ordinis disp 12. Ledesma, Sanchez, Quintanaduennas infra citandi in simili de Sacramento pœnitentiæ.

Probatur: qui tenetur ad finem tenetur etiam ad media necessaria; sed simplex sacerdos tenetur in casu necessitatis administrare Sacramentum; ergo tenetur etiam ad media necessaria, vt validè & ritè illud conferat: Rursus scientia prædicta est medium necessarium ad idem ministerium ritè exequendum: ergò &c. In gratiam autem sacer-

cerdotum breuiter adnotabimus, quæ circa singula proposita scire tenetur administraturus baptismum. Primo quoad materiam, scire tenetur sacerdos materiam remotam esse aquam naturalem, seu elementarem, non vero alium humorem, neque aquam rosaceam &c.

Item materiam proximam esse ablutionē per aquam prædictam elementarem in quantitate sufficienti, quæ possit fluere per partes corporis baptizandi.

Secundo. Quoad formam, eam consistere in his verbis, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti amen, quæ omnia spectant ad essentiam, præter particulam ego, & amen; quæ tamen sunt de præcepto, vnde non esset validus baptismus collatus in nomine sanctissimæ Trinitatis, non expressis singillatim singulis personis.

Item proferendam esse formam in ipso actu ablutionis, seù moraliter simul: quia alias non actuaret materiam, neque ipsa forma verificaretur.

Tertio quoad subiectum, seu personam quæ baptizatur, sciendum est in qua parte corporis sit facienda ablutio, nempe in parte principali, vt possit dici simpliciter homo ablutus, communiter autem fieri debet in capite ex vsu Ecclesiæ, vnde si fieret indigito, vel pede, baptismus esset dubius, & iterandus.

Quarto. Quo ad ipsum ministrum, necessariam esse intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Item eum debere esse in statu gratiæ, etiam quando sine solemnitate in casu necessitatis baptizat; quia sacerdos ex vi ordinis sacerdotalis, vt supra dicebamus, & consequenter ex officio Sacramentum ministrat, vnde si sit in peccato mortali tenebitur prius elicere actum contritionis, quamnis aliqui negent apud Dianam 3.par.tract.4.resol.10.

Taudem in priuato baptismo in casu necessitatis (de quo loquimur) non sunt necessariæ aliæ ceremoniæ. Dubium solum est, vtrum sit adhibendus patrinus: nā aliqui DD. affirmant. Cæterum probabilius est in eo casu non requiri patrinum ex præcepto. Videri potest Diana loco citato resol 18. quæ omnia facile addisci possunt ex Rituali Romano, et videntur sufficicere ad instructionem simplicis sacerdotis pro casu necessitatis, nam pro Parochis et eorum coadiutoribus maior scientia requiritur, et magis exacta, de quibus modo non loquimur in particulari, sed de sacerdotibus in communi.

Dico secundo. Ignorantia prædictorum, tunc imputatur simplici sacerdoti ad culpam quando aduertens posse moraliter sibi occurrere casum in quo teneatur administrare baptismum, negligit addiscere ea quæ sunt necessaria ad hoc munus, & se idoneum reddere. Probatur: quia omittendo eam diligentiam debitam exponit se periculo vel non implendi suam obligationem, vel grauiter errandi in ea implenda; consequenter grauiter peccat. Quod si prudenter quis iudicet talem casum sibi non eventurum; quia moratur in solitudine, vel ob similem rationem, aut si inuincibiliter non aduertat, excusatur, vt patet ex dictis dub.2.fine.

De Sacramento penitentiæ.

Circa Sacramentum pœnitentiæ prima difficultas occurrit, an simplex sacerdos teneatur sub peccato mortali scire ea, quæ sunt necessaria ad validam administrationem huius Sacramenti.

Prima sententia negat; Ita Gaspar Hurtado de Sacramento Ordinis disp.12. Vbi asserit Decretum Trid. sess. 23. cap. 14. Vt illi, qui assumuntur ad ordinem Præsbyteratus comprobentur Idonei administranda Sacramenta, subintelligendum esse inquit Baptismum, Eucharistiam, & Extremam vnctionem, non pœnitentiam: quia ad hanc administrandam noua approbatio requiritur ab ipso Trid.cap.15 Ex eo verò quod in articulo mortis possunt pœnitentiam absque noua approbatione administrare, quando non est alius approbatus nō videtur necessarium, vt antè ordinationem sciant necessaria ad id, imò nec post ordinationem: quia est casus ratissimus.

Opposita sententia communis & vera, affirmat simplicem sacerdotem teneri scire saltem formam & materiam huius Sacramenti. Ita DD. qui dicunt Trid. intelligendum esse de quolibet Sacramento, idest cuius administratio spectat ad sacerdotem, nam Confirmationis, & Ordinis solus Episcopus est minister; Ita Sanchez Opusc.lib 7. cap. 1 dub.45. n.16. citans Bartholomæum, Ledesmam, & Alios. Et Quintanaduennas in singularibus Theologiæ moralis tract.6. singulari 14 n.8 loquens in particulari de Sacramento Pœnitentiæ.

Probatur primo. Quia Concil.Trid. indefinitè & vniuersaliter loquitur de quolibet Sacramento: ergò vniuersaliter intelligendum de quolibet Sacramento, saltem necessatio ad salutem.

Probatur secundo. Non est maior ratio de Baptismo, ac de pœnitentia, quia neutrum Sacramentum tenetur administrare sa-

cerdos communiter, vtrumque autem in casu necessitatis ex officio, vel saltem ex charitate. Casus autem necessitatis æquè ratus est in vtroque Sacramento. Imò frequentiùs poterit obligari sacerdos ad ministrandum Sacramentum pœnitentiæ moribundo, quam Baptismum: quia hoc potest conferri validè à quocumque etiam laico; Absolutio verò, non nisi à sacerdote.

Secunda Difficultas est, Quid in particulari teneatur scire simplex sacerdos circa Sacramentum pœnitentiæ.

Præmittendum est. Cum in articulo, vel periculo mortis facilè possit contingere, vt fidelis in eo discrimine constitutus sit in extrema vel graui necessitate recipiendi hoc Sacramentum pœnitentiæ ad præcauendum damnationis periculum, nè ob defectum Confessarij quis vnquam decedat fine beneficio absolutionis, Prouisum esse à Pia Matre Ecclesia vt quilibet sacerdos etiam simplex, & aliàs non approbatus, & quauis censura ligatus possit tunc absoluere quoscumque pœnitentes ab omnibus peccatis & censuris, vt constat ex Trid. sess. 14. cap. 7. Hinc sequitur. Posito quòd simplex sacerdos habeat facultatem absoluendi moribundum, seù constitutum in periculo mortis, eum etiam teneri in defectum Parochi, seù deficiente alio sacerdote approbato, teneri, inquam sub peccato mortali hoc Sacramentum pœnitentiæ administrare: quia ex intentione Ecclesiæ hoc onus illi incumbit ex vi ordinis sacerdotalis, & obligatur etiam lege charitatis: vnde etiam tenetur scire qualiter se gerere debeat in tali euentu. His positis.

Respondeo & dico primo. Quilibet sacerdos etiam simplex communiter loquendo tenetur scire materiam & formam Sacramenti pœnitentiæ, vt supra etiam innuimus.

Probatur: quia tum ex Trid. sæpius citato sess. 23. cap. 14. tum ex intentione Ecclesiæ explicata tenetur esse idoneus ad hoc Sacramentum administrandum; nemo autem potest esse ad id idoneus absque notitia materiæ & formæ, ex quibus idem Sacramentum essentialiter constat ita Ledesma, Sanchez, Quintana supra citati, quibus autem verbis constet forma absolutionis Sacramentalis, & in quibus actibus pœnitentis consistat materia huius Sacramenti facile videri potest in Rituali Romano vel simili, ad vitandam enim prolixitatem hic ea non transcribimus

Dico secundo. Tenetur etiam scire simplex sacerdos ea quæ in particulari pertinent ad confessionem moribundi, videlicet satis esse confessionem peccatorum in genere, etiã si signis vel nutibus fiat per se, vel per alium, quæ explicantur in Rituali Romano, & de quibus nos diximus supra hoc tit. 10. sub nu. 3. Agentes de absolutione moribundi. Probatur: quia cum teneatur præcipue in eo casu hoc Sacramentum administrare, tenetur etiam scire ea quæ necessaria sunt pro tali euentu.

Tertia difficultas, qualiter excusari possit à peccato sacerdos ignorans prædicta.

Respondeo excusari posse ex duplici capite. Primo si quis prudenter iudicet sibi non eventurum casum, in quo necesse sit hoc sacramentum administrare, quia viuit segregatus à consortio hominum, vel ob aliam causam; aut non euenturum priusquam didicerit necessaria ad eandem administrationem; quia cessante fine legis, cessat eiusdem obligatio; finis autem legis in casu nostro est, vt quilibet sacerdos possit succurrere grauiter indigenti, & constituto in articulo mortis. Secundo excusatur qui inuincibiliter non aduertit hanc obligationem, vt patet ex dictis in simili de baptismo, semper enim inaduertentia inuincibilis excusat à quacumque obligatione.

DVBIVM V.

De sciendis à Sacerdote in ordine ad docendum Populum, & quale peccatum, sit opposita Ignorantia.

I. DIFFICVLTAS.

An, & qua ratione Sacerdotes etiam simplices teneantur esse idonei docere Populum necessaria ad salutem.

Respondeo certum esse teneri ex Trid sæpius citato sess 23. cap. 14. Qua autem ratione teneantur explicauimus supra dub. 2. Quia videlicet sacerdotium iure diuino ordinatur nedum ad cultum ipsius Dei per sacrificium, sed etiam ad salutem animarum, & ad dirigendum Populum in viam salutis doctrina & exemplo, atque (vt vtar verbis Trid. loco citato) vt præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita à sacerdotibus expectari possit.

Probatur insuper ex Sacra scriptura Malachiæ 2. labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius; quia Angelus Domini est, ergò si iure diuino tenebantur sacerdotes veteris legis scire legem Dei, vt possent docere Populum, à fortiori ad id tenentur sacerdotes Euangelici, qui sicut

sunt

sunt altioris gradus & dignitatis, ita perfectiores esse debent; vnde Chrysos hom. 11. in Marcum sacerdotalis inquit officij est posse docere Populos.

Confirmatur primo. Ex illis verbis, & legem requirent ab eo, quibus significatur laicos habere ius petendi à sacerdotibus, vt eis explicent legem Dei, et doctrinam Christianam eos doceant; ergo sacerdotes ex vi præcisa ordinis, & gradus sacerdotalis contrahũt obligationem, vt sint idonei ad eam doctrinam tradendam, et explicandam laicis, sicuti apertè docent D. Hyeronimus in prædictum locum Michcæ, et iterum Aggei 2. et D. Chrys. loco cit.

Confirmatur secundo. Quia idcirco Sacerdos dicitur Angelus Domini; quia sicut munus Angelorum est alios illuminare, & communicare scientiam inferioribus, & custodire homines, eosque dirigere inuisibiliter, & internè in viam salutis. Ita munus sacerdotum qui sunt Angeli visibiles, est visibiliter, & sensibiliter alios inferioris gradus, nempè laicos illuminare, & docere ea. quæ ad salutem sunt necessaria ex eodem D Hyeronimo supra.

Nec obstat, hoc munus esse proprium Episcoporum, & Parochorum: quia ad hos pertinet hoc munus proximius, & omninò completè, absolute, & simpliciter, & ideò multo maior scientia magis exacta & perfectior in eis requiritur, Nihilominus etiam pertinet ad simplices sacerdotes radicaliter & remotiùs, vt possint Episcopi illis vti tanquam suis ministris, saltem quando necessitas exigit; ergò tenentur etiam ipsi esse & idonei & parati, vt saltem in casibus necessitatis possint exequi hoc munus docendi Populum doctrinam Christianam, & aliqua Sacramenta ministrare. Ità præter DD. supra citaros, rectè id explicat, & docet Molina in Instructione sacerdotum tract. 1. cap 7 §. 1.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

Qualem Scientiam teneantur habere Sacerdotes, vt sint idonei ad docendum Populum necessaria ad salutem.

Respondeo cùm ad salutem duo sint necessaria, videlicet Fides, & bona opera, vt constat inter Cattholicos (nè in re clara hic immoremur) & ideo quilibet ex populo teneatur scire, & explicitè credere nonnullos articulos fidei, & præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, & modum orandi, & recipiendi Sacramenta; consequens est vt quilibet Sacerdos etiam simplex teneatur eadem scire perfectiori modo, vt possit ea explicare, & docere Populum. Ratio est manifesta; quia nemo potest dare & communicare alijs, quæ ipse non haber, & nemo potest alios docere, quæ ipse ignorat Ita DD citati in dubijs præcedentibus.

Ex quibus Colligitur grauiter peccare sacerdores prædicta ignorantes; quia non implent grauem obligationem qua Iure diuino obstringuntur.

TERTIA DIFFICVLTAS.

De sciendis à Sacerdote circa articulos fidei.

Præmittendũ; articulos fidei prò vt modo à nobis considerãtur esse in duplici differentia, quidam enim sunt scitu necessarij necessitate medij, quorum fides explicita, est adultis absolute necessaria ad salutem, & sine quorum assensu salus est impossibilis; alij sunt scitu necessarij solùm necessitate præcepti; quæ obligatio excusationem admittit: sicut etiam contingit in alijs præceptis. Hoc Posito.

Respondeo & dico primo. Circa Articulos primi generis Quilibet sacerdos tenetur scire, & perfectiori modo scite, quàm teneantur laici tres fidei articulos, videlicet primo Deum esse & remuneratorem atque auctorem donorum supernaturalium. Secundo mysterium Sanctissimæ Trinitatis. Tertio Mysterium Incarnationis, & Redemptionis. Quod teneantur scire. Probatur; quia singuli fideles adulti tenentur explicitè credere, & consequenter scite, & intelligere prædictos articulos (quia cum sine fide impossibile sit placere Deo, & salutem consequi, Ad Hæbreos 11. illorum saltem articulorum notitia, & fides explicita, dicenda est absolutè necessaria, qui sunt primæ Bases, & Fundamenta præcipua totius nostræ salutis: Huiusmodi autem sunt tres articuli prædicti) ergo tenentur etiam Sacerdotes eosdem scire & explicitè credere sicut & cæteri fideles, vt cum D. Thoma 2.2. q 2. art 7 & 8. docent communiter DD. vt videri potest apud Sanchez sum. lib. 2. cap. 2. apud Coninch de actibus supernaturalibus disp. 14. dub 9. et 10. Bonacina tom. 2. disp. 3. q 2. punc 2.

Quòd autem teneantur sacerdotes de ijsdem articulis perfectiorem habere notitiam et scientiam, quàm teneantur laici, Probatur; quia ex supra dictis tenentur docere populum et respondere ad dubia, quæ circa illos

los articulos proponuntur à rudioribus, seu rationem de illis reddere si ab ipsis requirantur; patet autem ad hoc munus docendi et resoluendi dubia saltem communia requiri maiorem et perfectiorem de illis scientiam, vt docet D.Th. 2.2. q.1. art.5. Sanchez supra cap.3. num. 2. Coninch loco citato, et communiter, et quamuis Aliqui DD. probabiliter defendant fidem et notitiam explicitam Trinitatis et Incarnationis non esse de necessitate medij ad salutem, ne valdè rudes et incapaces videantur exclusi à Regno Dei absque culpa, quod videtur absurdum, vt videre est apud Coninch supra, et apud Dianam p. 3. tract. 5. resol. 46. et p. 5. tract. 13. resol 84. Nemo tamen Catholicorum negat eorumdem articulorum notitiam, et fidem explicitam esse in primis necessariam necessitate præcepti, et magis quàm aliorum articulorum, de quibus infra, vt docet cum Alijs Sanchez Sum. lib. 2. cap.3. num.3, dicens oppositam sententiam esse erroneam; consequenter obligantur omninò sacerdotes in primis, et super omnes ità scire hos articulos, vt possint eos docere cœteros fideles ignorantes et rudes.

Colligitur primo. Quamuis rudi vulgò satis sit intelligere et scire substantiam prædictorum articulorum confuso modo, et sic explicitè credere, E. G. Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum esse vnum Deum, non plures Deos, etiam si non capiat vnam essentiam in tribus personis. Item Christum esse filium Dei; verum Deum, et verum hominem, nec esse duos Christos, etiam si non capiat vnicam personam et duplicem naturam. Nihilominùs ea confusa notitia mysteriorum fidei non sufficit sacerdoti; sed perfectiori, et magis distincta scientia est illi necessaria, videlicet, vt sciat in Deo reuera esse vnitatem naturæ cum distinctione personarum, et in Christo esse vnicam personam et duplicem naturam, quod pertinet ad explicationem eorumdem mysteriorum, et sic de Alijs: Quia sacerdos tenetur ea explicare Populo, nec explicare potest et alios docere, nisi qui distinctè eadem intelligit. Ita D. Th. 2.2. q. 2 art. 5 Sanchez supra lib. 2. cap.3 n.2. et 17. Coninch loco supra citato, et communiter.

Colligitur secundo; Sacerdotem prædicta ignorantem modo explicato grauiter peccare contra propriam obligationem, qua iuxtà decretum Trid. sess. 23. cap. 14. sæpiùs citatum tenetur esse idoneus docere Populum necessaria ad salutem; quare et etiam si nullum fuerit periculum alterius peccati ex ea ignorantia secuturi; tenebitur in confessione explicare hoc speciale peccatum ignorantiæ, seu negligentiæ addiscendi perfectiori modo fidei mysteria contra speciale præceptum, quo adstringitur vt cum alijs in simili tradit Diana p. 3. tract. 4 resol. 141. & 165.

Dico secundo circa articulos secundi generis, qui sunt scitu necessarij necessitate præcepti; Quilibet Sacerdos tenetur scire saltē omnia fidei misteria, quæ sub duodecim articulis continentur in symbolo Apostolorum, Imo tenetur ea scire meliori modo, distinctius & explicatiùs, quam reliqui fideles & laici: quod teneantur scire, probatur: quia omnes fideles tenentur ex iure diuino explicitè credere & subindè scire prædictos articulos: quia in hunc finem compositum fuit Symbolum ab Apostolis; vt omnes haberent breuem summam explicitè credendorum, & ob eandem rationem proponitur ab Ecclesia ab omnibus addiscendum Ita DD. communiter apud Coninc dub: 10. num. 188. & apud Sanchez sum. lib. 2. cap. 3. n.4. Quamuis Alij dicant esse potiùs obligationem sciēdi 14. articulos fidei in puerorum Chatechismo contentos, inter quos DD. est idem Sanchez n.6. sed in re ipsa parum differunt: ergo à fortiori sacerdotes tenentur eadem mysteria scire & intelligere. Quod autem teneantur ea scire distinctius & explicatius, patet ex dictis in simili in prima conclusione ex doctrina D. Thomæ, cum Alijs DD. ibi citatis.

Colligitur; quamuis Aliqui DD. probabiliter excusent à peccato fideles laicos ignorantes articulum communionis Sanctorum; quia est difficilis cognitu, & ideo dicunt eum non cadere sub præcepto credendorum explicitè, sed satis esse illud implicitè credere, vt cum Vasq. & Alij docet Sanchez *supra n.7.* Nihilominus dicendum est non excusari sacerdotes; quibus competit munus doctoris, saltem indefectum & supplementum Parochorum: consequenter ex vi sui muneris tenentur plura scire, & meliori modo, quàm laici, ex eadem doctrina D. Thomæ supra allegata.

IV. DIFFICVLTAS.

De sciendis à Sacerdote circa præcepta, & Alia ad salutem necessaria

Respondeo & dico primo. Tenetur quilibet sacerdos sub peccato mortali scire præcepta decalogi, & Ecclesiæ, & etiam perfectiori modo seu magis distinctè, quam teneantur cœteri fideles. Probatur prima

Pars

pars: quia omnes fideles scire tenentur eadem præcepta, eo quia tenentur ea exequi quod fieri non potest absque notia & scientiam eorumdem, vt probant communiter DD. in decalogum, & videri potest apud Bonacinam, Sanchez supra citatos: ergo à fortiori tenentur sacerdotes.

Probatur secunda pars: quia sacerdotes tenentur eadem docere Populum & idiotas, ad quod munus requiritur scientia magis distincta & perfecta, vt constat ex dictis in similī in præcedentibus difficultatibus. Magis autem distincta scientia consistit in eo, vt norint sacerdotes quæ peccata communiter singulis præceptis opponantur, E.g. primo præcepto opponi Idolatriam, blasphemiam, superstitionem, & sic de alijs, vt possit ea explicare rudibus, vt ab illis abstineant.

Dico secundo. Circa Sacramenta tenentur etiam sacerdotes esse instructi de substantia illorum, de gradu necessitatis singulorũ, & de necessaria dispositione ad ea dignè suscipienda, siue ex præcepto siue ex deuotione recipienda sint: quia hæc omnia tenentur scire fideles ex præcepto, & ex DD supra citatis: consequenter debent sacerdotes esse idonei ad hæc docenda.

Dico tertio. Tenetur etiam quilibet sacerdos scire & intelligere orationem dominicam, & verum sensum petitionum quæ in ea continentur. Item necessitatem Orationis ad impetrandum diuinum auxiliũ, & tandem opera misericordiæ & in quibus casibus sit obligatio ea exequendi, & si quæ horum sunt similia, ob rationem sæpius explicatam: quia hæc omnia scire omnibus necessarium est ad salutem, & ad doctrinam Christianam pertinent, ex DD cit. tenentur autem sacerdotes docere, vel saltem esse idonei ad eam docendam, & facile possint addiscere ex chatechismo, vel ex libellis doctrinæ Christianæ, qui circumferuntur, vt facile tradi possit pueris & rudibus.

Colligitur posse ab Episcopis & prælatis compelli nedum Parochos, & eorum vicarios ad docendam Christianam doctrinam populum fidelem, vt cum alijs tradit Sanchez lib. 2 sum. cap. 3. n. 15. Sed etiam in defectum illorum, & in casibus necessitatis simplices sacerdotes: quia in hunc finem tenentur iidem sacerdotes omnes esse idonei ad docendam ea quæ necessaria sunt ad salutem, vt hactenus probanimus. Atque hic esto finis nostrorum commentariorum in Rubricas Missalis, quæ omnia & singula in eis contenta humiliter subijcio iudicio & censuræ Sactæ Matris Ecclesiæ, & deuotè offero ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, sanctissimæ Virginis Deiparæ, & B Caetani nostræ religionis Fundatoris, & cultus diuini propagatoris eximij.

Finis Tertiæ, & Vltimæ partis.



APPEN-



APPENDIX QVAESTIONVM DE SACRIFICIO MISSAE.

Plura ſparſim, in noſtris Commentarijs ſuper Rubricas Miſſalis explicare oportuit ex his, quæ pertinent ad tractatum de Sacrificio Miſſæ pro vt occaſio ſe obtulit, & pro exigentia materiæ in rubricis contentæ: plura etiam deſiderantur ad plenam notitiam eiuſdem Sacrificij ſcitu digna, & neceſſaria à Sacerdotibus: in quorum gratiam, eiſdem Commentarijs hanc adnectimus appendicem complectentem quæſtiones prædictas, quibus complementum damus tractationi de eodem diuino Sacrificio.

QVÆSTIO I.

De eſſentia Sacrificij Miſſæ.

PVNCTVM I.

Quid ſit Miſſa.



RAEMITTENDVM eſt Sacrificium in communi ſic definiri ab omnibus ferè Doctoribus: eſt oblatio Deo facta per immutationem alicuius rei ſenſibilis in ſignũ, & proteſtationem ſupremi dominij ipſius Dei publica auctoritate inſtituta, Suarez tom.3.in 3.partem diſp.73 ſect.6. Layman de ſacrific. miſſæ, cap.1. Coninch. in 3 p.quæſt.83.art.1,dub.1. Dicitur primo oblatio loco generis in quo ſacrificium conuenit cum alijs donis, & oblationibus, quæ Deo fiunt Ex.gr. vel filiorum, ſicut Anna obtulit ſuum filium Samuel, vel pecuniarum in ædificationem, & ornatum templi &c. quæ tamẽ non ſũt propriæ ſacrificiũ. Dicitur ſecundo per immutationem &c. qua ratione differt primo ſacrificium ab alijs oblationibus; non enim ad rationem ſacrificij ſufficit ſimplex alicuius rei oblatio: ſed requiritur peculiaris, & ſolemnis ritus quo res oblata immutetur. Communiter in ſacrificiis veteris legis mactabantur victimæ Arietes, oues, & boues &c. in ſignum quod Deus eſt auctor vitæ & mortis. Vnde additur in definitione in ſignum ſupre-

premi

ptemi dominij &c.quippe sacrificium in hunc finem institutum est vt externo aliquo signo protestemur Deum esse supremum rerum omnium Dominum, & præsertim nos esse paratos sanguinem, & vitam in eius obsequium, profundere: qua protestatione maximè distinguitur sacrificium ab alijs actibus virtutis Religionis. Dicitur publica auctoritate; quia sicut tributum quod Respublica supremo suo Principi offert in signum supremi eiusdem dominij, & propriæ subiectionis, non potest priuata alicuius auctoritate institui, vel imponi, sed auctoritate publica ipsius Reip. vel Principis; sic pariter in casu nostro, cum sacrificium sit quoddam tributum, quod Deo communi nomine offertur in signum supremi eius dem dominij, debet esse institutum, vel ab ipso Deo, vel pub'ica auctoritate Reip. Doct. supracitati.

Ex quibus colligitur soli Deo posse verum sacrificium offerri, vt definit Trid. sess.22. c.3. quia soli Deo competit supremum rerum omnium dominium, consequenter qui sacrificiũ alteri offerret, aliud numen agnosceret & à vero Deo desciscerer.

Secundo præmittendum hoc nomen missæ deriuari vel à verbo latino, mitto, quia mittitur oblatio ad Deum; vnde in fine dicitur, Ite Missa est, hoc est, ire iam enim oblatio missa est ad Deum. Ita D Bonau. in opusc. tom.2. tit. de expositione missæ cum alijs: consonant verba illa Canonis iube hæc præferri per manus S. Angeli tui in conspectu diuinæ Maiestatis, &c.

Vel quod probabilius videtur missa dicitur à nomine Hebreo misha, quod latinè est oblatio, de qua interpretatione videri potest Baron. ann. 37. num. 59. Molina in instructione Sacerdotum tract. 3. cap. 2. His positis potest definiri missa hoc modo.

Missa est sacrificium Corporis, & Sanguinis Christi Domini sub speciebus panis, & vini in memoriam suæ passionis ab eodem Christo institutum. Colligitur manifestè ex Trid sess. 22. c. 1. & 2. & tradunt Doctores supracitati, Suarez, Coninch. & Molfesius summa par. 3. c. 9 num. 7. Dicitur primo sacrificium loco generis in quo conuenit missa, cum sacrificijs veteris legis. Dicitur Corporis &c in quo differt missa à sacrificijs veteris legis, & longe illis supereminet primo ratione rei oblatæ, quæ est ipse Christus, victimæ autem in sacrificijs antiquis erant animalia, & aliæ res huiusmodi.

Secundo quoad significationem, quia sacrificia antiqua significabant passionem Christi futuram, in missa autem repræsentatur passio Christi iam exhibita, & consummata.

Tertio differt in ritu, & modo colendi Deum longe puriori: & sanctiori; Tandem differt ratione principalis offerentis; qui est ipse Christus ex Trident loco suprac. Ex quibus patet Christum Dominum ne dum esse victimam, & rem oblatam in hoc sacrificio, sed etiam sacerdotem, & offerentem principalem iuxta illud Apostoli, sempiternum habet sacerdotium: quia continue per sacerdotes sacrificium offert. Non ea solum ratione, quia ipse instituit, & offerri præcepit, & omnem vim suam ex ipsius meritis habet, vt voluerunt Scotus, & Gabriel, sed quia sacerdotes offerunt hoc sacrificium non vt nudi ipsius Christi ministri, vt in alijs Sacramentis, sed eius personam immediatè sustinent, & repræsentant. Vnde consecrans non vtitur suis sermonibus sed verbis Christi, dicens, Hoc est Corpus meum. Cum tamen baptizans dicat Ego te baptizo. Vel etiam quia à principio cum hoc sacrificium instituit, omnia, & singula sacrificia offerenda præuidens, actu elicito Patri obtulit, & dum actu fiunt singula semper offert. De qua re videri poterit Coninch. in 3. p. q. 83. art. 1. dub 4. num 106.

PVNCTVM II.

De partibus Missæ, Deque earum significatione.

Diuiditur missa communiter in duas partes, nempe in missam Cathecumenorũ, & missam fidelium Doct. apud Suar. disp 83. sect. 1. Nonnulli etiam diuidunt in quatuor, & plures partes, vt patet ex Gulielmo Durando in Rationali diuinorum officiorum lib. 4 c. 1. Tripartita tamen missæ diuisio videtur alijs aptior nempe in missam Catecumenorum, missam fidelium, & missæ complementum, quam inter alios Auctores prosequitur Alphonsus Rodriq in exerc. perfect. religiosæ p. 3 tract. 8. c 15.

Missa Catecumenorum consistit in ijs, quæ dicuntur à principio vsque ad offertorium exclusiuè, quibus præparatur tum Sacerdos, tũ populus ad sacrificium digne offerendum confessione peccatorum petitione misericordiæ &c.

Mysticè verò generali confessione & initio missæ designatur status hominum ante Christi aduentum innumeris peccatis coinquinatus, & miserijs implicatus. Introitu exprimuntur suspiria Sanctor. Patr. expectantium aduentum missæ, & diuinam miserationem, vnde pluries repetitur Kyrieeleison &c. idest, Domine miserere. Gloria in excelsis repræsentatur incarnatio, & Natiuitas Christi Re-

demptoris. Orationibus autem immediatè sequentibus obsequium Pastorum,& adoratio Magorũ.Epistola significat prædicationẽ Ioannis Baptistæ, quæ præcessit Euangelium,item significat doctrinam veteris testamenti. Sequitur Graduale, quod denotat pœnitentiam populi ad prædicationem Baptistæ: & subsequens Allel. designat hilaritatem animæ, quæ sequitur ex pœnitentia, & remissione peccatorum. Euangelium manifestat prædicationem Christi, & symbolum immediatè sequens indicat fructum prædicationis eiusdem. Hæc omnia continet 1. pars missæ, quæ dicitur missa Cathecumenorum, quia permissum erat Cathecumenis, & etiam infidelibus huic parti adesse,vt verbum Dei audirent,& in fide instruerentur, qua completa excludebantur. Vide Laym.de sacrif.c.3.n.10.

Secunda pars missæ incipit ab Offertorio & complectitur Canonem vsque ad orationem Dominicam exclusiuè, & dicitur missa fideliũ, vel etiam missa sacrificij, quia in hac parte fit consecratio, in qua consistit essentia sacrificij, vt suo loco dicemus.

Primo ergo Sacerdos facta oblatione orat secretè, quia Christus passioni vicinus iam nõ palam ambulabat, sed quasi in occulto. Post orationes secretas cantatur Præfatio, propter solemnem Redemptoris ingressum in Hierusalem cum acclamationibus puerorum. Sequitur Canon innumeris plenus mysterijs, in quo sæpius repetitis signis sanctissimæ Crucis denotantur varia tormenta Redemptoris in sua passione. Eleuatio tum hostiæ, tum calicis post consecrationem signat eleuationẽ Crucis, & Christi in ea affixi post crucifixionẽ, vt ab omnibus conspiceretur: qui etiam in Cruce Patrem secreto orauit,& seipsum obtulit pro peccatis, & ideo sacerdos orat submissa voce, & nouam facit oblationem illis verbis, Offerimus præclaræ maiestatis tuæ, hostiam, putam &c. Tandem mors Christi Domini & separatio sanctissimæ eius animæ à corpore figuratur cæremonijs, quæ fiunt in fine huius partis in illis verbis, Per ipsum, & cum ipso,& in ipso;nam triplici signo crucis intra calicem denotantur tres horæ,quibus Redemptor pependit viuus in cruce. Duabus sequentibus extra calicem signatur diuisio animæ Christi à corpore. Mox eleuatur calix cum hostia, & statim deponitur in illis verbis omnis honor, & gloria, ad denotandam depositionem Christi de cruce eiusque sepulturam. Proinde superponitur calici palla non solum ad cautelam, vt in præced. sed ad denotandum lapidem superpositum monumento.

Tertia,& vltima pars missæ continet orationem Dominicam, & reliqua vsque ad finẽ Dicitur ergo, alta voce, Per omnia sæcula sæculorum: quia post mortem Christi clamauit Centurio cum alijs & recitatur oratio dominica constans septem petitionibus, in memoriam septem verborum, quæ dixerat Christus in cruce. Additur sub silentio, libera nos quæsumus, &c. vt aduertamus liberatos Sanctos. Patres à limbo, quo secreto descenderat anima Christi. Sequitur mysterium Resurrectionis quod exprimitur, quando fracta hostia fit commixtio particulæ eiusdem hostię cum sanguine: quia facta separatione tum sanguinis, tum animæ Christi à corpore; iterum anima redijt in sepulchrum, & vnita cum corpore, & sanguine, Christus rediuiuus gloriosissimè resurrexit. Triplex autem signum crucis, virtutem totius Trinitatis demonstrat in Christi miraculosa Resurrectione. Deinde dicitur Pax vobis sit semper vobiscum, quia Christus postquam resurrexit pacem annunciauit Discipulis. Additur Agnus Dei ob nostra peccata Christi sanguine deleta, & resurrectione extincta. Deinde fit communio cleri, & populi, quia Christus post resurrectionem comedẽs coram Apostolis,sumens reliquias dedit eis. Dicitur deinde versus communio, qui est versus lætitiæ: quia gauisi sunt Discipuli, viso Domino. Post orationes, & gratiarum actiones, sequitur benedictio propter mysterium Ascensionis, quando eleuatis manibus Christus benedixit Apostolis, & ferebatur in cœlum. Tandem Euangelium S. Ioannis in fine denotat prædicationem Apostolorum super diuinitate, & Incarnatione Christi, & totius mundi conuersionem, de quibus mysterijs videri potest, Rodriq. loco supracit. & de singulis singillatim nos diximus in commen. circa singulas missæ partes adductis grauibus & primarijs auctoribus.

PVNCTVM III.

In qua parte, seu actione Missæ consistat ratio, & essentia sacrificij.

Dubitatur de sex præcipuè actionibus vtrum spectent ad essentiam sacrificij nec ne: Prima est oblatio panis, & vini, quæ fit immediatè post Offertorium. Secunda est cõsecratio vtriusque speciei. Tertia est oblatio, quæ fit post consecrationem illis verbis, vnde memores offerimus præclaræ &c. Quarta est fractio hostiæ, & mixtio cum sanguine. Quinta est sumptio Sacramenti. Sexta est distributio eiusdem Sacramenti fidelibus adstantibus his positis.

Re-

27. Respondeo, & dico primo, oblatio panis, & vini ante consecrationem non spectat, neque ad essentiam, neque ad integritatem substantialem sacrificij. Quamuis inter partes accidentales sit magni ponderis, & momenti, vt suo loco diximus. Probatur primo ea sola oblatio pertinere potest ad essentiam sacrificij, quæ versatur circa propriam victimam, eiusdem: sed oblatio prædicta ante consecrationem non versatur circa propriam victimam sacrificij missæ, ergo &c. Probatur minor, quia victima sacrificij missæ est ipse Christus sub speciebus ex Trid sess. 22. c. 1. & 2. non vero panis & vinum, quæ solum offeruntur in præparationem sacrificij.

Probatur secundo in ea oblatione nulla fit immutatio circa rem oblatam, nempe circa panem &c. ergo non spectat ad essentiam sacrificij quod immutationē requirit Doct. cū D. 3. p. q. 83 art. 4. & 6. contra Cano, & alios, quos citat & sequitur Bonac. de Sacram. disp. 4. q. vlt. p unc. 2.

Dico secundo, neque oblatio pōst consecrationem ingreditur essentiam sacrificij missæ.

Probatur primo, hæc oblatio neque peracta fuit à Christo in institutione huius sacrificij, neque semper fuit in vsu, sed addita fuit ab Ecclesia in progressu, vt probat præcipuè Bellarminus lib 1. de missa cap. 22. Ergo non spectat ad essentiam sacrificij à Christo Domino instituti.

Probatur secundo, hæc oblatio non fit in persona Christi, sed solius ministri, & Ecclesiæ. Ergo non est pars essentialis sacrificij, quod necessario offertur in persona Christi principalis offerentis, ex Trid supra, est communis Doctorum, vt videri potest apud Garziam de excellentia sacerdotij, trac. 3 diffic. 1. dub 3: punct. 2.

Obijciunt nonnulli oppositum sentientes inter quos Bonac. supra. Ad essentiam sacrificij requiritur necessario oblatio, vt constat ex definitione sacrificij in communi. Ergo vel vtraque oblatio ex prædictis pertinere debet ad essentiam sacrificij missæ vel saltem altera: Probatur consequentia, quia non fit alia oblatio præter dictas.

Respondetur distinguendo antecedens, requiritur necessario oblatio verbalis, & in actu signato, nego, realis, & in actu exercito concedo, vnde negatur consequentia, quia realis oblatio, quæ consistit in immolatione victimæ non consistit in prædictis oblationibus, quæ meræ verbales sunt, sed in consecratione, vt infra.

Dico tertio, fractio hostiæ, & mixtio particulæ eiusdem cum sanguine non est pars essētialis nostri sacrificij. Probatur quia cum hoc sacrificium fuerit institutum à Christo in vltima Cœna ex Trid. supra, necessario consistit in aliqua illarum actionum, quas ipse Christus tunc peregit, & exercuit: sed ipse Christus, quamuis fregerit panem ante cōsecrationem, non fregit tamen post consecrationem, neque miscuit cum sanguine. Ergo &c.

Confirmatur, quia ex regulis Missalis de defectibus, si hostia cadat in calicem ante fractionem non opus est fractione. sed relinquitur, ibi et sumitur cum sanguine; ergo fractio non pertinet ad essentiam sacrificij, alioqui omitti non posset ita D. Thom. 3. p. q. 89. art 6. ad 6. vbi aperte ait si contingat fractionem omitti nō fore in perfectum sacrificium quem sequuntur Doct. communiter apud Garziam supra.

Sequitur Communio, seu Consumptio Sacramenti: quæ fit à celebrante, de qua maior est difficultas, et quidem conuenit inter omnes ferè Doctores, consumptionem prædictā, quæ fit à celebrante esse partem spectantem ad integritatem substantialem sacrificij, sicuti brachium spectat ad integritatem corporis humani Controuersia est, vtrum spectet etiā ad essentiam sacrificii missæ.

Prima sententia sustinet esse partem essentialem, consequenter non subsistere sacrificiū, neque esse essentialiter completum sine consumptione.

Probatur primo: quia Ecclesia summo rigore præcipit celebranti, vt sumat consecratā omino, adeo vt si contingat celebrantem in sincopem incidere, vel mori post consecrationem, debeat alter substitui, qui sacrificiū perficiat, et Sacramentum sumat. Ergo signum est, sumptionem huiusmodi esse necessariam sacrificio, et ad eius essentiam pertinere.

Probatur secundo. Illæ actiones sunt partes essentiales sacificij, quas Christus in eius institutione peregit; sed Christus nedum cōsecrauit, sed etiam sumpsit Sacramentum. Ergo ne dum consecratio, sed etiam sumptio pertinet ad essentiam sacrificij.

Tertio probatur, sacrificium nouæ legis cū in se vno contineat omnem perfectionem sacrificiorum veteris legis, ex Trid. sess. 22 c 2. consequenter esse perfectissimum holocaustū: ad essentiam autem holocausti requiritur totalis, et omnimoda consumptio victimæ in honorem Dei: sed non consumitur victima nostri sacrificii, nisi per sumptionem Sacramenti: Ergo sumptio est pars essentialis sacrificii missæ, ita Bellarmi lib 1. de sacrif c 22. March. de Sacram. Ordinis p. 2. c, 2. Bonac. de Sacramentis disputatione 4 quæst. vltim. punc. 2. Villalobos, et alii, quos citat Garzia de

facerditio tract. 3. difficultas prima dub. 3. punc. 4.

Opposita tamen sententia, est communis, & probabilior. Vnde.

Dico quarto. Sumptionem Sacramenti pertinere quidem ad integritatem sacrificij Missæ, vt brachium ex gr. pertinet ad integritatem corporis humani, non tamen esse de essentia sacrificij, seù non esse partem essentialem.

Quod sit pars integralis, satis probant argumenta primæ sententiæ; quod vero non sit pars essentialis. Probatur primo quia sacrificium essentialiter est oblatio, qua nempe nos aliquid Deo damus, & offerimus, sed sumendo Sacramentum & consumendo hostiā, nihil Deo offerimus, eo præciso actu, sed potius aliquid à Deo accipimus, tamquam Dei conuiuæ, & mensæ illius participes. Ergo cum sumptio non habeat rationem oblationis, non potest ingredi essentiam sacrificij.

Dicetis. Ergo neque potest esse pars integralis, & complementum oblationis, & sacrificij. Respondetur negando consequentiam; quamuis enim sumptio non sit oblatio, nihilominus est terminus ad quem ordinatur secundario oblatio: quippe sacrificium ordinatur primo in cultum Dei, & secundario in nostrā vtilitatem eo quia præparatur nobis in ipso conuiuium spirituale in sustentationem animæ: Vnde non censetur completum, nisi per sumptionem ipsius celebrantis, qui vt minister publicus debet oblata perducere ad suum terminum, ne frustra videatur paratum a Deo conuiuium. Et secundum aliquos, in sumptione significatur sepultura Christi, quæ significatio pertinet etiā ad integritatem nostri sacrificij quatenus est repræsentatiuum sacrificij cruenti.

Probatur secundo. Si post consecrationem contingat miraculosè hostiam, quoad accidentia mutari, et similiter calicem, itaut ibi appareat caro, et sanguis, vt aliquoties contingit, nihil tunc est sumendum, ex sent D. Tho 3. par q. 83 art. 4. ad tertium: ergo saltem ex mente D. Tho. sumptio sacrameti non pertinent ad essentiam sacrificij, neque enim omitti posset essentialiter imperfectum. Hanc sententiam sustinent Suar. in 3 par. to. 3. disp. 75. sect. 5. Coninch de Sacram. q 83. art. 1. dub. 5 Vasquez Hurtado, & alij plures, quos citat, & sequitur Garzias loco supra citato.

Ad opposita respondetur ad primum Ecclesiam præcipere sumptionem Sacramenti; quia est pars necessaria ad integritatem sacrificij, non vero ad essentiam

Ad secundum non esse omnino certum an Christus sumpserit Sacramētum, quamuis ita sentiendum cum communi, ex eo tamen quod Euangelistæ id clare non expresserint, sequitur non esse partem essentialem. Deinde non omnes actiones à Christo exercitæ in institutione sacrificij pertinent ad eius essentiam, vt fractio benedictio etc.

Ad tertium; Respondetur ad essentiam holocausti, prout distinguitur ab alijs sacrificij requiri, vt tota hostia, seu victima debeat offerri, & destinari in cultum Dei: nihil ab ea separando, & seruando in alios vsus prophanos, non autem consumptionem, præsertim per manducationem: sic enim omnia fere sacrificia veteris Legis fuissent holocausta, quod est falsum. Itaque non actualis consumptio partium victimæ immolatæ spectant ad essentiam holocausti, sed destinatio ad consumptionem in cultum Dei, actualis vero cōsumptio spectat ad perfectionem, & integritatem holocausti.

Dico quinto. Multo minus distributio Sacramenti quæ fit alijs communicantibus in ipsa Missa, spectat ad essentiam sacrificij, imo neque ad integritatem, vt definit Trid. sess. 22 cap. 6. & Can. 8.

Probatur primo ex Apostolo prima Corint 2. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat etc. quibus verbis signatur, neque semper, neque omnes qui Missæ assistunt, debere vel posse accedere ad communionem, et participationem sacri conuiuij: vnde sæpissime nemo communicat

Probatur secundo ex communi vsu Ecclesiæ mox insinuato, quia innumeræ celebrantur missæ in quibus præter celebrantem nemo sumit Sacramentum.

PVNCTVM IV.

Vtrum essentia sacrificij Missæ consistat in consecratione.

Prima sententia negat, sed solum ait consecrationem esse quid præuium, seu prærequisitum ad sacrificium; ita Doctores, qui in sola commonione dicunt positam esse essentiam sacrificij.

Probatur primo; In omni sacrificio victima præsupponitur actioni, qua sacrificatur Item res oblata præsupponi debet oblationi. Certum est autem rem oblatam in sacrificio Missæ esse Christum sub speciebus panis, et vini. Vnde sic argumentantur. Consecratio non præsupponit Christum sub speciebus sed illum producit. Ergo consecratio non potest esse actio sacrificatiua eiusdem Christi

sub

sub speciebus nec ratio essentialis sacrificij.

Confirmatur ita se habet consecratio respectu sacrificij Missæ, et incruenti, sicut Incarnatio respectu sacrificij Crucis, et cruenti; quia sicut Deus factus homo semetipsum obtulit in Cruce: ita Christus factus panis vitæ seipsum offert in altari, sed Incarnatio non fuit sacrificatio, sed quid præuium ad sacrificationem cruentam. Ergo pariter consecratio non est sacrificatio, sed quid præuiū ad sacrificationem incruentam.

Probatur secundo de essentia sacrificij est immutatio victimæ seu oblatio per immutationem, Vnde sic conficitur argumentum, si consecratio esset ipsa actio sacrificatiua, & essentialis ratio sacrificij, sequeretur potius panem, et vinum esse victimam, seu rem oblatam; quam corpus, et sanguinem Christi sed hoc est falsissimum. Ergo etc. Probatur sequela. Id offertur in sacrificio, quod immutatur per sacrificationem, Sed in casu nostro fit immutatio panis, et vini, quæ transubstantiantur in corpus, et sanguinem Christi: Ergo etc Circa corpus autem Christi semel positum in altari nulla fit immutatio vsque ad consumptionem, seu communionem Ergo vel Christus non est victima sacrificij missæ, sed panis, et vinum, vel si Christus est victima, actio sacrificatiua consistit in comunione non in consecratione.

Probatur tertio: De essentia sacrificij, nedum est immutatio, sed talis immutatio per mactationem, vel similem actionem destructiuam, qua victima transit ab esse ad non esse. Ergo consecratio non potest esse actio sacrificatiua Christi Patet consequentia, quia potius est actio productiua Christi, vel effectiua nouæ eius præsentiæ in altari.

Confirmatur. Si in veteri lege sacerdos positum agnum super altari Deo obtulisset sola præsentatione absque mactatione non sacrificasset: sed per consecrationem sacerdos ponit Christum super altare sine reali mactatione. Ergo per consecrationem precise, & formaliter non sacrificat.

Nec satisfaciunt qui dicunt per consecrationem Christum mistice mactari, quatenus ræpresentatur sanguinis eius effusio in ara Crucis. Quia sequeretur sacrificium Missæ non esse verum, & proprie dictum sacrificium, sed mistice, & symbolice, seu esse puram imaginem, & figuram sacrificij, non verum sacrificium: sicut imago depicta hominis non est homo.

Tandem probatur quarto. Quia in die Parasceues offertur in Ecclesia verum sacrificium absque consecratione: Ergo consecratio non pertinet ad essentiam sacrificij.

Probatur antecedens quia Missa illius diei appellatur ab Ecclesia sacrificium in illa oratione, quæ incipit in Spiritu humilitatis, vbi dicitur, sic fiat sacrificium nostrum &c. & ad Orate Fratres, vt meum ac vestrum sacrificium &c Hanc sententiam tenet Ledesma in quartum 1 par. q. 23. art. 7. Citantur etiam Scotus, Gabriel, & Ruardus apud Suarez tom 3. in 3. par disp. 75. sec. 4.

Communis tamen, & vera opinio defendit, vt certum, consecrationem, vt minimum esse partem essentialem sacrificij Missæ, & longe probabilius esse in sola consecratione consistere totam essentiam sacrificij.

Probatur ptimo ex communi consensu fere omnium Patrum, D. Gregorij, Hiræneí, Cypriani Chrisostomi, & aliorum, quos referunt Suarez disp. 75 citata, & Coninch de sacramentis q 83 art. 1. dub. 1.

Probatur secundo: quia in ordinatione sacerdotum cum traditur illis potestas consecrandi, porrectione calicis &c ea explicatur his verbis. Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo pro viuis, & defunctis. Ergo ex sensu Ecclesiæ idem est consecrare, ac offerre sacrificium.

Probatur tertio: non potest consistere essentia sacrificij nisi in ea actione, quam sacerdos perficit in persona Christi: eo quia Christus est principalis offerens, vt sæpius diximus ex Trid sess. 22 sed solam consecrationem perficit sacerdos nomine Christi, dum in persona eius loquitur, & dicit, Hoc est corpus meum, & similiter in consecratione calicis, Ergo in sola consecratione essentia Missæ consistit.

Tandem probatur à priori, quia in sola consecratione reperitur quidquid requiritur ad essentiam veri sacrificij. Ergo consecratio, est vera actio sacrificatiua. Probatur antecedens. Ad essentiam sacrificij requiritur immutatio victimæ sub duplici significatione primo in signum, & protestationem supremi dominij Dei quem colimus, quæ est significatio moralis; secundo in repræsentationem sacrificij crucis, quod est idea, & prototypon omnis sacrificij; ratione cuius cætera sacrificfunt Deo accepta, quæ est significatio mistica, sed in consecratione habetur totum prædictum modo perfectissimo. Ergo &c. Probatur minor. Per consecrationem fit sacra, & admirabilis mutatio panis, & vini in corpus, & sanguinē Christi sicque ponitur in altari et, offertur Deo ipse Christus infinitæ dignitatis, & ipsi Deo gratissimus. Item Mactatur mistice idem Christus, dum ex vi verborum ponitur corpus sine sanguine, & sanguis,

guis,vt effusus separatim à corpore in repræsentationem passionis, & mortis Redemptoris. Ergo &c.Ita DD.communiter apud Suar. & Coninch. supra citatos & apud Lessium infra.

Pro solutione argumentorum aduertendum est, immutationem, quæ est ratio essentialis sacrificij, necessario versari debere circa victimam eiusdem sacrificij, non tamen necessario circa victimam tanquam materiam quæ immutatur, sed satis esse si victima sit terminus immutationis;sicut in sacrificio thimiamatis veteris testamenti hostia principalis non erat ipsum thimiama, quod mutabatur per cremationem, sed suffitus, seu virgula fumi odorifera ex crematione proueniens Sic pariter in transsubstantiatione, quæ est immutatio sacrificij Missæ,victima idest Christus non est materia, quæ mutatur, sed terminus immutationis, seu id in quod fit transmutatio panis, & vini,vt bene declarat Lessius lib.2. cap.38. n.14. His positis ad argumenta oppositæ sententiæ respondetur.

Ad primum argumentum respondetur distinguendo assumptum. Victima præsupponitur sacrificio, quando est materia immutationis concedo, vt communiter in sacrificijs veteris legis Quando est terminus, nego, vt dicebamus de suffitu in sacrificio thimiamatis. Modo in sacrificio incruento nouæ legis victima semper est terminus.

Ad confirmationem nego paritatem; incarnatio enim est quid præuium ad sacrificium crucis, quia in hoc Christus debebat esse materia sacrificationis præparata per incarnationem, iuxta illud Apostoli corpus autem aptasti mihi. Secus est de consecratione in qua Christus est terminus transsubstantiationis.

Ad secundum nego sequelam. Ad probationem respondetur, vt supra. Id offertur quod immutatur, quando victima est materia immutationis, concedo: quando est terminus, vt in casu nostro, nego.

Ad tertium similiter distinguo antecedēs. De essentia sacrificij est immutatio per mactationem victimæ distinguo. In illis sacrificijs in quibus victima est materia immutationis, concedo: in illis sacrificijs in quibus victima est terminus, nego. In sacrificio autem Missæ non fit realis mactatio victimæ, quamuis adsit realis immutatio, quæ terminatur ad victimam, quia alias non esset sacrificium incruentum,vt Christus instituit,sed cruentum contra Christi institutionem.

Ex quibus patet ad confirmationem; non enim sequitur Missam esse puram imaginem sacrificij Crucis, quia in Missa non solum fit mistica mactatio, qua re præsentatur sacrificium Crucis; sed etiam realis immutatio, nempe transsubstantiatio, cuius terminus, est Christus sub speciebus & vera victima sacrif. missæ. Dicetis immutatio pertinens ad essentiam sacrificij debet esse sensibilis: Conuersio autem panis & vini in corpus Christi non est sensibilis.&c.

Respondetur conuersionem fieri sensibilē per verba consecrationis quibus ea significatur.

Ad vltimum, negatur in die Parasceues offerri sacrificium propriè dictum, quia abstinet Ecclesia e a die præsertim, ne introducatur in consecratione Christus loquens, & viuus tanquam principalis offerens eo precisō die, quo recolitur mortuus funebri officio Appellatur autem sacrificium in lata significatione, vt alias in scripturis, sacrificium laudis honorificabit me, & sacrificium Deo Spiritus contribulatus &c.

PVNCTVM V.

Vtrum consecratio vtriusque speciei sit de essentia sacrificij Missæ.

Item an possit summus Pontifex dispensare, vt sacrificium Missæ offeratur in altera tantum specie.

PRima sententia sustinet solam consecrationem panis, qua conficitur Corpus Christi pertinere ad essentiam sacrificij Missæ; alteram vero consecrationem calicis solum esse partem integralem,non essentialem. atque adeo posse summum Pontificem in aliquo vrgentissimo casu dispensare, vt conficiatur sacrificium in sola specie panis.

Probatur primo ad essentiam sacrificij Missæ præter immutationem realem, quæ pariter in vtraque consecratione reperitur, sufficit ea mactatio mistica, qua ponitur Christus ex vi verborum in Altari, tanquam occisus. sed ad hoc sufficit sola consecratio panis, qua ex vi verborum ponitur Corpus Christi sub speciebus sine sanguine, consequenter, vt occisus. Ergo &c.

Probatur secundo: saluatur essentia Sacramenti Eucharistiæ in altera solum specie, in qua laici communicant: ergo saluatur pariter in altera specie essentia sacrificij.

Probatur tertio; quia de facto summus Pontifex dispensauit offerri sacrificium in sola specie panis cum Nouergis, & Danis, vt inter alios referunt Fagundez in præcepta Ecclesiæ præcepto primo lib. 3. c. 5. & Vasq. in

in 3. p. disp. 223. c. 1. Ergo consecratio calicis non est de essentia sacrificij. Patet consequentia, quia essentia non potest aliunde suppleri, neque potest dari compositum sine suis constitutiuis essentialibus: summus autem Pontifex concessit offerri verum sacrificiū constans suis partibus essentialibus.

Potuit autem summus pontifex licite dispensare quamuis consecratio calicis sit pars integralis sacrificij Iure diuino præcepta; quia in casu grauissimæ necessitatis ad conseruationem fidei in aliquo Regno, vbi vinum haberi non possit, vel in casu simili, censetur relicta facultas Ecclesiæ ab ipso Christo dispensandi vel interpretandi Ius illud. Hanc sententiam tenent D. Antoninus, Adrianus, Maior. Turrecremata, quos citat Fagundez loco supracitato Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. Bonac disp. 4 de Euchar q. vltima punc. 2. & alij, quos citat & sequitur Diana par. 8. tract. 1. resol. 23.

Opposita sententia est communis, & longe probabilior, nempe consecrationem vtriusque speciei esse de essentia sacrificij Missæ: consequenter non posse summum Pontificem dispensare, vt in vna sola specie offeratur. Probatur primo ex Trid. sess. 22. c. 1. vbi ex facto, & verbis Christi colligit ipsū Christum præcepisse, vt sub vtraque specie hoc sacrificium conficeretur. Et satis indicat consecrationem vtriusque speciei pari ratione concurrere ad constituendum hoc sacrificium. Ergo vtraque consecratio est pariter essentialis.

Probatur secundo. De essentia sacrificij Missæ est expressa repræsentatio effusionis sāguinis facta in sacrificio Crucis, seù passionis ipsius Christi Domini, sed non habetur hæc expressa repræsentatio, nisi per vtramque consecrationem. Ergo &c. Probatur minor, quia & si corpus ex vi verborum per primam consecrationem ponatur sine sanguine, nihilominus nullum adest adhuc sensibile signum, neque sanguinis, neque effusionis eiusdem à corpore, quod tamen fit per sequentem consecrationem. Ergo in sola prima consecratione non habetur constitutiuum essentiale sacrificij Missæ; sed requiritur etiam secunda, tanquam essentialis ob mentionem sanguinis, & repræsentationem effusionis. Hæc est sententia D. Tho. 3. p. q. 74. art 1. q. 80. art 12. ad 3. & alibi Caietani ibidem. Suarez disp. 75. sec. 6. Coninch de sacram. q 83. art. 1. dub. 5. Card. de Lugo de Euchar sec 8. qui alios citant.

Vnde manifestè sequitur non posse summum Pontificem dispensare, vt in vna tantum specie fiat consecratio; quia non potest dispensare contra Christi institutionem, vt fiat sacramentum, & non sacrificium, ex his quæ diximus in prima probatione, & patet ex verbis Christi. Hæc quotiescunque feceritis &c. Neque potest efficere, vt conficiatur verum sacrificium sine suis constitutiuis essentialibus. Doctores citati.

Ad opposita respondetur ad primum, distinguo maiorem; sufficit repræsentatio mysterij Crucis inchoata, & implicita, nego; explicita, seu expressiua effusionis sanguinis, concedo. Hæc autem non habetur per primam tantum consecrationem; vt patet ex dictis. Sicut quia ad essentiam baptismi requiritur ex parte formæ confessio explicita sanctissimæ Trinitatis. Non esset validus baptismus sub hac forma, Ego te baptizo in nomine Trinitatis, sed opus est exprimere singillatim personas P. F. & Sp. S Ita pariter in casu nostro.

Ad secundum negatur consequentia. Ratio disparitatis est, quia ad essentiam Sacramenti non requiritur expressio sacrificij Crucis, sed vt sit signum gratiæ, & spiritualis refectionis animæ, ad essentiam autem sacrificij requiritur necessario expressa repræsentatio effusionis &c.

Ad vltimum respondetur, falsum esse summum Pontificem, eam dispensationem concessisse, quod si aliqui id referunt non sunt audiendi; quia ex scripturis apocriphis ita acceperunt. Quicquid autem sit, vtrum summus Pontifex possit dispensare in iure diuino positiuo, certum est id saltem fieri non posse in ijs, quæ sunt bases, & prima fundamenta Christianæ religionis vt sunt articuli fidei materiæ, & formæ sacramentorum, Item substantia sacrificij; quia si hæc variari possent nihil esset firmum in edificio Ecclesiæ.

PVNCTVM VI.

Inferiuntur corollaria ex dictis.

PRimo colligitur quid sit dicendum ad eam quæstionem, vtrum verba contenta in forma consecrationis calicis sint omnia de essentia eiusdem formæ, vel solum ea, quæ primo loco dicuntur, nempe, hic est calix sāguinis mei, ex dictis enim sequi videtur omnia esse de essentia præsertim hæc, qui pro vobis effundetur &c. eo quia de essentia consecrationis, quatenus est actio sacrificatiua est expressa mentio, & repræsentatio effusionis sanguinis, quæ solum fit prædictis verbis, & ideo omnia illa verba esse de essentia formæ, docet expresse D. Tho. 3 p. q. 78. art 3.

Di-

Dicendum tamen cum communi, solum illa prima verba supra explicata esse essentialia; reliqua esse necessario dicenda ex præcepto Ecclesiæ; non tamen spectare ad essentiam, sed ad explicationem mysteriorum.

Probatur primo. Quia in multis antiquis liturgijs sequentia verba, vel omnia, vel aliqua desunt, & nihilominus certum est in illis contineri consecrationem essentialem.

Probatur secundo. Illa solum verba sunt essentialia, quibus significatur sufficienter effectus formæ, nempe præsentia sanguinis sub speciebus vini, sed prædicta significatio sufficienter habetur illis primis verbis. Ergo &c.

Ita DD. communiter, quos citant, & sequuntur Suarez tom. 3. in 3. part. disp. 60. sec. 1. & layman. de Euc. c. 3.

Neque obstat ad essentiam consecrationis requiri mentionem, & repræsentationem effusionis sanguinis; quia hæc perfectissime habetur primis illis verbis, quibus & mentio fit sanguinis, & ex vi illorum de facto ponitur sanguis seorsim à corpore, consequenter vt effusus.

Colligitur secundo. Non satisfacere præcepto audiendi Missam eum, qui non adest Missæ tempore consecrationis: quia cum in consecratione consistat substantia sacrificij, non satisfacit præcepto, quoad substantiam, qui tunc non adest, quamuis interfuerit omnibus alijs partibus Missæ. Ita Marcantius pe Sacram. tract. 4. cap. 6. q. 4. cum alijs quos citat, & sequitur Diana par. 5 tract. 13. resol. 61.

Confirmatur, quia feria sexta hebdomadæ s. ex communi sententia, nemo tenetur interesse sacro illius diei etiam occurrente festo, quia deest consecratio, & consequenter illud sacrum officium, in rigore non est sacrificium.

Vnde vlterius colligitur quid sit dicendum ad eam quæstionem, vtrum qui legitimo impedimento detentus non potest integram Missam audire; teneatur audire partem quam potest. Distinguendum est enim; Nam vel potest adesse consecrationi, vel non; si primum tenetur consecrationi adesse, quia est pars substantialis præcepti; Si vero peracta sit consecratio, non tenetur reliquæ parti adesse; quia reliquum non spectat omnino ad substantiam præcepti, nisi ratione consecrationis Ita cum alijs Lugo de Euch. disp. 22. sec. 1.

Qia tamen aliqui DD. vt supra dictum est non improbabiliter sentiunt, essentiam sacrificij non consistere in consecratione, sed in communione; probababile quoque est, satisfacere præcepto eum qui abest solo tempore consecrationis, modo intersit communioni, & reliquis partibus Missæ ita vt non omiserit partem notabilem Missæ. Ita Hurtado de sacrificio Missæ diffic. 1 Diana p. 5. tr. 13. resol. 61. & dicit probabile Lugo supra.

Quænam autem sit leuis materia, vt obiter hoc dicamus, ratione cuius excusatur à mortali illam omittens. Breuiter dico ex communi sententia censeri leuem, materiam ea omnia quæ dicuntur à principio Missæ vsque ad primum Euangelium exclusiue: proinde qui interest Missæ à principio Euangelij satisfacit præcepto quatenus excusatur à peccato mortali Imo plures DD. asserunt etiam si quis accedat ad audiendam Missam finito primo Euangelio eum satisfacturum precepto modo assistat vsque ad finem vltimi Euangelij S Ioannis: quia eo postremo Euangelio, cui alias nemo tenetur adesse ex præcepto: cum ante illud fiat dimissio populi; satis compensatur Euangelium in principio omissum. Vide dianam p. 5. tr. 4 resolut. 70.

Tertio colligitur discrimen triplicis sacrificij inter se; nempe sacrificij Crucis, sacrificij vltimæ cænę, & sacrificij missæ. Si enim primo conferamus sacrificium Missæ cum sacrificio vltimæ cenę, dicendum vtrumque esse eiusdem speciei, & solum accidentaliter differre. Probatur quia in vtroque idem est principalis offerens eademque victima nempe ipse Christus: Item idem modus offerendi incruentus; & per consecrationem: Ergo non differunt essentihliier, quamuis numero differant.

Quod autem differant accidentaliter probatur primo quo ad offerentem, quia *in cæna Christus immediate per seipsum obtulit* sacrificium absque ministro: in Missa vero, quamuis idem Christus sit principalis offerens; vtitur tamen ministro, & offert per sacerdotem. Secundo quoad rem oblatam, quamuis idem Christus in vtroque sacrificio offeratur sub speciebus panis & vini; nihilominus ponitur sub speciebus, prout existit in propria specie: variato solo modo extensionis localis; Christus autem in vltima cæna erat passibilis, & mortalis, modo autem est gloriosus, & immortalis. Ergo est discrimen accidentale; Tertio distinguuntur, quia sacrificium cœnæ repræsentauit passionem Christi mox futuram; contra in Missa ræpresentatur eadem passio præterita & consummata, quæ etiam differentia accidentalis est penes connotationem temporis præsentis vel futuri. Sicuti si quis depinxisset imagi-

ginem Crucifixi ante Christi aduentum, quæ ad huc vsque tempora duraret, eadem imago in variata prius repræsentasset quod futurum erat; modo repræsentaret, quod factum est.

Secundo si conferamus vtrumque sacrificium, & Missæ, & vltimæ cœnæ cum sacrificio Crucis, certum est conuenire inter se, tum in principali offerente, tum in re oblata ex Trid sess.22.cap.2.vbi sic ait, vna enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit sola offerendi ratione diuersa Vtrum autem hæc diuersitas, nempe, quia sacrificium crucis fuit cruentum, sacrificium verò Missæ incruentũ sit essentialis, vel accidentalis, variant DD. Probabilius est, hanc differentiam esse essentialem, atque adeo sacrificium crucis differre specie à sacrificio Missæ. Probatur: quia actiones nedum specificantur à termino, sed etiam ex modo tendendi in illum; sed actiones sacrificandi in casu nostro quamuis habeant eundem terminum, nempe eandem rem oblatam, nihilominus, differunt penes modum tendendi, & quoad modum immutationis. Ergo &c. Ita Suarez; disp.76. Garzias: dub 2.pun.4.cum Granado & alij quos citat.

PVNCTVM VII.

Vtrum in triduo mortis Christi Domini potuerint Apostoli valide consecrare, & sacrificium Missæ offerre.

Ratio dubitandi est; quia non potest offerri sacrificium nisi in persona Christi, quatenus est summus sacerdos, & principalis offerens. Ergo necessario ad valorem sacrificij præsupponitur Christus viuens, & existens vt homo, sed in illo triduo non existebat vt homo Ergo &c.

Prima sententia communis docet potuisse apostolos consecrare, & sacrificium offerre. Probatur primo quia Christus contulit eam potestatem apostolis absolute, & absque limitatione temporis. Ergo &c. Probatur secundo ex D Tho.3.p.q 76.art.1.vbi sic ait. Si in illo triduo fuisset hoc Sacramentum celebratum, non fuisset ibi Anima Christi, nec ex vi Sacramenti neque ex reali concomitantia. Ergo supponit D.Thomas potuisse apostolos tunc consecrare: in quo casu tamen dicit, quod non fuisset sub speciebus corpus Christi animatum, sed exanime, quam sententiam videntur communiter sequi DD. præsertim Suar. in 3.p.Tit. 3.disput.47 sec 2.

Opposita sententia videtur probabilior

Probatur primo, ex parte offerentis: quia apostoli & cæteri sacerdotes offerunt hoc sacrificium vt ministri, & organa ipsius Christi per quos ipse Christus operatur & loquitur. Sic ergo argumentor; Qui non viuit, nec est in rerum natura, non potest offerre sacrificium: aut quicquam operari, neque aliorum ministerio vti: sed Christus in illo triduo non existebat, vt homo, dissoluta natura humana per mortem, consequenter neque vt sacerdos Ergo non poterat aliquid operari, vt sacerdos, neque apostolorum ministerio vti.

Confirmatur primo, quia verba consecrationis proferuntur non recitatiue: sed formaliter, & significatiue in persona Christi loquentis Ergo supponunt Christum viuentem, & in statu loquendi.

Respondet Suarez supra potuisse animam Christi supplere huiusmodi concursum; Sed contra est, quia anima Christi in rigore non potest dici sacerdos est enim attributum suppositi, vt fatetur D.Tho.in in 3.dist.22.q. vnica, art.1.ad.3.vbi aperte docet, Christum in illo triduo non potuisse exercere munus sacerdotij.

Probatur secundo ex parte rei oblatæ quæ est idem Christus, qui seipsum obtulit in Cruce, ex Tridentino sess.22. c. 1. sed in illo triduo non erat Christus idest compositum ex natura humana, & personalitate diuina neque enim corpus mortuum, neque anima separata potest dici Christus. Hanc sententiã sustinet primo Glossa in cap. Timorem de consecratione dist. 1. vbi etiam docet ob hoc misterium in illo triduo communiter in Ecclesia non offerri sacrificium, sequitur Coninch de Sacram. quæst.63. art 1. dub. 4. n. 76. & dub. 10. num. 181. quæst.75. artic. 4. dub. 5. num. 177 inclinat etiam Lugo de Euchar. disp. 19. sec. 6. & Garzia de sacerdotio trac 3. diffic 1. dub. 4. punc. 1.

Ad opposita respondetur ad primum potestatem fuisse illimitatam sub terminis habilibus, idest consecrandi, tanquam mandatarij, & substituti ipsius Christi, eius personam immediatè sustinentes Ergo præsupponitur necessario Christus viuens, vt homo, & Sacerdos.

Ad secundum respondetur D. Thomam loqui conditionaliter, posito, quod celebrari potuisset &c. fuisset sub speciebus corpus sine anima, de qua conditionali non potest esse difficultas. Cæterum D. Thomas non definit absolutè an Apostoli potuerint consecrare in illo triduo

QVÆSTIO II.

De valore & efficacia sacrificij Missæ.

PVNCTVM I.

Vtrum Sacrificium Missæ sit propitiatorium, & causa remissionis peccatorum mortalium.

CErtum est secundum omnes hoc sacrificium nouæ legis quamuis vnicum, & singulare; in se tamen complecti omnem perfectionem, & efficaciam sacrificiorum veteris legis, vt definit Trid. sess. 22. cap. 1. fine. Imo longe illis excellere, vt constat ex dignitate infinita, tum principalis offerentis, tum rei oblatæ. Sic ergo legalium differentiam hostiarum Deus in nouo testamento vnius sacrificij perfectione sanciuit, vt habetur in oratione secreta Dominicæ 7. post Pentecostem.

Diuidebantur autem sacrificia veteris legis multipliciter, vt colligitur ex D. Th. 1. secundæ q. 102. art. 2. & 3 præsertim autem dupliciter ad rem nostram. Primo quatenus respiciebant cultum Dei, diuidebantur in holocaustum, & gratiarum actionis: primū dicitur etiam latreuticum, & honorarium, secundum dicitur etiam eucharisticum. Secundo quatenus respiciebant salutem & vtilitatem populi diuidebantur in propitiatoriū, & impetratorium. Primum dicebatur etiam hostia pro peccatis, secundum hostia pacifica. Consequenter sacrificium Missæ est simul holocaustum, & gratiarum actionis, propitiatorium, & impetratorium, omissa autem prima diuisione, quæ ad hanc quæstionem non spectat; dicendum est de sacrificio, quatenus est propitiatorium, & impetratorium, quoad primum.

Respondeo, certum est de fide sacrificium Missæ vere esse propitiatorium, & causam obtinendi à Deo remissionem peccatorum, etiam mortalium, quippe eo applicantur nobis fructus passionis Christi in remissionem peccatorum, vt definit Tridentinum sess. 22 can 3

Difficultas est circa modum in particulari, quo per sacrificium delentur peccata mortalia, de quibus agimus in hoc puncto: seu qua ratione concurrat sacrificium ad remissionem peccatorum mortalium.

Prima sententia docet per sacrificium infundi primam gratiam iustificantem ijs pro quibus offertur immediate, & directe; sicut infunditur, & confertur per Sacramenta baptismi, & pœnitentiæ. Tribuitur hæc sententia Gabrieli, & vtrique Soto, qui re vera id clare non explicant.

Probari potest primo quia nequit remitti peccatum mortale, nisi per infusionem gratiæ habitualis, & iustificantis Ex Trid sess. 6 de iustific. c. 7. Ergo id quod per se habet vim remittendi peccata, etiam vim habet conferendi gratiam iustificantem: sed sacrificium Missæ, quatenus propitiatorium vim habet remittendi Peccata ergo &c.

Probatur secundo. Non est minoris valoris, & efficaciæ sacrificium, quam sint sacramenta: sed Sacram. habent vim cōferēdi gratiā sanctificantē, Ergo etiam sacrificiū. Probatur maior; tum quia sacrificium est quid nobilius sacramentis (excepto Sacramento Eucharistiæ) ratione rei oblatæ. Tum quia Sacramenta eam vim habent, quatenus sunt instrumenta quibus applicantur nobis fructus passionis, & sacrificij crucis. Sed sacrificium. Missæ, nedum est instrumentum sed verum sacrificium, & renouatio sacrficij crucis. Ergo perfectius, & efficacius operatur quā sacramenta.

Hæc tamen sententia reijcitur ab omnibus vt aperte falsa. Imo & repugnans principijs fidei,

Primo; quia certum est de fide, neminem posse iustificari absque sacramentis baptismi, vel pœnitentiæ in re, vel in voto: Vade pœnitentia dicitur secunda tabula post naufragium, & medium absolutè necessariam ad iustificationem ex Trid. sess. 7 c. 14. Ergo sacrificium non habet vim conferendi *primam* gratiam, & iustificandi peccatorem. *Probatur* consequentia, quia sic posset quilibet iustificari per sacrificium, & non indigeret Sacramento pœnitentiæ, esset necessarium necessitate medij, contra concilia:

Probatur secundo: Ex absurdis; quia sic posset Sacerdos offerre sacrificium pro omnibus peccatoribus, saltem attritis, qui statim iustificarentur; quod est inauditum in Ecclesia.

Secundo Sacerdos sic existens in peccato mortali, non teneretur confiteri ante Missam & posset celebrare cum sola attritione, quia per oblationem sacrificij, quæ fit consecratione iustificaretur; & digne communicaret; quod est absurdissimum.

Tertio non posset Missa applicari pro cōuersione alicuius peccatoris, nisi constaret illum

lum esse attritum, quia alias frustraretur sacrificium effectu gratiæ propter obicem, vt constat à pari in sacramentis, quę omnia sunt absurda & contra vsum Ecclesiæ.

Secunda, & vera sententia docet, sacrificium Missæ, quatenus propitiatorium concurrere ad remissionem peccatorium mortalium, non immediate infundendo gratiam sanctificantem, sed mediatè, & remotè per auxilia actualia, quatenus intuitu sacrificij, Deus gratias excitantes, & alias necessarias concedit, quibus peccatores conuertuntur ad Pœnitentiam & ad Sacramenta recurrunt, & sic immediatè iustificantur. Hæc est communis sententia Theologorum cum D. Tho. in 4. dist 12 q. 2. art. 2. q. 2. Suarez disput. 79. sec. 3. Laiman de Sacrificio c. 1. n. 4. Coninc q. 83. art. 1. dub. 8 Garzias de Sacerdotio trac. 3. diffic. 1. dub. 6. punc. 2. qui alios citant.

Probatur primo, ex Conc. Trid. sess 22. c. 2. qui hunc modum expressè videtur approbare his verbis; Huius quippe ablatione placatus Dominus, gratiam, & donum, pœnitentiæ concedens; crimina & peccata, etiam ingentia dimittit.

Secundo probatur; quia certum est, hoc Sacrificium quatenus propitiatorium vere concurrere ad remissionem peccatorum. Ergo vel immediate conferendo gratiam iustificantem vel mediate per auxilia actualia; non enim apparet alius modus. Non primum, vt probauimus, ergo secundum.

Ad opposita respondetur Ad primum; distinguo consequens, quod habet vim remittendi peccata immediatè, & directè habet vim conferendi gratiam sanctificantem concedo; quod habet vim concurrendi ad iustificationem mediatè, & dispositiuè, vt est sacrificium, nego.

Ad secundum distinguo maiorem; in diuerso genere, concedo; in eodem genere effectuum, nego. Quamuis enim sacrificium sit quid excellentius Sacramentis præter Eucharistiam, non inde sequitur posse producere effectus Sacramentorum, vt patet in Eucharistia Sacramentorū omnium perfectissimo, quo tamē nō remittitur peccatum originale, vt remittitur per Baptismum; sunt enim tam Sacramenta, quam sacrificium instituta ad varios fines, & ad effectus illis proportionatos; sacrificium ergo est per se institutum ad colendum Deum supremo actu latriæ, & habet vim ponendi corpus, & sanguinem Christi sub speciebus in Altari, quo effectu supereminet Sacramentis. Similiter sacrificiū est propitiatorium quatenus habet vim placandi Deum, & sic operandi conuersionem peccatorum per auxilia actualia.

Sacramenta autem sunt instituta ad sanctificandas animas, & ideo conferunt immediate gratiam sanctificantem; quod non competit sacrificio.

Colligitur ex dictis quid sit dicendum ad eam quæstionem vtrum sacrificium Missæ cōferat augmentum gratiæ sanctificantis iustis, pro quibus offertur. Dicendum est enim per sacrificium non conferri augmentum gratiæ habitualis immediate & directe, hoc enim est proprium Sacramentorum, ad quæ oportet cum debita dispositione accedere; non vero sacrificij, quod potest applicari etiam non petentibus, & nihil de eo cogitantibus. Nec enim secundum legem Dei ordinariam potest mentis compos iustificari, vel crescere in gratia sine libero suo actu, & voluntaria dispositione, quæ communiter nonrequiritur in illis, pro quibus applicatur sacrificium.

Conferuntur ergo iustis, pro quibus sacrificium offertur gratiæ præuenientes, quibus excitantur ad actus meritorios, atque ita sacrificium non immediate, sed mediate cōcurrit ad augmentum gratiæ eo modo, quo supradicebamus concurrere ad primam gratiam DD. supracitati.

PVNCTVM II.

Qualiter sacrificium causet gratias præuenientes in ordine ad iustificationem, vtrum physice vel moraliter.

Respondeo, sacrificium non causare gratias prædictas Phisice, sed solum moraliter. Probatur primo; quia modus phisice operandi non est conformis naturæ, & institutioni sacrificij. Ergo &c. Probatur antecedens, quia causalitas phisica requirit præsētiam passi, & subiecti, nec dari potest actio in distans, nisi diffusa virtute per medium, saltem absque nouo miraculo. Ergo causalitas phisica non congruit sacrificio. probatur consequentia; quia sacrificium ex vi suæ institutionis applicatur, & confert suos effectus, nedum præsentibus ipsi oblationi. sed etiam longe absentibus; Neque est ratio cogens ad multiplicanda miracula Sicut de concursu phisico humanitatis Christi in subiecta loco distantia docent nonnulli DD, vt videri potest apud Suarez in 3. par. tom. 1. disp. 31. sec. 7

Probatur secundo quia & si multi DD. tribuant Sacramentis causalitatem phisicam eam tamen concedunt quoad productionem

gratiæ habitualis, quæ tunc confertur quando fit Sacramentum, & suo modo existit; non vero quoad auxilia actualia quæ conferuntur tempore opportuno, etiam si sacramenta non existant: sed sacrificium ex supradictis non confert gratiam habitualem. sed gratias præuenientes; & actuales. Ergo respectu sacrificij non habet locum causalitas phisica.

Tandem probatur; quia effectus maximè proprius sacrificij est remissio pœnæ, vt infra, respectu cuius non habet locum causalitas phisica; quia remissio pœnæ non est quid phisicum sed morale. Ergo neque respectu aliorum effectuum tribuenda est sacrificio causalitas phisica, sed solum causalitas moralis: quatenus sacrificium moraliter continet merita Passionis Christi, & pretium redemptionis quo oblato Deus infundit gratias &c. Vide Suarez tom 3 in 3. p. disp. 79. sec. 1. versic. Dico 10. Coninc q. 83. art. 1. dub. 7 num. 113.

PVNCTVM III.

Vtrum effectus prædictus collationis gratiarum sit infallibilis & ex opere operato.

ADuertendum est conuenire inter DD. catholicos hoc sacrificium habere aliquem effectum ex opere operato, qui infallibiliter ex eo consequitur ex Christi institutione: Hic autem ex communi sententia est satisfactio, & remissio pœnarum. Controuersia hic est, vtrum etiam remissio peccatorum quoad culpam sit effectus sacrificij infallibilis, & ex opere operato.

Prima sententia negat. Probatur primo quia non constat de promissione Christi circa huiusmodi effectum. Ergo non est vnde colligatur infallibilitas.

Probatur secundo: quia non videtur expediens, vt prædictus effectus sit infallibilis: peccatores enim ex hoc nimium fiderent, & liberius peccarent, ob securitatem gratiarum obtinendarum per sacrificium.

Probatur tertio, nam si hic effectus esset infallibilis; posita oblatione sacrificij pro aliquo peccatore hic statim cõuerteretur: quod videtur falsum & contra experientiam. Probatur sequela: nam vel per sacrificium solum conferuntur auxilia sufficientia, & per hoc fere nihil tribueretur sacrificio, eo quia nemini denegentur: vel conferuntur gratiæ efficaces ex opere operato; & tunc semper, & infallibiliter sequeretur conuersio peccatoris, quod repugnat experientiæ. Sequitur ergo effectum prædictum nõ esse infallibilem neque ex opere opererato. Ita Suarez disp 79. sec. 3. Ioannes della Cruz, Baunus, Filiuccius, & alij apud Garziam de sacerdotio tr 3. difficul. 1. dub. 6. punc. 2.

Secunda sententia probabilior docet effectum prædictum esse infallibilem & suo modo ex opere operato respectu illius qui non ponit obicem.

Probatur primo sacrificia expiatoria veteris legis conferebant infallibiliter munditiam è maculis externis, & legalibus, vt omnes cõcedunt. Ergo sacrificium nouæ legis confert infallibiliter expiationem internam, & munditiam a peccatis, ad quem effectum est institutum. Probatur consequentia: quia sacrificium nouæ legis longe perfectius, & efficacius operatur suos effectus; data proportione sacrificijs veteris legis.

Probatur secundo sacrificium Missæ est vere propiriatorium ex institutione Christi, & ex vi talis proprietatis cõfert gratias præuenientes in ordine ad remissionem peccatorum. Ergo infallibiliter confert, quia institutio Christi est efficax & infallibilis. Ergo ex opere operato, idest ex vi ipsius operis sacri, seu sacrificationis sensibilis independenter à meritis & dignitate ministri.

Nec obstat primo experientia in contrarium: quia videlicet non statim, nec semper sequitur conuersio peccatoris pro quo offertur sacrificium; nã huiusmodi auxilia actualia non conferuntur statim nec phisice per sacrificium, sicut confertur gratia habitualis per sacramenta; sed moraliter & tempore congruo secundum ordinationem prouidentiæ diuinæ. Item conferuntur infallibiliter non ponenti obicem: sæpe autem ponitur obex vel nimiæ obstinationis. vel resistentiæ &c.

Neque secundo obstat quod gratiæ efficaces remouerent obicem prædictum: quia non dantur semper gratiæ efficaces, sed quandoque sufficientes, vberius tamen ex vi sacrificij quam alioqui darentur. Et ideo huius sẽtentiæ sunt Coninch de Sacramentis q. 83. ar. 1 dub. 8. num. 137. Layman de sacrificio c. 1. nu 7. Lugo de Eucharistia disp. 19. sec. 9. num. 143. Marchinus, Henriquez, Machaldo, & alij quos citat & sequitur Garzia loco supracit. dub. 7 pun. 2.

Ad opposita respondetur ad primum, promissionem satis colligi ex institutione sacrificij, quatenus est propitiatorium.

Ad secundum negatur dari ansam peccandi quia ea licentia poneretur obex auxilijs.

Ad tertium patet ex dictis non semper conferri gratias efficaces; vel hoc non esse cer-

cum

tum, vt docet Coninch loco citato, & Lugo supra nu 148.

PVNCTVM IV.

Vtrum per sacrificium Missæ remittantur fidelibus peccata venialia, & qualiter.

Respondeo certum esse per sacrificium, quatenus est propitiatorium remitti peccata venialia fidelibus, pro quibus offertur, vt constat ex Trid. sess. 22. c. 2. vbi ait remitti per sacrificium peccata etiam ingentia, idest non solum leuia, quæ facilius dimittuntur, sed etiam grauissima, & cap. 1. ait hoc sacrificium offerri in remissionem peccatorum, quæ quotidie à nobis committuntur, idest venialium, vt explicant communiter DD.

Difficultas est circa modum, vtrum prædicta remissio fiat immediate per sacrificium, vel medijs auxilijs actualibus. Et loquimur de iustis solum: nam existentibus in statu peccati mortalis non remittuntur venialia.

Prima sententia sustinet remitti immediate, & directe. Probatur primo quia ad hanc remissionem non requiritur infusio gratiæ habitualis, cum peccatum veniale ei non opponatur; Ergo non est ratio, cur non dicamus hanc remissionem fieri immediate per sacrificium. Probatur consequentia ideo enim negamus per sacrificium immediate remitti peccatum mortale; quia opus est infusione gratiæ habitualis, quæ non confertur per sacrificium: sed hæc ratio cessat quo ad peccata venialia, ergo &c.

Probatur secundo, Sacramentalia remittunt immediate peccata venialia, vt aqua benedicta &c. Ergo multo magis hæc virtus tribuenda est sacrificio. Ita Paludanus, Soto, Corduba, Henriquez Bellarminus, quos citat Garzias de sacerdotio tract. 3 difficul. 4, dub 6. pun. 4. nu. 37. Vide etiam Dianam 3. p. tract. 4. resol. 39.

Hæc sententia videtur probabilis, sed non caret difficultate. Primo quia peccatum veniale est macula animæ libero arbitrio contracta; Ergo non tollitur sine actu libero, & pio animi motu, eidem peccato aliquo modo repugnante, quem etiam gratiæ sanctificantis infusio comitatur. Vnde communiter docent theologi peccata venialia non deleri nisi etiã per gratiam sanctificantem: sed sacrificium non causat immediate gratiam habitualem nec immediate infundit pium animi motum. Ergo non remittit immediate peccata venialia.

Declaratur magis. Quamuis macula peccati venialis deleri possit sine infusione gratiæ de potentia absoluta non tamen de lege ordinaria: quia naturis rerum conueniens est, vt maculæ & priuationes, quæ vere animæ insunt, non nisi per aliquod positiuum illis aliquo modo oppositum tollantur, & per maiorem pulchritudinem gratiamque habitualem: ecum ergo sacrificium non conferat immediate eam gratiam consequenter non remittit immediate peccata venialia.

Secunda ergo sententia communis, & probabilior docet per sacrificium remitti peccata venialia mediate, & remote, quatenus est causa, vt à Deo conferantur auxilia actualia, quibus excitantur Iusti ad eorum detestationem, vel similem animi motum quem etiam infusio gratiæ comitatur.

Probatur; quia non apparet alius modus quo per sacrificium possint remitti, nisi vel immediate, vel mediate; non primum, vt supra probatum est; ergo secundum. Ita Suar. Coninch, Azorius, & alij plures, quos citat, & sequitur Layman de sacrificio cap. 8 num. 5.

Ad opposita respondetur ad primum. Ad remissionem peccatorum venialium requiri infusionem gratiæ sanctificantis siue concomitanter, siue quia peccatum veniale, quamuis ei non opponatur physice, & proxime, opponitur tamen remote, quatenus disponit ad peccatum mortale, & consequenter ad priuationem gratiæ. Hinc est, vt ex diuina ordinatione ad remissionem peccati venialis requiratur infusio gratiæ, siue hæc concurrat ad hunc effectum per modum formæ, siue concomitanter.

Ad secundum negatur per sacramentalia deleri peccata immediate; sed solum medijs gratijs excitantibus, nec tamen sic certo, sicut per sacrificium.

Vtrum autem hic effectus sacrificij sit infallibilis, & ex opere operato, respondendum est affirmatiue, vti supra diximus de remissione peccatorum mortalium, eadem enim est ratio.

PVNCTVM V.

De Sacrificio missæ quatenus est satisfactorium Qualiter per sacrificium remittantur fidelibus pœnæ debita pro peccatis.

Propitiatio pro peccatis ad duplicem effectum extenditur, nempe ad remissionem

nem culpæ, & pœnæ: cum ergo hactenus diximus de remissione culpæ, sequitur vt dicamus de remissione pœnæ.

Respondeo certum est de fide per sacrificium remitti pœnas tēporales Iustis pro quibus offertur, tum eas quæ debentur pro peccatis mortalibus iam remissis, tum pro peccatis venialibus vt patet ex Trid. sess. 22. c. 2. vbi ait hoc sacrificium offerri pro peccatis, pœnis, & satisfactionibus, nedum fidelium viuorum, sed etiam pro defunctis.

Qualiter autem per sacrificium fiat hæc remissio, respondeo fieri immediate, & directe Ita D. Tho. 3. p. q. 79. art. 5. dicens sacrificium esse satisfactorium ex directa institutione, quem sequuntur communiter Theologi Suar. disp. 79 sec 6. Layman de sacrificio c. 1. n. 6 Pillracius trac. 5 cap. 3. quæst 4. qui alios citant.

Probatur primo ex D. Tho: supra ex discrimine inter Sacramenta, & sacrificium: nam Sacramenta operantur suum effectum erga sumentes, quibus sensibiliter applicantur, qui etiam cooperari debent; at vero sacrificium prodest non solum offerentibus & cooperantibus sed etiam ijs, pro quibus offertur, etiā si nihil aduertant. Ad hoc autem maxime accomodatus est fructus satisfactionis, qui alteri applicari potest sine vlla ipsius cooperatione per causam merè extrinsecam.

Probatur secundo quia sacrificium crucis, quatenus cruentum, & summe afflictiuum propriè, & directè fuit satisfactorium; ergo conueniens fuit sacrificium Missæ quod mistica sanguinis effusione repræsentat ipsum cruentum sacrificium, directè institui ad applicandum eumdem fructum satisfactionis.

Dixi autem remitti pœnas iustis: quia pœna nunquam remittitur existenti in peccato, neque remittitur, nisi remissa culpa. Vide DD. supra citatos.

Vtrum autem hic effectus sit infallibilis, & ex opere operato, respondendum est, affirmatiuè, ex omnium sententia, quoad viatores, & viuentes. siquidem confertur ex vi institutionis Christi consequenter ex lege certa, & infallibili: Item indipendenter à dignitate, vel bonitate ministri quod est conferri ex opere operato.

Difficultas est de animabus in purgatorio existentibus an sacrificium illis prosit infallibiliter, & ex opere operato, seu ex lege certa, vel solum ex libera Dei acceptatione, & gratuita voluntate absque promissione, & lege stabili.

Prima sententia sustinet non prodesse infallibiliter, neque ex opere operato, sed ex libera acceptione Dei.

Probatur primo quia nullibi constat de certa lege, & promissione Christi, respectu Defunctorum: ergo non est vnde oriatur infallibilitas.

Probatur secundo à simili de indulgentijs, quæ in sententia multorum applicatæ defunctis non habent infallibilem effectum, sicut in viuentibus: sed solum per modum cuiusdā impetrationis ex libera Dei acceptatione: quod etiam significare videtur prodesse per modum suffragij; ergo à pari idem dicendum de sacrificio. Hanc sententiam sustinent Cano, Soto, Corduba & alij apud Garziam de Sacerdotio trac. 3. difficul. 1. dub 6. punc. 3. Doctores autem, qui hoc docent de indulgentijs videri possunt apud Dianam par. 9 tr. 2. res. 3.

Opposita sententia est communis, & longe probabilior, nempe sacrificium prodesse defunctis infallibiliter, & ex opere operato. Probatur primo ex Trid. loco citato initio, vbi eodem modo loquitur de fidelibus viuis, ac de defunctis: sed viuentibus prodest infallibiliter; ergo etiam Defunctis.

Probatur secundo ex forma qua vtitur Ecclesia in ordinatione sacerdotis, nempe accipe potestatem offerendi sacrificium pro viuis & defunctis; ergo datur potestas offerendi æqualiter pro vtrisque & eadem certitudine confertur effectus Ita D. Tho. Caiet. Syluester Durandus, & alij plures, quos citant, & sequitur Suarez disp. 79. sec. 10. Garzias loco supra citato, Layman de sacrificio c. 2. n. 5. Cardin. Lugo de Euchar. disp. 19, sec. 9. n. 153.

Ad opposita respondetur ad primum, quamuis non constet omnino de lege, & promissione Christi; nihilo minus eam satis colligi ex Concilijs, & traditione.

Ad secundum respondetur indulgentias prodesse etiam infallibiliter defunctis iuxta opinionem probabiliorem & magis communem. Sed esto indulgentiæ non prodessent infallibiliter, non inde sequitur idem esse dicendum de sacrificio, cuius fructus non pendet ex iurisdictione Summi Pontificis, sed ex institutione Christi, cuius iurisdictio plenissima est in Cœlo, & in terra, & subtus in Purgatorio

Colligitur consultius nihilominus esse, vt fideles curent sibi applicari Missas dum viuunt, quam post mortem. Tum quia post mortem solum lucrantur satisfactionem: in vita autem tum satisfactionem, tum meritum, & augmentum gratiæ per gratias preuenientes, modo supra explicato. Tum quia etsi probabilius sit satisfactionem respectu Defunctorum esse infallibilem, non est tamen

men certum, sed sub opinione, ex supradictis. Respectu autem viuorum satisfactio est omnino certa, & ex opere operato. Tandem quia secundum probabiliorem sententiam effectus sacrificij crescit pro meliori dispositione subiecti: possunt autem viuentes melius disponi per actus feruentiores deuotionis, & sic plures gradus satisfactionis lucrari. Secus est de Animabus Purgatorij, quæ mere passiue se habent. Ita Marchinus de sacram. Ordinis trac. 3. p. 2. c. 34. Tamburin. de sacrif. c. 2. §. 15. Diana p. 9. trac. 2. ref. 37. fine.

Secunda difficultas circa viuentes, vtrum per sacrificium obtinere possint; ne dum remissionem pœnarum, quas debent actu pro peccatis commissis: sed etiam eas, quæ in posterum taxari deberent pro peccatis committendis.

Respondeo breuiter negatiue. Tum quia satisfactio, & solutio natura sua præsupponit debitum. Tum quia hæc anticipata remissio, non est expediens: quippe daretur quedam impunitas, & ansa peccandi. Tandem quia in omnium sententia secundum legem ordinariam non potest remitti pœna, nisi remissa culpa, culpæ autem imposterum committendæ non possunt esse remissæ eo quia requiritur pœnitentia, quæ respicit peccata commissa, Suar. disp 79. sec. 10. Vasquez disp. 231. in fine, Lugo de Euch. disp. 19. sec. 10. n. 209.

Colligitur neque Indulgentias concedi, vel acquiri posse pro peccatis futuris, neque per satisfactionem sacramentalem tolli reatum pœnæ pro peccatis futuris, Doctores citati.

PVNCTVM VI.

De sacrificio Missæ, quatenus est impetratorium. Qualem vim impetrandi habeat Sacrificium.

Respondeo habere maximam vim impetrandi quæuis dona, & beneficia, tũ spiritualia, tum temporalia, ex Trid. sess. 22. c. 2. vbi ait, hoc sacrificium offerri non solum pro fidelium peccatis &c. sed etiam pro alijs necessitatibus. Constat etiam ex vsu quotidiano Ecclesiæ offerentis sacrificium ad impetrandas gratias pro quauis necessitate etiam temporali E. G. pro victoria, pro pace &c.

Probatur: quamuis enim oratio ad hæc omnia impetranda vim habeat, nihilominus sacrificio innixa est longe efficacior. Ratio est quia orationes muneribus cõiunctæ multo pluris valent ad impetrandum quam solitariæ, & sine oblatione. Cum ergo per sacrificium offeratur Deo munus acceptissimum, & hostia gratissima, consequenter orationes sacrificio innixæ multo pluris valent ad impetrandum.

Confirmatur quia hoc sacrificium vim habet placandi Deum, ex Trid. supra citato ergo remoto obice diuinæ indignationis, certum est orationes reddi maioris efficaciæ. Requiritur tamen ad hunc impetrationis effectum, oratio, seu petitio expressa vel tacita ipsius offerentis, seu celebrantis; quia non dicimur impetrare, nisi quod petimus. Suar. disp. 79. sec. 9. Lugo de Euch. d. sp. 19. sec. 9. n. 123. & alij communiter.

Habet autem hoc sacrificium vim impetrandi. Primo & principaliter, quatenus offertur in persona Christi: secundo quatenus offertur nomine Ecclesiæ. Tertio quatenus minister, seu proximus offerens peculiarem suæ petitionis affectum adiungit. His positis:

Difficultas est, vtrum sacrificium, quatenus impetratorium sit infallibilis efficaciæ, seu an impetremus infallibiliter, quod per sacerdotem in sacrificio petimus præcipue, quatenus sacrificium offertur in persona Christi.

Variant DD. nam aliqui affirmant, vt Garzias de sacerd. tract. 3. difficu. 1 du. 7. p. 2. n. 11. Card. de Lugo de Euch. disp. 19 sec. 9. nu. 132. nam quatenus sacrificium offertur in persona Christi, qui est principalis offerens, concurrit ipsemet Christus qui exauditur infallibiliter pro sua reuerentia.

Alij negant, vt Suar. disp. 7. q. sec. 2. Becano in 3 p tr. 2. c. 25. q. 11. Filliuccius cum alijs. Quia non constat de speciali promissione præter eam, quæ facta est orationi. Sed conciliari possunt. Pendet autem resolutio ex eo, vtrum Christus, vt principalis offerens semper concurrat cum ministro, repræsentando Patri petitiones, quæ fiunt in sacrificio. Nam si concurrit, impetratio esset infallibilis: sin autem minime.

Respondeo, & dico primo respectu illius gratiæ, seu beneficij quod determinate petitur in sacrificio, impetratio non est infallibilis. Ratio quia sæpe id quod petitur non est expediens ad maiorem Dei gloriam & ad salutem spiritualem illius pro quo fit petitio; ergo nil mirum si non impetretur. Probatur consequentia. Quamuis enim de efficacia orationis ad impetrandum, & à fortiori de impetratione per sacrificium adsit Christi promissio, hæc tamen non est absoluta; sed conditionata, si quod recte petitur dari nobis

bis expediat. Quare non subsistente conditione non suffragatur promissio, neque Christus ad eam petitionem concurrit, consequenter oratio non erit infallibilis, quamuis fiat in sacrificio; non defectu valoris sacrificij, sed defectu conditionis debitæ.

Probabile tamen est nunquam orationem, quæ sacrificio innititur, omni fructu carere: quia etsi non impetretur quod petitur, aliud tamen confertur quod vtilius est, & magis expediens. Layman de sacrificio c. 1.n.8. Coninch in 3.p q 83.ar.1.du.8.nu.144. Lugo loco supra cit.

Colligitur primo si id, quod determinate petitur sit magis expediens secundum diuinæ Prouidentæ rationem nobis tamen ignotam, tunc ratione sacrificij, quatenus offertur in persona Christi, impetratio erit infallibilis; quia ipse Christus concurrit repræsentando Patri eam petitionem. Probatur: ex duplici capite impediri potest hic effectus impetrationis, vel ex parte rei, quæ petitur, si non sit magis expediens; vel ex parte petentis, si non sit gratus Deo. Neutrum dici potest in casu nostro, ergo &c Non primum quia petitur, vt supponumus, quod est magis expediens: non secundum; quia petens est ipse Christus semper Deo gratissimus. Vnde hic effectus impediri non potest ex indignitate ministri, qui sit in peccato mortali, nisi quatenus in eius arbitrio est sacrificium applicare ad hoc, vel illud obtinendum DD. supra citati.

Colligitur secundo, Discrimen inter orationem extra sacrificium & eam quæ sacrificio innititur: nam oratio extra sacrificium plures exigit conditiones ad impetrandum infallibiliter Primo enim exigit statum gratiæ in ipso orante, quod secus est in sacrificio, cuius effectus impediri non potest à ministro proximo orante si non sit in statu gratiæ, vt diximus; quia supplet Christ. principalis offerens. Secundo Oratio extra sacrificium non impetrat infallibiliter nisi pro ipso orante immediate, non autem pro alijs, secundũ probabilem sententiam multorum: in sacrificio autem impetratio est infallibilis, etiam respectu eius, pro quo offertur sacrificium. Tandem per sacrificium facilius, & citius impetratur quod petitur.

Colligitur tertio quid sit dicendum ad eã quæstionem, vtrum hic effectus impetrationis, quando est infallibilis ex vi sacrificij, sit etiam dicendus ex opere operato. Hic etiam variant DD. aliqui negant, vt Suar disput. 79. sec.2 cum alijs: quia ad effectum ex opere operato non requiritur oratio, quæ necessaria est ad effectum impetrationis; sed effectus sequitur per modum naturalis sequelæ. Alij affirmant cum Vasquez disp. 229.c.2.nu. 12. nam quoties confertur à Deo aliquid independenter à meritis, & dignitate operantis, & proximi offerentis, dicitur conferri ex opere operato: quia non confertur propter opus operantis. Ex quibus patet hanc esse questionem de nomine, seu de modo loquendi. Communiter tamen impetratio appellari non solet effectus ex opere operato.

Dico secundo. Quatenus sacrificium offertur in persona Ecclesiæ idem probabiliter dicendum videtur, ac in præcedenti conclusione nempe si id, quod petitur est magis expediens infallibiliter impetrari, non obstãte indignitate ministri; quod si non sit magis expediens, aliud à Deo conferri quod vtilius est. Probatur quia Ecclesia semper est Deo grata ob innumerabiles iustos quos continet, quorum nomine fit oratio; qui ratum habent, quod à Prælatis Ecclesiæ statuitur. Ita Lugo de Enchar ist. disp. 19. sec. 9 nu. 127. Coninch. q. 83. a 1 du. 7 n. 122.

Dico tertio. Quatenus sacrificium offertur per ministrum & petitio procedit à proximo offerente, vt est priuata persona, impettatio multipliciter frustrari potest. Primo si ipse minister sit in peccato mortali. Secundo si sit in gratia, sæpe non fit ab eo petitio rerum decentium DD. supra citati.

Dicetis effectus impetrationis in sacrificio prouenit ex re oblata: ergo non potest impediri ex indignitate ministri. Respondetur negando consequentiam: quamuis enim res oblata semper sit Deo gratissima, non tamen in eum finem ad quem ordinatur à proximo offerente si id quod petit, decens non sit, neque Christus, vt principalis offerens, ad eã petitionem concurrit.

Colligitur, quid sit dicendum ad eam quæstionem, vtrum Missa Sacerdotis mali sit minoris valoris, quam Missa sacerdotis deuoti, & pij. Dicendum est enim primo quoad fructum ex opere operato E. g. remissionis pœnarum item quoad fructum impetrationis ex sacrificio, quatenus offertur in persona Christi, omnes Missas esse æqualis valoris ratione eiusdem principalis offerentis, & rei oblatæ, cuius efficaciæ nihil obstat indignitas ministri, vt colligitur ex cap. intra 1 q 1. Confirmatur ex Trid sess. 22. c. 1. vbi sic ait, Hæc est illa munda oblatio, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest, & docet D. Thom. 3. p. q. 82. art. 6. quem sequuntur communiter, Suarez in dictum art. D Tho. Layman de sacrificio c, 1. n. 12.

Dicendum secundo quatenus sacerdos offert & orar nomine Ecclesiæ, non minuitur fructus

ctus impetrationis ex praua dispositione ministri. Vnde ex hac etiam parte omnes Missæ sunt æqualis efficaciæ ob æqualem dignitatem, & sanctitatem Ecclesiæ; D Thomas supra; excipe, nisi minister sit excommunicatus non toleratus: quia Ecclesia non vult suas orationes per hunc offerri, vt docet D. Tho. loco citato art. 7. ad 8. secus est de tolerato, quem permittit Ecclesia sacras functiones exercere: quatenus non prohibet fideles ab eo petere. Layman supra.

Dicendum tertio. Quatenus sacerdos offert, & orat, vt persona priuata, fructus impetrationis crescit vel minuitur secundum dispositionem & deuotionem eiusdem. Proinde quo est magis deuotus, & plus gratiæ, & gloriæ apud Deum sibi meretur. Similiter plus sibi, vel alijs impetrat. Ratio est quia hic fructus est ex opere operantis, vt contingit in alijs bonis operibus iustorum. Cæterum si minister sit indignus, & celebret in peccato mor; eius oratio est infructuosa, siue oret pro se siue pro alijs in Missa cap. in grauibus 3 q. 7 Quia etsi peccatores quandoque Deus exaudiat ex sua benignitate, & de congruo; hoc tamen intelligitur quando ipsamet oratio non est peccaminosa; vt in casu nostro: quia sacerdos indignus celebrans in statu peccati mortalis in toto progressu Missæ peccat, & tota actio quatenus ab ipso proficiscitur mala est, ideoque non misericordiam, sed potius vindictam meretur, & eius oratio execrabilis est, vt habetur Prouerbiorum 28. Vnde ex hoc capite magis valet Missa sacerdotis deuoti quam indeuoti. D. Tho. sup.

Ex actenus dictis concludimus fructum sacrificij esse triplicem. Primus est remissio peccatorum, quo ad culpam. Secundus remissio pœnæ, tertius impetratio donorum, & gratiarum.

PVNCTVM VII.

Quibus personis prosit Sacrificium Missæ, & qua ratione.

AD euidentiam præmittenda est celebris illa diuisio fructus sacrificij, in generalem, specialem, & specialissimum. Generalis est quæ competit, seu communicatur omnibus fidelibus Ecclesiæ membris; quippe sacrificium offertur pro tota Ecclesia, vt in Canone. In primis, quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua S. &c. Secundus dicitur specialis, seu medius & competit illis pro quibus offertur sacrificium specialiter à Celebrante, vel lege Iustitiæ ob acceptum stipendium, vel ex charitate, aut simili titulo. Tertius dicitur specialissimus, qui competit sacerdoti, quatenus est proximus offerens, & minister sacrificij, Et similiter competit alijs offerentibus cum sacerdote, seu coopetantibus ministrando, assistendo &c. Hanc diuisionem ante omnes adinuenit Scotus Quodlib. 20 quem secuti sunt Gabriel, Soro, Corduba apud Suar. disp. 79. sec. 9 & alij recentiores, quos citat; & sequitur Molfesius summa, trac 3. c. 15. nu. 2. Vnde secundum hanc diuisionem triplex genus personarum lucrantur fructus sacrificij. Primo lucrantur offerentes idem sacrif. Secundo illi pro quibus offertur. Tertio generaliter omnes fideles.

Probari, & explicari potest hæc diuisio ex communi doctrina Theologorum, de qua videri possunt Layman de sacrificio. c. 2. n. 3. & Coninch. q. 83 ar. 1 dub. 9. nempe sacerdotem offerre sacrificium triplici nomine, & repræsentare triplicem personam. Primo personam Christi offerentis principalis. Secundo personam Ecclesiæ, cuius legatum ad Deum agit Tertio propriam & priuatam personam. Cum ergo fructus sacrificij respondeat oblationi, & oblatio sit triplex, triplex etiam fructus ex sacrificio prouenit. In vtilitatem fidelium respectiue vt supra. Primo ergo ex oblatione, quatenus fit in persona Christi prouenit fructus specialis, qui dicitur medius, nempe inter generalem; & specialissimum, & præcipuus est atque vberrimus correspondens dignitati ipsius Christi: qui eum non pro se indigeat committit sacerdoti, vt applicet alijs Secundo quatenus oblatio fit nomine Ecclesiæ manat ex ea fructus generalis pro omnibus fidelibus Ecclesiæ membris. Tertio tandem quatenus sacrificium offertur nomine ipsius ministri seu proximi offerentis, prouenit ex oblatione fructus specialissimus proprius ipsius celebrantis, & seruata proportione prouenit etiam similis fructus alijs offerentibus cum celebrante, ministrantibus assistentibus Missæ &c. Quare dicendum est de singulis prædictis fructibus & de personis, qui illos percipiunt, & lucrantur.

PVNCTVM VIII.

De fructu speciali, seu medio in quo consistat, & quibus proueniat,

REspondeo & dico primo fructus specialis consistit in omnibus effectibus sacrificij Missæ superius explicatis nempe in remissione peccatorum quoad culpam, in sa-

tisfactione, & impetratione.

Probatur fructus specialis est qui manat ex sacrificio, quatenus offertur in persona Christi, ergo consistit in effectibus prædictis. Probatur consequentia: quatenus offertur in persona Christi habet veram, & essentialem rationem proprie dicti sacrificij, vt alias probauimus; ergo vt sic habet omnem vim & efficaciam operandi, & communicandi omnes effectus, qui sacrificio competunt; nam vbi est ratio essentialis alicuius rei, sunt etiam & proprietates Ita DD. communiter cum D. Tho. q. 79 art. 5. & 7. Vide *Suar.* disp. 79 sec. 8. Versi. Tertio quod pertinet.

Dico secundo, hic fructus specialis, seu medius prouenit illis, pro quibus celebrans applicat sacrificium modo capaces sint. Siue sibi applicet sacerdos, siue alijs. Nam quemadmodum pro populo, ita & semetipso potest offerre pro peccatis: ad Hebr. V.

Probatur: Quia sacerdos ex vi suæ ordinationis constituitur à Christo minister, & dispensator mysteriorum, & donorum Dei. Quod manifeste patet ex forma ordinationis, nempe, accipe potestatem offerendi sacrificium pro viuis, & defunctis; ergo applicatio fructus prædicti sacrificij Missæ, quatenus est proprie dictum sacrificium ad sacerdotem pertinet DD communiter D. Thomas in 4. dist 45. *Suar.* disp. 79 sec. 9. initio, Layman de sacrificio c. 2. nu 11. Coninch. 83. art. 1 dub. 9. nu. 155. Filliuccius tract. 5. n. 73.

Colligitur, si celebrans applicet alteri pro quo sacrificium offert totum hunc fructum specialem, sicut etiam tenetur applicare ei, qui iustum dedit stipendium; tunc ipsum sacerdotem nihil omnino percipere eiusdem fructus; quia posita obligatione iustitiæ, eum diuidere non potest, cum sit finitus, & determinatus. Ita *Suar.* supra & Filiuccius to. 2 tract. 5. c. 3. nu. 75. & supponunt communiter DD. cit. pro diuisione explicata puncto præcedenti.

Quamuis oppositum sentire videatur Layman c. 2. citato n. 18. nempe ex sacrificio, etiã vt offertur in persona Christi sacerdotem lucrari partem propriam, quam non tenetur alijs applicare, & citat pro se Suarez, qui tamen illi non fauet, quia partem propriam sacerdotis appellat fructum sacrificij, quatenus offertur, non in persona Christi, sed in persona priuata ipsius ministri.

PVNCTVM IX.

De applicatione sacrificij facienda per celebrantem, & primo an sit necessaria celebrantis applicatio, vt fideles consequantur fructum sacrificij specialem.

Ratio dubitandi est, quia vt vt fideles cõsequantur effectum Sacramentorum, non requiritur, vt per ministrum ei applicetur: ergo pariter in casu nostro ad celebrantem spectat conficere sacrificium, vel Sacramentum; non autem applicare fructum sacrificij.

Respondeo, certum esse requiri applicationem celebrantis. Ratio desumitur ex discrimine inter sacrificium, & Sacramenta. Sicut enim Sacramenta conferunt suum effectum recipientibus ipsa Sacramanta; ita sacrificium confert suum effectum illis pro quibus offertur; ergo sicut Sacramenta determinantur ad operandum per receptionem, ita sacrificium per oblationem. Non per oblationem quatenus respicit Deum, vt obiectum cui fit oblatio; ergo per oblationem, quatenus refertur ad homines, & pro illis offertur sacrificium quod idem est, ac applicare hominibus fructum sacrificij.

Quod autem hæc applicatio spectet ad celebrantem supra probauimus puncto præcedenti ex forma ordinationis sacerdotum; cuius enim est offerre Deo sacrificium, eiusdem est offerre pro alijs. Vide Suar. disp. 79. sec 8. Layman de sacrificio c. 2. n. 12.

Ad rationem dubitandi respondetur negando consequentiam; in Sacramentis enim non requiritur, vt per ministrum fiat applicatio fructus Sacramenti actu distincto Tum quia Sacramenta determinantur ad operandum per receptionem suscipientis: sacrificium autem, secundum se non recipitur in aliquo, sed offertur Deo, & transfertur in conspectu diuinæ Maiestatis. Tum quia quatenus esset necessaria applicatio effectus Sacramenti per ministrum satis continetur in ipsa administratione & collatione Sacramenti: hoc enim ipso applicatur suscipienti virtus, & efficacia Sacramenti, & consequenter effectus. Cœterum sacrificium, secundum se non offertur homini, sed soli Deo; ergo vt prosit homini, debet per nouum actum referri ad hominem, & pro illo offerri, quod est illi applicare fructum sacrificij; sunt autem actus diuersi; quia primus est actus religionis & cul-

& cultus latriæ, secundus vel est actus iustitiæ si ob stipendium acceptum applicatio fit debita, vel charitatis si non sit debita.

PUNCTUM X.

Qualis intentio requiratur in celebrante ad valorem applicationis Missæ.

TRiplex intentio distinguitur à Theologis communiter in ordine ad valorem sacrificij, vel Sacramenti & similiter ad valorem applicationis prædictæ. Prima intentio dicitur actualis, secunda habitualis, tertio veluti media dicitur virtualis.

Intentio actualis est actus voluntatis præsens immediate per se ipsum influens in operationem externam E.g. quo ego actu intendo consecrare, & conficere corpus Christi, dum actu profero verba consecrationis & de hac non est dubium quin sufficiat ad valorem, tum Sacramenti & sacrificij, tum applicationis, si tunc fiat applicatio.

Habitualis est intentio mere præterita, non retractata E.g. Heri decreui, quod sacrum hodiernum prodesset Petro defuncto, pro quo determinate applicaui sacrificium; hodie vero immemor illius applicationis facio sacrum, queritur vtrum sacrum hodiernum prosit illi defuncto ex vi intentionis præteritæ non retractatæ, quæ nullo modo influit in sacrum hodiernum.

Intentio virtualis est non solum actus voluntatis præteritus non retractatus in quo conuenit cum habituali sed manens in virtute, & influens in opus quod in præsenti, & nunc fit. Dicitur autem manere in virtute, vel in aliquo suo effectu in imaginatiua impresso, & relicto, quo mouentur potentiæ exteriores ad operandum. Vel ratione connexionis quam habent operationes sequentes potentiarum exteriorum cum illa prima, ad quam applicatæ fuerunt per intentionem actualem: quæ licet cesset, nihilominus potentiæ inferiores manent applicatæ, & continuant motus suos ex vi primæ applicationis E.G. incipit quis sacrum intendens celebrare, & postea omnino distractus, totum sacrum ordine suo perficit; in qua serie omnes actiones à prima illa intentione vere procedunt secundum modum agendi humanum.

His positis certum est secundum omnes ad valorem applicationis Missæ sufficere intentionem, tum actualem, tum virtualem, sicut etiam alterutra sufficit ad valorem sacrificij, vel Sacramenti. Difficultas solum est de intentione habituali, quæ ex communi sententia non sufficit ad valorem sacrificij, vel Sacramentorũ. Quæritur ergo an sufficiat ad applicandum valide fructum sacrificij.

Prima sententia est Vasquez in 3.p D.Tho. disp 38.c 6.nu.73. vbi docet non sufficere intentionem habitualem, sed requiri saltem virtualem. Sequitur Granado 3.p. disp.4. sec. 2. controu. 3. tract. 5.

Probatur. Non sufficit intentio habitualis ad offerendum sacrificium simpliciter: ergo neque ad offerendum sacrificium pro aliquo. Probatur consequentia quia non offertur pro aliquo, nisi per similem voluntatem, qua simpliciter offertur. Antecedens probatur: nam sacrificium est opus humanum atque adeo pendens ex voluntate ministri: non potest autem pendere à voluntate habituali, quæ omnino cessauit, & nihil potest influere. Pro hac sententia citantur etiã summa corona, Beia, Fraxinelles apud Dianam de celebrat. Missarum p.2. res.47 dicentes debere sacerdotem in primo memento applicare Missam, ea certe ratione, quia requiritur intentio virtualis, habens connexionem cum collatione effectus sacrificij, qui statim confertur consecratione peracta: non haberet autem connexionem, nec virtualiter duraret, si longo tempore consecrationem præcederet.

Secunda sententia communis, & probabilior docet, sufficere intentionem habitualem ad valorem applicationis in casu nostro: non autem ad valorem sacrificij.

Probatur: quia applicatio fructus sacrificij est quædam species donationis, seu distributionis, quæ potest fieri anticipatè, & sub conditione: quare sortitur suum effectum, si habitualiter perseueret & non fuerit reuocata: exempli gratia ego possum donare librum, vel quid aliud, si crastina die venerit in meam potestatem: qua conditione cras posita, voluntas præterita transit in absolutam, & habet suum effectum, modo reuocata non fuerit; ita pariter dicendum in casu nostro de fructu sacrificij, posito quod sacerdos postea sacrum faciat. Ita Suar Bonacina Molfesius, quos citat, & sequitur Diana dicta resol.47. sequitur etiam Lugo de Sacramentis in genere disp.8 sec.6 Tambur Opusc. de sacrif. lib.1. cap.2. §. 10. Coninch. q.64 art. 76.

Ad opposita respondetur negando consequentiam. Ratio disparitatis est quia intentio offerendi sacrificium debet esse operatiua influens per se vel per suam virtutem in oblationem. Cæterum applicatio fructus est donatio, quæ non producit rẽ donatã, sed transfert

sferr in alium, siue absolute, siue sub conditione, ad quod sufficit voluntas habitualis, ex supradictis.

Colligitur esse validam applicationem si sue intentio præcesserit per vnum vel plures dies, siue etiam per mensem, vel annum; dummodo fuerit omnino determinata, nec postea retractata. Ita Lugo supra num. 91. & Tamburinus opusc. de sacril. cap. 2. §. 10. qui ponunt exemplum de applicatione Missarum totius anni. Consultius tamen est eā intentionem sæpius renouare.

PVNCTVM XI.

Quando fieri debeat applicatio sacrificij vt sit valida.

Respondeo faciendam esse necessario, vel ante Missam, vel in ipsa Missa sed omnino ante consecrationem vt communiter fit in primo memento, quod tutius est ex dictis præcedenti puncto, alioquin nihil proderit si fiat post consecrationem.

Probatur quia sacrificium est institutum, vt operetur dum fit, & suo modo existit; non vero quando præterijt secundum suas partes essentiales; sed nō ex istit, nisi quando fit consecratio, in qua essentialiter consistit; ergo tunc solum operatur; consequenter debet fieri applicatio ante consecrationem; neque enim potest effectus sacrificij esse suspensus.

Confirmatur à pari; sicut enim Sacramenta non operantur suum effectum, nisi dum conficiuntur, & actu consistunt: nec est in potestate ministri eorum effectum suspendere & postea alicui applicare; ita pariter dicendum de fructu sacrificij. Ita DD communiter, qui docent essentiam sacrificij consistere in sola consecratione Suar disp. 79. sec. 9. Versic Tertio inquiri potest Layman de sacrificio c. 2. n. 12. Coninch. q. 83 ar. 1. dub. 9. Diana p. 10 tract. 12. res 27 qui alios citant. Hinc communiter approbatur à Doctoribus consuetudo applicantium fructum sacrificij in primo memento; non autem in secundo memento post consecrationem.

Obijciunt nonnulli, tunc oportune, & tutiori modo fit applicatio sacrificij, quando ex præscripto Ecclesiæ fit oblatio pro alijs, & eorum commendatio apud Deum; sed prædicta oblatio, & comendatio saltem pro defunctis fit in secundo memento post consecrationem; ergo dicendum est vel minus apte institutum fuisse ab Ecclesia memento pro defunctis, vel posse in eo fieri applicationem sacrificij saltem pro defunctis.

Respondetur. Illam commendationem, seu commemorationem quæ fit in secundo memento, non esse institutam ab Ecclesia ad applicandum fructum sacrificij ex opere operato nempe remissionem pœnarum; Sed ad applicandum fructum impetrationis per orationem, qui fructus semper augeri potest, repetita oratione, præsertim quamdiu res oblata est præsens; vide Suar. disp. 75. sec. 5 Versic. dices. Cardinalem de Lugo disp. 19. n. 72. Tamburinum Opusc. de sacrificio c. 2. § 10.

Dixi autem prædicta esse vera in communi sententia & quia in opinione illorum qui dicunt essentiam sacrificij consistere etiam in communione seu consumptione hostiæ, quæ fit à celebrante; valida erit applicatio prædicta post consecrationem, modo fiat ante communionem. Sed quia hęc opinio quamuis probabilis, nihilominus non est certa; consequenter non est certum huiusmodi applicationem fore validam. Consulendum est igitur vt semper fiat applicatio ante consecrationem.

PVNCTVM XII.

Quid si celebrans nemini applicet Fructum sacrificij, vel applicet in capaci.

Est quęstio de fructu satisfactionis ex opere operato, cuius sunt incapaces, tum existentes in peccato mortali, tum damnati, tum denique Beati, qui eo non indigent.

Respondeo & dico primo. Hunc casum raro, & fere nunquam posse contingere. Probatur quia ex supradictis sufficit intentio habitualis, & a fortiori virtualis etiam implicita & generalis: quilibet autem habet intentionem virtualem satisfaciendi suę obligationi, si quam habet. Vel si obligationem non habet quilibet semper implicite intendit ipse frui prædicto fructu, quando alteri non applicat, & interrogatus ita responderet Ita Suar. disp 79. sec. 9. Laiman, Coninh locis supra citatis, qui alios citant.

Dico secundo si desit omnino intentio, etiam generalis & implicita tunc nullus fructus satisfactionis ex sacrificio prouenie; cōsequenter nemo illum lucrabitur. Probatur quia deest necessaria conditio ex supradictis, Puncto 9. DD. supra citati: Remanet autem tunc fructus ille in thesauro Ecclesiæ, quia non extrahitur aliquid ex vi sacrificij, ex Thesauro defectu applicationis.

Dico tertio facilius euenire potest vt sacerdos applicet fructum sacrificij sed incapaci

ci, & illi soli applicet, in quo casu nemo quicqoam lucratur ex sacrificio: sed remanet in Thesauro Ecclesiæ ob rationem supra explicatam. Quare optime aduertunt DD. consulendum esse, vt sacerdotes primæ intentioni, seu applicationi semper addant secundam sub conditione, ne perdatur fructus sacrificij. E. G offero sacrificium pro Patre meo defuncto, quod si is non indiget vel capax non est applico pro alijs cognatis, vel amicis. Item offero sacrificium pro eo qui dedit stipendium, quod si non est capax applico pro animabus derelictis Purgatorij vel mihi ipsi &c. Ita Layman de sacrificio c. 2. n. 9. Coninch dub. 9. citato n. 166.

PVNCTVM XIII.

Vtrum applicatio prædicta possit remitti in Deum.

Exempli gratia ex multis qui stipendium dederunt dubitat sacerdos cui nam primo loco sit satisfaciendū, & sic deinceps qui nam alij præferendi. Quæritur vtrum possit remittere determinationem in Deum, vt Missæ prosint illis quibus magis Deo placet, vel Deus magis expedire videt.

Respondeo affirmatiue. Probatur quia Deus est qui immediate operatur effectum sacrificij, & remittit pœnas: ergo optime remittitur applicationis determinatio in Deum. Ita Scotus Quodlib. 20. quem citat & sequitur Nauar. in Manu. c. 25. n. 19. Docent etiam Suar in 3. p. to. 3. disp. 43 sec. 6. Auersa de Euchar. q. 2. sec. 2. §. Debet etiam Bonac. disp 4. q. 2. punc. 5 fine.

Potest autem dupliciter remitti applicatio in Deum nempe vel in diuinam voluntatem, vel in diuinam scientiam. Primo modo fit applicatio sub hac, vel simili forma. Applico fructum sacrificij pro illis, quibus teneor secundum determinationem diuinæ voluntatis prout magis Deo gratum est, vel secundum Dei electionem, quem modum indicat Suar. sup. & Auersa.

Hic tamen modus impugnatur ab aliquibus: quia ex institutione Christi applicatio commissa est sacerdoti, seu proximo offerenti, non autem reseruata ipsi Deo; ergo requiritur necessario determinatio ipsius celebrantis: alias Deus nulli conferet fructum sacrificij. Probatur consequentia, quia non impleta conditione à Christo exigita non suffragatur illius promissio. Ita Tamburinus Opusc. de sacrificio l. 2. c. 2. § 9. n. 17. citans pro se Vasquez, qui tamen loco ab ipso Tamburino citato de hoc non tractat. Imo disp. 231 in p. 3. c. 5. n 40. Oppositum significat, dum ait cum Corduba, Missam applicandam esse iuxta specialem obligationem, & omnia diuinæ dispositioni reseruanda.

Hæc tamen impugnatio non conuincit: quia & si Christus commiserit applicationem ministro non tamen prohibuit ne in Dei voluntatem refunderet Præsertim quia offerentes stipendia petunt aliquando Missas in magno numero pro multis animabus Purgatorij, nec determinant, quibus primo loco sint applicanda sacra, nec ipse sacerdos hunc ordinem scire potest; ergo necessario recurrendum est ad determinationem ipsius Dei. deinde falsum est non poni in casu nostro cōditionem a Christo exigitam; nam vere minister applicat; sed illi cui sacrificium applicari magis Deo placet.

Confirmatur potest sacerdos remittere applicationem in aliquem hominem applicando Missam, illi E. G. quem Titius determinauerit; non quidem in futurum ne suspendatur effectus sacrificij, sed si tempore, quo offertur iam applicauerit Titius, secundum omnes valet applicatio, vt docent Suar. disp. 70. sec. 9. Filiucius trac. 5. c. 3. num. 79. Layman de sacrificio c. 2. n. 13. ergo multo melius potest remitti in Deum.

Confirmatur secundo: quia communiter religiosi applicant fructum sacrificij secundum intentionem superioris: ergo possunt etiam applicare secundum electionem, & determinationem Dei. Aliud est enim ministrum non applicare fructū sacrificij, quod nos non dicimus, aliud est applicare sed remissiue in Deum quod dicimus fieri posse.

Sed ad tollendum omnem scrupulum tutius fit applicatio secundo modo remissiue in diuinam scientiam, vt applico secundum ordinem iustitiæ Deo notum, vel vt Deus magis expedire cognoscit. Quem modum sequitur Nauarrus loco supra citato: ait enim applicandum sacrificium sub hac forma. Applico sicut Deo consulcute applicare deberem: hic ergo modus facilis est, & tutior, & expediens valde est ad liberandum à difficultatibus superiores, vel Rectores Ecclesiarum, vel alios, quibus incumbit cura satisfaciendi oneribus missarum celebrandarum.

Colligitur primo valide applicari Missas ab eis, qui celebrant cum intentione satisfaciendi suæ obligationi, quia subintelligitur secundum ordinem iustitiæ Deo notum, vt patet ex dictis: punc. 12 præcipue cum sæpe non possint sacerdos determinare in particulari, vel nosse personas, vel animas Purgato-

gatorij quibus potius sit primo loco offerendum sacrificium.

Colligitur secendo vnum sacerdotem posse valide satisfacere pro obligatione alterius: applicando Missas illis quibus tenetur alter applicare, vel curare vt celebrentur: etiam si sacerdos cuius obligationi satisfit hoc ignoret: quia potest quilibet sacerdos applicare sacrificium quibuscumque: & quoad ordinem potest se remittere in Deum, & quilibet potest soluere pro alio; imo sic satisfaciens pro alio potest ab eo recipere eleemosinam nisi intenderit gratis celebrare, ita alijs citatis Bonacina de sacram. disp 4. q vlt. p 7. §. 1. num. 4.

PVNCTVM XIV.

De applicatione illicita vtrum sit valida.

EXempli gratia tenetur sacerdos applicare sacrum hodiernum pro Titio, ratione stipendij accepti, vel ex præcepto superioris, & nihilominus applicat alteri contra iustitiam, vel obedientiam Quæritur, quæ applicatio præualeat, vtrum debita ex iustitia, vel applicatio iniusta ipsius celebrantis. Et præsertim vtrum præualeat applicatio rationabilis superioris applicationi illicitæ subditi.

Ratio dubitandi est quia non videtur credibile decreuisse Christum eo modo illicito sua merita distribui: ergo dicendũ est Deum conferre fructum sacrificij secundum intentionem debitam celebrantis, non secundam iniustam, & similiter Deum præferre applicationem superioris ei, quam facit sacerdos subditus.

Prima sententia sustinet præualere applicationem superioris & fructum sacrificij prouenire illi cui superior applicat; non autem alteri, cui applicatur à Celebrante contra intentionem superioris.

Probant aliqui quoad sacerdotes Regulares: quia religiosi, nec habent velle, nec nolle: quia per votum obedientiæ renunciarunt propriæ voluntati, & omnino dependent à voluntate superioris. Cæterum hoc argumentum petit principium: de hoc enim quæritur vtrum sacerdos, non vt priuata persona, sed vt minister altaris dependeat à voluntate superioris quoad applicationem sacrificij, vel sit independes: melius ergo.

Probatur primo. Illius applicatio præualere debet cui incombit cura satisfaciendi oneribus missarum celebrandarum, quibus grauatur Ecclesia, vel Monasterium: alias non esset sufficienter prouisum illius potestati, & officio; sed ea incumbit Prælato, seu Rectori Ecclesiæ, vt per se patet ergo &c.

Confirmatur. Potest Prælatus præsertim regularis suscipere onera Missarum celebrandarum per subditos, etiam nescientibus & inuitis ipsis subditis: ergo potest etiam inuitis subditis oneribus illis satisfacere, & Missas applicare.

Probatur secundo. Potest prælatus præcipere subditis, vt celebrent, & applicent fructum sacrificij secundum suam intentionem, vt communiter concedunt: ergo habet in eo voluntatem subditorum sibi subiectam, & subordinatam: ergo potest actus oppositos, nempe applicationem contrariam irritare, & ad leges iustitiæ reducere.

Confirmatur. quia Prælati Regulares possunt irritare vota, & similes actus suorum subditorum. Item Principes, & legislatores possunt irritare actus, & contractus subditorum: ergo pariter in casu nostro poterit superior irritare applicationem. Hanc sententiam sustinent Scotus Gabriel, Armilla, Fraxinellus de obligatione sacerdotum sec 6. § 7. Confectus in compend. priuileg. tit. 19. c 3. Gauantus, & alij apud Dianam de celebratione Missarum p. 2. resol. 72. Idemque dicunt de Episcopo respectu subditorum. Itemque de sacrista, vel alio cui Episcopus, seu Prælatus Regularis commisit curam applicandi Missas; quia vtitur eorum facultate.

Secunda opinio opposita docet præualere semper applicationem celebrantis neque eam posse ab vllo superiore irritari. Probatur: quia potestas ordinis non pendet à voluntate Ecclesiæ, vel Prælati Ecclesiastici quoad valorem actus eiusdemque effectum, (vbi non concurrit iurisdictio). Vnde quantumcumque Prælatus prohibeat sacerdoti, ne celebret, ne baptizet &c. nihilominus si hic oppositum faciat, consectatio est valida & baptismus tenet: sed applicatio fructus sacrificij est actus potestatis ordinis, vt constat ex supradictis ergo &c.

Respondent aduersarij, maiorem esse veram in his, quæ spectant ad essentiam, & substantiam sacrificij, vel sacramenti, secus est de applicatione circa fructum, quæ non spectat ad essentiam sacrificij. Contra, Ideo non potest irritari actus ordinis circa substantiam sacrificij, quia pendet ex institutione Christi quam Ecclesia mutare non potest: sed quilibet actus ordinis pendet ex Christi institutione. & præsertim applicatio in casu nostro: ereo applicatio irritari non potest.

Probatur secundo Constat hanc potestatem

tem applicandi fructum sacrificij commisti à Christo ipsi celebranti in ipsa collatione ordinis sacerdotalis; ergo est absolute necessarius concursus celebrantis ad communicandum fructum prædictum. Esto igitur possent Prælati irritare applicationem inuitam celebrantis; opus tamen esset ad consequendum intentum, vt possent causare in illius voluntate nouum actum applicationis conformem intentioni ipsorum Prælatorum: sed hoc excedit omnem potestatem humanam: ergo sola applicatio Prælati contra voluntatem celebrantis nihil omnino prodest. Hæc ergo sententia communis est, & longe probabilior, quam sequuntur Suar. Layman, Coninch Filliucius locis supra citatis Vasquez, Lezzana, & alij innumeri, quos citat & sequitur Garzias de Sacerdotio trac. 3. diffic. 3. dub. 5 punc. 2 Lugo de Euchar. disput. 19 n. 210 Auersa de sacrificio q. 1 1. sec. 10.

Ad opposita respondetur ad primum. Teneri quidem superiores curare pro viribus, vt satisfiat oneribus Missarum, suadendo, & præcipiendo subditis, vt suam obligationem impleant; non possunt tamen ipsi immediate satisfacere, & applicare Missas contra voluntatem sacerdotum.

Ad confirmationem distinguo consequens: ergo potest satisfacere inuitis subditis cogendo omnes præceptis, & censuris, vt satisfaciant, concedo. Supplendo vel irritando sacerdotum applicationem, nego sicut neque potest supplere, vel irritare consecrationem.

Ad secundum distinguo consequens: ergo habet voluntatem subditorum sibi subiectam quoad directionem actus, concedo; quoad valorem, nego.

Ad confirmationem respondetur superiores posse irritare vota, & alios actus subditorum, quibus disponunt de se ipsis, vel de rebus subiectis ipsis prælatis, vel Principibus, ratione dominij alti quod habet. Secus tamen est de actibus ordinum ex supradictis, & præsertim de applicatione, qua dispensantur merita passionis Christi super quibus non habent dominium.

Ad rationem dubitandi initio positam. Respondetur Christum non distribuere sua merita illa applicatione illicita sacerdotis approbando peccatum iniustitiæ vel inobedientiæ; sed permittendo peccatum, concurrit ad effectum sacrificij, ne ordinem cõstitutum perturbet: alias mali ministri non conficerent Sacramenta quod est falsum.

Primo colligitur, si minister hunc fructum medium, seu specialem sacrificij applicet excommunicato contra prohibitionem Ecclesiæ ipsum ministrum peccare mortaliter; sed excommunicatum vere frui eo fructu, quatenus capax est, vt si sit contritus, & in statu gratiæ. Etsi enim Ecclesia possit prohibere, ne pro talibus offeratur; nequit tamen efficere, ne pro ijs valide in persona Christi offeratur Coninch. q. 83. ar. 1. dub 9. nu. 159. Sicut si sacerdos absoluat excommunicatum à peccatis, antequam absoluerit à censura, peccat mortaliter sacerdos; absolutio tamen est valida si pænitens bona fide procedat ob eamdem rationem, vt tradunt DD. communiter in trac. de penitentia.

Secundo colligitur ad validam applicationem non sufficere si celebrans non contradicat Superiori, sed opus esse positiua intentione ipsius celebrantis virtuali, vel habituali, vt supra; quia vt diximus concursus celebrantis est necessarius.

Tertio colligitur supplendas esse Missas debitas ex iustitia, quando celebrans eas nõ applicauit, etiam si superior applicauerit: quia non satisfactum fuit obligationi: vnde subditus tenebitur hoc manifestare superiori, nisi velit, & possit ipse supplere ex suis Missis liberis. E contra non esse supplendas eas, quas celebrans applicauit; iusta obligationem Ecclesiæ, vel conuentus, quamuis superior non applicauerit. Tamburrinus Opus. de sacrificio l. 1. c. 2. §. 9. n. 15.

PVNCTVM XV.

Qualiter Prælatus Ecclesiasticus possit præcipere Sacerdotibus applicationem Missarum.

Ratio dubitandi est quia applicatio huiusmodi est actus mere internus, & soli Deo notus: Ecclesia autem non potest præcipere, vel prohibere actus mere internos, vt docent communiter DD. cum D. Th. 2. 2. q 104. ar. 5. corpore.

Respondeo. Certum esse à Prælatis, siue Regularibus siue etiam secularibus posse id præcipi suis subditis ex causa iusta, & rationabili; vt constat tam ex communi vsu Ecclesiæ præsertim in religionibus, tum quia hæc potestas videtur absolute necessaria prælatis ecclesiasticis, vt conuenienti ordine dispensentur fructus sacrificij; ne sacerdotes inferiores abutantur facultate quam habent applicandi fructus eosdem; vnde Ecclesia de facto præcipit ne applicentur excommunicatis, & quoad fructus generales ceteris omnibus fidelibus applicentur. Ita Syluest. ver. Missa q. 12. Suar. l. 3. de legibus c. 29.

29.nu.10.Sanchez.summa lib.6 c.3.n.6 Garzias de sacerdotio tract 3.difficul.3.dub.5. pun 1.Coninch. de Sacram.q 83.ar.1. dub.9. n.169.

Difficultas est in assignandis casibus in quibus potest hoc præcipi à superioribus: non enim in omnibus conueniunt Doctores.

Primus casus est quando Ecclesia vel monasterium est grauatum oneribus Missarum celebrandarum lege iustitiæ, ratione fundationis, legati, vel alias ex stipendijs acceptis sub eo onere in vtilitatem, & commodum eiusdem Ecclesiæ, vel monasterij.

In hoc ergo casu conuenit inter omnes, posse Prælatum Ecclesiasticum præcipere suis subditis, vt prædictæ obligationi satisfaciant, applicando sacrificia &c.

Probatur monasterium, vel Ecclesia tenetur satisfacere ratione contractus initi à superiore nomine communicatis; ergo singuli sacerdotes præsertim religiosi tenentur satisfacere suam partem implendo. Posito quod superior hunc modum satisfaciendi eligat Probatur consequentia: quia superior, & subditi constituunt vnum corpus cōmunitatis cuius sunt membra; & sicut per professionem fiunt partes illius corporis, & sentiunt ex eo commodum; sic implicitè obligantur ad onera eiusdem monasterij. Eademque est ratio de sacerdotibus secularibus quatenus sunt partes, & membra alicuius Ecclesiæ collegiatæ. In hoc ergo casu potest superior præcipere, vt prædictis oneribus iustitiæ singuli satisfaciant.

Confirmatur potest, & tenetur superior curare, vt subditi obseruent leges diuinas, & naturales, præsertim iustitiæ: ergo potest præceptis, & pœnis ad hoc eos compellere, præcipiendo actus virtutum, & vitia prohibendo, vt cum D. Tho. p. 2 q. 96. ar. 2 & 3. docent communiter DD. sed in casu nostro tenentur subditi Missas lege iustitiæ celebrare, & pro alijs applicare; ergo potest superior hoc illis præcipere.

Neque huic resolutioni obstat ratio dubitandi initio posita de actu interno. Primo quia in hoc casu non tam imponitur à superiore nouum præceptum, quam declaratur, & intimatur præceptum Iuris naturalis, quo subditi obligantur ad illum actum internum. Secundo etiam si superior nouum præceptum imponat, non tamen præcipit directe, & per se actum internum, sed consecutiue, quatenus actus internus est absolute necessarius ad satisfaciendum legi iustitiæ, quam potest superior nouo Præcepto vrgere, in quo casu actus internus potest cadere sub præcepto, vt ex dicendis patebit.

Posito autem, quod superior nouum præceptum imponat, dubium occurrit: Quot peccata committat subditus non adimplens eam obligationem, stante duplici præcepto, naturali: & positiuo. Dicendum breuiter est præsertim quoad Religiosos si non constet voluisse superiorem imponere nouam obligationem ex virtute obedientiæ, quam religiosi vouerunt, eos vnicum peccatum committere. Communiter autem præsumitur superior nolle imponere nouam obligationem. Si vero constet voluisse imponere nouam obligationem ex vi voti & sanctæ obedientiæ in transgressione erit duplex malitia contra iustitiam, & contra votum obedientiæ. Ita Sanchez lib. 6. summæ c. 4. n. 6. sacerdotes autem seculares carentes voto obedientiæ vnicum pecc. committunt.

Secundus casus, de quo est controuersia est quando sacerdotes non sunt alias obligati iure naturali ad offerendum sacrificium pro alijs, vel saltem non tenentur sub peccato mor. Vtrum possint prælati hoc illis præcipere E. G. ratione gratitudinis erga benefactores superior præcipit, vt satisfiat huic obligationi antidorali applicatione Missarum: quæritur vtrum huiusmodi præceptum sit validum, & teneantur subditi sub peccato mortali Missas applicare si superior sub pecc. mor. præcipiat. In quo casu vrget ratio dubitandi de actu interno; quia virtus gratitudinis ex se non obligat cum tanto rigore, sed ex honestate quadam, & morali decentia, vt videri potest apud Lessium de Iustitia c.47 dub. 3. Item non obligat ad satisfaciendum tali medio, & applicatione Missarum, ergo tota vis obligandi oriri deberet ex iurisdictione superioris: sed hoc dici non potest in casu nostro; quia iurisdictio fori externi non extenditur ad actum mere internum, qualis est applicatio; ergo &c.

Prima sententia sustinet præceptum esse validum, & iurisdictionem superioris extendi ad hunc casum.

Probatur & explicatur. Actus internus potest considerari dupliciter primo directe, & per se, seu solitarie, & sic non potest cadere sub præcepto. Secundo indirecte, & consecutiue, quatenus habet necessariam connexionem cum actu externo, & sensibili, quem certum est posse ab Ecclesia præcipi sacerdoti, vt celebret, vt sacramenta ministret. Consequenter potest præcipere, vt velit celebrare seu vt habeat debitam intentionem conficiendi sacramenta: quia sine his actibus internis, actus externus qui præcipitur neque esset actus humanus, neque

actus

actus virtutis, neque sufficiens ad finem diuini cultus & salutis animarum, quem Ecclesia intendit; ergo si potest præcipere actum externum, potest etiam præcipere consecutiue actum internum per se connexum cum externo, & absolute necessarium ad finem intentum; alias potestas Ecclesiæ esset minus sufficiens, & inutilis. Sed applicatio fructus sacrificij in casu nostro est per se connexa cum actu celebrationis, qui præcipitur, & absolute necessaria ad finem gratitudinis, quem superior intendit, & propter quem iuste, & rationabiliter præcipit actum externum celebrationis: ergo &c. Ita Siluester. Sanchez Garzias supra citati. Merolla to. 2. disp. 4 de legibus c. 3 dub. 30. citans Mirandam Tambutinum, & alios. Quare hæc sententia videtur communis.

Secunda sententia negat iurisdictionem Prælati Ecclesiastici extendi ad hunc casum.

Probatur quia prædicta applicatio non est necessaria ad substantiam sacrificij neque per se connexa cum illo; quippe potest dari verum sacrificium absque applicatione fructus: ergo ex eo quod superior potest præcipere actum externum celebrationis; non sequitur posse præcipere actum inter. applicat.

Confirmatur primo quia nemo dicit sacerdotem quando alias non tenetur celebrare pro alijs, peccare mortaliter si nulli applicet sacrificium. Ergo applicatio non est per se connexa cum celebratione.

Confirmatur secundo quia plures, & graues DD. probabiliter sustinent non posse Ecclesiam præcipere attentionem internam in recitatione horarum Canonicarum, eo quia non est absolute necessaria ad cultum externum; ergo idem dicendum de applicatione interna respectu sacrificij; quia vtrobique militant eædem rationes. Ita Layman lib. 1. tract. 4 c 4. nu. 13 Castropalao to. 1. trac. 3. disp. 1. pun. 7. Tambur. de sacr. l. 2. c. 2. §. 9.

Vtraque sententia videtur probabilis; sed prima enim sit communis, & probabilior est omnino consulenda.

Imo quoad religiosos videtur certa, & tamquam certam supponit Sanchez l. 6. cita. to c. 2. nu. 6. Ratio est quia religiosi tenentur obedire superiori quoties hic præcipit secundum regulam: sed in casu nostro præcipit superior secundum regulam, quæ communiter præscribit, & vrget actus gratitudinis erga benefactores: ergo &c. Rursus applicatio interna est absolute necessaria ad actum gratitudinis externum, & celebrationis, quatenus præcipitur à superiore in satisfactionem obligationis ancidoralis: ergo &c.

Fauent etiam aliqui ex auctoribus secundæ sententiæ: nam Layman loco citato cum dixisset non posse facile superiores obligare subditos sub peccato ad offerenda sacrificia secundum particularem aliquam intentionem; statim subdit: Prælatis autem Regularibus Paulo maior potestas competit ratione voti obedientiæ; & ratio potest esse: quia votum sponte emittitur à singulis religiosis; quilibet autem potest se voto obligare, etiam ad actus internos. Vnde in casu nostro si superior præcipiat secundum regulam, & regula se extendat ad actum internum; præceptum quoque superioris ad actum internum extenderetur.

Colligitur. Religiosos teneri applicare Missas pro defunctis fratribus suæ religionis iusta præscriptum regulæ; quia tenentur regulam seruare. Item si prouincialis, vel Generalis præcipiat, vt religiosi vnius Conuentus applicent Missas in subsidium alterius Conuentus, ob communicationem quam habent ad inuicem conformem regulæ. Ita cum alijs Garzias loco supra citato punc. 1. nu. 3.

Tertius casus est quando debetur applicatio Missarum lege iustitiæ ob stipendia accepta sub eo onere, sed superior illa accepit non in bonum, & commodum monasterij: sed ob sua priuata comoda E. g ad propriam supellectilem non necessariam, ad peregrinationes voluntarias &c. consequenter ad cōtraxit nomine proprio; non autem nomine communitatis, aut monasterij, quod in eo casu non tenebatur consentire. Quæritur ergo verum in hoc casu possit superior præcipere subditis, vt satisfaciant prædicto oneri Missarum celebrandarum.

Respondeo, & dico primo sacerdotes seculares non teneri in hoc casu applicare suas Missas, quamtumuis Episcopus præcipiat. Probatur quia iurisdictio Episcoporum, & similium Prælatorum ordinatur ad pascēdas oues, consequenter ad bonum spirituale subditorum; non autem ad priuatum, & proprium commodum temporale, præsertim si aliunde habeat sufficientes redditus; ergo non potest præcipere applicationem prædictam. Ita Garzias loco supra citato punc. 1. nu. 2. Alphons. de Leone de officio Capellani q. 1. sec. 4 nu 40. Et addunt non posse cogi sacerdotes seculares ab Episcopo ad applicationem Missarum; nisi quando alias tenentur lege iustitiæ ratione Capellaniæ, vel beneficij, vel stipendij &c. Concordat etiam Syluester ver. Missa q. 12.

Difficultas est de religiosis, qui arctiori vinculo subduntur suis prælatis Regularibus in qua variant DD.

Aliqui affirmant, superiorem posse in dicto casu præcipere applicationem missarum & teneri subditos obedire: quia est res licita Ita Garzias loco supra citato, & videntur sentire DD. communiter citati in secundo casu. Ratio potest esse quia elto peccauerit superior suscipiendo onera missarum ad vsus non necessarios; nihilominus rationabiliter deinde præcipit ne fraudentur fructu sacrificij, qui dederunt stipendia, & ne possit oriri scandalum in secularibus.

Alij negant ob rationem supra insinnatam de iurisdictione superiorum, quæ respicit bonum subditorum & Monasterij, non autē priuatum commodum. Sic. Tamburin. de sacrificio l. 2. c 2. §. 9. num. 13.

Pro resolutione Dico secundo hoc pendere ex regulis & consuetudinibus singularum Religionum. Si enim præceptum superioris sit conforme regulæ, tenentur subditi obedire Potest autem superior habere iustam causam præcipiendi præsertim ne scadalizentur seculares. Si autem præceptum regulam excedat, non tenentur subditi obedire: vt patet ex supra dictis.

Colligitur ex hactenus dictis in illis casibus in quibus potest superior immediatus conuentus præcipere suis subditis applicationem Missarum; posse quoque prouincialem idem præcipere Religiosis totius Prouinciæ, & Generalem, & à fortiori Capitulum Generale toti Religioni: quia iurisdictio proportionaliter ad omnes extenditur DD. citati communiter.

Limitatur tamē, vt ita superiores possint grauare subditos huiusmodi oneribus, vt tamen debeant illis concedere aliquam applicationem liberam semel in hebdomada ad satisfaciendum pro peccatis proprijs vel parentum, vel amicorum, argumento capituli significatum de præbendis. Vnde communiter DD. id concedunt Capellanis. Et de Religiosis docent Garzias de sacerdotio trac. 3. diffic. 3. dub. 5. punc. 1. in fine. Citans Fagundez, & alios. Peyrinis de Priuileg. to. 3. c. 1. n. 20. cum alijs, quos affert Diana p. 5. trac. 13 res. 51.

Quod si Monasterium adeo esset grauatum oneribus Missarum, vt non possit aliter satisfieri, nisi obligando sacerdotes ad celebrandum quotidie; posset vtique superior talem obligationem imponere, vt docent Garzia, Silnester, & alij sup. citati.

PVNCTVM XVI.

De fructu generali in quo consistat, & quibus proueniat.

Fructus generalis appellatur, qui respondet oblationi Ecclesiæ, idest sacrificio, quatenus offertur nomine Ecclesiæ.

Respondeo & dico primo; Consistit solum in impetratione; non autem in satisfactione vel alio effectu ex opere operato.

Probatur Ecclesia non concurrit ad sacrificium sua oblatione, nisi precibus & orationibus quas in eodem sacrificio fundit per sacerdotem: ergo vt sic præcise non percipit fructum nisi correspondentem orationi: sed fructus correspondens orationi est impetratio: ergo non percipit nisi fructum impetrationis. Probatur primum antecedens; quia Ecclesia non concurrit ad consecrationem, quæ solum fit nomine Christi, cuius minister est solus sacerdos: non autem communitas fidelium. Quæ autem consecrationi adduntur ab Ecclesia communiter sunt orationes. Ita Suar. disp. 79. sec. 8. & 9. Coninch q. 83. ar. 1. dub. 9 n. 149. & 164. Filiucius trac. 5. c. 4. n. 72.

Dico secundo. Hic fructus impetrationis prouenit ipsi Ecclesiæ in communi, seu fidelibus quatenus copulatim sumpti vnum Corpus Ecclesiæ constituunt.

Probatur. Ea ratione fideles percipiunt fructum sacrificij, qua concurruut ad oblationem eiusdem, sed non concurrunt nisi remote, quatenus sunt membra Ecclesiæ: ergo non percipiunt fructum nisi remote, quatenus bonum quod Ecclesiæ confertur, singulis membris prodest. Huiusmodi est quod Deus Ecclesiæ prouideat de bonis Prælatis. Quod Ecclesiæ pacem promoueat, hostes comprimat &c. Vnde in Canone Offerimus pro Ecclesia &c. quam pacificare custodire &c. D. D. supra citati.

Colligitur primo: Singulos fideles communiter nullum fructum in particulari ex sacrificio percipere; sed solum in communi modo explicato; nisi sacerdos particulatim pro ijs offerat vel oret, Dixi communiter; quia sæpe Prælatis, Regibus & similibus personis publicis, à quibus bonum Ecclesiæ multum pendet ratione sacrificiorum, dantur particulares gratiæ propter bonum Ecclesiæ. Item illis, pro quibus Ecclesia specialiter orat DD. cit.

Colligitur secundo; Orationes, & preces, quas nomine Ecclesiæ sacerdos recitat in Mis-

Missa valete iuxta Ecclesiæ intentionem, etiam si forte sacerdos contrarium intenderet. Ratio quia Deus Ecclesiam per suum ministrum orantem exaudit independenter ab intentione Ministri; sicut Legatus exponens negotium sui Principis apud Summum Pont. exauditur à Pontifice iuxta intentionem Principis; quamuis Legatus ex perfidia simulate se gereret, & oppositum cuperet DD. citati.

Colligitur tertio. Non posse celebrantes dum orant, & offerunt in persona Ecclesiæ, vel aliquem excludere, quem Ecclesia in generali sua intentione includit, vel aliquem includere, quem Ecclesia vult esse exclusum, puta excommunicatum præsertim non toleratum. Imo nec valide illius intentionem mutare possunt, vt supra dicebamus: DD. citati & Layman de sacrificio c.2.n.16.

Colligitur quarto, non teneri sacerdotes partem aliquam satisfactionis applicare singulis fidelibus vt aliqui arbitrantur. Ratio quia talis obligatio neque prouenit ex lege diuina, neque ex iure Ecclesiastico: nullibi enim apparet, nec sacerdotes etiam peritissimi eam obligationem in se agnoscunt DD. citati.

Vtrum autem fructus prædictus impetrationis proueniens ex oblatione Ecclesiæ sit infallibilis, vel ex opere operato patet ex dictis supra punc.6.

PVNCTVM XVII.

De fructu specialissimo correspondente priuatæ oblationi celebrantis.

NOn est quæstio de fructu ex opere operantis qui prouenit iustis ex quolibet opere bono; quia cum offerre sacrificium sit actus excellentissimæ virtutis, nempe Religionis dubitari non potest, quin sit actus meritorius, si cum debitis circumstantiis fiat ab existente in gratia; sed est meritum operantis. Est ergo quæstio de fructu sacrificij ex opere operato, qui datur vltra meritum operantis ex vi institutionis Christi, & præsertim quæritur de fructu satisfactionis, seu remissionis pœnarum.

Prima difficultas est an detur hic fructus specialissimus qui dicitur pars propria Sacerdotis correspondens ipsi ministro, quatenus offert, vt persona priuata.

Prima sententia affirmat. Probatur primo. Sicut Sacramenta conferunt suum fructum ex opere operato ratione susceptionis, seu receptionis, ita sacrificium ratione oblationis: sed Sacramenta cum fructum conferunt omnibus suscipientibus non ponentibus obicem: ergo pariter Sacrificium omnibus offerentibus Rursus Sacerdos est offerens non solum, vt minister Christi, & in persona Christi, sed etiam vt persona priuata, vt per se constat E g. in oblatione hostiæ cum dicit, suscipe S. Pater, &c. hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus &c. ergo sacerdoti prouenit ex sacrificio fructus ex opere operato, non solum vt offert in persona Christi, qui dicitur fructus specialis: sed etiam quatenus offert vt persona priuata, seu fructus specialissimus proprius ipsius celebrantis.

Probatur secundo. Christus potuit hanc vim tribuere sacrificio, vt per se patet: ergo dicendum est de facto ita sacrificium instituisse. Probatur consequentia quia sic magis excitantur sacerdotes ad frequentius; & deuotius celebrandum.

Addunt auctores huius sententiæ hoc verum esse non solum de sacerdote, sed etiam de ministris, Diacono, Subdiacono, Acolytis, item de audientibus Missam, & quomodolibet concurrentibus ad sacrificium: quia suo modo sunt offerentes, vt patet ex verbis canonicis, pro quibus tibi offerimus vel qui tibi offerunt hoc sacrificium, Ita Suar. disp. 79. sec. 8. Layman de sacrific. c. 2. nu. 19. Filiuclus trac. 5. c. 3. nu. 75. & communiter illi Doctores, quia vt supra diximus approbant diuisionem fructus sacrificij in generalem, specialem, & specialissimum.

Est autem discrimen inter fructum specialem sacrificij quatenus offertur in persona Christi, & hunc specialissimum respondentem priuatæ oblationi celebrantis. Primo quia primum fructum tenetur sacerdos applicare illis pro quibus ratione stipendij accepei celebrare tenetur: quia cum Christus pro se non indigeat, cõmisit suo ministro, vt eum fructum applicare posset alijs. Non autem tenetur applicare fructum specialissimum quem sibi soli acquirit.

Secundo differunt: quia prior fructus acquiri non potest sine applicatione celebrantis, quatenus est minister Christi, & dispensator donorum Dei. Secundus vero acquiritur offerenti absque peculiari intentione applicadi, seu etiam si ipse offerens de hoc nihil cogitet.

Tertio differunt: quia ad priorem fructum qui specialis dicitur non est necessaria sanctitas ministri offerentis, nec minuitur, aut crescit ex maiori, vel minore eius deuotione: quia confertur intuitu principalis offerentis, nempe Christi Domini: secus est de

secundo ad quem requiritur status gratiæ & crescit iusta gradum deuotionis ipsius ministri: cum enim proueniat ex oblatione, quam sacerdos, vt persona priuata exercet, sequitur eius dispositionem, Ita Suar. sec. 8. cum aliis DD. citatis.

Secunda sententia negat hunc fructum specialissimum, nec agnoscit alium fructum satisfactionis ex opere operato præter specialem seu medium.

Probatur ex ea tantum oblatione sacrificii prouenit fructus ex opere operato, in qua consistit essentia sacrificii: sed hæc solum consistit in oblatione, quæ fit in persona Christi: quia hac sola posita ponitur verum sacrificium, & absque ea non consistit: ergo ex hac sola oblatione prouenit fructus ex opere operato, qui dicitur fructus specialis; ergo non datur specialissimus; probatur maior: Virtus operandi quam habet sacrificium, manat tamquam proprietas ab essentia eiusdem sacrificii (quippe omnis proprietas non nisi ab essentia fluit,) ergo solum est adnexa illi oblationi, in qua consistit essentia sacrificii; & consequenter effectus eiusdem virtutis qui datur ex opere operato.

Confirmatur. 1 quia secundum auctores primæ sententiæ fructus specialissimus nedum prouenit à priuata oblatione sacerdotis, sed etiam ministrorum, & audientium Missam: ergo sicut audientes, vel ministri minus proprie dicuntur offerre sacrificium, sic minus proprie dicuntur consecrare; sic etiam sacerdos, vt persona priuata; ergo nulla priuata oblatio habet rationem veri sacrificii; ergo neque virtutem propriam sacrificii, neque effectum ex opere operato. Ita Vasquez in 3 p. disp. 231. c. 3. Coninch. de Sacram q. 83. ar. 1. dub. 9 n. 162 Card. de Lugo de Euchar disp. 19 sec. 9. nu. 233 cum aliis, quos citant.

Pro resol. respondeo, & dico primo. Quo ad fructum satisfactionis ex opere operato, de quo præcipue est controuersia probabilior est secunda sententia: quia solidiori nititur fundamento.

Ad argumenta primæ sententiæ ad primum respondetur sacrificium conferre fructum ex vi illius oblationis, in qua consistit eius essentia, non autem ratione priuatæ oblationis, quæ per accidens sacrificio adnectitur.

Ad secundum concedo potuisse à Christo sacrificium [eo modo institui; non tamen sequitur de facto ita fuisse institutum; quia non est vnde sufficienter colligi possit.

Dico secundo quoad fructum impetrationis concedendum est primæ sententiæ correspondere oblationi priuatæ, tum sacerdotis tum aliorum fidelium peculiarem, & specialissimum effectum Nec dissentiunt auctores secundæ sententiæ; quamuis renuant illum appellare ex opere operato. Probatur; quia & si personæ priuatæ non ita offerant, vt possint dici proprie sacrificare; offerunt tamen suo modo, & concurrunt cū sacerdote ad oblationem victimæ Deo gratissimæ: orationes autem sacrificio innixæ maiorem vim habent impetrandi, & specialem effectum; sed posita priuata oblatione, & concursu ad sacrificium, orationes offerentium sunt innixæ sacrificio; ergo &c.

Declaratur à simili. Qui comitantur oratorem, seu legatum alicuius Principis cohonestandi, & cooperandi gratia, præsertim cum legatus offert Regi, vel pontifici gratissimum donum, longe facilius impetrant à Pontifice ea, quæ petunt, quam si separatim Pontificem adirent. Ita pariter in casu nostro. Ita DD. vtriusque sententiæ fere communiter.

Dico tertio probabile est priuatos offerentes lucrari fructum specialissimum satisfactionis ex opere operato, non tam in eo sensu, què videntur intendere auctores primæ sēntentiæ vt priuata oblatio sit causa, ex qua proueniat effectus opere operato; quam in hoc alio sensu, vt priuata oblatio sit solum conditio, qua posita, sacrificium quatenus offertur in persona Christi causet in priuatis offerentibus fructum specialissimum vltra meritum ex opere operantis. Probatur quia hoc recte colligitur ex rationibus primæ sententiæ: neque huic conclusioni obstat ratio secundæ sententiæ. Fauet Layman de Sacrificio c. 2. n. 18. vbi ait, ex sacrificio, quatenus offertur in persona Christi præter fructum specialem, sacerdotem acquirere fructum specialissimum sibi proprium.

Colligitur quid sit dicendum ad eam quæstionem, vtrum vtilius sit, & magis conferens ad salutem audire Missam, vel obtinere applicationem sacrifici oblato stipendio, vel alias gratis. Dicendum est enim hæc se habere tanquam excedens, & excessum: nam quod attinet ad effectum remissionis pœnæ, plus prodest Missa absenti specialiter applicata, quam si idem præsens esset & sacrificio assisteret absque applicatione. Ratio est, quia fructus sacrificii ex opere operato est vberrimus & superat fructum ex opere operantis. Cæterum quoad fructum impetrationis E. g. præseruationis à peccatis, & periculis malorum, regulariter magis prodest Missam audire seu deuote interesse sacro. Ratio est, quia ad

ad conciliandam reuerentiam, & deuotionem fidelium erga sacrificium Deus facilius exaudit deuotè assistentes, & præsentialiter concurrentes, quam alias absentes, quod sæpe miraculis, & signis extraordinarijs Deus comprobauit. Ita cum alijs Lugo loco citato Garzias de sacerdotio trac. 4. diffic. 1, dub. 7. punc. vlt.

Secunda difficultas principalis. Posito, quod oblationi priuatæ correspondeat fructus specialissimus satisfactionis ex opere operato. Quæritur vtrum possit Sacerdos illum applicare alijs.

Prima sententia negat. Probatur. Priuilegium personale non potest transferri in aliū vt docet D. Tho. in 4. dist. 20. art. 5. quæstinc. 3. loquens de indulgentijs: sed fructus specialissimus est ad instar priuilegij personalis, nēpe offerentis præcisè, vt offerens est ergo &c.

Confirmatur quia hæc videtur conditio propria fructus ex opere operato, vt sit personalis, & non possit applicari alijs, vt constat in Sacramentis; nam per baptismum remittitur tota pena, nec potest baptizatus se aliqua parte satisfactionis priuare, vt alijs applicet: Nec penitens potest transferre in aliū partem satisfactionis Sacramentalis ipsius, Sacramenti pœnitentiæ: ergo idem dicendum est in casu nostro. Ita Suar. disp. 79. sec. 9. fine, Lugo de Euch. disp. 22. sec. 2. Filliuccius trac. 5. c. 3. n. 80. Bonacina, Homobonus, & alij apud Garziam supra trac. 3. diffic. dub. 4. punc. vlt. n. 9.

Secunda sententia docet prædictum fructum specialissimum (posito quod detur) posse applicari alijs.

Probatur primo omne opus bonum, quatenus satisfactorium potest alijs applicari ratione communionis quæ est inter fideles; ergo multo magis fructus specialissimus sacrificij in satisfactione consistens. Probatur consequentia, quia præter facultatem communem ratione cōmunionis Sanctorum, Sacerdos est dispensator mysteriorum Dei, & fructuum sacrificij.

Probatur secundo. Potest sacerdos applicare fructum specialem, seu medium vel sibi vel alijs; ergo etiam fructum specialissimum. Respondent aduersarij fructum specialem esse applicabilem ex comissione Christi neque esse proprium sacerdotis; cum tamen fructus specialissimus sit proprius, & personalis ipsius offerentis. Contra vel fructus specialissimus applicari non potest quia est fructus ex opere operato, vel quia est proprius & personalis: neutrum dici potest; ergo. Probatur minor non primum; quia fructus medius est ex opere operato, & tamen potest applicari. Nō secundum. quia satisfactio ex opere operantis est propria, & personalis, & nihilominus est applicabilis: ergo &c.

Tandem probatur. Quia etiam priuati offerentes pro se suisque omnibus offerunt, vt habetur in Canone; ergo etiam fructus priuatæ oblationis potest alijs applicari. Ita Nauar. Henriquez Aragon, & alij plures, quos citat, & sequitur Garzias, vbi supra.

Ad opposita respondetur ad primum priuilegium personale non posse transferri in alium absque facultate Principis concedentis; in casu autem nostro adest facultas, tum generalis ratione communionis sanctorum, tum specialis Christi Domini, quatenus sacerdos est dispensator fructuum sacrificij.

Ad confirmationem; nego antecedens vniuersaliter loquendo; nam fructus communionis à pijs, & doctis viris applicari solet, vel pro animabus Purgatorij, vel pro alijs. Quicquid sit de baptismo, & pœnitentia in quibus est specialis ratio; quia baptizatus non esset perfecte regeneratus si aliquis pœne reatus in eo maneret. Item in Sacramento penitentiæ remittitur pœna ei, qui confitetur vt reus est, ideo &c.

Colligitur ex actenus dictis esse falsam, & omnino improbabilem opinionem aliquorū DD. asserentium nedum sacerdotes posse applicare alijs fructum illum specialissimum; sed etiam posse nouum, & distinctum, sustentionis stipendium accipere ab illis, quibus applicat. Est inquam falsa hæc opinio, quia dantes stipendium certum, petunt sibi applicari fructum sacrificij certum, & infallibilem; fructus autem specialissimus non est certus sed valde incertus et ex multis capitibus dubius, ergo non potest satisfieri illius applicatione obligationi certæ, et liquidæ, Est enim contra iustitiam soluere aliquid incertum, & litigiosum pro debito certo, et liquido. Est autem incertus fructus specialissimus, Primo quia est sub opinione, vtrum detur nec ne, aliquibus affirmantibus, contra alijs negantibus.

Secundo posito quod detur, incertum est vtrum sit applicabilis alijs nec ne, pariter variantibus DD

Tertio asserentes sacerdotem sibi acquirere fructum specialissimum, dicunt illum debere esse in statu gratiæ, de quo nemo potest esse certus.

Quarto fructus ille specialissimus minor est fructu medio: quia hic respondet dignitati ipsius Christi, idest principalis offerentis, ille autem respondet priuatæ oblationi creaturæ; nec sciri potest: quam habeat proportionem cum fructu principali, & medio

ad

ad seruandam æqualitatem cum stipendio accepto. Quod enim aliqui asserunt fructum specialissimum trium missarum adæquare fructum medium vnius missæ, apud Dianã 2.p.tr.de celebr.miss.res.14 Est etiam omnino incertum, & imaginarium.

Quinto Fructus specialissimus correspondet etiam audientibus missam: quia sunt priuati offerentes: ergo posset sacerdos pro nouo illo stipendio satisfacere, ne dum celebrãdo, sed etiam audiendo missam; quod est omnino inauditum in Ecclesia.

Sexto illam consequentiam esse falsam, ex eo etiam patet quia DD. asserentes valorem sacrificij esse infinitum extensiue, & posse fructum sacrificij applicari pluribus absque eo, quod minuatur in singulis: negant posse inde inferri licitum esse pro vno sacro plura stipendia accipere; cum tamen hæc sententia de valore infinito sit valde probabilis, & ea posita non est dubium, fructum esse applicabilem; ergo multo minus potest inferri receptio noui stipendij ex infirma illa opinione fructus specialissimi ex tot capitibus incerta. Dicastillo de Sacram.tom.1.tra.2 disp. 1.dub.9 nu.219. Diana infra eum alijs quos citant; quibus adde, Escobar Theol. mor tr. 1.exam.11 c.4.n.64. Auersam de sacrif. q.11. sec.17.§.sed quia, qui alios cit.

Aduerte autem nos non contendere secundum opinionem verè, & vsquequaque probabilem satisfieri non posse obligationi certæ, & liquidæ, etiam si sit obligatio iustitiæ: hoc enim verum non est, vt ex tract. de restitutione multis exemplis ostendi potest, & nos infra dicemus Punc.19. sed asserimus quando opinio est tam incerta, vt æquiparetur dubio, non posse iuxta illam satisfieri obligationi iustitiæ certé, & liquidé: quia tunc creditor est rationabiliter inuitus, & ideo fit illi iniuria: sed opinio de fructu specialissimo, & vtrum applicari possit est tam incerta, vt æquiparetur dubio: ergo &c.

Tandem falsitas illius consequentiæ de receptione noui stipendij manifeste conuincitur ex decretis de celebr. missarum confirmatis ab Vrbano VIII. in Bulla quæ incipit, cum sæpe contingat, qua expressè prohibetur, ne sacerdotes pro vna, & eadem missa duplex stipendium accipiant. Quare post hanc bullam est omnino reijcienda prædicta sententia: quamuis ante bullam non defuerint qui pro illa pugnauerint, vt videre est apud Dianam loco supra citato,& p.5 tra.14 res.45 & p.6.tra.6.res.8. & p.10.tr.12.res.21.§. & ideo circa Leandrum &c.

Aliqui damnant receptionem illius noui stipendij pro fructu specialissimo, vt simoniacam: quia cum sacerdos iam acceperit stipẽdium sustentationis iustum, & adæquatum pro applicatione fructus medij: non potest eodem titulo sustentationis nouum stipendium accipere; consequenter censetur illud accipere pro ipso fructu spirituali. Ita cum alijs Rodriq apud Dianam p.5.tr.14.resol.45. Cæterum mihi videntur excedere prædicti DD. quia sustentatio potest esse magis, & magis pingua: ergo rectè potest illi correspondere nouum stipendium, si adsit nouus titulus, sed adest nouus titulus in casu nostro: quia sacerdos prodest pluribus ministerio sacro, & dispensat pluribus dona spiritualia, à quibus idcirco sustentari debet, non quia dona spiritualia vendi possint, & pretio æstimari, sed quia minister ex conditione personæ debet sustentari, & qui pluribus iuuat, à pluribus sustentari meretur; sed sacerdos in casu prædicto prodest pluribus quibus fructus sacrificij dispensat: ergo posset eodem titulo sustentationis duplicatum stipendium accipere. Vnde Apostolus 1.Timot.5. Qui laborant in verbo, & doctrina, duplici, honore digni habeantur, idest duplici, & ampliori stipendio sustentationis, vt exponunt comm. in sensu literali. Vide Cornelium à Lapide in hunc locum. Non est ergo simoniaca illa receptio noui stipendij, sed iniusta, & contra decreta Pontificia ex supradictis.

PVNCTVM XVIII.

Vtrum valor Missæ sit finitus, vel infinitus.

Sensus quæstionis est vtrum virtus sacrificij sit finita, & limitata in ordine ad certum, & determinatum effectum, ita vt non possit vlterius extendi E.g. vtrum possit remittere octo, vel decem gradus pœnæ, & nõ plures: vel potius sit illimitata, & infinita, ita vt possit remittere non tot, quin plures gradus pœnæ in infinitum. Loquimur enim de effectu sincategorematicè infinito: Nam infinitum categorematicum, & in actu vel implicat, vel nunquam à Deo ponitur extra causas. Est autem quæstio non de possibili, sed de facto, idest non quærimus vtrum potuerit Christus tribuere sacrificio valorem infinitum, vel vtrum sacrificium sit capax infinitæ virtutis, & sufficientis ad operandum eo modò infinito: hoc enim ab omnibus conceditur: sed quæstio est, vtrum Christus de facto tribuerit sacrificio virtutem infinitam, & modum operandi in ordine ad effectum finitum in infinitum.

Dein-

Deinde aduertendum, valorem sacrificij posse dici infinitum dupliciter, nempe vel intensiuè, vel extensiue,. Intensiuè in ordine ad effectum perfectiorem, & perfectiorem in infinitum sincategorematicè, vt in exemplo posito, si posset remittere eidem personę, pro qua applicatur non tot, quin plures, & plures gradus pœnæ in Infinitum. Secundo extensiue si integer effectus sacrificij posset applicari non tot, quin pluribus in infinitum, ita vt non minuatur in singulis. Duplex igitur difficultas est examinanda; prima de valore sacrificij infinito intensiue in hoc puncto; secunda de valore infinito extensiue; vtraque autem difficultas est præcipuè de effectu satisfactionis, seu remissionis pœnarum, qui est effectus proprius ex opere operato.

Quoad primam difficultatem conuenit inter omnes DD. vnico sacro, seu vnius missæ applicatione non semper remitti totam pœnam ei, pro quo applicatur ex eo solum quod non sit obex in subiecto, & independenter à meliori eius dispositione: quia neque id erat expediens vtilitati fidelium, qui exinde negligentes, & desides redderentur ad satisfaciendum pro suis peccatis: neque fini, & intentioni ipsius Christi, qui sæpius repeti voluit, & frequenter offerri hoc sacrif. D.Thom. quęst. 79. ar. 5. Suar. disput. 79. sec. 6. quare si eius effectus non est limitatus, colligendum est aliunde. Pendet ergo decisio huius difficultatis ex illa quæstione, vtrum fructus missæ crescat pro meliori dispositione subiecti, vel potius sit inuariabilis, & æqualis in omnibus.

Prima sententia negat augmentum satisfactionis quatenus prouenit ex sacrificio pēdere à dispositione subiecti; consequenter nō crescere, nec decrescere, iuxta conditiones varias, & dispositiones illorum, pro quibus offertur; sed esse absolute finitum, & determinatum, & æquale in omnibus si integre, & æqualiter applicentur.

Probatur primo remissio pœnæ fit per cōdonationem extrinsecam, nec per eam homo fit melior, vel quid positiuum acquirit: ergo non datur proprie dispositio ad illā; consequenter non crescit pro meliori dispositione subiecti.

Hinc patet discrimen inter Sacramenta & sacrificium, quia Sacramenta producunt formam nobilissimam, nempe gratiam habitualem; quæ ideo requirit præuiam dispositionem in subiecto, & crescit pro meliori dispositione in infinitum. Sacrificium verò confert remissionem pœnæ, quæ non requirit dispositionem in subiecto, neque liberam cooperationem: sed confertur etiam negatiue se habenti, & nihil de ea cogitanti, modo in eo non sit obex.

Probatur secundo: hic effectus sacrificii totus pendet ex intentione sacerdotis applicantis: ergo tantus est quantus esse vult applicans: consequenter non pendet ex dispositione subiecti: sed ex voluntate ministri. Probatur antecedens: quia potest sacerdos applicare huiusmodi fructum, cui voluerit (vt omnes fatentur,) vel totum vni, vel si velit applicari duobus ita vt diuidatur ęqualiter inter eos, ita fiet, etiam si illi sint inæqualiter dispositi, quoad actus deuotionis: ergo effectus sacrificij non variatur pro dispositione subiecti.

Probatur tertio. Applicatio satisfactionis proprie ex opere operantis, tota pendet ex intentione applicantis sine dependentia à meritis illorum, quibus applicatur: sed applicatio fructus sacrificij fit eodem modo: ergo &c. Ita Caiet. Durandus, quos citat, & sequitur Suar. disp. 79. sec. 10. Coninch. de Sacram. q. 83. ar. 1. dub. 0. n. 171.

Opposita sententia est communis & probabilior, nempe fructum sacrificij crescere pro meliori dispositione subiecti, seu maiori deuotione eorum, quibus applicatur: consequenter posse augeri, & perfectiorem esse in infinitum: quia dispositio subiecti potest ex diuina gratia semper magis augeri absque limite. Ita D.Thom. 3. p. q. 79. ar. 1. Soto lib. 8. de iustitia q. 2. artic. 2. Siluest. verbo missa q. 9. Vasq. in 3 p. disp 230. c 3. num. 13. vbi infert ex hoc sequi, fructum sacrificij esse sincathegorematice infinitum, & valorem sacrificij intensiue infinitum: & eodem modo loquitur Card. de Lugo de Euchar. disp. 19 sect. 10. & 12. Tambur. de sacrif. lib. 2 c. 2. §. 1. num. 6. cum alijs.

Probatur primo, ex generali principio: quia omnis causa perfectius operatur in subiecto melius disposito, alias esset defectibilis, & imbecillioris virtutis; sed sacrificium inter causas supernaturales censetur agens nobilissimum & organum perfectissimum meritorum, & satisfactionum Christi Domini: ergo &c.

Probatur secundo, quia hoc priuilegium operandi perfectius posita meliori dispositione concessum est omnibus Sacramentis, etiā quoad effectum satisfactionis: ergo non est denegandum sacrificio: probatur consequētia, quia sacrificium est quid excellentius Sacramentis excepto Sacramento Eucharistiæ.

Tan-


Tandem talem fuisse Christi institutionem ex eo colligitur: quia ipse Christus sic nostrã salutem operatus est, & satisfecit pro nobis, vt nos etiam cooperari voluerit nostro consensu libero, ne otiosos, & desides nos redderet, sed potius solertes, & virtutis æmulatores: ergo qui magis cooperatur, magis participat de fructu sacrificij; sed magis deuotus & melius dispositus magis cooperatur: ergo &c.

Ad opposita respondetur ad primum negando consequentiam: quamuis enim possit fructus satisfactionis applicari non ponenti obicem absque positiua dispositione, in quo casu illum oportet esse determinatum respectu eorum, qui negatiue se habent; secus tamen est de alijs qui positiue concurrunt. Quare in forma distinguo consequens. Non datur ad hunc effectum dispositio, quæ sit absolute necessaria, concedo; quæ sit vtilis, nego, vt patet in satisfactione sacramentali, qua magis contrito plures gradus pœnæ remittuntur.

Ad secundum distinguo antecedens. Pendet ab intentione sacerdotis, quoad applicationem virtutis sacrificij, concedo, quoad modum operandi eiusdem sacrificij pro varietate subiecti, nego. Et sic in actu primo concedo, in actu secundo, nego.

Ad tertium respondetur esse disparitatem inter satisfactionem ex opere operantis, quæ iam habuit suum terminum ex modo operandi applicantis, secus est de satisfactione ex opere operato, quæ sequitur dispositionẽ subiecti, cui applicatur.

Colligitur quid sit dicendum de animabus Purgatorij, quæ mere passiuæ se habent, nec melius disponi possunt. Dicendum est enim respectu illarum fructum satisfactionis vel esse omnino finitum, & limitatum, quia cessat ratio incrementi; sicuti dicebamus de illis, qui negatiue se habent: vel augeri ex dispositione illorum, qui curam habent, vt illis missæ applicentur maiori, vel minori feruoris caritate, iuxta Christi Institutionem, quæ tamen nos latet, & ideo nihil certi affirmare possumus. Vide Garziam de sacerdotio trac. 3. difficul. 1. dub. 8. punc. 2. vbi alios citat.



PVNCTVM XIX.

Vtrum valor Missæ sit infinitus extensiue.

Sensus quæstionis est vtrum missa, quoad integrum fructum possit applicari ontot quin pluribus, & pluribus in infinitum absque diminutione in singulis.

Præmittendum ex communi DD. sententia, valorem sacrificij esse infinitum extensiue quoad fructum specialissimum (posito quod detur) E.g. audientes missam lucrantur fructum satisfactionis ex opere operato, qui non minuitur in singulis ex concursu multorum; sed etiam si in infinitum multiplicentur, singuli integrum fructum percipiunt eodem modo, ac si quilibet solus missam audiret. Ratio est quia huiusmodi fructus confertur ratione priuatæ oblationis; ergo multiplicatis oblationibus multiplicatur, non minuitur fructus: sed ex concursu plurium multiplicantur oblationes, multiplicatis priuatis offerentibus, ergo &c.

Vnde vlterius colligitur si plures sacerdotes consecrent eandem hostiam, vt fit in ordinatione sacerdotum; in eo casu multiplicatur fructus medius, iuxta numerum consecrantium: quia vnusquisque offert integrum sacrificium. Suar disp. 79 sec. 12. Filiuc. trac. 5. c. 3. num. 88. Layman de sacrif. cap. 1. num 9.

Præmittendum secundo, conuenire etiam fere communiter inter DD. valorem sacrificij esse extensiue infinitum in ordine ad fructum impetrationis, ita vt oblatum pro multis, non minus prosit singulis, quoad impetrationem gratiæ, quæ petitur, quam si pro vno solo offerretur, saltem posita speciali petitione pro singulis. Ratio est, quia fructus impetrationis correspondet orationi, & petitioni: ergo multiplicatis petitionibus multiplicatur, non diuiditur fructus, neque enim vna oratio impedit efficaciam, & feruorem alterius, sed potius auget, ita D. Th. in 4. dist. 45. q. 2. art. 4 quæstiuncula 2. Suarez disp. 79. sec. 12. Garzias de sacerdotio trac. 3. difficult. 1. dub. 8. punc. 2. numer. 24. His positis.

Difficultas est, & non modica de valore sacrificij in ordine ad fructum satisfactionis principalem, seu medium, vtrum sit infinitus extensiue, & possit missa æque vtiliter applicari multis, ac vni soli.

Prima sententia affirmat. Probatur primo valor

valor Missæ est infinitus intensiue idest in ordine ad fructum perfectiorem, & perfectiorem in infinitum: ergo etiam extensiue. Probatur consequentia. Ideo sacrificium est valoris infiniti intensiue; quia res oblata est infinite grata Deo, & principalis offerens est infinitæ dignitatis & tandem thesaurus, qui per sacrificium distribuitur est infinitus, & inexaustus: sed hæ rationes militant etiam quoad infinitatem extensiuam: ergo &c.

Confirmatur primo exemplo. Sicut ignis potens calefacere plures simul, posita debita approximatione, de facto; plures simul calefacit absque diminutione caloris in singulis: ergo pariter in casu nostro, cum sacrificium de se potens sit pluribus iuuare ex thesauro infinito, si pluribus applicetur quoad integrum fructum pluribus proderit absque diminutione: quippe applicatio est veluti approximatio.

Confirmatur secundo. Quando sacerdos applicat fructum sacrificij pluribus personis vel diuiditur fructus, vel multiplicatur: non potest dici primum: quia sacrificium non operaretur connaturali modo, & iuxta capacitatem, & dispositionem subiecti: & quilibet minus perciperet quam eius dispositio exigat, quod est falsum ex dictis supra ergo multiplicatur in singulis in infinitum.

Probatur secundo. Multiplicatis offerentibus multiplicatur etia fructus sacrificij, non diuiditur ex dictis in primo notabili: ergo multiplicatis illis pro quibus offertur pariter multiplicatur, non diuiditur fructus sacrificij Probatur consequentia; quia si in primo casu multiplicantur oblationes, hic multiplicantur applicationes.

Probatur 3. valor sacrif. est infinitus extensiue in ordine ad effectum impetrationis; ergo etiam in ordine ad effectum satisfactionis. Probatur consequentia; quia vterque effectus prouenit ex re oblata, & ex principali offerente infinitæ dignitatis. Citantur pro hac sententia plures ex antiquioribus Cano, Angelus, Syluester, & alij, qui non ita clare loquuntur & possunt exponi de solo fructu impetrationis. Sed eam tenent expresse Caietanus in 3.p.q.77.art.5. Vasquez in 3.p.disp.231.c.3. Petrus Nauar.l.1.de restit.c.2.n 268. Garzias. Hurtado de sacrificio disp. 3. difficul. 8. Montagnolus de valore Missæ c.3 Marchinus de sacrificio c.13.& alij quos citant.

Hæc sententia negari non potest quin sit probabilis, cum & graues habeat Patronos & rationes non contemnendas. Patitur tamen grauem difficultatem; nam ex ea manifeste sequitur sacerdotem, qui plura stipendia accepit pro Missis applicandis personis diuersis, posse vnico sacro satisfacere omnibus simul. Hoc autem est absurdum, & ab Ecclesia reprobatum, & damnatum, præcipue in decretis de celebr. Missarum in Bulla, cum sæpe contingat, alias citata, cum de fructu specialissimo; ergo falsa est hæc sententia, vnde sequitur: sequela probatur; quia dantes stipendia nihil aliud intendunt, nisi fructum sacrificij, quem eodem modo percipiunt, siue sacerdos plura sacra faciat pro diuersis, siue vnum solum. Dico pro diuersis; quia omnes fatentur quando plures Missæ dici debent pro eadem persona, vel pro eadem anima purgatorij, tunc non posse suppleri vnico sacro obligationi plurium missarum vt per se patet.

Respondet Vasquez. Non posse vnico sacro satisfieri obligationi plurium Missarum ob plura stipendia accepta; quia obligatio est certa, & liquida, cui non potest satisfieri fructu sacrificij incerto, & sub opinione posito: quamuis autem prædicta opinio sit valde probabilis; quia tamen non est omnino certa; ideo deseruire non potest ad satisfaciendum obligationi certæ præsertim iustitiæ; quia non seruatur æqualitas.

Contra. Ergo si illa sententia esset certa consequens illud, nempe posse satisfieri vnico sacro obligationi plurium Missarum ob plura stipendia accepta, hoc inquam non esset absurdum; sed falsum est, hoc consequens non esse absurdum; ergo &c. Probatur quia Ecclesia absolute simpliciter, & in omni euentu damnat illum modum satisfaciendi tamquam iniustum, & secundum se malum; ergo signum est sententiam illam vnde vere sequitur, non posse esse veram.

Secundo. Modus ille satisfaciendi vnico sacro obligationi plurium missarum non est absurdus per Vasquez, nisi ratione incertitudinis, & consequenter per accidens ratione ignorantiæ; hæc autem ignorantia non debet tribui *Ecclesiæ*, quæ in suis legibus condendis Spiritu S. regitur: ergo secundum se, & simpliciter satisfactio illa est iniusta; ergo sententia vnde sequitur est falsa.

Tertio impugnatur: nam id quod assumit Vasquez satisfieri non posse obligationi iustitiæ liquide, & certe secundum opinionem re vera probabilem, simpliciter est falsum (nisi quando opinio est adeo incerta, vt fere æquipararetur dubio, sicuti supra dicebamus de fructu specialissimo); Nam (vt omittam innumera exempla in trac. de restitutione) in materia sacrificij sub opinione est, an valide fiat applicatio Missæ per intentionem habitualem, vel requiratur virtualis; & ni-

chilominus sequens eam opinionem probabilem quæ dicit sufficere habitualem, vere satisfacit, nec tenetur quicquam restituere: Ergo idem posset dici in casu nostro, si opinio illa esset verè probabilis, quod tamen nemo concedit. Item sub opinione est an Sacerdos obligatus celebrare in altari priuilegiato satisfaciat celebrando alibi cum calculo benedicto, &c. tamen plures concedunt vere satisfacere.

Respondet itctum Vsquez nouo refugio: cum enim non detur pecunia pro fructu Missæ vt notum est: quia id esset simoniacum sed solum in stipendium sustentationis, vt minister habeat vnde possit viuere; nemo potest pro vno sacro plura stipendia accipere; eo quia ab Ecclesia pro vno sacro, vnicum stipendium taxatum est, & vltra taxam, non potest quid exigi absque iniustitia.

Contra idcirco Pro vno sacro, vnicum taxatur stipendium, quia non potest eo sacerdos nisi vni soli prodesse, quoad integrum fructũ; ergo si posset pluribus, plura stipendia posset accipere Probatur antecedens: Quando Sacerdos triplici sacro triplicem fructum communicat siue vni, siue pluribus triplex potest stipendiũ accipere, (etiam si eodem die tria illa sacta faciat, vt in die Natalis Domini) ergo si vnico sacro posset communicare tribus personis triplicem fructum integrum, posset ab illis triplex stipendium accipere. Probatur consequentia; quia nihil refert, qua ratione sacerdos fructum illum communicet modo integre, & absque diminutione communicet, & alias ab illis stipendia debeantur, quibus spiritualia ministrantur,

Respondeo ergo ad quæstionem cum communi, & vera sententia, valorem sacrificij non esse infinitum extensiue modo explicato; sed limitatum, & finitum, & ideo non posse fructum sacrificij applicari pluribus sine diminutione: intelligitur autem conclusio de facto, & ex vi præsentis institutionis; nam de possibili, nemo dubitat potuisse Christum adnectere sacrificio valorem infinitum extensiue. Quod autem de facto non tribuerit ex coniecturis colligendum est; nam à priori probari non potest.

Probatur ergo primo; nam alias reprehẽsibilis esset, & contra rationem consuetudo, & praxis fere omnium fidelium, qui petunt communiter, vt applicetur Missa pro vno defuncto particulari, non pro alijs. Et quilibet fidelis sollicitus est vt pro se in particulari applicetur missa absque aliorum consortio; certe non alia ratione, nisi quia fructus satisfactionis minuitur ex consortio aliorum. Cum ergo tot annos hanc praxim Ecclesia approbauerit; signum euidens est sensum Ecclesiæ fauere huic nostræ sententiæ.

Confirmatur. Nam alias frustra multiplicarentur cappellaniæ, & anniuersaria pro animabus distinctis Purgatorij: quia satis esset obligare sacerdotes, vel Rectores Ecclesiarum ad applicandas Missas anniuersarij olim fundati, etiam pro illis, qui successiue moriuntur in infinitum (quando contenti sunt vnico sacro applicando semel in anno) nam hoc multo facilius esset. Hæc autem omnia sunt contra communem sensum Ecclesiæ ergo &c.

Confirmatur secundo. Quia pariter sacerdotes contra rationem, & charitatem agerent applicando sacrificium ei soli, qui dedit stipendium, cum absque incommodo ipsius celebrantis, & absque iniuria soluentis stipendium possent pluribus & pluribus prodesse; quod tamen non fit, vt sacrificium magis prosit ei qui dedit stipendium.

Probatur secundo. quia non est verisimile Christum eo modo sacrificium instituisse ex quo minueretur frequentia eiusdem sacrificij, & sic Deo, & Ecclesijs substraheretur cultus, & rarius fieret memoria passionis ipsius ipsius Christi: quæ omnia incommoda sequuntur ex prima sententia. Probatur nam ea posita; qui alias in suffragium E.g. centum animarum Purgatorij, centum sacra celebrari curasset; vno solo contentus esset, parcendo sumptibus & laboribus; ergo sentiendum cum hac secunda sententia non cum prima.

Tandem probatur ex absurdo supra insinuato; quia possent sacerdotes plura stipendia coaceruare, & deinde satisfacere *vnico* sacro, quando Missæ pro diuersis *petuntur* hoc autem est reprobatum ab *Ecclesia*, vt vidimus. Hanc sententiam *sustinent* D. Tho. in 4 dist. 45. q. 2. ar. 4. Alanus de sacrificio Euch. c. 35 Nauar. in Man. c. 25. Sotus l. 9. de iustit. q. 2. ar. 2. Suar *disp* 79 sec. 12. Layman; Coninch, & alij plures, quos citat, & sequitur Garz. de sacerd. tract. 3. difficul. 1. dub. 8. punc. 2.

Ad opposita respondetur ad primum negando consequentiam; ratio disparitatis est; quia contra sufinitum intensiue, non militant rationes supra adductæ; neque enim est contra praxim Ecclesiæ; neque minuit frequentiam sacrificij; sed potius auget deuotionem fidelium, & Dei cultum: ideo verisimile est Christum dedisse sacrificio hunc valorem infinitum intensiue; non autem extensiue.

Ad

Ad confirmationem respondetur. Quando sacerdos pluribus applicat sacrificium, non multiplicari sed diuidi fructum; inde tamen non sequi sacrificium non operari connaturali modo; quia tunc solum adæquat dispositionem subiecti, quando applicatur adæquate, & secundum totam virtutem; secus si in adequate.

Ad secundum negatur etiam consequentia. Ratio disparitatis est, quia multiplicatis offerentibus multiplicantur oblationes, quæ causant fructum satisfactionis; & ideo multiplicantur fructus; secus est quando multiplicantur applicationes, & illi, pro quibus applicatur sacrificium; quia applicatio supponit, non causat fructum. Et certe mirum, & incredibile est si ad arbitrium sacerdotis posset multiplicari in infinitum fructus sacrificij absque alia causa, & facile posset vnus sacerdos totum purgatorium euacuare.

Ad tertium pariter negatur consequentia, ratio disparitatis est; quia fructus impetrationis correspondet orationi, & petitioni, quam sacrificium reddit magis efficacem, & ideo multiplicatis petitionibus multiplicatur fructus impetrationis; secus est de fructu satisfactionis, qui correspondet oblationi essentiali, quæ vnica est in quolibet sacrificio.

PVNCTVM XX.

Infteruntur corollaria ex dictis in puncto præcedenti.

Colligitur primo. Priorem sententiam esse quidem speculatiue probabilem, vt supra diximus non vero practice, vt pro vnico sacro possint recipi plura stipendia, præsertim cum obstet prohibitio Ecclesiæ, & eius etiam defensores concedunt Quamuis olim non defuerint auctores, qui affirmauerint, posse vnico sacro satisfieri obligationi plurium missarum ex pluribus stipendijs acceptis, vt Vignerius, & alij, quos tacito nomine refert Vasquez disp. 231. cap. 5. nu 27.

Dubium hic emergit, vtrum saltem possit satisfieri vnico sacro pluribus obligationibus diuersi generis, posita probabilitate primæ sententiæ E. g. tenetur sacerdos celebrare vnicum sacrum pro anima defuncti ratione stipendij accepti: tenetur etiam aliud sacrum celebrare ex promissione liberali facta amico, Aliud sacrum ex virtute pietatis pro Patre nuper defuncto. tandem aliud ad satisfaciendum voto alterius absque stipendio. Quæritur vtrum sacerdos adhærens primæ sententiæ possit vnico sacro multiplici oneri satisfacere, quando vnum tantum est iustitiæ, & cætera aliarum virtutum.

Respondeo licite id fieri posse, dumodo simpliciter, & absolute applicetur Missa ad satisfaciendum obligationi iustitiæ ratione stipendij accepti; alijs vero sub conditione si vera est ea sententia. Ratio est quia tunc nulli fit iniuria, & alijs obligationibus extra iustitiam licite satisfit morali modo sequendo opinionem probabilem. Deinde non obstat hic prohibitio Ecclesiæ de pluribus stipendijs: quia supponimus vnum tantum acceptum esse stipendium, Ita Garzias de sacerdotio tr. 3. difficul 10. dub. 4. vbi citat Torres Matchinum, & alios. Vide etiam Lezanam in summa. Verbo Missa n. 22 Dianam p. 6. tr 6. ref 9.

Nonum dubium emergit, vtrum in illis Religionibus in quibus secundum regulas, & constitutiones in obitu Fratrum tot Missæ celebrari debent in tota prouincia E. g. vtrum inquam possint superiores huic obligationi satisfacere eisdem Missis, quibus satisfit obligationi iustitiæ ratione stipendi accepti, non priuando Monasterium emolumento stipendiorum, & applicando idem sacrificium, & pro eo qui dedit stipendium, & pro anima Fratris defuncti; satisfaciendo obligationi iustitiæ, & regulæ eodem sacro.

Respondeo hoc nullo modo fieri posse: Probatur non potest satisfieri vnico sacro duplici obligationi iustitiæ, vt omnes fatentur ob iniuriam, quæ sequi posset: sed obligatio celebrandi missas pro defunctis fratribus posita regula est obligatio iustitiæ; Ergo &c. Probatur minor. Per solemnem Professionem celebratur verus, & solemnis contractus quo Religiosus se tradit in potestatem Religionis in obsequium ordinis, & Religio vicissim se obligat ad illum tractandum tanquam filium præcipue in ordine ad salutem animæ & participationem bonorum spiritualium, iuxta leges, & constitutiones eiusdem Religionis, vt videri potest apud Lessium l. 2. de iustitia c. 41. dub. 8. n. 67. & dub. 7. n. 61. ergo quilibet Religiosus acquirit ius strictum iustitiæ ad participationem bonorum spiritualium, quæ secundum regulas, seu cōstitutiones illi debentur: quippe ex contractu ius rigorosum iustitiæ acquiritur. Sed ex constitutionibus debētur, tot Missæ post mortem; ergo lege iustitiæ debentur, & contra iustitiam denegarentur Diceres religiosus est incapax omnis iuris, & dominij, ergo falsum est habere illud ius, quod dicitur.

Respondeo antecedens esse verum de iure circa bona temporalia, quibus Religiosus ex vi voti paupertatis renunciat; secus est de bonis spiritualibus quibus non renunciat per professionem; Imo principaliter profitetur non propter commodum temporale Religionis, sed ob suum bonum spirituale, vt docet Lessius supra c. 8. dub. 3 n. 20.

Dicetis secundo constitutiones & Regulæ non obligant ad culpam, in multis Religionibus: ergo omittens Missas pro defunctis contra regulam non solum non peccat contra iustitiam; sed nullo modo peccat.

Respondetur distinguendo antecedens. Non obligant per se directe, concedo, indirecte, & tanquam conditio, nego, nam posita regula, tanquam conditione, consurgit aliquando noua obligatio, quæ alias non consurgeret. E. g. regula ordinat, vt nemo penes se habeat pecuniam neque superiores possint licentiam concedere eam retinendi; posita hac regula peccat mortaliter pecuniā retinens non præcise contra regulam, sed cōtra paupertatem; quia possidet aliquid tanquam proprium & independenter à voluntate superioris, cuius licentiam præsumere non potest posita regula, cum alias præsumere potuisset, & absque peccato conseruare pecuniam. Ita pariter in casu nostro posita regula de celebrandis Missis pro fratribus, consurgit obligatio iustitiæ ex vi contractus, quia Religiosi sub eo pacto professionem emittunt. Itaque certum videtur non posse vnico sacro satisfieri obligationi celebrandi Missam ob stipendium acceptum, & pariter pro religioso Defuncto iuxta Regulā, & constitutiones.

Quamuis autem nonnulli DD. contrarium senserint Lezzana, Marchinus cum alijs, quos præcedenti dubio citauimus; hoc tamen dixisent, considerata obligatione quæ oritur præcisè ex regula: nam considerata obligatione contractus iam explicati non dissentirent.

Tandem confirmatur, quia intentio Religionis & constitutionum est, vt defunctis fratribus applicetur fructus missarum omnino certus, non pendens à DD. opinionibus quod in nostra Religione Clericorum Regularium inuiolabiliter obseruatur. Dicetis saltem hoc non est contra decreta S. congregationis, quæ solum prohibent ne accipiatur, duplex stipendium pro vna Missa; in casu autem nostro non accipitur duplex stipendium. Respondeo esse cōtra mentem, & rationem decretorum; ideo enim prohibetur duplex stipendium, quia oritur duplex obligatio iustitiæ, quæ cum strictissime obliget nō potest illi satisfieri nisi fructu certo missæ & non posito sub opinione, quæ non sit practicè satis probabilis.

Colligitur secundo discrimen inter sacrificium Missæ, & sacrificium Crucis circa valorem, & modum operandi suum effectum.

Primo quia sacrificium Missæ omnem vim & efficaciam suam habet à Sacrificio Crucis: non è contra.

Secundo quia sacrificiū Crucis est causa generalis omnis nostræ iustificationis & gratiæ, quam à Deo accipimus quacumque ratione Secus est de sacrificio Missæ: multæ enim gratiæ nobis conferuntur à Deo independenter à sacrificio Missæ; sed vel per alia Sacramenta, vel ex merito præcedenti, vel ex mero Dei beneplacito.

Tertio effectus immediatus sacrificij Crucis fuit pretium nostræ redemptionis quasi in abstracto, & prout concipitur nulli applicatum: infinitum tamen vndequaque sufficiens, & superabundans ad salutem hominū infinitorum. Sacrificium vero Missæ est veluti organum, quo de facto applicatur nobis pars aliqua illius pretij; sed finito modo, vt supra explicauimus.

Tandem quarto sacrificium Crucis semel oblatum fuit, & non iteratur, nec iterari oportuit ob effectum vndequaque infinitum applicabile, vt diximus pro salute omnium. Contra vero, cum effectus cuiuslibet Missæ sit actu finitus, neq; possit esse suspensus, vel applicabilis in futurum, sæpius offerendum fuit. Vide Coninch de sacram. q 83. ar. 1. dub. 7. fine.

QVAESTIO III.

De obligatione celebrandi, ex vi præcisâ ordinis sacerdotalis.

PVNCTVM I.

Vtrum simplex sacerdos teneatur aliquoties intra annum celebrare.

Prima sententia simpliciter negat, & docet ad summum peccare venialiter sacerdotes priuatos, si nunquam celebrent etiā in toto vitæ decursu; & quamuis nullum habeant impedimentum. Ita Gabriel D. Bonauentura Alensis, Victoria, Caietanus & alij apud Suar. in tertiam partem to. 3. disput. 80. sec. 1. qui hanc sententiam dicit probabilem. Intelligitur autem modo semel in anno

no communicent. & diebus festis sacrum audiant, vt alij fideles. Probatur primo Si tenerentur celebrare sub peccato mortali, id esset vel ex præcepto diuino vel ecclesiastico; neutrum dici potest; ergo. Non primum, quia ex sacra scriptura non constat; neque secundum, quia nullum ius afferri potest. Non est autem asserendum præceptum de quo non constet.

Probatur secundo, Nemo tenetur suo priuilegio vti sed hoc liberum est: sed potestas celebrandi est quoddam priuilegium, & fauor sacerdotis ergo &c.

Confirmatur quia pariter in ordinatione confertur sacerdotibus potestas audiẽdi confessiones, et tamen nemo dicit peccare mortaliter simplices sacerdotes qui nunquam ea potestate vtuntur; ergo idem dicendum de potestate celebrandi.

Concedunt tamen dicti auctores peccare venialiter priuatos sacerdotes, qui longo tempore non celebrant; quia videtur contra rectam rationem accipere potestatem veluti in vacuum; sicut ait Apostolus In vacuum gratiam Dei recipientes.

Secunda sententia communis, et probabilior docet quemlibet sacerdotem ex vi præcisa Ordinis teneri sub pec. mort. aliquoties in anno sacrum facere. Probatur primo. Quia per sacram ordinationem non solum confertur dignitas, et potestas, sed etiam imponitur officium celebrandi, vt patet ad Hebræos V. Omnis Pontifex etc. pro hominibus constituetur vt offerat sacrificia pro peccatis. Item ex verbis Christi Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem.

Vnde sic argumentor. Qui sponte aliquid officium suscipit, tenetur ei satisfacere, et quidem sub peccato mort si materia grauis est; sed quilibet sacerdos in ordinatione sponte suscipit officium celebrandi, quod est de materia graui; ergo etc.

Confirmatur, quia communiter fideles grauiter offenduntur si quem sacerdotem videant omnino à celebratione abstinere; ergo ex communi sensu fidelium ea obligatio grauis est.

Probatur secundo. Quia illa verba Christi, Hoc facite in meam commemorationem cõtinent præceptum offerendi hoc sacrificium, vt declarat Trid. sess. 22. c. 1. Et quamuis aliqui probabiliter dicant illud præceptum non obligare singulos sacerdotes sed Ecclesiam in communi; nihilominus probabilius est extendi ad singulos: quia Concilium generatim loquitur de omnibus sacerdotibus & ideo hanc sententiam sustinent D. Tho. 3. p. q. 82. at 1. & in 4. dist. 13. q. 1. ar. 2. Syluester verbo Missa Suar sup. Coninch. q. 83. art. 2. dub. 1. Layman de sacrificio c. 3. nu. 2. & alij plures, quos citant.

Quoties autem teneantur sacerdotes celebrare. Breuiter dicendum est quater, vel quinquies in anno cum D Th. supra nempe in præcipuis festiuitatibus. Ratio est quia cum ipso iure hoc non sit definitum prudenti arbitrio determinandum est: Videtur autem prudentis arbitrium, vt in præcipuis festiuitatibus sacrum Deo offeratur. Vide Dianam 2. p. tract. 14. resol. 19. & Layman sup.

Ad opposita, respondetur ad primum teneri singulos sacerdotes iure naturali ex supradictis, vt satisfaciant proprio muneri, & colligitur ex scripturis supra citatis.

Ad secundum maiorem esse veram quando priuilegium est purum, & absque onere: secus in casu nostro.

Ad confirmationem negatur consequentia; Ratio disparitatis est: quia potestas absoluendi datur in ordine ad curam animarum, & indiget complemento iurisdictionis & ideo non obligat, nisi quando confertur iurisdictio, & imponitur cura animarum: cæterum potestas celebrandi confertur omnino complete in sacra ordinatione in ordine ad cultum Dei: quia ad omnes pertinet, nec requiritur iurisdictio.

PVNCTVM II.

Vtrum consultius sit sacerdotes quotidie celebrare, vel potius expediat interdum abstinere.

Respondeo ex communi sententia per se loquendo, melius esse quotidie celebrare.

Probatur; quia ex vna parte sacrificium nouæ legis non arctatur tempore aliquo determinato; sicut olim statutum erat de sacrificijs iudaicis. Ex alia vero frequẽtia eiusdem sacrificij cedit in maiorem Dei cultum, et in maximum bonum ipsius celebrantis, et totius Ecclesiæ; ergo seclusi impedimento decet quam frequentissime offerri, consequenter quotidie.

Vnde Venet. Beda allegatus à Gabriele lect. 87. in Canonem sic asserit, sacerdos non legitime impeditus celebrare omittens priuat sanctissimam Trinitatem laude et gloria, Angelos lætitia; peccatores venia; iustos subsidio, et gratia; in Purgatorio existens refrigerio; Ecclesiam speciali Christi beneficio, et seipsum medicina, et remedio.

Con-

Confirmatur exemplo Apostolorum, & SS, PP. qui quotidianam frequentiam huius sacrificij verbis, & factis commendarunt, vt videri potest apud Suar disp. 80. sec. 2. Layman de sacrif c 3 n. 8. Item Ex constitutur. Religiosorum, quibus indicitur quotidiana celebratio, præsertim in nostris Constitutionibus Cler Reg; in quibus prima par. n 1. sic habetur, sacerdotes nostri quotidie, celebrent etc.

Dixi per se loquendo; quia si sacerdos non eam in se dispositionem aduertat, quam dignitas tanti sacrificij necessario exigit, abstinere potius debet à celebratione ob maiorem reuerentiam, et honestatem, argumento capituli, significatum de Præbendis, quamuis melius faceret implorato diuino auxilio dispositionem procurare et sic celebrare; exceptis illis diebus in quibus ob mysterium Ecclesia prohibet oblationem sacrificij, vt feria sexta Hebdomadæ sacræ de quibus alibi Tandem si quis dubiter in hoc casu an potius abstinere debeat à sacro quem celebrare Respondendum mihi videtur cum Ioanne à Lapide de Dubijs Missæ cap. 2. art. 5. dub. 4. vbi hoc dubium proponit, et resoluit Sacerdotem liberum à peccato mortali, melius facturum si celebret.

PVNCTVM III.

Vtrum possit Sacerdos eodem die pluries celebrare.

RESpondeo negatiue simpliciter, & absolute loquendo. Probatur ex capitulo, sufficit dist. 1 de consecratione, & capitulo, consuluisti de celebr Missarum, in quibus graui præcepto prohibetur ne sacrum eodem die repetatur Vnde grauissime peccaret qui iterum sacrum faceret. Ratio prohibitionis est duplex: primo mistica ob repræsentationem sacrificij crucis; quia Christus semel pro nobis mortuus est, & ob infinitum valorem eiusdem sacrificij non oportuit iterari, & ideo præcipit Ecclesia, vt quilibet sacerdos non possit nisi semel in die sacrificium offerre.

Secunda Ratio est moralis: quia vix possunt homines se digne ad vnũ sacrum disponere, ideo præcipit Ecclesia vt non nisi semel sacerdotes sacrificent. DD. communiter.

Vtrum vero contra eos, qui sæpius celebrant eodem die procedere debeant inquisitores, vel potius ordinarij, variant DD. Aliqui dicunt hoc spectare ad inquisitores, quia abusus sacrificij ingerit suspitionem contra fidem: Alij melius spectare ad Ordinarios: quia communiter motiuum huius delicti solet esse auaritia, et auiditas lucrandi nouum stipendium; nisi aliæ circumstantiæ concurrant, ex quibus oriatur suspitio contra fidem, et aperiatur via inquisitoribus procedendi contra illum. Vide Garziam de sacerdotio trac. 3. diffic. 2. dub. 5.

Est ergo regula generalis semel tantum in die posse offerri sacrificium. Difficultas est vtrum sit aliqua exceptio prædictæ regulæ, vt licitum sit quandoque plures Missas celebrare.

Respondeo excipiendum esse duplicem casum eodem iure canonico in capitulo, Cõsuluisti de celebr. Missarum.

Primo excipitur Dies Natiuitatis Christi Domini in quo possunt celebrari tres Missæ, vt omnibus notum est. Ratio assignatur à D Tho. 3 p. q. 83. ar. 2. ad 2 nempe ad significandam triplicem Christi Natiuitatem Aeternam ex Patre Cælesti; Temporalem, ex Maria Virgine, spiritualem in cordibus fidelium. Vide Layman de sacrificio c. 4 n. 6.

Secundo excipitur casus necessitatis quam grauis autem necessitas requiratur vt licitum sit repetere sacrificium non definitur in dicto capitulo Consuluisti; & ideo DD varios casus assignant, vt videre est apud Syluest. verba Missa p. n 7. Nauar. summa c. 5. num. 87. Sotum in 4 dist. 13. q 2. art. 2. & referunt Layman de sacrificio c. 4. num. 6. cum alijs, quos citat.

Vt autem certa ab incertis secernamus primo loco explicabimus illos casus, qui cõmuniter approbantur à DD & hoc tempore possunt ad praxim deduci. Deinde examinabimus alios, in quibus est difficultas.

Casus certi, & qui modo sunt in vsu duo numerantur. Primus est, ne moriturus decedat sine viatico: quia non adest hostia consecrata In quo casu est breuiter aduertendum. Si sacerdos post consecrationem moneatur de communicando infirmo, seruare poterit particulam suæ hostiæ ad hunc vsum; sicque non opus erit iterum celebrare cessante necessitate. Si vero hoc fieri non possit quia monetur post sumptam hostiam; abstineat ab ablutione vt fieri solet in die Natiuitatis & prima expleta statim inchoret secundam Missam. Quod si sumpserit ablutionem, docent communiter DD non posse iterum celebrare non ieiunum; quia reuerentia Sacramento debita, præferri debet necessitati infirmi; de qua re alibi. Diximus p. 3. tit. 9. sec. 1. dub. 7. vbi oppositum defendimus.

Secundus casus, qui communiter admittitur etiam hoc tempore est, ne populus
die

die festo priuetur Missa, Puta quia idem Parochus ob penuriam sacerdotum præest duabus Ecclesijs, & alteutra necessario deberet die festo carere sacro, nisi idem bis celebret. Censetur autem graue incommodum integrum populum priuari sacro non semel. aut ex accidenti: sed regulariter & perpetuo.

Hanc eandem exceptionem simili ratione extendunt plures; & graues DD. ad alios casus similes E.g. in Anglia, vbi pauci sunt sacerdotes, potest idem sacerdos sæpius in die sacrum facere ad satisfaciendum populo catholico: non solum in diebus festis: sed etiam quandoque in profestis, vbi ratio dictauerit, ne fideles tanto bono priuentur, vbi magis indigent, & ne tepescant in fide. Et idem dicendum de alijs partibus hereticorum, vel infidelium vbi plures catholici degunt vide Suar. disp. 80. sec. 3. Layman. loco sup. cit. In his ergo duobus casibus constat inter omnes licitum esse eodem die bis celebrare.

Numerantur deinde plures alij casus, de quibus est difficultas, verum an illis habeat locum exceptio ratione necessitatis, saltem hoc tempore.

Primus est, quando dicta iam Missa superuenit Episcopus vel aliquis Princeps, qui cupit audire sacrum præsertim in die festo.

Secundus præcedenti similis si die festo superueniant (dicto sacro) multi Peregrini qui Missam audire non possent nisi idem sacerdos iterum celebret.

Tertius quando post Missã occurrit mortuus sepeliendus in locis, vbi est consuetudo non nisi cum Missa mortuos sepeliendi.

Quartus ad benedicendas nuptias.

Quintus, quando eodem die occurrunt due Missæ celebrandæ. vna de festo, altera de vigilia, vel vna de tempore, alia pro defunctis, & non est nisi vnus sacerdos.

Sextus quando in Dedicatione Basilicæ, vel simili celebritate tantus conflueret populus: vt non possent simul omnes Missam in ea audire; tunc enim si vnicus esset sacerdos, posset sæpius celebrare, vt omnes sacrum andire possent. Qui casus colligitur aperte ex D. Leone Epist. 81. c. 1.

Septimus tandem quando alia necessitas occurrit iudicio boni viri sufficiens.

Pro resolutione aduertendum, prædictos casus, de quibus modo est difficultas, olim fuisse in vsu, & ab Ecclesia permissos: quia ob sacerdotum inopiam frequentius euenire solebant: & ideo multo maius incommodum patiebantur fideles ex ea lege non repetendi sacrum. In progressu vero temporis, crescente numero sacerdotum, paulatim in desuetudinem abierunt. Quia multo rarius contingebant: & consequenter incommodum, quod resultabat non tanti fiebat, vt præferri deberet legi Ecclesiasticæ seu regulæ communi semel tantum in die celebrandi Hine paulatim per contrariam consuetudinem videntur abrogati sex illi ve septem casus. Hoc posito.

Respondeo hoc tempore, & in his regionibus in quibus frequens est sacerdotum numerus non esse amplius licitum sæpius eodem die celebrare absolute, & per se loquẽdo, nisi in duobus primis casibus ad communicandum infirmum, & ne Ecclesia parochialis careat sacro in die festo. Ratio est quia in alijs casibus non apparet grauis necessitas, nec sequitur norabile incommodum si sacrum non repetatur. Vide Dianam p. 2. trac. 14 resol. 56. qui plures citat Doctores.

Colligitur primò attendendas esse nihilominus consuetudines Prouinciarum, & regionum, easque seruandas in casibus occurrentibus, In casibus vero dubijs recurrendum esse ad Episcopos, & non nisi de eorum licentia celebrandum esse: Vide DD. apud Dianam supra p. 1. trac. 14. res. 56.

Colligitur secundo si præter vnam ex dictis causis maior necessitas accedat, Ex. g. populi querimonia vel scandalum, nisi iterum sacrificetur, etiam hodie, & in his nostris Regionibus locum habere posse dictã licentiam: quæ in casu necessitatis concedi tur in capitulo consoluisti sæpius citato: quia non potest dici consuetudini repugnare, quod rarissime contingit. Vide Layman de sacrificio c. 4. num. 6.

Colligitur tertio si necessitas exigat non solum bis eodem die, sed etiam sæpius licitum esse sacrificare, vt si idem Parochus præsit tribus Ecclesijs, vel plures infirmi communione indigeant, & non sint hostiæ consecratæ: quia Canon non limitat licentiam ad secundum sacrum DD. supra citati communiter.

Tandem aduertendum est in omnibus casibus in quibus licitum est iterum celebrare, semper & necessario requiri vt Sacerdos sit ieiunus vt notant communiter DD. & consequenter, vt idem sacerdos cum primo sacrificat præscius sit, postea iterum sibi sacrificandum fore, ne sumat ablutionem; ita vt saltem quando est in altari moneatur de imminenti necessitate: Ratio est quia præceptum ieiunij naturalis ob reuerentiam erga Eucharistiæ Sacramentum ab Ecclesia institutum, est & strictissimi iuris: & ideo diffi-

difficillime super eo dispensatur ab Ecclesia, nisi cum constitutis in periculo mortis. Verũ vero, sicut infirmus potest communicare nõ ieiunus, vt propriæ saluti consulat, possit etiã sacerdos celebrare non ieiunus ad illum communicandum controuersia est inter DD. de qua alibi: communiter negant, aliqui probabiliter affirmant Vide Dianã supra res. 66.

PVNCTVM IV.

Vtrum licitum sit bis eodem die communicare extra Missam.

E. G. si sacerdos mane celebrauerit, & vespere incidat in art. mortis, vel si laicus mane sanus communicauerit, & vespere incidat in pecericulum mortis:

Præmittendum est vt certum eadem lege, qua prohibetur sacerdotibus ne iterum eodem die celebrent, prohiberi etiam laicis, & omnibus ne eodem die plusquam semel communicent, quod ex vsu, & praxi Ecclesiæ satis constat Querimus ergo an lex prædicta sicut habet suas exceptiones in casu necessitatis quoad celebrationem sacri, ita pariter aliquam exceptionem admittat quoad communionem præsertim in articulo mortis

Secundo præmittendum est nihili referre in hac quæstione vtrum infirmus sit ieiunus nec ne, quia vt notum est pro infirmis respectu viatici dispensatum fuit ab Ecclesia in ea lege ieiunij. His positis,

Prima sententia negat vnquam licitum esse iterum communicare eodem die. Probatur primo catenus posset iterum communicare constitutus in articulo mortis in casu posito, quatenus non satisfecisset prima communione præcepto iuris diuini, quod obligat pro eo articulo: sed hoc est falsum: ergo &c. Probatur minor: Nam quod parum distat, nihil distare videtur: ergo communio facta prope articulum mortis, censetur facta in ipso articulo: consequenter satisfactum est illi Præcepto.

Confirmatur primo quia plures DD. asserunt etiam si quis communicauerit duobus vel tribus diebus antequam in mortis periculum incideret, eum non teneri iterum communicare, vt docet Layman l. 5. trac. 4. c. 5. n. 4. Diana p. 3. tr. 4. res. 49. cum alijs, quos citaut.

Confirmatur secundo finis illius præcepti est vt morituris se disponat ad transitum subsidijs spiritualibus ex receptione Eucharistiæ prouenientibus; ergo illis perceptis instante morte satisfactum est fini præcepti: nec enim Sacramentum alios confert effectus sumptum per modum Viatici ac sine illa intentione.

Probatur secundo qui mane communicauit in casu posito quamuis sanus; vere communicauit in periculo mortis: ergo satisfecit præcepto iuris diuini: consequenter nec tenetur iterum communicare, nec potest licite ob præceptum Ecclesiasticum non communicandi, nisi semel in die. Probatur antecedens, ea die vere mors illi imminebat siue ex prauis humoribus, siue ex causa extrinseca Deo nota; ergo vere erat in periculo mortis.

Nec obstat ignorantia ipsius morituri, vel communionem non fuisse factam sub intentione satisfaciendi præcepto iuris diuini, nã ea intentio nõ est necessaria ad implendum præceptum, vt omnes concedunt. Ita Suarez in 3. p. disput. 69. sec. 3. Coninch q. 80. art. 11. dub. 3. Lugo de Euch disp. 16. sec. 3. Granado; & alij apud Dianam p. 5. trac. 3. resol. 33.

Opposita tamen sententia est valde probabilis & tuta in praxi, nempe posse & teneri infirmum iterum communicare, si non superfit aliud tempus:

Probatur quando concurrunt duo præcepta in compossibilia seruandũ est illud quod fortius obligat, & est potioris iuris: sed in casu nostro concurrunt duo præcepta incompossibilia, nempe præceptum semel tantum communicandi eodem die & præceptum communicandi in articulo mortis: ergo seruandum est hoc secundum, quod est potioris iuris, nempe iuris diuini: quod autem hoc præceptum vrgeat, non abstante comunione percepta eadem die. Probatur quia obligat pro tempore determinato periculi mortis, & non antea, idest quando præsens est periculum mortis; non quando est futurum, alioquin semper obligaret: Sed quando prima vice communicauit non erat præsens periculum mortis, ergo tunc non obligabat Præceptum iuris diuini neque illi poterat satisfieri: Sicut præcepto recitandi horas canonicas hac die non potest satisfieri ante mediam noctem. Probatur minor. Periculum mortis fit præsens per infirmitatem actualem ex qua oritur, sed in casu posito quando ille mane communicauit nondum superuenerat infirmitas, ergo nec periculum mortis nec tempus obligationis præcepti. Hinc sequitur nedum posse, sed etiam teneri moribundum iterum communicare codẽ die quia vrget præceptum diuinum Ita Hurtadus de Mendoza de Euchar. disp. 10. diff. 1. Zambellus in repertorio verb. Euchar. Turrianus, Kelifonius, Escobar, & alij quos citat & sequitur. Diana sup & par. 8. trac. 1. res. 87.

Di-

Dicetis hac doctrina imponi infirmis nouum onus actenus ignotum. Respondeo onus quidem sed leue, & iugum suauissimum summi gaudij veris fidelibus; quod si igratum non sit aliquibus, possunt adherere primæ sententiæ,

Ad opposita respondetur ad primum negando minorem. Ad probationem respondetur, Illud axioma: quod parum distat &c. habere locum vbi tempus non est iure præfinitum: Secus in casu nostro, vt patet exẽplo allato de recitatione horarum paulo ante mediam noctem.

Ad primam confirmationem respondetur falsum assumi.


Ad secundam confirmationem respondetur non satis esse antecedenter assequi id, quod per præceptum intenditur: sed necessarium esse exequi tempore habili id, quod præcipitur, vt si quis ad macerandam carnem ieiunauerit die præcedenti vigiliam, non ideo excusatur à ieiunio vigiliæ.

Ad secundum distinguo antecedens communicauit in periculo mortis mox futuro, concedo: in periculo præsenti, nego: Vnde negatur consequentia ex dictis supra.

Colligitur primo: Posse quemlibet eodem die iterum communicare, quando id esset necessarium ad vitandam iniuriam Sacramẽti; alias deuenturi in munus infidelium: quia vrget maius præceptum. Diana supra resol. 87.

Colligitur secundo; quid sit dicendum ad eam quæstionem: vtrum sacerdos in die Natiuitatis, sicut potest pluries celebrare, possit etiam pluries communicare extra Missam. Dicendum est enim non posse, quia solum fit dispensatio ad celebrandum pluries: non vero ad communicandum extra Missam. Vnde nec possit sacerdos post communionẽ extra sacrificium celebrare: quia illa communio extra Missam non compatitur aliam. Ita Lugo de Euchar. disp. 20. sec. 1. n. 43. Diana loco supra citato.

Colligitur tertio: Cardinalem qui vt Diaconus ministrat in Missa Papali in die Natiuitatis & ex ritu præscripto, communicat sub vtraque specie, non posse eodem die, celebrare, nec vnicum sacrum si sacerdos sit; quia obstat prohibitio Ecclesiæ interdicentis duplicem communem vt supra Lugo disp. 20 citata.



QVÆSTIO IV

De obligatione celebrandi ratione stipendij.

PRæmittendum est posse licite a sacerdotibus recipi stipendium, vel salarium pro celebratione Missarum. Non quidem vt pretium sacrificij, vel fructus eiusdem: nam exploratum est res spirituales vendi non posse absque grauissimo sacrilegio, & enormi peccato simoniæ; sed accipitur stipendium titulo sustentationis; nam qui altari deseruit, de altari viuere debet, vt colligitur ex Matthæi 10 & ex Apostolo 1. Corinthior. 9. sicut enim licitum est sacerdoti accipere vinum, hostias candelas, & alia necessaria ad hoc sacrum ministerium, nec tenetur suis sumptibus ea subministrare in vtilitatem fidelium pro quibus sacrificium offert, ita licitum est aliquid accipere ad sui sustentationem. Quod extendunt etiam communiter DD. ad sacerdotes diuites: quia etiam aliunde diuites ius habent viuendi ex altaris ministerio. Ita D. Tho. quodlib. 6. art. 10. Suar. disput. 86. sec. 3. Sotus lib. 9. de iustitia q. 6. ar. 1. Nauar. summæ c. 28. n. 101. & alij apud Bonacin. de sacramentis disp. 4. q. vlt p. 8. n. 7. His positis explicandæ sunt nonnullæ difficultates circa huiusmodi obligationem quæ consurgit ex accepto stipendio.

PVNCTVM I.

De obligatione celebrandi ratione stipendij manualis.

PRima Difficultas an teneatur sacerdos sub pecc. mortali ex integro tot Missas celebrare, quot requisitæ fuerunt à dantibus stipendium.

Respondeo affirmatiuæ, etiam si recepta stipendia fuerint exigua, & incongrua. Item siue sacerdos expræsse promiserit, siue tacitè, aliàs peccat mortaliter. Probatur; Qui violat pactum in re graui peccat mortaliter sed pactum in re nostra est de re graui: quia fructus proueniens ex Missa est notabile bonum, & eius priuatio est graue damnum spirituale: ergo &c. Ita DD communiter apud Bonacinam supra punc. 7. §. 2. n. 8. & apud Dianam p. 2. trac. 14 resol. 7. & p. 5. tract. 13. res. 52. & Lezzanam summa verbo Missa n. 10 Quod si sacerdos non ratione stipendij sed

gratis, & ex mera liberalitate aliquod sacrum promisisset probabile est, eum non peccaturum mortaliter si promissionem non seruaret: quia satis probabile est ex promissione liberali non consurgere obligationem iustitiæ, sed solum fidelitatis; consequenter eam obligationem non esse grauem, & sub pecc. mor. sed solum sub veniali vt alijs citatis docet Diana p. 2. trac. 17. res. 9. Lezzanà sup. num 11.

Dixi etiam si accepta stipendia fuerint incongrua &c. Quamuis enim ante decreta de celebratione Missarum nonnulla fuerit controuersia inter DD. an sacerdos accipiens diminuta stipendia possit minuere numerum Missarum ad rationem integri, & consueti stipendij; modò tamen post decreta prædicta edita auctoritate Vrbani VIII. 1625. cessat hæc controuersia: quia decisum fuit nullo modo licere his verbis. Sacra Congregatio sub obtestatione diuini iudicij mandat ac præcipit, vt absolute tot Missæ dicantur, quot ad rationem attributæ eleemosinæ præscriptæ fuerunt, etiam si stipendia fuerint incongrua, alioquin ij, ad quos pertinet grauiter peccent, & ad restitutionem teneantur.

Colligitur primo: esse peccatum mort. etiam vnicum sacrum omittere, seu detrahere ex præscripto numero: quia priuatio fructus, etiam vnius Missæ censetur graue damnum spirituale per se loquendo. Ita Petr. Nauar lib. 2. de restit. c. 2. n. 382. Aragon. 2. 2. q 85. artic. 5. Alphonsus de Leone de Iubileo p 3. n 25. Bonac. punc. 7. citato §. 2. n. 6. Auersa de sacrificio q. 9. sec. 18. & communiter.

Nec obstat stipendium vnius Missæ quid leue censeri: nec esse materiam sufficientem ad furtum mortale; quia licet damnum pecuniæ non sit graue: damnum tamen spirituale est satis graue, vt colligitur ex verbis S. Congr. cit. Dixi per se loquendo; quia si pro anima alicuius defuncti postulentur Missæ in numero valde magno, & excessiuo, respectu illius priuatio fructus vnius Missæ non videtur graue detrimentum, nec peccatum mor. In quo sensu defendi potest sententia aliquorum qui sustinent, omissionem vnius, vel alterius Missæ non esse peccatum mor. vt videri potest apud Marchinum de sacramento Ordinis

Item quando Missa debetur ex promissione liberali.

Colligitur secundo sacerdotes, qui accepto stipendio non dixerunt Missas ad rationem attributæ eleemosinæ teneri sub peccato mor. restituere vel supplere Missas, quas dicere omiserunt: quia violarunt iustitiam, & ex violatione iustitiæ sequitur obligatio restitutionis vt notum est; DD. communiter apud Bonac. disp. 4 de sacram. p. 8. n. 4.

II. DIFFICVLTAS.

QVando celebrari debeant Missæ debitæ ratione stipendij, & qualiter peccent, qui Missas differunt ad longum tempus.

Respondeo Missas celebrari statim debere, & quam primum fieri potest: quare nimium differre est peccatum mor. Ita DD. communiter apud Bonacinam disp. 4. de sacramentis quæst. vlt p. 7. §. 5. Probatur; tum quia obligatio semel contracta statim vrget præsertim obligatio iustitiæ, vt docent communiter DD. in trac. de restit; vnde qui differt soluere quod debet peccat mortaliter si dilatio sit nimia: quod intelligitur nisi præfixus fuerit terminus, vel concessa dilatio ad longum tempus. Tum quia talis censetur mens tribuentium stipendia. Tum denique quia sic districte præcipitur in decretis de celeb. Missarum, vt quam primum satisfiat.

Colligitur primo: non posse acceptari stipendia pro dicendis Missis in magno numero, quibus non possit cito, & intra modicum tempus satisfieri, vt expræsse declaratur in Decretis citatis in resp ad 10. quæsitum.

Punctus Difficultatis est quale spatium censendum sit modicum, & quæ dilatio dicatur nimia? Variant DD. Aliqui enim nimis rigide assignant spatium 8. vel 10. dierum. Alij contra nimis extendunt, vt videre est apud Dianam p. 9 tr 6. res. 55.

Dicendum breuiter est spacium 2. mensium censeri modicum, seu moderatum ad satisfaciendum legitime Missis debitis seclusa tamen speciali conuentione, vel nisi vrgeat grauis necessitas. Colligitur ex canone præsentium 7. q. 1. & ex Trid. sess. 23. de reform. c. 1. vbi duorum mensium absentia Parochi à sua Parochia dicitur absentia modici temporis. Vnde DD. communiter arbitrantur dilationem duorum mensium in Missis celebrandis censeri modicam, & vltra prædictum spacium fore nimiam, & inducere pecc. mor. Ita DD. quos citat, & sequitur Diana supra res. 55. & p. 2. tr. 14. resol. 25. & alij apud Garziam de sacerd. tr. 3. difficul. 10. dub. 8 Confirmatur: nam alias nimis angustiarentur pauperes sacerdotes si non possent anticipate acceptare eleemosinas pro Missis celebrandis infra spatium prædictum, & expectare deberent in dies singulos subsidium ad vitæ sustentationem.

Addunt aliqui etiam spatium trium mensium posse modicum, seu moderatum censeri; quia ex Concil. Trid. loco cit. etiam hoc spatium trium mensium censetur modicum pro absentia Episcopi à sua Dioecesi: ergo etiã pro celebr. Missarum. Ita Fambarin. Opusc. de sacrificio l. 3. c. 1. §. 9 n. 4. & maius etiam spatium concedit arbitrio prudentis Thomas Hurtado in resol. moral. tr. 2. c. 4. res. 18. Quod tamen non videtur admittendum quia est contra communem. Nec enim omne spatium quod in iure modicum cẽsetur ad alios fines, trahi debet ad nostrum casum.

Colligitur secundo, posse acceptari à quolibet sacerdote stipendia pro sexaginta Missis, seu quibus satisfieri potest intra bimestre Et proportionaliter à quolibet Monasterio, vel collegio iuxta numerum sacerdotum in eo commorantium DD citati.

Colligitur tertio è contra fieri posse, vt eam vnius diei dilatio sit nimia ratione vrg. & imminentis necessitatis E. G. si quis petat Missam hoc mane dicendam pro infirmo periclitante, vel pro lite ea die decidenda, in quibus casibus si sacerdos differat vltra illam diem pecc. mor. & tenetur restituere stipendium; quia transacta iam indigentia non potest satisfieri alia Missa obligationi prædictæ. Ita cum alijs Auuersa de sacrif. q. 11. sec. 18.

Colligitur quarto, ex consensu partis differri posse celebrationem Missarum ad longum tempus: quia volenti, & consentienti non fit iniuria, vt per se patet & docent comm. DD.

III. DIFFICVLTAS.

Vtrum sacerdotes licite possint alijs cõmittere Missas celebrandas parte eleemosinæ sibi retenta.

Resp. quamuis ante decreta sæpius citata de celeb. Missarum plures, & graues DD. probabiliter senserint hoc per se loquendo non esse illicitum, quãdo prior sacerdos factus est dominus stipendij: quia pro se acceptauit, & non est merus dispensator nomine alterius, & modo alteri sacerdoti tradat stipendium consuetum saltem infimum intra limites stipendij insti: quia his positis circunstantijs, nulli fit iniuria: non enim sacerdoti cui committitur Missa celebranda: quia huic traditur quod iustum est, neque illi, pro quo Missa celebrari debet quia omnes Missæ sunt æqualis valoris, Ita Suar. Nauar. Fraxinel. Henriq. & alij plures, quos citat, & sequitur Bonacina de sacram. disp. 4. q. vlt. punc. 8. n. 8.

Modo tamen post decreta prædicta hoc sustineri non potest quia absolute, & manifeste prohibetur ne retineri possit pars eleemosinæ prædictæ: sed debere integram eleemosinam tradi ei, cui committitur Missa celebranda. Ita DD. communiter qui scripserunt post ea decreta. Diana p. 2. tr. 14 res. 10. Lugo de sacr. Euchar. disp. 21. sec. 1. n. 32. Lezana summa ver. Missa n. 35. Auuersa de sacrificio q. 11. sec. 17.

Dubitari potest primo, an prohibitio S. Congregationis sit grauis, & sub pec. mor. vel solum sub veniali. Ratio dubitandi est quia res prohibita non est contra iustitiam, aut est iniuria alterius, vt supra dicebant authores citati: sed solum contra decentiam ob affectum auaritiæ, qui non inducit nisi peccatum veniale: ergo prohibitio illa videtur tantum sub veniali.

Prima sententia sustinet prohibitionem illam non videri grauem, & sub pecc. mor. & consequenter transgressionem esse peccatum veniale. Probatur quia S Congr. non vtitur verbis adeo rigidis ex quibus necessario colligatur prohibitio grauis, & sub pecc. mor. neque declarat transgressionem esse contra iustitiam: ergo &c. Ita Bordonus to. 1 variarum res. 25. q. 18. qui absolute id. asserit non solum de vna, vel paucis Missis: & aliquibus viris doctis non videtur improbabile; communiter hoc non admittunt.

Secunda ergo sententia communis, & vera sustinet prohibitionem esse grauem, & obligare sub pecc. mor. ex genere suo & transgressores solum excusari à pecc. mor. ratione paruitatis materiæ: quia verba prohibitionis videntur grauia, & sufficientia ad inducendam obligationem sub pecc. mor DD. sup. cit. in responsione. Crederem tamen esse pecc. mor. contra obedientiam: non contra iustitiam, & ideo non inducere obligationẽ restituendi.

Dubitari potest secundo, an post Decreta possit tuta conscientia retineri pars eleemosinæ seu stipendij accepti, quando, illi quibus committitur missa dicenda cõtenti sunt vna parte eleemosinæ & libere donant residuum ipsi committenti.

Respondeo si scienter, & sponte consentiãt, licite hoc fieri. Probatur: quia sicut alij possent mere gratis, & nullo recepto stipendio celebrare, & satisfacere obligationi primi sacerdotis qui Missas comisit celebrandas, sic etiam possunt accepto diminuto stipendio aliam partem donare. Dixi autem si sponte, & scienter consentiant: nam si fraus vel metus intercedat, certum est committi iniustitiam cum obligatione restituendi. E. G. si accipiens integra stipendia decipiat alterum dicendo se non accepisse nisi dimidiata, aut non pinguia: vel metu iniusto inducat ad acceptanda stipendia diminuta Ita Lugus, Lezana

zana Auersa locis supra citatis, Diana ref. 131. & alij communiter: secus si patefacta veritate cum inducat ad condonandam partem. Sponte & libere.

Dicetis non præsumi communiter donationem liberam. Primo quia stipendia diminuta acceptari solent à sacerdotibus pauperibus & necessitate pressis, qui vellent integra stipendia, si habere possent: sed quia illis non offeruntur integra, accipiunt quod possunt; & donant aliquam partem alias non donaturi: ergo adest adiunctum inuoluntarium secundum quid; seu conditionatum, quod videtur obstare liberæ donationi.

Secundo qui necessitate compulsi vendunt res suas minoris iusto prætio non censentur donare emptoribus supplementum iusti pretij. Imo emptores peccant contra iustitiam, & tenetur restituere, saltem ad limites infimi iusti pretij: ergo pariter in casu nostro.

Tertio solventes vsuras, non donant vsurario incrementum supra capitale: quia etsi promittant, & soluant voluntarie simpliciter, nihilominus adest adiunctum inuoluntarium secundum quid: eo quia non soluerent si possent mutuum gratis obtinere, & absque vsuris: sed in casu nostro adest Inuoluntarium secundum quid: quia sacerdos cui committitur missa celebranda non donaret partem stipendij, si integrum offerretur: ergo non præsumitur vera donatio.

Respondetur ad primum. Quando necessitas aliunde supponitur, nec imponitur ab altero contrahente per metum iniustum; nihil omnino obstat valori donationis, nec aliorum contractuum. Sicut vouens E. G. eleemosynam vt liberetur ab infirmitate, vel naufragio, qui alias non voueret extra illam necessitatem validum votum emittit. Ratio est quia sponte, & libere eligit illud votum, vt medium euadendi periculum, & habet absolutum, & simpliciter dictum consensum nō extortum ab alio per iniuriā: ergo obligatur. Ita est in casu nostro; ergo donatio est libera, & valida: quia scienti, & consentienti non fit iniuria.

Nec refert quod habeat adiunctum inuoluntarium conditionatum; nollem donare si pingue stipendium offerretur: quia conditio nihil ponit in esse: sed relinquit absolutam electionem boni minoris ad vitandum incommodum maius, nec donatarius infert iniuriam; sed solis precibus suadet donationem. Ita DD. communiter de contractibus in genere Sanchez l. 4. de matr disp. 9. Medina, Beccanus Molina Nauar. & alij. quos citat & sequitur Layman l 3. tr. 4. c. 6. n. 1. Quamuis Card de Lugo rigidius loquatur in hoc casu de partiali condonatione stipendij. Requirit enim ad eius valorem, vt non fiat ex metu aliquo; quia fortasse alias non darentur sibi illæ Missæ, vel in futurum aliæ non dabuntur, & concludit in praxi vix posse hoc absque periculo contingere. Ita Lugo de sacram, disp. 21. sec. 2 n. 32.

Cæterum ille metus non videtur iniustus: consequenter non obstat donationis valori: quia iuste potest prior Sacerdos committere missas celebrandas potius illis, qui aliquid remittunt de iusto stipendio, quam alijs. Sicut emptor potest adire venditores, qui aliquid remittunt de pretio, etiam si venditor remittat ex timore; quia fortasse alias non tot concurrerent ad suam apothecam, non enim tenentur concurrere. Ita pariter &c.

Ad secundum, si vendens minoris iusto pretio non intendat donare, nec dicat se velle condonare partem pretij, concedo totū. Negatur tamen consequentia: quia in casu nostro supponimus Sacerdotem cui missa committitur velle donare, & quod ita declatet.

Ad tertium vsuras esse illicitas non ex eo solum quod habeant adiunctum inuoluntarium conditionatum, & secundum quid: sed quia incrementum supra sortem exigitur, vt debitum ex iustitia, & quia soluens vsuras, non habet animum donandi, sed soluendi ex debito: cum autem re vera ibi nullum sit debitum, deest simpliciter consensus transferendi dominium earum in vsurarium. Secus in casu nostro, in quo supponimus animum donandi simpliciter.

Colligitur posse retineri partem stipendij ob similes titulos licitos, & iustos E. g. si stipendium pingue, & maius consueto datum fuerit non solum pro missa: sed etiam intuitu personæ ob amicitiam, vel consanguinitatem, poterit hic retinere excessum sibi liberaliter donatum, dando alteri cui missa committitur consuetum stipendium, Diana 2. p. tr. 12. ref. 12. Auersa loco sup. cit. Secundo ratione expensarum, quæ fiunt pro celebratione missar. pro candelis vino hostijs &c. possunt Rectores Ecclesiarum aliquid retinere, quando non habent aliunde redditus sufficientes pro expensis huiusmodi, vt declarauit S. Congregatio.

Tertio Cappellani pingues habentes redditus pro celebrandis Missis satisfaciunt dando alijs stipendium consuetum quia retinent id quod superest ratione tituli beneficij vel Cappellæ vt patet ex declarationibus eiusdem S Congreg. Vide Auersā sup. q. 1. sec. 17. § 6. Diana sup. ref. 12. Cardinalem De Lugo disp. 21.

disp. 21. nu. 30. qui cum alijs aduertunt eandem esse rationem de Cappellano, qui non est beneficiarius, sed stipendiatus ad instar beneficiatij.

IV. DIFFICVLTAS.

AN pro labore extraordinario vel simili causa possit à sacerdotibus exigi nonum stipendium, vel maius consueto E.G si mittantur ad Ecclesiam longinquam; vel debeant expectare longo tempore, vel è contra præuenire summo mane cū notabili incōmodo.

Respondeo affirmatiue, quia illud incommodū est pretio æstimabile, & nō est intrinsecum sacrificio, nec per se connexum cum Missa; ergo potest pro eo iuste exigi distinctum stipendium. Confirmatur quia hac ratione pro celebranda Missa solemni, & cum cantu iuste exigitur maius stipendium quā pro Missa simplici, & priuata DD. communiter apud Auersam de sacrif. q. 11. sec. 17. §7.

Dubitari solet hic vtrum sit causa iusta exigendi maius stipendium circumstantia diei festi. In aliquibus enim locis consuetudo obtinuit, vt pro die festo exigi possit duplicatum stipendium. Solent enim maiori studio sacerdotes requiri vt celebrent oblato maiori stipendio: quia in pluribus Ecclesijs celebrari solent Missæ, & in maiori numero. Aliqui negant cum Diana 2. p. t. 14. res. 9. quia censent hoc esse prohibitum in decretis de celebr. Missar; §. 3.

Cæterum in decretis prædictis re vera nihil dicitur in contrarium, & ideo dicendum est seruandam esse locorum cōsuetudinem. Ita Bonacina, Fraxinellus Bartholomeus à S. Fausto, & alij, quos citat & sequitur Auersa sec. 17. citata.

V. DIFFICVLTAS.

AN sacerdos qui actu nō habet stipendia pro Missis celebrandis possit anticipare celebrare pro illis, qui postea sibi daturi sunt, quos Deus nouit. Ratio dubitandi est quia effectus Sacramentorum applicari non possunt sub conditione de futuro, vt docent communiter ex praxi Ecclesiæ; quia non potest minister eos suspendere: ergo nec effectus sacrificij potest applicari sub simili conditione illis qui primo daturi sunt stipēdium.

Prima sententia affirmat: quia conditio prædicta non est de futuro sed de præsenti, nec remanet suspensus valor & fructus sacrificij, sed ex tunc applicatur illis, quos Deus nouit: ergo hic modus applicandi est licitus.

Probatur antecedens: quia modo, & de præsenti Deus vere cognoscit, & videt eos qui primo &c. quamuis enim petitio Missarū cum oblatione stipendij respectu nostri sit futura: in Dei tamen æternitate, & acceptione est præsens. Ita docent Vega, Fernandez, Petrus Nauarra, Molfesius, & alij plures, quos refert & reprobat Diana 2. p trac. 14. res. 15. Quæ opinio defendi posset vt probabilis si non fuisset prohibita, vt dicemus.

Secunda sententia communis & omnino sequenda negat.

Probatur Primo: quia sicut Deus secundum legem ordinariam nec punit, nec præmio afficit homines propter eorum opera futura, sed secundum præsentem statum, & conditionem; Ita nec fructum Sacramentorum, & sacrificij confert cum respectu & dependentia ad opera futura.

Probatur secundo: Indigentia pro qua postulatur Missa sæpe tunc solet occurrere, quādo postulatur, siue ad impetrandum siue ad satisfaciendum: ergo illi nō succurritur Missa anticipata nisi fructus sacrificij suspensus esse debeat E.g si petatur Missa in die obitus ad liberandā animam defuncti à pœnis Purgatorij, & missa celebrata fuerit multo tempore ante obitum, nec potuit remittere pœnas pro peccatis postea commissis.

Tandem prima opinio reprobata fuit à S. Rituum Congregatione sub die 15. Nouembris 1605. saltem quo ad vsum & praxim, ob inconuenientia quæ nasci possunt ex ea, ergo amplius sustineri non potest Ita Suar disp. 79. sec. 9. Lugus disp. 19. n. 29. Laiman de sacrificio c. 2. n. 14. & alij cōmuniter apud Dianam sup. & Auersam q. 11. sec. 18. ex quibus patet ad fundamentum primæ sententiæ.

Colligitur posse nihilominus sacerdotē licite offerre missas pro Titio defuncto pro quo scit postulandas esse missas ab heredibus vel alijs intra annum E.g. quia satisfiet legatis, & deinde accipere stipendium quando consequenter missæ postulantur. Nā hoc modo offertur sacrificium pro anima determinata, vel persona nota, nec expectatur indigētia sed supponitur, solumque sacerdos exponitur periculo perdendi stipendium. Ita Vasquez disp. 23. c. 3. Auersa q. 11. sec 18. §. 6

PVNCTVM II.

De obligatione celebrandi ratione cappellaniæ vel beneficij.

PRima difficultas, vtrum cappellani possint satisfacere per alios suæ obligationi celebrandi missas

Respondeo affirmatiue. Probatur ex eo quod

quod obligationi celebrādi satisfiat per substitutum, nullum sequitur damnum creditori, & fundatori cappellaniæ ob æqualem valorem omnium Missarum: ergo modus satisfaciendi per substitutum est iustus, & licitus. Neque vlla extat de hac re prohibitio. Ita communiter DD apud Dianam 2.p.trac. 14.ref.18.

Colligitur primo non posse Cappellanum compelli ab Episcopo, vt per se ipsum satisfaciat; quia satisfaciendo per alium vtitur iure suo. Atque ita declaratum fuisse a S. Congreg. testantur plures DD. apud Dianam supra. Quod intelligitur nisi in fundatione cautum sit vt titularis per se ipsum inseruiat: tunc enim ita præstare tenetur; quia voluntas testatoris pro lege seruanda est, & consequenter poterit compelli ab Episcopo, nisi adsit causa rationabilis excusans Ita DD cit.

Colligitur secundo, posse Cappellaniam conferri simplici clerico minoris ętatis, quando in fundatione non exigitur vt titularis sit actu sacerdos quia potest obligationi satisfieri per substitutum Diana sup.

Colligitur tertio, si cautum sit in fundatione, vt titularis per se ipsum inseruiat, & celebret, eum peccare si absque rationabili causa substituat alium; non videtur tamen peccare mortaliter seclusо scandalo, vel damno aliorum, nec tenetur ad restitutionem aliquā; quia nō violat iustitiam cum damno alterius. Ita Bonac. disp.4 de sacram.q.vlt.p.7.§.1. Aduersa de sacrificio quæst. vnd.sec.18.subiacet tamen pœnæ impositæ à fundatore, & potest ei infligi à iudice Ecclesiastico DD. citati.

II. DIFFICVLTAS.

AN cappellanus qui non tenetur quotidie celebrare, sed aliquoties in Mense, vel hebdomada, e.g. ter in hebdomada, vtrum inquam possit anticipare, & vno mense dicere etiam pro sequenti.

Respondeo posse licite anticipare, nisi oppositum constet de mente institutoris, vel nisi resultet in preiudicium alijs. Ratio quia hęc se habet tanquam anticipata solutio, quę communiter resultat in vtilitatem creditoris Ita DD quos citat, & sequitur Diana p.2.tr.4. ref.16.Bon. sup.§.5 Lug.de Euc.disp.21.n.44.

Si vero expresse institutum sit ne fiat anticipatio in finem Ex. g. commoditatis aliorum vt successiuè fiant in Ecclesia Missæ, quibus alij assistere possint, vel vt dicantur Missæ pro ijs qui successiue moriuntur; tunc anticipatio esset illicita, & cum peccato, vel mortali vel veniali iuxta qualitatem damni quod inde sequitur DD.citati.

Colligitur primo, quid sit dicendum si in institutione Missarum cautum sit, vt Missæ dicantur certis diebus in hebdomanda, Distinguendum est; si enim determinatio dierum facta sit ex certo motiuo E.g. sint assignati dies dominicæ, vt populus possit audire Missas, vel sabbata propter deuotionem B. Virginis; tunc non potest fieri variatio absque peccato mortali vel veniali, iuxta qualitatem præiudicij quod inde sequitur vt supra dicebamus: si autem nulla appareat ratio illius determinationis & electionis dierum, nullum erit peccatum variare, & alijs diebus supplere, vt cum alijs doces Lugo sup citatus.

Colligitur secundo. Quamuis anticipatio quando non est prohibita sit absolute excusabilis, & licita; non est tamen idem asserēdum de dilatione; hæc enim communiter est illicita, & cum iniuria creditoris; quare si dilatio sit nimia est mor. peccatum, vt sup. dicebamus punc.1. diffic.1. si autem modica, esse pecc. veniale, nisi impotentia, vel alia iusta causa excuset.

III. DIFFICVLTAS.

AN Cappellanus habens perpetuum, vel annuum stipendium ad celebrandum quotidie, teneatur supplere per alium, si aliquibus diebus non possit ipse celebrare ob infirmitatem, vel simile impedimentum.

Prima sententia sustinet eum teneri supplere per alium, vel restituere stipendium pro rata illorum dierum quibus celebrare non potest: Probatur quia cessante causa, vel motiuo principali dispositionis, cessat ipsa dispositio. Et datum ob causam debet restitui causa non impleta; sed stipendium datur propter Missam; ergo &c. Ita syluester vet. Missa 1. q. 7 Tabiena eodem n. 45. Henriq. l. 9 c. 24 Genuensis in praxi c. 47. n. 2.

Opposita sententia est communis & probabilior, nempe excusari per modicum tempus ex benigna interpretatione mentis fundatoris, & tacito eius consensu. Probatur quia non censetur institutor Cappellaniæ voluisse cum tanto rigore obligare, vt ex causa infirmitatis non indulgeret breuem intermissionem; ergo non tenetur cappellanus in casu posito supplere per alium, nisi ex verbis institutionis constet oppositum: quippe fundator reuera potest cum eo rigore obligare, vt probat argumentum primæ sententiæ, Ita DD. infra citandi.

Punctus difficultatis consistit in assignando numero dierum pro quibus excusari potest cappellanus infirmus, certum est enim secundum omnes non esse præsumendum consen-

sensum fundatoris, nisi per modicum tẽpus. Variant autem DD. Aliqui enim solum concedunt octo, vel decem dies alij quindecim vel etiam integrum mensem, vt videre est apud Dianam p 2 trac. 14. ref. 27. Dicendum est tamen satis probabile esse excusari posse per spacium duorum mensium, quod in iure censetur modicum, vt alias diximus, nisi aliud colligatur ex verbis fundatoris. Atque ita arbitrantur plures, & graues DD. Petrus Nauarr. de restit. l. 2. c. 2. n. 210. Vega in summa c 28. casu 14. Naldus ver. Missa n. 11 Lugus de Euchar. disp 81. n. 49. Diana p 5. tr. 13. ref. 41. & alij apud ipsos.

Colligitur primo posse Cappellanum obligatum ad celebrandũ quotidie aliquas Missas dicere intra annum pro se ipso, vel sibi côiuncto E.g quatuor, aut sex: quia talis præsumitur rationabilis voluntas fundatoris. Ita Naldus supra n. 7 Homo bonus, & alij, quos citat, & sequitur Diana p. 4. tr. 4. ref. 86. Lezana ver. Missa n. 41. Quod intelligendum est seclusa intermissione ex alio capite. Nam si ratione infirmitatis, quis plures Missas omiserit, vel semel in hebdomada vacare vellet iuxta dicenda in sequenti difficultate; tunc non posset alias etiam Missas detrahere.

Colligitur secundo, nõn teneri cappellanũ in die Natiuitatis Domini dicere tres Missas pro fundatore; quia obligatio est celebrandi semel in die. Quare si velit tres dicere poterit applicare duas pro libito. Item non teneri celebrare in triduo maioris hebdomadæ, etiã si licite posset celebrare feria V. & sabbato: quia non adstringitur præter vsum receptum Ecclesiæ. Tandem notant DD non teneri Cappellanum in die commemorationis omnium defunctorum celebrare pro fundatore; sed posse pro omnibus defunctis sacrificium offerre: quia ea videtur mens Ecclesiæ. Quod autem addit Fraxinellus de obligationibus sacerdotum sec. 4 concl. 4 §. 22. nempe singulos sacerdotes ea die teneri applicare sacrificium pro omnibus defunctis in communi, caret fundamento quoad obligationem, quamuis optimum consilium esset eo modo applicare. Probatur quia non tenentur applicare sacrificium pro defunctis; quia obligatio applicandi sacrificium necessario supponit obligationem celebrandi. Vide Auersam de sacrificio q. 11. sec. 18 versic. Item posse.

IV. DIFFICVLTAS

An Cappellanus obligatus ad celebrandum quotidie possit vacare semel in hebdomada, & sacrificium intermittere.

Respondeo affirmatiue si iustam habeat causam præcipuè ob reuerentiam sacramenti idest si in se nõ aduertat eam dispositionem & deuotionem, quæ necessaria est & decet tantum sacramentum. Sumitur autem fundamentum huius conclusionis ex cap. significatum de præbendis, in quo habetur Cappellanum hujusmodi debere Missam celebrare quam frequentius fieri potest, & additur, salua tamen honestate, & debita deuotione; ergo si sacerdos debita deuotione careat nec possit eam facile consequi, poterit aliquoties sacrum intermittere, quod explicant DD. semel in hebdom.; quia stante humana fragilitate difficile est tam frequenter se digne, apteq; disponere ad deuote celebrandum sine vlla intermissione; quamuis absolute posset quilibet aspirante diuina gratia dispositionẽ procurare, & ideo non conceditur maior licentia, vt videri potest apud Lezzanam summ ver. Missa n. 42. & Dianam 2. p. tract. 14. ref. 28. Bonac. disp. 4. de sacram. q. vlt. p. 7. § 2. n. 16 qui alios citant.

Addunt etiam communiter limitando hanc doctrinam primo non esse admittendam huiusmodi vacationem, seu intermissionem, quando in institutione Cappellaniæ explicatur vt cappellanus quotidie celebret per se vel per alium, vel simili modo significetur per se intendi celebrationem quotidianam non verò electionem personæ, & industriæ cappellani: in hoc enim casu supplendus erit defectus per alium: & quidem recte: quia Cappellanus acceptans cappellaniam sub hoc onere cedit iure suo, & vacationi prædictæ DD citati.

Secundo Addunt, non concedi vacationẽ vel intermissionem quando institutio missæ dirigitur ad locum, vt si dicatur, celebretur quotidie Missa in tali Ecclesia, vel altari, vel in tali cappella: quod intelligendum videtur quãdo non eligitur nec eligi debet cappellanus determinatus: sed illi oneri satisfaciendum est ab heredibus per stipendia manualia Nam si eligendus est cappellanus, non est cur ei deneganda sit vacatio, ex eo præcise quod in tali Ecclesia determinata celebrare debeat; quippe in capitulo significatum citato; ex quo præcipuè ducit originem hæc licentia vacandi sermo est de cappellano, cui commissa erat præbenda talis Ecclesiæ determinatæ, & nihilominus deciditur competere illi vacationem his positis.

Dubitari potest primo an Cappellanus vacans semel in hebdomada absque onere supplendi per alium an, inquam possit vacare nõ solum ob reuerentiam sacrificij, & ex honestate, vt habetur in cap. significatum supra citato: sed etiam libere, & causa voluptatis, seu remissionis animi: siquidem moderata ani-

animi remissio honesta est, & ad causam iustam reduci potest.

Prima sententia affirmat posse Cappellanū vacare etiam causa voluptatis. Probari potest quia licet in cap.citato significatum de præbendis declaretur, non posse Cappellanum intermittere sacrum voluptatis causa; nihilominus ex quadam æquitate iam consuetudo obtinuit, vt etiam hæc causa censeatur iusta ob humanam fragilitatem, & rerum humanarum conditionem. Ergo potest Cappellanus libere vacare: quia potest libere suæ voluptati honestæ tamen indulgere. Ita Leander de Sacram tom 2 trac.8.disp.5.q 17.citās Hurtadum disp.4. difficul.1. Marchinum, & Dianam p.2.trc.14.ref.28.vbi examinatis aliorum opinionibus ita concludit in fine resolutionis, potest igitur Cappellanus obligatus ad quotidie celebrandum ex consuetudine introducta relinquere vnam Missam in hebdomada. Tenet etiam Polaccus in Aphorismis 1.p. cæremonia 17.in additionibus n. 13. & Vidal in Arca Theologiæ moralis tit.de iustitia inquisitione prima eum alijs, quæ sententia probabilis videtur.

Secunda sententia communis, & probabilior negat cappellanum posse vacare ad libitum, seu causa voluptatis.

Probatur, quia prædicta consuetudo ducit solum originem ex cit.capit.significatum in quo Pontifex determinat causam nempe ob reuerentiam Sacramenti & manifeste excludit causam voluptatis: ergo non potest intermitti sacrum, nisi causa honestatis, & ob reuerentiā Sacramenti & vt Glosa explicat si sine peccato mortali celebrare non possit: quod tamen nimis rigidum videtur saltem ergo requiritur, vt celebrare non possit cum debita reuerentia & deuotione vt comuniter sentire videntur DD.apud Lezxanam ver. Missa n.42.Naldum ver.Missa n.6.summa Margarita, Bonac.loc.sup.cit.Praxinellū de oblig. sacerdotum sec.4.conc.4.§.2.n.16.

Colligitur hanc licentiā vacandi non concedi incōmodum præsertim temporale ipsius Cappellani: sed ob reuerentiam Sacramenti, & ad summum in bonum spirituale animæ ipsius.

Dubitari potest secundo vtrum illis diebus quibus potest Cappellanus vacare iuxta diuersas sententias supra relatas. An inquam si velit celebrare, cedens iure suo, possit celebrare pro alio, accepto nouo stipendio pro illa Missa.

Prima sententia communis negat, præcipue si velit celebrare ob nouum stipendium. Probatur Fundator Cappellaniæ habet ius ad fructum sacrificij cuiuslibet totius anni, nec tenetur, aut præsumitur cōcedere licentiam Cappellano; vt pro alio celebret; ergo non potest cappellanus pro alio celebrare absque iniuria fundatoris. Probatur antecedens: quia fundator iam assignauit stipendia adæquata, & redditus sufficientes pro Missis totius anni; ergo si cappellanus potest, & vult celebrare, debentur fundatori fructus omnium Missarum. Ita DD.communiter apud Lezxanam, & Bonac licis cit.

Aliqui tamen DD huius primæ sententiæ concedunt posse cappellanū prædictum diebus illi concessis ad vacandum celebrare pro se, vel pro consanguineis, & amicis gratis, & liberaliter non vero ob stipendium. Ita Peyrinis de priuilegijs to 3 c.1.n.23.quem sequitur Diana p.5.trac.13.ref.51. Cæterum meo iudicio parum consequenter loquuntur. Nā idcirco nō potest Cappellanus celebrare pro alio, accepto nouo stipendio, quia priuat fūdatorem fructu sacrificij, ad quod haber ius ex institutione Cappellaniæ; sed etiam quando gratis celebrat pro alio priuat fundatorē eodem fructu sacrificij: ergo pariter illi infert iniuriam, & damnum, & eodem modo peccat. Nihil enim interest fundatoris vtrouis modo priuetur fructu Sacrificij sibi debito; neque displicere illi debet commodum Cappellani; sed damnum quod ipse fundator patitur.

Secunda sententia affirmat posse Cappellanum celebrare pro alijs, & ab illis noua stipendia accipere. Probatur quia stipendia, & redditus Cappellaniæ respōdent Missis quotidianis, exceptis diebus concessis ad vacandum; quia non potest fundator obligare cappellanum ad celebrandum sine intermissione vel non præsumitur sic obligare; ergo si cappellanus celebrare velit renuncians iure suo, aut vacationi prædictæ, poterit celebrare pro alijs, & consequenter nouum stipendium accipere; quia nondum accepit stipendium pro Missis illarum dierum, quibus potest vacare. Ita Vidal in Arca Theologiæ loco sup.cit.& tenet etiā Auersa, posito quod possit Cappellanus libere vacare Sic enim ait q.12.de sacrificio sec.18.verf insuper. Quo casu annuum stipendium censeretur iustum ad celebrandum cum tali vacatione, & sic liceret ijs diebus stipe ab alijs accepta pro ijs celebrare.

Pro resolutione mihi dicendum videtur decisionem huius dubij pendere ex dictis dubio præcedenti; nam iuxta primam sententiam quæ sustinet Cappellanum posse libere vacare semel in hebdomanda, etiam causa voluptatis; consequenter dicendum erit diebus vacationis posse celebrare pro alijs, & nouum

nouum stipendium accipere absque iniuria fundatoris. Probatur quia illis diebus non tenetur simpliciter celebrare; ergo nec tenetur applicare sacrificium pro fundatore; qui enim non tenetur ad antecedens, nec tenetur ad consequens, & necessario connexum cum suo antecedente; ergo si celebrare velit cedens suæ voluptati, potest ob stipendium celebrare, quia non cedit iure fundatoris: sed iure proprio.

Confirmatur quia non est asserendum Sacerdotes obligatos ad quotidie celebrandum esse peioris conditionis mancipijs, & seruis obligatis ad obsequia suorum dominorum: sed seruus expletis operis, & obsequijs, à Domino iniunctis, si tempore sibi ad vacandum vel dormiendum concesso laborare velit scribendo ex.g &c; potest laborare pro alio, & sibi lucrum acquirere; non autem suo domino, vt cũ alijs probat Lugo to.1. de iust.disp.3.sec.3. ergo pariter sacerdos, si diebus sibi ad vacandum concessis velit celebrare, non tenetur celebrare pro fundatore, & domino; sed poterit celebrare pro alio, & sibi stipendium lucrari. Cum ergo prima illa sententia dubio præcedenti relata sit probabilis vt diximus, & ex ea manifeste sequatur, posse Cappellanum stipendium accipere; dicendum est consequenter hoc quoque esse probabile. Cæterum Cũ 2. sententia ibidem relata, nempe Cappellanum non posse libere vacare nec causa voluptatis sit longe probabilior, consequenter dicendum est secundum fundamenta eiusdem sententiæ si Cappellanus superet impedimentum suæ indispositionis & celebrare velit, eum teneri applicare sacrificium pro fundatore, qui ius habet ad fructum Missarum totius anni. Quare iuxta communem, & probabiliorem sententiam non potest Cappellanus pro alijs celebrare, neque gratis, neque ob stipendium: quia vtroque modo priuat fundatorem fructu illi debito: nisi præsumatur consensus fundatoris ad celebrandum gratis, non vt ob stipendium.

Dubitari potest tertio, quando vnus missæ quotidianæ imponitur monasterio, vel Collegio sacerdotum facta assignatione stipendij, annui, vel perpetui, quæritur vtrum possit superior deputare vnum vel plures iuxta onera prædicta, qui vt cappellani satisfaciant, & potiantur vacatione alijs cappellanis concessa.

Prima sententia negat. Probatur: quia in hoc casu non eligitur Cappellanus per se, neque ex vi institutionis Cappellaniæ primo à fundatore per se intenditur celebratio quotidiana, non vero electio alicuius personæ determinata in Cappellanum, vel eius industria; sed eligitur industria monasterij: ergo in hoc casu non potest habere locum vacatio, & intermissio. Probatur consequentia quia monasterium potest facile, & consequenter debet supplere per alium Ita Syluest. Franixellus Barbosa, & alijs, quos citat, & sequitur Lezzana ver. Missa n 42. & Auersa q.11. de sacrificio sec.18. ver. insuper addit Lezzana, & recte cum alijs. Secus esset si institutio Cappellaniæ fieret intuitu alicuius religiosi particularis E.g. regentis, sacristæ &c. hi enim possent semel in hebdomada vacare, sicut Cappellani seculares, quæ sententia videtur communis & amplectenda.

Opposita nihilominus opinio videtur non improbabilis, simpliciter deputari posse à superiore conuentus particulares Religiosos, qui munus Cappellani fideliter exequantur, & semel in hebdomada vacent. Probatur primo quia sic potest rationabiliter præsumi de benigna mente testatoris, seu fũdatoris. Imo iudicari potest hoc esse illi magis gratum, vt pro singulis Missis quotidianis annuis, vel perpetuis deputentur singuli, quibus per se tale onus incumbat; nam priuatio vnius Missæ in hebdomada compensatur maiori securitate, & diligentia in dicendis reliquis.

Probatur secundo quia testator eligendo monasterium seu conuentum, virtualiter eligit in cappellanos illos in particulari, quos superior destinauerit: ergo sicut particulares electi à testatore possent vacare; ita etiam electi à superiore nomine testatoris, & in eius obsequium.

Tandem probatur, quia si monasterium tot haberet onera perpetua Missarum celebrandarum, quot sunt in eo sacerdotes, tunc nullus vnquam vacare posset, nec aliquam habere applicationem liberam: hoc est absurdum, & nimis durum, vt alias probauimus: ergo &c. Non debet tamen extendi hæc doctrina ad casum infirmitatis in quo tenetur omnino superior supplere per alium. est enim diuersa ratio: quippe licentia vacandi semel in hebdomada, vel applicatio libera debetur per se loquendo singulis religiosis, vt vt alibi explicauimus; casus autem infirmitatis non ita accidit singulis, & ideo potest, & debet suppleri per alium.

V. DIFFICVLTAS.

AN diminutis redditibus cappellaniæ, Possit cappellanus moderari obligationem, & reducere Missas ad minorem numerum.

Præmittendum est primo absolute loquendo fieri non posse moderationem prædictam

& reductionem Missarum ab ipsis cappellanis seu priuatis sacerdotibus; quia nullo iure hęc facultas illis competit. Imo hoc tempore nec fieri potest ab Episcopis, aut generalibus Religionum, quoad onera Missarum, vel post concilium Tridentinum imposita, vel in limine fundationis, etiam ante concilium: quia sublata fuit illis hæc facultas à sacra congregatione in decretis de celebratione Missarum. Quod saltem intelligi debet quādo à principio valde tenue fuit legatum, & stipendium incongruum, & minus consueto, & nihilominus acceptatum fuit sub onere tot missarum celebrandarum: tunc enim certum est recurrendum esse ad sedem Apostolicam pro moderatione: quare difficultas est quid sit dicendum si post assignatum ab initio moderatum, & iustum annuale stipendium, in progressu minuatur quia fundus factus est deterior, vel facta fuit reductio censuum, & stipendium non correspondet oneri Missarum celebrandarum.

Secundo præmittendum non esse locum quæstioni, si capitale pro missarum stipendio institutum in totū depereat sine culpa sacerdotis, vel conuentus; tunc enim etiam cessat omnino, & perit obligatio Missarum celebrandarum, cessante enim causa, cessat effectus, & constat à pari de beneficio; cessante enim beneficio cessat officium vt docent Franixellus de obligationibus sacerdotum sec 4. concl.4.ʃ.27. Perez de Lara de Anniuers.l.1. c.25. & alij quos citat, & sequitur Lezzana ver. Missa n.37. Quæstio ergo procedit quando percipiuntur fructus ex capitali assignato pro Missarū celebrat. sed tenues, & inæquales oneri missarum ab initio imposito.

Prima sententia sustinet in casu prædicto posse diminui missarum numerum ab ipso Cappellano, & priuato sacerdote ad rationē iusti stipendij consueti. Probatur quia talem fuisse censeri debet mentem institutoris, ne sacerdos plus iusto grauetur, & decreta non videntur loqui de hoc casu.

Probatur secundo; quia in humano contractu locationis non tenetur conductor soluere integram pensionem, quando ob grandines, vel similem casū depereunt fructus agri, Imo debet fieri restaurum à locatore; ergo pariter dicendum est in casu nostro.

Tandem quia pereunte omnino capitale; & in totum, perit omnino onus celebrandi; ergo pereunte ex parte capitali, vel deteriori effecto, perit ex parte onus, nec opus est auctoritate superiorum. Ita Bordonus to.1. variatur resol.25.q.16. quem refert, & sequi videtur Auersa de sacrificio q.11.sec.18. Vidal in Arca Theologiæ moralis tit de iustitia inquisitione 7. & dicit probabile Lugo apud Dianā infra citandū, & videri potest non improbabile si stipendiū notabiliter decreuerit, & sit minus consueto, etiam eo, quod datur pro missis quotidianis. Secus si non diminuti fuerint redditus ab initio assignati; sed creuerit in progressu taxa illius ex infra dicendis.

Secunda sententia probabilior absolute docet, non posse fieri moderationem prædicti oneris, seu reductionem missarum ad minorem numerum, neque à priuatis sacerdotibus vllo modo, neque ab Episcopis, quo ad onera missarum post Conciliū Tridentinum imposita, vel in limine fundationis; sed recurrendum esse ad sedem Apostolicam. Probatur quia per decreta Sacræ Congregationis prohibetur simpliciter ne reducantur vlla onera missarum celebrandarum post Concilium imposita; Ergo prohibetur etiam reductio in casu nostro Probatur consequentia quia & si iustitia postulet, vt fiat reductio, nihilominus ad vitandos abusus S congregatio decreuit, vt non fiat priuata auctoritate, neque etiam per Episcopos: sed recurrendum sit ad sedem Apostolicam.

Confirmatur quia Concilium Tridētinum propter huiusmodi casus sess.25.c.4. concessit Episcopis facultatem reducendi missas: ergo signum est neque Episcopis competere talem facultatem de iure communi, & multo minus priuatis sacerdotibus; Eadem autem facultas Episcopis concessa per Trid. modo restricta fuit per decreta sacræ congregationis ita Franixellus, Lezzana locis cit & DD. communiter apud Dianam p.10.tr.16.res.65.

Colligitur si decursu temporis augeatur stipendium missarum, posse compelli heredem testatoris ad supplendum quod deest vsque ad limites stipendij iusti, data capacitate hereditatis; quia ea videtur fuisse mens testatoris, vt cum Diana 2.p.trac.14.resol.17. docent Lezzana, Auersa, & alij locis citatis, nisi aliud colligatur ex verbis testamenti.

PVNCTVM III.

Vtrum vnico sacro possit quandoque satisfieri pluribus obligationibus.

PRima difficultas vtrum Cappellani, vel similes sacerdotes qui tenentur quidem celebrare ex vi cappellaniæ; sed sine obligatione applicandi sacrificium pro fundatore, vel alio, an inquam possint accipere nouum stipendium pro applicatione Missæ & satisfacere vtrique obligationi vnico sacro.

Respondeo & dico primo quando certum est Cappellanum habere applicationem liberam:

ram: quia in fundatione expresse cautum est non teneri celebrantem ad applicationem sacrificij; in hoc casu potest idem sacerdos ab alio accipere manuale stipendium pro applicatione sacrificij, & vnico sacro vtriq; obligationi satisfacere.

Probatur quia in hoc casu nemini fit iniuria, nec aliquid detrahitur ex promissis. Non fundatori Cappellaniæ, qui contentus est sola celebratione ad decorem seu cultum Ecclesiæ, vel ob commoditatem confluentium, & similes causas. Neque tribuenti stipendium cui applicatur integer fructus sacrificij.

Deinde non læditur iustitia ob duplum stipendium; quippe redditus Cappellaniæ dantur in pretium pro obligatione antecedenti, qua obligatur sacerdos, vt sit tali tempore, & loco paratus ad celebrandum: stipendium vero manuale accipit pro applicatione sacrificij, non vt pretium sed titulo sustentationis. Ita Suar. disp. 86. sec. 1 & 3. Vasquez, Fraxinellus, Homobonus, & alij communiter apud Lugo de Euch. disp 21. sec 1. num. 21. & apud Auersam, supra Leander de sacram. to 2 trac. 8 disp. 4. quæst. 12. Garzias de Sacerdotio trac. 3. difficult. 10. dub. 3. n. 6. Dicastillus de sacram. tom. 1. tr. 4. disp. 4. dub. 23. n. 436.

Nec obstat sacra Congr. in decretis de celebratione Missarum in responsione ad 4. dubium, vbi decidit, sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Cappellæ &c. si eleemosinas pro Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa vtrique obligationi satisfacere; Non inquam obstat: qui a ibi sermo est de sacerdotibus qui in vim cappellaniæ tenentur etiam applicare sacrificium, vt communiter contingit: non vero in casu nostro, quando applicatio est libera, vt cum alijs probat De Lugo loco sup. citato. Imo extat declaratio eiusdem S. Congregationis apud Gauantum in rubr. Missalis p. 3. tit. 12. n. 5. his verbis. Quando in fundatione Beneficij, seu Cappelle expræsse cautum est non teneri celebrantem ad applicationem sacrificij; eo casu poterit celebrans accipere nouum stipendium, & vnica Missa satisfacere vtrique obligationi. Similis declaratio sacræ Congregationis habetur apud Barbosam in Collectan. Bullarum verbo Missarum eleemosinæ n. 3. Itaque de hoc non est amplius dubitandum.

Colligitur primo, si in institutione Cappellaniæ cautum sit vt cappellanus ex omnibus Missis celebrandis, tres Missas in hebdomada applicet iuxta mentem fundatoris; posse cappellanum pro alijs accipere nouum stipendium: quia satis expræsse declaratur, eum non teneri alias Missas applicare vltra tres determinatas; quippe inclusio vnius est exclusio alterius l. cum Prætor. ff. de Iudicibus & ex alijs vulgatis iuribus apud Tuscum lit. 2 concl. 71.

Colligitur secundo confratres, qui faciunt in Oratorio Missas celebrare diebus festiuis ob commoditatem ipsorum, vt Missam audiant, vel ob commoditatem vicinorum, communiter nolle obligare celebrantem ad applicationem sacrificij: vnde si ex circumstantijs hoc manifeste appareat, poterit Cappellanus accipere nouum stipendium, vt alijs citatis docet P. Diana p. 4. trac. res. 16.

Dico secundo quando dubium est, vel sub opinione, an fundator Cappellaniæ voluerit obligare celebrantem ad applicationem sacrificij, tenetur Cappellanus applicare sacrificium pro fundatore, & consequenter non potest accipere nouum stipendium, nec celebrare pro alio.

Probatur: quia fundator censetur sibi voluisse consulere omni meliori modo applicando pro se, & suis totum fructum sacrificij quippe nemo præsumitur negligere propriũ commodum præsertim spirituale, nisi hoc idem expresse declaret, & cedat iure suo.

Cõfirmatur primo quia communiter cappellaniæ institui solent cum onere applicandi sacrificium pro fundatore: ergo non potest præsumi oppositum, nisi manifeste censet.

Confirmatur secundo quia possessio stat pro fundatore, qui dedit sufficiens stipendiũ, etiam pro fructu sacrificij: ergo neque in dubio, neque in opinionum diuersitate potest eo fructu priuari: quia etiam in opinionum diuersitate melior est conditio possidentis. Et patet manifeste ex verbis citatis sacræ cõgregationis nempe tunc solum posse accipi nouum stipendium, quando expresse cautum est non teneri celebrãtem ad applicationem &c. non potest autem dici expresse cautum id de quo est controuersia inter DD. Ita docet communiter DD. apud Dianam p. 6. tr. 6. res. 13 & apud Gauantum loco cit. contra Marchinum de Sacram. ordinis tr. 2. p. 2. c. 27. n. 5.

Aliqui tamen auctores insinuare videntur sufficere coniecturas probabiles. Vnde Card. de Lugo de Euch. disp. 21. sec. 1 n. 12. sic ait: In eo qui instituit cappellaniam semper præsumitur voluntas, quod applicetur sacrificium pro eo, nisi contrarium explicetur vel ex circumstantijs colligatur. Plus addit Bonac. disp. 4. de Sacram. q. vlt p 7. §. 2. n. 7. nempe si omnibus consideratis res appareat simpliciter dubia; posse applicari sacrificium pro alio, & accipi nouum stipendium; quia inquit in dubijs, melior est conditio possidentis suam libertatem, & citat pro se Posseuinum. fauet

etiam Auerſa q.11.de ſacrif.ſec.17.vbi refert Bonacinam, & non impugnat.

Cæterum hæc facile corruunt ex ſupradictis de cappellanis proprie dictis. Id enim quod primo loco dicitur Cappellanum poſſe applicare ſacrificium pro alio, ſi ex circumſtantijs colligatur, eum non teneri applicare pro fundatore: ſuſtineri poteſt ſi circunſtantiæ ſint tales, vt rem faciant omnino certam, & æquipolleant verbis expræſſis fundatoris, vt ſupra dicebamus. Si vero hoc idem ſolum probabiliter colligatur ex prædictis circumſtantijs manifeſte pugnat cum declaratione citata ſacræ congregationis requirentis, vt expræſſe cautum ſit &c.

Quod autem additur à Bonacina de caſu dubij patet nullo modo eſſe admittendum,tū ex verbis citatis ſacræ congregationis. Tum ex communi doctrina, cui etiam ſubſcribunt Bonacina,& Auerſa, nempe quia poſſeſſio ſtat pro fundatore: ergo in dubio iudicandum eſt in fauorem fundatoris, & pro eodem applicandum eſſe ſacrificium:quia melior eſt conditio poſſidentis: poſſeſſio autem ſtat pro fūdatore,non pro libertate cappellani,qui obligationem contraxit in vim cappellaniæ.

Dixi autem loquendo de Cappellanis hanc doctrinam non eſſe admittendam: quia de canonicis, & ſimilibus beneficiarijs, eſt diuerſa ratio, vt mox dicemus.

Dico tertio quamuis Cappellani teneantur applicare fructum ſacrificij pro fundatore, niſi expræſſe& clare conſtet de oppoſito; non eſt tamen idem aſſerendum de canonicis, & alijs ſimilibus beneficiarijs: ſed dicendum eſt Canonicos per ſe loquendo non teneri ex vi Canonicatus applicare fructum ſacrificij, quando tenentur celebrare, niſi conſtet de tali obligatione; quare in dubio poterunt pro pro alijs applicare, & ſtipendium accipere.

Ratio differentiæ eſt quia Cappellaniæ ſolent in hunc finem directe inſtitui, vt ſacerdotes quotidie, vel certis diebus celebrent pro fundatore,& iuxta mentem illius,& idem eſt de anniuerſarijs, & alijs ſimilibus, & ideo cappellani ſimpliciter loquendo contrahunt obligationem celebrandi, & applicandi ſacrificium iuxta mentem fundatoris; niſi oppoſitum conſtet. Contra vero Canonicatus, portiones præſtimonia, & alia ſimilia inſtitui ſolent principaliter propter officium pſallendi, & ob ſimiles fines inſeruiendi Eccleſiæ, & dicendi Miſſam directe ob cultum, & decorem eiuſdem Eccleſiæ, & ob commoditatem populi: ergo non habent adnexam per ſe loquendo obligationem applicandi fructum ſacrificij, niſi aliunde conſtet. Quod ſi conſtet vel ex inſtitutione vel ex conſuetudine &c. non eſt dubium Canonicos teneri applicare fructum ſacrificij, & in eo caſu non poſſe accipere nouum ſtipendium: at poterunt accipere ſi non conſtet,vt dicebamus. Ita expræſſe Suarez de ſacram. diſput.86.ſec.1.verſ. ſed circa primum modum, cui conſentit De Lugo de Euch. diſp.21. ſec.1.n.23. vbi ſimiliter diſtinguit inter Cappellanias, & alia beneficia; quicquid in contrarium ſentiat Gauantus p.3. tit.12.n.5. vbi tamen fatetur Canonicos poſſe accipere nouum ſtipendium quando obligatio celebrandi oritur ex mera conſuetudine ſeu ſtatuto Canonicali,

Nec obſtat huic concluſioni declaratio ſopra allata ſacræ Congregationis: quia loquitur de Cappellanijs, & de beneficijs directè, & per ſe inſtitutis in hunc finem celebrandi Miſſas pro fundatoribus non vero de canonicatibus, & alijs ſimilibus.

II. DIFFICVLTAS.

An ratione diuerſorum fructuum ex Miſſa prouenientium poſſit celebrans vnico ſacro ſatisfacere pluribus obligationibus pluribus acceptis ſtipendijs. Ex. gr. vnus poſtulat Miſſam pro ſanitate infirmi dato iuſto ſtipendio ſacerdoti. Rurſus alius dato nouo ſtipendio poſtulat Miſſam pro victoria litis, & ſimiliter alius petit Miſſam pro anima Purgatorij ad ſatisfaciendum pro pœnis. Quæritur an poſſit ſacerdos vnico ſacro omnibus ſimul adequate ſatisfacere.

Prima ſententia affirmat. Ita Bordonus to 1. variarum reſol. 25. q. 9. Probatur quia nemo fraudatur fine intento, ſeu fructu ſacrificij, quem poſtulat, & quidem quando poſtulatur Miſſa ad ſolum finem impetrationis alicuius beneficij, etiam ſi mille concurrerent poteſt omnibus eodem ſacro plene ſatisfieri æque ac ſi pro vno ſolo offeretur: quia impetratio non eſt limitata ſicuti ſatisfactio

Quando vero petitur Miſſa ob fructum ſatisfactionis non poteſt hic fructus ſacrificij applicari integre niſi vni ſoli: at in caſu noſtro applicatur vni ſoli nempe pro anima Purgatorij, quia duo priores poſtularunt Miſſas ob ſolum fructum impetrationis.

Hæc tamen ſententia poſt decreta ſæpius citata de Celebratione Miſſarum, non eſt probabilis, & communiter reijcitur.

Secunda ſententia communis, & vera, negat. Quare tenetur ſacerdos abſolute tot Miſſas celebrare, quot ſtipendia accepit, vt patet ex decretis prædictis, quibus etiam declaratur non poſſe vnico ſacro ſatisfieri pluribus obligationibus. Probatur etiam ratione quia licet offerentes ſtipendium poſtulent

Missam ad aliquem effectum determinatum impetrationis ex.gr. pro sanitate infirmi, &c. non excludunt tamen alios fructus Missæ, neque illis renunciant: sed saltem implicite intendunt, vt sibi prosit Missa omni meliori modo, & quo ad omnes fructus præcipue satisfactionis, qui tamen minuitur in singulis ex communi sententia quando pluribus applicatur: ergo &c. Ita ex communi sententia docet Auersa de sacrificio q. 11. sec. 17. vers. Item quia in Missa, & Lezzana verbo Missa, num. 19.

Colligitur primo sacerdotem qui accepto stipendio pro aliquo celebrat, teneri applicare eidem nedum fructum satisfactionis, & ex opere operato; sed etiam fructum orationum & precum, quas in Missa dicit: quia talis est mens dantis stipendium ex supradictis. Ita cōtra aliquos probat Auersa supra sec. 18 & Diana p. 5. trac. 14. res. 80. vide dicta in cōment. p. 2. tr. 8. in dubijs sec. 2. dub. 6.

Colligitur secundo si postulantes Missas cedant iure suo & expresse dicant se nolle fructum satisfactionis: sed solius impetrationis, potest sacerdos satisfacere eodem sacro, vt dicebat prima sententia quia volenti, & consentienti non fit iniuria. Neque sacra congregatio id fieri prohibet ex consensu partiū. in quo tandem sensu explicat Bordonus sec primæ sententiæ adherere, de quo non poterat esse difficultas. Et notat Auersa supra.

Colligitur tertio: si aliquis sacerdos bona fide putans primam sententiam supra relatam esse probabilem applicauerit pluribus vnam Missam; eum postea cognita veritate teneri alias Missas applicare, vel restituere stipendia; quia etsi non peccauerit, & non teneatur ratione iniustæ acceptionis, tenetur tamen ratione rei acceptæ, vt per se patet, & docet Auersa loco citato.

III. DIFFICVLTAS.

AN possit sacerdos duobus stipendijs acceptis satisfacere vnica Missa, applicando vni fructum specialem, seu principalem sacrificij, & alteri partem propriam, quæ correspondet ipsi celebranti, & dicitur fructus specialissimus.

Aliqui affirmant: sed communiter negant, & quidem post decreta S. Congregationis non videtur posse sustineri pars affirmatiua, cum prohibeatur posse vnquam vnica Missa duobus stipendijs satisfieri, vt notat Cardinalis de Lugo de Euchar. disp. 21. sec. 2. n. 33. De qua re nos suse diximus quæst. 2. punc. 17.

IV. DIFFICVLTAS.

AN saltem sine nouo stipendio possint sacerdotes vnam Missam applicare pro pluribus & vnico sacro satisfacere pluribus obligationibus.

Respondeo affirmatiue. Probatur: quia opinio de valore infinito cuiuslibet Missæ probabilis est, vnde est etiam probabile facta applicatione Missæ pro pluribus, etiam eque prodesse pluribus ac si vni soli aplicaretur: ergo secundum probabilem sententiam potest licite, & fructuose applicari pro pluribus idem sacrum quoad integrum effectum, modo non recipiantur plura stipendia ob specialem prohibitionem sacræ congregationis et rationes, quas fuse explicauimus supra q. 2. p. 19. quibus addimus in præsenti corollaria sequentia.

Colligitur primo si sacerdos promiserit gratis, & ex mera liberalitate decem Missas E.g. decem personis distinctis, cuilibet vnam Missam eum posse satisfacere omnibus vnico sacro, applicando integrum illius effectum omnibus & singulis: quia posito valore Missæ extensiue infinito, & debita applicatione illa vnica missa æque prodest singulis, ac si vni soli applicaretur. Si vero promisisset decem Missas vni & eidem personæ non potest satisfacere vnica Missa sed opus ei erit decem distinctas clebrare: quia cum quælibet Missa habeat suam effectum distinctum ab effectibus aliarum. & semel tantum illum conferat; non potest effectus vnius Missæ, æquiualere effectibus decem missarum, respectu vnius subiecti; quia non potest vnica Missa decies conferre suum integrum effectū sicut potest decem personis distinctis integrum effectum communicare.

Dicetis. Ideo in primo casu, quando personæ sunt diuersæ vna missa æqualet decem, & pluribus in infinitum; quia quelibet missa est valoris infiniti, & non habet limitatum effectum; sed pariter est valoris infiniti in secundo casu; quia non perdit suum valorem ex eo quia applicatur vni soli, ergo pariter in secundo casu vna Missa æquiualere potest pluribus.

Respondeo maiorem else veram de valore infinito extensiue, non autem intensiue: vnde negatur minor quia in ordine ad idem subiectum habet locum intensio non extensio. nec enim idem sacrum potest decies vni soli applicari; quia semel tantum confert suum effectum proportionarum dispositioni recipientis, quæ semper finita est; potest autem decem personis distinctis simel & semel applicati

cari ob valorem extensiue infinitum & ideo est dispar ratio.

Colligitur secundo. Si quis vouisset decem Missas in suffragium pro decem animabus diuersis in Purgatorio existentibus singulas pro singulis, huic obligationi posse satisfieri vnico sacro, facta applicatione integri fructus pro singulis; sed non satisfaceret qui vouisset decem Missas habita ratione ad decem stipendia congrua, vnico tantum stipendio, seu stipendio pro vnica tantum missa; sicut etiam non satisfaceret si vouisset decem missas in suffragium vnius animæ tantum: tunc enim non potest satisfieri nisi decem Missis distinctis, vt patet ex supra dictis.

Colligitur tertio si quis vouisset decem missas in honorem decem sanctorum singulas pro singulis, satisfieri posse tali obligationi vnico sacro facta à sacerdote applicatione distincta, seu directione intentionis in honorē omnium, & singulorum; quia posito valore missæ extensiue infinito, eadem missa æquè resultat in honorem singulorum, ac si in honorem vnius tantum celebraretur. Secus esset si quis vouisset decem missas in honorē vnius sancti: quia vni, & eidem sancto plus honoris exibetur decem missis distinctis, quā vnica sola, vt patet ex dictis. Vnde etiam infertur si in priori casu, quando in honorem decem sanctorum quis vouet decem missas intendat non solum honorem sanctorum; sed æquè principaliter cultum Dei ex missis prouenientem; tunc non posset illi obligationi satisfieri vnico sacro: Manifestum est enim maius obsequium Deo exiberi decem missis quam vna sola.

Dicetis votum quo promittitur missa in honorem alicuius sancti, intelligitur de missa propria, aut votiua eiusdem sancti, in qua sūt orationes peculiares, & aliæ partes congruētes memoriæ, & laudibus eiusdem sancti, ergo non quælibet missa potest esse apta ad satisfaciendum illi voto: sed solum ea, in qua sunt partes prædictæ congruentes cultui, & memoriæ vnius, vel plurium sanctorum: sed non habetur communiter loquendo in missali vnica missa, quæ pluribus sanctis præsertim diuersi ordinis aptari possit: ergo vt plurimum nō poterit satisfieri vnico sacro obligationi decem missarum &c.

Respondeo primo quādoque satisfieri posse, saltem quando plures sancti eiusdem sunt ordinis, vt plures Martyres &c. quia habentur Missæ de communi plurimorum &c. E.G. SS. Vrsulæ, & sociarum. Nostrum ergo corollarium intelligi debet satisfieri posse voto explicato, attento valore infinito sacrificij, & nisi alia sint requisita secundum leges Ecclesiæ: nam si aliquid requisitum deficiat, nihil contra nos qui solum id asserimus attento valore sacrificij &c.

Respondeo secundo probabile videri satisfieri etiam posse voto prædicto qualibet Missa, in qua offeratur Deo sacrificium ex intentione speciali venerandi memoriam talis sancti, Item alterius, & alterius in infinitum, & in gratiarum actionem distinctam pro singulorū meritis, & victorijs, in quo consistit præcipuus honor, qui per sacrificium defertur sanctis, etiam si non recitentur propriæ orationes illorum, nec expresse nominentur: quia his, & alijs suppletur deuotione & intentione sacerdotis modo explicato, non solum quatenus sacerdos est persona priuata; sed etiam quatenus est publicus Ecclesiæ minister: quia intentio Ecclesiæ est, vt sancti honorari possint in qualibet Missa. Probatur quia communiter docent auctores satisfieri missis votiuis sanctorum, quæ sæpe à fidelibus postulantur, etiam alijs missis de die &c. quia supplere potest sacerdos modo explicato.

Circa hanc difficultatem vide etiam quæ diximus supra q. 2. punc. 19. circa finem, vbi explicauimus posse accipi vnum solum stipēdium. Item explicauimus an à religiosis satisfieri possit obligationi regulæ celebrandi Missas prò defunctis fratribus eodem sacro, quo satisfit obligationi iustitiæ ob acceptum stipendium.

PVNCTVM VI.

De Missæ circumstantijs ex obligatione seruandis à Cappellano, vel alias obligato ad celebrandum, præsertim vbi sit celebrandum.

NVmerari solēt septem circumstātiæ humanorum actuum; Quis, Quid, Vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quādo, & quatenus pertinent ad nostrum institutum fere omnes excepta tertia expeditæ sunt in superioribus. De prima circumstantia Quis diximus in hac res. pun 2. diff. 1. an teneatur Cappellanus &c. per se ipsum celebrare. De secunda quid diximus punc 1. quot missæ celebrari debent, de quarta. Quibus auxilijs non habet hic locum, nisi quoad obligationem adhibendi ministrum, quod est commune omnibus missis, & de ea diximus in commen. p. 2. t. 2. dub 1. circa quintam cur teneatur celebrare Cappellanus, vel qui accipit stipendiū videlicet, vt suæ obligationi satisfaciat applicando sacrificium illis, pro quibus celebrare tenetur, de qua applicatione diximus in commen-

men.p.2.r 8.in dub.sec.2circa sextum quomodo, seu quales missas teneatur celebrare sacerdos ratione stipendij, de qua egimus in commen.p.1.tit.4 in dub.præsertim dub.7.de septima, quando diximus hac quæst pun.1.diff. 2 Solum ergo superest hic explicanda tertia circumstantia Vbi seu quo in loeo celebrare tenetur sacerdos ratione Cappellaniæ, vel stipendij.

I. DIFFICVLTAS.

An Cappellanus, vel stipendarius teneatur sub peccato mortali celebrare in loco designato à Fundatore, vel dànte stipendium. Videlicet in tali Ecclesia, vel Altari ab illis expresso.

RESpondeo & dico primo tenetur sacerdos prædictus per se loqnendo celebrare sub peccato mortali in ea præcisa Ecclesia, quam designauit fundator, vel dans stipendium. Probatur: quia facta designatione vere debetur Ecclesiæ designatæ illud seruitium & ille cultus, qui exibetur celebratione sacri, & ei acquisitum est ius ad illud: Et ex alia parte ex vi promissionis, & pacti sacerdos vere contrahit obligationem seruandi eam circũstantiam; ergo si non seruet, & alibi celebret peccat mortaliter per se loquendo. Probatur consequentia: quia cultus prædictus, & tale seruitium Ecclesiæ censetur res grauis: violatio autem promissionis, vel iuris alieni in re graui est peccatum mortale. Ita Nauar, Syluest Henriq: Vgolinus, & alij comuniter apud Bonacinam de Sacram.disp.4.q.vltima punc 7.§.4 n.2.& apud Dianã p.2 tract 14.resol.29.

Dixi per se loquendo; nam ratione paruitatis materiæ fieri potest, vt solum venialiter peccet, vt si bis, vel ter in anno omittat celebrare in ea Ecclesia absque graui perturbatione, quia non leditur grauiter ius illud, vt notat Diana supra, & Cardinalis de Lugo de Euchar pisp.21 n.36.qui addit si raro hoc fiat ex causa tamen rationabili, vitari etiam peccatum veniale ex tacita fundatoris voluntate, quibus consentit Auersa de sacrificio q.11. sec.18.§.octauo.

Dico secundo: si fiat variatio Altaris intra eamdem Ecclesiam, Ita distinguendum est. Si hoc Altare præcisum, & particulare designatum est à fundatore, vel dante stipendiũ, ob causam grauem, vel magni ponderis, saltem in æstimatione eiusdem fundatoris &c. E.G.ob specialem cultum talis imaginis, seù sancti, vel propter memoriam familiæ, ad quam illud Altare pertinet, aut quid simile dicendum est variationem per se loquendo esse peccatum mortale: quia notabiliter opponitur voluntari fundatoris, quæ pro lege habetur. Nisi id raro fiat vt in simili diximus conclusione præcedenti. Si vero absque simili causa facta fuerit designatio, sed ex mero arbitrio absque peculiari fine. Dicendum est variationem Altaris intra eandem Ecclesiam facilius excusari posse à peccato mortali: quia non ceusetur violatio grauis factæ promissionis. Ita Cardinalis de Lugo supra quem sequitur Diana p.10.tract 12.resol.13.

Colligitur primo non posse fieri variationem prædictam, siue Ecclesiæ, siue Altaris absque peccato respectiue, etiam de consensu hæredum; quia non possunt heredes derogare dispositioni testatoris: sed opus est authoritate legitimi superioris Ecclesiastici. Ita cum Genuensi, & Fraxinello docet Bonacina supra n.3.

Colligitur secundo Si fiat variatio authoritate Episcopi satisfaciet vtique sacerdos suæ obligationi absque vllo peccato in illis casibus, in quibus potest Episcopus commutare legata pia ex iusta causa: quia facta cõmutatione cessat ea obligatio, vt cum alijs tenent Auersa supra, & Bonacina supra n.4. in quibus autem casibus id possit Episcopus, videri potest apud eumdem Bonacinam.

Colligitur tertio. Si sacerdos legitimo impedimento detentus non possit celebrare in Ecclesia, vel Altari designatis, & alibi Possit; potest, & debet in alio loco celebrare: quia hæc censetur interpretatiua voluntas fundatoris, qui principaliter voluit missam, & circumstantiam loci accessoriè, quatenus adimpleri moraliter potest. Ita Naldus verbo missa, Azorius, Sà, & alij quos citat, & sequitur Bonacina supra, & Auersa q 11.sect. 18.§.ottauo. Vbi ponit exemplum. Si inueniatur locus impeditus, & opus esset nimis expectare, dum sacerdos alijs negotijs præmitur.

Colligitur quarto. Si variatio fiat in melius, vt si vice Altaris carentis priuilegio, quis celebret in Altari priuilegiato, dum requirebatur Missa pro defunctis, nulla committitur culpa; quia meliori modo adimpletur promissum, & fit res grata fundatori. Ita Auersa supra, quod tamen puto intelligendum de Altari intra eandem Ecclesiam designatam.

Colligitur quinto. Si contingat corruere, vel interdici Ecclesiam, vel Altare designatum, teneri sacerdotem celebrare in alio Altari eiusdem Ecclesiæ, vel in alia Ecclesia, si tota illa impedita sit, vt supra dicebamus, quod intelligitur quando sacerdos tenetur appli-

applicare fructum sacrificij pro eo, qui dedit stipendium. Quod si Missæ institutæ erant ob solum splendorem, & cultum talis loci, liberatur interim sacerdos simpliciter ab onere celebrandi, vt patet, nisi per Episcopum transferatur ea obligatio in alium locum. Ita Auersa sec. 18. citata finem.

II. DIFFICVLTAS.

An Facta Variatione Ecclesiæ, vel Altaris designati teneatur sacerdos ad aliquam restitutionem.

Prima sententia affirmat si absque causa facta sit variatio. Probatur Acceptum ob causam, seu ad exequendum opus aliquod, eo non impleto restitui debet, vel integrè si nihil operis adimpletum fuerit, vel ex parte pro rata, partis omissæ; sed in casu nostro non fuit impletum opus iniunctum, ex parte, seu quoad circumstantiam loci; ergo restitui debet pars stipendij arbitrio boni viri, Ita Azor. Graffius, Riccius, & Alij, quos refert Bonacina de sacram. disp. 4. q. vlt. punc. 7. §. 4. num. 5.

Secunda sententia simpliciter negat, nisi sacerdos teneretur celebrare in Altari priuilegiato, sed hoc casu excepto, non agnoscit hæc sententia obligationem restituendi ex alio capite. Probatur; quia ex violatione promissionis, non oritur obligatio restituendi, nisi sequatur damnnm promissario: sed non sequitur (excepto casu prædicto) vel saltem non sequitur damnnm quod compensatione indigeat: ergo &c.

Probatur Minor; quia damnum hic attenditur penes fructum sacrificij, vel etiam penes indulgentiam, si ad eam respexerit, qui dedit stipendium; sed ex variatione Altaris, vel Ecclesiæ non minuitur fructus sacrificij; sed solum perditur Indulgentia in casu excepto Altaris priuilegiati; ergo excepto hoc casu, non est obligatio restituendi. Nec refert quod priuatus fuerit, E.G. populus cōmoditate audiendi Missam in loco designato, vel subtractus fuerit cultus alicuius Sancti in festo eiusdem &c. quia Alijs diebus id compensari non potest, deficit enim & cessat occasio finis intenti. Hæc sententia est ferè cōmunis. Auersa de sacrif. sec. 18. §. 8. Posseu. Fraxinelli quos citat, & sequitur Bonac. supra, & plures etiam citat Diana p. 2. tr. 14. resf. 29.

Tertia sententia media, quam absolutè veram existimo, distinguit vel enim primo ex variatione nullum sequitur damnum, ei, pro quo Missa applicari debet, nec aliqua inæqualitas inter stipendium acceptum, & opus præstitum; quia vere celebrata est Missa; quamuis alibi ob commune stipendium, & tunc nulla est obligatio restituendi; vt probant rationes 2. sentētiæ. Vel secundo sequitur damnum prędictum ei, pro quo dicitur Missa, aut inæqualitas, & tunc consurgit obligatio restituendi. Probatur; quia damnum illatum contra iustitiam cōpensari debet secundum omnes. Item inequalitas secundum leges iustitię debet reduci ad æqualitatem. Ita Dicastillo de sacram. to. 1. tract. 5. disp. 4. dub 21. n. 392. quem sequitur Diana p. 10. tr. 12. resf. 23. Nec dissentire videntur Auctores 2. sententiæ.

Colligitur primo eum, qui tenebatur celebrare in altari priuilegiato, & variauit celebrando in alio, non priuilegiato, vnde perditur fructus indulgentiæ, teneri ex iustitia cōpensare hoc damnum vel applicando eidem animæ indulgentiam similem, æque certam, vel iterum celebrando in Altari priuilegiato. Ita DD. citati in secunda & tertia sententia, & nos fusius explicauimus in commen. p. 1. t. 5. de missis defunctorum dub. 9.

Colligitur secundo. Si sacerdos ratione obligationis celebrandi in tali loco acceperit maius stipendium; facta variatione, tenetur vtique ad restitutionem illius excessus, dati solum intuitu circumstantiæ talis loci, & non aliter: quia alias esset inequalitas, & sacerdos retineret illum excessum sine titulo. Ita Dicastillus supra, cum Diana, & videtur res certa. E.G. si maius stipendium datum fuerit ob loci distantiam.

Colligitur tertio. Si non secutum fuit damnum ei, pro quo dicitur missa, sed populo. E.G. qui priuatus fuit commoditate audiēdi sacrum in loco designato, vel subtractus fuit cultus sancto Titulari illius Altaris in die festo eiusdem, vel quid simile; non est vlla obligatio restituendi; quia vel sacerdos non peccauit contra iustitiam, sed contra charitatem, vel religionem, & respectu fundatoris contra solam fidelitatem, vel damnum non est compensabile deficiente occasione, ad quam fundator respexit. Ita DD. secundæ & tertiæ sententiæ.

Atque hic esto finis huius tractatus & prioris tomi in Rub. generales Missalis; omniaque in eo contenta humiliter submitto iudicio, & correctioni S. M. Ecclesiæ.

LAVS DEO.



INDEX
PARTIVM ET TITVLORVM TOTIVS OPERIS
SECTIONVM ET DVBIORVM
Quæ Sub Singulis Titulis Continentur
QVAESTIO PROOEMIALIS
DE RVBRICIS MISSALIS IN GENERE
Et præcipue de obligatione, quam inducunt.

SECTIO I.
DE NATVRA ET CAVSIS RVBRICARVM

SECTIO II.
De obligatione rubricarum missalis in genere.

Dub. 3.

TITVLVS I.

DE DVPLICI.

DVBIA CONSCIENTIAE.

TITVLVS II.

DE SEMIDVPLICI ET SIMPLICI.

DVBIA CONSCIENTIAE.

TITVLVS III.

DE FERIA ET VIGILIA.

DVBIA CONSCIENTIAE.

SECTIO I.

De obligatione cantandi Missas.

SECTIO II.

De pertinentibus ad vigiliam.

TITVLVS IV.

DE MISSIS VOTIVIS.

TITVLVS V.

DE MISSIS DEFVNCTORVM.

TITVLVS VI.

DE TRANSLATIONE FESTORVM.

TITVLVS VII.

DE COMMEMORATIONIBVS.

TITVLVS VIII.

DE INTROITV KIRIE ET GLORIA.

TITVLVS IX.

DE ORATIONIBVS.

DV-

TITVLVS X.

DE EPISTOLA ET EVANGELIO.

TITVLVS. XI,

DE SYMBOLO.

TITVLVS. XII.

DE OFFERTORIO VSQVE AD CANONEM

TITVLVS XIII.

DE COMMVNIONE ET ALIIS VSQVE AD FINEM.

TITVLVS XIV.

DE ORDINANDA MISSA EX RVBRICIS.

TITVLVS XV.

DE HORA CELEBRANDI MISSAM.

TITVLVS XVI.

DE HIS QVAE CLARA VOCE DICENDA SVNT IN MISSA.

TITVLVS XVII.

DE ORDINE GENVFLECTENDI SEDENDI ET STANDI IN MISSA.

DV-

TITVLVS XVIII.

DE COLORIBVS PARAMENTORVM.

TITVLVS XIX.

DE QVALITATE PARAMENTORVM.

TITVLVS XX.

DE PRAEPARATIONE ALTARIS ETC.

Expli-

PARS II.

COMMENTARIORVM IN SECVNDVM ORDINEM RVBRICARVM MISSALIS ROMANI.

Ritus seruandus in celebratione Missæ.

TITVLVS I.

DE PREPARATIONIS SACERDOTIS CELEBRATVRI.

DVBIA CONSCIENTIAE.

SECTIO I.

De matutino, & orationibus ante Missam dicendis &c.

SECTIO II.

De vasis sacris præsertim de Calice & Patena.

SECTIO III.

De corporali Palla & Purificatorio.

SECTIO IV.

De vestimentis sacerdotalibus.

TITVLVS II.

DE INGRESSV SACERDOTIS AD ALTARE.

DVBIA CONSCIENTIAE.

TITVLVS III.

DE PRINCIPIO MISSAE ET CONFESSIONE FACIENDA.

DVBIA CONSCIENTIAE.

SECTIO I.

De principio Missę, & confessione facienda.

SECTIO II.

De obligatione prosequendi vsque ad finem Missam semel ceptam.

SECTIO III.

DE Missæ interruptione seu discontinuatione.

TI-

TITVLVS IV.

DE INTROITV KIRIE ET GLORIA.

DVBIA CONSCIENTIAE.

SECTIO I.

De Osculo, & Thurificatione Altaris.

SECTIO II.

De cultu sacrarum imaginum, & reliquiarum.

TITVLVS V.

DE ORATIONE.

DVBIA CONSCIENTIAE.

TITVLVS VI.

DE EPISTOLA VSQVE AD OFFERTORIVM.

DVBIA CONSCIENTIAE.

De obligationibus Diaconi, & Subdiaconi & de concinatore.

Dub 8.

TITVLVS IX.

DE CANONE POST CONSECRATIONEM VSQVE AD ORATIONEM DOMINICAM

TITV-

TITVLVS X.

DE ORATIONE DOMINICA VSQVE AD FACTAM COMMVNIONEM.

DVBIA CONSCIENTIAE.

SECTIO I.

De communione celebrantis & de ritibus eam antecedentibus & sequentibus.

SECTIO II.

De fragmentis seu reliquijs Sacramenti à celebrante sumendis.

SECTIO III.

De communione laicorum.

SECTIO IV.

De fructu proueniente ex sacra communione.

TITVLVS XI.

DE COMMVNIONE ET ORATIONIBVS POST COMMVNIONEM.

TITVLVS XII.

DE FINE MISSAE.

TITVLVS XIII.

DE HIS QVI OMITTVNTVR IN MISSA PRO DEFVNCTIS.

PARS III.

Commentariorum in tertium ordinem Rubricarum missalis de defectibus in celebratione Missarum occurrentibus.

TITVLVS I.

DE DEFECTIBVS IN GENERE ET SPECIATIM DE DEFECTIBVS ORDINIS SACERDOTALIS.

DV-

DVBIA CONSCIENTIAE.

SECTIO I.

De defectibus in genere.

SECTIO II.

De ordine sacerdotali deque eius defectibus,

TITVLVS II.

DE DEFECTIBVS MATERIAE.

DVBIA CONSCIENTIAE,

SECTIO I.

De his, quæ sunt Communia vtrique materiæ Sacramenti Eucharistiæ.

SECTIO II.

De præsentia materiæ consecrandæ coram sacerdote.

TITVLVS III.

DE DEFECTV PANIS.

DV-

DVBIA CONSCIENTIAE.

SECTIO I.

De pertinentibus ad essentiam formæ consecrationis.

SECTIO II.

De supplendis defectibus formæ.

TITVLVS VI.

DE DEFECTIBVS MINISTRI.

DVBIA CONSCIENTIAE.

De remotis defectibus ministrorum Altaris.

SECTIO I.

De defectibus contra præcepta affirmatiua Sacerdotibus imposita & primo de habitu &c.

Secundum præceptum affirmatiuum distribuendi in vsus pios redditus Ecclesiasticos.

SECTIO II.

De præceptis negatiuis non ludendi, aut negotiandi &c.

SE-

TITVLVS VII.

DE DEFECTIBVS INTENTIONIS.

TITVLVS VIII.

DE DEFECTIBVS DISPOSITIONIS ANIMAE.

SECTIO III.

De confessione præmittenda cõmunioni

TITVLVS IX.

DE DEFECTIBVS DISPOSITIONIS CORPORIS.

DVBIA CONSCIENTIAE.

SECTIO I.

De ieiunio ad cõmunionẽ prærequisito.

SECTIO II.

De pollutione vel simili labe communionem impediente.

TITVLVS X.

DE DEFECTIBVS IN MINISTERIO IPSO OCCVRRENTIBVS.

DVBIA CONSCIENTIAE.

SECTIO I.

De Ecclesijs, & locis iure communi destinatis ad Missæ celebrationem.

SECTIO II.

De priuilegijs Episcoporum & Regularium circa locum sacrificij.

Dub. 3.

TITVLI X. Num. IV.

TITVLI X. Num V.

TITVLI X. Num. VI.

TITVLI X. Num. VII. VIII. & IX.

TITVLI X. Num. X & XI.

TITVLI X. Num. XII.

Dub. 5.

TITVLI X. Num. XIII & XIV.

TITVLI X. Num. XV.

TITVLI X. Num. XVI.

APPENDIX

QVAESTIONVM DE SACRIFICIO MISSAE

QVAESTIO I.

De essentia sacrificij Missæ.

QVAESTIO II.

De valore, & effectibus sacrificij Missæ.

Punc.6.

QVAESTIO III.

De obligatione celebrandi ex vi præcisa ordinis sacerdotalis.

QVAESTIO IV.

De obligatione celebrandi ratione stipendij, vel cappellaniæ.





INDEX RERVM NOTABILIVM.

Primus numerus partem indicat postremus paginam; alij intermedij indicant titulos sectiones, & dubia.

Litera significat expositionem literalem Rubricæ

Aqua

Cele-

An

Genuflexio.

Gloria in excelsis.

Bbbbb bra-

Re-

F I N I S.

Errata grauiora correcta.

pagina	Col.	Linea	Errata	Corrige
4	1	17	hora crucis	ara crucis
35	2	18	berbum	verbum
40	2		vicari	vitari
47	2	2	denarium	ternarium
47	2	2	vide ti	(ra videri
51	2	24	duplicismaio	dup. minora
88	1	53	haclimitatione	hàc limitatio
133	2	vltima	maiore	maior (né
135	2	36	præsenti	præteriti
233	1	fine	auspiciatur	auspicatur
290	2	10	Sacristlæ	Sacristæ
293	2	10	verum	vtrum
314	1	3	consecraret	consecrare
388	1	3	Solem	solum
397	2	8	collat	collocat
404	2	23	accidentalis	accidentales
409	2	2	inteutiones	intentionis
413	2	13	hanc	hunc
434	2	25	oculus	oculis
427	1	1	qualitatem	qualitatum
475	1	3	præcipit	percipit
489	2	1	demissiue	remissiue
497	1	41	artificio	artificium
515	2	47	& signum	est signum
655	2	33	omino	omnino
678	2	11	secularibus	Secularibus
705	2	44	resolutione	quæstione
8	1	21	directiuis	directiuæ
13	1	46	illi præesse	sibi præesse
15	1	4	non videt	nou potest
33	2	49	nos	non
57	2	52	mutatio	mentio
81	2	14	diei primæ	in die pri-
82	2	8	aurem	autem (ma
119	2	11	vt	aut
319	1	37	vini	vni
394	2	25	nec osculatur	nec Minister osculatur

REGESTVM.

†

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii KK Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii KKK Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz,

Aaaa Bbbb Cccc Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii KKKK Llll Mmmm Nnnn Oooo Pppp Qqqq Rrrr Sſſſ Tttt Vuuu Xxxx Yyyy Zzzz,

Aaaaa Bbbbb Ccccc

Omnes ſunt Duerniones.

ROMAE, Ex Typographia Ignatij de Lazzeris. M.DC.LV.

DE LICENTIA SVPERIORVM.

